UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr - Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

Visual Library

Th. 425a.

D. VII
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

THOMÆ COMPTONI CARLETON

SOCIETATIS JESU

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

TOMUS POSTERIOR,

SECVNDÆ SECVNDÆ ET TERTIÆ PARTI

DOCTORIS ANGELICI

RESPONDENS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

THOMÆ COMPTON

CARLETON

SOCIETATIS JESU

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

TOMUS POSTERIOR,

SECUNDÆ SECUNDÆ ET TERTIÆ PARTI

DOCTORIS ANGELICI

RESPONDENS

CVRSVS THEOLOGICI

TOMVS POSTERIOR

EA BREVITATE CONSCRIPTUS,

QVAM TOT TANTARVMQVE RERVM AMPLITUDO ET VARIETAS PATITUR,

QUAS SECUNDA SECUNDÆ ET TERTIA PARS

DIVI THOMÆ

COMPLECTITVR.

QVÆSTIONES INSVPER AD MORES, & praxim ſpectantes, maximè circa Sacramenta, accuratè declarantur.

AUCTORE

R. P. THOMA COMPTONO CARLETON

CANTABRIGIENSI SOCIETATIS IESV

In Collegio Anglorum Leodieñ. S. Theologiæ Profeſſore.

Ex legato Celini Principis Ferdinandi Epi Pad. et Mon. 1683



Colleg. Societat. LEODII, Jesu Padibor.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,

Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EXCELLENTISSIMO
ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. LVDOVICO STVARTE

EX DUCIBUS LENOXIÆ
ET RICHEMVNDIÆ,

COMITI D'AVBIGNI,

SERENISSIMÆ REGINÆ ANGLIÆ
SUMMO ELEEMOSYNARIO F.

MAGNAM præsidii vim in illustrium virorum nominibus operum suorum fronti præfigendis sitam esse sacris juxta ac profanis scriptoribus semper est visum. Ex horum quippe favore securitatem, ex nobilitate patrocinium, ex auctoritate pondus aliquod & momentum suis accessurum lucubrationibus sperabant; ex luce denique ac splendore lucem & existimationem in eos quos tunc conscribebant & in publicum dabant libros derivatum iri ominabantur.

Longiùs mihi eundum non fuit, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, nec diuturnâ deliberatione utendum, quem operi huic Theologico Patronum aſciſcerem, cujus, inquam, auſpiciis in lucem illud ederem, noménque honoris causâ præfigerem, cùm TE fulgentiſſimum lumen, & domi, ut ita dicam, intra ipſos ſcilicet Britanniæ fines ortum ſidus intuear, cujus radii, non microcoſmi noſtri limitibus coërcentur, ſed longè latéque diffuſi omnium oculos perſtringunt, orbemque non parum illuſtrant. Sub hoc ergo tam fauſto benignóque ſidere cùm naſcatur, ac lucem primò aſpiciat, ſi eorum, qui natalitia ſidera, ſtellarúmque in rei cujuſque ortu apparentium aſpectum conjunctionémque notant, obſervationi conjecturæque credimus, proſpera ei cuncta & felicia, ſecundiſſimóque eventura curſu, non vanus quis augur exiſtimaverit.

Et ſanè, dum ea quæ in TE ſumma ſunt conſidero, ſingularésque tuas Excellentias accuratè mecum perpendo, nullus mihi TE aptior videtur, cui labores hoſce Theologicos conſecrem, eorúmque protectionem ac patrocinium committam. Et ut ex iis, quæ ampliſſima in TE ſplendidiſſimáque exiſtunt, nonnulla recenſeam, ea inprimis menti occurrunt, quæ prima mortales putant, cunctís-

cunctísque admirationi esse solent, nobilitas scilicet generis, & stirpis ac familiæ decus; hæc autem quanta tibi, quamque conspicua sint indicat natalium splendor, utpote qui ex Regum stemmate prognatus cum maximis in Europa Regibus ac Principibus arctissimo propinquitatis vinculo sanguinísque participatione conjungeris, eos insuper nactus es Majores, qui ob res præclarè gestas, atque eximia domi militiæque parta decora, & summam sibi laudem ampliſſimósque hónorum titulos compararunt, & posteris reliquerunt.

Hæc esto magna esse & præclara inficias ire nemo queat, ac non parum ornatûs secum & existimationis afferre omnium judicio soleant: aliam tamen in TE, prioréque haud paulò præstantiorem nobilitatem cerno, quam non splendida Avorum nomina, non stirpis & familiæ claritas ac stemmata gentilitia, non ampli honorum tituli relictáque à Majoribus decora, sed innocentia vitæ, morúmque integritas & candor, ac pietatis studium, constánsque divini honoris & cultus zelus & ardor TIBI pepererunt.

Quanta verò in TE isthæc, quámque eximia sint, variæ Europæ Provinciæ præclaris vitæ tuæ exemplis illustratæ testantur & prædicant, jucundissimáque & nunquam

apud illas interiturâ virtutum tuarum memoriâ haud mediocriter recreantur. Hæc veram nobilitatem & ſplendorem conferunt, hominémque in ſublimiore loco & gradu collocant, & clarum maximè reddunt ac illuſtrem. Virtus nimirum generoſus eſt animi ſanguis, ſuíque cultores, quæ ea cunque eorum ſors fuerit & conditio, Magnates & Heröas efficit; hac verò quiſquis caret, quantumvis ſplendidè ornatus incedat, auróque & gemmis onuſtus, ac numeroſo cinctus & ſtipatus famulorum grege, hic inquam ab æquis rerum æſtimatoribus nobilis cenſendus non eſt, ſed ſub ſpecioſo nobilitatis titulo animum gerit plebeïum.

Sola ergo virtus ad veri honoris culmen & faſtigium evehit; honor verò omnis in virtute non fundatus fictus eſt & umbratilis, & quantum à virtute, tantum à genuina propriáque honoris ratione disjungitur. Hinc ſagax antiquitas illorúmque temporum perſpicaces viri, honoris & virtutis templa ita exædificabant, ut niſi per templum virtutis, ad honoris templum aditus non patêret, id nimirum inſinuantes, qui in virtutis ſemita non incedit, ad honorem pertingere poſſe neminem.

Hinc ergo, ut ad TE redeam, PRINCEPS, omnium in TE oculi conjecti, hinc tantus

paſſim

passim TIBI habitus honos, tanta Tui apud omnes veneratio: virtutis quippe templum ingresso facilis ad honoris templum patebat aditus. Hinc insuper summum TIBI honoratissimúmque in Reginæ aula collatum officium. Hinc, quod caput est, Serenissimo ipsi Regi CAROLO charus adeo acceptúsque semper extitisti: hoc nimirum tum aliæ Tuæ virtutes, tum Fides & amor, integerrimúsque in benignissimum benevolentissimúmque Principem animus effecerunt. Nec minima TIBI ex summâ qua polles prudentiâ, singularíque in rerum maximarum administratione peritiâ oritur commendatio. Accedit animorum conciliatrix comitas, ingenitáque TIBI à naturâ benignitas, per quam amicâ quadam vi, suavíque violentiâ ad TE cunctos attrahis, attractósque, plus quàm adamantinis TIBI vinculis astringis. Alia, eáque nec pauca nec exigua ad honorem Tuum facientia hîc afferre possem, sed animi Tui modestia longiùs me in laudes Tuas ire non sinit, quare eorum relatione supersedebo.

Accipe ergo, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, hoc opus, multis TIBI nominibus debitum: accipe, inquam, ut studii in TE mei & observantiæ, synceræque voluntatis argumentum, & quamvis exiguum ac tenue, Tuæque dignitati,

nitati, splendori & merito impar, benigno tamen illud oculo intuere, Solis instar, qui non cedros tantùm, nobilissimásque illas ac speciosissimas arbores, sed humiles etiam myricas, & minimas quasque plantas ac germina aspectu suo dignatur & fovet: sic Tu hoc opus, labores, inquam, hosce Theologicos solitâ Tuâ comitate & benignitate amplectere, fulgore illustra, auctoritate denique, quam habes maximam, defende.

EXCELLENTISSIMÆ ET ILL.MÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus in Christo servus

THOMAS COMPTONUS CARLETON.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DEVS, *inquit Trismegistus*, est circulus; cujus centrum ubique est, circumferentia nusquam. *Circulus est, omnia nimirum in se summa, omnia optima, modóque absolutissimo complectens, & cui nullus, vel mente adjicere quidquam valet. Circumferentia verò nusquam est, nullis nimirum limitibus, nullo locorum ambitu circumscribitur, sed spatia omnia suâ immensitate infinitè excedit: & ut verbo dicam:* DEVS est, quo majus aut melius cogitari nihil potest.

Nec in se tantùm DEVS, seu in existendo, ut aiunt, sed nobis etiam & in operando est circulus, principium scilicet nostrum & finis, α & ω, à quo nimirum sicut per creationem initium sumimus, & quodammodo egredimur, ita ad eundem tanquam ad finem per gratiam ac virtutes, aliáque ad hoc ab eo instituta media redimus, sicq; ad se nos denuo reducit, & circulum nobis longè felicissimum conficit.

Cum ergo DEVM in se, infinitásque ejus perfectiones, proprietates & attributa, ac quo pacto se nobis per Omnipotentiam communicet, Tomo præcedente declaraverim, nunc de iis quæ ad nos DEO tanquam fini reducendos pertinent, disputationem instituam, per ea námque summus DEI in nos amor ac benignitas clarissimè innotescit.

Primò itaque à tribus virtutibus Theologicis exordiar, Fide *scilicet, totius ædificii supernaturalis fundamento,* Spe, & Charitate, *quæ inter virtutes omnes internúmque hunc animæ apparatum primas obtinent, mentesq; habentium eximio splendore ac pulchritudine exornant. Deinde ineffabilem illum Divini Verbi cum nostrâ naturâ nexum declarabo, quo infinita illa bonitas tanto humanum genus honore dignata est, ut nobilissimis illis spiritibus prætermissis, nobis se admirabili planè, omnisq; creati intellectus captum excedente modo conjunxerit, nostrámque abjectionem suâ excellentiâ, nostram tenuitatem suâ abundantiâ, nostram denique obscuritatem suo fulgore & claritate illustrarit. Hinc ad Sacramenta, gratiæ scaturigines è foraminibus Petræ & fontibus Salvatoris effluentes progrediar, per quæ nimirum tanquam per cœlestes quosdam canales salutaris illa unda in mortalium animas derivatur, quâ & labes omnes ac sordes eluuntur, & Cœlo ac Sole puriores efficiuntur. Tandem, cùm in Sacramentis varia ad praxim spectantia contineantur, morales etiam hasce Quæstiones, quàm possum accuratissimè discutiam. Tibi ergo,* benevole Lector, *hoc opus, dudum quidem compositum, nunc verò secundis curis elaboratum offero: Vnde si fructus tibi aliquid aut commodi provenerit, operam me non malè posuisse arbitrabor.*

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII.

CVRSVS THEOLOGICI pars hæc altera à Reverendo Patre THOMA COMPTONO lucubrata, cùm nihil à Christianæ Fidei puritate, & Majorum placitis alienum contineat, imo vero quæ hactenus ut dubia nutarunt, novo argumentorum pondere stabiliat, quæque ab aliis pluribus sunt sparsa Tomis, facili stylo ita colligat, ut ipsâ brevitate rebus obscuris lucem afferat, æquum judicamus, ut quam suo merito vendicat, nostrâ approbatione munita lucem aspiciat. Datum Leodii hac 21. Februarii 1664.

IOAN. ERNESTVS DE SVRLET,
Canonicus & Vicarius generalis Leodiensis.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO EDVARDVS COVRTENÆVS Provincialis Societatis IESV in provincia Anglicana, potestate ad hoc mihi facta à R. Admodum P. IOANNE PAVLO OLIVA Vicario nostro Generali, facultatem concedo, ut Tomus hic alter *CVRSVS THEOLOGICI* à P. THOMA COMPTONO CARLETON nostræ Societatis Sacræ Theologiæ Professore emerito compositus, ejusdémque Societatis gravium ac doctorum hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigillóque officii nostri munitas dedimus. Londini 13. Ianuarii 1664.

EDUARDUS COURTENÆUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ORDO ET SERIES
DISPVTATIONVM
ET SECTIONVM
QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO
CONTINENTVR.

DISPUTATIO PRIMA.

De Fide secundùm se. pagina 1

SECTIO I. *Prænotantur quædam circa naturam & notionem Fidei.* pag. 1.

SECT. II. *Præcipua Fidei usurpatio.* pag. 2

DISPUTATIO II.

De objecto materiali Fidei divinæ. 3

SECTIO I. *Quodnam sit objectum materiale adæquatum Fidei divinæ.* 3

SECT. II. *Quid sit objectum attributionis Fidei divinæ.* 4

SECT. III. *Objectiones contendentes Deum non esse objectum attributionis Fidei.* ibidem.

SECT. IV. *Notantur quædam circa objectum materiale Fidei: & peculiariter circa triplex Symbolum.* 5

SECT. V. *Expediuntur reliqua ad objecti materialis Fidei notitiam spectantia.* 7

SECT. VI. *An inter objecta credenda seu veritates Fidei sit aliquis ordo?* 8

DISPUTATIO III.

De objecto formali Fidei divinæ. 9

SECTIO I. *Quid sit objectum formale Fidei divinæ.* 9

SECT. II. *Sub qua ratione, seu perfectione Deus sit objectum formale Fidei.* 10

SECT. III. *Vlteriùs declaratur quo pacto veracitas sit objectum formale Fidei divinæ.* 11

DISPUTATIO IV.

De divina revelatione. 12

SECTIO I. *In quo consistat divina revelatio.* 12

SECT. II. *Vtrùm revelatio divina sit objectum formale Fidei.* ibidem

SECT. III. *Vtrùm omnis actus Fidei habere debeat pro objecto formali revelationem.* 13

SECT. IV. *Quanam revelatio possit esse objectum formale Fidei.* 14

Index Disputationum

DISPUTATIO V.

De auctoritate Ecclesiæ. 16

SECTIO I. *Sitnè auctoritas Ecclesiæ objectum formale Fidei.* 16
SECT. II. *Argumentorum quorumdam solutione magis declaratur quomodo auctoritas Ecclesiæ sit testimonium Dei.* 17
SECT. III. *Sitnè Ecclesiæ propositio ad singulos actus Fidei necessaria.* 19
SECT. IV. *Quo pacto ad assensum Fidei concurrat auctoritas divina Ecclesiæ.* 20
SECT. V. *Qua ratione auctoritas humana Ecclesiæ ad actus Fidei concurrat.* 21
SECT. VI. *Argumentorum quorumdam solutione ostenditur vocem Parochi non esse infallibilem.* 23
SECT. VII. *Alia quædam circa propositionem Parochi, & auctoritatem humanam Ecclesiæ.* ibid.

DISPUTATIO VI.

De ultima Fidei resolutione. 25

SECTIO I. *In quid ultimò resolvatur Fides.* 25
SECT. II. *Alii quidam in Fidei resolutione procedendi modi.* 27
SECT. III. *Statuitur verus Fidem resolvendi modus.* 27
SECT. IV. *Solvuntur argumenta contra veram Fidei resolutionem proposita.* 28

DISPUTATIO VII.

De motivis credibilitatis. 30

SECTIO I. *Annotantur quædam circa motiva credibilitatis: Vbi an mysteria Fidei nostræ sint evidenter credibilia.* 30
SECT. II. *Argumenta contendentia mysteria Fidei non esse evidenter credibilia.* 31
SECT. III. *Quædam ex motivis Fidei declarantur, & in particulari puritas ac sanctitas doctrinæ Catholicæ & primò confertur cum Iudaismo.* 32
SECT. IV. *Quantum à Fidei Catholicæ puritate & sanctitate differat Mahometis dogmata.* 33
SECT. V. *Longè à puritate & sanctitate abest doctrina hæreticorum: ubi etiam de sanctitate vitæ.* ibidem
SECT. VI. *Miraculorum perpetratio Ecclesiam in qua fiunt, ostendit esse veram.* 34
SECT. VII. *Ex unitate doctrinæ probatur Fidem nostram esse evidenter credibilem.* 36
SECT. VIII. *Declarantur alia motiva quibus Fidei nostræ credibilitas ostenditur.* 37

DISPVTATIO VIII.

De certitudine & infallibilitate motivorum. 38

SECTIO I. *Utrùm positis motivis necessarium sit rem, ad quam ostendendam ponuntur esse veram.* 38
SECT. II. *Vlteriùs declaratur utrum motivis credibilitatis posit subesse falsum.* 39
SECT. III. *Quid divinitus fieri possit circa connexionem motivorum cum re cui attestari videntur.* 40
SECT. IV. *Argumenta contendentia motiva credibilitatis esse metaphysicè connexa cum veritate rerum.* 41
SECT. V. *Objectiones aliæ pro metaphysica connexione motivorum cum rei credendæ veritate.* 42

DISPV-

& Sectionum.

DISPUTATIO IX.

De certitudine Fidei. 43

Sectio I. *Prænotantur quædam circa cirtitudinem.* ibidem.
Sect. II. *Vtrùm Fides sit certior scientia naturali evidente.* 44
Sect. III. *Alia quædam de certitudine Fidei comparativè ad scientias naturales.* 45
Sect. IV. *Attexuntur quædam circa certitudinem Fidei in se, & quoad nos.* 46
Sect. V. *Qua ratione ex motivis moraliter tantùm certis assurgere posit intellectus ad assensum firmissimum.* 47

DISPUTATIO X.

De veritate actus Fidei. 49

Sectio I. *Utrùm veritas sit actui Fidei essentialis, & intrinseca: Vbi an Fides tendere posit in revelationem apparentem.* ibidem.
Sect. II. *Resolvitur quæstio circa essentialem veritatem actus Fidei.* 50
Sect. III. *Argumenta quædam contendentia Fidei divinæ posse subesse falsum: Vbi de Fide illiteratorum.* 51
Sect. IV. *Objectiones aliæ quibus contenditur actum Fidei divinæ posse esse falsum, & tendere in revelationem apparentem.* 52
Sect. V. *Vtrùm Fides posit esse partiale principium assensus falsi: ubi etiam an Deus posit infundere errorem aut habitum vitiosum.* 53
Sect. VI. *Argumenta contendentia posse Deum infundere habitus erroris, & vitii.* 55

DISPVTATIO XI.

De obscuritate Fidei. 56

Sectio I. *Vtrum actus Fidei sit essentialiter obscurus.* ibidem.
Sect. II. *Vtrùm extra visionem beatificam dari posit evidentia testimonii divini, seu attestantis.* 58
Sect. III. *Vtrùm Fides posit esse evidens in attestante.* 59
Sect. IV. *Vtrùm stare posit actus Fidei cum evidentia in attestante.* 60
Sect. V. *Vtrùm aliquis in via habuerit evidentiam in attestante.* 61
Sect. VI. *Præcipua difficultas circa evidentiam in attestante fuit in primo Angelo.* 62
Sect. VII. *Vtrùm actus Fidei esse posit evidens in attestato.* 63

DISPUTATIO XII.

De discursu Fidei. 64

Sectio I. *Vtrùm Fides sit discursiva.* ibidem.
Sect. II. *Argumenta contendentia Fidem esse discursivam.* 65
Sect. III. *Vtrùm quando utraque, vel una saltem præmissa sit de Fide, conclusio objectiva sit de Fide.* 67
Sect. IV. *Assertiones variæ de conclusione objectiva ex una præmissa de Fide deducta.* ibid.
Sect. V. *Alia quædam circa conclusionem objectivam ex una præmissa de Fide deductam.* 68
Sect. VI. *Reliqua circa conclusionem objectivam quæ ex altera præmissa de Fide deducitur.* 70
Sect. VII. *Conclusio circa difficultatem illationis ex una vel utraque præmissa de Fide.* 71

DISPUTATIO XIII.

De supernaturalitate actus & habitus Fidei. 72

SECTIO I. *Vtrùm actus Fidei sit supernaturalis.* ibid.
SECT. II. *Actus Fidei ad salutem necessarius est in substantia supernaturalis : Vbi etiam de differentia ex parte objecti formalis.* 73
SECT. III. *Declaratur ampliùs quo pacto non requiratur ut actus naturalis & supernaturalis semper differant ex parte objecti formalis.* 74
SECT. IV. *Ostenditur actum Fidei divinæ, esse in substantia supernaturalem.* 75
SECT. V. *Ex eo quod dentur habitus supernaturales probatur existere actus supernaturales.* 76
SECT. VI. *Quid de speciebus ad supernaturalem Fidei actum requisitis sentiendum:* 77
SECT. VII. *Reliqua ad actus Fidei supernaturalitatem cognoscendam requisita.* 79

DISPUTATIO XIV.

De libertate actus Fidei: ubi de pia affectione. 81

SECTIO I. *Sitnè actus Fidei liber, & à motione voluntatis dependens.* ibid.
SECT. II. *Vlteriùs ostenditur ad actum Fidei requiri motionem voluntatis.* 82
SECT. III. *Inquiruntur varia circa voluntatem credendi & piam affectionem.* 84
SECT. IV. *Debeatnè hic credulitatis affectus esse supernaturalis.* ibid.
SECT. V. *Quibusdam discussis natura piæ affectionis ulteriùs declaratur.* 86

DISPVTATIO XV.

De necessitate Fidei ad salutem. 88

SECTIO I. *Sitnè Fides supernaturalis necessaria ad salutem.* ibid.
SECT. II. *Quorumnam mysteriorum Fides sit ad salutem necessaria.* 89
SECT. III. *Quid de necessitate Fidei circa alios articulos & mysteria existimandum.* 90
SECT. IV. *An post promulgatum sufficienter Evangelium explicita Fides Christi sit necessaria ad salutem.* 91
SECT. V. *Alia quædam circa necessitatem Fidei ad salutem consequendam.* 92
SECT. VI. *De Fide Dei ut remuneratoris.* 93

DISPVTATIO XVI.

De actu Fidei secundùm se. 96

SECTIO I. *Inquiruntur nonnulla circa actũ Fidei.* ibid
SECT. II. *Alia quædam ad plenam actus Fidei notitiam spectantia.* 97
SECT. III. *Quâ ratione differant,* Credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. 98
SECT. IV. *De Fide miraculorum.* 99

DISPVTATIO XVII.

De habitu Fidei. 101

SECTIO I. *Inquiruntur quædam circa virtutem seu habitum Fidei : ubi an Fides sit virtus intellectualis.* ibidem.
SECT. II. *Sitnè habitus Fidei respectu omnium credendorum ejusdem speciei.* 102
SECT. III. *Reliqua ad habitus Fidei cognitionem necessaria.* 103

DISPV-

DISPUTATIO XVIII.

De amißione Fidei. 104

SECTIO I. *Quomodo Fides amittatur in hac vitâ: Vbi etiam de Fide vivâ & mortuâ.* ibid.
SECT. II. *Vtrùm per omne peccatum hæresis, vel infidelitatis tollatur habitus Fidei?* 106
SECT. III. *Sitne inter actum hæresim & habitum infusum Fidei repugnantia physica.* ibid.
SECT. IV. *Vtrùm obstinatè dissentiens uni articulo Fidei, credere posit alios.* 107
SECT. V. *Solvuntur quædam difficultates contra dicta circa impedimentum Fidei actualis per actum hæresis.* 108

DISPUTATIO XIX.

De subjecto & augmento Fidei. 110

SECTIO I. *In quibus subjectis reperiatur Fides: & primo de viatoribus.* ibid.
SECT. II. *Vtrùm in Beatis sit vel esse posit Fides.* 111
SECT. III. *Vtrùm in damnatis reperiatur Fides.* 113
SECT. IV. *Annotantur quædam circa augmentum Fidei.* 114
SECT. V. *Varia inquiruntur circa augmentum intensivum habitus Fidei.* 115

DISPVTATIO XX.

De regulis Fidei. 117

SECTIO I. *An & quomodo Scriptura sit regula Fidei.* ibid.
SECT. II. *Objectiones quædam contendentes Scripturam non esse regulam Fidei.* 118
SECT. III. *De Traditionibus: & an sint infallibilis regula Fidei.* 119

DISPVTATIO XXI.

De Ecclesia. 120

SECTIO I. *Sitnè ad res Fidei viva aliqua, & animatâ regula necessaria.* ibid.
SECT. II. *Quid sit Ecclesia, & quinam in ea contineantur?* 121
SECT. III. *Alia quædam inquiruntur circa naturam & notionem Ecclesiæ.* 122
SECT. IV. *De Ecclesiâ repræsentativâ, seu Conciliis.* 123

DISPVTATIO XXII.

De Summo Pontifice. 125

SECTIO I. *Varia circa Petri primatum, & Sedem Episcopalem declarantur.* ibid.
SECT. II. *Ostenditur Romanos Pontifices Petro in hac Vniversali potestate successisse.* 126
SECT. III. *An sit de Fide hunc hominem esse verum Romanum Pontificem, & Caput Ecclesiæ.* 127
SECT. IV. *Argumentorum solutione ulteriùs declaratur esse de Fide hunc esse verum Romanum Pontificem: & quædam inquiruntur.* 128
SECT. V. *De infallibilitate Pontificis in definiendo.* 130
SECT. VI. *Reliqua ad Summi Pontificis, electionem, dignitatem, & auctoritatem spectantia.* 131

Index Disputationum

DISPUTATIO XXIII.

De infallibilitate auctoritatis divinæ. 132

SECTIO I. *Utrùm Deus falsum aliquid dicere, aut mentiri possit.* ibid.
SECT. II. *Vlteriùs ostenditur Deum nulla ratio mentiri, seu falsum dicere posse.* 134
SECT. III. *Solvuntur argumenta contendentia Deum posse testari falsum.* 135

DISPUTATIO XXIV.

De Æquivocatione. 137

SECTIO I. *An inter loquendum licitum aliquando sit uti æquivocatione.* ibid.
SECT. II. *Argumentorum solutione ostenditur licitum subinde esse uti æquivocatione.* 139
SECT. III. *Alia quædam circa æquivocationem, & mendacium.* 140

DISPUTATIO XXV.

De Infidelitate. 141

SECTIO I. *Inquiruntur varia circa naturam & notionem infidelitatis.* ibid.
SECT. II. *De variis speciebus infidelitatis.* 142
SECT. III. *An omnia infidelium opera sint peccata.* 143

DISPUTATIO XXVI.

De Hæresi & Apostasiâ. 145

SECTIO I. *Varia discutiuntur circa naturam, & notionem hæresis.* ibid.
SECT. II. *Resolvuntur quæsita quædam circa naturam hæresis.* 146
SECT. III. *De Propositione hæreticâ, erroneâ, malè sonante & similibus, quomodo distinguantur.* 147

DISPUTATIO XXVII.

De Theologiâ. 149

DISPUTATIO XXVIII.

De virtute Spei. 150

SECTIO I. *Annotantur quædam circa virtutem Spei.* ibid.
SECT. II. *De nomine Spei, & aliis quibusdam ad hanc virtutem spectantibus.* 151

DISPV-

DISPVTATIO XXIX.

De objecto tum materiali, tum formali Spei. 152

SECTIO I. *Vtrùm spes versetur circa Deum ut objectum immediatum, vel potius circa visionem beatam.* ibid.

SECT. II. *Resolvitur quæstio circa immediatum objectum Spei.* 153

SECT. III. *Solvuntur argumenta circa immediatum objectum Spei.* 155

SECT. IV. *Quæ sit ratio formalis, sub qua spes ut distincta ab aliis virtutibus suum objectum respicit.* 156

SECT. V. *Declaratur in quo ratio formalis Spei Theologicæ consistat.* 157

SECT. VI. *Solutio objectionum contra rationem formalem, sub qua Spei.* 158

SECT. VII. *Quid sit objectum materiale Spei, seu quæ liceat sperare.* ibid.

SECT. VIII. *Argumenta quædam contra objecta materialia Spei.* 159

SECT. IX. *An spes omnia materialia sua objecta sub una indivisibili ratione respiciat?* 160

SECT, X. *Vtrum per Spem Theologicam possit quis sperare alteri beatitudinem.* 161

SECT. XI. *Ostenditur quo pacto possit quis sperare alteri beatitudinem.* 162

DISPVTATIO XXX.

De actibus Spei. 162

SECTIO I. *An actus Spei ad appetitum & partem ejus irascibilem pertineat?* ibid.

SECT. II. *An ad eliciendum actum Spei, actus aliqui prærequirantur ex parte intellectus & voluntatis, & quinam sint?* 163

SECT. III. *An actus Spei sit certus, & unde id habeat?* 164

DISPVTATIO XXXI.

De habitu Spei. 166

SECTIO I. *An ad actus Spei eliciendos infundatur nobis habitus, qui sit virtus, & an hic habitus sit unus?* ibid.

SECT. II. *An Spes sit virtus Theologica.* 167

SECT. III. *Objectiones contendentes Spem non esse virtutem Theologicam.* 168

SECT. IV. *An Spes à cæteris virtutibus distinguatur, & quem locum inter ipsas obtineat?* 169

DISPVTATIO XXXII.

De subjecto Spei. 170

SECTIO I. *An Spes sit vel fuerit in omnibus viatoribus, etiam animabus Limbi, vel Purgatorii?* ibid.

SECT. II. *An in damnatis sit vel esse possit Spes beatitudinis?* 172

SECT. III. *An Deus alicui revelare possit suam damnationem?* ibid.

SECT. IV. *An cui facta esset revelatio damnationis posset ac teneretur sperare beatitudinem.* 173

SECT. V. *Resolvitur quæstio circa Spem, vel desperationem in eo cui facta esset revelatio damnationis.* 174

SECT. VI. *An Spes in Beatis esse possit quoad actum?* 175

SECT. VII. *An in Beatis sit habitus Spei?* 176

Index Disputationum

DISPUTATIO XXXIII.

De Timore. 178

Sectio I. *Quodnam sit objectum materiale & formale timoris & peculiariter de Deo.* ibid.
Sect. II. *An timor sit distinctus ab odio mali, & an sit Spei contrarius.* 180
Sect. III. *Quid & quotuplex sit Timor.* ibid.
Sect. IV. *An detur aliquis Timor, qui sit circa bonum?* 182
Sect. V. *Quis sit timor mundanus, & an sit semper malus.* ibid.
Sect. VI. *Quid sit timor servilis, & an semper honestus.* 183
Sect. VII. *De timore initiali & filiali.* 185
Sect. VIII. *Ad quam virtutem spectet, & quos habeat actus timor hic filialis.* 186
Sect. IX. *An sit speciale aliquod donum timoris, quid sit, & quos actus habeat?* 186
Sect. X. *Vtrùm in Beatis sit timor?* 187

DISPUTATIO XXXIV.

De desperatione & præsumptione. 189

Sectio I. *Quid sit desperatio, & an actus intellectus vel voluntatis.* ibid.
Sect. II. *Quædam annotantur circa præsumptionem.* 190

DISPUTATIO XXXV.

De Charitate secundùm se. 192

Sectio I. *Quid sit Charitas, & an sit aliquid creatum.* ibid.
Sect. II. *Alia quædam circa naturam & notionem Charitatis.* 193
Sect. III. *De unitate & simplicitate Charitatis.* 194
Sect. IV. *Vtrùm Charitas eadem sit in via, & in patria?* 195
Sect. V. *Vtrùm Charitas ejusdem intensionis sit in via & in patria?* 196
Sect. VI. *Argumenta contendentia Charitatem patriæ superare in intensione Charitatem viæ.* 197

DISPUTATIO XXXVI.

De objecto Charitatis. 199

Sectio I. *Quidnam sit objectum materiale Charitatis?* ibid.
Sect. II. *De objecto formali Charitatis.* 200
Sect. III. *Varia discutiuntur circa amorem proximi.* 201
Sect. IV. *Varia inquiruntur circa dilectionẽ Dei.* 203
Sect. V. *De præcepto diligendi Deum.* 204
Sect. VI. *Quando obligetur quis ad actum amoris Dei eliciendum, & peculiariter an primo instanti usus rationis.* 205

DISPV-

Index Disputationum

DISPUTATIO XXXVII.

De amore proximi. 207.

Sectio I. *Sitnè obligatio diligendi proximum actu interno: ubi etiam de præcepto diligendi seipsum.* ibidem.

Sect. II. *Quo pacto amare nosmetipsos magis debeamus, quàm proximum.* 209

Sect. III. *Comparatio nostri cum proximo circa bona temporalia.* 210

Sect. IV. *De ordine Charitatis servando in diligendis proximis.* 211

Sect. V. *An & quomodo teneamur diligere inimicos.* 212

Sect. VI. *Varia inquiruntur circa dilectionem Dei, & proximi: ubi etiam de odio Dei.* 214

DISPUTATIO XXXVIII.

De augmento Charitatis. 216

Sectio I. *An & quo pacto augeatur Charitas.* ibid.

Sect. II. *Per quos actus bonos augeatur gratia & Charitas.* 218

Sect. III. *Viteriùs ostenditur, per actus etiam habitu remissiores augeri Charitatem, & gratiam.* 219

Sect. IV. *Quando, & qua ratione detur augmentum gratiæ.* 221

Sect. V. *Ostenditur primo instanti, non reliquis, dari certam partem gratiæ.* ibid.

Sect. VI. *Solvuntur argumenta contra hunc modum explicandi augmentum Charitatis, & alia quædam deducuntur.* 222

Sect. VII. *Vtrùm ex majore gratiâ habituali crescat boni operis meritum.* 224

Sect. VIII. *Argumenta contendentia ex majore gratiâ habituali nullum actibus meritoriis valorem accrescere.* ibidem.

DISPUTATIO XXXIX.

De diminutione Charitatis. 227

Sectio I. *Possitnè habitus Charitatis per peccata venialia minui.* ibidem.

Sect. II. *Solvuntur objectiones, quibus nonnulli probare conantur peccata venialia minuere Charitatem.* 229

DISPUTATIO XL.

De possibilitate Incarnationis. 231

Sectio I. *Quædam breviter circa nomen Incarnationis.* ibidem.

Sect. II. *Objectiones variæ contra Incarnationis possibilitatem, dissolvuntur.* 232

Sect. III. *Objectiones aliæ contendentes Incarnationem esse impossibilem.* ibid.

Sect. IV. *Non obstat Incarnationi immutabilitas Dei.* 233

Sect. V. *Tres aliæ viæ declarandi quo pacto Deus per unionem hypostaticam non mutetur.* 235

DISPV-

Index Disputationum

DISPUTATIO XLI.

De Incarnationis cognoscibilitate. 237

SECTIO I. *Positnè lumine naturali cognosci Incarnationem esse possibilem.* ibid.

SECT. II. *Objectiones contendentes posse Incarnationis mysteriũ sola naturæ vi investigari.* 238

DISPVTATIO XLII.

De convenientia & necessitate Incarnationis ex parte Dei. 239

SECTIO I. *Præmittuntur quædam circa convenientiam, & necessitatem Incarnationis.* ibid.

SECT. II. *Sitnè necessaria Deo Incarnatio.* 240

DISPUTATIO XLIII.

De necessitate Incarnationis ad satisfaciendum ex Iustitia. 242

SECTIO I. *An per peccatum contrahatur debitum justitiæ ad satisfaciendum Deo.* ibid.

SECT. II. *Aliæ viæ quibus contendunt nonnulli excludere peccatum à ratione injuriæ strictæ sumptæ.* 243

SECT. III. *Rationes quædam cur peccatum juxta nonnullos non sit stricta injuria, quòd scilicet Deus sit essentialiter invitus ne offendatur.* 244

SECT. IV. *Peccatum est injuria stricta contra Deum.* 245

SECT. V. *Objectiones contendentes peccatum non esse injuriam strictè dictam contra Deum.* 246

DISPUTATIO XLIIII.

De satisfactione Christi. 248

SECTIO I. *Fueritnè Christi satisfactio condigna & æqualis pro peccatis generis humani.* ibid.

SECT. II. *Argumenta contra infinitum valorem operum Christi.* 250

SECT. III. *Solvuntur aliæ objectiones contra valorem infinitum operum Christi.* 251

SECT. IV. *Vtrùm Christi satisfactio fuerit de rigore justitiæ.* 252

SECT. V. *Examinantur duæ ultimæ conditiones rigorosæ justitiæ.* 253

SECT. VI. *Resolvitur quæstio circa satisfactionem Christi.* 254

DISPV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISPVTATIO XLV.

De aptitudine puræ creaturæ ad reparandum hominem lapsum. 255

SECTIO I. *Vtrùm pura creatura possit alteri mereri gratiam de condigno.* 255
SECT. II. *Argumenta contendentia non posse puram creaturam mereri alteri gratiam de condigno.* 256
SECT. III. *Vtrùm pura creatura mereri de condigno possit remissionem peccati mortalis.* 258
SECT. IV. *Cur non possit pura creatura satisfacere pro peccato mortali.* 259
SECT. V. *Argumenta contendentia posse puram creaturam satisfacere pro peccato mortali.* 261
SECT. VI. *Vtrùm peccatum mortale in se habeat malitiam infinitam.* 262
SECT. VII. *Argumenta quædam contendentia peccatum mortale esse malitiæ simpliciter infinitæ.* 264
SECT. VIII. *Obiectio pro infinitate malitiæ peccati mortalis deducta ex dignitate personæ offensa.* 266
SECT. IX. *Argumentum de merito pœnæ æternæ non probat peccatum mortale habere malitiam infinitam.* 267

DISPUTATIO XLVI.

De motivo divinæ voluntatis in opere Incarnationis. 269

SECTIO I. *Vtrùm si Adamus non peccasset Verbum divinum humanam carnem assumpsisset.* 269
SECT. II. *Deciditur quæstio circa motivum Incarnationis.* 270
SECT. III. *Solvuntur obiectiones circa motivum Incarnationis.* 271
SECT. IV. *Aliæ obiectiones circa motivum Incarnationis.* 273
SECT. V. *Ordo decretorum circa mysterium Incarnationis.* 274
SECT. VI. *Attexuntur quædam circa Immaculatam conceptionem.* 275
SECT. VII. *Deducuntur quædam Corollaria tum circa seriem decretorum, tum Immaculatam Virginis conceptionem.* 277

DISPUTATIO XLVII.

De causa meritoria Incarnationis. 279

SECTIO I. *Vtrùm humanitas Christi mereri potuerit unionem sui ad Verbum.* 279
SECT. II. *Vtrùm hæc conditio habere possit rationem meriti.* 281
SECT. III. *Quædam circa meritum Christi.* 283
SECT. IV. *Quid meruerit Christus Angelis & antiquis Patribus: Vbi quomodo sit caput Angelorum & hominum.* 284
SECT. V. *Vtrùm Christus per merita unionem subsequentia potuerit illam mereri.* 286
SECT. VI. *Vtrùm Patres antiqui meruerint circumstantias Incarnationis, & Beata Virgo ut esset Mater Dei.* 288

DISPVTATIO XLVIII.

De Vnione Hypostatica. 291

SECTIO I. *Statuuntur quædam circa hanc Vnionem.* 291
SECT. II. *Quid sit Vnio hypostatica.* 293

DISPV-

Index Disputationum

DISPVTATIO XLVIIII.

De termino unionis ex parte assumentis. 294

SECTIO I. *An humanitas Christi existat per existentiam Verbi.* 294
SECT. II. *Qua ratione Verbum terminaverit Vnionem hypostaticam.* 295
SECT. III. *Argumenta contendentia Vnionem hypostaticam ex parte Dei terminari ad aliquid absolutum.* 296
SECT. IV. *Resolvuntur quædam circa assumptionem humanitatis à Verbo.* 297
SECT. V. *Nonnulla alia circa assumptionem humanitatis.* 299

DISPVTATIO L.

De natura assumpta, ejusq; partibus & ordine assumptionis. 300

SECTIO I. *Vtrùm quævis substantia assumi possit à Verbo.* 300
SECT. II. *Inferuntur quædam circa assumptionem partium & unionis.* 301
SECT. III. *De ordine assumptionis.* 303
SECT. IV. *An unio inter animam & corpus assumpta fuerit à Verbo.* 304
SECT. V. *An natura existens in propria subsistentia assumi possit à Verbo.* 305
SECT. VI. *Alia quædam de subsistentia creata, & peculiariter an consistat in negativo.* 306

DISPVTATIO LI.

De gratia Christi. 309

SECTIO I. *Vtrùm humanitas Christi sancta fuerit per gratiam unionis.* 309
SECT. II. *Vtrùm sanctificet humanitatem personalitas, an natura & utrùm infinitè.* 310
SECT. III. *Inquiruntur quædam circa satisfactionem humanitatis.* 312
SECT. IV. *An Christus habuerit gratiam habitualem?* ibidem
SECT. V. *De virtutibus & donis Christi.* 313

DISPVTATIO LII.

De scientia Christi. 315

SECTIO I. *Quædam breviter notantur circa scientiam Christi increatam.* 315
SECT. II. *De scientia beata Christi.* ibid.
SECT. III. *Vtrùm anima Christi videre in Verbo possit omnia possibilia.* 316
SECT. IV. *Annotantur quædam circa scientiam infusam Christi.* 317
SECT. V. *De scientiâ Christi acquisitâ.* 318

DISPV-

DISPUTATIO LIII.

De potentia animæ Christi. 320

DISPVTATIO LIV.

De defectibus corporis & animæ à Verbo assumptis. 321

SECTIO I. *De impeccabilitate Christi.* 321
SECT. II. *Inferuntur quædam circa impeccabilitatem Christi.* 323
SECT. III. *Vtrùm potuerit humanitas peccare, ita ut peccando unionem dissolveret.* 325
SECT. IV. *Alia argumenta contendentia posse humanitatem Christi peccare demerendo unionem.* 326

DISPVTATIO LV.

De libertate Christi. 328

SECTIO I. *Quo pacto cum impotentia ad peccandum stet in Christo libertas.* 328
SECT. II. *Quid sentiendum circa libertatem Christi.* 329
SECT. III. *Alius modus quo procedunt nonnulli ut statuant libertatem Christi in morte subeunda.* 331

DISPVTATIO LVI.

De communicatione idiomatum ex mysterio Incarnationis orta. 333

SECTIO I. *Nonnulla circa communicationem idiomatum discutiuntur.* 333
SECT. II. *Alia quædam ad communicationem idiomatum spectantia.* 334

DISPVTATIO LVII.

De voluntate & merito Christi. 335

SECTIO I. *De iis quæ ad Christi voluntatem pertinent.* 335
SECT. II. *Alia nonnulla circa voluntatem Christi.* 336
SECT. III. *Per quos actus meruerit Christus.* 337

Index Disputationum

DISPVTATIO LVIII.

De Oratione Christi. 339

SECTIO I. *Inquiruntur quædam circa orationem Christi: ubi, an pro nobis nunc oret in cœlo.* 339

SECT. II. *Sententia negans Christum pro nobis nunc orare in cœlo.* ibid.

DISPUTATIO LIX.

De subjectione, Sacerdotio, Mediatione & Regno Christi. 340

SECTIO I. *Vtrùm Christus sit servus & subjectus Patri.* 340

SECT. II. *Verùs est Christum ut hominem esse servum Dei.* 341

SECT. III. *De Sacerdotio, Mediatione, & Regno Christi.* 343

SECT. IV. *De Regno Christi.* ibid.

DISPVTATIO LX.

De Filiatione Christi in ordine ad Deum. 345

SECTIO I. *An Christus ut homo sit filius Dei adoptivus.* 345

SECT. II. *Quo sensu Christus ut homo sit filius Dei naturalis.* 366

DISPVTATIO LXI.

De Adoratione Christi. 348

SECTIO I. *Præmittuntur quædam circa naturam adorationis.* 348

SECT. II. *De adoratione humanitatis Christi.* 349

SECT. III. *De cultu sanctarum imaginum.* 350

DISPV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Sectionum.

DISPUTATIO LXII.

De Sacramentis in genere. 353

SECTIO I. *De natura Sacramenti generatim sumpti.* 353
SECT. II. *In quo formaliter consistat essentia Sacramenti.* 354
SECT. III. *Resolvitur quæstio circa essentiam & definitionem Sacramenti.* 355
SECT. IV. *An Martyrium sit Sacramentum?* 357
SECT. V. *Alia quædam inferuntur circa Martyrium.* 358

DISPVTATIO LXIII.

De materia & forma Sacramentorum. 360

SECTIO I. *An Sacramenta novæ Legis perficiantur rebus & verbis.* 361
SECT. II. *Vtrùm ad Sacramenta requirantur ex Christi institutione res & verba determinata.* 363
SECT. III. *De intentione ministri ad Sacramentorum confectionem necessariâ.* 366
SECT. IV. *Deducuntur quædam corollaria circa intentionem ministrantis Sacramenta.* 368
SECT. V. *De intentione illius qui Sacramentum suscipit.* 369
SECT. VI. *An Christus determinatè instituerit materiam & formam Sacramenti Ordinis.* 370
SECT. VII. *Argumenta contendentia Christum materiæ & formæ Ordinis in particulari determinationi Ecclesiæ non reliquisse.* 372

DISPUTATIO LXIV.

De primario Sacramentorum novæ Legis effectu, nempe gratiâ. 374

SECTIO I. *Vtrùm Sacramenta novæ Legis physicè gratiam causent, an solùm moraliter.* 374
SECT. II. *Alia quædam de Physicâ & morali causalitate Sacramentorum.* 376
SECT. III. *Argumenta pro Physicâ causalitate Sacramentorum.* ibid.
SECT. IV. *Corollaria quædam circa causalitatem Sacramentorum: ubi moralis hæc eorum causalitas declaratur.* 378
SECT. V. *Alia quædam inquiruntur circa causalitatem Sacramentorum.* 380
SECT. VI. *Vtrùm Sacramenta omnia conferat æqualem gratiam.* 381
SECT. VII. *Alia quædam circa æqualitatem vel inæqualitatem gratiæ collatæ per Sacramenta.* 383

DISPVTATIO LXV.

De gratia Sacramentali. 384

SECTIO I. *Quæ Sacramenta conferant primam gratiam.* 384
SECT. II. *De dispositione ad effectum Sacramentalem recipiendum requisitâ.* 386

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Index Disputationum

DISPVTATIO LXVI.

De Sacramentorum reviviscentiâ. 388

Sectio I. *Utrùm Sacramenta cum fictione susceptа reviviscant.* 388
Sect. II. *Alia quædam statuuntur circa reviviscentiam Sacramentorum.* 389
Sect. III. *Quæ dispositio ad Sacramentorum reviviscentiam requiratur.* 390
Sect. IV. *Adjiciuntur nonnulla circa dispositionem ad reviviscentiam Sacramentorum necessariam.* 392
Sect. V. *Quid de ipso peccato fictionis, & aliis tempore baptismi commissis sentiendum.* 393
Sect. VI. *Alia quædam circa peccatum fictionis.* 395

DISPUTATIO LXVII.

De Sacramentis Legis Scriptæ. 396

Sectio I. *An Sacramenta Legis Mosaïcæ gratiam suscipientibus contulerint ex opere operato.* 396
Sect. II. *Argumenta contendentia antiquæ Legis Sacramenta contulisse gratiam.* 398
Sect. III. *Quædam alia de Circumcisione, & Sacramentis Legis naturæ.* 399
Sect. IV. *Adjiciuntur alia nonnulla circa naturam & proprietates Sacramentorum.* 400

DISPVTATIO LXVIII.

De Charactere. 402

Sectio I. *Vtrùm aliqua novæ Legis Sacramenta imprimant characterem.* 402
Sect. II. *De naturâ & causis characteris.* 403

DISPUTATIO LXIX.

De Baptismo. 405

Sectio I. *Discutiuntur quædam ad Sacramentum Baptismi spectantia.* 405
Sect. II. *Alia ad Sacramenti Baptismatis cognitionem necessaria: & primò de Baptismo* Fluminis, Flaminis, *&* Sanguinis. 407
Sect. III. *An filii infidelium possint invitis parentibus baptizari.* 409
Sect. IV. *Reliqua ad Baptismi notitiam requisita.* 410

DISPVTATIO LXX.

De Sacramento Confirmationis. 411

Sectio I. *Nonnulla circa Sacramentum Confirmationis annotantur.* 411
Sect. II. *Reliqua ad Sacramenti Confirmationis declarationem necessaria.* 413

DISPV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Sectionum.

DISPVTATIO LXXI.

De Sacramento Euchariſtiæ. 415

SECTIO I. *An detur Sacramentum Euchariſtiæ.* 415
SECT. II. *In quo Euchariſtia Sacramentum conſiſtat.* 416
SECT. III. *An ſumptio & conſecratio ſit pars hujus Sacramenti.* 418
SECT. IV. *Quomodo Sacramentum Euchariſtiæ ſit unum ſpecie & numero.* 420

DISPUTATIO LXXII.

De neceſsitate Sacramenti Euchariſtiæ. 421

SECTIO I. *Vtrùm ſumptio Euchariſtiæ vel in re vel in voto, ſit medium neceſſarium ad ſalutem.* 421
SECT. II. *Qua neceſsitate teneantur adulti Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere.* 422

DISPVTATIO LXXIII.

De materia remota hujus Sacramenti. 424

SECTIO I. *Quænam ſit materia remota Sacramenti Euchariſtiæ.* 424
SECT. II. *Vtrùm Chriſtus panem azymum conſecraverit, an fermentatum.* 426
SECT. III. *Vtrùm aqua vino ex Eccleſiæ præcepto admixta, immediatè convertatur in ſanguinem.* 427
SECT. IV. *Viteriùs oſtenditur aquam hoc modo admixtam vino, converti immediatè in ſanguinem.* 428
SECT. V. *Argumenta contendentia aquam non converti immediatè in ſanguinem.* 429
SECT. VI. *De præſentia, quantitate, & determinatione materiæ.* 431

DISPUTATIO LXXIV.

De tranſſubſtantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti. 433

SECTIO I. *Vtrùm hæc tranſſubſtantiatio in conceptu ſuo formali involvat actionem productivam corporis, aut ſanguinis Chriſti.* 433
SECT. II. *Qua ratione per conſecrationem deſtruatur ſubſtantia panis, & fiat hæc converſio.* 434
SECT. III. *Inferuntur varia circa modum Euchariſtiæ Sacramentum conficiendi.* 435

Index Disputationum

DISPVTATIO LXXV.

De Sacramentali præsentia Christi in Eucharistia. 436

Sectio I. *Quâ ratione existat Christus in hostia consecrata.* 436
Sect. II. *Vtrùm totus Christus non in partibus tantùm, sed etiam in punctis seu indivisibilibus hostiæ existat.* 438
Sect. III. *Sitnè hæc Christi præsentia sub speciebus, & unio cum iisdem divisibilis, an indivisibilis.* 439
Sect. IV. *Quid sub speciebus ponatur ex vi verborum, quid per concomitantiam.* 440

DISPUTATIO LXXVI.

De iis quæ Christus agere potest aut patì prout in hoc Sacramento. 442

Sectio I. *Vtrùm Christus ut in hoc Sacramento moveri possit aut alterari, vel alia corpora alterare.* 442
Sect. II. *An corpus Christi ut in Sacramento cerni possit oculo corporeo.* 444
Sect. III. *De variis apparitionibus quæ in hoc Sacramento cerni solent.* 445

DISPUTATIO LXXVII.

De speciebus panis & vini, quæ post consecrationem remanent in hoc Sacramento. 446

Sectio I. *Quo pacto quantitas & alia accidentia maneant in Eucharistiâ.* 446
Sect. II. *Quomodo species Sacramentales agere possint & pati.* 448

DISPVTATIO LXXVIII.

De formâ consecrationis. 450

Sectio I. *Quibus verbis fiat consecratio.* 450
Sect. II. *Vtrùm verba consecrationis proferantur à Sacerdote recitativè an significativè.* 452
Sect. III. *Pro quo instanti verba consecrationis sint vera.* 453
Sect. IV. *Quo sensu in forma consecrationis sumi debeant particulæ* Hic & Hoc. 454
Sect. V. *Vtrùm plures Sacerdotes possint simul unam & eandem hostiam consecrare.* 455

DISPVTATIO LXXIX.

De sumentibus Sacramentum Eucharistiæ. 457

Sectio I. *Quinam sumere possint hoc Sacramentum.* 457
Sect. II. *Quæ dispositio animæ & corporis ad Eucharistiam requiratur.* 458

DISPV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Sectionum.

DISPVTATIO LXXX.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. 461

SECTIO I. *Quos effectus & quando conferat Eucharistia.* 461

SECT. II. *An utraque species plus gratiæ conferat quàm una.* 463

DISPVTATIO LXXXI.

De præcepto communicandi Ecclesiastico & divino. 465

SECTIO I. *Quomodo & quando obligemur ad communicandum.* 465

SECT. II. *An justè Ecclesia laïcis usum calicis negaverit.* 467

DISPUTATIO LXXXII.

De Sacrificio, & Missâ. 469

SECTIO I. *Quid sit sacrificium, & à quo institui & offerri possit.* 469

SECT. II. *An, & quomodo in Missâ verum offeratur sacrificium.* 471

SECT. III. *In qua actione Missæ sita sit essentia hujus sacrificii.* 472

SECT. IV. *Alia quædam circa sacrificium incruentum.* 473

SECT. V. *Quinam hoc sacrificium offerre possint, & pro quibus.* 474

DISPUTATIO LXXXIII.

De celebratione Missæ & Communione. 476

SECTIO I. *Annotantur quædam circa celebrationem Missæ.* 476

SECT. II. *De iis quæ ad Missæ celebrationem requiruntur.* 478

SECT. III. *De quibusdam Missæ circumstantiis.* 479

SECT. IV. *Quædam alia circa Communionem inquiruntur.* 481

DISPVTATIO LXXXIV.

De Pœnitentiâ. 483

SECTIO I. *De nomine, & aliis ad Pœnitentiam spectantibus.* 483

SECT. II. *Sitnè in Lege nova propriè dictum Pœnitentia Sacramentum.* 484

SECT. III. *De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ ad peccata remittenda.* 485

Index Disputationum

DISPVTATIO LXXXV.

De essentia Sacramenti Pœnitentiæ. 487

SECTIO I. *In quo consistat essentia Sacramenti Pœnitentiæ.* 487

SECT. II. *Quibusdam solutis declaratur ulteriùs essentia Sacramenti Pœnitentiæ.* 488

DISPVTATIO LXXXVI.

De forma hujus Sacramenti. 490

SECTIO I. *Quæ sit forma Sacramenti Pœnitentiæ.* 490

SECT. II. *Argumenta contendentia verba illa à peccatis tuis esse de essentia formæ Sacramenti Pœnitentiæ.* 491

SECT. III. *An saltem verba illa à peccatis esse possint de substantia formæ.* 493

SECT. IV. *Quem sensum habeant verba formæ Sacramenti Pœnitentiæ.* 495

SECT. V. *Resolvitur quæstio circa sensum verborum formæ Sacramenti Pœnitentiæ.* 497

SECT. VI. *Inferuntur quædam circa significationem verborum formæ.* 498

SECT. VII. *An forma absolutionis valida sit prolata super absentem.* 499

DISPUTATIO LXXXVII.

De dolore ad hoc Sacramentum requisito. 502

SECTIO I. *Quis dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarius.* 502

SECT. II. *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe.* 504

SECT. III. *Objectiones contra Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.* 506

SECT. IV. *Quædam alia circa valorem Sacramenti Pœnitentiæ.* 509

SECT. V. *An ad hoc Sacramentum validum & informe requiratur dolor supernaturalis.* 511

DISPVTATIO LXXXVIII.

De remissione peccatorum venialium. 513

SECTIO I. *Vtrùm ut tollantur peccata venialia extra Sacramentum requiratur pœnitentia.* 513

SECT. II. *Vtrùm possit quis condignè satisfacere pro suo veniali.* 514

SECT. III. *De remissione peccati venialis in sequente vitâ.* 515

SECT. IV. *Vtrùm possit justus etiam in hac vitâ mereri remissionem peccati sui venialis.* 517

SECT. V. *De remissione venialium ex opere operato.* 520

SECT. VI. *An sit possibilis forma physicè expellens peccata venialia.* 521

SECT. VII. *Vtrùm peccata venialia de facto tollantur per formam inhærentem.* 523

DISPV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Sectionum.

DISPVTATIO LXXXIX.

De reditu peccatorum. 525

SECTIO I. *An peccata per Pœnitentiam semel remissa redeant.* 525

SECT. II. *An saltem divinitus reviviscere possint peccata.* ibid.

DISPVTATIO XC.

De reviviscentia meritorum. 527

SECTIO I. *Vtrùm opera per peccatum mortificata reviviscant per Pœnitentiam.* 527

SECT. II. *Vtrùm merita reviviscant ex misericordia an ex justitia.* 528

SECT. III. *Alia quædam circa reviviscentiam meritorum: Vbi etiam ad quantum præmium reviviscant.* 531

SECT. IV. *Resolvitur quæstio circa magnitudinem præmii in reviviscentiâ meritorum.* 532

DISPUTATIO XCI.

De satisfactione. 535

SECTIO I. *Quomodo satisfaciant justi pro pœnâ peccatis remissis adhuc debitâ.* 535

SECT. II. *De opere externo in ratione satisfactionis.* 536

SECT. III. *De satisfactione Sacramentali.* 538

SECT. IV. *Alia quadam de satisfactione Sacramentali.* 540

DISPVTATIO XCII.

De Confessione Sacramentali. 542

SECTIO I. *Quomodo, & quo jure necessaria sit confessio.* 542

SECT. II. *De circumstantiis quibusdam Confessionis.* 544

SECT. III. *De integritate confessionis.* ibid

SECT. IV. *Vtrùm explicandæ in confessione sint species, circumstantiæ, & numerus peccatorum.* 546

SECT. V. *Quomodo confitenda sint peccata dubia.* 548

DISPVTATIO XCIII.

De necessitate Confessionis ex præcepto Ecclesiastico. 549

SECTIO I. *De iis quæ spectant ad Confessionem annuam.* 549

SECT. II. *Alia quædam circa præceptum Ecclesiasticum Confessionis.* 550

DISPV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Index Disputationum

DISPVTATIO XCIV.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 552

SECTIO I. *Quid sit jurisdictio ad absolvendum à peccatis, & in quibus reperta.* 552
SECT. II. *De Iurisdictione delegatâ.* 553
SECT. III. *De quibusdam ex parte Confessarii requisitis ad valorem Sacramenti.* 554
SECT. IV. *De aliis in Confessario ad excipiendas confessiones necessariis.* 555

DISPVTATIO XCV.

De reservatione Casuum. 557

SECTIO I. *De iis quæ spectant ad absolvendum à reservatis.* 557
SECT. II. *Alia quædam circa absolutionem à Casibus reservatis.* 558

DISPUTATIO XCVI.

De sigillo Confessionis. 559

SECTIO I. *De materia hujus sigilli.* 559
SECT. II. *An liceat Confessario uti notitia habita per confessionem.* 560

DISPVTATIO XCVII.

De objecto virtutis Pœnitentiæ. 562

SECTIO I. *Vtrùm Pœnitentia sit virtus.* 562
SECT. II. *In quibus reperiatur habitus virtutis Pœnitentiæ.* 563
SECT. III. *Quis actus propriè sit actus Pœnitentiæ.* 564
SECT. IV. *Declaratur in quo actus Pœnitentiæ consistat.* 566
SECT. V. *Vtrùm actus Pœnitentiæ sit conditionatus an absolutus.* 567
SECT. VI. *In quo situs sit conceptus specialis virtutis Pœnitentiæ.* 569
SECT. VII. *Vtrùm virtus Pœnitentiæ sit justitia propriè dicta.* 570
SECT. VIII. *Inferuntur quædam circa virtutem Pœnitentiæ.* 572

DISPVTATIO XCVIII.

De Contritione & Attritione. 575

SECTIO I. *Quid sit Contritio, quid Attritio.* 575
SECT. II. *An possit quis detestari unum peccatum plus alio.* 576
SECT. III. *Vtrùm quis propter Deum dolere possit de uno peccato non de alio.* 578
SECT. IV. *Vtrùm actus Contritionis sit causa formalis remissionis peccatorum.* 579
SECT. V. *Argumenta contendentia actum Charitatis & Contritionis justificare formaliter.* 580

DISPV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISPUTATIO XCIX.

De Censuris. 582

SECTIO I. *Annotantur quædam circa censuras in genere.* 582
SECT. II. *Alia quædam de censuris generatim sumptis.* 584
SECT. III. *De Excommunicatione.* 586
SECT. IV. *De degradatione & depositione.* 590
SECT. V. *De Interdicto.* 591
SECT. VI. *De irregularitate.* 594

DISPVTATIO C.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis. 599

SECTIO I. *De iis quæ ad Sacramenti hujus notitiam pertinent.* 599
SECT. II. *De numero unctionum ad hoc Sacramentum requisitarum.* 600

DISPVTATIO CI.

De Sacramento Ordinis. 601

SECTIO I. *Quid, & quotuplex sit Ordo?* 601
SECT. II. *Expediuntur reliqua ad Sacramentum Ordinis spectantia.* 602

DISPVTATIO CII.

De Sacramento Matrimonii. 604

SECTIO I. *De naturâ sponsalium.* 604
SECT. II. *De dissolutione sponsalium.* 605

DISPVTATIO CIII.

De Matrimonio secundum se. 607

SECTIO I. *Inquiruntur quædam circa Matrimonium.* 607
SECT. II. *De indissolubilitate Matrimonii.* 610

DISPUTATIO CIV.

De impedimentis Matrimonii. 611

SECTIO I. *De impedimentis dirimentibus.* 611
SECT. II. *De impedimentis non dirimentibus.* 617

DISPV-

DISPUTATIO CV.

Discutiuntur reliqua circa Matrimonium. 619

SECTIO I. *De divortio.* 619
SECT. II. *De Benedictionibus.* 621
SECT. III. *De debito conjugali.* ibid.
SECT. IV. *De legitimatione prolis.* 624
SECT. V. *Varia ad hanc materiam spectantia.* ibid.



DISPVTA-

DISPUTATIONES DE PRIMA EX VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, NEMPE DE FIDE.

AUCTORE

R. P. THOMA COMPTONO

E SOCIETATE JESU.

PROŒMIVM.

FIDES, etsi non dignitate, ordine tamen est inter virtutes prima, utpote cæterarum radix & origo. Vt enim Natura, ita & Gratia ab imperfectoribus incipit, hisque Fidei initiis, veluti lineamentis quibusdam præmissis, opus tandem longè absolutissimum, perfectámque Dei imaginem in hominum animabus effingit. Ex hac namque luce, quamvis exiguâ, & quasi lucernâ lucente in caliginoso loco, oritur in cœlo lux illa, quam nullæ tenebræ obscurant, nulla nox intercipit; sed omni depulsâ caligine, splendore summo & claritate felicissimas illas mentes æternùm collustrat. Iustorum *quippe* semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem; *diem, inquam, quem nullus occasus, lucísve sequitur imminutio; sed immotus persistens Sol divinus, eodem semper fulgore, pleniſque eum radiis illuminat; perpetuumq; facit meridiem. Hujus ergo Fidei naturam, proprietates, & excellentiam hic declarandas suscipimus, quantoq; hominum bono divinum hoc à Deo mortalibus donum sit concessum. Hæc verò omnia, spectatâ rerum gravitate & copiâ, quàm possum brevissimè percurram.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Fide secundùm se.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam circa naturam, & notionem Fidei.

I. *Fidem dari, planè est indubitatum.*

DARI *Fidem* certius est, quàm ut hac de re dubitare quisquam possit; id enim testantur tot Theologorum de eâ scripti tractatus, tot antiquorum Patrum omni propè ætate jam inde à nascente Ecclesiâ dicta, diviníque ejus Verbi testimonia; id denique communis omnium consensus, ipsaque *Fidelium* appellatio ostendit.

II. *Variæ, etiam inter Orthodoxos Fidei acceptiones.*

Hoc itaque certum: quid verò *Fidei* nomine intelligatur, haud levis est, etiam inter Orthodoxos controversia: alii enim undecim, alii decem, novem alii, nonnulli septem, quidam duas tantummodo Fidei acceptiones admittunt: nimis quidem hi parci, illi profusi in vocis hujus usurpationibus enumerandis. Aliis omissis, præcipuas tantùm ejus explicationes adnotabo.

III. *Fides idem quod fidelitas, seu veracitas.*

Primò ergo, Fides idem est ac veracitas, seu in promissis servandis fidelitas, spectatâ, ut videtur, nominis etymologiâ: *Fides* enim, ut post Ciceronem libro primo Officior. ait S. Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum, *in latino sermone ab eo dicitur appellata, quia fit quod dicitur.* Sic autem accepta fides spectat ad voluntatem, estque virtus quædam moralis constantiam præbens in eo præstando, quod promittitur. Sic Levitici sexto, v. 2. dicitur: *Anima, quæ negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, &c. convicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, &c.* Hoc sensu Deus, qui fidei intellectualis non est capax, dicitur nihilominus fidelis: Sic primæ Joan. 1. v. 9. de Deo dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat,* &c. & ad Roman. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit?*

Fides hoc sensu est virtus moralis, spectans ad voluntatem.

IV. *Fides interdum capitur pro fiduciâ, estque alius spei, & pertinet ad voluntatem.*

Secundò à quibusdam etiam Catholicis sumitur fides pro fiduciâ, seu confidentiâ in Dei bonitate, videturque eadem cum virtute spei: ita Vega lib. 9. in Trid. cap. 29. multique ex Divi Thomæ expositoribus, Lorca hic, in procœmio, Bannes, Aragon, & alii. Idem docet Roffensis a. 1. contra Lutherum, Valentia hic, q. 1. p. 1. valdéque probabile existimat Tannerus fidem in Scripturâ sacrâ hoc modo identidem usurpari, ut apud S. Jacobum cap. 1. v. 6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Matth. etiam 14. v. 31. *Modicæ fidei quare dubitasti:* quod aliis præterea Scripturæ locis insinuari videtur.

V. *Negat nulli, Fidem unquam in Scripturâ usurpari pro fiduciâ.*

Alii tamen, quamvis hanc fidei acceptionem universim non respuant, aiunt nihilominus nunquam hoc modo fidem in divinis literis usurpari: ita Soto lib. 2. de naturâ, & gratiâ, cap. 6. Bellarminus lib. 1. de Justif. cap. 11. & alii: in quorum sententiam propendet Suarez hic, Disp. 1 Sect. 1. num. sexto, quamvis contrarium asserat posse probabiliter defendi. Hi proinde auctores dicunt nullum omninò ex Scripturâ locum proferri, qui de fiduciâ, seu actu voluntatis, quo quis in Dei bonitate, & misericordiâ confidit, necessariò debeat intelligi. Locum ergò illum S. Jacobi intelligi posse aiunt de fide intellectuali, qua quis Dei omnipotentiam, & misericordiam paratam esse credit ad opem nobis ferendam, non absolutè, sed conditionatè, si nimirum nos quæ ex parte nostrâ requirantur, ponamus, & cæteræ conditiones non desint. Quando etiam dicuntur aliqui *Modicæ fidei*, intelligitur non quidem habuisse ipsos infidelitatem, sed fidem intellectualem veram, quamvis non adeò vivacem de Dei potentiâ, sed imperfectam, & languidam, ex qua proinde ortus est timor, quam viva fides impediviſſet, & illius loco in eorum mentibus confidentiam, & fiduciam excitasset. Ego certè hac de re non magnoperè contendendum existimo, Utrùm scilicet hæc vox fides in Scripturâ subinde pro fiduciâ usurpetur: imò mihi satis probabile videtur hoc modo interdum in ea usurpatam reperiri.

Fides viva & erecta fiduciam, Languida timorem excitat.

Probabile est Fidem subinde in scripturâ pro fiduciâ usurpari.

SECTIO SECUNDA.

Præcipua Fidei usurpatio.

I. *Præcipua Fidei acceptio spectat ad intellectum.*

Duas Sectione præcedente statuimus fidei acceptiones, ambas ad voluntatem pertinentes. Præcipua verò illius usurpatio spectat ad intellectum, estque assensus, quem quis præbet dictis alterius, eique aliquid affirmanti fidem adhibet, sive humanam, si homo sit qui loquitur, sive divinam, si Deus. Sic ad Hebræos 11. v. 3. dicitur: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei,* &c. & ibidem v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Idem frequenter in divinis literis habetur, ut Matth. 9. v. 28. & alibi. Hoc etiam modo loquitur S. Augustinus libro de Spiritu, & literâ, cap. 31. *Aliter*, inquit, *dicimus, non mihi habuit fidem; aliter autem, non mihi servavit fidem. Nam illud est, non credidit, quod dixi; illud, non fecit, quod dixit.* Imò, quicquid cum Melanchone, & aliis ex Novatoribus dicat Valla, & Budæus, hæc fidei usurpatio, non sacris tantùm, sed etiam ptosanis Scriptoribus est familiaris: sic Cicero lib. 2. de divinatione, prope finem: *Insanorum visis*, inquit, *fides non est adhibenda.* Virgilius etiam lib. 4. Æneid. *Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum*: eodémque modo auctores alii primæ latinitatis loquuntur.

Aliud est alicui non habere, aliud non servare fidem.

Hoc itaque sensu fidem in præsenti sumimus; prout nimirum est assensus obscurus, fundatus in testimonio Dei dicentis. Fides verò hoc modo accepta est duplex, nempe actualis, operatio scilicet intellectus, qua quis rem revelatam actu credit propter auctoritatem Dei loquentis; & habitualis, habitus scilicet, seu virtus intellectualis, ad hujusmodi actus eliciendos ordinata, juxta illud Apostoli 1. ad Corinthios, 13. vers. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas* &c. sicque tum actum credendi denotat, tum habitum.

II. *Quo sensu Fides in præsenti tractatu sumatur.*

III. *Nullo fundamento negatur Fidem justificantem esse operationem intellectus.*

Ex his constat, nullo planè fundamento dici (in quo tamen obstinatissimi sunt nostri temporis sectarii) fidem justificantem vel non esse omninò actum intellectus, seu assensum ad articulos fidei propter auctoritatem Dei dicentis, seu revelantis, sed esse actum voluntatis, fiduciam scilicet, quam quis habet de propriâ justificatione, & prædestinatione, ut asserit Lutherus, vel saltem hunc actum fiduciæ essentialiter includere, ut cum aliis vult Calvinus. E contrario Orthodoxi omnes fidem justificantem, seu quæ ad gratiam, & justificationem requiritur tanquam fundamentum, docent esse actum intellectus, Deúmque, & quicquid Deus revelavit habere pro objecto. Unde juxta illud Apostoli ad Heb. 11. v. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: Deum autem esse credimus intellectu: quod etiam ex plurimis aliis Scripturæ locis constat, ipsóque Apostolorum symbolo, cujus articulos omnes fide justificante credimus. Videatur Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 11.

Deum esse credimus intellectu, non confidimus voluntate.

Aliis etiam modis præter jam dictos sumitur fides, ut interdum pro auctoritate, seu existimatione: sic Ecclesiastici 27. v. 17. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum.* Accipitur præterea aliquando fides pro conscientiâ: quo sensu dicitur aliquis *bona vel mala fidei possessor*: & in jure canonico statuitur nullam valere debere præscriptionem *absque bonâ fide.* Significat insuper nonnunquam fides quemlibet determinatum assensum intellectus: quo sensu dixit S. Augustinus de Prædest. Sanct. cap. 2. *Credere est cum assensione cogitare.* Interdum etiam sumitur fides pro materiâ, & objecto, seu pro ipsâ doctrinâ fidei: qua ratione in Scripturâ dicimur accepisse spiritum *ex auditu fidei*, id est doctrinâ fidei, nam actus ipse credendi non auditur. In fine etiam Symboli Sancti Athanasii sic habetur: *Hæc est fides Catholica: quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit*, &c. Alias minoris momenti fidei acceptiones omitto, quæ videri passim poterunt in auctoribus.

IV. *Fides aliquando sumitur pro auctoritate.*

Fides interdum dicitur quivis assensus determinatus.

Doctrina Fidei vocatur etiam Fides.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

De objecto materiali Fidei divinæ.

OBIECTVM, ut in Logicâ dici solet, est duplex, Aggregationis & Attributionis : *objectum Aggregationis vocatur omne illud, de quo in scientiâ aliquâ tractatur : ac proinde est aggregatum quoddam ex omnibus partialibus objectis conflatum. Objectum verò Attributionis censetur res illa, de qua in aliquâ scientiæ parte agitur, & ad quam cætera omnia, quæ in illâ scientiâ tractantur, tanquam ad finem illius ultimum referuntur, & cujus cognitio præcipuè illic intenditur. Ad plenam ergo Fidei cognitionem de utroque hoc ejus objecto inquirendum.*

SECTIO PRIMA.

Quodnam sit objectum materiale adæquatum Fidei divinæ.

I. *Deus continetur intra objectum materiale adæquatum Fidei.*

DEUM intra adæquatum Fidei objectum seu subjectum contineri, nulli dubium est: Fides enim nostra circa Deum versatur, unaque est ex virtutibus Theologicis. Unde Marci 11. v. 22. dixit Christus : *Habete fidem Dei.* Hinc S. Cyrillus Hierosol. Cathec. 5. sic loquitur: *Fides Deum speculatur, Deum intuetur.* Tandem multa de Deo credimus ut esse, esse Unum, Trinum, Immensum, Æternum, Remuneratorem, &c. quod apertè ostendit eum ab objecto adæquato materiali Fidei excludi non posse.

II. *Res etiam creatæ sunt objectum materiale Fidei divinæ.*

Dico tamen secundò: non Deus tantùm, sed res etiam creatæ ingrediuntur objectum, seu subjectum materiale Fidei divinæ, seu infusæ. Ratio videtur clara; per fidem enim, ut constat, multa de creaturis creduntur, ut Æva comedit pomum vetitum, Cain occidit Abelem, Beata Maria semper fuit Virgo, & alia hujusmodi, quæ sunt res creatæ.

III. *Objectum adæquatum Fidei divinæ est quicquid Deus revelavit.*

Dico tertiò : proximum objectum adæquatum, seu aggregationis fidei divinæ, seu Theologicæ, est quicquid Deus actu revelavit: objectum verò aggregationis remotum, est ens omne à Deo obscurè revelabile, sive illud creatum sit, sive increatum, substantia sive accidens, positivum sive negativum. Ratio est : illud enim omne est objectum fidei divinæ, seu Theologicæ, in quod hujusmodi actus fidei ferri potest, seu quod ob auctoritatem Dei dicentis credere possumus, sed quicquid actu à Deo est revelatum, vel revelabile, est ejusmodi, aut proximè, aut remotè, juxta jam dicta, ergò.

IV. *Objic. objecta omnia non sunt æqualiter credibilia.*

Objicies primò : Omnia quæ per fidem cognoscuntur non sunt æqualiter credibilia, ergò non spectant omnia æqualiter ad objectum materiale fidei ; antecedens constat : credibilitas enim & veritas convertuntur : omnia autem non sunt æqualiter vera, necessaria enim sunt veriora contingentibus, divina creatis: ergò divina sunt magis credibilia, quàm creata, ergò res creatæ non continentur directè sub objecto adæquato materiali fidei.

V. *Unum Fidei objectum non est magis verum, & hoc sensu magis credibile alio.*

Respondetur, omnia quæ per fidem revelantur esse æquè vera, & hoc sensu æquè credibilia; Veritas enim, ut ostendi Disp. 45. Log. Sect. sextâ, consistit in indivisibili, in eo quippe sita est, ut actus sit conformis objecto, seu illud repræsentet sicuti est, hoc autem omni actui vero æqualiter convenit; si enim vel minimum addat, aut demat, non repræsentat objectum sicuti est, & actus est falsus. Unde qui dicit *Petrus peccat*, Petro peccante, tam affirmat verum formaliter, quàm qui dicit *homo est animal*, vel *Deus est aternus*, licèt hi duo actus sint immutabiliores in veritate, quàm primus, cùm eorum objecta sint immutabilia; unde nullo modo possunt esse falsi, quod primo actui non contingit, potuisset enim esse falsus, si nimirum elicitus fuisset, ut potuit, Petro non peccante, ut latiùs declaratum est in Logicâ.

Una veritas non est formaliter major alia.

VI. *Quo pacto unus actus intellectus sit alio certior.*

Jam verò, si veritas, ut interdum fit, sumatur pro certitudine, est distinguendum; quamvis námque si spectentur principia intrinseca, possit unus actus esse alio certior, utpote qui firmiora & infallibiliora habet principia, magisque ad verum determinata, quales sunt actus illi, qui principia sunt per se nota, ut *Quodlibet est vel non est*, *Omne totum est majus suâ parte*, *si æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia*, &c. & vocantur dignitates: unde Disp. 49. Logicæ: Sect. 2. tres assignavi diversos certitudinis gradus, certitudinem *moralem*, *physicam*, & *metaphysicam*: hæc, inquam, esto ita se habeant, si tamen considerentur principia extrinseca, testimonium scilicet divinum, res omnes revelatæ sunt æquè certæ, cùm æqualiter Dei loquentis auctoritatem, ex qua tota earum certitudo provenit, sibi habeant applicatam. Quare objecta creata revelata, *ut Abraham genuit Isaac*, &c. non minùs certa sunt certitudine fidei, quàm *Deus est*

Tres sunt certitudinis gradus, certitudo moralis, physica, & metaphysica.

Objecta omnia revelata sunt æqualiter certa.

Tom. II. *Trinus, & Vnus*, sicque objecta illa creata non minùs directè spectant ad objectum adæquatum materiale fidei, quàm increata, æqualiter sub eo continentur.

VII. *Diverso modo continentur creatura sub objecto Fidei, & Charitatis.* Objicies secundò: Deus & creatura non æquè comprehenduntur sub objecto charitatis, ergo nec sub objecto fidei. Negatur tamen consequentia, in creaturâ enim non est bonitas divina, sed quædam tantùm illius creata participatio, at verò divina auctoritas in dicendo, seu increata ejus veracitas æquè informat extrinsecè res creatas, ac Deum ipsum, & æqualiter iis applicatur, cùm æqualiter illas revelet nobis Deus, ac seipsum, æquè enim revelat Deus Ævam comedisse pomum vetitum, ac se esse immensum.

SECTIO SECUNDA.

Quid sit objectum attributionis Fidei divinæ.

I. *Objectum attributionis à nonnullis vocatur subjectum.* OBJECTUM attributionis, ut supra diximus, est id de quo in aliquâ scientiæ parte agitur, & ad quod cætera omnia, quæ in scientiâ illâ tractantur, tanquam ad finem referuntur. Hinc multi cum Durando objectum attributionis vocant subjectum: objectum quippe à subjecto in hoc distinguunt, quòd quicquid in scientiâ aliquâ cognoscitur, vocetur objectum: subjectum verò aiunt esse rem illam de quâ, & in ordine ad quam cætera in illâ scientiâ cognoscuntur. Sic subjectum Physicæ est corpus naturale, objectum verò sunt quantitas, motus, ubicatio, & reliquæ ejus proprietates, ad perfectam corporis naturalis cognitionem spectantes.

II. *Diversa de subjecto attributionis Fidei sententia.* Variæ ergo hac in re sunt Theologorum sententiæ: aliqui actum meritorium, alii visionem beatam esse volunt objectum attributionis fidei, quod nimirum fides ad hæc ordinetur. Sed contrà; multa enim sunt objecta fide divinâ credita, quæ ad ista propriè non referuntur. Sic Absalonem capillis ex arbore pendulum in aëre hæsisse, Amasam à Joab occisum esse, & id genus alia, quid ad hæc obtinenda, directè saltem, conducunt. Quod si quis dicat, vel hæc objecta credero esse bonum, sicque utile ad divinam fruitionem obtinendam, idem dici posset de quacumque aliâ virtute, cùm omnes actus virtutum supernaturalium sint vitæ æternæ meritorii.

III. *Volunt aliqui Christum esse objectum attributionis Fidei.* Dicunt alii objectum attributionis Fidei esse Christum, tum quia ad cognoscendum Verbum incarnatum Fides nostra primariò ordinatur, tum quia in Christo præcipua Fidei nostræ mysteria continentur. Sed contra: vel enim auctores isti de Christo loquuntur ut Deo, vel ut homine. Si primum, paulò post videbimus quid hac de re sit dicendum; si secundum, quamvis Christi humanitas sit objectum præstantissimum, in cognitione tamen subordinatur Deo, sicque esse nequit objectum attributionis Fidei.

IV. *Deus est objectum principale Fidei.* Prima Conclusio: Deus est objectum principale Fidei. Hac de re nulla potest esse difficultas; objectum siquidem principale alicujus artis, vel scientiæ, ut in Logicâ dixi Disp. 7. Sect. primâ, est præcipuum quod in arte illâ, vel scientiâ tractatur, etiamsi alia omnia, quæ in illâ scientiâ tractantur, ad illud non referantur: in quo differt ab objecto vel subjecto attributionis, ad quod requiritur, & sufficit, ut de illo isthic agatur, & ut omnia, de quibus in illâ scientiâ agitur, ad illud ordinentur, sive objectum illud sit entitativè præcipuum ex iis, quæ in scientiâ illâ tractantur, sive non. Sic quamvis in libris de cœlo agatur de Intelligentiis, spærarum cælestium motricibus, & consequenter hæ sint objectum principale illorum librorum, cœlum tamen ipsum est objectum eorum attributionis, utpote ad cujus cognitionem omnia, quæ in his libris tractantur, etiam ipsæ intelligentiæ, referuntur. Hinc ergo clarè constat, Deum absque omni dubio esse objectum principale Fidei, cùm & de eo in hoc tractatu agatur, & objecta omnia, de quibus hìc disputatur, infinitis gradibus excedat. Plura hac de re dicta sunt 1. p. d. 1. s. 5. dum de objecto Theologiæ. *Objectum attributionis & principale quomodo differant.*

V. *Assignatur objectum attributionis Fidei.* Secunda Conclusio: Deus non principale tantùm, sed attributionis etiam est Fidei objectum: ita S. Thomas 1. p. q. 1. a. 7. Suarez hic, Disp. 2. Sect. 1. & 2. Valentia hic, punc. 1. §. 3. Tannerus to. 3. d. 1. q. 1. dub. 2 num. 19. Granado hic Controv. 1. tract. 1. disp. 6. num. 11. Conink Disp. 9. dub. 1. Molina, Vasquez, & alii contra Arriagam hic, d. 1. Sect. 2. 11. 8. dicentem Fidem, nec Deum, nec ullum aliud habere objectum attributionis.

VI. *Ostenditur objectum attributionis Fidei esse Deum.* Nostra tamen conclusio probatur; subjectum namque attributionis, ut diximus, est illud, circa quod ars aliqua, vel scientia præcipuè versatur, & ad cujus perfectiorem cognitionem cætera, de quibus in scientiâ illâ agitur, referuntur, sed horum utrumque competit Deo, cùm & præcipui Fidei actus circa Deum ejúsque attributa versentur, credimus siquidem Deum esse, juxta illud Apostoli ad Hebræos 11. supra citatum: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*, &c. & Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Credimus etiam eum esse Infinitum, Æternum, Immensum, Creatorem cœli & terræ, &c. & hæc omnia de illo tanquam de subjecto prædicamus: quæ clarè ostendunt primarios quosque Fidei actus circa Deum versari. *Præcipui Fidei actus circa Deum versantur.*

SECTIO TERTIA.

Objectiones contendentes Deum non esse objectum attributionis Fidei.

I. *Dices: multi Fidei actus in Deum omnino non feruntur.* OBJICIES primò: licèt plurimi, iisque primarii actus Fidei in Deum ferantur immediatè, multi tamen Deum omnino non habent pro objecto, sed res tantummodo creatas; hi ergo actus, Deum pro subjecto attributionis habere non possunt, nec ad eum hoc titulo referri. Respondetur, ad hoc ut facultas aliqua rem quampiam habeat pro subjecto attributionis, non esse necessarium ut singuli actus in illud immediatè ferantur, sic enim nulla ars, vel scientia haberet objectum attributionis, cùm nulla omnino sit, cujus omnes actus in objectum illud ferantur immediatè. Ad objectum ergo attributionis, ut in Logicâ, disp. 7. Sect. 1. dixi, sufficit ut objecta omnia, quæ in illâ scientiâ cognoscuntur, ad illud in esse scibilis ordinentur, hoc est, ut illorum cognitiones ad perfectiorem hujus cognitionem deserviant, & illis cognitis, objecti attributionis proprietates & perfectiones clariùs innotescant. *Ad objectum attributionis non requiritur ut omnes actus in illud ferantur immediatè.*

Eodem

II. *Omnium, quæ in Fide tractantur, cognitio ad Dei cognitionem referuntur.*

Eodem ergo modo in præsenti, licèt actus omnes Fidei non habeant Deum pro objecto, rerum tamen omnium, quæ in Fide tractantur, cognitio ad perfectiorem Dei cognitionem deservit, & aliquam illius perfectionem, ut potentiam, providentiam, pulchritudinem, &c. manifestat; nihil enim in hac materiâ tractatur, quod non sit vel potentiæ ejus & providentiæ effectus, vel ad aliquod Dei prædicatum, ut error ad illius veracitatem, peccatum ad sanctitatem, & excellentiam declarandam juvat, quippe qui rei tam fœdæ ac turpis auctor esse non possit. Sic Physicus, non de luce tantùm agit, sed etiam de tenebris, Logicus similiter de syllogismo sophistico, quod nimirum hujus cognitio ad syllogismi veri, illarum ad lucis cognitionem plurimùm conferat, oppositaque juxta se posita magis elucescunt. Unde licèt in S. Joannis Evangelio multa scribantur, in quibus expressa Christi mentio non fit, Cap. tamen 20. v. 31. dicit Apostolus: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia* JESVS *est Filius Dei*, &c. Qua de causa S Augustinus lib. 14. de Trinitate, cap. 1. scientiam aliquam dari asserit, *quâ*, inquit, *Fides saluberrima gignitur, nutritur, & roboratur.*

Erroris & peccati cognitio quâ ratione ad Dei cognitionem conducat.

Opposita juxta se posita magis elucescunt.

III. *Objic. tam cognitio Dei juvat ad cognitionem creaturarum, quàm econtra.*

Objicies secundò: Sicut cognitio creaturarum juvat ad perfectiorem cognitionem Dei, ita cognitio Dei juvat ad perfectiorem cognitionem creaturarum: ergò tam creaturæ erunt objectum attributionis Fidei, quàm Deus. Sed contrà: sic enim in Physicis tam cognitio corporis naturalis juvat ad perfectiorem cognitionem motus, quantitatis, ubicationis, & reliquarum ejus proprietatum, affectionum, & accidentium, quàm hæc ad perfectiorem cognitionem corporis naturalis. Sic etiam tam conducit cognitio syllogismi veri ad cognitionem sophistici, ac è contra: cognitio etiam sanitatis ad cognitionem morborum, quàm horum cognitio ad cognitionem sanitatis, & tamen nullus opinor dicet, aut illa respectu corporis naturalis, aut syllogismum sophisticum respectu veri, morbos denique respectu sanitatis esse subjectum attributionis.

Non quicquid juvat ad cognitionem alterius est respectu illius objectum attributum.

IV. *Ostenditur creaturas non posse esse subjectum attributionis Fidei.*

Respondetur itaque juxta dicta in Logicâ, Disp. 7. Sect. 1. Ad subjectum attributionis non sufficere ut cognitio unius quomodocunque conducat ad cognitionem alterius, sic enim vitium esset objectum attributionis respectu virtutis; sed requiritur, ut unum ad aliud referatur, vel tanquam vitiosum ad integrum, vel tanquam minùs perfectum ad perfectius, vel tanquam rami, ut ita dicam, ad radicem, quo pacto proprietates referuntur ad essentiam. Omnibus autem his modis creaturæ ad Deum, & earum cognitio ad Dei cognitionem refertur: Deus autem nullo ex his modis refertur ad creaturas, sicque implicat, ut hæ respectu Dei sint subjectum attributionis.

V. *Ostenditur nullam rem creatam posse esse objectum attributionis Fidei.*

Adde, res creatas, quæ actibus Fidei objiciuntur, esse plurimas, earúmque pleraque nullam inter se connexionem, aut ordinem habentes; unde ex iis nulla potest respectu aliarum esse subjectum attributionis, cùm sese ad invicem habeant disparatè, omnes autem esse nequeunt, qui enim plura attributionis objecta, quàm unum statuit, nullum statuit. E contra verò res omnes, ut in esse entis, ita & in esse scibilis, ad Deum referuntur: imò in hoc tractatu de Fide, Dei cognitio peculiariter intenditur, ut ex locis Scripturæ supra citatis constat, & ex illo Isaiæ 48. vers. 17. *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia*, id est, ea, quæ ad ultimi finis consecutionem deserviunt, qui, ut in materiâ de beatitudine vidimus, est cognoscere & amare Deum.

Omnia quæ in hac materiâ tractantur, ordinantur ad cognitionem Dei.

Quæres, sub quâ ratione Deus sit objectum attributionis Fidei? Respondetur, sub conceptu Deitatis, seu Deum ut Deum: ita S. Thomas hîc, & 1. p. q. 1. a. 7. & alibi: Scotus Dist. 23. quæst. unicâ, & communis Theologorum sententia. Hoc inprimis suadetur variis Scripturæ testimoniis: Primò ex illo ad Hebræos 11. supra citato: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Et idem Apostolus 1. ad Thessal. cap. 1. vers. 8. *Fides vestra, quæ ad Deum est*: ac denique in Symbolo Apostolorum dicitur: *Credo in Deum.* Hac etiam de causâ Fides dicitur virtus Theologica. Cùm ergo Fides ad Deum peculiariter tendat, juxta illud S. Cyrilli Hierosol. Cathec. 5. illuminatorum: *Fides Deum speculatur, Deum intuetur*, & totâ Sectione præcedente ostensum est; cùm etiam in omnia prædicata ejus necessaria, & intrinseca ex æquo feratur, nec in unum magis quoad objectum materiale, quàm in aliud, nullum ex his attributis potest esse subjectum attributionis Fidei, sed Deitas, ad cujus cognitionem horum omnium cognitio refertur. Prædicata verò contingentia, & partim extrinseca, ut esse actu creatorem, glorificatorem, &c. esse nequeunt subjectum attributionis Fidei, cùm in hæc secundariò tantùm feratur, & in ordine ad prædicata intrinseca: Deus siquidem ideò creat, ut ejus potentia, glorificat, ut bonitas cognoscatur, sicque prædicata hæc contingentia ad necessariorum manifestationem ordinantur.

VI. *Objectum attributionis Fidei est Deus ut Deus.*

Fides primariò tendit in Deitatem.

Nullum Dei attributum pra alio potest esse subjectum attributionis Fidei.

SECTIO QUARTA.

Notantur quædam circa objectum materiale Fidei: & peculiariter circa triplex Symbolum.

I. *Quo pacto objectum Fidei sit quid complexum & incomplexum.*

ID inprimis notandum circa modum loquendi: quando S. Thomas hîc, a. 2. affirmat objectum Fidei esse quid incomplexum, solùm velle res, quas Fide credimus, non constare à parte rei, & formaliter prædicato & subjecto; hæc enim per solam intellectus operationem fiunt, res varias dividentem intentionaliter, quæ à parte rei sunt identificatæ, & hoc modo, ut docet idem S. Thomas, hæc objecta, quamvis realiter incomplexa, intentionaliter tamen fiunt complexa. De objectis Fidei complexis deinceps erit sermo, iis præsertim, quæ in triplici Symbolo continentur.

II. *Vtrum Symbolum illud, quod dicitur Apostolorum, fuerit ab Apostolis compositum.*

Quæres primò: Utrùm Symbolum illud, quod vocatur Apostolorum, fuerit ab Apostolis compositum. Negat Lutherus, ipsúmque secuti hujus temporis Novatores, occasionem eis hac in parte præbente Erasmo, qui in prologo paraphrasis in Matthæum, hoc in dubium vocasse videtur: adeò verum est, quod dici solet, Erasmum posuisse ova, ex quibus Lutherus exclusit scorpiones.

III. *Certissimum est Symbolum fuisse ab Apostolis cõpositum.*

Dicendum nihilominus, indubitatum esse, hoc Symbolum fuisse ab Apostolis compositum: hoc namque & Patres omnes affirmant, & ex perpetuâ, jam inde à nascente Ecclesiâ, traditione est Fide certum. Utrùm verò ita ab iis compositum fuerit hoc Symbolum, ut omnes & singulæ ejus partes ab omnibus Apostolis simul collatæ & approbatæ sint, an singuli singulos articulos vivente

Tom. II. adhuc S. Jacobo, protulerint, uti S. Clemens, S. Augustinus, S. Thomas, & quidam alii ex Patribus affirmant, res est incerta.

IV. *Quando ab Apostolis compositum fuerit hoc Symbolum.*

Hoc autem Symbolum tunc composuerunt Apostoli, cùm jam à se invicem separandi, & Evangelii prædicandi causâ in varias orbis partes erant dispergendi, ut nimirum unam eandémque haberent Fidei regulam, quam populis omnibus credendam proponerent, essetque veluti Christiani tessera, ac brevem cuncti haberent Fidei formulam, quam & memoriæ mandare facilè possent, & recitando sæpiùs profiteri, ut ait S. Augustinus homiliâ 42. & in sermone de Symbolo.

V. *Sitne Symbolum Apostolicum inter Canonicas Scripturas numerandum.*

Quæres secundò: Utrùm hoc Apostolorum Symbolum censenda sit Scriptura Canonica? Respondetur negativè: nunquam enim accepimus id, vel ab Apostolis ipsis, vel iis dictantibus ab alio quoquam fuisse scriptum, sed solâ traditione ab ipsis ad posteros transmissum; si autem neutro ex his modis fuerit scriptum, non erat scriptura, & consequenter esse non poterat sacra Scriptura. Quare S. Augustinus lib. 1. de Symbolo, cap. 1. & de Fide & operibus cap. nono: S. Hieronymus ep. 61. ad Pamachium, & S. Ambrosius epist. 81. ad Siricium, Symbolum sine scripto traditum esse affirmant.

VI. *Symbolum Apostolorum præcipua Fidei mysteria continet.*

Symbolum verò hoc Apostolorum, licèt non omnes in se Fidei veritates contineat, ut est manifestum, præcipua tamen, maximéque necessaria complectitur; Deum enim proponit & Christum, ac præcipua circa Christum mysteria, Ecclesiam præterea, extra quam salvari nullus potest, ac demum vitam æternam, sive fœlicem, sive miseram, sicque eâdem operâ Deum & remuneratorem esse, & judicem, probósque juxta & improbos pro meritis tractare. Hinc S. Augustinus Sermone 181. de tempore: *Symbolum*, inquit, *breve est verbis, sed magnum in Sacramentis; quicquid enim de Deo & Christo in Scripturis traditum est, in Symbolo continetur.*

VII. *Dices Sacrosancta Eucharistia non ponitur in Symbolo.*

Dices, mysterium Eucharistiæ non habetur in Symbolo, cùm tamen unum sit ex præcipuis Fidei mysteriis, scitúque maximè necessarium, & creditu difficillimum, ut ex tot hæreticorum ruinâ videmus, qui in hunc scopulum impingentes naufragium Fidei fecerunt; ergò omnia præcipua mysteria Symbolum non complectitur. S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 8. ad 6. Eucharistiam sub omnipotentiâ Dei, vel incarnationis mysterio ait esse comprehensam. Secundò tamen dici potest, ea præcipuè in Symbolo posita ab Apostolis fuisse, quæ ad Dei contra Gentiles, & Christi contra Judæos notitiam spectabant, vitæque æternæ adeptionem. Alia tamen multa præter ea, quæ in Symbolo habentur, scitu sunt necessaria, præceptorum scilicet cognitio, ad quæ spectat instructio circa quædam Sacramenta, eorum nimirum, quorum susceptio est necessaria, inter quæ dignitate primum locum obtinet sacrosancta Eucharistia. Hæc autem omnia in Symbolum, quod ob rationes dictas breve esse volebant Apostoli, compingi non poterant, sic enim in ingentem molem excrevisset.

Quæ præcipuè in Symbolo posuerint Apostoli.

Non omnia scitu necessaria ponuntur in Symbolo.

VIII. *Symbolum Nicænum, seu Constantinopolitanum.*

Præter hoc Apostolorum Symbolum est aliud, quod Nicænum, & Constantinopolitanum appellatur, quia Nicææ primò confectum, auctum postea est Constantinopoli, & à S. Thoma vocatur Symbolum Patrum. Quando autem particula *Filióque* ei addita sit, dixi 1. p. disp. 66. Sect. 2. num. septimo. Hoc etiam Symbolum doctrinam continet Catholicam, estque similiter certa regula Fidei, & quædam Symboli Apostolorum explicatio, occasione hæresis Arrianæ. Hoc Symbolum, inquit S. Thomas hîc, q. 1. art. 9. ad 6. propterea publicè cantatur in Missâ, quòd Fide jam manifestatâ cônditum sit, & Ecclesiâ pacem habente: Symbolum verò Apostolorum, inquit idem S. Doctor, cùm tempore persecutionis editum sit, privatim tantùm in canonico officio recitatur.

Cur Nicænum Symbolum, & non Symbolum Apostolorum publicè in Ecclesiâ cantetur.

IX. *S. Athanasii Symbolum ab eo Romæ Latino sermone est cõscriptum.*

Tertium denique est Symbolum S. Athanasii, ab eo Romæ, quo à Summo Pontifice evocatus fuerat, latino sermone conscriptum, ut eidem Pontifici Fidem suam probaret. Unde S. Gregorius Nazianzenus oratione in laudem S. Athanasii ait eum scripsisse egregiam Fidei suæ confessionem: non tamen illam vocat symbolum, quòd S. Athanasius particularis tantùm fuerit Episcopus, non Summus Pontifex, sicque Symbolum, seu authenticam Fidei regulam Ecclesiæ tradere non poterat. Jam tamen cùm auctoritate Ecclesiæ comprobata sit hæc S. Athanasii Fidei professio, meritò inter Symbola numeratur, censeturque habere auctoritatem irrefragabilem: Unde in Concilio Florentino in Decreto ad Armenos, hoc D. Athanasii Symbolum tanquam Fdei regula iisdem Armenis ab Eugenio quarto traditur: illo etiam sub S. Athanasii nomine utitur S. Augustinus super Psal. 120. & alibi sæpè illud ad Fidei veritates confirmandas adhibet. Hoc verò Symbolum eò quòd in Romano archivo unà cum actis Synodi tunc Romæ habitæ diu latuerit, ab antiquioribus tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ Patribus vix reperitur citatum.

Symbolum S. Athanasii in Decreto ad Armenos, iisdem ab Eugenio IV. traditur, tamquam regula Fidei.

X. *Hæc tria Symbola eandem continent Fidei veritatem.*

Tria ergò hæc Symbola eandem continent veritatem, licèt in posterioribus duobus Fidei dogmata explicatiùs tradantur. Quamvis autem in diversis Conciliis variæ reperiantur Fidei propositiones, omnes tamen ad hæc tria Symbola reducuntur.

XI. *In quo consistat aliquid esse articulum Fidei.*

Id solùm hîc notandum, etsi omnis articulus Fidei sit propositio Fide credenda, non tamen omnem propositionem Fide credendam, esse articulum Fidei, sed primaria tantùm quædam & capitalia puncta, aliqua ex sequentibus conditionibus habentia. S. Thomas itaque 2. 2. q. 1. ad articulum Fidei requirit, ut res, quæ proponitur credenda, peculiarem in se contineat difficultatem, sicque penes speciales rerum credendarum difficultates, Fidei articulos distinguit: quem hac in re sequitur Tannerus hic, Disp. 1. q. 1. dub. 7. n. 198. quamvis n. præcedente, & num. 215. dicat etiam, omnem veritatem à Deo revelatam esse articulum Fidei. Alii ad articulum Fidei necessariam existimant peculiarem rei credendæ propositionem. Alii demum articulum Fidei aliud nihil esse volunt, quàm rem, quæ ab aliquo ex Apostolis peculiariter proponitur Ecclesiæ credenda, sicque duodecim tantùm esse dicunt Fidei articulos, quorum singuli à singulis Apostolis juxta dicta n. 3. fuerunt in Symbolo propositi: S. Paulus enim & S. Barnabas Symboli confectioni non interfuerunt. Quævis ex his acceptionibus ad rationem articuli sufficit.

Unde duodecim tantùm dicantur esse Fidei articuli.

SECTIO

SECTIO QUINTA.

Expediuntur reliqua ad objecti materialis Fidei notitiam ſpectantia.

I. *Fuerítne eadem ſemper Fides in Eccleſiâ.*

QUÆRITUR primò: Utrum eadem fuerit ſemper Fides, an ſucceſſu temporis creverit: noviáque aliqui ſint articuli revelati. Ad hujus quæſtionis reſolutionem tria diſtinguenda ſunt Eccleſiæ tempora, ſtatus ſcilicet legis naturæ, legis ſcriptæ, & legis gratiæ. Dico itaque cum Sancto Thoma hic, q. 1. a. 7. Magiſtro in 3. Diſtinct. 25. D. Bonaventurâ a. 2. q. 1. & Doctoribus communiter, Fidem quoad ſubſtantiam non creviſſe, ſed eandem ſemper, ab ipsâ mundi origine fuiſſe.

II. *Fides eadem ſemper in Eccleſia exſtitit ab ipſo mundi exordio.*

Ratio eſt: nam, ut docet S. Thomas citatus, tota Fidei ſubſtantia in duobus illis articulis contineri videtur, quòd nimirum Deus ſit, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit; in his quippe duobus, inquit S. Thomas, includuntur implicitè præcipua quæque circa Deum, ejúsque providentiam; in primo ſiquidem, in eſſe ſcilicet divino, juxta S. Doctorem, continentur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere, in quibus etiam beatitudo noſtra objectiva conſiſtit: in Fide autem de providentiâ illa omnia media includuntur, quæ de facto Deus ad ſalutis æternæ adeptionem ordinavit, & inter alia Incarnatio, & paſſio Chriſti, quia hæc de facto Deus ad æternæ vitæ conſecutionem hominibus paravit, quamvis non hæc, ſed alia media ad hunc effectum parare potuiſſet, tunc autem, non Incarnatio, & paſſio, ſed illa alia media fuiſſent implicitè credita. Dixi in his duobus contineri præcipua, minora enim quædam non videntur in iis includi.

Ad Fidem de providentiâ ſpectant illa omnia, quæ Deus de facto ad hominum ſalutem providit.

III. *Quo ſenſu eademfuerit antiquorum fides, & noſtra, ſeu ante, & poſt Chriſtum.*

Hoc ergò modo, de Fide ſcilicet implicitâ, intelligendus eſt S. Irenæus lib. 4. cap. 13. S. Auguſtinus epiſt. 51. & alii ex Patribus, dum dicunt eandem fuiſſe antiquorum, ſeu viventium ante Chriſtum, Fidem, & noſtram. Imò multi tam ante, quàm poſt diluvium explicitam Incarnationis Verbi, & præcipuorum, quæ nos jam credimus, myſteriorum Fidem habuerunt. Sic Joan. 8. verſ. 56. de Abrahamo dicit Chriſtus: *Exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus eſt.* De Davide etiam dicit idem Chriſtus Matth. 22. v. 44. *David in ſpiritu vocat eum Dominum.* Adamum inſuper in ſtatu Innocentiæ explicitam Incarnationis Chriſti Fidem habuiſſe oſtendit ex communi Patrum ſententiâ Suarez tom. 1. in 3. par. q. 1. in Comment. a. 3. & probatur ex illo Gen. 3. verſ. 15. *Ipſa conteret caput tuum*, &c. Ex his ergò conſtat, ſemper in Eccleſiâ in primariis quibuſdam perſonis fuiſſe Fidem Chriſti, etiam explicitam, omnes tamen paſſim hanc non habebant: Sic S. Gregorius homiliâ 16. in Ezechiëlem: *Dei cognitio*, inquit, *quæ in Patribus ſpiritualibus fuit nota, toti populo Hebræorum non fuit: nam omnipotentem Deum, ſanctam videlicet Trinitatem, cum Prophetæ prædicarent populus ignorabat, ſolum Decalogum tenebat in Fide, legem Trinitatis neſciens.*

Primarii quidam viri omni Eccleſiæ tempore habuerunt, Fidem Chriſti explicitam.

IV. *Fides tempore Apoſtolorum quoad multa videtur creviſſe.*

Tempore Apoſtolorum quoad multa creviſſe videtur Fides: Unde Apoſtolis plurimæ veritates circa Sacramenta novæ legis, Eccleſiaſticam Hierarchiam, &c. revelatæ ſunt, quæ tamen ſemper non fuerunt expreſsè in Eccleſiâ cognitæ. Apoſtoli itaque, utpote primitias ſpiritus habentes, longè perfectiſſimam habuerunt myſteriorum Fidei cognitionem, nullusque ex Doctoribus, qui eos ſecuti ſunt, eos hac in parte ſuperarunt: imò ut affirmat Suarez hìc, Diſp. 2. ſect. 6. n. 10. à Theologis communiter temerarium cenſetur aſſerere Doctores Eccleſiæ, Apoſtolis poſteriores, perfectiùs Fidei myſteria cognoviſſe, quàm cognoverint Apoſtoli. Quod verò Apoſtoli hæc omnia perfectiſſimè ſciverint, probatur inprimis ex illo Joan. 14. v. 26. ubi de Spiritu ſancto dicit Chriſtus, *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Idemque habetur Joan. 16. v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Joan. etiam 15. v. 15. ait Chriſtus: *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Hinc etiam Apoſtolus ad Epheſios 1. v. 8. ſic loquitur: *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis, in omni ſapientiâ & prudentiâ.* Idem in hunc locum ad Epheſios docet S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Anſelmus, & alii Patres. Ad quam rem Tertullianus cap. 22. de Præſcript. *Quis*, inquit, *integræ mentis credere poteſt, aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit.*

Nullis ex Doctoribus Apoſtolis poſterioribus perfectiùs Fidei myſteria cognoverunt, quàm ipſi.

V. *Myſteria Fidei non omnia ſimul, ſed ſucceſſivè Apoſtolis innotuerùt.*

Horum tamen omnium cognitionem non ſimul, & in ipſo ſtatim die Pentecoſtes habuerunt Apoſtoli, ſed alia & alia ipſis decurſu temporis innotuerunt: Petrus ſiquidem Actorum 10. revelationem accepit de converſione gentium. Actorum etiam 15. refertur quo pacto habitum ſit primum Concilium circa ceſſationem legalium, &, poſt longam deliberationem decretum eſt ut ceſſarent: non ergo ſtatim ab initio hæc omnia Apoſtolis erant explorata.

VI. *Poſſitne modo Eccleſia novos condere articulos Fidei.*

Quæres ſecundò, Utrùm poſſit etiamnum Eccleſia condere novos articulos Fidei, ſumendo latè articulum Fidei juxta dicta Sectione præcedente, num. 11. pro quacumque veritate per Fidem divinam credendâ. Reſpondetur, propriè loquendo non poſſe, ſicque nec modo creſcunt articuli Fidei. Quamvis enim multa per infallibilem, quam habet, auctoritatem definire poſſit, poſterioribuſque hiſce ſæculis definiverit Eccleſia ac Fide divinâ credenda propoſuerit, quæ antea non fuerunt hoc modo definita, nec propoſita; hoc tamen non eſt propriè novum Fidei articulum introducere, tum quia nihil jam definit Eccleſia, quod olim Apoſtoli, qui juxta dicta num. 4. habebant plenitudinem Spiritus, explicatiſſimámque rerum ad Fidem ſpectantium notitiam, explicitè perfectiſſiméque non cognoverint: tum quia licèt particularia quædam hiſce etiam ſæculis definiat Eccleſia, ut hoc vel illud Concilium eſſe legitimum, & infallibilis auctoritatis, hunc eſſe verum Pontificem, & Caput Eccleſiæ, & id genus alia, hæc tamen omnia non ex novâ aliquâ revelatione definit, ſed ex generali quadam Fidei veritate Apoſtolis priùs revelatâ (ut omne Concilium eo quo debet modo congregatum, eſſe legitimum, omnem Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, eſſe verum D. Petri ſucceſſorem, totiúsque Eccleſiæ Paſtorem) per diſcurſum deducit: ſicque non eâ ratione novos Fidei articulos condit poſterior Eccleſia, ſicut eos condiderunt Apoſtoli, qui non per diſquiſitionem & dircurſum, ac dependentiam ab aliis articulis revelatis, ſed immediatè per revelationem à Deo acceptos Eccleſiæ credendos propoſuerunt. Nonnulli tamen, ut Valentia, Tannerus Diſp. 1. q. 1. dub. 7. n. 213. & alii, quæſtionem eſſe putant

Duabus de cauſis nequit jam Eccleſia novos Fidei articulos condere.

Poſterior Eccleſia dum veritates Fidei definit, illas ex priùs revelatis deducit.

Tom. II. de nomine, utrùm dici possit novos jam aliquos Ecclesiam habere aut credere articulos, ab Apostolis explicitè non creditos.

SECTIO SEXTA.

An inter objecta credenda, seu veritates Fidei sit aliquis ordo.

I. *Duplex consideratio objectorum Fidei, in esse rei, & in esse credibilis.*

QUAMVIS, ut supra diximus, veritates Fidei, sive eæ creatæ sint, sive increatæ, æquè omnes sunt credibiles, utpote quæ divinam auctoritatem æqualiter sibi habent applicatam, nec firmiùs aut certiùs uni quis adhæreat, quàm alteri; quidam tamen inter eas reperitur ordo. Quis ergò qualisvè hic ordo sit, hoc loco est declarandum. Considerari verò hæc objecta seu veritates possunt, tum in esse rei, tum in esse credibilis, & de utroque aliquid dicendum.

II. *Inter Fidei veritates multiplex ordo reperitur.*

Si ergò veritates Fidei in esse rei spectentur, triplex præcipuè numeratur in iis ordo, *dignitatis, causalitatis, & temporis.* De primo nulla est difficultas, Deus enim, circa quem multi sunt Fidei articuli, dignior infinities est objectis creatis. Quoad causalitatem similiter res videtur clara, idque duobus modis, tum in genere causæ efficientis, Deus siquidem omnium reliquorum objectorum, Fideique veritatum in rebus creatis est causa effectiva, & physica: tum etiam in genere causæ quasi formalis; unum quippe objectum creditum, seu veritas Fidei, est remotè saltem ratio quædam assentiendi alteri, & ad illam credendam, aliquo modo determinat. Tandem quoad ordinem temporis, æterna hoc modo antecedunt temporalia.

Ordo dignitatis, causalitatis, & temporis.

III. *Objecta in propositionibus Fidei, diversis de se invicem modis prædicantur.*

Ut autem res hæc meliùs intelligatur, notandum varias fieri posse comparationes, quibus Fidei objecta de se invicem prædicantur; primò enim & præcipuè divina prædicantur de divinis, ut cùm dicimus: *Sanctissima Trinitas est æterna, immensa, omnipotens: Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, Deus erat Verbum*, &c. has autem Fidei veritates certum est ordine dignitatis esse primas. Secundò; objecta creata de increatis, aut è contra increata de creatis dicuntur, ut *Deus est homo, Deus creat, Verbum incarnatur*, & è contrario: *Homo erat Deus*, & similia: hæ verò propositiones sunt secundæ quoad dignitatem, utpote quæ ex objectis partim creatis constant. Tertium demum, & infimum veritatum Fidei genus est, quando creatum dicitur de creato, ut *Cain occidit Abelem, Noë erat vir justus*, &c.

IV. *Verum inter objecta materiali Fidei detur ordo dependētia.*

Jam verò si hæc objecta considerentur in esse credibilis, non levis est difficultas, utrùm inter objecta materialia Fidei sit aliquis ordo dependentiæ, & unum credibile sit prius alio, seu, quod aliis terminis inquiri solet, an detur inter materialia objecta *primum credibile*, à quo nimirum objecta cætera in esse credibilis dependeant. Materialia autem objecta hìc sumimus prout distinguuntur à formali.

V. *Inter objecta materialia Fidei nullus est ordo in ratione credibilis.*

Veriùs mihi hac in parte videtur, inter objecta Fidei merè materialia nullum dari ordinem in esse credibilis, sicque non dari primum aliquod credibile, seu objectum materiale, à quo credito actus credendi alia dependeat: & universim existimo nullum objectum materiale Fidei ad aliud credendum præsupponi. Ratio est: nullum siquidem ex objectis materialibus Fidei est ex naturâ rei prius alio in ratione credibilis, ita nimirum, ut nisi hoc priùs credatur, alia credi non possint: cùm ergò Deus, quicquid revelat, revelet liberè, potest quodcumque velit objectum priùs revelare, & intellectus illud credere.

VI. *Veracitas, & dictio Dei ad omne objectum credendum sunt necessaria.*

Dices: nullum omninò objectum credi potest fide divinâ, nisi quis credat, & Deum esse veracem, seu nec falli posse, nec fallere, & cum hoc objectum de facto revelasse: ergò hæc duo objecta sunt duo principia, quibus innititur cujuscumque mysterii Fides, & consequenter antè credi debent, quàm possint credi alia. Sed contra: nos enim loquimur tantùm de objectis materialibus Fidei, veracitas autem & dictio sunt objectum formale, seu ratio cur alia credantur, sicque nil mirum si priùs credi debeat, quàm reliqua.

VII. *Non videtur necessarium, ut actus Fidei supponat veracitatem & dictionem Dei priùs creditam.*

Secundò tamen videtur dici posse; licèt quisquis credit objectum aliquod, futurum scilicet diem judicii quia Deus dixit, credere necessariò debeat Deum hoc dixisse, non tamen videtur requiri, ut actu alio Fidei hunc actum antecedente, istud credat, sed sufficit ut per eundem actum quo propter divinam dictionem credit futurum judicium, credat etiam hoc Deum dixisse: etiamsi in primâ Fidei generatione contrarium frequenter contingat. Hoc verò maximè sequi videtur in illâ sententiâ, quæ asserit motiva Fidei, non essentialiter, sed moraliter tantùm cum objecto revelato, ejúsque revelatione connecti, ergò non requiritur, ut actu aliquo prævio Fidei hæc Dei dictio credatur, sed sufficit ut eâdem operatione in actu exercito unà credatur cum objecto materiali, quod de actu, quo creditur ipsa dictio Dei, necessariò est asserendum, alioquin ibitur in infinitum. Idem suo modo dici etiam posse videtur de veracitate, seu infallibili Dei auctoritate in dicendo. Objectum tamen formale est saltem ratione, & aliquo modo naturâ priùs materiali, cùm hoc propter illud credatur, non è contra. Sed hac de re postea recurret sermo, ubi de objecto formali Fidei, veracitate nimirum & dictione Dei disputabitur.

Quidni sufficiat, ut dictio & veracitas eodem tantùm actu credantur cum objecto materiali.

VIII. *Objecta magis ad salutem scitu necessaria, non sunt priora in ratione credibilis.*

Dices secundò: quædam magis, quàm alia sunt necessariò ad salutis adeptionem credenda, ergo aliquis inter hæc objecta est ordo. Distinguo consequens: est aliquis ordo quoad necessitatem, concedo consequentiam; prioritatis quoad credibilitatem, nego; quoad aptitudinem namque ad credendum, hæc à se invicem planè sunt independentia, unde si Deus objectum minùs necessarium priùs revelaret, posset priùs credi. Quamvis etiam inter objecta materialia unum sit objectum attributionis, sicque ordo quidam dignitatis, & relationis, cùm objecta attributa ad objectum attributionis referantur, non tamen est ordo prioritatis ad credendum, ita ut si Deus revelet objectum aliquod attributum, credi nequeat nisi priùs reveletur & credatur objectum attributionis. Licèt ergo inter objectum formale Fidei, veracitatem scilicet & dictionem Dei, & materialia sit ordo aliquis dependentiæ, seu illationis, juxta dicta num. 6. & 7. cùm materiale credatur propter formale, nempe dies judicii propter veracitatem & dictionem divinam, non hæ propter diem judicii, inter objecta tamen materialia hujusmodi ordo non reperitur.

Objectum attributionis est prius dignitate, non credibilitate.

IX. *Quodnam ex objectis formalibus sit prius, veracitas, an dictio.*

Quæret tandem hìc aliquis, si hæc objecta formalia inter se comparentur, veracitas scilicet & dictio, utrum ex his objectis sit prius? Suarez hic, Disp. 2. Sect. 4. num. 14. ait, in esse rei

rei veracitatem esse priorem dictione, cùm illa sit proprietas necessaria, imò est quid Deo intrinsecum, revelatio autem est quid creatum, & extrinsecum. In esse tamen credibilis ita à se invicem hæc duo pendere asserit, ut nullus inter ea sit ordo prioris & posterioris, sed sese in hoc genere essentialiter includant: nec enim veracitas quidquam ad actum Fidei conferre potest sine dictione, nec dictio sine veracitate. Verùm ut in rebus physicis juxta dicta in Philosophiâ, difficillima est hæc mutua causalitas, seu dependentia, ita non levem habet difficultatem in intentionalibus, seu motivis intellectus & voluntatis: de quo plura infra.

Tam dictio, quàm veracitas est ad actum Fidei necessaria.

DISPUTATIO TERTIA.

De objecto formali Fidei divinæ.

OBIECTVM formale, ut Disp. 2. Logicæ Sect. 1. num. 6. & sequentibus ostendi, est id propter quod in aliquid tendimus, ut dum quis propter sanitatem vult incîdi venam, &c. Sanitas est objectum formale, incisio venæ objectum materiale: quod similiter in actibus intellectus contingit, ut latiùs ostensum est loco citato. Quæ ergo illic diximus, ad præsentem quæstionem applicando, objectum formale Fidei est illud, quod objectivè movet intellectum ad assentiendum rei alicui, seu mysterio, quod proponitur credendum. Alia quidem movent etiam ad assensum Fidei, ut apprehensiones, & imperium voluntatis, non tamen sunt objectum formale Fidei, cùm non sint omnino objectum, ab actu enim Fidei non repræsentantur, sicq; non movent objectivè, quod, ut diximus, est de conceptu objecti formalis actuum intellectus.

Objectum formale universim quid sit.

Movere debet objectivè ad assensum.

SECTIO PRIMA.

Quid sit objectum formale Fidei divinæ.

I. *Hæreticorum quorumdam circa objectum formale Fidei error.*

SANctus Augustinus lib. de utilitate credendi, cap. 1. refert, tenuisse Manichæos nihil credendum esse, nisi quod humanâ ratione assequi possumus. Eundem errorem S. Bernardus epist. 190. ad Innocen. tribuit Abailardo, multiq́ue ex modernis hæreticis hoc ipsum mordicus defendunt: qui proinde objectum formale, rationémque assentiendi, non in auctoritate Dei dicentis, sed in rerum in se evidentiâ, vel immeditâ, ex ipsâ scilicet terminorum apprehensione, vel mediatâ, nempe per discursum habitâ, constituunt.

II. *Quidam Fidei articuli sunt supra rationem.*

Sed hæc sententia est apertè falsa, tum quia nonnulli Fidei articuli sunt supra rationem, & captum creaturæ rationalis, nec ad ulla principia per se nota reduci possunt, ut est sacrosancta Trinitas, Incarnatio, & alia quædam. Deinde Apostolus 2. ad Corinthios, cap. 10. num. 5. dixit oportere captivare intellectum in obsequium Christi: quæ autem captivatio, ubi naturalis ratio convincit ita rem propositam se habere, & eögit ad assensum? Quare Christus Matth. 16. vers. 17. S. Petro ipsum, Filium Dei vivi agnoscenti dixit: *Caro & sanguis*, id est naturæ vires, *non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Tandem Divus Paulus 1. ad Corinthios 2. vers. 4. sic habet: *Prædicatio nostra non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, ut Fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.* Hinc Sanctus Augustinus serm. primo de Trinitate: *Fidelis sum*, inquit, *credo quod nescio.* Tractatu etiam 40. in Joannem circa illud: *Nisi credideritis, non intelligetis*, sic scribit: *Credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus.* Idem docet S. Dionysius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, Sanctus Hilarius, S. Joannes Damascenus, & alii Patres. Et sanè, si homini docto & probo mira interdum dicenti credimus, quamvis ea quæ dicit non semper intelligamus, quantò magis Deo, utpote cujus est & infinita sapientia, & rectitudo, ut nec fallere possit, nec falli.

Docet Scriptura Deum dicentem, non rationem naturalem, esse objectum formale Fidei.

Homini docto & probo credimus, ergo à fortiori Deo.

Neque hinc sequitur homines, si Deo ea, quæ supra eorum captum sunt, dicenti credant, facere imprudenter: ut enim quis prudenter agat, non est necessarium ut ratione naturali ea quæ dicuntur intelligat, sed sufficit talia ipsi hîc & nunc proponi motiva credibilitatis rei credendæ, ut quamvis evidentiam ejus in se, & prædicatis illius

III. *Quid requiratur ad hoc, ut quis mira dicenti credendo, nõ agat imprudenter.*

Tom. II.

illius intrinsecis non videat, videat nihilominus esse prudenter credibile: & hoc necessarium esse dicimus ad articulum Fidei credendum, & sufficere ad vitandam censuram illam Sapientis, Ecclesiastici 19. vers. 4. *Qui citò credit, levis est corde*, hic enim non citò, sed maturâ deliberatione, & consilio animum ad rei propositæ assensum applicat. Facit etiam quod habetur ep. 1. Joan. cap. 4. vers. 1. *Probate spiritus si ex Deo sint:* & illud 1. ad Thessal. 5. vers. 21. *Omnia probate: quod bonum est tenete.*

Qui citò credit, levis est corde,

IV. *Præceptum Dei circa veritatem credendam æquivalet revelationi.*

His ergò relictis: dicunt aliqui non videri necessarium hac in re ullum omninò motivum, si enim Deus cuiquam præcipiat ut veritati alicui non apparenti, Trinitati exempli gratia, vel Incarnationi assentiatur, hic assentiendo elicit actum fidei, & tamen veracitas Dei objectis hisce non applicatur, cùm Deus, ut suppono, in hoc casu ista non revelet. Respondetur, si Deus cuiquam imperaret, ut objecto alicui materiali præberet assensum, imperium illud æquivaleret quodammodo revelationi, & perinde esset in ordine ad illum assensum, ac si rem illam revelasset. Multi tamen negabunt hunc propriè esse actum Fidei.

V. *Quibusdam objectis materialibus Fidei assentiri possumus ob veritatem illorum intrinsecam.*

Dices secundò: quicquid est verum, potest ei intellectus assentiri: sed materiale objectum Fidei est verum: ergò independenter à divinâ revelatione potest ei quis præbere assensum. Respondetur: si ejusmodi sit veritas illa objectiva, ut humanum captum non superet, qualis est *Deum esse, esse æternum, omnipotentem*, & aliæ plurimæ, quæ in divinis literis continentur, hujusmodi veritati assentiri possumus independenter ab auctoritate divinâ, ob connexionem scilicet intrinsecam inter prædicatum & subjectum: hic tamen non esset actus Fidei. Si verò tale sit objectum, ut humanâ ratione illud assequi non possimus, quemadmodum est Trinitas, Incarnatio, &c. hujusmodi, inquam, veritatibus objectivis assentiri nequimus, nisi ob auctoritatem, & motivum extrinsecum, cùm connexio earum intrinseca nobis non innotescat.

Duplex objectorum Fidei genus.

VI. *Objectum formale Fidei est Deus.*

Dicendum itaque objectum formale Fidei divinæ esse Deum: ita S. Thomas hìc, quæst. 1. art. 1. & 1. parte, quæst. 1. art. 3. & 7. quem ibidem sequuntur Thomistæ, Caietanus, Medina, Bannez & alii: Canus lib. 12. locorum, cap. 3. Idem docet Halensis 3. parte, quæst. 78. memb. 4. Albertus in 3. dist. 23. art. 7. & 12. S. Bonaventura dist. 24. art. 1. quæst. 2. & 12. Gabriel dist. 23. quæst. 2. art. 1. Richardus dist. 23. art. 4. quæst. 3. Capreolus dist. 24. quæst. un. art. 1. Durandus dist. 23. quæst. 7. num. 12. & distinctione 24. quæst. 1. & 2. Valentia hic, quæst. 1. punct. 1. §. 4. Suarez hic, Disp. 3. Sect. 1. num. 6. Granado hic, Tract. 1. disp. 2. Tannerus Disp. 1. quæst. 1. dub. 3. Arriaga in tractatu de Fide, Disp. 1. Sectione secundâ, & alii passim.

VII. *Auctoritate Scripturæ ostenditur objectum formale Fidei divinæ esse Deum.*

Hæc conclusio est Fide certa; sæpissimè enim eam tradunt sacræ literæ, docentque Fidem divinam in infallibilem Dei loquentis auctoritatem resolvi: sic Matth. 16. vers. 17. dicit Christus: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Deinde ad Romanos 4. vers. 3. & Gen. 15. vers. 6. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Primæ item ad Thessal. cap. 2. vers. 13. sic habetur: *Cum accepisseris à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut est verè Verbum Dei.* Deinde in Epist 1. Joan. cap. 5. vers. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se,* &c.

VIII. *Testimonio Patrum, & ratione declaratur Fidē in Deum, ut in objectum formale resolvi.*

Hoc etiam docent Sancti Patres: sic S. Ambrosius Epist. 12. ad Valentinianum: *Cui, inquit, magis de Deo, quàm Deo credam?* & S. Augustinus de Spiritu & literâ, cap. 32. ita loquitur: *Non dubium est, illam Fidem ab Apostolo commendari, qua creditur Deo.* Sicut ergò omnis Fides nititur auctoritate dicentis, & in hoc distinguitur à scientiâ & opinione, quæ intrinsecâ prædicatorum inter se connexione nituntur, illa evidente, hæc probabili, ita Fides divina nititur auctoritate Dei, & in eam tanquam in objectum resolvitur, quod est habere Deum pro objecto formali.

SECTIO SECUNDA.

Sub qua ratione, seu perfectione Deus sit objectum formale Fidei.

I. *In variis Dei perfectionibus, virtutes variè velut in objecta feruntur.*

Variæ, ut primâ parte vidimus, in Deo sunt perfectiones, quæ attributa appellantur, ex quibus Ens illud infinitum, bonorumque omnium fons & origo constituitur. In has perfectiones velut in objecta virtutes variæ feruntur, quam ergò ex his omnibus sibi sortiatur Fides, in qua tanquam in objecto formali recumbat, hìc inquirendum.

II. *Non resolvitur Fides ultimò in supremum Dei dominium.*

Primus hac in re dicendi modus est Guilielmi Parisiensis, qui cap. de Fide, initio affirmat Fidem nostram in supremum Dei dominium ultimò resolvi: si enim, inquit, resolveretur in Dei veracitatem, Fides fieret ex discursu. Sed quicquid sit de hac sequelâ, de qua videbimus postea, ubi disputabitur utrùm Fides esse possit discursiva, non magis sequitur nos credere ex discursu, si resolvatur Fides in Dei veracitatem, quàm si resolvatur in supremum ejus dominium, æquè enim est actus discursivus *Credo quia Deus est supremus Dominus, ac Credo quia Deus est verax.* Dico itaque, licèt actus imperans Fidem, habeat fortè pro motivo dominium Dei: quamvis neque hoc motivum habere videatur, alioqui esset actus Theologicus, sed solùm pro motivo habet honestatem, quæ reperitur in executione rei à Deo præceptæ, seu in honestate, quæ est in conformando se voluntati divinæ. Sed esto actus imperans, hoc motivum haberet, actus tamen imperatus Fidei credit, non quia Deus est supremus Dominus, sed quia est verax; hæc namque est, quæ objectum quod creditur, verum esse ostendit, actúmque reddit certissimum.

Diversa honestas reperitur in actu imperante actum Fidei, & in actu ipso Fidei elicito.

III. *Deum quia Deum volunt aliqui esse objectum formale Fidei divinæ.*

Secundus dicendi modus est Aureoli apud Capreolum in 3. distinct. 24. art. 2. qui Deitatem, seu Deum ut Deum ait esse objectum formale Fidei. Ratio ejus est; si enim, inquit, ab aliquo quæratur, cur tale objectum, seu articulum propositum credat, respondet, quia Deus dicit, ergò in Deum quà Deum tanquam in objectum formale ultimò resolvitur Fides divina.

IV. *Deitas duobus modis sumi potest.*

Sed contra: Quamvis namque si Deitas sumatur realiter, & prout est à parte rei, seu pro totâ naturâ divinâ, atque ut omnes Dei perfectiones includit, inter quas etiam est veracitas, seu infallibilitas in dicendo, quo sensu frequenter in propositionibus Fidei objecto assentimur immediatè,

immediatè, quia Deus dicit: hoc, inquam, licèt ita se habeat, sicut tamen actiones quasdam non Deitati formaliter, sed aliis Dei perfectionibus tribuimus, ut mundi creationem omnipotentiæ, redemptionem misericordiæ, malorum punitionem justitiæ, & sic de cæteris, etiamsi hæc omnia realiter præstet Deitas, ita tribuendo singula singulis Deo aliquid dicenti credimus, non quia Deus est formaliter, sed quia summè verax, seu infallibilis auctoritatis, licèt Deitas, seu natura divina sit ratio hujus mediata, quia scilicet ratione nostrâ est quasi causa veracitatis, ut omnium divinarum perfectionum quodammodo fons & radix.

Nonnulla actiones quibusdam Dei perfectionibus peculiariter tribuuntur.

V. *Objectum formale Fidei est Dei veracitas.*

Dicendum itaque objectum formale, seu id, cui ultimò innititur Fides, esse Dei veracitatem, per quam nimirum nec fallere potest, nec falli. Hæc porrò veracitas, ut suprà dixi, duo includit Dei prædicata, infinitam scilicet ejus sapientiam, ratione cujus nihil eum latet, facitque ut nequeat falli, & rectitudinem insuper voluntatis, quæ ipsum semper determinat ad dicendum verum, & ad vitandum deordinationem illam, quæ in dicendo falsum, seu mentiendo, reperitur. Quamvis ergò alterum solummodo horum prædicatorum ad summam veracitatem non sufficiat, cùm neque rectitudo hæc voluntatis divinæ efficiat ut non possit falli, nec infinita sapientia ut fallere nolit, utrumque tamen simul sufficit, redditque Deum auctoritatis omnino infallibilis. Hæc est communis Theologorum sententia, ita ut sit supervacaneum auctores recensere.

Quid ad auctoritatem omnino infallibilem requiratur.

VI. *Ostenditur veracitatem esse objectum formale Fidei.*

His positis, probatur conclusio: Illud est objectum formale, seu cui ultimò innititur Fides, quod est ratio, cur actus, seu assensus sit omnino verus & certus, & quo posito objectum, quod credimus, aliter se habere non potest; hoc autem est prædicatum veracitatis, ex duabus perfectionibus numero præcedente positis conflatum, utpote quæ actum Fidei reddunt certissimum; cùm enim ratione harum nihil revelari possit, quod non ita se habet ut relevatur, sicut Deus per illas est infallibilis in dicendo, ita Fides est certissima in assentiendo, summámque in se continet firmitatem.

VII. *Si in Deo sola existeret veracitas, Fidei esset certissima.*

Probatur secundò: Si per impossibile hæ duæ solæ perfectiones in Deo existerent, infinita scilicet sapientia, & summa illa rectitudo voluntatis, esset nihilominus infallibilis auctoritatis, & nec fallere posset, nec falli, ergo hæ, & nullæ aliæ sunt, quas Fides ad maximam certitudinem requirit, & à quibus suam haurit firmitatem: unde licèt omnes aliæ perfectiones abessent, hac tamen stante auctoritas Dei non esset minùs infallibilis, nec Fides minùs certa. Confirmatur: hoc siquidem in creatis usu venire cernimus; non enim quoad alias perfectiones, sed quoad scientiam & probitatem cujusque hac in parte auctoritatem metimur, & quò magis quis in his excellit, eò ab omnibus magis censetur fide dignus. Non ergo in hoc spectatur quem quis dignitatis, vel honoris gradum obtineat, Rex nimirum sit an subditus, nobilis an plebeius, sed qui scientiâ & sinceritate est præstantior, potior est auctoritate, & quantùm ab illis quis deficit, tantùm deficit ab istâ. Imo si alto quis loco constitutus fallere sæpè soleat, mendaciisque ac perjuriis homines decipere, plebeius vero sincerè semper procedere deprehendatur, plus huic injurato quis crederet, quàm jurato illi. Hinc dæmoni, licèt hominae naturâ multò præstantiori, vel vera etiam dicenti non credimus, utpote qui *mendax est, & pater ejus.*

Quo quis scientiâ & sinceritate est præstantior, potior est auctoritate.

Quis inter homines major sit auctoritatis.

SECTIO TERTIA.

Vlteriùs declaratur, quo pacto veracitas sit objectum formale Fidei divinæ.

I. *Quo pacto Deitas sit ultima ratio credendi.*

VT verò rem hanc ulteriùs explicem, etiamsi Deitas, ut dixi Sect. præcedente num. 4. sit ratio mediata credendi, cùm sit radix veracitatis, non tamen ingreditur tanquam motivum, sed sola veracitas, ad hanc enim solam si actus terminaretur, imo per impossibile separatam à Deitate, ut ostensum est Sect. præcedente n. 7. actus tamen in eam tendens, seu propter illam assensum præbens objecto materiali, quod credendum proponitur, esset Fides. Unde Deitas est ultima ratio in essendo, non in credendo, seu terminativa, aut motiva actus Fidei. Quemadmodum in rebus corporeis etsi mixtio elementorum sit causa cur res materiales habeant colores, sicque remota ratio terminativa visus, id tamen, quod immediatè movet, aut terminat actum visionis, est lux & color.

Deitas est ultima ratio in essendo, non ultima ratio motiva.

II. *Quid si ab actu aliquo Fidei attingatur immediatè sola revelatio, & non veracitas.*

Dices cum P. Arriaga hic, Disp. 1. Sect. 2. Sicut potest quis actu Fidei attingere veracitatem, non Deitatem, ita à fortiori attingere poterit revelationem, non attingendo veracitatem, ac proinde sicut in priore casu Deitas est solùm ratio essendi respectu veracitatis, & non motivum actus seu assensus, ita & veracitas in hoc secundo casu erit ratio tantùm essendi revelationis, totum autem motivum actus erit revelatio procedens à veracitate. Ego certè non video, cur dari hujusmodi actus nequeat, dico tamen diverso modo respectu illius habere se veracitatem divinam, quàm in alio actu se habeat Deitas respectu veracitatis; ut enim actus ille sit firmus & certus, provenire debet à motivo certo & infallibili, cognito ut tali; hujusmodi autem non est revelatio, nisi ut informata quodammodo extrinsecè à veracitate, seu nisi cognoscatur ab illâ provenire tanquam à principio, quod nec fallere possit, nec falli, sicque non est causa tantùm essendi respectu revelationis, sed etiam credibilitatis ejus, utpote cujus cognitio in ejus credibilitatem influit, ut ostensum est.

Quid requiratur ut revelatio firmitatem causet in actu Fidei.

III. *Aliter Deitas se habet respectu veracitatis, & veracitas respectu revelationis.*

At verò in Deitate respectu veracitatis longè aliter se res habet, Deitas quippe respectu veracitatis est mera ratio essendi, nec ad hoc ut veracitas reddat actum Fidei infallibilem, requiritur ut Deitas, quæ ratione nostrâ est illius radix, cognoscatur, sed ipso facto quòd sciat quis revelationem procedere à veracitate, seu à principio, quod nec fallere potest, nec falli, actus, quo assensum objecto proposito propter veracitatem præbet, est certissimus. Imo, ut latiùs dictum est Sectione præcedente, si infinita illa veracitas, non à Deitate, sed aliunde procederet, actus Fidei haberet adæquatum suum motivum, & foret firmissimus. Si autem fingatur hujusmodi veracitas realiter distincta à Deitate, actus illam præcisè habens pro motivo, non esset Theologicus, sicut nec esset ille, quo crederet quis ob solam revelationem, utpote quæ est res creata. Utrùm autem veracitas & revelatio ad actum Fidei circa objectum aliquod eliciendum cognosci debeant lumine naturali, an supernaturali, dicetur infrà.

Actus ob solam revelationem assentiens non esset Theologicus.

DISPU-

DISPUTATIO QUARTA.

De divinâ revelatione.

SECTIO PRIMA.

In quo consistat divina revelatio.

I. *Ad Fidem requiritur locutio, seu conceptus interni manifestatio.*

Fides, ut sæpè tum hic, tum in Philosophiâ, Disp. 50. Log. dixi, est *assensus nixus auctoritate alterius aliquid dicentis:* sicque credere est alterius dictis Fidem adhibere, ac proinde ad Fidem requiritur locutio, seu ejus, cui Fidem adhibemus, conceptûs manifestatio. Ad rem ergo præsentem, Fides divina est assensus, quo Deo loquenti, seu aliquid dicenti credimus, ideoque præter cognitionem quam Deus de re quaque habet, & per quam loquitur sibi, necessaria est operatio aliqua ad extra, seu quid creatum, per quod loquatur nobis, & audiens in rei dictæ notitiam perveniat, eique assentiatur.

II. *Variis modis fit divina locutio.*

Hæc porrò locutio variis modis fit, juxta illud ad Hebræos 1. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, &c. nunc scilicet per voces internas ac spirituales, nunc per materiales & externas, nunc etiam per signa seu characteres, vel in animo audientis, vel in aëre, aut alibi efformatos, nunc aliis modis, quos fusè declaravi tomo primo, Disp. 75. Quælibet tamen illuminatio à Deo immissa non est propriè divina locutio, quam hîc inquirimus, sed illa cui ipse suam adjungit auctoritatem, nobisque ut verbum, seu vocem suam, viâ aliquâ & ratione insinuat.

Qualibet interna illuminatio non est locutio.

III. *Infusio habitus Fidei non est Dei revelatio.*

Hinc constat non esse veram sententiam illam, quam aliqui tribuunt Scoto, nempe revelationem Dei ad extra esse infusionem habitus Fidei: hic enim habitus est lumen intellectus ad res revelatas, sicut intellectus ipse est lumen naturale in ordine ad prima principia naturalia. Suarez tamen hîc, Disp. 3. Sect. 3. ait Scotum hanc sententiam, constanter saltem, non tenuisse.

IV. *Male identificatur principium effectivum actus Fidei cum objecto ejus formali.*

Sed cujuscunque sit hæc opinio, non est admittenda; principium enim effectivum actus Fidei confundit cum objecto formali ejusdem actus, quæ tamen duo longè sunt diversissima; nec enim quis etiamsi credat, & omnino certus sit Ævam exempli gratia comedisse pomum vetitum, & insuper esse hac de re revelationem divinam, non tamen propterea certus est se habere habitum supernaturalem Fidei, hoc enim nullibi revelatum est, aut definitum, ergo revelatio est quid ab habitu Fidei distinctum. Deinde, ut diximus num. 1. & 2. Revelatio est locutio Dei, hæc autem est rei dictæ, aut conceptus personæ loquentis manifestatio, habitus autem Fidei per se hæc non manifestat, sed requiritur aliqua eorum propositio, aut intimatio, sine qua circa illa nunquam elici potest actus Fidei: Deus quippe, non ut auxilians, sed ut testificans est objectum formale Fidei. Videatur Suarez Sect. illâ tertiâ vitatâ, ubi hanc sententiam optimè impugnat, & ostendit nec infusionem habitus seu luminis Fidei, nec auxilium ad actus credendi supernaturales eliciendos, posse esse propriè loquendo revelationem, sed præter illa aliam requiri objecti propositionem.

Præter habitum Fidei seu luminis infusionem requiritur revelatio, seu propositio objecti.

V. *Quo sensu credens Verbo Dei habeat testimonium Dei in se.*

Quod verò in divinis literis interdum dicatur credentem verbo Dei habere testimonium Dei in se, ex quo inferunt aliqui habitum Fidei esse revelationem, præter hunc enim nihil habet in se, seu sibi intrinsecum spectans ad Fidem: Respondetur hoc non sequi; solùm enim vult Scriptura habere eum in se Dei testimonium illi assentiendo, sicut dicuntur res intellectæ seu cognitæ esse in animâ; quemadmodum etiam dicimur verba alicujus conservare in mente seu animo: sic de Beatissimâ Virgine dicitur Luc. 2. vers. 51. *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo*, quamvis nec Sanctissima hæc Virgo voces ipsas, seu verba externa, nec credens habeat loquelam Dei sibi suæque animæ intrinsecam, sed intentionaliter tantùm sibi præsentem, per actum scilicet intellectus illam repræsentantem, eique assentientem.

Non quicquid esse dicitur in animâ, est illi intrinsecum.

VI. *Revelatio divina non includit conceptum Dei infallibilem, & manifestationem.*

Nec etiam verum existimo, quod docet P. Valentia hîc, quæst. 1. punct. 1. §. 5. Albertinus tomo primo Princ. 3. coroll. 4. num. 10. & sequentibus, & Tannerus hîc, Disput. 1. quæst. 1. dub. 3. num. 37. Revelationem scilicet divinam duo dicere, conceptum nempe infallibilem Dei, ejusque manifestationem; hoc, inquam, non placet; conceptus enim ille, seu locutio Dei ad intra nequit esse revelatio, hæc namque, ut totâ hac Sectione ostendimus, est manifestatio conceptus seu locutionis Dei ad intra, sicque hic conceptus non est manifestatio, sed res manifestata, ut per se videtur clarum.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm revelatio divina sit objectum formale Fide.

I. *Ad Fidem divinam aliqua requiritur revelatio.*

Revelationem, seu infallibilis conceptus Dei interni manifestationem aliquam ad extra, divinæ Fidei necessariam esse videtur certissimum, quæ nimirum sit propositio objecti credendi, & Dei locutio externa. Controversia itaque est inter Theologos, Vtrùm hæc revelatio creata sit partiale objectum Fidei, an mera conditio ad Fidem prærequisita.

II. *Revelationem nonnulli dicunt meram esse conditionem.*

Prima sententia affirmat externam hanc Dei revelationem esse tantùm conditionem, totam verò rationem credendi, seu objectum formale Fidei esse Dei veracitatem, ejusque in dicendo infallibilitatem, ac proinde quid adæquatè increatum, ac Deo intrinsecum. Huic sententiæ favere videtur Aureolus in Prolog. pag. 59. Eam tenet Smisinus 1. par. in procem. quæst. 2. num 62. & nonnulli ex recentioribus.

Secunda

III. *Secunda sententia ait revelationem esse objectum formale Fidei.*

Secunda tamen, eáque communis Theologorum sententia docet revelationem externam, qua Deus loquitur nobis, non meram esse conditionem, sed simul cum auctoritate Dei increatâ integrare unum objectum formale Fidei divinæ: ita S. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 1. Cajetan. ibid. art. 2. Molina 1. part. quæst. 1. art. 7. Disp. 1. Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 2. Turrianus de Fide disp. 2. dub. 2. Becanus ibid. cap. 1. quæst. 2. Vasquez 1. 2. disp. 201. num. 6. Coninck de Fide Disp. 9. dub. 4. Granado hîc, tract. 1. Disp. 3. Arriaga hîc, Disp. 2. Sect. 1. num. 4. & alii. Multi tamen putant inter utramque hanc sententiam litem tantùm esse de nomine. Et sanè, si auctores primæ sententiæ dicant omnem actum Fidei tendere, non in solam Dei auctoritatem, sed etiam in revelationem, eámque repræsentare, faciunt meo judicio quæstionem de modo loquendi. Ut quid hac in re sentiam, declarem, & vitetur quæstio de voce,

Putant nonnulli esse quæstionem de nomine.

IV. *Duplex actuum Fidei genus.*

Notandum actum Fidei, de quo hîc disputari potest, esse duplicem. Primus est, quo res revelatas specificativè, & ut à revelatione distinctas credimus: Secundus, per quem non solùm credimus exempli gratia Deum creasse mundum, sed hoc etiam à Deo esse revelatum, ipsámque adéo revelationem credimus. De secundo actu hîc agemus, de primo Sectione sequente.

V. *Revelatio propter se, non propter aliam revelationem creditur.*

Dico itaque revelationem immediatè, ac propter se, & non propter aliam revelationem credi. Ratio est: hoc enim iis, quæ ad aliorum cognitionem determinant est proprium, ut eâdem operâ moveant ac determinent ad cognitionem sui, sicque in se, & propter se, ac sine ullo alio objecto formali distincto cognoscantur, alioqui iretur in infinitum. Et in hoc idem in causis intentionalibus contingit, quod in physicis; sic enim actio & unio dum determinant ad productionem & unionem alterius, determinant ipso facto ad productionem & unionem sui. Sic varia accidentia ad diversarum subsistantiarum cognitionem determinant, illa autem per se immediatè, & sine ullo alio medio cognoscuntur.

Res hæc exemplis physicis declaratur.

VI. *Quo pacto revelatio obscura possit per se & propter se credi.*

Dices, non videtur fieri posse, ut revelatoni per se & propter se quis assensum præbeat, cum sit obscura, nulli autem objecto immediatè & propter se assentimur, quod non sit evidens, & ex terminis notum. Respondetur argumentum convincere, intellectum ex vi objecti præcisè non posse à revelatione determinari ad eam credendam, cùm nullam habeat in se evidentiam, nec sit quid per se notum. Intellectus ergo, non ab objecto, seu revelatione determinatur ad assensum ei præbendum, seu ad credendum Deum aliquid revelasse, cùm id non constet, sed ad hoc movetur ex imperio voluntatis eum captivantis in obsequium Fidei, & ad assensum determinantis.

Intellectus assentitur revelationi ex imperio voluntatis.

VII. *Prudens objecti propositio juvat ad firmiorem assensum.*

Quando ergo objectum aliquod ita proponitur, cum tali scilicet credibilitate, ut vir prudens de eo dubitare nequeat, sed judicet dignissimum esse cui præbeatur assensus, tunc inquam voluntas, pro eâ, quam in intellectum habet potestate, eum ad multo firmiorem assensum determinare potest, quàm objectum, rationésque ac motiva exigunt: sicque ipso facto quòd intellectus videat objectum propositum esse ex circumstantiis ejusmodi, ut meritò credi possit à Deo esse revelatum, efficere potest voluntas, ut ei firmissimè adhæreat, & absque ulla dubitatione illud credat.

Vis voluntatis in intellectum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum omnis actus Fidei habere debeat pro objecto formali revelationem.

I. *Quorundam hac de re Theologorum sententia.*

QUIDAM, ut Sectione præcedente diximus, ita negant revelationem divinam esse objectum formale Fidei, ut quæstionem faciant de modo loquendi, dum nimirum non minùs revelationem, quàm auctoritatem divinam dicunt ab actu Fidei semper attingi, imò hoc ad assensum Fidei aiunt omnino esse necessarium. Ut ergo faciam quæstionem de re, sit

II. *Ad assentiendum objecto revelato non est necessarium ut per illum actum attingatur revelatio.*

Prima Conclusio: ad objecto alicui revelato assentiendum propter auctoritatem divinam, non est necessarium ut per actum illum attingatur revelatio, sed sola auctoritas, & objectum materiale, quod revelatur. Exempli gratia, dicit, seu revelat Deus se esse trinum & unum, potest is, cui fit hæc revelatio, objecto huic assentiri, & dicere, hoc est verum, seu Deus est trinus & unus propter infinitam auctoritatem, seu veracitatem, quam eum habere cognoscit.

III. *Revelatio ad hunc actum concurrit tantum in actu exercito.*

Non ergo in actu signato dicit is per hunc assensum, *Deus est trinus & unus quia Deus dicit, seu quia est revelatum*, sed dictio illa Dei, seu revelatio concurrit tantùm in actu exercito, & tanquam mera conditio, nec aliud hîc est necessarium. Quemadmodum itaque varii actus intellectus concurrunt directivè ad actus tum intellectus, tum voluntatis, & in actu solùm exercito, ita & facit hic actus dirigens ad assensum propter solam Dei auctoritatem: & hoc existimo licèt ante actum illum detur etiam actus reflexus de revelatione.

IV. *Revelatio concurrens in actu exercito est sufficiens unio auctoritatis Dei cum objecto revelato.*

Dices: auctoritas divina ex se non est connexa sæpè cum re revelatâ, cum negatione scilicet Petri, magis quàm cum contrario; quantumvis enim Petrus non negasset Christum, Deus posset esse verax; ergo præter auctoritatem seu veracitatem divinam requiritur respectu assentientis aliqua veracitatis cum objecto connexio, hæc autem debet esse revelatio, cùm ex naturâ rei veracitas divina cum objecto illo non connectatur, ergo hic assensus terminari etiam debet ad revelationem. Concessis reliquis negatur hæc ultima consequentia: concedo itaque requiri connexionem seu unionem veracitatis Dei cum re revelatâ, & unionem hanc esse revelationem; nego tamen assensum illum, quo quis hîc & nunc objecto revelato assentitur propter divinam auctoritatem debere terminari ad revelationem; quamvis enim revelatio ad hunc assensum sit necessaria, concurrit tamen solummodo in actu exercito, & per modum conditionis, sine qua intellectus in actum illum prodire non posset.

Revelatio in hoc casu ad assensum concurrit merè ut conditio.

Urgebis: Credo Deum esse trinum & unum, creasse mundum, &c. quia sunt revelata, ergo revelatio partialiter terminat actum, & integrat unum objectum formale cum auctoritate divinâ. Contra, sic etiam Deus amatur quia videtur, ignis comburit quia approximatur, & tamen nec visio terminat actum illum amoris, nec approximatio comburit, sed est mera conditio, ut ignis comburat, necessaria. Unde, ut notant Philosophi, nullæ particulæ sunt magis fallaces, quàm *qua*, *ut*, *quia*, & similes, quæ etsi voce tenus causam & rationem formalem sonent, sæpè nihilominus tantùm reduplicant conditionem. Sic

V. *Particula quia sæpe denotat solam conditionem.*

Tom. II.

nihil apud Philosophos frequentius, quàm *ignis ut approximatus comburit*, cùm tamen hic, ut constat, particula *ut* solam denotet conditionem. Idem etiam est in præsenti de particulâ *quia*, quæ licèt innuere videatur objectum formale, solùm tamen significat conditionem; nam sicut ubicatio in igne est approximatio materialis & physica, ita hîc revelatio est approximatio intentionalis, & reddit objectum revelatum præsens intellectui.

Particula Ut sæpe denotat solam conditionem.

VI. *Actus assentiens ob solam auctoritatem divinam, esset actus Fidei.*

Secunda Conclusio: Prædictus actus, qui posità revelatione assentiretur rei revelatæ propter auctoritatem divinam, ita ut revelatio ab assensu illo non attingatur, esset actus Fidei. Probatur: fertur enim in objectum ob auctoritatem alterius, & ob motivum objecto planè extrinsecum. Dices, hic actus esset scientia, evidens enim est Deum esse summæ auctoritatis, & infitè veracem. Respondeo: foret quidem scientia, si clarè constaret Deum hoc habere pro objecto suæ scientiæ: cùm autem hoc non sit evidens, sed solùm obscurè cognitum, nempe per revelationem, similiter non est evidens ita se habere objectum propositum, sicque actus ille non est scientia, sed fides.

VII. *Ad hunc actum requiritur pia affectio.*

Probatur conclusio secundò: ad hunc namque actum requiritur pia affectio, per quam voluntas intellectum determinet ad assensum illi objecto ob divinam auctoritatem præbendum, ergo non est evidens, objectum ita se habere, sic enim ex motivis intrinsecis intellectus ad hoc determinaretur, rei scilicet evidentiâ convictus, ergo hic assensus est actus Fidei. Confirmatur: est siquidem actus virtutis Theologicæ, cùm directè feratur in auctoritatem, seu veracitatem divinam, imo perfectiùs habere videtur rationem virtutis Theologicæ, quàm ille actus, qui pro objecto formali simul cum divinâ veracitate haberet revelationem, quæ est aliquid creatum: cùm ergo non sit actus Spei, nec Charitatis, hi quippe actus ad voluntatem pertinent, esse necessariò debet actus Fidei.

Hic assensus est actus virtutis Theologicæ.

VIII. *Fides nostra de facto non auctoritatem Dei tantùm, sed etiam revelationem habet pro objecto formali.*

Tertia Conclusio: non obstantibus tamen iis, quæ de hujusmodi actus possibilitate hactenus diximus, qui nimirum supposità revelatione, non ad hanc, sed ad solam Dei veracitatem terminetur, nihilominus Fides nostra de facto, non ad veracitatem tantùm, sed etiam ad revelationem terminatur, eámque simul cum divinâ auctoritate habet pro objecto formali. Ratio est; passim namque in Scripturâ dicimur credere Prophetis, eorúmque verbis Fide divinâ. Sic Joannis 5. vers. 46. dicit Christus: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi:* Sic Exodi 14. vers. 31. habetur: *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus*; hæc autem & similia denotant Prophetarum dicta, seu testimonia fuisse simul cum divinâ auctoritate objectum etiam formale illorum actuum, & partialiter movens ad assensum.

IX. *Quamvis Fides partialiter terminatur ad revelationem, est tamen perfectè virtus Theologica.*

Nec obstat quod opponunt aliqui, Fidem scilicet esse virtutem Theologicam, ac proinde non debere habere revelationem pro objecto, utpote quæ est quid creatum. Hoc inquam non obstat, ad virtutem quippe Theologicam sufficit quòd habeat pro objecto formali Deum, seu aliquid increatum, divinam scilicet veracitatem, quantumvis etiam habeat pro objecto formali revelationem: sicut postea ostendemus Spem etiam pro objecto habere aliquid creatum: & quoad objectum materiale contingit frequentissimè Fidei, quæ pro objecto materiali sæpissimè habet aliquid planè creatum, ut Cainum occidisse Abelem, &c. quamvis, ut numero septimo dixi, perfectiùs rationem virtutis Theologicæ sortiretur actus ille Fidei, qui ad solam Dei veracitatem terminaretur, & revelationem haberet pro merâ conditione.

X. *In hoc actu objectum formale principale est auctoritas divina, minùs principale revelatio.*

In hoc ergo actu, qui & ad divinam auctoritatem, & ad revelationem terminatur, objectum formale principale est auctoritas, revelatio verò est objectum formale minùs principale. Non tamen rectè loquuntur ii, qui revelationem hîc aiunt esse instrumentum, quamvis enim, ut dixi, minùs principaliter concurrat, nihilominus non agit supra suas vires, cùm namque sit locutio Dei, non est supra ejus virtutem, sed planè ei connaturale movere ad actum Fidei circa objectum materiale, quod proponitur credendum.

SECTIO QUARTA.

Quænam revelatio possit esse objectum formale Fidei.

I. *An sit necessarium ut revelatio sit publica.*

Diximus Fidei nostræ partiale objectum formale esse revelationem divinam: nunc ergo ulteriùs inquirendum, quænam hæc esse debeat revelatio, publica scilicet, an privata: quâ in re, ut in aliis plerisque ad materiam de Fide spectantibus, non levis est inter Theologos disceptatio.

II. *Hæreticorum privatus spiritus ipsis est pro regulâ Fidei.*

Rejiciendum vero hîc inprimis hæreticorum nostri temporis figmentum, qui ut judicium Ecclesiæ subterfugiant, sibique arbitratu suo Fidem forment, & articulos credendos vel admittant pro libitu vel respuant, ad privatos spiritus, secretásque revelationes à Deo ipsis peculiariter, ut aiunt, factas confugiunt, & hoc pacto sibi quisque est regula Fidei, dúmque omni doctrinæ vento circumferuntur, mirum est in quot quamque fœdos errores prolabantur, nec absurda tantùm credant, sed pugnantia, Deúmque, magistrum veritatis, falsitatis auctorem indignum sanè in modum faciunt.

III. *Aliqui nullam omnino revelationem privatam asserùt posse esse objectum formale Fidei.*

Nonnulli itaque ex orthodoxis veram inter & falsam, certam & commentitiam revelationem non discernentes, ut ab hoc errore quàm longissimè recedant, nullam omnino revelationem secretam, quantumvis prudentem, si tamen homini privatim fiat, existimant posse esse objectum formale Fidei divinæ, seu illius, quâ reliqua Fidei mysteria à Deo revelata credimus, sed ad hanc requiri aiunt, ut per Prophetas vel Apostolos, aliósque publicos Ecclesiæ ministros proponatur: ita Sotus lib. 3. de Gratiâ, cap. 2. Canus lib. 12. de locis Theol. cap. 3. Cajetanus hîc, art. 1. & quæst 5. art. 3. Valentia hîc, punc. 1. §. 5. Lorca hîc, dub. 5. idem docet Magister in 3. dist. 23. & alii. Dicunt proinde hi auctores, quando hujusmodi revelationes Sanctis privatim fiunt, non assentiri eos rei revelatæ per Fidem divinam, sed vel per prudentiam infusam, vel donum prophetiæ, vel denique per speciale auxilium, quod ad actum à Fide divinâ distinctum determinet.

Quo actu dicant hi auctores sanctos rei privatim revelatæ assentiri.

IV. *Revelatio alicui privatim facta sufficit ad objectum formale Fidei divinæ.*

Existimo nihilominus revelationem privatam, ritè propositam, sufficere ad objectum formale nostræ Fidei. Hæc communior est inter recentiores sententia: eam tenet Vega in Trident. lib. 9. cap. 3. Catharinus Apologia de certit. gratiæ, Vasquez 1. 2. Disput. 210. cap. 4. Suarez

Suarez hîc, Disp. 3. cap. 10. Tannerus 2. 2. Disp. 1. quæst. 1. dub. 3. num. 61. Coninck de actibus supern. Dis. 9. dub. 6. Arriaga hîc, Disp. 2. Sect. 4. num. 30. & alii.

V. *Essentialis conceptus actus Fidei fiat cum revelatione privatâ.*

Ratio à priori est; ad essentialem namque rationem Fidei aliud non requiritur, quàm ut præbeatur assensus rei alicui ob auctoritatem divinam obscurè propositam, sed hoc tam in privatâ revelatione habetur, quàm in publicâ; perinde siquidem quoad hoc videtur sive res illa uni soli, sive simul cum aliis reveletur, æquè enim credere quis Deo potest privatim loquenti ac publicè. Confirmatur: potuisset Deus creare unicum hominem, vel Angelum, & illi varia revelare. Confirmatur secundò: Fides quippe humana, nititur revelatione privatâ humanâ, ergo Fides divina niti potest privatâ revelatione divinâ.

VI. *Revelationes variæ in Scripturâ particularibus personis privatim factas.*

Hinc in divinis literis revelationes varias particularibus personis privatim factas videmus, ut Saræ revelatus fuit conceptus Isaaci, cui revelationi credidit ipsa Fide divinâ, juxta illud Apostoli ad Hebræos 11. *Fide & ipsâ Sara, &c. quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.* Sic Samueli privatim facta est revelatio ruinæ domus Heli: Zachariæ similiter ortus Joannis Baptistæ; Beatissimæ Virgini Incarnatio Christi, & sexcenta hujusmodi, tum in veteri tum novo Testamento.

VII. *De rebus non magni momenti fieri potest revelatio publica, & de rebus magni momenti privata.*

Dices primò: Res istæ erant magni momenti, & ad publicum bonum ordinatæ, unde revelatio de iis facta censeri potest publica. Sed contra: sicut enim de rebus parvi momenti fieri potest revelatio publica, ut Tobiam habuisse canem, Esau fuisse pilosum, mulieres duas coram Rege Salomone fuisse rixatas, & id genus alia, quæ in Scripturâ continentur, quidni & de rebus magni momenti fieri poterit revelatio privata. Imo res omnes in Scripturâ contentæ, priùs Hagiographo privatim revelatæ sunt, & ab eo creditæ, quàm ipse eas publicè credendas proposuerit Ecclesiæ. Quod etiam de Beatissimâ Virgine dici potest; illa siquidem quando Incarnationis mysterium sibi ab Angelo revelatum credidit, non fuit adhuc persona publica, hoc est ordinata ad divinas revelationes Ecclesiæ manifestandas.

Privata revelatio rerum in Scripturâ facta fuit hagiographo.

VIII. *Angeli res hasce privatis personis revelantes non agebant personas publicas.*

Dices secundò: Angelos, qui hæc mysteria Virgini, & aliis revelarunt, fuisse personas publicas, sicque revelationes ab iis procedentes jure censentur publicæ. Sed contra: Angeli isti, qui res hasce revelabant, non erant missi ad illas pluribus, aut toti Ecclesiæ denuntiandas, sed uni tantùm personæ privatim, in quo consistit, ut dixi, revelatio privata, alioqui nullæ possunt esse revelationes privatæ, quas tamen omnes admittunt esse possibiles: Sequela probatur; revelationes quippe istiusmodi vel fiunt ab Angelis, vel immediatè à Deo, si ergo eo ipso quod fiunt ab Angelis, sint publicæ, à fortiori erunt publicæ quando fiunt à Deo, utpote cujus Angeli hac in parte tantùm sunt instrumenta, ergo contra omnes Theologos nullæ sunt revelationes privatæ.

Dices tertiò: Credidisse quidem hos omnes, sed Fide specie à nostrâ distinctâ. Contra: hæc illorum Fides tam nititur auctoritate divinâ, quàm nostra, æqualisque est cum eâ certitudinis, est etiam principium actuum supernaturalium, eosdem proinde habet cum nostrâ effectus, nec divinæ literæ ullam inter illam & nostram facit distinctionem; unde ergo erit diversæ speciei. Verum est quidem, si actum Fidei ingrediatur auctoritas Ecclesiæ, & alia hujusmodi, actum illum futurum specie diversum, cum ex omni novo objecto specie distincto actus varietur specie, hoc tamen merè accidentale est respectu Fidei, redditque illam materialiter tantùm, non formaliter distinctam; sicut fides Angelica, etiam de eodem objecto, est ratione principii specie à nostrâ Fide distincta, hoc autem Fidei quâ Fidei, est merè accidentale.

IX. *Ostenditur Fidem ex privatâ revelatione ortam, ejusdem esse speciei cum nostrâ.*

Diversitas materialis in actibus Fidei.

Dices quartò: Fides nostra est Catholica, seu publica & universalis, sicque fundata in revelatione similiter publicâ, hoc autem Fidei ex revelatione privatâ procedenti non competit, ac proinde est specie à nostrâ Fide distincta. Respondetur negando hanc ultimam consequentiam, Fidei siquidem accidentale est quòd sit publica & Catholica, imò, ut dixi, eadem Fides, quæ jam est publica, fuit semel privata, privatim scilicet hagiographo revelata, & ab eo credita, ac deinde ab illo omnibus ad credendum proposita. Unde idem habitus ferri jam potest in Fidem publicam, qui antea ferebatur in privatam, saltem circa idem objectum. De facto quidem Fides nostra nititur revelationibus publicis, quâ de causâ dicimur *superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, &c. nil tamen obstat quò minùs feratur in revelationes privatas, ut ostensum est.

X. *Fidem esse Catholicam, seu universalem est illi quid merè accidentale.*

Ut autem revelationi privatæ Fides adhibeatur, necessarium est eam ita fieri, ut prudenter existimare quis possit illam esse à Deo, & ejusmodi habeat argumenta credibilitatis, quæ eam reddant evidenter credibilem. Nec enim minùs ad privatam revelationem, quàm ad publicam requiritur, ut quis sapienter & debito modo procedat, non leviter, & omni spiritu sine discretione ducatur, atque intellectum captivet; in hoc quippe negotio, ut in aliis omnibus ad Deum, ad religionem, ad Fidem spectantibus maturâ deliberatione opus esse, luce clariùs constat, & apud omnes est in confesso.

XI. *Ut privatæ revelationi quis credere possit, argumenta credibilitatis habere debet valde apparentia.*

DISPUTATIO QUINTA.

De auctoritate Ecclesiæ.

DIXIMVS non tantùm veracitatem divinam, sed illius etiam dictionem, & revelationem tam publicam quàm privatam esse objectum formale Fidei divinæ, actumq; quo mysterium aliquod credimus, ad hæc omnia terminari. Nunc ergo ulteriùs inquirendum, quid hac in parte de Ecclesiâ judicandum, an scilicet illius auctoritas ab actu Fidei attingatur, an verò solum se habeat per modum proponentis mysteria, quæ ob divinam auctoritatem à fidelibus sunt credenda: qua de re non levem video inter Theologos controversiam.

SECTIO PRIMA.

Sitne auctoritas Ecclesiæ objectum formale Fidei.

I. *Ecclesia formaliter & repræsentativè sumpta.*

ECCLESIA duobus modis sumitur, *formaliter* & *repræsentativè*: Ecclesia *formaliter* sumpta est cœtus fidelium sub uno capite in terris, Romano scilicet Pontifice, constitutus. Ecclesia verò *repræsentativè* in Pastoribus sita est, nempe Concilio generali à Romano Pontifice approbato, penes quos est potestas res Fidei decernendi, articulósque credendos publicè proponendi: quæ etiam potestas extra Concilium in solo Pontifice, utpote Ecclesiæ capite residet, ut postea latiùs ostendetur.

II. *Duplex auctoritas Ecclesiæ, divina & humana.*

Ut verò hæc Ecclesiæ vel in definiendo, vel proponendo potestas clariùs intelligatur, notandum auctoritatem Ecclesiæ esse duplicem, *humanam* & *divinam*: humana in eximiis quibusdam donis, summâ scilicet sanctitate ac sapientiâ, aliisque, quibus à Deo ornata est muneribus consistit, quæ haud dubiè non exiguam ei auctoritatem apud prudentes omnes, & æquos rerum æstimatores conciliant, apertéque ostendunt illius doctrinam, scitáque omnia esse Fide dignissima. De hac Ecclesiæ auctoritate loquitur S. Augustinus, dum libro contra Epist. fundamenti, cap. 4. illa enumerat, quæ ipsum in Ecclesiâ tenebant, nempe *sapientiam Doctorum Ecclesiæ, consensionem populorum, vim miraculorum, antiquitatem, & perpetuam successionem*: quæ in quocunque hominum cœtu reperiuntur, maximam sine dubio ei tribuunt auctoritatem. Hæc tamen auctoritas sola Ecclesiam non reddit infallibilem, sed homines quantumvis sapientes, nisi ulterior iis directio accedat, errare possunt, & in re aliquâ summè obscurâ, decipi.

In quo humana Ecclesiæ auctoritas consistat.

III. *Auctoritas divina Ecclesiæ in infallibili Spiritus Sancti assistentiâ consistit.*

Præter hanc ergo alia est in Ecclesiâ auctoritas, eáque divina, peculiaris scilicet Spiritus Sancti assistentia, qua ita eam in rebus Fidei definiendis ac declarandis dirigit, ut planè reddat infallibilem, cùm jam quicquid in hoc genere facit, nomine Dei faciat, ac veluti illius instrumentum & organum loquatur, nec, ut velit, errare possit, aut falsi quidquam statuere. De hac Ecclesiæ auctoritate loquitur S. Paulus, dum 1. ad Timoth. c. 3. vers. 15. Ecclesiam vocat *columnam & firmamentum veritatis*. Hoc etiam sensu de Ecclesiâ dicit Christus Matth. 16. vers. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* De hac proinde Ecclesiæ auctoritate loquitur S. Augustinus in libro proximè citato, cap. 5. dum ait: *Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoveret.* Huc etiam referri possunt verba illa S. Leonis Ser. 2. de Ascen. *Vt Fides excellentior esset, visioni doctrina successit, cujus auctoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur.* De hac secundâ auctoritate procedit præsens quæstio.

S. Augustinus.

S. Leo.

IV. *Prima sententia docet auctoritatem Ecclesiæ esse meram conditionem respectu actus Fidei.*

Prima sententia affirmat auctoritatem Ecclesiæ non se habere per modum objecti formalis respectu actus Fidei, nec illam immediatè ab eo attingi, sed mediatè tantùm ad actum, quo quis mysterium aliquod Fidei credit, concurrere, proponendo scilicet objectum, sicque esse conditionem merè extrinsecam: ita Molina 1. p. quæst. 1. art. 2. disp. 1. Granado ibidem, Disp. 3. Sect. 2. Turrianus Disp. 2. dub. 4. Malderus hic, art. 1. quæst. 6. Gamacheus, quæst. 5. art. 3. Becanus quæst. 2. cap. 2. Mæratius Disp. 17. Sect. 2. Tanner. Disp. 1. quæst. 5. dub. 5. idémque docere videtur P. Coninck de Actibus supernat. Disp. 9. dub. 5. num. 60. & alii.

V. *Secunda sententia est auctoritatem Ecclesiæ ingredi objectum formale actuum Fidei.*

Secunda, eáque communis inter recentiores sententia è contrario asserit auctoritatem Ecclesiæ in actibus Fidei non se habere per modum solius conditionis, sed constituere partialiter objectum eorum, & immediatè ab actibus illis attingi: ita Michaël Medina lib. 5. de rectâ in Deum Fide, cap. 11. citatur etiam Stapletonus, & alii. Ut paulatim procedamus

Dicendum

VI. *Auctoritas divina Ecclesia est ipsum testimonium Dei.*

Dicendum inprimis, credere propter auctoritatem divinam Ecclesiæ, supra num. 3. declaratam, est credere propter testimonium divinum. Quare hæc Ecclesiæ declaratio, quâ res Fidei credendas proponit, non solùm est certa & infallibilis, ut etiam fatentur Molina, Granado, & alii num. 4 relati, sed insuper est locutio & verbum Dei: ita Valentia hîc, disp. 1. quæst. 1. punc. 1. §. 5. & 6. & alibi, Suarez hîc, d. 3. Sect. 10. num. 10. & Sect. 11. num. 11. & d. 6. num. 9. addens hoc sibi videri certum, & haberi ex communi consensu Theologorum, Stapletonus Controv. 4. quæst. 1. art. 1. & q. 2. art. 2. Smisinus quæst. 1. procem. num. 23. Bellarminus to. 2. lib. 2. de Conciliis, cap. 12. dicens definitionem Ecclesiæ divinis ipsis literis in certitudine esse æqualem.

VII. *Duobus modis circa res Fidei versatur Ecclesia.*

Notandum, Ecclesiam duobus modis varia circa res Fidei docere: primò declarando rem aliquam dudum fuisse in Scripturâ, vel antiquâ Traditione revelatam, & de hoc modo minor est difficultas. Secundò Ecclesia res varias, quæ ante immediatè revelatæ non erant, definit discursu Theologico, quod dum præstat, jam res illæ non virtute tantùm & mediatè, sed formaliter, & immediatè ac propriissimè sunt de Fide, utpote modò per Ecclesiam directè & formaliter revelatæ.

VIII. *Dum Ecclesia rem aliquam definit, Deus eandem per ipsam testificatur.*

Ratio est, nam ut rectè Suarez Disp. 3. Sect. 11. num. 11. dum Ecclesia aliquid definit, Deus per eam loquitur, ac testificatur: cùm ergo Ecclesia illud expresse & formaliter definiat, Deus idem per illam tanquam instrumentum suum tradit, & omnibus credendum proponit, sicque jam in se redditur directè & formaliter de Fide; testimonium siquidem divinum æquè firmum ac certum est, sive per se immediatè illud Deus det, sive per Ecclesiam, vel aliud quodcunque instrumentum: Unde si scriptio canonica & traditio sint testimonium divinum, idem dici debet de definitione Ecclesiæ.

IX. *Variè ostenditur definitiones Ecclesiæ esse Dei locutionem.*

Quod verò hoc de dogmatibus ac definitionibus Ecclesiæ dici debeat, constat ex iis, quæ supra allata sunt num. 3. ex eo præcipuè Divi Pauli 1. ad Timotheum 3. vers. 15. ubi Ecclesiam vocat *columnam & firmamentum veritatis*, veluti id cui ædificium spirituale Fidei tanquam columnæ innititur, quæque veritatem Fidei in aliis instar basis ac fundamenti sustinet. Hoc Apostoli Hierosolymis congregati significarunt dum dicerent Act. 15. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Concilia etiam antequam quidquam definiant, præmittere solent, se esse in Spiritu Sancto legitimè congregatos: quibus verbis indicant se, quicquid illic agunt, ex peculiari Spiritus Sancti assistentiâ agere, & illius nomine loqui, nec ex se, sed ex Dei inspiratione definire, resque credendas proponere.

X. *S. Gregorii de Conciliis generalibus, sententia.*

Hinc S. Gregorius lib. 1. Epist. cap. 14. ait se quatuor prima Concilia generalia non aliter venerari, quàm quatuor Evangelia, quia nimirum quoad definitiones Fidei non minore auctoritate in illis quàm in his locutus est Spiritus Sanctus, & in Conciliis hisce, inquit, *tanquam in quadrato lapide structura Fidei consurgit.* Non minor ergo, juxta S. Gregorium est Ecclesiæ auctoritas, quando veritatem aliquam definit, quàm sit Scripturæ quoad ea, quæ in ipsâ continentur, sed omnia in Scripturâ contenta sunt propriè & immediatè de Fide, ergo & illa omnia quæ definit Ecclesia. Idem docet S. Augustinus loco supra num. 3. citato: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ auctoritas me moveret.* Tandem, sicut non potest solvi Scriptura, ita Fide certum est Ecclesiam in suis definitionibus errare non posse. *Dictum S. Augustini circa auctoritatem Ecclesiæ.*

Hæc veritas, auctoritatem scilicet Ecclesiæ esse ipsum testimonium Dei, & sacræ Scripturæ parem, ulteriùs ostenditur ex illo Matth. 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est, super Petrum ejúsque successores. Petri ergo ejúsque successorum auctoritate nititur Fides nostra, quæ proinde auctoritas, divina sit necesse est. Hinc Patres in Concilio Chalcedonensi, actione 2. lectâ Leonis primi Epistolâ acclamarunt: *Petrus per os Leonis locutus est.* Sicut ergo Petrus per os Leonis, ita Christus per os Petri est locutus, sicque in omnes Petri successores divina in definiendo docendóque auctoritas est transfusa.

XI. *Probatur ulterius auctoritatem Ecclesiæ esse testimonium divinum.*

Concludo itaque insigni testimonio S. Augustini, qui de utilitate credendi, cap. 14. de Ecclesiæ ejúsque procerum docendo auctoritate sic loquitur: *Cur non apud eos potissimum diligentissimè requiram quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid utile præcepisse jam credidi.* Postea etiam in hanc eandem rem sic de Ecclesiâ subjungit: *Si illa deficeret, nec me quidquam docere posset; multò facilius mihi persuaderem Christo non esse credendum, quàm de illo quicquam nisi ab iis, per quos ei credidissem, discendum.* En qualem de Ecclesiæ auctoritate conceptum formaverit S. Augustinus. XII. *Quam de auctoritate Ecclesiæ opinionem habuerit S. Augustinus.*

SECTIO SECUNDA.

Argumentorum quorundam solutione magis declaratur quomodo auctoritas Ecclesiæ sit testimonium Dei.

OBJICIT primò P. Granado 1. p. Disp. 3. Sect. 2. num. 13. cum aliis. Actus Fidei est ille tantùm qui elicitur propter auctoritatem divinam, seu quo aliquid creditur quia id Deus revelavit; sed prædictæ propositiones, quæ eliciuntur propter auctoritatem Ecclesiæ non sunt hujusmodi; ergo. Quare Molina 1. p. q. 1. a. 2. Conclusiones ex unâ præmissâ de Fide & aliâ naturali evidente elicitas ait non esse de Fide, etiamsi ab Ecclesiâ sint definitæ, sed manere in inferiore gradu certitudinis, quod mirandum est, inquit Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 11. num. 3. I. *Objic. hujusmodi propositiones non elici propter auctoritatem divinam.*

Ad argumentum itaque negatur propositiones quæ eliciuntur propter auctoritatem Ecclesiæ, non elici propter auctoritatem divinam, Deus siquidem nobis verè & propriè loquitur per Ecclesiam, & hujuscemodi conclusio, postquam per Ecclesiam definitur, est formaliter de Fide, non mediatè tantùm, sed immediatè, quod enim Ecclesia definit, Deus per eam dicit & testificatur, sicque propriè statuitur sub objecto formali Fidei, ut latiùs ostensum est Sectione præcedente. II. *Actus ob auctoritatem Ecclesiæ elicite eliciuntur propter auctoritatem divinam.*

Loquitur ergo nobis Deus per Ecclesiam tanquam per instrumentum suum, non minùs quàm per canonicos Scriptores, si rei definitæ substantiam spectemus, non quoad rationes & argumenta, quæ sæpè definitioni adjunguntur. Hic etiam Patres dum in Concilio aliquid decernunt, III. *Differentia inter modum, quo Deus per canonicum scriptorem loquitur, & per Ecclesiam.*

Tom. II. industriâ ac studio utuntur, ut ex Scripturis, Traditionibus, aliisque antea sancitis definitiones suas eruant, cùm tamen canonici Scriptores nullam hujusmodi industriam circa propositiones, quas scriptas relinquunt, adhibeant, sed cælesti quadam vi, & ex immediatâ Dei revelatione omnia tradant, fidelibúsque credenda proponant. Has ob causas Scriptura sacra simpliciter & antonomasticè Verbum Dei appellatur, reipsa tamen & quoad certitudinem, Ecclesiæ definitiones sunt Scripturæ assertionibus pares, & tota differentia est accidentalis, & quoad modum, non quoad substantiam juxta jam dicta, ut optimè declarat Bellarminus lib. 2. de Concil. c. 12. & Valentia hic, p. 7. §. 48. Verum est quidem non posse Ecclesiam capitales, ut aiunt, veritates definire, sed illas solummodo, quæ antea erant mediatè revelatæ, quæque ex iis, quæ ab Hagiographis sunt tradita, eruuntur: Unde quæ ab Ecclesiâ decernuntur dici nequeunt novi articuli, sed ex iis, quæ priùs à canonicis scriptoribus erant proposita, deducti.

Definitiones Ecclesiæ tam sunt Verbum Dei quoad substantiam, quàm scriptura.

IV. Objiciunt secundò: nihil cadit sub objectum formale Fidei, quod non est revelatum immediatè, nec sufficit quod per legitimam consequentiam ex principio aliquo revelato deducatur, sic namque conclusio omnis Theologica esset actus Fidei, atque ita Theologia & Fides non distinguerentur. Respondetur, rem illam, quæ ante definitionem Ecclesiæ erat mediatè tantùm revelata, sicque materia apta conclusionis Theologicæ, seu quæ ex uno principio revelato & altero evidente naturali per argumentationem deduceretur, ubi tamen accessit definitio Ecclesiæ, jam est materia Fidei, utpote à Deo per Ecclesiam loquente, revelata immediatè & proximè.

Res quæ ante definitionem Ecclesiæ erat materia conclusionis Theologicæ, post hanc definitionem est materia Fidei.

V. Objiciunt tertiò: Si per Ecclesiam hoc modo definientem Deus loquatur, ergo novæ jam fiunt revelationes, quibus illustrata Ecclesia decreta sua condit, ac veritates fidelibus credendas proponit. Quoad hoc nonnulli affirmant novas identidem Ecclesiæ à Deo fieri revelationes, ita Smisinus quæst. 1. procem. num. 23. Alii quæstionem esse putant de nomine, dicine possit Ecclesiam habere novas revelationes. Mihi verò distinguendum videtur: si itaque per novas revelationes intelligantur veritates aliquæ ab iis, quæ ab Hagiographis in Scripturâ traditæ sunt planè diversæ, nullámque cum illis habentes connexionem, hoc inquam sensu nego novas hodie fieri Ecclesiæ revelationes, quicquid enim jam ab Ecclesiâ definitur, ad articulos olim ab Hagiographis traditos spectat, & circa doctrinæ ab ipsis nobis relictæ declarationem versatur, ex quâ doctrinâ veritates omnes, quas Ecclesia definit, ut diximus, eruuntur: quo sensu num. 3. diximus Ecclesiam non posse definire articulos seu veritates capitales.

Dicine possit novas à Deo fieri hodie revelationes Ecclesiæ.

Novas habet Ecclesia revelationes, non simpliciter, sed secundùm quid.

VI. Si autem per novas revelationes intelligat quis illuminationem, seu illustrationem à Deo immissam ad ea etiam definienda, quæ mediatè in veritatibus jam revelatis sunt tradita, & ex iis deducuntur, vel ad earum explicationem ac declarationem pertinent, hoc sensu dici potest Ecclesia habere novas revelationes; à Deo namque in his suis definitionibus regitur, qui nimirum ea, quæ decernenda sunt suggerit, specialémque ei assistentiam præbet, ita ut errare non possit. Ut ergo verbo concludam, Ecclesia non habet novas revelationes simpliciter, sed solùm secundùm quid, ut jam declaratum est.

Deus Ecclesiæ suggerit ea quæ definiuntur.

Hinc cessat differentia illa, quam statuunt Molina & Granado citati inter definitiones Ecclesiæ, nempe illas esse de Fide, quibus asserit aliquid esse immediatè revelatum à Deo: quando verò aliquid definit solùm ut illatum ex principiis revelatis, assensus ille, inquiunt, non est assensus Fidei, nec per habitum Fidei elicitur, sed est merè discursus seù conclusio Theologica, & hac tantùm ratione vult Molina in sextâ Synodo definitum esse, duas in Christo Domino dari voluntates, aut operationes. Hoc tamen inter has definitiones discrimen nullum est, quâ enim cunque ratione aliquid definit Ecclesia, redditur de Fide; jam namque illud immediatè per Ecclesiam tanquam instrumentum suum loquitur & revelat Deus, sicque est propriissimè de Fide. Unde licèt ante dictam definitionem elici circa rem illam poterant discursus tantùm Theologici, positâ tamen Ecclesiæ definitione, elici possunt actus Fidei, ut hac, & præcedente Sectione est ostensum.

VII. *Quacunque ratione aliquid definit Ecclesia, reddit illud de Fide.*

Circa quod antè solùm elici poterat discursus Theologicus, jam elici possunt actus Fidei.

VIII. Objiciunt quartò: Potestas legislativa Ecclesiæ, quamvis à Deo derivata, est nihilominus potestas seu auctoritas creata, & in Ecclesiâ ut in agente principali residens; ergo idem dicendum de potestate definitivâ, per quam res varias declarat, & fidelibus proponit. Negatur tamen consequentia: Ecclesia siquidem, ut hac & præcedente Sectione declaravimus, est instrumentum, quo Deus loquitur, & credenda nobis proponit. Dum autem Ecclesia leges condit, agit in virtute propriâ, & ut causa principalis, quamvis, ut dixi, hanc virtutem cælitus acceperit, à Deo scilicet sibi communicatam.

Objic. potestas legislativa Ecclesiæ est creata, ergo & potestas definitiva.

IX. Objiciunt quintò: Deus Sanctis quibusdam scribentibus peculiariter astitit, uti Sancto Gregorio, qui propterea cum columbâ pingitur, ejus auri affidente: horum tamen scriptionem nullus putat esse canonicam, aut divinam, ergo peculiaris Dei assistentia respectu Ecclesiæ non arguit ejus auctoritatem esse divinam. Sed contrà, etiam secundùm adversarios Ecclesiæ definitiones ac scita sunt omnino certa & infallibilia, quod tamen de horum Sanctorum scriptis, ut privati Doctores erant, ipsi non affirmabunt; ergo secundùm omnes diverso modo Ecclesiæ in definiendo assistit Deus, & hisce Sanctis in scribendo. Dico itaque assistentiam Dei peculiarem respectu illorum in eo ad summum fuisse, quòd Deus quoad generalia quædam principia eos illuminaverit, integrum nihilominus iis permittendo, ut ex iis verum deducerent, vel contrarium. Aliâ autem longè ratione assistit Deus Hagiographis & Ecclesiæ.

Quid sanctit quibusdam in scribendo peculiaris Dei assistentia contulerit.

In quo hæc Dei respectu Sanctorum assistentia sita fuerit.

X. Objiciunt sextò: Contingere potest ut Patres in Concilio collecti veritates definiendas interdum non penetrent, nec sciant antecedenter se vera definire; quo pacto ergo habent infallibilem Dei assistentiam. Respondetur assistentiam hanc non pendere à privatâ eorum scientiâ & eruditione, sed quantumvis rudes sint & imperiti, rerúmque divinarum ignari, illorum definitiones sunt omnino certæ & infallibiles; in rebus enim istis non tam suis oculis vident, quàm alienis, ut ita dicam, Dei scilicet sapientiâ, qui hîc omnia regit ac moderatur. Imo ulteriùs etiamsi essent homines pravi ac perversi, malâque intentione decreta sua ac definitiones facerent, animo scilicet decipiendi, & homines in errorem inducendi, nihilo tamen secius hæ eorum definitiones forent certæ & infallibiles; per ipsorum

Auctoritas Ecclesiæ non dependet à scientiâ vel bonitate definientium.

Nulla definientium malitia quidquam officit infallibilitati decretorum.

ipsorum enim os loquitur ille, qui nec fallere potest, nec falli, nec eos permittet quidquam falsi, ut velint, decernere.

XI. *Ad verè & infallibiliter definiendum non requiritur ut sciant se vera definire.*

Nec etiam obstat, quod in argumento opponebatur, fieri posse ut nesciant se vera decernere, hoc enim nil impedit veritatem & infallibilitatem decretorum: sicut si humanitas aliqua nesciens uniretur Verbo divino, semper vera diceret, idque infallibiliter, quamvis nesciret ea, quæ dicit esse infallibilia, utpote quæ, ut dixi, ignorat se esse unitam Verbo. Quod hîc per unionem intrinsecam facit Verbum divinum, illic præstat extrinseca divini Numinis assistentia, quâ moderatrice nihil nisi sanctum fieri, nihil nisi verum, certum, & infallibile sanciri potest.

SECTIO TERTIA.

Sitne Ecclesiæ propositio ad singulos actus Fidei necessaria.

I. *Status præsentis difficultatis.*

DIximus Ecclesiæ auctoritatem esse divinam, omninóque certam & infallibilem, ipsarúmque divinarum literarum testimonio parem, utpote per quam loquitur nunc Deus *sicut* olim *locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus*, eáque ut instrumento suo utitur ad res Fidei nobis proponendas. Præsens ergo quæstio est, quo pacto Ecclesiæ auctoritas & propositio sit ad actus Fidei eliciendos necessaria. Sermo autem est de actibus Fidei Catholicæ, seu publicæ & universalis, atque ab omnibus amplectendæ, privatam quippe revelationem ad actum Fidei eliciendum sufficere fusè ostensum est Disputatione præcedente, Sectione quartâ.

Sermo est de actibus Fidei Catholicæ, seu universalis.

II. *Ad aliquos articulos Fidei Catholicæ non est necessaria propositio Ecclesiæ.*

Prima conclusio: indubitatum videtur, ad aliquos articulos Fidei, etiam Catholicæ & universalis non requiri propositionem Ecclesiæ. Ratio est, quivis enim, etiam inter barbaros enutritus, qui proinde nihil de Ecclesiâ, ejúsque auctoritate aut propositione audivit, credere potest Deum esse, & remuneratorem esse, idque Fide divinâ; semper namque adest auxilium supernaturale sufficiens ad hujusmodi actus eliciendos, ut tomo primo latè probavi contra Jansenium, Disp. 38. Sect. 4. & sequentibus.

III. *Cœlum, sydera, universi, creatio Ethnicis sunt loco prædicatorum.*

Ethnicis ergo hæ veritates seu articuli, non ab Ecclesiâ, cujus nullam habent notitiam, sed à cœlo, quod enarrat gloriam Dei, stellis, universique structurâ, tot denique támque diversarum rerum ordinatissimâ serie: ab illis inquam hæc iis proponuntur, esse scilicet summum aliquem sapientissimúmque horum omnium opificem, quique illa etiamnum administrat, & summâ curâ ac providentiâ moderatur, cui etiam honor & cultus est debitus, qui denique hominum actiones intuetur, præmiúmque illis ac pœnam pro earum diversitate decernit.

IV. *Deus hæc ad divinitatem suam nobis manifestandam ordinavit.*

Pulcherrimum D. Prosperi effatum.

Hæc itaque illis sunt prædicatorum loco, & ad dicta mysteria iis proponenda sunt à Deo instituta, qui proinde ea credunt tanquam à Deo per isthæc sibi revelata: Deus enim ad hunc finem illa ordinavit, ut nimirum divinitatem ejus & providentiam nobis manifestarent. Hinc Actor. 14. vers. 16. vocantur *Dei testimonium*. In quam rem celebre est dictum illud S. Prosperi lib. 2. de vocatione Gentium, cap. 4. *Quod est*, inquit, *hoc testimonium, quod semper Domino servivit, & nunquam de ejus benitate & potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, & voluminibus temporum communis ac publica divinæ institutionis doctrina legeretur.* Hæc ille.

V. *Omnia sine Ecclesiæ directione ac propositione cognosci seu credi nequeunt.*

Hinc tamen non sequitur posse homines jam articulos quoscunque sine Ecclesiæ propositione credere; quamvis enim mysteria aliqua faciliora sine eâ tanquam regulâ ac directrice assequi possint, aliqua nihilominus alta adeo ac difficilia sunt, ut sine luce ac duce infallibili, qualis est Ecclesia, ad hoc scilicet à Deo peculiariter instituta, ad illorum cognitionem pertingere nequeant, qualia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c. Deinde, quòd hi determinatè sint libri canonici, nec plures nec pauciores, quod hic sit sacræ Scripturæ sensus, quis ex effectis naturalibus, universique fabricâ eruerit? Cùm ergo ad Fidem divinam requiratur, ut in voluntate præcedat prudens acceptatio rei, quæ credenda proponitur, hoc respectu horum & similium articulorum haberi aliunde non potest, quàm ex propositione infallibili Ecclesiæ; motiva enim credibilitatis, non ad hæc & hujusmodi mysteria, quæ abdita planè sunt, & incognita deserviunt, sed ad generalia tantùm principia, cognitúque faciliora, præcipuè verò ad agnoscendam auctoritatem Ecclesiæ, quâ agnitâ, cætera, quæ magis recondita sunt, per eam ut per regulam & directricem addiscuntur. Hactenus de Ethnicis.

Prudens horum articulorum acceptatio haberi nequit sine propositione Ecclesiæ.

VI. *Ecclesiæ auctoritas ad plurimos articulos credendos fidelibus est necessaria.*

Secunda conclusio: in hoc rerum statu adeo necessaria est auctoritas infallibilis, & propositio Ecclesiæ, ut sine illâ nequeant fideles ea omnia credere, quæ in Ecclesiâ Catholicâ credenda proponuntur. Hæc conclusio statuitur contra hæreticos, apud quos nihil usitatius quàm Scripturam sacram, seu Verbum Dei scriptum sufficere ad res omnes Fidei, quæque circa eas oriuntur controversias definiendas, nec alium controversiarum judicem esse necessarium: ita Lutherani, Calvinistæ & Zuingliani, qui ut judicium Ecclesiæ subterfugiant, divinas literas hujusmodi rerum judicem appellant, quamvis posteriores hæretici hunc loquendi modum parum congruum esse animadvertentes, cùm sola persona, seu natura intelligens judex propriè dici possit, Spiritum Sanctum judicem, Scripturam verò sacram, non judicem, sed vocem judicis esse affirmant.

VII. *Cùm Scriptura sit obscura, non est illa per se apta ad controversias dirimendas.*

Hic hæreticorum error latiùs postea refutabitur, & à rerum circa Fidem controversarum scriptoribus plenus de eo institui tractatus solet. Nunc contra eum est breviter: vox namque, per quam controversiæ dirimuntur, clara esse debet & aperta; si enim dubia sit & obscura, nullus erit lites, quæ inter diversas partes oriuntur, componendi modus: jam verò, ut est manifestum, Scriptura est obscura; unde viri etiam doctissimi illius sensum in multis non assequuntur, sicque videmus illam quotidie in utramque partem afferri, aliáque & alia illius testimonia pro diversis & oppositis etiam sententiis citari, ac litigantes ex æquo sibi persuadere à se stare Scripturam: per illam ergo solam lites, quæ innumeræ indies nascuntur, nunquam decidentur, sed viva aliqua regula requiritur, quæ res controversas clarè definiat, veráque à falsis secernat, & hoc pacto silentium litigantibus imponat.

Ostenditur necessitas vivi judicis, seu regulæ animatæ.

Tom. II.

VIII. *Quanam sit vera Scriptura, decerni sine regulâ vivâ non potest.*

Adde (ut contra Manichæos argumentatur S. Augustinus) sine vivâ aliquâ regulâ sciri non posse quænam sit vera Scriptura, & cur exempli gratiâ Evangelium S. Matthæi admittendum potiùs sit pro doctrinâ canonicâ, quàm Nazaræorum. Alia in rem hanc adduci possunt, sed suo loco commodiùs proponentur.

IX. *Propositio Ecclesiæ, ubi ejus auctoritas cognoscitur, sola sine aliâ propositione ad Fidem deservit.*

Hanc itaque sententiam, infallibilem scilicet Ecclesiæ propositionem esse communiter ad actus Fidei eliciendos necessariam, tenet Valentia hîc, Conclusione tertiâ, Lorca hîc, Disp. 3. & alii, videturque mens S. Thomæ 2. 2. quæst. 5. a. 3. Imo existimo cum quibusdam recentioribus, quamvis, ut num. 2. & 3. ostendi, illi, quibus Ecclesia ejusque auctoritas non est cognita, veritates aliquas Fidei credere potuissent ob alia Dei testimonia, cœlum videlicet sidera, &c. eum tamen, cui Ecclesiæ auctoritas innotuit, non posse ullum omnino articulum nisi ob illius propositionem & auctoritatem credere fide divinâ, quacunque demum ratione hæc Ecclesiæ propositio concurrat, sive ut objectum formale, sive ut mera conditio: de quo Sect. sequente. Hoc verò intelligi debet per se loquendo, & in primâ Fidei acceptatione, ut postea ostendetur.

X. *Ostenditur Ecclesia propositionem, iis qui Ecclesiam norunt esse ad credendum necessariam.*

Ratio assertionis est: Ecclesia siquidem, ut diximus, data est pro regulâ vivâ ac directrice respectu earum rerum, quæ credendæ proponuntur, quam proinde audire nos jubet Deus, ejusque dictis obtemperare: parum ergo prudenter, ne dicam temerè procederet is, qui hac regulâ tam certâ & perspicuâ, quæque peculiariter nobis à Deo ad hoc munus datur, relictâ, aliam sequeretur; sicque verisimile est Deum concursum supernaturalem ei, qui hoc modo procedit, ad actus Fidei eliciendos non daturum, sed naturalem tantùm, & cum aliis rebus communem; quamvis supernaturalem ei concursum daret, si Ecclesiæ auctoritas ei esset incognita, ut jam dictum est. Hoc docere videtur S. Augustinus libro de utilitate credendi, cap. 10. his verbis: *Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt; tunc autem adest, si societatis humanæ in Deum tendentibus cura sit.*

S. Augustinus tom. 6.

SECTIO QUARTA.

Quo pacto ad assensum Fidei concurrat auctoritas divina Ecclesia.

I. *Notanda duplex Ecclesiæ auctoritas, humana & divina.*

RECOLENDUM quod supra Sectione primâ, num. 2. & 3. latè declaravi, auctoritatem Ecclesiæ esse duplicem, *humanam*, quatenus scilicet illi, qui aliquid proponunt vel definiunt, sunt homines prudentes, sancti, literati, aliisque eximiis vel naturæ vel gratiæ dotibus ornati: & *divinam*, quæ in perpetuâ Spiritus Sancti assistentiâ sita est, per quam planè redditur infallibilis, scitâque ejus omnia ac definitiones veritatem habent omnino indefectibilem, summámque certitudinem. De secundâ auctoritate agemus hac Sectione, de primâ sequenti.

II. *Auctoritas divina Ecclesia potest esse objectum formale Fidei.*

Dico primò: divina Ecclesiæ auctoritas potest esse objectum formale Fidei. Ad probationem notandum ex communi, & à Philosophis omnibus admissâ doctrinâ, quam declaravi Disput. 2. Logicæ, Sect. 1. Objectum formale illud esse tum respectu voluntatis, tum intellectus, propter quod aliud amatur vel cognoscitur: sic sanitas est objectum formale respectu potionis amaræ, præmissæ respectu conclusionis, hæc namque propter præmissas cognoscitur, illa amatur seu eligitur propter sanitatem. Cùm ergo, ut totâ hac Disputatione ostendimus, hæc auctoritas sit planè infallibilis, & Verbum Dei, Deus namque per Ecclesiam tanquam per instrumentum suum loquitur, nil obstat quo minùs in eâ ut in objecto formali nitatur Fides.

III. *Hæc Ecclesiæ auctoritas non est mera conditio, sed objectum formale.*

Dico secundò: auctoritas divina Ecclesiæ de facto est ut plurimum objectum formale respectu actuum Fidei, & non mera conditio: ita Lorca hîc, Disp. 3. Stapletonus in Doctrinali, Controver. 4. quæst. 3. art. 2. & quæst. 1. a. 1. & alii. Ratio est, inprimis namque auctoritas Ecclesiæ est certa & infallibilis, ipsâque locutio Dei, ut ostensum est, deinde ita connexa est cum objecto materiali, seu mysterio quod credendum proponitur, ut quisquis eam rectè penetrat, objecto propter illam assentiatur, ita nimirum ut hæc auctoritas eum moveat, & influat in assensum, intellectum ad eum inducendo, & non merè se habeat sicut applicatio ignis respectu combustionis ligni vel stuppæ, quæ in combustionem nullo modo influit. Credunt ergo homines hoc vel illud mysterium ob auctoritatem Dei loquentis per Ecclesiam, seu per hoc determinatum organum, quæ proinde auctoritas simul cum veracitate Dei integrat unam rationem motivam assensus, & cum eâ constituit objectum formale Fidei.

Auctoritas Ecclesiæ integrat unum objectum formale cum veracitate Dei.

IV. *Major ratio est cur auctoritas Ecclesia sit objectum formale Fidei, quàm auctoritas canonici scriptoris.*

Confirmatur; si enim, ut etiam admittunt ii, qui in contrariâ sunt sententiâ, auctoritas canonici scriptoris constituat simul cum auctoritate Dei objectum formale Fidei, multò magis id præstabit auctoritas divina Ecclesiæ, utpote quæ longè clariùs Deum loquentem manifestat, tum quia est organum vivum, quodque, ut supra vidimus, alia organa diludicat, ejusque calculo deciditur, quinam Scriptores sint Canonici, qui non sint: tum quia Ecclesia est organum, quod faciliùs dignoscitur, sicque ejus propositio tam mysterii credendi, quàm divinæ veracitatis ut cum eo conjunctæ, multo faciliùs influit, movétque ad actum Fidei eliciendum. Hinc, ut supra dictum est, S. Augustinus ob auctoritatem Ecclesiæ ait se credere Evangelio. Est etiam hæc sententia S. Thomæ, nam quæst. 5. art. 3. docet objectum formale Fidei esse primam veritatem secundùm quod manifestatur in sacris Scripturis & doctrinâ Ecclesiæ.

Ecclesia est organum aptissimum ad actus Fidei eliciendos.

V. *Auctoritas Ecclesiæ in primâ Fidei acceptatione maximè est necessaria.*

Addo nihilominus, hæc de primâ articulorum Fidei propositione esse ut plurimum intelligenda; ubi enim quis semel ob auctoritatem Ecclesiæ acceptavit Scripturam, poterit postea ob Scripturæ auctoritatem credere mysteria in eâ contenta. In hoc tamen etiam casu creditur virtualiter ob auctoritatem Ecclesiæ tanquam ob objectum formale: quamvis namque explicitè tunc & in actu signato non feratur in Ecclesiam, exprimâ tamen Scripturæ acceptatione propter Ecclesiam manet etiamnum in mente quædam illius recordatio tanquam semen ex illo actu relictum, virtute cujus concipit semper aliquo modo Scripturam ut per Ecclesiam acceptatam, sicque quicquid jam in hoc genere fit, fit virtualiter ob Ecclesiam, & illius auctoritas in omnes hosce fidei actus influit. Rem hanc benè explicant aliqui exemplo intentionis alicujus finis, cujus sola memoria, quamvis intentio iterum non renovetur, sufficit ad media eligenda, quod nihilominus fit in virtute intentionis priùs habitæ. Quare in his etiam actibus

Omnes actus Fidei jam, saltem virtualiter eliciuntur ob auctoritatem Ecclesiæ.

bus credendi, ultima Fidei resolutio fit in auctoritatem Dei ut loquentis per Ecclesiam, cùm non alio modo hîc credat quis Scripturæ, rebúsque in eâ contentis, nisi quia Deus per Ecclesiam dicit hanc esse veram Scripturam.

VI. *Differentia inter motiva credibilitatis & auctoritatem Ecclesiæ.*

Objicies primò: motiva credibilitatis actum Fidei antecedunt, & tamen ad eum non concurrunt ut objectum formale; ergo quantumcunque auctoritas Ecclesiæ assensum Fidei præcedat, non sequitur illam esse objectum formale. Respondetur motiva credibilitatis remotè tantùm ad assensum Fidei concurrere, quatenus scilicet suâ probabilitate movent voluntatem ut prudenter imperet intellectui ad assentiendum mysterio sic proposito, & actum Fidei circa illud eliciat. Secus res se habet in auctoritate Ecclesiæ; hæc enim connexionem infallibilem & metaphysicè certam habet cum re, quæ credenda proponitur, intellectúmque immediatè movet, idque eâ firmitate, ut articulo illi absque omni dubitatione assentiatur, & in eo firmus ac fixus sine hæsitatione persistat. Hoc verò habet, non ex connexione ullâ intrinsecâ cum rebus creditis, sed merè per assistentiam Spiritus Sancti per quam summam obtinet certitudinem, & evadit in auctoritatem divinam.

Motiva credibilitatis mediatè, auctoritas Ecclesiæ immediatè movet intellectum.

VII. *Quid de iis rebus dicendum, quas tantùm docet Ecclesia contineri in Scripturâ.*

Objicies secundò: nonnulla in Scripturâ continentur, quæ non sunt per Ecclesiam revelata, sed solùm dicit Ecclesia, illa contineri in Scripturâ; ad hortum ergo assensum non concurrit auctoritas Ecclesiæ, cùm per eam de his non loquatur Deus, & consequenter illa non est ejus hac in parte instrumentum. Respondetur primò: propterea in conclusione, num. 3. me dixisse auctoritatem Ecclesiæ ut plurimum esse objectum formale Fidei: & per se loquendo ita semper contingit, quamvis per accidens interdum contrarium possit accidere. Secundò dico juxta supra dicta, Ecclesiam librum canonicum approbando approbare ea omnia, quæ in illo continentur, unde Ecclesia dicendo hoc vel illud à tali libro canonico affirmari, dicit affirmari à seipsâ: quare si resolvatur propositio, recidet in auctoritatem Ecclesiæ, & sensus est, credo Christum à Joanne Baptizatum esse, aquam in vinum convertisse, &c. quia Deus per Ecclesiam dicit se hoc dixisse.

Per accidens potest aliquid credi sine auctoritate Ecclesiæ.

VIII. *Eadem est difficultas quando unus scriptor canonicus asserit aliquid dictum esse ab alio.*

Eodem modo contingit quando unus scriptor canonicus affirmat aliquid dictum esse ab alio, ut Act. 2. dicitur, carnem Christi mansisse in sepulchro incorruptam, quia Deus Psalmo 15. id ante asseruit: in hoc casu non negabunt adversarii sensum hujus propositionis esse, Credo carnem Christi fuisse incorruptam, quia Deus affirmat se id antea dixisse. Sicut ergo hîc utriusque scriptoris canonici auctoritas concurrit ad credendum carnem Christi fuisse incorruptam, ita ibi simul cum auctoritate Scripturæ concurrit auctoritas Ecclesiæ, & faciunt unam revelationem totalem, quemadmodum contingit in revelatione externâ, internâ, & veracitate Dei, ex quibus unum integratur objectum formale respectu actus Fidei, ut in superioribus ostensum est.

IX. *Unus actus Fidei non est ratio formalis respectu alterius, sicut est auctoritas Ecclesiæ.*

Objicies tertiò: actus Fidei circa unum objectum potest disponere ad alium actum Fidei circa aliud, ut Fides de omnipotentiâ ad actum, quo credimus tale miraculum esse à Deo factum, & tamen prior actus Fidei non est ratio formalis respectu secundi, sed tantùm quædam dispositio, ergo idem dicendum de auctoritate Ecclesiæ. Respondetur actum illum fidei disponere quidem ad actum quo quis credit miraculum, concurrit verò ad illum actum facilitando tantùm, seu viam ad eum sternendo, at verò infallibilis auctoritas Ecclesiæ ad actum Fidei concurrit tanquam aliquid, cui actus in suâ firmitate innititur veluti fundamento ad eam necessario, à quâ nimirum infallibilitatem haurit & summam certitudinem, quod arguit auctoritatem illam esse objectum formale actuum Fidei, ut fusè declaratum est suprà.

Objicies quartò: Ecclesiæ auctoritatem credimus ob Scripturam docentem eam esse infallibilem, ergo non possumus propter Ecclesiam credere Scripturam, sic namque fieret circulus vitiosus. Respondetur, per Scripturam quidem probare nos auctoritatem Ecclesiæ contra hæreticos, & eos, qui admittunt Scripturas; primò autem Ecclesiam acceptamus & probamus ob motiva credibilitatis, ut postea dicetur.

X. *Per quid primò probetur auctoritas Ecclesiæ.*

SECTIO QUINTA.

Qua ratione auctoritas humana Ecclesiæ ad actus Fidei concurrat.

I. *Status præsentis quæstionis.*

DIXIMUS auctoritatem divinam Ecclesiæ esse objectum formale Fidei, & non meram conditionem: nunc de humanâ ejus auctoritate inquirendum, prout nimirum Ecclesia est cœtus hominum summâ sanctitate, sapientiâ, eruditione, & aliis tum naturæ tum gratiæ dotibus ornata, seclusâ tamen Spiritus Sancti assistentiâ, hæc enim divinam ejus auctoritatem constituit. Quærimus itaque Utrùm humana etiam hæc Ecclesiæ auctoritas constituat objectum formale Fidei, sicut divinam diximus constituere.

II. *Docent alii qui auctoritatem humanam Ecclesiæ esse objectum formale Fidei.*

Prima sententia, quam nonnulli tenent ex recentioribus, affirmat auctoritatem illam Ecclesiæ, prout nimirum est cœtus hominum prudentum, &c. esse objectum formale Fidei, & hanc eorum propositionem non extrinsecè tantùm, & per modum conditionis ad actus Fidei concurrere, sed intrinsecè ab iis attingi tanquam rationem formalem, in quam ferantur immediatè, & ultimò in eam resolvantur.

III. *Secundum hanc sententiam Fides non esset certa & infallibilis.*

Hæc tamen sententia ab aliis omnibus rejicitur; juxta hanc namque procedendi modum Fides non esset certa & infallibilis, cùm enim hoc habeat ab objecto formali intrinseco, majorem ab eo firmitatem haurire nequit quàm illud in se continet, hoc autem objectum formale, hæc inquam Ecclesiæ auctoritas non continet in se infallibilitatem, humana enim cùm sit, aliam conferre non potest firmitatem quàm humanam, hoc est infirmam, seu errori & fallibilitati obnoxiam, quæ longè abest à certitudine illâ summâ, & omnimodâ infallibilitate, quam Fidei Patres & Theologi ascribunt.

IV. *Secunda sententia est propositionem humanam conferre infallibilitatem.*

Secunda itaque sententia docet humanam auctoritatem Ecclesiæ conferre infallibilitatem actui Fidei, non præcisè ex se, sed quia spectat ad veracitatem Dei ne permittat falsum aliquid suo nomine proponi ut credibile, sicut patrare nequit Deus miraculum in confirmationem falsi, sic enim ipse illius falsitatis auctor censeretur. Imo idem dicunt hujus sententiæ auctores de propositione parochi, eam scilicet, dum is in rebus

Tom. II.

rebus Fidei quemquam instruit, esse infallibilem.

V. *Nil obstat quo minùs possit Deus permittere ut aliquis falsum apparenter proponat.*

Hæc nihilominus sententia mihi nullo modo videtur approbanda: quamvis namque Deus patrare non possit miraculum in confirmationem falsi, sic enim positivè ad illud, hominésque in errorem inducendos concurreret, nil tamen vetat quo minùs falsum ab alio proponi permittat, hoc siquidem non Deo, sed hominis illius malitiæ, vel insciti tribueretur: sicut quamvis Deus peculiariter ad peccatum, speciali scilicet influxu, vel physico, determinando nimirum voluntatem; vel morali, suadendo videlicet aut alliciendo concurrere nequeat, permittere nihilominus peccata potest, nec in eo quidquam est, quod infinitam ejus bonitatem dedeceat.

VI. *Contingere potest, ut quis nomine Dei credendum proponat aliquid non revelatum.*

Impugnatur ergo hæc sententia primò: contingit frequenter, vel saltem potest contingere, ut parochus rem non revelatam, aut etiam falsam nomine Dei proponat pro revelatâ & verâ, ergo permittere potest Deus ut puero aut rustico, dum instruitur, falsum Dei nomine credibiliter proponatur, & tamen in hoc nihil est contra veracitatem Dei.

VII. *Viteriùs editur propositionem parochi non esse infallibilem.*

Præterea, si propositio parochi sit infallibilis in rebus ad Fidem spectantibus, ita ut errare hac in re non possit, quot parochos tot habebimus summos Pontifices, cùm secundùm hanc sententiam non minùs infallibilis sit parochus in rebus Fidei proponendis, quàm Pontifex. Imò idem dicendum videtur de concionatoribus; hi enim nomine Dei populum instruunt, & mysteria Fidei proponunt, atque ad hoc ab Episcopis & parochis assumuntur, ut scilicet eorum loco hoc præstent. Addo, extendi hoc etiam debere ad parentes, cùm ad illos similiter pertineat munus liberos in rebus ad Fidem ac pietatem spectantibus instituendi: quis autem his omnibus infallibilem Spiritus Sancti assistentiam semper adesse asserverit? gratis sanè, nullóque fundamento id dixerit quisquis dixerit, ut jam ostendam.

Sequeretur concionatores esse in rebus Fidei infallibiles.

VIII. *Nullo fundamento dicitur parochum aut concionatorem non posse in rebus Fidei errare.*

Ulteriùs itaque inquiro, quibus nixi rationibus rem tam miram asserant hi auctores, teneri nimirum Deum ita concionatores omnes, parochos & parentes regere, ut nec per inadvertentiam, nec inscitiam, nec lapsum linguæ falsi aliquid in hoc genere proferant; quid inquam est, quod Deum ad hoc necessitet. Dices, ejus veracitas. Contrà, nihil veracitati ejus derogat, quòd parochum aut parentem errare permittat, sicut, ut supra dixi, nihil derogat bonitati quòd homines permittat peccare. Imo constat experientiâ concionatores interdum in rebus hujusce modi errasse, & vel ex ignorantiâ, vel aliâ ex causâ falsum docuisse. Confirmatur: jam enim si quis literarum rudis planè & ignarus in parochum aut concionatorem electus in pulpitum prosiliat, millies ab omni falsitate remotior erit, quàm si viginti annis mysteria Fidei in scholis auditoribus explicuisset, imo quot verba tot oracula proferet, & in difficillimas quasque Fidei quæstiones & controversias se ingeret, errorum & lapsuum securus. Hæc sanè mihi maximè videntur mira.

Mirum secundùm hanc sententiam parochorum & concionatorum privilegium.

IX. *Alius modus defendendi parochum in rebus Fidei proponendis*

Ab hac sententiâ, parochum scilicet in proponendo res Fidei esse infallibilem, nec quidquam nisi verum proponere posse, parum differre videtur modus procedendi Cardinalis de Lugo. Ait itaque Disp. 1. Sect. 6. & 7. motivum formale Fidei in quodam complexo consistere, ex revelatione scilicet præcedente Dei, & propositione parochi, ita ut hæc duo unum integrent objectum seu motivum actuum Fidei.

esse infallibilem.

Ratio ipsius est; hæc enim, inquit, propositio parochi, dum puerum aut alium instruit, est respectu illius qui instruitur loquela Dei, audiens siquidem parochum hoc vel illud mysterium Fidei nomine Dei proponentem, statim agnoscit inter hanc parochi & Dei loquelam connexionem maximam intercedere, imo esse moraliter eandem vocem seu loquelam ex Dei revelatione & propositione parochi compositam. Duobus ergo modis habere se ait propositionem illam parochi aut parentis, quatenus enim, inquit, causa est prudentis judicii de credibilitate rei propositæ, quodque movet voluntatem ad imperandum circa illam actum Fidei, est conditio: quatenus verò simul cum revelatione constituit moraliter loquelam Dei, est objectum formale Fidei. Hæc ille.

X. *Asserit instructionem parochi respectu ejus qui instruitur esse loquelam Dei.*

Verùm, præter ea, quæ contra præcedentem sententiam sunt allata, quæ omnia contra hunc procedendi modum vim habent, peculiariter contra hunc auctorem urget, quod non appareat unde hic rusticus tam claram in mente suâ formaverit ideam loquelæ divinæ, ut statim sine discursu, ut vult ille, auditâ voce parochi judicet eam esse locutionem Dei. Sed esto habeat ideam illam loquelæ divinæ, qua ratione audiens parochum loquentem, judicabit è vestigio eam esse loquelam Dei, quæ enim tam clara & manifesta inter loquelam Dei & loquelam parochi aut parentis similitudo; loquela siquidem Dei est infallibilis, utpote ab eo proveniens, in quem nec mendacium, nec error cadere possit, seu qui nec fallere potest, nec falli. Jam verò unde vel puer parentem, vel rusticus parochum præ aliis ita omniscium censebit, ut errare nequeat, aut tam sanctum, ut nolit aut non possit mentiri, præsertim cum eos cæterorum hominum in omnibus simillimos esse videant, imo moribus frequenter non ita integris, vitæque etiam subinde maximè profligatæ, erroríque ac deceptioni obnoxios, quique in variis rebus & fallantur identidem & fallant.

XI. *Non apparet unde rusticus tam claram in se formet ideam locutionis divinæ.*

Unde puer parentem aut rusticus parochum judicabit nec fallere posse, nec falli.

In hoc ergo maxima est inter vocem Petri, quem sæpiùs loquentem audivi, aut faciem ejusdem, quam aliquoties antea videram, & inter vocem Dei & parochi differentia; in illis enim casibus, cùm perfectas quis sibi vocis aut vultus Petri species ac notitiam comparaverit, nil mirum si auditâ denuo ejus voce, aut visâ perfectâ illius imagine dicat, hæc est vox & facies Petri, cùm sonus voci, imago faciei, quas antea audiverat ac viderat, sint simillima. At verò vox parochi à voce Dei immanè quantum discrepat, quanta inquam inter loquelam Dei summè veracis, qui nec falli ipse nec alios fallere potest, & loquelam parochi, hominis infirmi & ignorantis, decipiendique, omnis quippe homo mendax, capacis, est differentia, ut numero præcedente latiùs declaratum est: sanè si illa vox, quam alter audit, non esset similior voci Petri, quàm hæc voci Dei, non posset audiens, quantumcunque perfectam antè habuisset vocis Petri cognitionem, dicere, *hæc est vox Petri*: sicut nec conspectâ imagine dicere posset: *hic est Petrus*, in quâ pauca aut propè nulla Petri cerneret lineamenta.

XII. *Nil mirum, si quis sæpiùs Petrum viderit, quòd imaginem ejus videndo dicat, hæc est facies Petri.*

Vox parochi plurimùm differt à voce Dei.

Res hac ulteriùs exemplo declaratur.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Argumentorum quorundam solutione ostenditur vocem parochi non esse infallibilem.

I. *Dices, concionatores succedunt Apostolis, ergo habent assistentiam infallibilem.*

QUI vocem parochi mysteria Fidei, dum rusticum instruit, proponentis dicunt esse infallibilem, opponunt primò, Christum discipulos suos per totum orbem misisse ut ipsius nomine prædicarent, ejúsque testes essent, ac se cum illis ad consummationem sæculi futurum promisit: cùm ergo concionatores Apostolis in hoc prædicandi munere successerint, peculiarem etiam habebunt Dei assistentiam, sicut eam habuerunt Apostoli.

II. *Nonnulla à Christo peculiariter Apostolis sunt concessa.*

Respondetur, nonnulla in illis nascentis Ecclesiæ primordiis concessa fuisse Apostolis, ut meliùs adolesceret, firmiúsque ageret radices, quæ aliis, adultâ jam Ecclesiâ, & jactis Apostolorum operâ & prædicatione fundamentis; per se quodammodo subsistente, non sunt concessa. Sic Apostolis potestas jurisdictionis in totum orbem data fuit, quam nihilominus ne Episcopi quidem habent, qui propriè Apostolis succedunt, eorúmque loco substituuntur.

III. *Apostolorum successores non fuerunt eorum in omnibus hæredes.*

Licèt itaque hoc privilegio à Christo donati essent Apostoli, ut nec errare ipsi in rebus ad Fidem spectantibus, nec alios in errorem inducere possent, sicut à peccati omnis mortalis admissione erant immunes, non tamen sequitur hanc infallibilitatem, peculiarémque Dei in mysteriis Fidei proponendis assistentiam, eorum successoribus fuisse concessam, multo minùs concionatoribus; alioqui matribus etiam ac nutricibus concedi hoc deberet, cum & ipsæ pueros in rebus Fidei frequenter instruant. Addo, compertum esse, concionatores in hujusmodi rebus non semel errasse, coactósque fuisse falsam illam doctrinam retractare, & ex iis nonullos, dum obfirmato in erroribus suis animo persisterent, nec ad illorum retractationem induci ullo modo possent, à Fide defecisse. Dico ergo hanc Christi promissionem, non parochis aut concionatoribus in particulari, sed toti Ecclesiæ factam esse; ita nimirum ad finem usque sæculi cum illâ se futurum promisit Christus, ut eam errare nunquam sit permissurus.

In rebus Fidei non semel errarunt concionatores.

IV. *Quo pacto intelligenda sint illa Christi verba,* Qui vos audit, me audit.

Nec quidquam pro illâ sententiâ facit quod discipulis suis ait Christus Luc. 10. vers. 16. *Qui vos audit, me audit:* primò namque dici potest, per hæc verba non auditum Fidei intelligi, sed obedientiam erga Superiores, quibus dicto audientes esse debent subditi, iisque ad nutum obsecundare. Secundò, ut numero præcedente dictum est, his verbis denotari videtur obligatio uniuscujusque credendi toti Ecclesiæ repræsentativè sumptæ, seu pastoribus in Concilio generali sub capite Romano Pontifice congregatis, penes quos est potestas decreta & sanctiones circa res Fidei condendi, quibus proinde hac in parte non obtemperare, citra grave peccatum, nullus potest.

V. *Propositio parochi non attingitur intrinsecè ab actu Fidei, sed est mera conditio.*

Objicitur secundò: inducitur quis primò ad credendum ex propositione parochi, ergo propter illam credit, & consequenter est objectum formale, sicque non revelatio tantùm, sed etiam illa propositio ab actu Fidei attingitur. Negatur tamen hæc ultima consequentia, propositio enim illa est mera conditio, quæque ad assensum præviè requiritur, non intrinsecè ab eo attingitur; non enim ob aliud requiritur hæc parochi, vel etiam Ecclesiæ ut est cœtus virorum doctorum, &c. propositio; nisi ut excitentur species revelationis circa mysterium, quod credendum proponitur, reddaturque prudenter credibile; & hoc pacto moveatur voluntas ad assensum Fidei de illo imperandum.

VI. *Non quicquid ad actum aliquem requiritur, est objectum illius formale.*

Non ergo quicquid ad actum aliquem requiritur est motivum, seu objectum ejus formale, ut in variis exemplis constat: sic dum quis ex timore inferni imperat actum contritionis, hic actus quamvis ab illo imperante, qui pro objecto habet pœnas inferni, pendeat, non minùs quàm actus Fidei à propositione parochi, actus tamen contritionis pœnas illas non attingit, sed est dolor & detestatio peccati ob Deum summè dilectum; idem ergo est de assensu Fidei, qui quamvis supponat propositionem parochi, eam tamen non attingit.

VII. *Non repugnat actus, qui in propositionem parochi intrinsecè feratur.*

Quod si quæras, Utrùm saltem non possit dari actus, qui propositionem parochi, non pro merâ conditione habeat, sed illam etiam intrinsecè attingat: existimo nullam in hujusmodi actu esse repugnantiam; foret tamen simul actus fidei divinæ & humanæ; divinæ, quà in revelationem & auctoritatem Dei fertur; humanæ, quà fertur in auctoritatem parochi. Sicut in communi sententiâ Philosophorum, ut Disp. 50. Logicæ, Sect. 4. & 5. ostendi, dari potest actus, qui simul sit Fides, scientia, & opinio. Propositio ergo parochi respectu hujusmodi actus duobus modis se haberet; ut enim est actus Fidei divinæ, propositio parochi est mera conditio, ut jam ostensum est; quatenus autem est Fides humana, ad propositionem parochi terminatur ut ad objectum formale, eámque intrinsecè attingit. Utrùm verò talis actus esset certus & incertus, & alia hujusmodi, dictum est in Logicâ, loco proximè citato.

Hujusmodi actus esset simul Fides divina & humana.

VIII. *Cur peccet puer aut rusticus non credens parocho mysteria Fidei proponenti.*

Objicies tertiò: si propositio parochi non sit locutio Dei, quare ergo peccat rusticus aut puer, qui parocho mysteria Fidei proponenti non credit, nec enim Deo non credit, sed tantùm homini. Respondetur, quamvis per parochum Deus propriè non loquatur, sicque puer & rusticus dum parocho non credunt, dici propriè nequeant non credere Deo, peccant tamen, quia cùm sciant parochum ad hoc munus esse constitutum, ut eos in rebus Fidei instituat, ejus tamen dictis fidem non adhibent. Sicut in omni aliâ arte & scientiâ peccaret is, qui præceptori regulas ad artem illam addiscendam ei præscribenti non crederet. Applicat ergo parochus revelationem & testimonium Dei, cui hoc modo applicatæ, cùm prudenter credere puer ille possit ac debeat, peccat revelationi illi non credendo.

In omni arte peccat is, qui regulas tradenti non credit.

SECTIO SEPTIMA.

Alia quædam circa propositionem parochi, & auctoritatem humanam Ecclesiæ.

I. *Quorundam rerum explicatione*

CONCLUDO itaque, nec propositionem parochi, nec auctoritatem humanam Ecclesiæ esse objectum formale Fidei, quódque intrin-

Tom. II.

ulteriùs ostenditur propositionem parochi non esse objectum formale Fidei.

intrinsecè ab assensu illo attingatur. Hæc conclusio in sententiâ, quam Disp. 47. Logicæ, Sect. 4. secutus sum, assensum scilicet conclusionis non attingere objectum præmissarum, sed hoc extrinsecè tantùm intellectum ad actum conclusionis determinare, nullam habere videtur difficultatem, sicut enim præmissæ possunt extrinsecè determinare ad actum conclusionis, licèt ipsæ per conclusionem non attingantur, ita præstare idem poterit propositio parochi respectu assensus Fidei. Hæc communis videtur Theologorum sententia,

Docent communiter Theologi, hujusmodi propositionem esse tantùm conditionem.

qui propositionem parochi aut instructoris, imo totius etiam Ecclesiæ, ut est præcisè cœtus hominum sapientiâ & sanctitate præditorum, seclusâ assistentiâ Dei, dicunt non esse objectum formale respectu actus Fidei, sed meram conditionem, cujus munus sit manifestare ei qui instruitur revelationem divinam, moveréque voluntatem ad assensum Fidei circa rem, quæ credenda proponitur imperandum, ut in superioribus fusiùs est declaratum.

II.

Præcipuum argumentum, quo contenditur propositionem revelationis esse objectum formale actus Fidei.

Acriter hanc sententiam impugnat Cardinalis de Lugo, & præter ea, quæ Sectione præcedente contra eam objecit, sic ulteriùs argumentatur Disp. 1. Sect. sextâ. Quando intellectus objectum aliquod in se non conspicit, debet per alterius objecti vel medii cognitionem in illius notitiam deduci: cùm ergo in præsenti casu revelationem in se non videat, propositione parochi, aut alterius indiget adminiculo, & illud, quicquid sit, eodem actu debet attingere, nec ullum postea actum Fidei elicere potest, quin hanc simul propositionem seu manifestationem immediatè attingat; per easdem namque causas aliquid conservatur, per quas acquiritur.

III.

Non quicquid in alicujus cognitionem deducis, debet ab illâ cognitione attingi.

Facilè concesserim, quando quis in se revelationem non videt, debere eum in illius cognitionem per aliquid aliud deduci, per quod revelatio ei proponatur, & mysterio credendo applicetur; nullam tamen video necessitatem, ut per actum Fidei quem elicit, propositionem illam attingat intrinsecè, sed sicut dum aliquid per intellectum proponitur voluntati, voluntas in solum objectum fertur, non in actum intellectus per quem proponitur, idem dici potest quando intellectus aliquid proponit sibi; per actum enim quo in objectum sibi propositum fertur, non fertur necessariò in actum, per quem ad illud intelligendum excitatur, sed hic est mera conditio respectu illius, non objectum ejus formale: & idem Disp. illâ 47. Logicæ ostendi de præmissis respectu conclusionis.

Nec intellectus, nec voluntas fertur necessariò in actum quo objectum proponitur.

IV.

Particula quia non arguit objectum formale, sed solam conditionem.

Dices: credit hic & nunc puer aut rusticus Deum hoc objectum revelasse quia parochus id ei dixit, & nos mysteria omnia credimus ob motiva credibilitatis, & quia ab Ecclesiâ prout ex hominibus sanctis & sapientibus constat, nobis proponuntur, assistentia namque Dei, per quam auctoritas Ecclesiæ redditur divina, non videtur, sed est quid creditum, ut videtur manifestum. Respondetur, etiam voluntas amat objectum aliquod quia ei ab intellectu proponitur, & tamen actum illum intellectus, per quod proponitur, non amat. Sic ignis comburit stuppam quia applicatur, & tamen nec applicationem comburit, nec applicatio est ei causa etiam partialis comburendi, sed mera conditio. Hæ ergo particulæ *ut* & *quia* non semper causam formalem, sed frequenter conditionem reduplicant, ut latiùs dictum est alibi.

Quid de particulâ Ut *frequenter sit dicendum.*

V.

Disparitas inter objecta quadam voluntatis & intellectus.

Dices secundò: objectum quod non amatur nisi propter finem, nunquam nisi ex amore ejusdem finis amatur, ut potio amara nunquam amatur nisi propter sanitatem. Respondetur disparem longè hîc esse rationem & in nostro casu; potio siquidem amara nullam omnino habet amabilitatem nisi propter sanitatem, unde quoties amatur, propter sanitatem ametur necesse est, cùm nihil amari possit nisi bonum, tota autem bonitas potionis amaræ est sanitas, & consequenter ab hac totam haurit amabilitatem. Omne autem objectum intellectus est cognoscibile, sicque ipso facto quòd debitè proponatur, potest cognosci, quamvis propositio ipsa non cognoscatur, cùm ex se habeat vim sufficientem ad terminandum actum intellectus, modò debitè applicetur; imo diversam habet cognoscibilitatem à cognoscibilitate actus, per quem proponitur: unde & primâ vice, & semper postea cognosci potest absque eo quod ejus cognitio terminetur intrinsecè ad actum, quo proponitur.

Objectum propositum diversam habet cognoscibilitatem à propositione.

VI.

Differentia inter potentiam loco motivam, & intellectum.

Eodem modo solvitur quod idem objicit de pulsante fides, qui quamvis ad id quod agit non videatur attendere, sed alia omnia cogitare, re tamen verâ aliquam semper habet cogitationem, quâ motus ille artificiosus dirigitur. Huic inquam facilè respondetur, potentiam loco motivam non moveri nisi ex imperio voluntatis, sicque nil mirum si egeat cognitione, cùm voluntas ferri nequeat in incognitum.

VII.

Quamvis requiratur propositio, hæc tamen ab actu ad illam sequente non attingitur.

Addo deinde hoc nihil facere contra ea, quæ hîc tradidi, non enim nego tam hîc, quàm ad actum Fidei requiri cognitionem aliquam præviam, sed solùm dico cogitationem hanc, seu propositionem objecti non attingi ab his actibus immediatè, sed esse meram conditionem. Multi nihilominus asserunt, ad motum illum artificiosum in eo, qui frequente exercitatione, pulsandi habitum acquisivit, hujuscemodi cognitionem non esse necessariam. Illud verò mihi valdè videtur probabile, postquam quis aliquoties per præmissas elicuit actum conclusionis, postea non cogitando de præmissis, per habitum conclusionis, quem comparavit elicere eum posse actum circa objectum conclusionis: sicut quando quis à Petro exempli gratia rem aliquam audivit, post longum etiam tempus rei illius recordatur, planè tamen à quo illud didicit oblitus. Utrùm autem actus hi, qui sine memoriâ præmissarum & auctoritatis Petri eliciuntur, dicendi sint conclusio & fides, controverti potest; mihi videntur vocari posse conclusio & fides virtualiter, nec enim majorem jam habent claritatem aut certitudinem, quàm quando eliciebantur cum actuali recordatione & reflexione ad præmissas & dictionem Petri, cùm certitudinem omnem & claritatem, quam habent, hauriant remotè à principiis, à quibus primi actus procedebant.

Actus conclusionis elici postea potest, non cogitando de præmissis.

Conclusio & Fides formaliter, & virtualiter.

VIII.

Dices, hinc sequi nos non habere Fidem necessariam ad meritum.

Urgebis: si cognitio de Deo & rebus supernaturalibus habeatur immediatè, & non per propositionem & alia ad Fidem prærequisita, ex quibus actus Fidei primò sunt producti, sequitur nos non habere Fidem ad meritum & bene operandum supernaturaliter necessariam, cùm tamen Patres omne initium meriti tribuant Fidei.

IX.

Quousque urgeat hæc replica.

Hæc replica illos tantùm urget, qui affirmant assensum conclusionis necessariò attingere intrinsecè objectum præmissarum, in meâ autem sententiâ, qui loco num. 1. citato hoc negavi, nihil continet difficultatis. Maneat ergo, per me licet, & præmissarum respectu conclusionis, & propositi-

propositionis respectu actuum Fidei semper tenuis saltem aliqua memoria, dico tamen, sicut quando primò eliciebantur, nec conclusio objectum præmissarum, nec assensus Fidei attingebat propositionem intrinsecè, ita neque modò illam attingit, sed est mera conditio, sicque jam etiam habemus actus Fidei propriè & in omni rigore sumptos.

X. *Quid dicendum in sententiâ asserente ad omnes actus circa objectum Fidei non requiri recordationem propositionis parochi.*

Qui autem dicunt, nec ad omnem actum circa objectum conclusionis eliciendum requiri memoriam præmissarum, nec ad actum circa objectum Fidei necessarium esse ut quis recordetur propositionis parochi, & aliorum, quæ in primâ Fidei acquisitione illam antecedebant; hi, inquam, respondere possunt, inprimis ad actus meritorios circa objecta virtutum moralium sufficere prudentiam supernaturalem infusam. Ad actus verò supernaturales meritorios circa objecta, quæ non nisi per revelationem cognoscuntur, ut circa Trinitatem, Incarnationem, &c. hi actus, postquam quis per propositionem extrinsecam se in iis aliquoties exercuit, possunt postea sine propositionis illius recordatione elici ab habitu Fidei. Forent autem hi assensus actus Fidei, saltem virtualiter, essent enim certi & obscuri, juxta dicta numero septimo. Patres verò quando initium meriti tribuunt Fidei, solùm volunt nos per Fidem constitui in statu merendi, non tamen negant, quin ubi quis per actus formales Fidei, in quibus se aliquamdiu exercuit, habitum Fidei acquisivit, possit postea ex hoc habitu actus supernaturales elicere, qui ad actus voluntatis supernaturales, ac meritorios deserviant, sive strictè dicendi sint actus Fidei, sive non, de quo non existimo multum esse laborandum.

Quo sensu Patres initium meriti tribuant Fidei.

DISPUTATIO SEXTA.

De ultimâ Fidei resolutione.

DISCVSSIS iis quæ ad objectum formale Fidei pertinent, veracitate scilicet Dei, ejúsque locutione seu revelatione, ac demum auctoritate Ecclesiæ tam divinâ quàm humanâ, ubi nonnulla etiam de motivis credibilitatis dicta sunt, restat ut in quid demum assensus Fidei resolvatur inquiramus, & suum cuique ex recensitis in hoc negotio munus, & ordinem assignemus: quæ quæstio plus implexi habet & intricati, quàm cuiquam fortasse primâ facie habere videtur. Rem qua potero brevitate & claritate expediam: priùs tamen quæ perperam à nonnullis pro eo, in quod ultimò Fides resolvitur, statuuntur rejiciam.

SECTIO PRIMA.

In quid ultimò resolvatur Fides.

Sectariorum error.

I. *Proponitur status præsentis difficultatis.*

IN eo præsens controversia sita est, ut statuamus quidnam tandem illud sit, in quo actus Fidei tanquam in ultimo determinativo formali nitatur. Id verò certum, in aliquo sisti debere, nec procedi posse in infinitum: periculum ergo est, ne dum seriem objectorum formalium, seu rationum credendi, quæ certo ordine & veluti concatenatione quadam se consequuntur, teximus, incidamus in circulum, & idem per idem probemus. Exempli gratiâ si quis interrogatus cur Verbum credat esse incarnatum, respondeat quia id Deus in Scripturâ revelavit: si ulteriùs interrogatus cur credat Scripturæ, dicat ob auctoritatem Ecclesiæ infallibilem: si deinde interrogatus cur credat Ecclesiam in proponendo ac definiendo esse infallibilem, si inquam respondeat id se credere quia Christus in Scripturâ Spiritus Sancti assistentiam ei promisit, idem probat per idem, Scripturam scilicet per Ecclesiam, & Ecclesiam per Scripturam, sitque circulus vitiosus, qui, ut dixi, tunc contingit, quando ab eodem ad idem eodem modo cognitum sit progressus.

Omni modo curandum ut vitetur circulus.

In quo situs sit circulus vitiosus.

Notandum primò, in assensu Fidei, saltem in primâ ejus acquisitione, duo intervenire judicia, primum est, quod ex motivis provenit, versatúrque circa mysterii quod proponitur credibilitatem, & prævie ad Fidei acceptationem statuitur, movens nimirum voluntatem, ut, cùm ex motivis credendi videat quis posse se prudenter assensum rei illi seu mysterio præbere, illud amplectatur, actúmque Fidei circa illud eliciat. Aliud judicium

II. *Ad actum Fidei duo ut plurimum requiruntur judicia.*

Tom. II. judicium est ipse actus Fidei, quo judicamus ob revelationem divinam, sub qua proponitur, rem aliquam ita se habere. De utroque hoc judicio præsenti disputatione agendum.

III. *In assensu Fidei duo interveniùt causarum genera.* Notandum secundò, in hoc posteriori judicio, seu ipso assensu Fidei, duo reperiri causarum genera, nempe ex parte potentiæ, & objecti: primum genus ad causam efficientem pertinet, secundum ad objectivam. De hoc secundo præcipuè isthic disputamus, & inquirimus quid sit ex parte objecti formalis, in quo ultimò sistat intellectus, dum actum Fidei elicit: qua in re mirum est quàm varii sint dicendi modi.

IV. *Rejicitur sectariorum error Fidem resolventium in privatum spiritum.* Antequam verò diversa hac in re orthodoxorum placita recenseam, confutandus est Sectariorum nostri temporis error, qui ut supra, disput. 4. Sect. 4. vidimus, Fidem in privatas inspirationes & internam spiritus testificationem resolvunt. Pete ab iis exempli gratia, cur Christum credant à mortuis resurrexisse, ascendisse in cælum, &c. respondent quia id divinæ literæ testantur, & traditur in Scripturâ: si ulteriùs inquiras, unde hunc librum sciant esse sacram Scripturam, & verum Verbum Dei, hoc sibi aiunt clariùs constare, quàm Solem meridie lucere, nec minore se facilitate inter libros canonicos & non canonicos, quàm inter album & nigrum, lucem & tenebras, diem & noctem discernere: si demum quæras unde iis tanta lux oriatur & mentis illustratio, hanc tandem cum Calvino lib. 1. Institutionum, cap. 7. Sect. 4. & 5. haurire se aiunt ab interno spiritus testimonio, quod à Deo eorum cordibus infundi dictitant, cóque de omni se veritate instrui affirmant.

Vanum hæreticorum commentum.

V. *Rejicitur ulteriùs inane hoc de spiritu privato figmentum.* Sed quis non videt quàm hoc inane sit ac frivolum? quis enim vel de cerdonum grege prosilire nequit (& vero inter Sectarios in dies prosiliunt hujuscemodi homines) ac somnia sua & otiosi cerebri commenta pro oraculis obtrudere, nováque in dies Fidei dogmata pro libidine cudere: quod si quis hoc ei vitio vertat, in promptu habebit hoc hæreticorum figmentum, dicetque cælitus se ista didicisse ex privato scilicet Sancti Spiritus instinctu. Quo pacto hunc hominem refellerent Sectarii, cùm eodem quo ipsi nitatur fundamento, cadémque in suis defendendis figmentis viâ procedat, quâ ipsi in suis.

VI. *Ostenditur privatum hunc spiritum non posse provenire à Spiritu Sancto.* Secundò error hic de privato spiritu rejicitur: Spiritus Sanctus namque non est Deus dissensionis, sed pacis & concordiæ, nec pugnantia unquam suggerit, sed summa semper in ejus dictis est conformitas & consonantia: at vero privatus iste hæreticorum spiritus mirum est quàm contraria, & è diametro etiam opposita doceat, quámque graves vel inter primarios illius assertores discordias rixásque pepererit. Et ut non abeam longiùs, quamvis ut proximè vidimus, asserant se hoc spiritu magistro tam clarè libros canonicos à non canonicis discernere, ac lucem à tenebris; nullâ tamen in re magis quàm in hac dissident, multíque ex iis hujus spiritus instinctu libros varios pro canonicis habendos esse acriter contendunt, quos alii ejusdem spiritus ductu summâ contentione è canone ejicere conantur, ut doctissimè & elegantissimè ostendit P. Edmundus Campianus in aureo illo libello decem rationum in causâ Fidei propositarum, ratione primâ, qui sic tandem hac de re concludit: *Denique cùm omnia credant suo quisque spiritui, nomen Sancti Spiritus horribili blasphemiâ mentiuntur.*

Sectariorum spiritus sibi in variis est contrarius.

Patet Edmundus Campianus.

Quoad rixas verò & contentiones, quas privatus hic eorum spiritus inter ipsos excitavit, idque circa primarios etiam Fidei articulos, notior res est quàm ut declaratione indigeat, imo eousque processerunt discordiæ, ut verbis contumeliosissimis mutuò se lacerarent ac discerperent, séque invicem *Ethnicos*, *Iudæos*, *Turcas*, *Atheos*, *Hæreticos*, *dæmones* appellarent, omnique opprobriorum & convitiorum genere proscinderent, ut fusè ostendi præcedente tomo, Disp. 1. Sect. 4. Quis ergo sanæ mentis dicet privatum hunc instinctum, tot malorum & dissentionum fontem, à Spiritu Sancto boni omnis ac pacis auctore procedere.

VII. *Privatus hic spiritus rixarum inter eos & contentionum causa.*

VIII. *Constare nequit sectariis hunc suum spiritum esse divinum.* Tertiò rejicitur: unde enim certò constare Sectariis potest hunc spiritum, in quo tota fidei ipsorum moles & machina recumbit, esse divinum, & non potiùs meram illusionem, ac spiritum erroris, & enthusiasmum à dæmone immissum. Si dicant, ut plerique ex iis dicunt, hoc ex ipsâ spiritus evidentiâ omnibus innotescere, contrà, Fides namque est obscura, & ut ait Apostolus ad Hebræos 11. vers. 1. *non apparentium*, & alibi nos jam videre docet solùm per speculum in ænigmate.

IX. *Quo pacto rudis quisque inter eos sciet se habere spiritum Dei.* Deinde quis credat omnes omnino inter Sectarios, quantumvis rudes & imperitos, ac hebetis etiam ingenii, adeo nihilominus hac in parte oculatos esse & perspicaces, ut evidenter sciant se spiritum Dei habere, & in omnibus Spiritus Sancti illustratione & instinctu dirigi; præsertim cùm sæpiùs in Scripturâ jubeamur probare spiritus, quod tamen supervacaneum omnino foret, si evidenter constaret hunc esse instinctum à Deo immissum; conari enim id quod clarum & manifestum est probare, perinde est ac aquam in mare projicere. Insuper, ut supra num. 5. insinuavi, quis ex hæreticis, quorum jam inde à nascente Ecclesiâ diversis locis ac temporibus plurimi extiterunt; quis inquam ex iis eâdem ratione errores suos defendere nequeat, quo Sectarii defendunt suos, dicendo scilicet se Spiritus Sancti instinctu & scire hæc & dicere, claréque sibi constare se habere spiritum Dei. Tandem, ut hoc punctum concludam, judicet quivis æquus rerum æstimator, Utrum verisimilius sit S. Augustinum aliósque Ecclesiæ Patres, eruditione & sanctitate conspicuos (qui nihilominus Sectariis in doctrinâ & dogmatibus Fidei planè sunt oppositi) spiritum Dei habuisse, an nuperos istos homines à Fide ac religione apostatas, qui Ecclesiâ neglectâ, cui tamen hac in re primas semper tribuerunt Patres, se sibi credendi regulam statuunt, cunctáque suo cerebro metiuntur.

Frustra id probatur quod est manifestum.

Sancti Patres spiritum habuerunt, sectariorum spiritui contrarium.

X. *Circulum vitiosum in Fidei sua resolutione confleiunt sectarii.* Quartò demum rejicitur hoc hæreticorum commentum; in id enim incidunt ad quod vitandum privatum hunc spiritum finxerunt, circulum scilicet vitiosum: interrogati quippe, ut supra dixi, Cur Deum credant esse Trinum & Unum, id se credere affirmant quia ita expressè habetur in Scripturâ: si quæras unde ipsis constet hanc esse veram Scripturam, hoc se internâ & singulis immissâ Spiritus testificatione & instinctu nosse asserunt: si ulteriùs petatur quo pacto sciant privatum hunc instinctum esse à Spiritu Sancto, id sibi ex divinis literis compertum esse respondent, tum alibi, tum Joannis 10. Oves meæ vocem meam audiunt, sicque Scripturam ex privato spiritu, privatum spiritum ex Scripturâ probant, & *ambulant in circuitu.*

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Alii quidam in Fidei resolutione procedendi modi.

I. *Resolvi ultimò nequit Fides in auctoritatem humanam Ecclesiæ.*

PRIVATO itaque sectariorum spiritu rejecto, in quid alii Fidem resolvant videamus, nec enim omnium idem hac in re est procedendi modus. Dicunt ergo aliqui resolvi Fidem ultimo in auctoritatem humanam Ecclesiæ tanquam in objectum formale. Sed contra, auctoritas humana Ecclesiæ est fallibilis, solùm enim dicit, ut sæpe declaratum est suprà, cœtum virorum prudentum, qui simpliciter errare possunt, nec rem quæ credenda proponitur, faciunt absolutè sed moraliter tantùm certam, sicque actus Fidei, qui in hanc auctoritatem tanquam in ultimum determinativum resolvitur, non haberet illam certitudinem, quam Theologi omnes in eo requirunt.

II. *Quid dicendum de resolutione Fidei in divinam Ecclesiæ auctoritatem.*

Secundò alii Fidem, non in humanam, sed divinam Ecclesiæ auctoritatem resolvunt, prout nimirum infallibilem Spiritus Sancti assistentiam includit, & hoc pacto nec errare ipsa potest, nec alios in errorem inducere: ita sentire videtur Valentia, & alii. Vereor tamen, nisi aliud addatur, ut scopum attingant; imò in id, quod maximè vitare cupiunt, incidere videntur, circulum scilicet vitiosum, circulus namque, ut Sectione præcedente ostensum est, tunc committitur, quando hoc per illud, & illud vicissim per hoc probatur, sicque ab eodem ad idem fit progressus. Quod verò in hac Fidem resolvendi viâ istud contingat sic probo, Deum siquidem aliquid docere seu revelare credunt hi auctores, quia Ecclesia infallibili suâ auctoritate id proponit, rursus verò Ecclesiæ auctoritatem esse divinam, seu habere ipsam infallibilem in rebus Fidei proponendis ac definiendis Spiritus Sancti assistentiam credunt quia Deus hoc in Scripturis docet ac revelat, nec enim aliunde hoc nobis certò innotescit, sed ad summum habemus moralem illius certitudinem ut num. præcedente declaratum est, ergo incurritur circulus, & idem mediatè probatur per seipsum.

Ostenditur in hac Fidem resolvendi viâ committi circulum.

III. *Fidem resolvunt aliqui in lumen internum transiens vel habituale.*

Tertia quorundam sententia est, Fidem resolvi in lumen internum, vel transiens, vel habituale productivum actus Fidei: ita Bannez 2. 2. quæst. 1. a. 1. Aragon ibid. Cumel hîc, q. 1. a. 1. Canus lib. 12. de locis Theol. cap. 3. Concl. 2. & 3. tenere etiam idem videtur Albertus Magnus in 3. dist. 24. a. 1. & 2. Hanc similiter opinionem Suarez hic, Disp. 3. sect. 3. n. 4. ex parte tribuit Molinæ 1. part. quæst. 1. art. 3. Disp. 2. citari etiam solet Scotus in 3. Dist. 23. quæst. unicâ.

IV. *Lumen tenet se ex parte potentiæ, non objecti.*

Hi auctores, quamvis vera sit doctrina quam tradunt, non tamen loquuntur ad rem præsentem, seu de ratione Fidei objectivâ, quæque per actum Fidei repræsentetur, moveatque tanquam objectum cognitum; lumen enim, sive habituale sit sive actuale, tenet se ex parte potentiæ, quo nimirum confortatus intellectus ad actum Fidei supernaturalem eliciendum elevatur, estque medium incognitum, & hoc modo intelligendum existimo Doctorem Subtilem proximè citatum.

V. *Non resolvitur Fides in principia evidentia.*

Quartus dicendi modus est P. Vasquez 1. part. d. 4. & 5. qui secutus Marsilium in 3. q. 14. ait Fidem resolvi in principia evidentia, Deum scilicet esse veracem, & omnes ejus revelationes esse essentialiter veras. Sed contra: Fides in id resolvi debet, quod est ratio cur mysterium aliquod credimus esse à Deo revelatum, hoc autem, ut constat, non est quod sciamus Deum esse veracem, quantumcunque namque sit verax, non propterea necessariò quidquam revelat. Hæ sunt præcipuæ hac de re sententiæ: alias proinde minoris momenti omitto.

SECTIO TERTIA.

Statuitur verus Fidem resolvendi modus.

I. *Duplex motivorum genus in assensu Fidei producendo intervenit.*

RECOLENDUM quod supra, Sect. 1. n. 2. notavi, ad primam Fidei productionem duo motivorum genera concurrere, cum voluntate quædam, quædam cum intellectu: prima ad Fidei acceptationem conferunt, movendo scilicet voluntatem ut actum Fidei circa rem, quæ prudenter credibilis proponitur, imperet intellectui, efficiátque ut ei assentiatur. Alia verò motiva immediatè spectant ad intellectum, suntque illa, quibus nixus judicat quis rem aliquam, non credibilem esse, sed veram; ac denique sunt ratio, in quâ actus Fidei tanquam in fundamento sistit, causaque sui objectiva. Cùm ergo Fides in eas causas resolvi debeat, quæ ordine generationis ad illam ducunt, videndum in quam ex istis ultimò sit refundenda, seu, quod eodem recidit, quænam ad actus Fidei productionem prima concurrat.

II. *Notandum auctoritatem Ecclesiæ esse divinam.*

Habendum etiam præ oculis quod Disp. præcedente, Sect. 1. & 2. latè probavi, nempe auctoritatem Ecclesiæ esse divinam, ejúsque vocem esse vocem ac verbum Dei, & infallibilis omnino certitudinis; per Ecclesiam namque Deus tanquam per organum suum loquitur ac testificatur, unde, ut loco citato ostendi, Ecclesiæ testificatio seu definitio, in certitudine & infallibilitate est ipsis divinis literis æqualis; qua de causâ Ecclesia 1. ad Timotheum 3. vers. 15. appellatur *columna & firmamentum veritatis*; & ob eandem rationem S. Augustinus, ut ibidem dixi, ait: *Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoveret.*

Ecclesia certitudinem habet sacra Scriptura parem.

III. *Sine auctoritas Ecclesiæ simpliciter dicenda objectum formale Fidei.*

Ex quibus omnibus infero juxta supra dicta, eum, qui mysterium aliquod credit propter auctoritatem divinam Ecclesiæ, credere propter testimonium Dei. Utrùm autem auctoritas Ecclesiæ dicenda sit simpliciter objectum formale Fidei, quæstio ferè est de modo loquendi; quamvis enim ad illam etiam tanquam ad motivum terminetur actus Fidei, & propter eam rei propositæ assentiatur, congruentiùs tamen fortasse dicitur non esse simpliciter objectum formale Fidei, hoc namque innuere videtur de essentiâ actus fidei esse, in revelationem divinam non alio modo ferri, quàm ut ab Ecclesiâ propositam. Objectum ergo formale Fidei simpliciter est auctoritas Dei, utpote sine quâ nullus omnino elici potest Fidei divinæ assensus, auctoritas verò & propositio Ecclesiæ dici potest objectum formale secundùm quid, seu modificatio quædam, ut rectè Cajetanus hîc, quæst. 5. art. 3. vel ut alii loquuntur completio & consummatio divinæ revelationis, quòd nimirum quamvis divina revelatio variis aliis viis manifestari possit, ut in superioribus ostensum est, in hac tamen rerum peristasi

Propositio Ecclesiæ est modificatio quædam revelationis divinæ in ratione objecti formalis.

Fol. II.

iis, quibus Ecclesia innotuit, hæc est aptissima, imo ferè unica eam manifestandi, résque credendas proponendi, ratio, utpote quæ est organum & instrumentum vivum, sicque quoad nos aptissimum ad mysteria Fidei amplectenda.

IV. *Quo sensu resolvatur Fides ultimò in divinam auctoritatem Ecclesiæ.*

Dicendum itaque, ideo nos mysterium aliquod Fidei credere, quia Deus per Ecclesiam dicit se hoc dicere vel dixisse, sicque resolvitur tandem Fides in divinam auctoritatem Ecclesiæ: ita post Cajetanum hîc, art. 1. Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 10. num. 10. Stapletonus in Doctrinali, controv. 4. quæst. 3. & alii. Imo communis hîc videtur omnium loquendi modus, dum dicunt objectum formale Fidei esse revelationem divinam ut ab Ecclesiâ propositam, per quod denotatur propositionem Ecclesiæ esse respectu revelationis Dei objectum formale secundarium, seu quandam illius modificationem, ut declaratum est numero præcedente.

V. *Verus modus Fidem resolvendi traditur per partes, & causas objectivas.*

Ut verò enucleatiùs procedamus, rémque magis in particulari declaremus, Fidei assensum per partes quasi, & causas illius objectivas evolvamus. Si quis ergo quærat, Cur Verbum credis esse incarnatum? *Quia hoc sacræ literæ testantur*: unde has esse sacras literas & veram Scripturam nosti? *Quia Deus per Ecclesiam hoc dicit*: at unde tibi constat Ecclesiæ dictionem esse locutionem Dei, seu Deum per Ecclesiam hoc affirmare: *Quia motiva credibilitatis ejusmodi sunt, ut faciant hoc esse evidenter credibile, suadeantq; rationi maximè consentaneum esse, ut hoc judicem, nec citra temeritatem possim dissentire; quare per imperium voluntatis captivo intellectum in obsequium Fidei, efficioq; ut rei hoc modo propositæ præbeat assensum.*

VI. *Revelatio divina movet intellectum, motiva credibilitatis voluntatem.*

Objectum ergo formale Fidei, seu movens intellectum, & cui hic tanquam fundamento innititur, & à quo infallibilitatem suam & summam certitudinem haurit actus Fidei, ac demum in quo ultimò sistit, est revelatio divina ab Ecclesiâ proposita, ita ut unum integrent objectum modo jam declarato, nec aliud quidquam ex parte intellectus est necessariò requirendum. Plena tamen & completa Fidei resolutio hîc non sistit, sed in motivis credibilitatis, quæ quamvis ad actum Fidei immediatè non concurrant, ut dictum est, nec rem, quæ credenda proponitur ostendant esse veram, ostendunt tamen esse creditu dignissimam, eáque cum probabilitate illam proponunt, ut nullus prudens dubitare queat, quin mereatur fidem & assensum, & quin ille hominum cœtus, qui hujusmodi motiva & signa in se continet, sit vera Christi Ecclesia, quódquo digna sit, quam omnes tanquam columnam & firmamentum veritatis acceptent. Sicut ergo à motivis credibilitatis Fides originem primò ducit, ita ultimò in illa resolvitur, modo proximè explicato.

Fidei assensus sicut à motivis credibilitatis primò incipit, ita ultimò in illa resolvitur.

VII. *Resolutionem Fidei in motiva credibilitatis apertè tradit S. Augustinus.*

Hinc S. Augustinus libro contra Epistolam fundamenti, cùm cap. 4. quædam ex his motivis recensuisset, ut consensionem populorum, miracula, successionem Episcoporum in Sede Petri, de quibus aliisque fusè agendum est infra, sic de iis loquitur: *Hæc tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholicâ Ecclesiâ.* Libro etiam de utilitate credendi, cap. 16. & 17. de hac ipsâ re agens, ubi miracula, & alia nonnulla ex signis hisce ac motivis, quæ in Ecclesiâ reperiuntur, attulisset, hæc subdit: *Auctoritati hujus Ecclesiæ nolle primas dare, vel summa impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Docet insuper, ubi quis ob evidentem motivorum credibilitatem Ecclesiam semel acceptavit, debere eum semper postea illius auctoritatem, ut infallibilem in credendo regulam sequi; unde de se ait, quod supra ex aliâ occasione retulimus: *Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas*: additque, si Ecclesiæ auctoritas per Manichæos infringeretur, se amplius Evangelio credere non posse. Ex quibus constat, quam de motivis credibilitatis, Ecclesiáque per ea acceptatâ conceptum formaverit S. Augustinus.

Quem conceptum de auctoritate Ecclesiæ formaverit S. Augustinus.

SECTIO QUARTA.

Solvuntur argumenta contra veram Fidei resolutionem proposita.

I. *Objic. auctoritatem infallibilem Ecclesiæ esse unum ex credendis.*

CONTRA hactenus dicta objiciet aliquis, infallibilem hanc Ecclesiæ auctoritatem, in quam nos tanquam in objectum formale assensus, seu ex parte intellectus Fidem resolvimus, esse unum ex credendis, ergo propter aliquid aliud credi debet, ergo non est prima ratio omnia credendi, seu *primum credibile*, sicque vel committetur circulus, & Ecclesia ob Scripturam, Scriptura ob Ecclesiam acceptabitur, vel nullum omnino erit *primum credibile*, seu aliquid in quo sistat & quiescat intellectus, sed ibitur in infinitum.

II. *Aliud est esse aliquid primum credibile in se, aliud quoad nos.*

Ad responsionem notandum, parum referre quod aliquid sit in se primum credibile, seu quod summam veritatem reipsa contineat, nisi sit etiam primum credibile quoad nos, seu quod nos veritatem in illo contentam penetremus, alioqui perinde nobis est ac si veritatem illam in se non contineret. Sicut quantumvis res aliqua naturalis ita à parte rei se habeat, si tamen nobis non innotescat, nec illius vel experientiam vel demonstrationem habeamus, nobis perinde est ac si se ita non haberet, parúmque refert quoad nos quod in se vera sit, si non sit vera nobis. Eodem ergo modo, esto divinæ literæ dicantur primum credibile quoad se, & indemonstrabiles, cùm tamen in præsenti rerum statu, sine infallibili Ecclesiæ testificatione nos hoc non satis dignoscamus, non sunt primum credibile & indemonstrabiles quoad nos, unde in iis, nisi infallibilis accedat auctoritas Ecclesiæ, quæ ut ostensum est, unum cum illis constituit objectum formale, Fidei resolutio sistere non potest.

Parum quoad nos refert, quod aliquid sit verum in se, si non sit verum nobis.

III. *Ut sacra Scriptura sit sufficiens ad fundandam Fidem, debet idoneè ad hoc proponi.*

Quantumcunque ergo sacra Scriptura sit Verbum Dei, si nihilominus debitò modo non proponatur, conducere ad hunc finem, eliciendi scilicet vel resolvendi actum Fidei non potest. Adde, quis verus sit Scripturæ sensus sæpissimè non constare, ut ex tot, tum inter nos & Sectarios, tum Sectariorum inter se hac de re controversiis est manifestum. Imo ipsi etiam Ecclesiæ Patres, orbis lumina, viti doctrinâ & sanctitate maximè conspicui, S. inquam, Augustinus, & S. Hieronymus, aliique, mirum est quantum circa quorundam locorum Scripturæ sensum & interpretationem inter se dissenserint, integris etiam interdum in hanc rem utrimque scriptis tractatibus, quod tamen haud dubiè non contigisset, si Scripturæ mens esset aperta, résque ex ipsâ solâ Scripturâ decidi potuisset. Alia ergo præter Scripturam quærenda est Fidei regula, viva nimirum, & quæ clarè sese aperire, ac declarare

Alia præter Scripturam quærenda est Fidei regula.

declarare possit, cujus proinde mentem ignorare nemo valet, nec nisi obstinatissimus sit, illi refragari.

IV. *Ostenditur quo pacto, licèt Ecclesia sit unum ex credendis, possit tamen esse primum credibile.*

Ad argumentum itaque num. 1. propositum dico, quamvis Ecclesia unum sit ex credendis, non tamen indiget alio motivo ex parte intellectus, per quod credatur, sed sufficit quod in eâ reperiantur motiva credibilitatis, nempe *morum sanctitas, puritas doctrinæ, pastorum in Sede Petri ad hæc usque tempora perpetua successio, miracula*, & id genus alia, de quibus posteà; hæc inquam cùm in Ecclesiâ Catholicâ reperiantur, ut luce clariùs constat, evidenter, ut dixi, ostendunt doctrinam ab eâ traditam, esse creditu dignissimam, suadentque Deum per eam loqui. Cùm ergo, ut Disp. præcedente ostensum est, testimonium Ecclesiæ sit testimonium ipsius Dei, voluntas ob motiva credibilitatis imperat intellectui ut assensum præbeat rei quæ per eam credenda proponitur, idque ob auctoritatem Ecclesiæ; sicque eâdem operâ credit eam esse fide dignam; qui enim propter alicujus auctoritatem credit rem ab eo dictam esse veram, credit etiam eum esse veridicum.

Qui aliquid, eo quòd ab Ecclesiâ dictũ sit, credit esse verum, credit eam esse veridicam.

V. *Magis declaratur quo pacto Ecclesia credam propter Ecclesiam.*

Quod ergo me movet ex parte intellectus ad credendum Ecclesiæ infallibilitatem, est ipsa auctoritas Ecclesiæ: remotè autem inducor à motivis credibilitatis, modo jam dicto; evidenter quippe ex iis video esse rationi maximè consentaneum ut hac in re captivem intellectum in obsequium Fidei, eique, aut Deo potiùs per eam loquenti assentiar: imò ut Sect. præcedente, n. 7. vidimus, contrarium esset, *vel summæ impietatis, vel præcipitis arrogantiæ.*

VI. *Probatur Ecclesiam esse regulam vivam immediatè & per se Fide dignam.*

Quare, cùm ut rectè Suarez hîc, Disp. 5. sect. 2. n. 4. & alii, nulla sit repugnantia ut detur regula aliqua viva & sensibilis, quæ talia habeat signa, seu motiva, ut homines ea intuentes & prudenter considerantes, credere possint Deum per eam tanquam per organum suum loqui, judicentque insuper ea quæ hæc regula, etiam de seipsâ dicit esse omnino certa & infallibilia: hæc inquam cùm ita sint, nullus relictus est ambigendi locus quin nostra Ecclesia sit ejusmodi, utpote in qua hæ notæ, seu motiva credibilitatis reperiuntur, estque organum à Deo constitutum ad alios ejus nomine erudiendos, atque ad docendum nos omnem veritatem, & per quam, ut suprà vidimus, Deus loquitur *sicut locutus est per os sanctorum Prophetarum ejus*, qui erant etiam regulæ vivæ, uti erat Moyses & alii, & omnium maximè Christus.

VII. *Non est opus ut Ecclesia reflexè dicat vocem suam esse vocem Dei.*

Ut autem credatur Ecclesiæ non est opus ut illa reflexè & expresè dicat vocem suam esse vocem Dei, sed sufficit quòd cum his signis credibilitatis rem aliquam proponat, hoc namque faciendo probat in actu exercito se nomine Dei loqui, Deúmque per Ecclesiam hoc omnibus proponere credendum. Ut ergo verbo concludam, assensus Fidei ex parte intellectus ultimò resolvitur tanquam in objectum formale, seu intrinsecè terminans actum, in testificationem Ecclesiæ locutionem Dei proponentis, in motiva autem credibilitatis extrinsecè tantùm resolvitur, veluti in conditionem seu causam acceptandi fidem: cùm verò hæc acceptatio antecedat actum Fidei, est quippe actus voluntatis, qui Fidei actum imperat, & motiva credibilitatis antecedat acceptationem, Fides planè ultimò resolvitur in motiva credibilitatis.

Fidei actus omnium ultimò resolvitur in motiva credibilitatis.

Objicies secundò: nos totam Fidem nostram in Scripturarum auctoritate fundamus, imo ipsam etiam Ecclesiam ex Scripturis probamus; in Scripturas itaque, non in Ecclesiam facienda est prima Fidei resolutio. Respondetur non posse nos vel Fidem in Scripturis fundare, vel Ecclesiam ex illis probare, nisi priùs acceptentur: quantumvis namque aliquid in se certum sit & infallibile, si tamen ut tale non cognoscatur, non est certum & infallibile nobis, nec usui esse potest, sed perinde est ac si certum non esset, ut ostensum est num. 2. & 3. ex quo constat, sicut prima Fidei generatio pendet ab Ecclesiâ, quæ tanquam viva regula acceptat Scripturam, ita ultima etiam Fidei resolutio sit in eandem Ecclesiam.

VIII. *Ecclesia per Scripturas probari nequit, nisi fuerint acceptatæ.*

Urgebis, Ecclesia, etsi in se certa sit & infallibilis, nobis tamen non est, nisi ejus infallibilitas probetur, probari autem hæc nequit nisi ex Scripturâ, ergo ultima Fidei resolutio fiet in Scripturam, sicque Scripturam per Ecclesiam, Ecclesiam per Scripturam probamus, & incidimus in circulum. Respondetur, primum & fundamentalem actum Fidei, & in quem consequenter Fides ultimò resolvitur, nullo modo niti auctoritate Scripturarum, sed Ecclesia munita, ut ita dicam, motivis credibilitatis, hanc suam infallibilitatem per seipsam testatur, signáque seu notæ credibilitatis, ut sæpiùs dictum est, evidenter ostendunt eam esse Fide dignam: cùm ergo, ut ex Disp. præcedente, Sect. 1. & 2. constat, testimonium Ecclesiæ sit vox & locutio Dei, potest ob ipsiusmet Ecclesiæ testificationem credi fide divinâ eam habere auctoritatem infallibilem; sicut ob similia credibilitatis argumenta Israëlitæ crediderunt Moysi, ob singularem scilicet ejus vitæ sanctitatem, mansuetudinem, prudentiam, miracula, &c. quæ ipsos movebant, ut illum pro Prophetâ, & Dei organo acceptarent: nam ut rectè Suarez hîc, Disp. 5. Sect. 2. n. 4. sicut Deus de seipso testari potest, ita & regula Fidei, quatenus est speciale organum Dei, quo ipse nobis loquitur, ex peculiari Dei ordinatione & providentiâ idem poterit, ob summam scilicet dignitatem illius, cujus est organum, necessitatémque hujuscemodi regulæ ad rectam universi constitutionem, résque Fidei eo quo par est modo proponendas.

IX. *Non per Scripturam, sed aliunde primò probatur infallibilitas Ecclesiæ.*

Sicut filii Israël Moysi, ita nos credere debemus Ecclesiæ.

Hac ferè viâ in resolutione Fidei procedunt Suarez hîc, Disp. 5. Becanus 2. 2. cap. 8. q. 8. num. 1. Tannerus tom. 3. Disp. 1. quæst. 5. Albertinus tom. 1. Princip. 3. corolla. 4. à. n. 10. quamvis ex parte dissentiat. Nec multùm adversari videtur Valentia hîc, Disp. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 10. quamvis, ut supra Sect. 2. n. 2. notavi, aliquid ejus dictis necessariò sit addendum. Hanc etiam Fidem resolvendi viam amplectuntur docti quidam recentiores, eámque in suâ Analysi non parum illustravit P. Thomas Lout wellus Disp. quartâ.

X. *Quinam hanc Fidem resolvendi viam amplectantur.*

DISPUTATIO SEPTIMA.

De motivis credibilitatis.

FIDEM ut primò ex motivis credibilitatis generari, ita in eadem tanquam in acceptationis causam ultimò resolvi Disputatione præcedente diximus: quamvis enim actum Fidei non terminent, sicq; nec sint objectum illius formale, movent tamen voluntatem ad imperandum intellectui ut rei, quæ ob motiva sub quibus proponitur, evidenter redditur credibilis, præbeat assensum. Nunc ergo horum motivorum natura declaranda, & quo pacto ad voluntatem movendam, actúmque Fidei imperandum concurrant.

SECTIO PRIMA.

Annotantur quædam circa motiva credibilitatis: ubi an mysteria Fidei nostræ sint evidenter credibilia.

I. *Duo in assensu mysteriis Fidei præbendo sunt vitanda.*

IN mysteriis Fidei amplectendis assensumque circa ea eliciendum, duo scopuli vitandi, nimia scilicet in credendo levitas, cordisque duritia. Primum Christianis olim exprobrabant Porphyrius & Julianus Apostata, eosque stultitiæ arguebant, quòd Christi doctrinam, traditáque ab eo dogmata admitterent. Alii verò hæretici ut hanc reprehensionem evaderent, nihil credendum asserebant, nisi quod ratione naturali evidenter constaret, rémque consideranti clarum omnino esset, & exploratum. Mediâ hac in re viâ incedendum, & ut facilitas nimia, seu levitas in credendo, ita & durities vitanda; illa quippe imprudentis, hæc obstinati animi indicium. Rationes ergo hîc inquirendæ, non quibus res, quæ credenda proponitur, demonstretur esse vera, sed dignissima quæ credatur, ita ut summæ imprudentiæ ac temeritatis foret ei dissentire, seu, ut plerumque dici solet, quæ eam ostendant esse evidenter credibilem.

Levitas imprudentis, duritia obstinati animi indicium.

II. *Duo motivorum sunt genera, adversus gentiles & hæreticos.*

Ut autem Ecclesiæ hostium duo sunt genera, Infideles nimirum & Hæretici, ita duo sunt motivorum genera, quæ Fidem nostram evidenter probent esse acceptatu dignissimam. Prioris generis motiva, quibus passim contra Gentiles utuntur sancti Ecclesiæ Patres, in eo præcipuè sita sunt, ut ostendant Christianæ religionis doctrinam esse sanctam, rationiq; maximè conformem, ut Deum esse, esse Unum, Omnipotentem, cœli & terræ Creatorem, &c. item animam esse immortalem, non esse furandum, fornicandum, nec quidquam omnino contra legem naturalem, quæ quique unà cum ipso rationis usu illucescit, esse faciendum, & id genus alia.

Quibus credibilitatis motivis cõtra Gentiles utantur Patres.

Secundum motivorum genus, de quo hîc præcipuè agimus, est contra hæreticos, quæ quamvis ad illos convincendos primo loco conferant, non parum tamen, ut videbimus, ad infidelium etiam conversionem conducunt. De his porrò motivis, præter S. Augustinum & alios ex sanctis Patribus, qui integros hac de re tractatus reliquerunt, accuratè scribunt qui bellum hodie hæresibus indixerunt, Bellarminus, Stapletonus, & alii, inter quos doctissimè hac de re agit P. Edmundus Campianus in aureo illo libello decem rationum, quo nihil vidit ætas nostra nervosius, nihil elegantius: & qui demum, quas scripto obtulit rationes, sanguine obsignavit.

III. *Genus motivorum quo tum Patres, tum Theologi utuntur contra hæreticos.*

His positis, Dicendum mysteria Fidei nostræ esse evidenter credibilia. Hæc communis est Theologorum sententia: eam tenet S. Thomas hîc, q. 1. a. 4. ad secundum, & 1. contra Gentes, cap. 6. quem ejus discipuli sequuntur. Idem tenet Scotus in Prolog. Sententiarum, q. 2. remque optimè declarat. Ex Recentioribus verò Theologis hanc conclusionem tradunt Suarez hîc, d. 4. s. 3. Valentia d. 1. q. 1. p. 4. Tannerus tom. 3. Disp. 1. q. 2. dub. 4. num. 70. Lorca Disp. 16. Turrianus d. 7. Granado hîc, Controv. 1. tract. 2. Disp. 1. n. 3. & alii passim.

IV. *Fidei nostræ mysteria sunt evidenter credibilia.*

Et sanè de quibusdam Fidei veritatibus nemini dubium esse potest quin sint evidenter credibiles, saltem quoad nos, cùm sint evidenter veræ, ut *Deum esse, esse Vnum, Æternum, summè Sapientem*, &c. Hæc, inquam, cùm lumine naturæ constent, dum credenda proponuntur, apparent statim ejusmodi, ut Fides iis juro habeatur. Quamvis namque principia scientiæ ad actum Fidei directè & immediatè non concurrant, concurrere tamen possunt indirectè, tollendo scilicet difficultatem quæ in re credendâ reperitur: cùm itaque per demonstrationem omnis in objecto difficultas auferatur, non repugnanti sed prono animo in illud fertur is cui credendum proponitur: & hoc est quod dico esse has veritates evidenter credibiles quoad nos, id est tales, ut summâ facilitate assensum iis præbere possimus, etsi ex parte motivorum credibilitatis præcisè mysteria

V. *Ostenditur quasdam Fidei veritates esse evidenter credibiles quoad nos.*

Quo pacto actus scientia facilitet interdum ad actum Fidei circa idem objectum.

myſteria omnia Fidei ſint æqualiter credibilia, ut jam videbimus.

VI. *Variè probatur myſteria Fidei noſtra eſſe evidenter credibilia.*

Non prædicta ergo tantùm, ſed omnia Fidei myſteria eſſe evidenter credibilia probatur inprimis ex ipſis divinis literis; ſic enim Pſalm. 92. verſ. 5. dicitur, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Idem etiam clarè oſtendunt verba illa Chriſti Joan. 15. verſ. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, &c. Hinc de prædictorum motivorum vi ad perſuadendum veritates Fidei noſtræ eſſe ſummè credibiles, ſic loquitur S. Auguſtinus: *Multa ſunt, quæ in Eccleſiâ me juſtiſſimè tenent, conſenſio populorum & gentium, auctoritas miraculis inchoata, Spe aucta, Charitate firmata, & vetuſtate nutrita: tenet ab ipsâ Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus mandavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: tenet denique ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine causâ inter tam multas hæreſes ſola hæc Eccleſia obtinuit:* hæc ſanctus Doctor, de quibus, aliisque motivis credibilitatis fuſiùs agemus infra.

S. Auguſt. lib. contra Epiſt. Fundamenti, cap. 4.

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contendentia myſteria Fidei non eſſe evidenter credibilia.

I. *Objic. motiva credibilitatis nec myſterium in ſe oſtendere, nec in ratione credibilis.*

Objicies primò: Motiva hæc credibilitatis non oſtendunt veritatem, quæ credenda proponitur, eſſe veram in ſe, ut concedimus, nec etiam oſtendunt eam in ratione credibilis, hæc quippe oſtenſio vel eſt probabilis tantùm, hoc verò non ſufficit, relinquet namque formidinem ac dubitationem aliquam, ab actu Fidei divinæ quàm longiſſimè removendam: nec poteſt hæc oſtenſio eſſe evidens, quædam enim ex Fidei myſteriis adeo alta ſunt, rationemque naturalem ſuperant, ut ex nullâ re creatâ evidentia hujuſmodi in ratione credibilis eis poſſit accedere.

II. *Res etiam ſupernaturalis reddi poteſt ab extrinſeco evidenter credibilis.*

Reſpondetur, quantumcunque res aliqua ſit alta & ſupernaturalis, captumque noſtrum ſuperans, poſſe eam nihilominus ab extrinſeco, variis ſcilicet ſignis ac motivis propoſitis reddi evidenter credibilem; hoc enim nihil aliud eſt, quàm ita eam proponi, ut digna appareat circa quam aſſenſum quis Fidei eliciat, quod ille quamvis intrinſecam rei illius veritatem non videat, ob argumenta tamen hæc & rationes extrinſecas facere poteſt, captivante voluntate intellectum, eique actum Fidei hac de re imperante, ut jam ſæpiùs declaratum eſt. Unde autem, ſeu ex quibus principiis certitudinem ſuam & infallibilitatem hauriat actus Fidei, dicetur infra.

III. *Objic. quod eſt evidenter credibile eſt evidenter poſſibile, quod de omnibus myſteriis Fidei dici nequit.*

Objicies ſecundo: Si myſteria Fidei ſint evidenter credibilia, ergo & evidenter poſſibilia, & conſequenter probari evidenter poſſet illa eſſe vera: hoc autem dici nequit, plurimæ enim Fidei veritates, ut Trinitas, Incarnatio, Euchariſtia, &c. demonſtrari poſitivè non poſſunt, ergo nec eſſe poſſunt evidenter credibiles. Confirmatur, quod enim eſt evidenter impoſſibile eſt evidenter incredibile, ergo è contrario ut aliquid ſit evidenter credibile, debet eſſe evidenter poſſibile.

IV. *Latiùs patet credibile, quàm poſſibile.*

Ad argumentum negatur conſequentia: Latiùs namque patet credibile, quàm poſſibile; credibilitas ſiquidem provenit à medio extrinſeco, ad quam proinde ſufficit, ut res ita proponatur, ſub talibus ſcilicet motivis, ut homini prudenti appareat Fide digniſſima, ut in ſuperioribus oſtenſum eſt: unde aliquid etiam impoſſibile reddi poteſt credibile. In noſtræ quidem Fidei myſteriis nihil eſt credibile quod non ſit poſſibile, hoc tamen non arguit univerſim omne id quod eſt credibile, eſſe poſſibile, præſertim in ſententiâ aſſerente motivis credibilitatis poſſe ſubeſſe falſum. Plura hac de re dicentur Diſp. ſeq. ſ. 4. n. 6.

V. *Ratio cur id quod eſt evidenter impoſſibile, ſit evidenter incredibile.*

Ad Confirmationem dico, nil mirum eſſe ſi id quod evidenter ſcitur eſſe impoſſibile, ſit evidenter incredibile, ipſo facto namque quod certò ſciatur rem aliquam non ſe ita habere ut aſſeritur, quantæcunque ad eam aſtruendam afferantur rationes, caſſæ omnes ſunt & vanæ, nec contra agnitam veritatem argumenta quantumvis apparentia vim ullam habere poſſunt, ſed ſunt paralogiſmi, & evidenter ſciuntur eſſe falſa.

VI. *Quamvis Fidei noſtra myſteria ſint evidenter credibilia, non tamen rapiùt ad aſſenſum.*

Objicies tertiò: Si myſteria Fidei ſint evidenter credibilia, nullus cui debitè proponuntur, poteſt iis diſſentire, ſeu cohibere aſſenſum, ſed etiam nolens rapietur ejus intellectus ad præbendum conſenſum: ad quid ergo imperium voluntatis, & pia affectio determinans ad actum Fidei circa hæc myſteria eliciendum. Reſpondetur evidentiam credibilitatis myſteriorum Fidei, nullam in credendo inferre neceſſitatem, nec enim probant hæc motiva rem, quæ credenda proponitur, eſſe veram, ſed tantùm eſſe dignam cui Fides ob auctoritatem illam aſſirmantis præbeatur. Manet ergo adhuc tota rei obſcuritas; unde nihil eſt quod vim inferat intellectui, cogatque ad aſſenſum circa veritatem rei, quamvis præſtantia motivorum evidenter oſtendat myſterium cui applicantur, eſſe creditu digniſſimum, bonumque eſſe ut ei quis Fidem adhibeat: hæc autem duo, ut conſtat, ſunt diverſiſſima; unde quantumcunque neceſſitetur aliquis circa ſecundum, integra tamen ei manet libertas circa primum. Cum itaque non obſtantibus omnibus motivis maneat rerum credendarum obſcuritas, altæque adeo interdum ſint, ut naturæ captum ſuperent, datur etiamnum locus piæ affectioni, & imperio voluntatis. Adde, quicquid ſit de rebus ipſis, earumque claritate, quæ in nunnullis reperitur, obſcurum ſemper eſſe Deum illas dicere, verámque de illis dari revelationem.

Aliud eſt verum eſſe credibilem, aliud eſſe veram.

Quomodo ad Fidem requiratur pia affectio.

VII. *Objic. moraliter ſaltem loquendo nullus Fidei noſtræ myſterijs non aſſentiretur.*

Objicies quartò: Saltem ſequitur, moraliter loquendo neminem Fidei noſtræ myſteriis, quæ ſub hujuſmodi motivis proponuntur, diſſenſurum; rei enim, quæ cum evidentiâ credibilitatis apparet, nullus, etſi abſolutè poſſit, refragatur unquam, ſed illi præbet aſſenſum: cùm ergo multos Fidei articulis ſub motivis hiſce propoſitis diſſentire videamus, ſignum eſt hæc motiva rebus, quibus applicantur, evidentiam credibilitatis non afferre.

VIII. *Pauci ex iis qui motiva plenè penetrant, myſteriis Fidei diſſentiunt.*

Ego certè quoad hoc exiſtimo pauciſſimos, quibus Fidei noſtræ veritates ſub hujuſmodi motivis proponuntur, ſi motiva penetrent, veritatibus hiſce ſeu articulis reipsâ diſſentire, quamvis ob metum ſubinde & reſpectus humanos diſſenſum præ ſe ferant: ſicut quamvis, etiam lumine naturæ notum ſit non eſſe furandum aut mentiendum, multi nihilominus furantur & mentiuntur. Nonnulli verò, dum Religionem Catholicam arctioris eſſe diſciplinæ animadvertunt, variáque in eâ contineri carni & ſanguini contraria, hi inquam, ne amplectendo Fidem, injecto veluti freno,

Nonnulli per ignorantiam affectatam Fidem veram neſciunt.

Tom. II.

freno, ab indulgendo voluptatibus, mundiúque oblectamentis liberè fruendo coërceantur, ultro oculos occludunt, nec motiva penetrare volunt, sicque per ignorantiam affectatam Fidem nesciunt, & gravissimè peccant.

IX. *Ostenditur quo pacto, licèt mysteria sint evidenter credibilia, Fides esse possit meritoria.*

Objicies quintò: Actus quibus mysteriis, quæ credenda proponuntur, assentimur sunt meritorii, ex eo nimirum quòd nos submittamus & captivemus intellectum in obsequium Fidei: quæ autem captivatio aut meritum præbere illi assensum, quod moraliter videtur, evidens, & cui ægrè possumus dissentire? Respondetur, frequenter homines credere ubi evidentia non est tanta, in hoc ergo saltem casu est locus captivationi & merito. Deinde, ut supra dixi, etiam quando est maxima evidentia credibilitatis, manet adhuc, in quibusdam saltem mysteriis, Trinitatis exempli gratia, Incarnationis, &c. locus captivationi & merito, ob summam scilicet rerum difficultatem & altitudinem, intellectus creati limites excedentem: unde quantùm ad credendum trahit motivorum evidentia, tantùm retrahit mysteriorum sublimitas, variaque quæ circa illa occurrunt dubia, quibus magnâ ex parte motivorum vis retunditur, mensque in assentiendo retardatur, & relinquitur quasi in æquilibrio. Tandem dico, in eo mereri credentem, & captivare intellectum, quòd majore longè certitudine ac firmitate mysteriis propositis assensum præbeat, iisque adhæreat, quàm motiva credibilitatis requirant. Adde, quantumvis motiva reddant mysterium aliquod evidenter credibile ei cui omnia aut pleraque ex illis applicantur, seu qui oculis ea conspiceret, aut aliunde certò cognosceret, ut plurimum tamen non ita applicantur, sed ab uno aliquo homine, concionatore scilicet, scriptore aut parocho; unde hìc multo magis datur locus captivationi intellectus, & merito, ut constat.

Quantùm motiva trahunt, mysteriorum difficultas retrahit.

Ratiò motiva omnia alicui mysterio applicantur.

SECTIO TERTIA.

Quædam ex motivis Fidei declarantur, & in particulari puritas ac sanctitas doctrinæ Catholicæ, & primò confertur cum Iudaismo.

I. *Ostendendum unde hæc evidentia oriatur.*

Diximus Sectionibus præcedentibus mysteria Fidei nostræ esse evidenter credibilia, quod ut clariùs constet, operæ pretium erit nonnulla ex his motivis sigillatim explicare, ut unde hæc Fidei veritatibus evidentia accrescat perspiciamus.

II. *Puritas, sanctitas & præstantia Fidei Catholicæ.*

Primum itaque, quódque maximi semper momenti ad Fidei nostræ credibilitatem astruendam omnibus visum fuit, est puritas, integritas, & præstantia doctrinæ Catholicæ, utpote in qua nihil continetur non sanum, non sanctum, rectæque rationi apprimè consentaneum, nihil denique non Deo, Fidei auctore dignissimum; cùm tamen in aliis Sectis varia habeantur vana, falsa, ridicula, & cum ipso naturæ lumine pugnantia, quæque homines in turpitudinis cœnum, vitiorúmque omnium voraginem præcipitant. Christianæ proinde religioni meritò applicari potest illud Prophetæ Regii Psalmo 18. vers. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas:* & paulò post: *Iustitiæ Domini rectæ, latificantes corda.* De aliis verò sectis dici potest, quod olim etiam dixit idem Propheta Psal. 118. vers. 85. *Narravérunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Hìc ergo aliarum religionum, Judæorum præcipuè, Mahometanorum & hæreticorum dogmata quædam attexam, ut quantum inter Fidei nostræ eorúmque doctrinam quoad puritatem præstantiámque intersit, omnibus innotescat.

III. *Iudæi à verâ, quam olim habebant Fide, ad quæ deliramenta sint prolapsi.*

Atque ut à Judæis incipiam, quamvis olim fuerint electus Dei populus, veráque inter ipsos floruerit Ecclesia & Fides, utpote qui à Deo edocti fuerunt, & à Prophetis ab eo identidem ad illos missis instituti, ubi tamen immane illud facinus admiserunt, Christum scilicet occidendo, agníque immaculati sanguine manus imbuerunt, mirum est in quot quámque fœdos errores ac deliramenta sint prolapsi, ut ex eorum Thalmud constat, qui liber tot somniis, quæ tamen ab ipsis oracula, Fideique veluti articuli censentur, est repletus, ut unà cum verâ Fide intellectum pariter ingeniúque vim omnem amisisse videantur. Ex his nonnulla isthic referam, omnia quippe recensere nimis longum foret, legentíque tædium ac nauseam afferrent: sed ex his facilis erit de reliquis conjectura.

IV. *Varia Iudæorum in libris Thalmudicis somnia recensentur.*

Deus, inquiunt, *priùs quàm hunc mundum conderet, in variis sese mundis creandis, & paulò post destruendis exercuit, tum ne otio torpesceret, tum ut diuturnâ exercitatione, artem mundum perfectum, qualis hic est, creandi paulatim addisceret*: sicque Deum tyronis instar rudem primò & ignarum fuisse asserunt, longóque usu in perfectum tandem artificem evasisse. Quid Stolidius?

Deus tres primas diei horas in legendo libros legit, tres sequentes in erudiendis infantibus, qui in tenerâ ætate ex hac vitâ decedunt: denique tres ultimas animi laxandi gratia ludendo cum ingentis magnitudinis pisce, Leviathan dicto, insumit.

Deus quoties malorum, quæ Iudæi à gentilibus patiuntur, reminiscitur, duas lachrimas in Oceanum effundit, & præ dolore pectus utráque manu contundit. Item *Deus semel mentitus est, ut pacem inter Abrahamum & Saram litigantes componeret.*

Deus quotidie tunicâ lineâ indutus vittas seu corigia quædam coriacea capiti & brachiis circundat, & hoc modo ornatus in genua procumbit, & orat.

Deus, inquiunt, *Iudæis præcepit, ut singulis quibusque noviluniis sacrificium expiationis peragant ad expiandum scelus à Deo commissum, quando lucem, quam injustè Lunæ ademerat, Soli attribuit.*

Deum asserunt *semel quotidie irasci, quo tempore* aiunt *gallos omnes gallinaceos stare uno tantùm pede, eorúmque cristas ruborem amittere.*

Deum docent *in mandatis Iudæis dedisse, ut quovis modo, sive vi, sive dolo, sive usurâ, sive furto, bona Christianorum sibi vendicent, eósque brutorum loco habeant, & omni studio conentur è vitâ tollere; gentilibus verò præceptum sibi* aiunt, *ut nec boni quidquam faciant nec mali.*

Si quis, inquiunt, *oraverit facie ad meridiem versâ, sapientiam consequetur; si ad Septentrionem, divitias.*

Nihil comedi debet numero pari, sed impari, hoc enim numero maximè delectatur Deus.

Si Iudæus quispiam Christianum præcipitio propinquum deprehenderit, ipsum statim præcipitare tenetur. Qui plura hujus generis cupit, consulat Sixtum Senensem lib. 2. Bibliot. sanctæ, propè finem, & alios, qui hæc Judæorum somnia latiùs prosequuntur: isthæc verò quæ attuli, abundè ostendunt eam, quam nunc colunt religionem, vanam esse ac futilem, utpote tot ineptiarum, errorum ac blasphemiarum parentem.

SECTIO

SECTIO QUARTA.

Quantum à Fidei Catholicæ puritate & sanctitate distent Mahometis dogmata.

I. *Fabulæ à Judæorum religione insectâ, fœtida Mahometanorum secta inficienda.*

IUDÆORUM ergo nugis & fabulis relictis, ad sordidam & lutulentam Mahometanorum sectam, porcisque aptiorem quàm hominibus, sermonem transferamus, eámque quantum fas est, & fieri honestè potest, obiter hîc ob oculos ponamus, tot enim in Alcorano illo, quem librum Scripturæ loco Fideique suæ regulæ habent, turpia ac fœda continentur, omnique honestati contraria, ut nemo ea cogitare sine rubore, nedum referre possit. Nec mirum; cùm enim Mahometes ipse, libri hujus, dogmatúmque in eo contentorum auctor, profligatæ planè vitæ, perditissimisque moribus fuerit, & ad omnem libidinem projectus; talis inquam cùm esset, alios suo ingenio fingere voluit, sibique reddere quàm simillimos, efficeréque ut hominem exuentes in brutorum mores sordésque transirent. Sed doctrinam ejus & dogmata tantisper inspiciamus.

II. *Fornicationem suis, imò peccatum nefandum permisit Mahometes.*

Inprimis itaque disciplinam omnem, vivendique rationem, quam in Alcorano tradit, in obscœnitate, turpitudine, spurcitie, carnisque voluptatibus fundat. Suis proinde sectatoribus non fornicationes tantùm, illegitimósque hujuscemodi concubitus concedit, sed, quod horrendum dictu est, peccatum etiam nefandum seu sodomiam liberè permittit. Imo summam hominis felicitatem, finémque ultimum in hujuscemodi voluptatibus, corporisque deliciis constituit, nec aliam suis, etiam post hanc vitam beatitudinem promittit, eamque *Optimam Dei remunerationem* appellat: quod quid aliud est quàm hominum mentibus faces ad libidinem supponere, eósque ad omnem turpitudinem incitare & incendere, incredibilémque morum corruptelam in Rempublicam inducere. *Ad vitia non prona tantùm est, sed præceps via.* Ut enim ad vitium non prona tantùm est sed præceps via, quæ hac in parte ab illis expectari moderatio potest, quibus ab ipso legislatore porta ad luxuriem aperitur, stimulique insuper ad summam in hoc genere nequitiam admoventur, quis inquam miretur si in omni sorte turpitudinum cœno porcorum instar volutent. *Cur Mahometis sectam reliquerit Avicenna.* Qua de causâ Avicenna, etsi Mahometis dogmatibus ac præceptis à puero imbutus, in illâ sectâ annis aliquot permansisset, eam tamen postea, solo naturalis luminis ductu reliquit, quòd scilicet indignum ipsique etiam rationi contrarium ei videretur, hominis felicitatem in re tam vili ac sordidâ constituere.

III. *Varia Mahometis fabula in Alcorano contenta.*

Nec Mahometi suæ etiam desunt fabulæ, quas in Alcorano scriptas reliquit. Docet itaque Solem & Lunam in luce ac splendore pares olim fuisse; dum autem, inquit, Angelus Gabriel festinantiùs cœlum peteret, alas casu Lunæ affricuit, sicque lucem ejus magnâ ex parte extinxit, indéque ortam ait diei noctisque differentiam. Solem insuper singulis noctibus lavare se asserit, atque ita puriorem pulchrioréque die insequente se mundo resurgendo ostendere. Cœlum ait ex fumo factum esse, fumum verò hunc ex vapore maris esso confectum, mare autem ex monte Kaff dicto profluere affirmat, montem denique istum in Angeli manu situm esso docet, amplúmque adeo esse ac spatiosum, ut totam terram immenso quodam ambitu circundet; tantam demum huic monti altitudinem attribuit, ut cœlum suo vortice sustentet. Angelos, ipsúmque etiam Deum pro Mahomete orare asserit.

IV. *Fabulosum & ridiculum iter Mahometi.*

Nihil verò in hoc genere absurdius, quàm fabulosum illud iter, quod se equo illi suo, quem *Alborac* vocat, insidentem susceptisse asserit, in quo tot ridicula ac ficta, omnémque Fidem excedentia recenset, ut mirum sit quemquam, nisi perfrictæ planè frontis, & cui nulla est existimationis cura, ea voluisse referre. Quis ergo hanc procedendi viam, tot sordibus, figmentis, & mendaciis scatentem, ab ullo rationis compote amplectendam existimaverit? quis si cum Fidei nostræ puritate, excellentiâ, majestate eam contulerit, religionis nomen dixerit promereri? Nihilo tamen his Mahometis præceptionibus ac placitis meliora, imo multo fortassis pejora sunt dogmata hæreticorum, ut jam ostendam.

SECTIO QUINTA.

Longè à puritate & sanctitate abest doctrina hæreticorum: ubi etiam de sanctitate vitæ.

I. *Hæreticorum dogmata quantum à puritate doctrinæ Catholicæ discrepent.*

QUISQUIS itaque heterodoxorum doctrinam præceptáque ad Fidem & mores spectantia animo revolverit, eos ne latum quidem unguem Mahometanis hac in parte vel Judæis cedere animadvertet. Aliis autem brevitatis causâ omissis, oculos in nostri tantùm temporis hæresim conjiciam; quæ nihilominus hujuscemodi monstrorum, pravorum scilicet dogmatum, ad morum corruptelam vivendique libertatem & licentiam homines inducentium adeo est fœcunda, ut in eam, omnium ferè sæculorum colluvies, reliquarúmque hæresum sordes velut in sentinam confluxisse videantur.

II. *Absurda quædam recensentur hæreticorum placita.*

Inprimis ergò quid tam absurdum, tam stolidum, tam ab omni penitus ratione alienum, quàm nobis non ineſſe liberum arbitrium, sed homines pecudum ritu agi, & internâ quadam vi ac naturæ pondere ad quidlibet rapi; quod aliud nihil est quàm in scelerum omnium voraginem mortales demergere, efficeréque ut nulli unquam, vel dæmonis suggestioni, vel naturæ depravatæ appetitioni cupiditatique resistere conentur, cum ex hoc hæreticorum principio persuasum habeant, id se præstare non posse, sed ferreâ quadam necessitate ad consensum pertrahendos. *In bona opera acriter invehuntur sectarii.* Huic affine est quod aiunt, divina scilicet præcepta esse observatu impossibilia. Docent insuper bona opera ad salutis, æternæque beatitudinis adeptionem nihil conducere, imo obesse potiùs, viámque ad cœlum præcludere, à quibus proinde sedulò aiunt cavendum. Solam Fidem asserunt ad salutem consequendam sufficere, quàm quisquis servat, quantiscunque se sceleribus ac flagitiis contaminet, cœlum absque omni dubitatione consequetur. Peccata omnia affirmant esse paria, ita ut æquale delictum admittat qui verbum aliquod otiosum profert, ac qui hominem occidit, imo qui uxoris sanguine etiam paterno per summum scelus imbuit. *Novus orationem Dominicam recitandi modus.* Quo sceleratior es (inquit Lutherus, qui ubique pingue quiddam & peregrinum sonat) eo Deo vicinior. Præterea, optimus orationem Domini-

Dominicam recitandi modus est', ut variæ blasphemiæ, execrationes, perjuria, & id genus alia articulis singulis interponantur, ut securi simus habere nos quod dimittat Deus dum in fine, debitorum ab eo remissionem petimus. Fornicationem insuper, imo adulterium approbat hic apostata, & uxoris loco, ancillæ consortium viro interdum permittit. Imo continentiam ab impudicis actibus nemini, ætatis integræ & roboris, nisi Deus faciat miraculum, sectarii censent esse possibilem. Tandem, ne hujus sectæ hominibus suæ etiam desint blasphemiæ, hanc inter alias nefandissimam habent, & meritò ab omnibus execrandam, Deum scilicet, non solùm permittere, sed directè velle & decernere peccata omnia, quæ in dies fiunt ab hominibus, imo occultâ quadam vi & suggestione secretâ homines ad flagitia movere, instigare & impellere: Deum proinde asserunt, verè & propriè causam & auctorem esse omnium peccatorum, utpote quo volente, jubente, prædestinante, impellente perpetrantur. Hæc illi, & alia his similia, quæ quisquis legit, Mohometem haud dubiè revixisse existimabit.

Tetrrima sectariorum blasphemia.

III. Quis itaque non videt inter sectarios, apud quos hujusmodi vigent dogmata, nullam reperiri sanctitatem posse, cùm cuncta ad libertatem & licentiam tendant, hominésque ad libidinem, luxuriam, & omne flagitiorum genus impellant. Hinc non multis postquam hæc secta emersit annis, qui eam amplectebantur, disciplinæ hujus ductu corruptis adeo depravatisque erant moribus, ut apud omnes maximè infames essent, ejusque in qua vivebant Reipublicæ dedecus & probrum haberentur. Sed Lutherum de suo grege ac doctrinâ hac in parte loquentem audiamus: *Mundus*, inquit, *ex hac doctrinâ in dies deterior evadit: quod pessimi damonis opus & negotium est. Enimvero videmus, quòd hoc tempore homines sint magis avari, immisericordes, impudici, procaces, adeoq; deteriores, quàm antea in Papatu fuerunt.* In sermonibus etiam conviv. Germanicis, inter alia sic habet: *Post revelatum Evangelium virtus est occisa, justitia oppressa, temperantia ligata, veritas à canibus dilacerata, fides clausa, nequitia quotidiana, devotio pulsa*, &c. Primarius etiam quidam Lutheri discipulus, miserum eorum statum, qui novi hujus Evangelii doctrinam amplectebantur, suorum scilicet sodalium deplorans, de iis eorumque vivendi ratione sic scribit: *Ut*, inquit, *totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum operum nullum penitus exercent. Iejunii loco, commessationibus & perpotationibus nocte dieq; vacant. Vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt & excoriant. Precationes vertunt in juramenta, blasphemias, & divini nominis execrationes, idq; tam perditè, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur.*

Ex his hæreticorum dogmatibus quanta inter eos morum corruptela sit consecuta.

Lutherus Dominicâ primâ Adventus.

Quid de sui gregis hominibus, quoad vitæ sanctitatem senserit Lutherus.

IV. Hinc Erasmus, etsi hujus sectæ hominibus nimium faverit, multisque ex eorum erroribus dederit occasionem, de iis loquens, sic habet: *Profer mihi, quem istud Evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt scipsis deteriores.*

Erasmus in Epistolâ ad Vulturium Neocomum sectarios taxat.

V. Cum ergo notæ veræ Ecclesiæ sint doctrinæ & vitæ sanctitas, certum omnino est, nec apud Judæos, nec Mahometanos, nec hæreticos veram posse reperiri Ecclesiam. Et licèt inter Catholicos etiam, multi sint vitæ non usque adeo perfectæ, imò qui variis sæpenumero peccatis criminibusque sint irretiti, hoc non ex Ecclesiæ Catholicæ doctrinâ provenit, cujus leges omnes & præcepta ad integritatem morum, vitámque honestè & sanctè traducendam ducunt, sed quia his relictis, appetitui corruptæque naturæ propensioni morem gerunt, sicque innumeris sese implicant sceleribus. Hoc tamen Catholicæ Ecclesiæ veritati non obstat, cùm Christus ipse triticum unà cum zizaniis, adeoque bonos cum malis permixtum iri prædixerit: nullus nimirum locus tam sanctus est, in quo mali non reperiantur; cum nec in paradiso nec Christi schola defuerint.

Concluditur, nec apud Judæos, nec Mahometanos, nec hæreticos esse posse veram Ecclesiam.

Nullus locus tam sanctus in quo mali interdum non reperiantur.

VI. Jure itaque doctrinæ puritas & sanctitas nota est veræ Fidei, & inter præcipua motiva credibilitatis enumeranda, nostræque Ecclesiæ apprimè congruit, utpote in quâ nihil peregrinum, nihil exoticum, nihil non rationi summè consentaneum, nihil denique quod pietatem & sanctitatem non spiret reperitur. Est nimirum usquequaque sancta, sancta capite, sancta sponso, sancta lege, sancta doctrinâ, sancta moribus, & vel hinc ab omni heterodoxorum sectâ evidentissimè discernitur.

Doctrinæ puritas nota est veræ Ecclesiæ.

SECTIO SEXTA.

Miraculorum perpetratio Ecclesiam in qua fiunt, ostendit esse veram.

I. TERTIUM quod doctrinam aliquam reddit evidenter credibilem, est gloria miraculorum: illa siquidem Fides jure meritissimo vera, & ab omnibus amplectenda censetur, ad quam firmandam, stabiliendámque miranda plurima vim omnem naturalem superantia patrantur. Hinc Christus Matth. c. 11. duobus illis discipulis à Joanne missis sufficiens doctrinæ suæ testimonium dedisse se existimavit, dum miracula à se perpetrata iis in memoriam reduxit, & quædam, illis etiam spectantibus patravit: *Euntes*, inquit, *renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis; cæci vident, claudi ambulant*, &c. Marci etiam ultimo in eandem rem dicitur: *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Miraculorum gloria Fidem, ad quam confirmandam fiunt, ostendit esse veram.

II. Ratio autem est, miraculum siquidem, ut ait S. Chrysostomus homil. 14. in Matth. est *pignus quoddam omnipotentiæ divinæ, & proprium opus ejus*, ac veluti sigillum quo veritatem aliquam obsignare solet tanquam à se dictam ac traditam; Deus quippe, teste S. Augustino epist. 49. quæst. 6. *mirabilibus operibus loquitur*: unde quicquid per hujusmodi opera, vim omnem naturæ superantia, confirmatur, evidenter redditur credibile, maximéque dignum cui Fides tanquam rei à Deo dictæ habeatur. Quare summæ illos obstinationis & pervicaciæ arguit Christus, qui tot visis in confirmationem doctrinæ ejus factis miraculis, illam nihilominus non sunt secuti. Sic Joan. c. 15. v. 24. *Si*, inquit, *opera non fecissem in eis, quæ, nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Quod indicium est doctrinam illam, in cujus confirmationem miracula & prodigia fiunt, per ea reddi evidenter credibilem.

Miraculæ sunt sigilla quibus Deus veritatem aliquam obsignat.

Reprehendit Christus eos, qui ipsius miracula contempserunt.

At verò

III. *Certum est in Ecclesiâ Catholicâ semper patrata esse miracula.*

At verò ad Fidei nostræ confirmationem, jam inde à nascente Ecclesiâ, plurima apertissimáque patrata esse miracula certius est, quàm ut à quoquam in dubium vocari possit. Et quidem de Christo Domino, innumera scilicet eum miranda planè & vim omnem naturalem excedentia fecisse constat tum ex sacrâ historiâ tum profanâ; unde & Josephus Judæus, lib. 16. Antiq. ita de Christo loquitur: *Fuit vir sapiens, & operum planè mirabilium effector, hominúmque qui libenter animis veritatem amplecti vellent; magister & doctor.* Apostolos deinde plurima maximáque patrasse miracula, indubitatum apud omnes est: eandem denique mirabilia faciendi virtutem tot jam labentibus sæculis, ad hæc usque tempora in Ecclesiâ permansisse, innumeráque hujusce modi miranda omni ætate facta esse, ita antiquorum testimonio est comprobatum, ut id negare, inquit S. Augustinus lib. 10. de Civitate, cap. 18. foret omnem Fidem humanam evertere.

Potestas patrandi miracula, in Ecclesiâ ad hæc usque tempora permansit.

IV. *Hæc etiam nostrâ ætate plurima patrata sunt miracula.*

Tandem hisce quoque nostris temporibus, & post natam Lutheri hæresim, hanc miraculorum gloriam (frendentibus etiam hæreticis, quibus ne unum quidem ab exortâ eorum sectâ miraculum patrandi fuit potestas) Ecclesiæ Catholicæ non defuisse, inficias ire nemo nisi impudentissimus potest. Quot enim in æde Divæ Virginis Lauretanâ, quot in Hallensi, quot in Aspricollensi, sub ipsis pene heterodoxorum oculis insignia evidentissimáque ab eâ patrata sunt miracula, plurimis, iisque omni exceptione majoribus sæpe inspectantibus, & jurejurando interposito rem ita se habuisse attestantibus, quibus quisquis non esse credendum existimat, is Fidem omnem humanam abrogat, pariúque ratione quicquid unquam literis consignatum est, & ad nos majorum auctoritate transmissum poterit negare.

Sanctissima Virgo Mater Maria innumera hac ætate patravit miracula.

V. *Ab aliis etiam Sanctis plurima hoc tempore constat patrata esse miracula.*

Nec cœli tantùm Regina hac in parte Ecclesiam illustravit, sed aliorum etiam Sanctorum, ut S. Caroli Borromæi, S. Ignatii, S. Philippi Nerii, S. Virginis Theresiæ, B. Aloysii & aliorum intercessione omnis generis morbos curatos esse, dæmonésque ex obsessis hominum corporibus frequentissimè expulsos evidentissimè est compertum. Denique à S. Xaverio Indiarum Apostolo, in novi orbis conversione, tot támque præclara ad Fidem inter barbaras illas gentes propagandam facta sunt miracula, ut jure appellatus sit nostri temporis thaumaturgus.

VI. *Objicitur, nulli constare posse hæc vera fuisse miracula.*

Objiciunt Sectarii: Quamvis negari nequeat signa hujusmodi quoad externam speciem facta sæpius fuisse, unde tamen constat ea vera fuisse miracula: dæmonum siquidem præstigiis res miras interdum planéque prodigiosas fieri indubitatum est, ut Exodi septimo de Magis Ægyptiis habetur, idémque de cæco & claudo, quos à Vespasiano sanatos esse refert Suetonius, dicendum, illum scilicet nec cæcum verè, nec hunc verè claudum fuisse, corruptis videlicet organis, sed ita solummodo fuisse affectos, ut naturæ vi, adeóque ope dæmonis curari potuerint.

VII. *Sectariorum nullus mirum aliquod hujusmodi, etiam quoad externam speciem facere potuit.*

Sed contra: Nullus enim ex hujus sectæ hominibus istiusmodi aliquod mirum, etiam quoad externam speciem facere potuit: quod si Lutherus, aut alius quispiam de hoc hominum grege vel equum aut canem claudum curare, aut muscam aliquam vel pulicem, etiam quoad apparentiam externam resuscitare potuisset, quo eum præconio ornarent novi Evangelii buccinatores, quibus ad cœlum usque laudibus extollerent, non templum, non domus, non taberna reperiretur, quæ hujus facti famâ non personaret; nec deessent Suetonii qui rem scripto mandarent, perpetuámque ejus memoriam ad posteros traducerent.

VIII. *Quàm infeliciter sectarii miracula patrare tentaverint.*

Verùm hujusmodi nihil, ne per umbram quidem præstare unquam potuerunt, quantumvis miraculum aliquod patrandi summâ cupiditate ac studio flagrarent, idque non semel ad auctoritatem sibi apud suos conciliandam tentarint, semper tamen infeliciter; Luthero siquidem, dum dæmonem è quadam fœminâ ejicere conaretur, quàm miserè res successerit, & in quas redactus sit angustias narrat Fredericus Staphilus, qui interfuit. Calvinus verò, ut miraculum semel saltem patrasse videretur, miserum quendam hominem pecuniâ corrupit, ut se mortuum singeret, & quemadmodum Lazarus ad Christi, ita ipse ad Calvini eum inclamantis vocem subitò velut à morte resurgeret. At res hæresiarchæ non successit ex sententiâ; cùm enim magnâ comitante hominum catervâ, ad locum ubi res peragenda erat accessisset, omnibus ad rei eventum attentissimis hominem nomine compellatum resurgere jubet, & è loculo prodire; sed cùm id iterum ac sæpius jubenti, altiúsque & altiùs vociferanti vir ille non pareret, nec ullum vitæ signum ederet, accedentes ad loculum nonnulli eum planè mortuum repererunt, sicque Calvini fraus in caput ejus recidit, nam quem fictè suscitare volebat, seriò occidit, dignúmque patravit novo Evangelio miraculum. Hi ergo homines, dum nullum se miraculum facere posse cernunt, miracula contemnunt.

Calvini fraus in caput ejus recidit.

IX. *Ut miracula Fidem reddant evidenter credibilem, sufficit eorum certitudo moralis.*

Ad argumentum itaque num. 6. propositum Respondeo, cùm miracula non eò tendant, ut rem, ad quam testandam patrantur, reddant evidenter veram, sed tantùm evidenter credibilem, non requiritur certitudo metaphysica de eorum veritate, sed sufficit certitudo moralis, quæ tanta interdum esse potest, ut ab homine etiam prudente in dubium vocari nequeat: sic quis modo dubitat extitisse aliquando Cæsarem, Pompeium, Alexandrum, & alios, de quibus nihilominus nullam habet certitudinem metaphysicam, sed tantùm moralem, quæ tamen ejusmodi frequenter est, ut omnem dubitationem excludat.

X. *Declaratur ulteriùs quomodo certitudo metaphysica ad credendum miraculum non requiratur.*

Quando ergò quempiam jacentem quis inanimem cernit, idque diu, medicis etiam, ad quos hujus rei judicium pertinet, rem ita se habere affirmantibus; si hunc, nullo adhibito naturali remedio, ad solam hominis alicujus vocem, vel orationem pro eo ad Deum fusam, subitò resurgere videt, & ad pristinam sanitatem ac vires momento restitui, quis inquam, prudenter dubitare potest, illum ope divinâ & miraculosè esse resuscitatum, etsi metaphysicam hac de re certitudinem non habeat; sicut namque satan se subinde transfigurat in Angelum lucis, ita præstigiis quibusdam efficere potest ut homo mortuus appareat, cùm nihilominus vivat, sicque amoto subitò impedimento eum quoad speciem externam ad vitam revocare. Et sanè, quisquis hoc modo miracula hujus temporis impugnat, ipsius etiam Christi miracula impugnare eâdem ratione posset.

XI. *Ad Fidem nostram cõfirmandam innumera patrata sunt miracula.*

Sed quicquid sit, Utrum unum hujusce modi miraculum rem, ad quam testandam patratur, reddat evidenter credibilem, de evidentiâ credibilitatis Fidei nostræ dubitare nemo potest, utpote ad cujus testificationem tot támque præclara

in omni

in omni orbis parte facta sunt miracula, ut est manifestissimum: & hanc dicimus esse notam veræ Ecclesiæ, ut nimirum crebra & eximia in eâ fiant miracula, non unum tantùm vel alterum, quod etiam ab hæreticis fieri posse nonnulli ex Theologis existimant. Hinc Suarez hîc, Dis. 4. Sect. 3. num. 10. ait Deum interdum miracula per pravos homines ad conferendam sanitatem aut alium hujusmodi finem operari, quamvis, inquit, id rarò contingat; ad doctrinam tamen falsam comprobandam miraculum asserit fieri nullo modo posse, sic enim Deus cooperaretur mendacio, & foret testis falsi. Ratio autem ulteriùs est; si enim Deus alicui potestatem patrandi miracula ad probationem doctrinæ falsæ conferret, non ordinatâ ac debitâ usus fuisset erga homines providentiâ, cum eos absque viâ reliquisset ad Dei cultum perveniendi: hîc nihilominus non statuo quid per absolutam suam potentiam facere possit.

Duobus modis fieri potest miraculum.

XII. Concludo itaque illam esse veram Ecclesiam, in qua maxima fulget miraculorum gloria, præsertim si per illius ritus & pietatis exercitia fiant, ut per reliquiarum & imaginum cultum, per Sanctorum invocationem, &c. uti passim in Ecclesiâ Catholicâ fieri cernimus, quod clarissimum argumentum est, ejus fidem & doctrinam esse orthodoxam atque ab omnibus amplectendam. Rectè tamen Matthæi 24. vers. 24. monet Christus cavendum esse à signis & prodigiis, Antichristus namque prodigia varia & signa ostendet, ficta tamen omnia & fallacia: meritò proinde examinanda sunt hæc signa, ne quis pro veris falsa miracula obtrudat. Porro hoc miraculorum examen ad Ecclesiam spectat, cujus est in nova quæ nunc fiunt miracula inquirere, eáque ubi suis quodque momentis ponderaverit, comprobare vel rejicere: miracula autem quæ alicui sunt prima Fidem amplectendi seu acceptandi causa, ex circumstantiis, in quibus fiunt, sunt discernenda, nempe ex fine, si nimirum ad nihil pravum & inhonestum, sed ad probum aliquid & honestum suadendum patrentur. Persona etiam ejus, qui miraculum illud perficit est consideranda, si nimirum probæ vitæ sit & integris moribus; quamvis namque Deus, ut proximè dictum est, per hominem improbum patrare miraculum possit, id tamen vix unquam contingit: hinc Joannis 9. vers. 16. sic habetur: *Quomodo potest peccator hæc signa facere?* & v. 30. *In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos.* Ex his ergò & aliis circumstantiis, quas affert Suarez hîc, Disp. 4. Sect. 3. num. 9. evidenter, inquit, evidentiâ quadam naturali constare potest sitne verum an fictum miraculum, & hunc modum ea distinguendi ibidem ait à sanctis Patribus esse traditum.

Per ritus & pietatis exercitia Ecclesiæ Catholicæ frequentissima fiunt miracula.

Signa & prodigia sunt examinanda.

Ad miracula vera à falsis dignoscenda varia consideranda sunt circumstantia.

Quo pacto Patres vera miracula à falsis docent esse distinguenda.

SECTIO SEPTIMA.

Ex unitate doctrinæ probatur Fidem nostram esse evidenter credibilem.

I. QUARTUM, quod doctrinæ cuipiam evidentiam credibilitatis affert, est illius unitas, si nimirum in dogmatibus ita sibi sit consentiens, ut in rebus ad Fidem spectantibus nulla in eâ cernatur discrepantia, sed consonantia summa & conformitas. In hac Ecclesiæ notâ illustrandâ, quantumque ad doctrinam illius amplectendam conferat declarando, multi sunt sancti Patres, inter quos, ut alios brevitatis causâ omittam, sic loquitur S. Cyprianus: *Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latiùs expandit; unum tamen caput & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa*, &c. Unde in Symbolo Nicæno hoc unum ex Ecclesiæ signis statuitur: *Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.*

Ex unitate Fidei Catholicæ ostenditur eam esse evidenter credibilem.

S. Cyprian. lib. de unitate Eccles. cap. 5.

Hanc porrò doctrinæ ac Fidei unitatem in Ecclesiâ Catholicâ reperiri, luce clarius est; quod enim Itali credunt credunt Hispani, quod Galli ut Fidei articulum amplectuntur, amplectuntur pariter Germani, Poloni, Belgæ, Angli, quotquot post tam acerbam ac diuturnam persecutionem, totque & tam graves religionis ac Fidei causâ toleratas calamitates, singulari Dei beneficio in Ecclesiæ gremio continentur. Hi inquam omnes, etsi aliis in rebus animis maximè discordes, gravissimâsque etiam inter se exerceant simultates, in fide tamen ac religione ita conspirant, ut nec minima hac in parte inter eos reperiatur dissensio. Licèt etiam de quibusdam quæstionibus acriter interdum decertent Theologi, & suam quisque sententiam summâ contentione tueatur, in rebus tamen ad Fidem spectantibus unus omnium est sensus, vox eadem, atque ad illarum defensionem totis se viribus accingunt.

II. *Ostenditur perfectam in Ecclesiâ Catholicâ dari Fidei unitatem.*

Circa res Fidei summa est inter Theologos consensio.

III. Longè alio modo res se habet apud sectarios, inter quos circa præcipua etiam Fidei mysteria incredibile dictu est quanta inter ipsos sit sententiarum imò sectarum diversitas; dissident quippe de Christi in Eucharistiâ præsentiâ, de baptismo, de bonis operibus, de justificatione, de libero arbitrio & aliis hujusmodi, idque tam acerbè, ut omni se opprobriorum genere proscindant, seque invicem Ethnicos, Judæos, Turcas, Atheos, dæmones appellent, ut fusè ostendi tomo præcedente, Disp. 1. sect. quartâ, breviùs proinde hic ea percurro.

Innumeræ sunt hæreticorum circa præcipuos Fidei articulos inter se dissidia.

IV. Ubi ergo Ecclesiæ se opposuit Lutherus, & hanc viam ingressus est, illico in varia membra & capita ejus hæresis excrevit, tantâque celeritate, ut exiguo temporis spatio in triginta quatuor diversas sectas sit divisa. Imò notatu dignum est, quod curiosi harum rerum indagatores animadvertunt, nempe postquam sceleratus hic apostata Ecclesiam impugnare cœpit, suamque in hominum animis hæresim serere, tam fœcunda fuisse hæc ab eo jacta semina, ut ducentæ septuaginta sectæ inde pullulaverint, cùm tamen ab ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis ad Lutherum per mille quingentos annos non nisi 181. hæreses exiterint, ab omnibus quotquot per tot annorum seriem fuerunt hæreticis exortæ.

Post Lutherum 270. hæreticorum secta sunt exorta.

Ab exordio Ecclesiæ ad Lutherum hæreses 181.

V. Ad ostendendum verò quàm exigua, aut nulla potius inter nostri temporis sectarios sit doctrinæ circa res etiam præcipuas ad Fidem & religionem spectantes unitas & constantia, sed discordia maxima & instabilitas, appositissimum est quod ante annos aliquot de Georgio Saxoniæ Duce refertur. Interrogatus is aliquando à viro quodam primario quid in Saxoniâ tenerent prædicantes seu ministri, quos scilicet Fidei articulos ac dogmata admitterent, & populo credenda proponerent; quid hoc anno, inquit, teneant scio, quid

Ulteriùs ostenditur nullam inter sectarios esse doctrinæ unitatem.

anno

anno insequente tenebunt, penitus ignoro. Hæc nimirum istorum hominum est indoles; quod hodie ut dogma certissimum, summa firmitate credendum proponunt, cras rejiciunt, & aliud amplectuntur, sicque de Fide in Fidem pro libidine transmigrant, & religionem ut vestem mutant, innumerisque sese implicant erroribus.

VI. *Puncto in medio circuli constituto non incongruè confertur veritas.*

Veritas nimirum una, viæ errandi infinitæ. Hinc non inscitè veritas centro circuli, seu puncto in illius medio constituto comparatur, à quo variæ ad circumferentiam omni ex parte ducuntur lineæ, quæ quo magis à centro recedunt, eo magis distant à seipsis. Quot lineis à centro ad circumferentiam, tot viis à veritate ad errores abitur: unde nostri temporis sectarii, dum suâ quisque semitâ incedendo à veritate recedit, recedunt à seipsis, non Ecclesiæ magis quàm sibi invicem dissentanei. Imò usque adeo, uti dixi, sunt discordes, ut diris se passim devoveant, omnique maledictorum, execrationum, & opprobriorum genere excipiant. Et quamvis (ut veritas odium parit) Catholicos, seu veræ Fidei cultores cane pejus & angue aversentur, se tamen mutuò oderunt magis, acriùsque multo ac vehementiùs insectantur, quàm orthodoxos, ut Disp. illâ primâ tomi præcedentis, sect. 4. latiùs ostensum est.

Sectarii sibi-ipsis maximè sunt discordes.

VII. *Hic Sectariorum spiritus, non Dei spiritus est, sed dæmonis.*

Ex his ergo clarè constat, hunc quo agu[illegible] sectarii spiritum, non Dei sed mali dæmoni[illegible]sse; *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis*; ut ac[illegible]et Apostolus 1. Corint. 14. v. 33. Constat insuper eorum doctrinam, quæ tam varia est, nihilque in se habet firmitatis aut constantiæ (omni quippe vento doctrinæ circumferuntur) non ex divinâ inspiratione & instinctu, sed ex spiritu erroris, humanique generis hoste procedere. Eorum itaque est Deus, non qui in varias vias dissecti distractique arundinum instar agitantur, sed qui rixis & altercationibus omissis, junctis animis in unam eandemque doctrinam summâ consensione conspirant: *Unus* enim *Dominus, una Fides*, &c. *Et factus est in pace locus ejus.*

Ad Ephes. 4. v. 5. Psal. 75. v. 2.

SECTIO OCTAVA.

Declarantur alia motiva, quibus Fidei nostræ credibilitas ostenditur.

I. *Efficacia doctrinæ eam probat esse evidenter credibilem.*

QUINTUM ex quo doctrina aliqua ostenditur esse evidenter credibilis, est illius efficacia; ex eo namque Christi doctrinam præstantissimam fuisse docent omnes, quòd per Apostolos aliosque ejus discipulos prædicata; homines ubique ab erroribus ad veritatem, ab idolis ad veri Dei cultum, à vitiis denique ac sordibus ad castam, puram & incorruptam Christi legem converterit.

II. *Hæc doctrina efficacia etiamnum in Ecclesiâ Catholicâ perseverat.*

Hanc doctrinæ efficaciam etiamnum in Ecclesiâ persistere nullus citra temeritatem negare potest: quid enim clarius, quàm his etiam nostris temporibus virorum Apostolicorum operâ plurimos à gentilitate, ac superstitiosâ inanium Deorum veneratione, corruptisque moribus, ad nostram, hoc est Catholicam Fidem amplectendam, vitamque honestè instituendam esse traductos. Atque ut alios taceam, quis est qui ignorat, quot S. Xaverii prædicatione, industriâ, laoribus, quot inquam gentes & nationes integræ ad Christi Fidem conversæ, Ecclesiæque adjunctæ sint, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Eadem ergo quæ olim, nunc etiam est in nostrâ Ecclesiâ doctrinæ efficacia, quæ proinde Fidem reddit evidenter credibilem.

III. *Doctrinæ alicujus credibilitas maximè ostenditur ex ejusdem antiquitate.*

Sextò, doctrinæ alicujus credibilitas ostenditur ex ejusdem antiquitate: *In illâ Ecclesiâ*, inquit S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, cap. 9. *permanendum est, quæ ab Apostolis fundata, usque ad hanc diem durat*, &c. Sanctus etiam Augustinus Concio. 2. in psal. 101. sic in hanc rem scribit: *Sed illa Ecclesia* (inquiunt Donatistæ) *quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt qui in illâ non sunt. O impudentem vocem* &c. Constans denique est Patrum omnium sententia, sacrarum etiam literarum calculo firmata, illam doctrinam ut fide dignissimam tenendam esse, quæ ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque interruptâ serie pervenit. Initio verò Ecclesiæ hoc motivum, sicut alia nonnulla in eâ non reperiebatur.

Quæ doctrina ex Patrum sententiâ sit amplectenda.

IV. *In Catholicâ Ecclesiâ eadem semper floruit doctrina.*

Hanc verò doctrinæ antiquitatem, perpetuámque ab ipso Ecclesiæ exordio ad hæc usque tempora continuationem, in nostrâ Ecclesiâ esse, inde apertè ostenditur, primò siquidem nullus unquam historiographus ullam in eâ factam fuisse doctrinæ mutationem recenset. Deinde, si quis Patrum, qui sibi tot sæculis successerunt, scripta revolvat, eandem quam nos jam tenemus doctrinam totidem penè verbis ab iis traditam reperiet: quod clarissimè probat, quæ nos modò tuemur dogmata, non noviter inventa & excogitata, sed olim omnique adeo tempore admissa ab Ecclesiâ fuisse, esseque vel ipsâ antiquitate veneranda.

V. *Quod doctrina nostræ Fidei sit undique diffusa arguit eam esse evidenter credibilem.*

Septimum, quod doctrinam jam ab Ecclesiâ traditam, evidenter reddit credibilem, est quòd sit *Catholica*, seu per orbem usquequaque diffusa. Hinc pulchrè Lirinensis in Commonitorio: *Teneamus*, inquit, *id quod ab omnibus, quod ubique, quod semper est creditum.* Nomen itaque *Catholicæ*, momenti semper plurimum secum attulit, quóque sanctitate quis, sapientiâ ac doctrinâ magis excelluit, eò illud plurìs faciendum censuit. Quanti verò apud lumen orbis Augustinum fuerit, testatur celeberrimum illud ejus dictum contra Epistolam fundamenti, cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesiâ ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Ecclesiam Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Appositissimè etiam ad hanc rem Pacianus Episcopus Brachionensis Epistolâ primâ ad Sympronianum: *Christianus mihi nomen est*, inquit, *Catholicus cognomen: Illud me nuncupat, istud ostendit.*

Quanti apud Patres fuerit nomen Ecclesiæ Catholicæ.

VI. *Doctrina aliqua ratione universalitatis acquirit auctoritatem.*

Quod de Ecclesiâ docent Patres, vel ipsum scilicet Catholicæ nomen sufficere, ut quis se ei, relictis aliis adjungat, idem de doctrinâ seu fide per quam Ecclesiâ constituitur dicendum, illam scilicet veram, illam puram, illam orthodoxam esse, quæ longè latéque per nationes diffusa *Catholicæ* appellationem obtinuit. Quare hæc vox *Catholica* ita vehementer exagitavit vexavitque Lutherum, ut teste Tannero hic, Disp. 1. q. 3. dub. 4. num. 150. eam ex Symbolo Apostolico germanico homo impudens expunxerit. Nomen porrò *Catholicæ* seu universalis, Ecclesiæ ac Fidei

Impium Lutheri factum.

nostræ competere evidentissimum est, ipsis etiam adversariis fatentibus, & hanc ei appellationem passim, quamvis invitè, evidentissimáque veritate cogente tribuentibus.

VII. *Perpetua Episcoporum in Sede Divi Petri, seu Ecclesiâ Romanâ successio ostendit nostram doctrinam esse evidenter credibilem.*

Octavum, quod Ecclesiam esse veram, ejúsque doctrinam evidenter credibilem ostendit, est perpetua, præsertim Romæ, Episcoporum successio. Hanc ut manifestam Ecclesiæ veræque Fidei notam amplectuntur Sancti Patres, Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphanius Hæresi 27. Tertullianus de Præscriptionibus, cap. 32. & alii. S. verò Augustinus contra Epistolam fundamenti cap. 4. sic in hanc rem loquitur: *In Catholicâ Ecclesiâ me tenet, ab ipsâ Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Cùm ergo ex omni antiquitatis memoriâ constet hoc Romanæ Ecclesiæ competere, nec in ullo sectariorum seu hæreticorum conventu reperiri, apertissimè arguit solam Romanam Ecclesiam veram esse, ejúsque doctrinam acceptatu dignissimam. Hoc ergo punctum concludo pulcherrimo Divi Augustini dicto lib. de utilitate credendi, cap. 17. *Dubitamus*, inquit, *nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolicâ Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* Hæc S. Doctor & ad rem præsentem de successione Episcoporum, & ad totum hunc de Fidei nostræ credibilitate tractatum appositissimè.

Pulcherrimum D. Augustini dictum circa successionem Episcoporum.

DISPUTATIO OCTAVA.

De certitudine & infallibilitate motivorum.

MOTIVA credibilitatis ejusmodi esse diximus ut Fidem nostram, seu doctrinam ad cujus acceptationem ordinantur, reddant creditu dignissimam, nullumq; cui modo debito proponuntur, iis citra temeritatem refragari posse, aut doctrinam cui applicantur respuere. Nunc ergo ulteriùs videndum, utrum inter hæc motiva & mysteria quorum acceptationi deserviunt sit connexio etiam infallibilis, quod plenius declaratur in sequentibus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum positis motivis necessarium sit rem, ad quam ostendendam ponuntur, esse veram.

I. *Status præsentis quæstionis proponitur.*

QUÆSTIO est, an strictè adeo mysterium aliquod & motiva, ut motiva sunt, inter se connectantur, ut horum positio evidenter convincat rem illam ita se habere, nec aliter fieri posse: quod aliis terminis à nonnullis proponitur, utrum motivis credibilitatis possit subesse falsum. Dixi, *ut motiva sunt*, seu ut omnem actum Fidei antecedunt, & quantum discursu naturali ex historiâ, experientiâ, & similibus haberi possunt. Quædam siquidem ex his motivis, seu objecta illa sunt Fide certa, & hoc modo falsum iis subesse nequit: Fide siquidem divinâ credimus Christum & Apostolos vera patrasse miracula, &c.

Quædam ex his motivis sunt Fide divinâ certa.

II. *Triplex inter motiva & res credendas connexio.*

Ad præsentem autem quæstionem clariùs intelligendam advertere oportet, connexionem inter res aliquas esse posse triplicem, *Metaphysicam*, quando nimirum impossibile omnino est unâ positâ aliam non poni, vel divinitus, qua ratione modus connectitur cum re modificatâ: *Physicam*, ubi tantùm ex naturâ rei connectuntur, ut accidentia panis cum panis substantiâ, lux cum Sole, &c. quamvis per miraculum separari à se invicem possint: & *Moralem*, quando scilicet ut plurimum duæ res sese invicem comitantur, quamvis nulla vel Physica vel Metaphysica inter eas reperiatur necessitas. Huic triplici rerum inter se connexioni triplex respondet certitudo seu evidentia, Metaphysica, Physica & Moralis. Quærimus itaque quænam ex his tribus connexionibus inter motiva & rem cui attestantur intercedat, & consequenter quænam in actu seu assensu ad ea secuto reperiatur evidentia. Tandem quia duobus modis intelligi potest hæc inter motiva & mysteria, quibus applicantur connexio, vel scilicet ex naturâ rei, vel ordinatione divinâ, quòd nimirum Deus decreverit ut hæc motiva non nisi ad veritatem ostendendam ponantur, rem in utrâque acceptione discutiam.

Videndæ connexio.

Triplici connexioni triplex respondet evidentia.

Connexio ex naturâ rei & ordinatione divinâ.

III. *Prima sententia ait summam, etiam ex naturâ rei, inter motiva & Fidem esse cõnexionem.*

Prima itaque sententia affirmat, eam inter motiva credibilitatis & rem ad quam confirmandam assumuntur, esse ex naturâ rei connexionem, ut nisi re ita se habente, motiva poni omnino non possint.

possint. Asserunt proinde hi auctores hæc motiva apertè convincere Fidem nostram non creditu tantùm dignissimam esse, sed etiam veram: ita Lorca hic, Disp. 10. num 10. & Disp. 16. hanc etiam sententiam teste Tannero hîc, Disp. 1. quæst. 2. dub. 5. num. 111. expressè tenet P. Suarez: idem docet Tannerus ipse loco citato, num. 135. & alii.

IV. *Secunda sententia negat infallibilem inter motiva & veritatem rei connexionem.*

Secunda, eáque multo inter Theologos communior sententia negat tantam inter motiva & rem, ad quam ordinantur, esse connexionem, ut motivis positis necessarium sit rem ita se habere, ut motiva exigere videntur: ita Valentia hîc, punct. 4. Turrianus Disp. 7. dub. 6. Coninck Disp. 11. num. 47. ex antiquis etiam hanc sententiam amplectuntur Durandus in Prol. quæst. 1. Ockam, Gabriël, & alii.

V. *Ex ordinatione saltem divinâ poni nequeunt omnia motiva ad testandum falsum.*

Prima Conclusio: De facto, & spectatâ lege seu ordinatione divinâ, non potest omnibus Fidei motivis subesse falsum. Hoc apertè probat id quod Disp. præcedente, Sect. 6. num. 1. attuli, ubi Christus ad probandum se esse verum Messiam dixit discipulis Joannis: *Renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis; cæci vident, claudi ambulant*, &c. ergò saltem ex ordinatione divinâ poni omnia Fidei motiva nequeunt ad testandum falsum; alioquin hoc Christi dictum nullam haberet efficaciam. Hinc Deum videmus præcipuis quibusdam viris, sanctitate maximè conspicuis, ut Moysi, Eliæ, & aliis in vetere testamento donum patrandi miracula concessisse. Omnium verò perfectissimè hanc potestatem habuit Christus, eámque & exercuit ipse, plurima & præstantissima miracula faciendo, & suis Apostolis communicavit ad veritatem testandam, *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*. Deus ergo solummodo hanc virtutem concedit ad verum testandum, & consequenter positis motivis, saltem omnibus, non potest ex Dei ordinatione iis subesse falsum.

Donum patrandi miracula à Deo conceditur ad testandam veritatem.

VI. *Ulteriùs ostenditur hæc motiva solummodo ad verum confirmandum ordinari.*

Quod verò decreverit Deus ut hæc motiva, Fidei tantùm divinæ & veræ, non falsitatis signum sint, apertè ex divinis literis ostenditur: sic namque Isaiæ 35. vers. 5. miracula prædicuntur à vero Messia patranda, & ad illius adventum comprobandum: *Tunc*, inquit Propheta, *aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*: quæ omnia in Christo exactissimè completa fuisse manifestè constat ex Scripturis. Quare Judæi admittentes vetus testamentum, & suppositis prophetiis ac prædictionibus de miraculis per Messiam patrandis, ubi Christum tot ac tanta miracula facientem viderunt, apertè convincebantur eum fuisse verum Messiam, quamvis invidiâ & malitiâ occæcati oculos ultro occluserint, eúmque post crebras ac diuturnas persecutiones, diris tandem suppliciis mortéque crudelissima affecerint.

Judæi ex miraculis Christi convincebantur eum esse verum Messiam.

VII. *Deus in novo Testamento miracula ad veræ doctrinæ confirmationem instituit.*

In novo etiam testamento habemus Deum potestatem patrandi miracula ad veræ doctrinæ confirmationem instituisse; Actorum enim 4. v. 29. dicitur Deus ad hunc effectum manum suam ad sanitates & signa varia ac prodigia extendisse, ut nimirum Christi divinitas, ejúsque à mortuis resurrectio manifestaretur. Apostolus etiam ad Hebræos 2. vers. 4. ait doctrinam à Domino traditam, ab iis qui audierunt, in nos confirmatam esse, *contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus*, &c. Huc etiam spectat illud Marci ultimò: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Ex quibus non minùs convinci possunt hæretici Fidem Catholicam, quæ tot miraculis confirmatur ac stabilitur, esse veram, quàm olim ex miraculis convincebantur Judæi Christum fuisse Messiam & verum Deum.

Non minùs ex miraculis convincuntur hæretici, quàm Judæi.

SECTIO SECUNDA.

Ulteriùs declaratur utrum motivis credibilitatis possit subesse falsum.

I. *Motiva credibilitatis Fidei Catholicæ moralem assurant certitudinem.*

Secunda Conclusio: Motiva credibilitatis non tantùm ex lege & ordinatione divinâ, sed etiam ex naturâ rei eam cum re, cui attestantur, habent connexionem, ut moraliter certum sit Fidem, ad quam confirmandam deserviunt, esse veram: ita Suarez & alii Sect. præcedente, num. 3. citati, & videtur mens S. Thomæ, tum hîc, quæst. 5. art. 3. tum 3. parte, quæst. 47. art. 5. Corp. ubi ait Judæos vidisse evidentia signa divinitatis Christi, estque communis Theologorum sententia.

II. *Ostenditur motiva credibilitatis reddere Fidem nostram moraliter certam.*

Ratio conclusionis est; certitudo namque moralis illa est, quæ tantis támque urgentibus nititur rationibus, ut homo, cui innotescunt, de re ad quam probandam conferunt, prudenter dubitare nequeat, etsi metaphysicè certum non sit rem illam ita se habere, seu implicare contradictionem ut non ita sit ut hæ rationes suadent: sicut qui Romam non viderunt, de illius tamen existentiâ non dubitant, nec prudenter dubitare possunt, quamvis nullam hac de re habeant certitudinem metaphysicam, nec implicet contradictionem falli illos omnes aut fallere velle, aliisque imponere, qui verbo vel scripto eam existere affirmant.

III. *Declaratur moralis certitudo motivorum Fidei.*

Jam ergò multo firmiora Fidei nostræ habemus motiva, quàm Romam esse, si divinam de illius Urbis existentiâ revelationem secludamus, longéque certius est, etiam ex vi motivorum, Fidem nostram esse veram, utpote quæ à tot viris sanctitate & doctrinâ conspicuis, qui jam inde à nascente Ecclesiâ floruerunt, defensa est & illustrata, tot Martyrum coronis velut laureis ornata, tot miraculis confirmata & stabilita, ac denique è tot præliis ac persecutionibus victrix, de infidelitate, de hæresi, de dæmone triumphans, ad hæc usque tempora inconcussa inviolatáque permansit: longè, inquam, certius est doctrinam istam ob hæc & alia motiva Disputatione præcedente recensita, Fide dignam esse, quàm ullius urbis, aut alterius rei, quot eam cunque esse affirment, existentiam.

Fides de infidelitate, de hæresi, de dæmone victrix.

IV. *Ad Dei erga hominem providentiam spectat ut non permittat eum ex his motivis decipi.*

Accedit, cum res hæc tanti sit momenti, qualis est vera Fides, & æternæ salutis consecutio, valde decere Deum perfectam erga hominem habere providentiam, & non permittere (quicquid per divinam potentiam fieri possit, de quo Sectione sequente) ut cum tanto motivorum apparatu, nullo præsertim indicio, aut ratione dubitandi apparente in contrarium, decipiatur, sicque nullum habeat modum cognoscendi loquelam Dei, & actus veræ Fidei exercendi.

V. *Alia circa moralem connexionem motivorum cum re, cujus attestationi deserviunt.*

Hinc ergo constare videtur motiva hæc, si plenè penetrentur, id ad cujus attestationem ordinantur reddere moraliter certum. Hinc Psal. 92. vers. 7. dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt*

Tom. II.

sunt nimis. Christus etiam Joan. 10. v. 25. sic loquitur: *Opera quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me:* & vers. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et hoc saltem innuit, quod libro primo de Trin. cap. 2. ait Richardus de S. Victore: *Si*, inquit, *error est quod credimus, à te decepti sumus: iis enim signis doctrina hæc confirmata est, quæ nisi à te fieri non potuerunt.* Unde ad hanc moralem certitudinem non est necessarium ut motiva omnia simul sumpta concurrant, sed duo, aut etiam fortassis unum ex præcipuis, miracula scilicet, ad hoc videtur sufficere.

Unum interdum ad hoc motivum sufficit.

VI. *Objic. falsa miracula permittit Deus, qua homines à veris non possunt discernere.*

Objicies primò illud Christi, Matth. 24. v. 4. *Surgent Pseudo-christi & Pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia*, &c. Apostolus etiam 2. ad Thessalonicenses c. 2. v. 9. de Anti-Christo loquens: *Cujus*, inquit, *adventus est secundum operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*; cæcos namque, ut aiunt Patres, mutos, claudos curabit, imò & mortuos suscitabit. Potest ergo Deus permittere ut quis per miracula decipiatur.

VII. *Aliud est quòd quis fallis, aliud quod veris miraculis decipiatur.*

Respondetur primò, disparem longè hic esse rationem; in hoc enim casu fictis non veris miraculis fallerentur, ad quæ Deus peculiari modo non concurrit; ad vera autem miracula cum specialem & extraordinarium concursum applicet, multo difficiliùs est ut Deus his quàm illis hominis decipi permittat. Secundò dico, posse eos, qui Anti-Christi & aliorum prodigia intuentur, dignoscere ea non vera sed falsa esse, & ope dæmonum facta, tum quia à Christo hac de re sunt præmoniti, tum quia Elias & Henoch multo plura & majora signa edent, sicut Moyses plura fecit quam Magi Ægyptiorum, unde judicare potiùs deberent, Fidem quàm Elias & Henoch prædicant, esse veram, quam illam Anti-Christi & aliorum. Deinde ex variis circumstantiis internoscere quis potest, veráne an falsa sint miracula, ut ex fine, si nimirum non ad pravum aliquid fiant, sed ad bonum & honestum: item ex circumstantiâ personæ, si scilicet honestæ & integræ vitæ sit, non pravæ ac dissolutæ, quas circumstantias declaravi Disp. præcedente, fine. Tandem cognosci hoc potest ex duratione vel sanitatis restitutæ, vel morbi. Sic S. Lucas ut tanto certiùs constaret de miraculo, quo S. Petrus hominem ab utero claudum curavit, ait Act. 4. v. 22. eum, quando sanus factus est, annorum fuisse ampliùs quadraginta: dæmon quippe brevem vel morbum, vel sanitatem facilè dissimulat, non diuturnam.

Variis modis dignosci possunt ficta miracula à veris.

Vera miracula ex fine, ex numero, ex personâ, ex duratione sciuntur.

VIII. *Mysteriorum difficultas minui, imo superari potest per motiva.*

Objicies secundò: Mysteria varia, ut Trinitatis, Incarnationis, &c. difficillima captu sunt, & supra naturam, nulla ergo motiva efficere possunt, ut sint evidenter credibilia. Respondetur negando consequentiam; quamvis enim, ut Disp. præcedente, sect. 1. n. 5. dixi, ex Mysteriis alia aliis sint altiora ac creditu difficiliora, penetratis tamen paulatim motivis, hæc eorum difficultas emollitur, ac tandem, ubi de positis motivis, eorumque præstantiâ plenè constat, penitus tollitur, & haud difficulter captivatur intellectus in obsequium Fidei: qua de re plura dicta sunt Disp. præcedente, sect. 2. num. 1. & 2.

SECTIO TERTIA.

Quid divinitus fieri possit circa connexionem motivorum cum re cui attestari videntur.

I. *Motiva non connectuntur Metaphysicè cum rei veritate.*

Tertia Conclusio: His tamen non obstantibus, mihi probabilius videtur, inter motiva & rei veritatem non intercedere connexionem Metaphysicam, sed de potentiâ absolutâ posse iis subesse falsum, seclusâ lege & ordinatione, quam in præsenti rerum statu habet Deus, statuendo scilicet ut hæc motiva de facto non nisi ad testandum verum ponantur: ita auctores Sect. 1. num. 4. citati.

II. *Ratio cur inter veritatem rei & motiva non sit Metaphysica connexio.*

Probatur Conclusio primò: Ex nullo siquidem capite ostendi potest hæc tam stricta connexio; quid enim vetat verum miraculum fieri in confirmationem rei falsæ. Dices, quia verum miraculum, ut Sect. præcedente, num. 7. dixi, fieri nequit sine peculiari & extraordinario concursu Dei, si ergo Deus aliquod hujusmodi miraculum patraret; falsum suâ auctoritate confirmaret, & mentiretur. Nego tamen consequentiam; quantumvis enim id sine peculiari Dei concursu fieri non possit, nihilominus non inde sequitur Deum suâ auctoritate confirmare & testari falsum, potest namque ob fines sibi notos virtutem alicui conferre patrandi miracula, quâ si ipse abutatur, & ad falsum testandum applicet, non Deo, qui ad bonos fines hanc ei potestatem concessit, sed ejus perversitati est tribuendum. Sicut de facto Deus Sacerdotibus dat facultatem supernaturalem consecrandi, integrum iis permittendo, ut vel benè vel malè illâ utantur, quando autem ex iis quispiam hac potestate malè utitur, sacrilegè scilicet, vel ad malum finem, ut ad veneficia, aut aliud hujusmodi consecrando, Deus auxilio supernaturali ad consecrationem illam concurrit, malus tamen hujus facultatis usus in hominis illius malitiam, non in Deum est refundendus. Et idem est si homo quispiam gratiâ sanitatis sibi concessâ abuteretur, & ad rei alicujus falsæ testificationem se morbum aliquem curare affirmaret.

Deus patrando hujusmodi miraculum non testatur falsum.

Malus usus potestatis consecrandi in sacerdote non tribuitur Deo.

III. *Qua ratione constabit evidenter miraculum aliquod esse verum.*

Probatur secundò: unde enim constat evidenter miraculum aliquod esse verum, seu ejusmodi ut à dæmone fieri nequeat; sicut enim circa finem mundi ab Antichristo & aliis miracula plurima fient, adeo in speciem probabilia, ut ab hominibus per sensus aut discursum discerni nequeant, ita unde scimus evidenter miracula, quæ modò patrantur, non esse hujusmodi, ergo respectu nostri non habent metaphysicam connexionem cum mysterio cui attestantur, nec nobis evidenter probant illud esse verum. Tandem, qui constare cuiquam potest tale vel tale miraculum, à Deo factum esse ad Fidei confirmationem, cùm ob longè alios fines id Deus præstare possit. Nullo ergo modo ex miraculi alicujus patratione scire per discursum naturalem evidenter possumus mysterium, cujus confirmationi deservit, esse verum. Et idem est de aliis motivis.

Deus ob varios fines potest patrare miraculum.

IV. *Sequeretur contra communè Theologorum sententiam, Fidem non esse obscuram.*

Probatur Conclusio tertiò: Actus Fidei, ut ex communi Theologorum consensu constat, & postea ostendetur, est essentialiter obscurus, ex hac autem sententiâ apertè sequitur eum esse clarum & evidentem; si enim connexio inter

motiva

motiva & veritatem mysterii credendi sit Metaphysica, ita ut propositio ejus per hæc motiva cadere in objectum falsum non possit, ergo quisquis ex his motivis inductus assensum mysterio alicui præbet, necessariò præbet, nec, ut velit, ei dissentire potest, & novit evidenter rem per ea propositam esse veram, sicque libertas & meritum Fidei tolletur: quemadmodum enim qui modos admittunt, posito modo sciunt evidenter existere rem, cujus est modus, ita positis motivis sciet quis evidenter rem, ad cujus confirmationem ponuntur, esse veram, si inter hanc & motiva infallibilis seu metaphysica intercedat connexio.

Res hæc declaratur exemplo philosophico.

V. *Media quantumvis extrinseca rem cui deserviant, reddere possunt evidentem.*

Dices: Connexio hæc solùm est ab extrinseco, media autem extrinseca nequeunt rem, ad quam probandam assumuntur, reddere evidentem. Sed contra: quantumvis enim connexio inter motiva & mysterium cui attestantur, sit extrinseca, si tamen sit omnino necessaria & infallibilis, ita ut nec divinitus poni possint motiva, quin res illa, ad quam testandam ponuntur, sit vera, evidenter convincitur intellectus circa propositionis inde deductæ veritatem, sicque nulla in actu Fidei reperitur obscuritas, contra illud Apostoli ad Hebræos 11. vers. 1. *Argumentum non apparentium*, nempe per actum Fidei; conclusio siquidem ex duabus præmissis evidentibus habita, est necessariò evidens, ut per se constat, & postea latiùs ostendetur.

VI. *Si hæc sententia suis auctoribus sit tantùm probabilis, nihil facit pro certitudine Fidei.*

Dices secundò, hanc sententiam, motiva scilicet credibilitatis esse metaphysicè cum veritate mysterii connexa, à suis auctoribns non ut certam & evidentem teneri, sed solùm ut probabilem, unde non sequitur conclusionem inde deductam esse ipsis evidentem, cùm nec præmissas teneant ut evidentes. Sed contra: jam enim frustrantur fine, quem præcipuè ex hac suâ sententiâ intendebant, nempe ut ex Metaphysicâ motivorum cum mysteriis connexione ostenderetur certitudo infallibilis Fidei, si etenim judicent solùm esse probabile dari hujusmodi connexionem, ergo ex vi motivorum judicare similiter solùm possunt Fidem esse certam certitudine morali, sicque per hanc sententiam non magis est consultum certitudini Fidei, quàm per contrariam, & utriusque sententiæ auctoribus ex æquo incumbit ostendere, quomodo ex motivis seu mediis absolutè fallibilibus assurgere possit intellectus ad assensum Fidei omnino certissimum.

Certitudini infallibilitatis non magis hæc sententia consulit, quàm contraria.

VII. *Multa difficiliora permittere potest Deus, quàm sit deceptio in Fide.*

Probatur Conclusio quartò; passim namque fatentur Theologi, Deum ob summam dignitatem & à rebus creatis independentiam multa per potentiam absolutam, & difficiliora posse permittere, quàm sit deceptio proveniens ex motivis Fidei: permittere siquidem absolutè potest, ut mundus résque humanæ sine ullâ providentiâ procedant; creare etiam potest homines in purâ naturâ, omnique auxilio gratiæ destitutos, quod si contingeret, peccarent tandem omnes, & turmatim ad infernum ruerent, ut tomo præcedente, in materiâ de gratia est ostensum. Sed his de rebus latiùs dicetur Sectione sequente.

SECTIO QUARTA.

Argumenta contendentia motiva credibilitatis esse metaphysicè connexa cum veritate rerum.

I. *Ex veris etiam miraculis constare evidenter nequit veritas rerum, quibus attestantur.*

OBJICITUR primò: Certum omnino est, & evidens metaphysicè, miracula aliqua vera, seu quæ nullis naturæ viribus, sed solâ Dei virtute fieri possunt, in Ecclesiâ patrari, qualia sunt rei longo pòst tempore contingenter eventuræ prædictio, revelatio secreti cordis, mortuorum suscitatio, cæcis, mutis, surdis, claudis sanitatis restitutio, & id genus alia: constat insuper hæc in confirmationem Fidei nostræ fieri, cùm qui ea faciunt, id testentur, dicantque se in talis vel talis rei attestationem hunc claudum curare, mortuum resuscitare, &c. ut de Sancto Petro Act. 4. refertur, & sæpiùs in Ecclesiâ contigisse est manifestum. Hæc objectio soluta est Sect. præcedente, numero secundo & tertio.

II. *Non repugnat Deum rem falsam permittere signis variis & motivis probari.*

Objicitur secundò: Nequit Deus aliquid non verum permittere tot signis & motivis probari, ita nimirum ut homines etiam prudentes illud credere teneantur, sic namque testaretur falsum. Ad hoc etiam responsum est Sect. præcedente, num. 2. ubi ostendi Deum hoc faciendo nullâ ratione falso attestari.

III. *Dicens, qui non significat se hoc non dicere videtur fateri id à se dici.*

Urgebis: Si vir quispiam magnæ auctoritatis sciat aliquid falsum suo nomine dici, & taceat, nullúmque indicium id à se non affirmari ostendat, consentire videtur, & rem illam suâ auctoritate confirmare: idem ergò est de Deo, præsertim si tot signis ad rei illius attestationem factis, nulla in contrarium appareat ratio dubitandi. Confirmatur, qui enim rei hoc modo propositæ fidem non adhibet, facit injuriam Deo; nullam autém ei faceret injuriam, si motiva, per quæ mysterium illud credendum proponitur non sint omnino certò & infallibiliter cum illo connexa; posset enim illis non obstantibus dubitare utrùm res illa ita se habeat necne prout suadent motiva.

IV. *Quando actio aliqua mala, aut falsitas alicui imputatur.*

Quoad primum dico, quantumvis sciat quis aliquid falsum suo nomine dici, & non refragetur, si tamen habeat justam causam non reclamandi, falsum illud dictum ipsi non imputari, nec censeri eum rem illam tacitè approbare, & suâ auctoritate confirmare; tunc namque solummodo, ut tomo præcedente, Disp. 86. s. 5. ostendi, actio alicui imputatur, quando is nullum habet jus illam permittendi. Idem ergò in præsenti dici debet de Deo. Neque hinc vilesceret ejus auctoritas, sicut nec vilescit sanctitas ejus aut bonitas ex eo quòd peccata permittat, etiamsi positivè ad ea concurrat, quia nimirum justam causam habet id præstandi. Si quis verò aut hîc de Dei sanctitate, aut illic de auctoritate minùs dignè sentiat, injustè hoc facit, nec propterea vel hæc vel illa à quoquam jure censeri potest vilior.

Nullo modo hinc vilesceret Dei auctoritas.

V. *Cur qui in hoc casu non crederet, faceret injuriam Deo.*

Ad confirmationem respondetur: Etiamsi objectum reipsa non ita se habeat uti suadent motiva, cùm tamen tantâ probabilitate moralique evidentiâ proponatur tanquam à Deo dictum, ut nullus prudens id in dubium vocare queat, injuriam Deo faceret quisquis de eo ambigeret,

Tom. II.

quamvis metaphysicè posset. Sicut, ut S. Augustini exemplo utar, injuriam parenti irrogaret qui eum parentem suum esse negaret, aut eâ de re sine causâ dubitaret, quamvis id non habeat planè exploratum, nec de eo certus sit metaphysicè. Sic etiam inter homines sapienti magnæque auctoritatis viro, seriò aliquid & constanter asserenti fieri censetur injuria, si quis illi hac in parte fidem non adhibeat, quamvis contingere interdum possit, ut ei quod affirmat non subsit veritas, nulláque, ut constat, inter ipsius dictionem & rem dictam metaphysica intercedat connexio.

Res hac declaratur exemplo ab humanis desumpto.

VI. *Credibilitas desumitur ab extrinseco, estq; major vel minor pro ratione motivorum.*

Objicitur tertiò: Quicquid est evidenter credibile est evidenter verum, falsum quippe esse evidenter credibile non potest. Sed contra: indubitatum namque est falsum credi posse; inter homines siquidem sæpissime contingit ut falsum credatur, ergo est credibile: major verò vel minor, credibilitas ei accedit ab extrinseco, prout nimirum plures vel pauciores alicui proponuntur rationes illud credendi, vel major aut minor est auctoritas dicentis, ut in simili dixi Disp. præcedente, sect. 2. num. quarto. Hic ergo, ubi tot tantáque sunt motiva, objectum est evidenter credibile.

VII. *Magis in particulari declaratur in quo objecti falsi credibilitas consistat.*

Credibilitas itaque non est merum objectum falsum; ut sic enim non est dignum Fide, sed est objectum ut his motivis vestitum; intellectus siquidem rem aliquam considerans cum tot rationibus credendi propositum, judicat bonum esse actum credendi circa illud elicere, seu in illo actu reperiri bonitatem physicam, cùm bonum sit objecto sub tot motivis proposito assentiri, Deóque hoc modo loquenti credere. Quamvis ergo evidenter non constet objectum hoc modo repræsentatum seu propositum esse verum, evidenter tamen constat illud esse credibile, credibilitate scilicet extrinsecâ, seu, quod eòdem recidit, dignum ac decens esse, ut quis actum Fidei in his circumstantiis eliciat.

SECTIO QUINTA.

Objectiones aliæ pro metaphysicâ connexione motivorum cum rei credendæ veritate.

I. *Objic. sequi posse aliquem Fide verâ relictâ, aliam prudenter amplecti.*

Objicitur quartò: Si motiva credibilitatis non sint metaphysicè & infallibiliter connexa cum rei, cui attestantur, veritate, sequitur contingere interdum posse, ut fidelis quispiam, Fide, quam semel prudenter amplexus est relictâ, aliam, eamque erroneam amplectatur. Ponamus enim aliquem ob duo vel tria miracula, quæ vel ipse vidit, vel à pluribus Fide dignis accepit ad rei alicujus testificationem patrata esse, ponamus inquam, hunc istis miraculis inductum, mysterium aliquod nostræ Fidei amplecti, si permittere possit Deus, ut miraculis subsit falsum, seu ut nefarius aliquis cui Deus virtutem patrandi miracula concessit, dicens se hæc vel illa facere in confirmationem articuli alicujus qui falsus est, cæcos, surdos, claudos curet, &c. is qui ob duo vel tria miracula prudenter credidit veritatem, potest ob plura relicto verò articulo adhærere prudenter contrario, seu falso, quod in rudioribus videtur haud difficulter evenire posse. Hoc autem apertè est contra Apostolum ad Galatas 1. v. 8. dicentem, *Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Planè ergò videtur impossibile ut quis Fidem semel prudenter acceptatam postea prudenter relinquat.

Hoc quo pacto fieri possit in particulari declaratur.

II. *Ostenditur posse aliquem mysterio alicui Fidei sine culpâ dissentire.*

Respondetur cum doctis quibusdam Recentioribus nullam esse repugnantiam ut hoc aliquando inter rudiores præsertim, contingat: ita Tannerus hîc, Disp. 1. quæst. 2. dub. 5. num. 139 Arriaga Disput. 3. sect. 4. n. 90. Azor parte 1. Instit. moral. lib. 8. cap. 6. q. 9. idémque docere videtur Gabriël in 3. Dist. 28. quæst. unicâ, & alii. Ratio est; sicut enim pimò potest rudis aliquis de mysterio quopiam tanquam esset Fidei malè instrui, ita scilicet ut falsum ei pro vero obtrudatur, idque tantâ probabilitate ut prudenter illud credere possit ac debeat, ita si ubi de verò articulo eâdem probabilitate instructus illum credit, si inquam postea alius plura & validiora afferens motiva & rationes eum de contrario instruat, illo relicto potest huic, quamvis reipsa falso, prudenter assentiri.

Mutatio motivorum mutare potest actum.

III. *Quibus modo insciens verum articulum negat non amittit habitum Fidei.*

Hic ergo, ut ait Arriaga citatus, quantumvis Trinitatem, quam antea credebat, neget, non est formaliter hæreticus, nec Fidei habitum amittit, sicut secundùm omnes non amitteret is, qui ritè in infantiâ baptizatus postea inter hæreticos degeret, nec unquam de verâ Fide audiret, sed omnia alia crederet, imò veræ Fidei contraria, & hæreticorum sectæ adhæresceret. Ratio autem cur ille qui Trinitatem, quam antea crediderat, postea negat, non amittat Fidem est, quia prudenter procedit; nec enim negat Trinitatem quamdiu manet debitè proposita, sed tunc solùm quando propositis pluribus & validioribus motivis, acies ut ita dicam priorum motivorum obtunditur, cúmque contrarium ei quod antè credebat, multo majori cum evidentiâ modò proponatur, priori relicto adhæret prudenter posteriori, quamvis falso. Ad quam rem notandum: etsi omnia vera sint æqualiter vera, omnia tamen non esse æqualiter in actu secundo huic vel illi homini probabilia; veritas siquidem ex ipsis rerum naturis oritur, si nimirum ita reipsa se habeant à parte rei; probabilitas verò unicuique ex pluribus vel paucioribus rationibus major vel minor nascitur: unde contingere potest ut subinde falsum alicui magis sit probabile quàm verum.

Non illum articulum negat in sensu composito propositionis dubitat.

Veritas in omni re est æqualis, non semper probabilitas.

IV. *Ad testimonium Apostoli ad Galatas variè à variis respondetur.*

Ad illud D. Pauli ad Galatas, num. 1. allatum respondet Arriaga hîc, Disp. 3. sect. 4. num. 89. significare voluisse Apostolum, tot se itámque validis motivis & rationibus Christianæ Fidei mysteria illis proposuisse, ut nec Angelus, posito quòd homines velle posset circa mysteria Fidei decipere (hoc enim pro præsenti discursu est supponendum) pluribus validioribusque motivis contrarium valeat ostendere. Sed contra: Si enim Angelus de cœlo habere posset voluntatem homines in re tam gravi decipiendi, haberétque facultatem sibi à Deo concessam patrandi miracula, quid ni plura & majora facere posset miracula pro falsis articulis, quàm Apostolus fecit pro veris, sicque hos articulos articulis Apostoli contrarios majori cum evidentiâ Galatis proponere.

Inefficax dicti hujus solutio.

V. *Quo sensu sit intelligendum Galatas ne Angelo quidem*

Vera itaque illius dicti explicatio, ut existimo, est, solùm velle Apostolum, tot támque validis motivis, miraculis scilicet & aliis, Christianæ Fidei articulos à se Galatis fuisse propositos, ut ob nullius, ne Angeli quidem aut alterius cujuscunque

contrarium dicenti debero credere.

cunque Apostoli contrarium docentis nudam assertionem ab illis resilire deberent, doctrinámque oppositam amplecti. Non tamen vult S. Paulus debere Galatas ita dogmatibus ab ipso iis traditis adhærere, ut quibuscunque in contrarium propositis motivis, longéque iis, quæ ab Apostolo exhibita fuerant validioribus, teneantur nihilominus doctrinam ab ipso traditam etiamnum amplecti, hoc namque esset imprudentem ab illis Fidem exigere, & in hoc casu prioribus adhuc articulis adhærere, non esset prudentia sed pertinacia. Ex his ergo concludo propositionem Fidei, etiam per motiva valida & miracula certo alicui homini factam, posse per plura & validiora motiva enervari, posseque eum licitè priori Fide relictâ, contrariam amplecti.

Validioribus motivis propositis potest quis à priore doctrinâ resilire.

VI. *Aliquot Scripturæ loca pro metaphysicâ motivorum cum rebus connexione.*

Objiciuntur quintò varia loca Scripturæ, quibus ostendi videtur motiva credibilitatis esse cum rei, cui attestantur, veritate metaphysicè & essentialiter connexa. Primò itaque Joan. 3. vers. 2. dicitur: *Rabbi, scimus quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Deinde Joannis c. 5. vers. 36. dicit Christus: *Ego habeo testimonium majus Ioanne: opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Hinc etiam Apostolus 1. ad Corinth. c. 14. v. 24. ait infideles ex eo quòd Propheta occulta cordis eorum manifestet convinci ut adorent Deum, ex hoc signo scilicet, nempe dono Prophetiæ, apertè apud se concludentes Deum loqui per Prophetam, ergo à fortiori cõvincerentur per miracula, sicque hæc motiva infallibiter cum rebus, quarum confirmationi deserviunt, connectuntur.

Dictum Apostoli 1. ad Corinthios 14.

Respondetur, per duo priora loca, non metaphysicam, sed moralem tantùm probari inter motiva & res, quibus attestantur, connexionem, ita nimirum ut obligatio inducatur, mysterium quod per hæc motiva proponitur, credendi. Et eodem modo intelligendum est dictum illud Richardi de S. Victore lib. 1. de Trinitate cap. 2. ubi sic habet: *Si error est quod credimus, à te decepti sumus, iis enim signis doctrina hæc confirmata est, quæ nisi à te fieri non potuerunt.*

VII. *Illa Scriptura loca moralem tantùm probant inter motiva & mysteria connexionem.*

Ad illud 1. ad Corinthios quod attinet, dico infideles illos, quorum occulta deteguntur, evidenter ex illâ cordium inspectione convinci Prophetis hisce divini aliquid, seu ipsis à Deo peculiariter communicatum inesse; non tamen hinc convincuntur metaphysicè, sed tantùm moraliter Fidem, quam hi Prophetæ prædicant, esse veram; tum quia evidenter non constat non posse Deum Prophetiæ donum aliis conferre quàm fidelibus, sicut illud contulit Sibyllis: tum quia, ut de miraculis jam dictum est, non est metaphysicè certum hoc donum hîc & nunc dari ad Fidei confirmationem, cùm Deus ob varios alios fines id conferre possit.

VIII. *Quid circa Fidem arguat donum Prophetiæ.*

Objicitur sextò: Si motiva credibilitatis non sint metaphysicè cum rebus, quarum confirmationi deserviunt connexa, sequitur posse aliquem de Fide dubitare, non enim certior potest esse assensus, quàm motiva ex quibus habetur; si ergò hæc sint fallibilia, Fides ex iis secuta esse nequit infallibilis, æquè enim dubitare de eâ quis potest, ac de motivis; firmius quippe nequit esse ædificium, quàm sit fundamentum cui innititur. Hæc objectio petit Disputationem sequentem.

IX. *Objic. sequi Fidem non esse omnino certam.*

DISPUTATIO NONA.

De certitudine Fidei.

DISCVSSIS iis quæ ad motiva pertinent, eorúmque naturâ, qualitate & numero duabus hisce postremis Disputationibus declaratis, opportunus hic locus est de illorum in actum Fidei, ad quem producendum ordinantur, influxu inquirendi, quo pacto scilicet ad illius effectionem concurrant, quásque in hoc assensu sibi partes vendicent; quam denique firmitatem hic actus tum ex iis tum aliis immediatioribus suis principiis hauriat. Hæc, inquam, in præsenti investiganda, Fidésque penitius intuenda, ob summam quam cum proximè dictis habet connexionem.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam circa certitudinem.

I. *Non hic loquimur de certitudine objectivâ, sed formali.*

NOn est hic sermo de certitudine objectivâ, hæc enim aliud nihil est quàm res ipsæ, nec certitudo propriè dici potest, sed potiùs immutabilitas, sicut Deus à quibusdam appellatur certitudo objectiva, quòd nimirum verum semper sit, idque necessariò Deum existere: istud verò necessitas in essendo aptiùs dicitur quàm certitudo; hæc quippe, si congruè loqui velimus, formalis tantùm est, & in actu intellectus, ejusque cum objecto conformitate sita, ut in Logicâ est declaratum.

II. *Triplicis certitudinis declaratio.*

Circa certitudinem itaque formalem (de qua solâ loquimur in præsenti) recolendum quod suprà ex alia occasione obiter adnotavi, eam esse triplicem, *Moralem*, *Physicam*, & *metaphysicam*: *Moralis*, quæ in infimo certitudinis gradu consistit,

Tom. II.

illa est, quæ quamvis sit objecto conformis, résque ita se habeat uti actus enunciat, ut cum multi fide digni in rei alicujus affirmationem consentiunt, hi tamen decipi interdum possunt, & res alio modo, etiam naturaliter se habere; unde hic actus non est omnino firmus, sed quo gradu objectum deficere potest in existentiâ, eodem deficere potest actus in certitudine: quâ de causâ certitudo moralis à quibusdam dicitur certitudo, non simpliciter, sed secundùm quid.

Certitudo Moralis.

III. *Certitudo Physica est major certitudine morali.*

Certitudo *Physica* est, quando aliquid se ita habere scimus spectatis naturis rerum, ita ut contrarium absque miraculo aliter evenire nequeat: sic certò cognoscimus ignem stuppæ applicatum eam combusturum, Solem supra horizontem ortum, lucem in nostro hemisphærio producere, & similia, quamvis per divinam potentiam contrarium accidere possit, ut in fornace Babylonicâ scimus contigisse. Sic etiam visâ albedine constat certitudine Physicâ, illic esse subjectum cui insit; in sacrosanctâ tamen Eucharistiâ contrarium per miraculum videmus contingere.

IV. *Omnium maxima est certitudo Metaphysica.*

Certitudo denique *Metaphysica* illa est, cum nec per divinam potentiam aliter se res habere potest, ut homo, si sit, non potest non esse animal, & similia. Idem est de omnibus primis principiis: *Quodlibet est vel non est*, *Omne totum est majus suâ parte*, & similibus. Hac etiam certitudine, ut supra diximus, qui modos admittunt, posito modo evidenter inferunt existere illius subjectum. Hæc certitudo est omnium maxima; quamvis enim veritas consistat in indivisibili, ut Disputatione præcedente Sect. quintâ dictum est, non tamen certitudo & evidentia: cùm enim certitudo actus & evidentia pendeant à principiis, quò magis hæc firma fuerint & infallibilia atque ad verum determinata, eò actus ex hujusmodi principiis ortus, certior erit & evidentior, aliúmque excedens, qui ex similibus principiis non deducitur.

Quò principia sunt firmiora, eò actus est certior.

V. *Certitudo adhæsionis & infallibilitatis.*

His positis, ut ad præsentem difficultatem propiùs accedamus, notandum Certitudinem insuper esse duplicem, *Adhæsionis*, seu ex parte subjecti, & *Infallibilitatis*, seu ex parte actus: quam certitudinis divisionem cum S. Thoma 2. 2. quæst. 4. art. 8. Corpore, tradunt Theologi, eámque benè declarat Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 5. num. 6. & alii.

VI. *Certitudo adhæsionis variis modis contingit.*

Certitudo itaque *Adhæsionis* seu subjectiva est actus, quo ita firmiter intellectus objecto proposito adhæret, ut ægrè ab eo divelli possit: unde definiri solet quòd sit constans & firma adhæsio intellectus, omnem dubitationem & formidinem excludens; quod aliis verbis explicat P. Vasquez hîc, quæst. 1. cap. 5. dicens, hanc certitudinem esse determinationem ad unam partem contradictionis sine dubitatione. Hæc porrò certitudo, seu adhæsio ex duplici capite nascitur, nempe vel ex evidentiâ objecti, vel imperio voluntatis; hoc autem postremum duobus modis fit, vel enim prudenter procedit quis, & debito nixus fundamento assensum præbet rei propositæ, ut inter Catholicos contingit, vel imprudenter & temerè, ut faciunt hæretici, qui in suis erroribus ita firmi ac fixi sunt, ut se nullâ ratione ab illis divelli patiantur, sed summâ pertinaciâ maximéque obstinato animo eos defendant: quam proinde ipsorum credulitatem Concilium Tridentinum appellat *Vanam & ab omni pietate semotam fiduciam.*

Ex duplici capite oritur certitudo adhæsionis.

Certitudo *Infallibilitatis*, quæ sola propriè loquendo appellatur certitudo, illa est, quæ oritur ex principiis, quæ in falsum tendere nullo modo possunt, ac proinde est actus ad verum ex causarum infallibilitate determinatus: quam proinde infallibilitatem S. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 8. vocat *certitudinem ex causâ*. Hic tamen actus, qui modò ex his principiis elicitur, & ratione illorum est certus, si ex aliis principiis non ita ad verum determinatis fuisset productus, ut fortassis produci potuit, de quo postea, non esset infallibilis. Quemadmodum, ut rectè advertit P. Suarez, si verbum divinum humanitati alicui purè viatrici unitum esset hypostaticè, humanitate illâ hoc ignorante, hæc ob peculiarem assistentiam Verbi esset in omnibus suis actibus infallibilis, & operationes intellectus eliceret semper certissimas, ita ut sacram etiam Scripturam, nesciens quid ageret, posset condere: multi tamen illius actus essent solùm opinativi, quales nimirum humanitas sibi relicta, seu non unita Verbo elicere potuisset, qui proinde in sensu diviso hujus unionis, incerti esse potuissent, imo & falsi.

VII. *Certitudo infallibilitatis, quæ est propriissima certitudo, declaratur.*

Certitudo infallibilitatis quomodo accedere actui possit ab extrinseco.

Porrò actus Fidei Theologicæ utramque hanc certitudinem includere debet; inprimis enim firmissimus sit oportet ex parte subjecti, seu certitudine adhæsionis, ita nimirum ut non infalliliter tantùm, sed etiam firmiter, omníque periculi errandi timore postposito in objectum feratur; *omnis enim dubitatio deliberata circa res Fidei*, ut habetur cap. 1. de Hæreticis, *destruit Fidem.* Deinde ex iis principiis procedere debet, ut dictum est, quæ in falsum tendere nequeant, neque sint errori obnoxia.

VIII. *Actus Fidei Theologicæ certitudinem tam adhæsionis quàm infallibilitatis includit.*

SECTIO SECUNDA.

Vtrum Fides sit certior scientiâ naturali evidente.

I. *Duplex datur certitudo, essentialis & gradualis.*

AD quæstionem hanc clariùs intelligendam notandum, duobus modis posse unum actum esse certiorem alio, certitudine scilicet *essentiali* & *graduali* seu *intensivâ*. Certitudo *essentialis* major est illa, quæ plura habet magísque infallibilia principia ad verum determinantia. *Gradualis* certitudo major illa dicitur, quando actu intensiore assentimur alicui objecto, ut si quis actu naturali plures habente gradus certitudinis assentiatur huic objecto, *paries est albus*, quàm alter actu supernaturali huic, *Deus est Trinus & Vnus.* Hic tamen actus Fidei intensus solùm ut duo, certior est certitudine essentiali, seu quoad substantiam actus, quàm prior intensus ut sex vel septem, licèt graduali certitudine ab eo superetur. Sermo autem hic præcipuè est de certitudine substantiali.

II. *Asserunt aliqui Fidem in certitudine cedere scientiis.*

Prima itaque sententia affirmat actum Fidei minùs certum esse actu scientiæ naturalis: ita Durandus in 3. d. 23. quæst. 7. num. 10. Idem affirmare videtur Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis p. 10. cap. primo, ubi asserit Fidem in certitudine superare opinionem, sed cedere scientiis. Argumenta ponentur postea.

III. *Secunda sententia ait Fidem esse scientiis certiorem.*

Secunda, multóque communior inter Theologos sententia, docet Fidem quacunque scientiâ naturali esse certiorem. Hæc expressa est Divi Thomæ sententia hîc, quæst 4. art. 8. quem hac

hac in parte sequuntur Theologi, rémque fusè & clarè explicat P. Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 5. & Coninck, Disp. 14. dubio quarto.

IV. *Actus Fidei nostra est planè certissimus.*

Prima Conclusio: Actus Fidei nostræ est metaphysicè certus: ita Theologi passim, & probatur ex illo Act. 2. vers. 36. *Certissimè sciat omnis domus Israël*, &c. Item Tobiæ 3. vers. 21. sic habetur: *Pro certo habet omnis qui te colit*, &c. Præterea 2. ad Timotheum 1. vers. 12. sic loquitur Apostolus: *Scio cui credidi, & certus sum* &c. Quare hæc veritas traditur in Concilio Lateranensi Cap. *Firmiter*. Unde non benè audit apud Theologos Durandus, qui hoc vocare in dubium, imo negare videtur. Ratio verò est quam supra posui; iis namque principiis innititur, quæ in falsum tendere, intellectúmque ad illud determinare nullo modo possunt.

V. *Fides nostra quoad infallibilitatem certior est ullâ scientiâ naturali.*

Secunda Conclusio: Actus Fidei in certitudine infallibilitatis superat quamcunque scientiam naturalem: ita auctores secundæ sententiæ supra positæ, videtúrque mens S. Thomæ 2. 2. q. 4. art. 8. ad secundum, ubi sic habet: *Multo magis homo certior est de eo, quod audit à Deo, qui falli non potest, quàm de eo quod videt propriâ ratione.* Probatur primò ex illo 2. Petri 1. vers. 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem*, &c. Hinc Sancti Patres multi sunt in Fide supra omnem cognitionem naturalem extollendâ. Sic S. Augustinus lib. 7. Conf. cap. 10. de Fide loquens: *Facilius*, inquit, *dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem*, &c. Item S. Basilius in Psal. 115. sic habet: *Fides supra rationales methodos ad assensum trahens.* In eandem rem Homil. 31. in Ep. ad Hebræos sic loquitur S. Chrysostomus: *Nec Fides dici potest, nisi circa ea, quæ non videntur, amplius quàm circa ea, quæ videntur, satisfactionem quisque habuerit.* Tandem, ut alios omittam, Richardus de S. Victore lib. 1. de Trin. cap. 2, *Quotquot*, inquit, *veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus, quàm quod Fide credimus.* Constans proinde Sanctorum Patrum sententia est, Fidem nostram scientiis naturalibus esse certiorem.

Fidem nostram scientiis esse certiorem passim docent Patres.

VI. *Ratione ostenditur Fidem esse certiorem scientiis naturalibus.*

Ratio demum conclusionis est: Ille siquidem actus est certior, qui ex firmioribus perfectioribúsque principiis & causis procedit, sed actus Fidei procedit ex firmioribus & perfectioribus causis & principiis quàm scientiæ ullæ naturales, ergo. Major propositio indubitata videtur; ideo enim scientia certior est opinione & fide humanâ, quia ex firmioribus perfectioribúsque nascitur principiis, magisque ad verum determinantibus. Minor itaque, quòd scilicet Fides divina firmioribus nitatur principiis quàm ulla scientia naturalis facilè ostenditur; inprimis enim fundatur in auctoritate divinâ, Deus autem ut est primum Ens in essendo, & prima in dicendo veritas, ita falli eum vel fallere & esse auctorem falsi multò impossibilius est, quàm naturalem ullam scientiam, quantumvis certam & evidentem errare,

Deus est primum Ens, prima veritas.

VII. *Ex lumine ad actum Fidei excitante ostenditur actus illius certitudo.*

Accedit Fidem, de qua hic loquimur, niti lumine à Deo ad actum Fidei eliciendum peculiariter infuso, quod proinde lumen supernaturalis excitationis appellari solet: hoc porro lumen excellentius multo est, magisque necessariò ad verum determinatum, quàm ullum lumen naturale intellectus, quantumcunque in suo genere sit excellens. Imò ipsa etiam prima principia, in quibus nihilominus lumen naturale maximè elucet, per hoc lumen Fidei interdum corriguntur. Sic in materiâ de Trinitate principium illud, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, limitant Theologi ad res finitas. Sic in aliis etiam mysteriis, ut Incarnatione, Eucharistiâ, &c. principia varia ad hoc lumen veluti ad normam & regulam exigimus, atque in tantum veritati conformia esse agnoscimus, in quantum Fidei non sunt difformia, variásque ut fert occasio iis limitationes adhibemus, ne Fidei repugnent. Quæ apertè indicant multo certiores esse actus, qui ex hoc lumine procedunt, quàm sint alii quicunque etiam præstantissimi, luménque omne naturale quoad infallibilitatem & certitudinem ad hoc Fidei lumen veluti ad primum præcipuúmque in hoc genere esse explorandum. Plura hac de re subjicientur infra, Sect. quintâ.

Lumen naturale per lumen Fidei corrigitur.

Prima etiam principia per lumen Fidei limitantur.

Dices: implicat ut scientiis naturalibus, præsertim primis principiis, quæ dignitates appellantur, subsit falsum, suntque hæc metaphysicè certa; ergo non potest Fides iis esse certior, cum æquè sit implicatio contradictionis ut illis subsit falsum, ac Fidei; omnia enim impossibilia, cum involvant duo contradictoria, sunt æqualiter impossibilia, ac proinde æquè impossibile est primum aliquod principium esse falsum ac Fidem, sicque prima principia sunt in certitudine Fidei æqualia.

VIII. *Dices: æquè implicat ut primis principiis subsit falsum ac Fidei.*

Respondetur negando primam consequentiam; lumen quippe illud, utpote à Deo ad actum Fidei immissum multo magis cum objecti veritate connectitur, quàm ulla principia naturalia, certiúsque illis est, & magis necessariò ad verum determinatum, quamvis & ea necessariò vera sint, & falli nequeant, etsi ut ait Aristoteles 4. Metaph. cap. 4. antiqui Philosophi nonnulla ex primis etiam principiis negaverint. Quod autem omnia impossibilia non sint æqualiter impossibilia, sed in his etiam magis & minùs reperiatur, testatur idem Aristoteles 4. Metaph. tex. 18. dicens *magis impossibile esse ut quatuor sint mille, quàm ut sint quinque*, etiamsi, ut constat, hoc etiam sit impossibile. Summa ergo Dei dignitas & excellentia postulat, ut quicquid ab eo dicitur & ad quod per speciale lumen movet, certiùs multo habeatur, quàm veritas ulla in naturali lumine fundata, & ut in firmitate ac certitudine primæ illi deferantur.

IX. *Lumen Fidei multo magis necessariò ad verum determinat, quàm lumen naturale.*

Omnia impossibilia non sunt æqualiter impossibilia.

SECTIO TERTIA.

Alia quædam de certitudine Fidei comparativè ad scientias naturales.

I. *Etiam certitudine adhæsionis actus Fidei superat quamcunque scientiam naturalem.*

Tertia Conclusio: Non certitudine tantùm infallibilitatis, sed etiam adhæsionis actus Fidei superat quamcunque scientiam naturalem': ita communis Theologorum sententia contra Durandum in 3. Dist. 23. q. 7. P. Hurtado Disp. 8. de Animâ, sect. 6. & alios. Probatur tamen Conclusio; illa namque adhæsio est major, præ quâ aliam quamcunque parati sumus relinquere, sed omnem omnino scientiam parati sumus potiùs relinquere seu negare, quàm Fidem, destruendo scilicet omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigendo omnem intellectum in obsequium Christi, ut habetur 2. ad Corinth. 10. vers. 5. Unde quisquis est verè fidelis, quamcunque scientiam

Quantâ firmitate fideles adhæreant Fidei.

Tom. II.

scientiam millies relinquere mavult, quàm de minimâ Fidei particulâ vel leviſſimam dubitationem admittere; itáque in re quam credit fixus ac firmus eſt, ut ſecundùm præſentem quem habet animi affectum, ne Angelo quidem contrarium dicenti, non tantùm non aſſentiri, ſed nec aurem præbere vellet. Hinc, ut rectè S. Bonaventura in 3. Diſt. 23. art. 1. quæſt. 4. etiamſi Martyres prudenter eligant mori potiùs quàm Fidem relinquere, ſtultus tamen jure haberetur is, qui pro ullâ veritate naturali vellet vitam profundere.

Pulchrum D. Bonaventuræ dictum.

II. *Objic. actus Fidei eſt liber, actus vero ſcientiæ neceſſarius.*

Objicies primò: Illud minùs firmiter adhæret, quod faciliùs divellitur, ſed homo faciliùs à Fido divellitur, quàm à ſcientiâ, ergo: Minor probatur, poſitis enim & penetratis motivis liberè quis actum Fidei elicit, & elicitum liberè relinquit, actus verò ſcientiæ elicitur neceſſariò, præſertim primum principium, cui, ut velit, reſiſtere nequit intellectus. Reſpondetur, ſi univerſaliter loquamur, majorem eſſe falſam: etiamſi namque faciliùs relinquatur Fides, quàm ſcientia, hoc tamen non obſtat quo minùs adhæſio ad objectum Fidei, quamdiu manet, ſit major & firmior: quemadmodum, ut advertunt recentiores nonnulli, amor liber in viâ eſt firmior multò nexus, fortiúsque voluntatem unit cum Deo, quàm amor indeliberatus neceſſarius, eſto amor ille, ut liberè elicitur, ita pro voluntate etiam relinquatur, longéque faciliùs quàm amor indeliberatus, indeliberatus ſiquidem cùm ſit, non eſt penes habentem pro libito ab eo deſiſtere, cum non ex plenâ advertentiâ eliciatur.

Etſi faciliùs relinquatur Fides, quàm ſcientia, tamen durè eſt, firmiùs ei adhæretur.

III. *Actus Fidei, non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid eſt minùs certus quàm ſcientia.*

Objicitur ſecundò: Illa certitudo eſt major, quæ omnem dubitationem & formidinem de contrario excludit, ſed ſcientia dubitationem omnem & formidinem penitus excludit, Fides verò aliquam, ſaltem indeliberatam ſecum permittit, ergo minùs certa eſt Fides quàm ſcientia. Reſpondetur cum Suario hìc, Diſp. 6. Sect. 5. n. 13. hinc ſolùm probari Fidem eſſe ſecundùm quid minùs certam quàm ſcientiam, ſimpliciter tamen eſſe eâ certiorem: ad hoc autem aliud non requiritur, quàm ut dubitationem omnem & formidinem deliberatam excludat, quamvis admittat indeliberatam, hoc ſiquidem non impedit quo minùs intellectus ex imperio voluntatis firmiùs myſterio, quod credendum proponitur, adhæreſcat.

IV. *Cur circa objectum Fidei, non ſcientia oriantur interdum indeliberata dubitationes.*

Si quis autem ulteriùs quærat, unde proveniat, ut circa objectum Fidei hujuſmodi indeliberatæ dubitationes ſubindè in intellectu oriantur, non tamen circa objectum ſcientiæ; cauſam hujus ex S. Thoma quæſt. 10. de veritate, art. 12. & quæſt. 14. & alibi ait Suarez hìc, Diſp. 6. Sect 5. num. 12. eſſe Fidei obſcuritatem. Cujus ulteriorem rationem affert idem Doctor Angelicus; in certitudine enim evidentiæ, inquit, intellectus tenetur terminis propriis, iis ſcilicet rationibus, ut clarè per eas viſâ veritate, nec eâ de re dubitet ampliùs, nec inquirat, ſed veluti in centro conquieſcat, neque inde ſe movere conetur. Secus res ſe habet in Fide, in quâ intellectus non propriis terminis tenetur, ſed alienis, imperio ſcilicet voluntatis; ex quo fit, ut aliæ & aliæ in eo inquiſitiones ac dubia identidem oriantur, cùm illi veritati non ultro, ut ita dicam, aſſenſum præbeat, ſed cogatur quodammodo & captivetur in obſequium Fidei: unde nil mirum, cùm non ſit in connaturali centro, ſi ſe inde móvere, & per indeliberatas dubitationes eripere tentet.

Optima D. Thomæ inter actum Fidei & ſcientiæ aſſignata diſparitas.

Objicitur tertiò: Certitudo aliud nihil eſt, quàm dubitationis omnis & formidinis excluſio, at nullus eſt actus metaphyſicè certus qui hoc non habeat, ergo. Sed contra: hoc namque probaret omnes actus certos eſſe æqualiter certos, cujus contrarium latè in ſuperioribus eſt oſtenſum. Quamvis enim, ut dixi, omnes actus veri ſint æqualiter veri, cùm omnes æquè ſint conformes ſuo objecto, major tamen vel minor certitudo deſumitur ex principiis; hæc namque quò firmiora ſunt, eò majorem firmitatem refundunt in actum, qui, ut proles à parentibus, ita ſua ab iis lineamenta deſumit, ut fusè ſupra eſt declaratum; actúsque etiam eò certior eſt, per ſe loquendo, quò excellentior.

V. *Aliud eſt de certitudine, aliud de veritate actus.*

Certitudo itaque, licèt per negationem explicetur, ſicut irrationale & id genus alia, hoc ſiquidem ſonat vox *infallibilitas*, re tamen verâ eſt perfectio poſitiva, majórque vel minor pro majore vel minore excellentiâ actus, ut dixi, & principiorum præſtantiâ. Reſpondetur ergò: Quamvis omnis actus metaphyſicè certus excludat omnem formidinem, & hac in parte cuncti ſint æquales, certitudo tamen eſt in iis diverſiſſima, utpote majorem ex principiis hauriens firmitatem, atque in majore actus excellentiâ ſita, ſicque altiore titulo unus actus formidinem excludit, quàm alius.

VI. *Infallibilitas licèt negationem ſonet, eſt tamen perfectio poſitiva.*

SECTIO QUARTA.

Attexuntur quædam circa certitudinem Fidei in ſe, & quoad nos.

I. *Status præſentis difficultatis proponitur.*

Egimus hactenus de infallibilitate actus Fidei, ſeu ſummâ certitudine, quam haurit à principiis, auctoritate ſcilicet & revelatione divinâ, & interno lumine, quibus certitudine & firmitate quotquot in naturâ ſunt principia multis gradibus cedunt; & quamvis actus etiam efficiant metaphyſicè certos, certitudini tamen actuum Fidei longè ſunt inferiores. Sermo autem hic tantùm eſt de certitudine infallibilitatis, non adhæſionis, ſeu quæ provenit ab imperio voluntatis.

II. *Fidei certitudo in ſe eſt major certitudine ſcientiæ, ſed minor quoad nos.*

Probabiliùs ergo mihi videtur actum Fidei quamvis certitudine infallibilitatis ſit certior ullâ ſcientiâ naturali, quoad nos tamen illum eſſe minùs certum. Hæc eſt expreſſa ſententia Sancti Thomæ hìc, ut fatetur Suarez Diſp. 6. ſect. 5. num. 12. quamvis ipſe ſit in contrariâ ſententiâ. Noſtra etiam concluſio inter recentiores ſatis eſt communis, quamvis aliis verbis utantur, dicentes hunc actum eſſe certum materialiter, non formaliter.

III. *Oſtenditur Fidei quoad nos eſſe minùs certam quàm ſcientiam.*

Dicimus itaque, licèt actus ſupernaturalis Fidei ſit certiſſimus, cùm tamen illi, qui actum Fidei elicit, evidenter non conſtet ſe hujuſmodi actum habere, tum quia, ut ſupra dixi, motiva credibilitatis non ſunt metaphyſicè connexa cum rei veritate, tum etiam quia non ſcit certò infuſum ſibi eſſe lumen illud, de quo ſupra ſect. 2. num. 7. & à quo, ut ibidem dixi, certitudo actus Fidei præcipuè dependet; hæc inquam, cùm ignoret, quantumvis actum certiſſimum eliciat, ipſi nihilominus non eſt certiſſimus: & hoc eſt quod dicimus actum illum eſſe certiſſimum in ſe, non quoad nos. Quemadmodum ſi quis gemmam

Res tota declaratur exemplo à naturalibus ducto.

gemmam pretiosissimam haberet, aut medicinam ad morbum aliquem depellendum efficacissimam, si tamen vel illius præstantiam, vel hujus efficaciam ignoraret, nec pretiosissima ei esset gemma, nec medicina efficacissima.

IV. *Humanitas unita Personæ divinæ, hoc tamen nesciens, actus eliceret certissimos.*

Præterea res hæc declaratur exemplo supra ex aliâ occasione posito. Si ergò humanitas aliqua, purè viatrix, seu non videns Deum, uniretur Personæ alicui divinæ, actus ejus omnes, non veri tantùm essent, sed certissimi, & quot verba proferret, tot funderet oracula propter extrinsecam assistentiam Personæ illius divinæ, seu decretum Dei, quo statueret ita humanitatem illam gubernare, ut nunquam erraret, & tamen hi actus, quamvis in se, ut dixi, maximè certi, humanitati illi nihilominus non essent certi, cùm principium certitudinis illorum, nempe unionem hypostaticam, & decretum illud Dei, in quibus certitudo hæc fundatur, ignoret. Idem est in sententiâ dicente omnem actum verum, etiam naturalem, & de materiâ contingente esse essentialiter verum, ita ut qui mente diceret Turca dormit Turcâ dormiente, specie diversum actum eliceret ab eo quo is idem diceret Turcâ non dormiente, cùm ille esset verus, hic falsus, idque essentialiter: & tamen cùm objecti illius non habeat rationes firmas, sed solùm probabiles, actus ille quamvis in se certus, ei tamen, qui illum elicit non est certus, sed relinquit locum dubitationi & formidini.

Magis hoc declaratur ex sententiâ asserente omnem actum verum esse essentialiter verum.

V. *Ut actus reddat intellectum certum de re aliquâ, varia requiruntur.*

Dices cum P. Suarez Disp. illâ 6. Sect. 5. num. 12 Actus supernaturalis Fidei secundùm nos est certissimus, ergo cùm totus uniatur intellectui, dabit ei suum effectum formalem, utpote qui ab entitate illius actus est realiter indistinctus. Sed contra: Hoc enim apertè rejici videtur exemplis numero præcedente positis, de humanitate scilicet unitâ Hypostaticè Personæ alicui divinæ, & de actu essentialiter vero.

VI. *Differentia hæc in parte inter actum Fidei & scientia.*

Ille ergò actus Fidei, prout est connexio sui cum objecto, communicatur intellectui eo ipso quod ei insit, & denominat intellectum informatum actu, hoc sensu certissimo, seu qui hîc & nunc sit necessariò connexus cum objecto: at vero quoad nos non habet actus illam certitudinem, nisi reflexè cognoscatur ut relatus ad principia à quibus procedit, & unde haurit firmitatem. Secus res se habet in actu scientiæ, clarus enim cùm sit, intellectus per eum evidenter percipit objectum, sicque eo ipso redditur de illo certus, quod in actu Fidei non contingit propter illius obscuritatem. Hæc tamen certitudo actus Fidei in se, quamvis nobis non semper innotescat, magnam secum affert utilitatem, est enim dispositio ad gratiam, & ad actus supernaturales virtutum eliciendos conducit.

Ad quid deserviat actus Fidei certitudo in se.

VII. *Sitne Fides certior visione beatificâ.*

Quæres, Utrùm Fides sit certior visione beatificâ? P. Tannerus hîc, Disp. 1. quæst. 1. d. 6. num. 179. affirmat visionem beatificam, non quoad evidentiam tantùm, sed etiam quoad certitudinem absolutè & simpliciter superare Fidem. Quoad evidentiam facilè hoc concesserim, cùm Fides omnino non sit evidens; quoad certitudinem verò infallibilitatis præcisè pari inter se videntur passu procedere, cùm Deus non minùs infallibilis sit in dicendo, quàm in clarè rem aliquam manifestando.

VIII. *Dicine possit hæreticus æquè firmiter adhærere suis erroribus, ac Catholicus veritati.*

Quæri hîc etiam solet, utrum dici possit hæreticum æquè firmiter suis erroribus adhærere, ac Catholicus adhæret veritati. Affirmat P. Arriaga hîc, Disp. 3. n. 101. idem docet Sotus lib. 3. de naturâ & gratiâ, cap. 10. additque, *de hoc dubitare, esse puerilem errorem.* Imò Molina 1. part. q. 1. a. 5. asserit certitudine, quæ se tenet ex parte subjecti, posse hæreticum certiùs interdum adhærere errori, quàm Catholicus adhæreat veritati, & protervum quemvis posse firmiùs adhærere rei in se dubiæ, quàm cordatus & prudens adhæreat rei certæ. Idem tenet Medina 1. 2. q. 109. art. 2. dub. ultimo, & Vega lib. 16. in Trident. cap. 13. Contrarium nihilominus affirmat Bannez 1. 2. q. 4. art. octavo.

Quæstio maximâ ex parte est de nomine: quoad modum ergo loquendi mihi placet quod ait P. Tannerus hîc, Disp. 1. quæst. 6. dub. 3. n. 59. nempe quantâ constantiâ & certitudine per Fidem Catholicus veritati adhæret, tantâ obstinatione & pertinaciâ hæreticos adhærere posse & solere falsitati, ita ut, non rationibus tantùm, sed nec inflictis etiam pœnis à suis erroribus divelli queant.

IX. *Quæ hac in re observandus loquendi modus.*

SECTIO QUINTA.

Qua ratione ex motivis moraliter tantùm certis, assurgere possit intellectus ad assensum firmissimum.

I. *Notandâ duplex illa in actu certitudo, adhæsionis, & infallibilitatis.*

AD hujus intelligentiam quæstionis recolendum breviter, quod suprà, initio hujus Disputationis fusè declaravi, certitudinem scilicet actus alicujus esse duplicem, *adhæsionis*, seu ex parte subjecti, & *infallibilitatis*, quæ in determinatione actus ad veritatem sita est: undecunque demum hæc determinatio proveniat, sive ex intrinsecâ entitate actus; sive à principiis extrinsecis, lumine nimirum & aliis, quæ vel ex naturâ suâ, vel ordinatione divinâ, non nisi ad actum verum concurrere possunt.

II. *Difficultas est, quomodo ex motivis tantùm probabilibus procedere possit actus certissimus.*

In eo ergo præsens versatur difficultas; intellectus quippe, potentia rationalis cùm sit, rationali modo moveri debet, proportionatèque ad media per quæ ad agendum excitatur. Motiva itaque credibilitatis, cùm juxta dicta Disputatione præcedente, non sint metaphysicè, sed moraliter tantùm cum rei credendæ veritate connexa, impossibile videtur ut ex rationibus solùm probabilibus actus certus, ex mediis, inquam, seu motivis infirmis firmissimus nascatur assensus; nullus quippe effectus excedere potest virtutem suæ causæ.

III. *Non sufficit si quis respondeat se hoc credere propter Verbum Dei.*

Dicet aliquis, credere se propter Verbum Dei, hoc autem certissimum est, & cum rei quam dicit veritate essentialiter connexum. Sed contra; unde enim tibi constat hoc esse Verbum Dei, seu rem hanc esse à Deo dictam? Si dicas, ob auctoritatem Ecclesiæ: urgeo ulteriùs, qui enim nosti hanc esse veram Ecclesiam, & organum per quod Deus loquitur, & mysteria nobis revelat? recurrendum tandem est ad motiva credibilitatis; hæc autem quandoquidem cum re, cui attestantur, non sint infallibiliter connexa, non efficiunt certitudinem nisi moralem.

IV. *Unde assurgat intellectus ad certitudinem adhæsionis Fidei.*

Res hæc magnâ ex parte discussa est suprà, Disp. 6. dum de resolutione Fidei. Quoad primum ergo, certitudinem scilicet adhæsionis Fidei (de adhæsione enim evidentiæ, quæ est propria scientiarum, & vel ex penetratione terminorum, ut in primis principiis contingit, vel ex præmissis,

Tom. II.

Adhæsio Fidei ex imperio voluntatis est firmissima.

præmissis claris & evidentibus recto ordine dispositis habetur, hic non est fermo) provenit hæc certitudo ex electione voluntatis, cui dum intellectus rationes aliquas seu motiva proponit, ob quæ prudenter assentiri potest is, cui proponuntur, imperat voluntas liberè assensum, eúmque multo firmiorem, quàm motiva exigant, eâ siquidem certitudine ac firmitate objecto proposito adhæret, ut ne leviſſimam quidem circa illud dubitationem deliberatè admittat. Imò ipsa etiam prima principia limitantur interdum & corriguntur, si quando Fidei, seu rei quæ creditur, videantur contraria: qua de re multa dicta sunt suprà, sect. 2. & 3. quæ hîc non censeo repetenda.

V.

Declaratur quo pacto voluntas moveat intellectum ad firmum assensum Fidei.

Si autem ulteriùs quis scire cupiat, quo pacto hoc præstet voluntas; certum in primis est non id eam facere, vim aliquam aut energiam motivis credibilitatis seu rationibus, quibus intellectus ad credendum inducitur, addendo, sed stantibus iisdem planè motivis, pro illa quam in intellectum habet potestate, ut in Philosophiâ fusiùs declaravi, efficere potest ut multo firmiorem hic & nunc rei alicui quis præbeat assensum quàm pro ratione motivorum. Ad hoc verò efficiendum,

Ad rem hanc non parum conducunt rationes quædam practica.

præter supra posita motiva, rationes etiam quædam practicæ accedunt, ut quod hinc æternæ felicitatis securitas pendeat, quod hoc postulet objecti dignitas, reverentiáque dictioni divinæ debita, ut nimirum quando tanta est probabilitas Deum loqui, submittamus judicium, & intellectum captivemus in obsequium Fidei.

VI.

Ubi nulla est ratio assentiendi, non potest voluntas cogere intellectum.

Neque hoc impossibile cuiquam, aut mirum videri debet, cùm hæretici, ut dictum est, ex motivis multo sine omni comparatione levioribus, temerè quidem, ita tamen in suis erroribus fixi ac firmi sint, ut nullo pacto ab iis dimoveri queant. Ubi tamen nulla omnino apparet ratio assentiendi, probabilius existimo non posse voluntatem cogere intellectum ad assensum, sicut efficere non potest ut quis judicet *astra esse paria, vel etiam esse imparia:* at verò ubi sunt rationes graves, quamvis ad firmissimum hujuscemodi assensum non planè sufficientes, potest voluntas motivorum inefficaciam suo imperio supplere, modo num. præcedente explicato. Et per hæc patet ad rationem dubitandi numero secundo propositam.

VII.

Vade procedat certitudo infallibilitatis in actu Fidei.

Quoad certitudinem infallibilitatis actus Fidei, res mihi videtur declaratu multo facilior. Hæc itaque certitudo, seu infallibilitas, vel provenire potest ab ipsâ intrinsecâ entitate actus, quem, supernaturalis cùm sit, volunt aliqui esse essentialiter & verum ex se, & certum, de quo postea. Deinde certitudinem infallibilitatis habet actus ille, qui ab ejusmodi principio procedit, quod ita ad verum est determinatum, ut ad falsum tendere nullo pacto possit, quale, ut jam diximus,

Prima radix infallibilitatis in actu Fidei reperta.

est lumen illud peculiare, quod Deus ad actum Fidei eliciendum specialiter infundit, quando objectum verè est revelatum, & prudentia dictat esse credendum, dicíque solet lumen *supernaturalis excitationis*, per quod cùm Deus singulari quodam modo hominem ad rem aliquam credendam moveat, si actus ex hoc lumine elicitus, foret falsus, Deus esset auctor falsi.

VIII.

Altera radix infallibilitatis actus Fidei.

Infallibilitatem insuper haurit actus ex motivis credibilitatis, non præcisè, cùm iis secundùm se sumptis falsum subesse possit, ut Disputatione præcedente ostensum est, sed ut subsunt peculiari providentiæ divinæ, qui ea ad verum solummodo testandum de facto ordinavit. Actus ergò, qui ex his principiis procedit, certus est & infallibilis, quamvis illi, qui hunc actum elicit, ejus infallibilitas non semper sit comperta, ut Sectione præcedente fusè declaratum est, dum de certitudine actus Fidei *in se* & *quoad nos*: & præter ibi dicta, ei hoc contingeret, quicum Deus statuisset ad actus tantùm veros concurrere, ipso nihilominus hoc Dei decretum ignorante, hujus actus omnes, etiam naturales, forent certissimi, eorum tamen certitudo in plurimis ei non innotesceret. Videantur dicta hac de re loco proximè citato. Omnes autem actus Fidei in se sunt in certitudine æquales.

Actus sape est infallibilis, quamvis ejus infallibilitas non cognoscatur.



DISPU-

DISPUTATIO DECIMA.

De veritate actus Fidei.

ACTVM Fidei esse certissimum, summámque in se continere infallibilitatem totâ Disputatione præcedente ostendimus, undecunque demum hæc certitudo proveniat, sive ab entitate ipsâ actus, prædicatísque ejus intrinsecis, sive ab extrinseco, ex principiis scilicet ad verum ita determinatis, ut ad actus falsi productionem concurrere nullo pacto possint. Nunc ergo, quod maximam cum præcedente difficultate habet connexionem, de actus Fidei veritate inquirendum, utrùm nimirum ita intrinsecè & essentialiter sit verus, ut ad objectum non ita se habens prout enunciatur, ferri omnino non possit.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm veritas sit actui Fidei essentialis, & intrinseca. Vbi, an Fides tendere possit in revelationem apparentem.

I. *Veritas duplex est, formalis & radicalis.*

NOTANDUM primò ex Disp. 44. Logicæ veritatem actus alicujus esse duplicem, *formalem & radicalem*; *Formalis* est conformitas actus cum objecto, quæ proinde non actum tantùm sed objectum includit, estque actui partim extrinseca. Veritas *radicalis* est exigentia intrinseca & essentialis actui, quæ petit ut objectum ita se habeat sicut actus enunciat. Hic, non de veritate formali agimus, quam Disput. illâ 44. Logicæ diximus nullis omnino actibus, ne quidem divinis esse adæquatè intrinsecam, sed de veritate radicali, utrum scilicet actus supernaturalis Fidei sit ejusmodi, ut exigat existentiam objecti sicut per actum enunciatur, ita ut nec divinitus produci possit actus, nisi objecto eò modo existente.

II. *Tres diversi actus in assensu Fidei producendo intervenient.*

Notandum secundò, in productione assensus Fidei tres actus intervenire, duos intellectus, & tertium voluntatis. Primus actus est judicium practicum, quo quis secum decernit esse hic & nunc credendum. Secundus actus est voluntas credendi. Tertius denique est ipse actus Fidei, seu assensus, quo quis propter auctoritatem divinam credit objectum seu mysterium propositum. De hoc ultimo præsens procedit quæstio.

III. *Prima sententia affirmat actum Fidei esse essentialiter verum.*

Duæ itaque hac in re sunt, sibique oppositæ sententiæ. Prima docet actum Fidei supernaturalem, esse essentialiter verum; idque non solùm quia ex illis principiis oritur, quæ ad verum essentialiter sunt determinata, ut est lumen illud internum, quod Deus ad actum Fidei elicien-

dum peculiariter immittit, & alia, de quibus totâ Disputatione præcedente; sed ulteriùs addit hæc sententia, actum Fidei petere istiusmodi principia, ac proinde ex se & entitate suâ intrinsecâ ita esse ad veritatem determinatum, ut falsum ei, nec divinitus, in ullis circumstantiis subesse possit: ita Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 13. Arriaga Disp. 4. Sect. 5. num. 72. idem docet Tannerus hic, Disp. 1. quæst. 1. dub. 5. præcipuè num. 140. hoc etiam asserere videtur Mæratius hîc, Disp. 7. Sect. 1. & alii.

IV. *Volunt nonnulli posse actum Fidei ex aliis principiis procedere, & esse falsum.*

Secunda tamen nonnullorum sententia est, quamvis actus Fidei, prout modo elicitur, nequeat esse falsus, ratione principiorum, quæ numero præcedenti posuimus, ex quibus de facto procedit, si tamen per alia principia non ita ad verum determinata eliceretur (quod fieri posse affirmant) non est, inquiunt, cur actus, qui jam est verus, quia res in quam tendit est verè à Deo revelata, non posset idem numero ferri in illud ipsum objectum, etsi non foret à Deo revelatum, & esse falsus, tendendo nimirum in revelationem tantùm apparentem.

V. *Actus de objectis adæquatè necessariis sunt essentialiter veri.*

Prima Conclusio: Si aliqui actus Fidei haberent objectum adæquatè necessarium, essent essentialiter veri. Ratio est; Nam actus naturales de objecto adæquatè necessario sunt essentialiter veri, ut *Leo est substantia, homo est animal*, &c. ergo idem est de objectis supernaturalibus, ut *Deus est Trinus & Vnus, Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio*, & similibus. Unde actus visionis beatificæ, per quos beati hæc objecta vident, sunt essentialiter veri. Cæterùm nullus actus Fidei habet objectum adæquatè necessarium; objectum quippe formale, nempe revelatio est quid contingens, cùm Deus nihil necessariò revelet ad extra. Unde falsum esset dicere hoc vel illud objectum ita se habere quia Deus dixit, si Deus id verè non dixerit.

VI. *Per solam supernaturalitatem*

Secunda Conclusio: Sola supernaturalitas non sufficit ad reddendum actum Fidei essentialiter

Tom. II.

verum. Est contra P. Arriagam hîc, Disp. 4. Sect. 5. num. 72. & alios, qui actum omnem supernaturalem, ipso facto quòd supernaturalis sit, dicunt debere necessariò esse verum, tum ob excellentem ejus perfectionem, tum quia quicquid est supernaturale Deum exigit ut causam peculiarem. Sed contra: Nam ut præcedente tomo, Disp. 92. Sect. 4. cum communi ferè Theologorum sententiâ ostendi, actus supernaturales morales, imo ipse etiam actus amoris Dei potest extrinsecè, saltem venialiter vitiari, & reddi malus, & tamen actus amoris Dei assensum Fidei multis gradibus in perfectione antecedit, *major* enim *horum est charitas*, ergo sola supernaturalitas non obstat, quo minùs Fidei actus possit esse falsus.

non constituitur actus Fidei essentialiter verus.

Actus supernaturales possunt vitiari.

VII.

Ad id quod additur, actum supernaturalem exigere Deum ut causam specialem, dico non minùs actus morales supernaturales, & actum illum amoris Dei idem exigere, ergo hoc titulo non magis est actus Fidei essentialiter verus, quàm actus charitatis essentialiter bonus. Respondetur itaque Deum, quemadmodum ut est auctor naturæ habet duplicem concursum naturalem, universalem scilicet & specialem, ita ut est auctor gratiæ, duplicem similiter habet concursum supernaturalem, universalem nimirum & specialem. Ut ergo res aliqua præcisè sit supernaturalis, sufficit quòd concursum illum universalem supernaturalem exigat, in hoc enim ab omni re naturali sufficienter distinguitur, cùm res nulla naturalis concursum hunc universalem supernaturalem requirat: ergo ex eo præcisè quod actus Fidei exigat concursum hunc Dei extraordinarium seu supernaturalem physicum, non sequitur eum esse essentialiter verum magis quàm actus supernaturales voluntatis essentialiter bonos. Quòd si dicas actum Fidei specialem illum concursum moralem supernaturalem exigere, & propterea esse essentialiter verum, contra, ergo non ratione supernaturalitatis præcisè hoc habet, sed talis supernaturalitatis, & de hac qualis sit inquirimus.

Quod actus supernaturalis exigat peculiariter Deum, non sequitur eum esse essentialiter verum.

Concursus supernaturalis duplex, universalis & specialis.

SECTIO SECUNDA.

Resolvitur quæstio circa essentialem veritatem actus Fidei.

I.

Actus Fidei Theologicæ est essentialiter verus.

OMNIBUS consideratis probabilius longè mihi videtur actum Fidei Theologicæ esse essentialiter verum, nec in ullis circumstantiis posse, etiam de potentiâ absolutâ esse falsum: ita auctores Sectione præcedente, num. 3. citati, estque expressa sententia D. Thomæ hîc, q. 1. art. 3. Videtúrque clara mens Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 9. ubi sic habet: *Cum nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consecutum esse*: ubi cùm indiscriminatim loquatur Concilium, videtur in omnibus circumstantiis intelligendum, & in ordine ad potentiam absolutam.

Concilium Tridentinũ.

II.

Ostenditur Fidem Theologicam non posse esse falsam.

Ratio Conclusionis ex ipsâ naturâ Fidei Theologicæ desumitur, quæ in hoc sita est, ut quis credat Deo loquenti, seu quia Deus id testatus est, ergò actu Fidei Theologicæ non possum quidquam credere nisi quod Deus verè locutus est, seu revelavit, implicat namque ut ego cuiquam aliquid dicenti credam, si is illud non dicat. In hoc ergo casu, quando nimirum aliquid proponitur ut dictum à Deo, quod tamen verè Deus non dixit, etsi is cui proponitur putet se credere Deo, re tamen verâ ei non credit, sicque assensus ille non est verè assensus Fidei Theologicæ, sed tantùm talis esse existimatur.

Confirmatur, & magis explicatur hæc ratio: Essentia actus Fidei, ut dixi, est, ut quis credat alicui rem aliquam dicenti, ergo essentia talis actus Fidei est, ut credat tali dicenti. Unde, ut rectè hac de re P. Coninck, si dum Petrus mihi aliquid dicit, ego existimarem eum esse Paulum, qui summæ apud me est auctoritatis, ideóque firmiter rei illi adhæreo, quod non facerem si scirem eum qui loquitur esse Petrum, qui non tantæ est auctoritatis, quantumvis in hoc casu putem me credere Paulo, reipsa tamen non Paulo credo, sed Petro, cùm, ut dixi, impossibile sit ut ei credam, qui nihil dicit, credere enim secundùm omnes est alicujus dictis fidem adhibere, quo pacto ergo illius dictis fidem adhibebo, cujus nulla sunt dicta? Firmiùs quidem dictis Petri adhæreo quia existimo ea esse Pauli, huic tamen simpliciter non credo, sed illi. Sicut ergo hîc, Fides est Petrina, ut ita dicam, non Paulina, quamvis ita ab eliciente existimetur, eodem modo in præsenti, cùm Deus verè non loquatur, non potest assensus esse Theologicus, quamvis talis ab eo, qui assensum elicit, putetur. Hanc conclusionis hujus rationem existimo eam esse, quam tradit S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 3. Corpore.

III.

Essentia talis actus Fidei est ut quis credat tali aliquid dicenti.

Qui Petri dictis assensum præbet, putans eum esse Paulum, non Paulo credit, sed Petro.

Dices cum P. Arriaga hîc, Disp. 4. Sect. 5. num. 70. Fidem non à revelatione, seu dictione Dei, sed ab ejus veracitate dici Theologicam, veracitas autem semper existit. Distinguo minorem, existit applicata, nego minorem, non applicata, concedo; non enim ad actum Fidei divinæ circa rem aliquam eliciendum sufficit veracitatem Dei existere, alioqui tam posset quis Fide divinâ credere Romulum occidisse Remum, ac Cainum occidisse Abelem, cùm semper existat veracitas Dei, ergo ulterùs requiritur ut objecto applicetur, ut nimirum Deus rem illam dicat seu revelet, sive revelatio sit partialis objectum formale actus Fidei, ut eam esse diximus suprà, Disp. 4. sect. 3. sive tantùm conditio. Unde siquis existimans aliquid esse dictum à Deo, quod tamen revera non est ab eo dictum, illud credat, non est verè actus Fidei, sed tantùm existimatus, quia, ut sæpiùs dixi, implicat ut quis verè credat alicui circa rem aliquam, qui ei nihil dicit.

IV.

Etsi veracitas Dei semper existat, omnibus tamen objectis non est applicata.

Implicat ut quis alteri credat si is nihil ei dicat.

Ex his apertè constat actum qui est verè Fides Theologica, non posse esse falsum, cùm essentialiter petat veram revelationem seu dictionem, & ut Deus verè loquatur, non tantùm apparenter, tunc enim non erit verè actus Fidei Theologicæ, sed solùm apparens. Unde ut mentem meam ulteriùs declarem, existimo hos duos actus, quorum unus tendit in dictionem seu revelationem apparentem, alter in veram, esse specie distinctos, & hunc ut eliciatur pendere essentialiter à verâ Dei dictione, vel tanquam à ratione formali, vel tanquam à conditione.

V.

Actus Fidei verè Theologica quid requirat.

Dices: Implicat ut detur hujus modi dependentia à rebus tanquam à conditionibus extrinsecis, sic enim unusquisque dicere quidvis posset, ac philosophari pro libito, & ubi argumento aliquo premitur, ad conditionem exrrinsecam tanquam ad asylum confugere. At sanè ut conditiones extrinsecas non passim ac temerè admittendas existimo,

VI.

Negari nec in Philosophiâ nec in Theologiâ potest dependentia à conditionibus extrinsecis.

existimo, ita universim mihi videntur rejici non posse, ut latè ostendi tomo præcedente in materiâ de Angelis, Disp. 74. sect. 8. & 9. nec vol in Philosophicis vel Theologicis censeo à quoquam penitus negari.

VII. *Exemplis variis ostenditur conditiones extrinsecas esse in quibusdam rebus admittendas.*

Primò itaque secundùm communem in Philosophiâ sententiam statuentem relationem transcendentalem inter res creatas materia pendet à possibilitate formæ, causa à possibilitate effectus, & è contra. Item Thomistarum schola cum S. Thoma passim docet dari relationem prædicamentalem à fundamento ac termino distinctam, ita ut producto igni vel equo hic, relatio similitudinis oriatur in equo & igni in Indiâ existentibus, & relatio dissimilitudinis respectu illorum in omnibus aliis rebus. Idem est de speciebus claris, ut loco proximè citato ostendi, quæ ut connaturaliter producantur, vel saltem ut Deus cum iis ad actum clarum judicativum in Angelo concurrat, petunt existentiam objecti. Præterea P. Hurtado Disp. 9. Met. sect. 3. subsec. 4. & 5. & alii affirmant omnem actum verum, etiam de objecto contingente, esse essentialiter verum, & pendere ab existentiâ objecti, ita ut actus qui dicit *Petrus currit*, Petro currente, & est verus, produci nullo modo possit Petro non currente. Tandem, ut non abeam longiùs, P. Arriaga hîc, Disp. 4. sect. 5. n. 72. ait actum supernaturalem, ut producatur, requirere ut objectum sit prout actus judicat.

Dicunt aliqui actum naturalem, alii actum supernaturalem pendere ab existentiâ objecti.

VIII. *Inter homines dari possunt actus Fidei, qui sunt falsi, in quo differunt à Fide divinâ.*

Dices: ergo nec inter homines dari potest actus Fidei falsus. Nego consequentiam, homo namque potest testari falsum, seu auctoritatem suam & dictionem applicare rei non ita se habenti, sicut dicitur: Petrus exempli gratia dicere potest, *navis appulit*, *Paulus est mortuus*, aut quid simile, cùm tamen neutrum ita sit ut per illum affirmatur. In hoc ergo casu, cùm Petrus hæc verè dicat, actus quo Joannes ei his de rebus credit, est verè actus Fidei, sed tamen falsus. Ex quo constat differentia inter actus Fidei humanæ & divinæ, Deus quippe objecto falso applicare auctoritatè & dictionem suam non potest, sicque nec ullus actus, qui verè sit Fidei divinæ, esse falsus.

SECTIO TERTIA.

Argumenta quædam contendentia Fidei divinæ posse subesse falsum. Vbi, de Fide illiteratorum.

I. *Dices: Si quis invincibiliter putet aliquid esse à Deo revelatum, potest illud credere Fide divinâ.*

OBJICIES primò: Potest quis invincibiliter existimare aliquid, quod falsum est, esse à Deo revelatum, isque illud posset propter Dei auctoritatem credere, hic autem actus esset verè Fides Theologica, ergo Fidei verè Theologicæ potest subesse falsum: minor probatur, qui aliquid facit putans illud sibi esse præceptum, quamvis non sit, sed vetitum, actum veræ obedientiæ exercet, ergo & actum Fidei veræ Theologicæ exercet is, qui aliquid credit quia invincibiliter existimat illud verè esse à Deo revelatum, quamvis revelatum non sit.

II. *Negant aliqui sit ita posse objectum falsum proponi, ut prudenter putetur esse à Deo revelatum.*

Aliqui, ut hujus vim argumenti declinent, negant suppositum, posse scilicet rem falsam ita proponi, ut prudenter existimetur esse à Deo revelata, id enim divinæ providentiæ penitus repugnare affirmant. Talem itaque debere aiunt esse Fidei propositionem, ob quam homo teneatur credere, seu imperet actum Fidei, ut habeat moralem evidentiam credibilitatis rei credendæ; ad Fidem quippe certam, inquiunt, requiritur certum judicium credibilitatis, ita ut dubitare aut formidare quis prudenter de illâ nequeat, si enim possit, dicunt actum quo rem illam credit, esse Fidei tantùm humanæ, non divinæ & infallibilis: ita Suarez hîc, Disp. 4. Sect 5. num. 8. & alii.

III. *Ostenditur ad Fidem non requiri ejusmodi judicium certum credibilitatis, ut omne dubium excludatur.*

Hanc sententiam nullo modo amplectendam censeo, & apertè rejici videtur ex communi sensu fidelium; cuncti enim pueros & rusticos, qui ob unius auctoritatem parochi mysteria ab eo proposita credunt, censent esse verè Christianos & Catholicos; hi tamen hujusceemodi evidentiam de rebus, quas ab ipso edocentur, habere nequeunt; ex quo enim capite oriretur? non à Personâ parochi, hic enim est homo errori & deceptioni obnoxius, quique & falli potest & fallere, nec ejus auctoritas est ullo modo infallibilis, ut supra latè ostendi Disp. 5. Sect 5.

IV. *Puero aut rustico constare nequit Fidem, quâ ipse amplectitur, esse universalem.*

Deinde rustico hujusmodi, aut puero, recens ad rationis usum venienti qui constare potest, doctrinam, quæ ipsi hîc & nunc à parentibus, aut Parocho credenda traditur, esse eam, quam universalis Ecclesia amplectitur; qui enim vicinià aut pago vix unquam est egressus, qua ratione certò scire potest quid apud exteras longéque positas nationes pro Fide admittatur, & quæ hæc in parte recipiant, quæ rejiciant dogmata. Hinc ergo confici videtur, ad credendum non requiri ut quis evidentiam credibilitatis habeat rei, quæ ipsi credenda proponitur; nullius quippe unius hominis testimonium, nisi Spiritus Sancti ei adsit assistentia, est infallibile, Parochum autem hanc assistentiam non habere ostendi loco numero præcedente citato: multò minùs constare evidenter potest rustico, Parochi auctoritatem esse infallibilem.

V. *Rejicitur id quod dicunt aliqui, Deū motiva externa supplere per inspirationem internam.*

Dices, Estque communis ferè adversariorum responsio, quod in rusticis hisce & pueris deest evidentiæ in propositione externâ, Deus supplet per lumen seu inspirationem internam, per quam ita illustrantur eorum mentes, ut tantam mysterii credendi habeant evidentiam, quantam doctissimus quisque comparat ex motivis credibilitatis. Sed contra: hoc enim merè est divinare, & ad ea confugere, quæ nemini nota esse possunt: imò ansam præbet hæreticis privatum illum suum spiritum mordicus defendendi, cùm videant tantundem ferè à quibusdam Theologis statui in rudibus & idiotis. Deinde rustici & pueri nullam hujusmodi experiuntur internam evidentiam, nec alio modo antecedenter se affici sentiunt interiùs circa articulum verum, quàm circa falsum, ergo non habent hanc evidentiam, quæ, ut ait S. Augustinus *de utilitate credendi*, cap. 16. *Sapientum est propria.* Tandem, si hæc evidentia sit de lege ordinariâ necessaria ad credendum, sequitur potiùs eos qui hanc non habent, minimè credere Fide divinâ & verâ; quo enim fundamento dicitur Deum extraordinario & miraculoso modo hîc supplere aliquid ad credendum ex naturâ rei necessarium, cùm in aliis simile quid non suppleat, ut Fidem in iis quibus non est prædicatum Evangelium, potentiam absolvendi in Sacerdote, defectum materiæ aut formæ in Baptismo, & id genus alia.

Ansa datur hæreticis statuendi spiritum suum privatum.

Frustrà hîc recurrunt aliqui ad miracula.

VI. *Certò scire nequeunt illiterati ri-*

Dices secundò, Rudes hosce & illiteratos scire Fidem nostram esse miraculis comprobatam, maximæque antiquitatis, & ab ipsis Ecclesiæ primordiis

Tom. II.

Deum nostram esse antiquissimam, & miraculis confirmatam.

primordiis ad hæc usque tempora sine intermissione continuatam. Contra: hoc namque illi aliunde non sciunt quàm ex relatione Parochi, aut parentum; nec enim ipsi hæc miracula spectarunt, nec libros legerunt, unde vel Fidei antiquitas, vel hujusmodi mirabilium in illius confirmationem perpetratio ipsis constet, sicque non majorem hac de re habent certitudinem, quàm ex Parochi aut parentum auctoritate proveniat, utpote in quibus solis tota hæc eorum certitudo recumbit.

VII.

Dices: Ergo multi invincibiliter fieri possunt Iudæi, aut Turcæ, & in istis religionibus salvari.

Dices tertiò: Si ad credendum non requiratur hujuscemodi evidentia credibilitatis, qualem, ut proximè vidimus, in sapientibus reperiri dixit S. Augustinus, sequitur posse in rudioribus contingere, ut quis ratione hebetioris ingenii, exiguique istiusmodi rerum captus, Judæorum, Turcarum, aut hæreticorum religionem, citra culpam amplectatur, imò & ad hoc faciendum obligetur, sicque multi inter illos salvabuntur, si articulos ad salutem consequendam necessarios credant, ut *Deum esse, & remuneratorem esse*: malè ergo rident Catholici Erasmum dicentem, *Vixme contineo quin dicam, Sancte Socrates ora pro nobis*: & Zuinglium, qui Francisco primo dixit reperturum se in cœlo Achillem, Hectorem, & alios Heroas; videtur namque ex nostris principiis hos omnes salvari posse.

Ridiculum Erasmi & Zuinglii dictum.

VIII.

Possunt rudiores habere invincibilem veræ Fidei ignorantiam.

Quoad primum, concedi sine incommodo potest eos, qui tardioris, obtusiorisque sunt ingenii, posse habere invincibilem ignorantiam veræ Fidei: imò, ut suprà, Disp. 8. sect. 5. ostendi cum Azorio, Tannero, Arriaga & aliis, possunt interdum non solùm de verâ religione dubitare, sed eâ relictâ falsam inculpabiliter amplecti. Hinc tamen non sequitur, quin ridiculè locuti sint Erasmus & Zuinglius; nec enim quod in rudibus obtusisque, seu plumbeis hominibus admittimus, id in Socrate & viris quibusque perspicacissimis est concedendum. Adde, illos de quibus in objectione facta est mentio, ob peccatum originale, aliáque actualia, & defectum pœnitentiæ excusum iri à cœlesti beatitudine.

IX.

Alii actus sunt Fidei verè, alii apparenter.

Ad argumentum itaque num. 1. positum dico actum illum, quo quis ob existimatam, seu apparentem Dei auctoritatem ac dictionem assensum præbet rei falsæ, non esse verè actum Fidei Theologicæ, sed solùm putatitium; actus quippe Fidei verè Theologicæ non fertur nisi in auctoritatem Dei per revelationem seu dictionem objecto, seu mysterio credendo verè, non apparenter tantùm conjunctam, ut latè ostensum est Sectione præcedente, per totam. Aliud est de actibus voluntatis, hi siquidem bonitatem suam & rectitudinem ab objectis desumunt, non prout reipsa sunt, sed prout ipsi ab intellectu proponuntur. Addo tamen, actum illum quando quis aliquid facit putans id sibi esse præceptum, licèt revera sit vetitum, esse quidem *affectu* actum obedientiæ, non tamen *effectu*, sed hoc modo est potiùs actus inobedientiæ, sicque actus externus quamvis ex affectu illo interno hauriat bonitatem extrinsecam, entitativè tamen, & quoad prædicata intrinseca est malus.

Aliud est de actibus intellectus, aliud de actibus voluntatis.

SECTIO QUARTA.

Objectiones aliæ quibus contenditur actum Fidei divinæ posse esse falsum, & tendere in revelationem apparentem.

I.

Actus imperans actum Fidei apparentis est bonus intrinsecè & meritorius, non tamen actus imperatus.

OBJICIES secundò: Actus ille, quo quis invincibiliter putans aliquid falsum esse à Deo revelatum, illud credit, & ob apparentem Dei auctoritatem captivat intellectum, est bonus, & si is, qui eum elicit, sit in gratiâ, verè per hunc actum merebitur, sicut per alios actus qui tendunt in rem verè revelatam, ergo procedit à gratiâ & est supernaturalis. Respondetur, Actum quidem illum voluntatis, quo quis assensum credendi ob apparentem Dei auctoritatem imperat, esse simpliciter bonum ac meritorium, cùm sit de objecto honesto, honestum quippe est, ubi aliquid prudenter existimatur à Deo revelatum, ob reverentiam divinæ auctoritatis submittere judicium, & velle intellectum captivare. Assensus tamen hoc modo elicitus, intrinsecè & secundùm suam entitatem non est bonus, nec meritorius, sed tantùm denominativè, denominatione scilicet extrinsecâ ab actu illo imperante voluntatis procedente. Unde & P. Arriaga hîc, Disp. 4. sect. 5. n. 72. ait hunc assensum non posse esse supernaturalem.

Honestum est ob auctoritatem Dei apparentem velle submittere judicium.

II.

Quo pacto dicat Fides Christum sub speciebus Eucharisticis contineri.

Objicies tertio: Fide certum est, hostiam consecratam esse adorandam; contingere autem potest, ut ob occultum aliquem defectum Christus hic & nunc sub hac hostiâ non contineatur, ergo actus Fidei quo ipsum quis crederet esse sub hac hostiâ, foret falsus. Respondetur cum S. Thoma hîc, q. 1. a. 3. ad 4. Fidem de existentiâ Christi in Eucharistiâ non referri ad has vel illas species in particulari; ex Fide etenim solùm habemus Christum verè esse sub quacunque hostiâ consecratâ, eámque esse adorandam, nihil ergo contra Fidem, nec ipsi suberit falsum, si hæc vel illa hostia non sit consecrata.

III.

Quid siquis paullò antè Christi nativitatem diceret, Christus nascetur, & actum post ejus nativitatem continuaret.

Objicies quartò: Si quis nocte nativitatis, paullò ante natum Christum actu Fidei divinæ credidisset Christum nasciturum, & actum illum, ut potuit, continuasset post Christi nativitatem, hic actus primò fuisset verus, postea falsus, ergo actui Fidei divinæ potest subesse falsum. Respondetur, exceptâ Beatissimâ Virgine, S. Josepho, & paucis aliis, qui peculiarem de instanti determinato vel tempore nativitatis Christi habuerunt revelationem & notitiam, neminem Fide divinâ credere potuisse eum post hoc vel illud instans determinatum nasciturum, sed ut ait S. Thomas hîc, quæst. 1. art. 3. ad tertium, solùm potuisse credere Fide divinâ Christum quandoque nasci. Quare siquis paullò ante tempus illud, quo Christus est natus, credidisset Christum adhuc nasciturum, actus quidem ille fuisset verus, sed casualiter, nec ita fundatus, ut ad actum Fidei divinæ requiritur. Addo nihilominus, licèt actus ille esset Fides divina, & primo instanti verus, nunquam postea redderetur falsus, nam, ut dixi Disp. 45. Logicæ, sect. 3. n. 1. & quinto, hic actus solùm dicit, *Christus nascetur post hoc instans*, illud scilicet quo actus primò elicitur, hoc autem, quantumcunque continuetur actus, semper est verum.

Actus ille non haberet certitudinem Fidei divinæ.

Objicies

IV. *Rusticus aut puer veros articulos credideret Fide verâ, & infusâ, falsum Fide putatitiâ & naturali.*

Objicies quintò: Si Parochus rustico alicui aut puero inter varios articulos veros proponeret unum falsum, illi non minùs hunc quàm illum crederent, imo credere tenerentur, ergo divinæ Fidei potest subesse falsum, maximè si omnes eodem actu crederent. Respondetur, Rusticum illum aut puerum juxta dicta Sect. secundâ veros illos articulos credere posse Fide verâ & infusâ, falsum verò Fide tantùm existimatâ, & naturali. Quòd si articulos illos omnes eodem actu credat, actus ille erit simpliciter falsus & naturalis, bonum enim ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu, &, fas sit ita loqui, modicum fermentum totam massam corrumpit. Tribuendo tamen singula singulis, hic actus, prout terminatur ad articulos veros, est verè actus Fidei; ut verò tendit in articulum falsum est tantùm actus Fidei existimatus: sicut si quis eodem actu cognosceret duo objecta, clarum alterum, alterum obscurum, actus respectu primi foret scientificus, respectu secundi opinativus: quemadmodum contingit quando quis eadem visione materiali videt duos colores, quorum unus est vivax & maximè activus, alter obtusior, hic idem actus colorem illum vividum repræsentat clarè, hunc obscurè; & sexcenta hujusmodi exempla, quæ in Philosophiâ notavi.

Actus idem potest esse Fidei vera, & existimata.

V. *Possitne prudentia versari circa objectum falsum.*

Objicies sextò: Prudentia est virtus intellectualis, hæc nihilominus ferri potest in falsum, Jacob siquidem prudenter existimabat Liam esse suam uxorem, ergo & actus Fidei ferri potest in falsum, seu in revelationem apparentem. Ad solutionem notandum, Prudentiam, quamvis judicium speculativum supponat, non tamen in eo sitam esse formaliter, sed in judicio practico, quo quis probabiliter judicat circa tale objectum hîc & nunc sic esse operandum, estque virtus directrix voluntatis, immediatéque ad omnes ejus actus intentionaliter concurrens. Etiamsi ergò judicium illud speculativum, quod actum prudentiæ antecedit, sit subinde falsum, judicium tamen practicum, in quo consistit prudentia, non est propterea falsum. Omne ergò judicium, quod est actus prudentiæ, est semper verum; in exemplo posito verbi causa, Jacobus actu prudentiæ judicabat posse se licitè accedere ad Liam, & revera poterat, sicque actus ille erat verus: & idem existimo in aliis similibus exemplis hîc adferri solitis.

Prudentia est judicium practicum supponens speculativum.

Omnis actus prudentiæ est verus.

VI. *Quo sensu actus præcedens judicium practicum dicatur actus prudentiæ.*

Urgebis: In casu dicto Jacobus non solùm prudenter judicabat se posse accedere ad Liam; sed etiam judicabat prudenter Liam esse suam uxorem, sed hic actus erat falsus, ergo actus prudentiæ potest esse falsus. Respondetur, Actum illum speculativum non esse propriè actum prudentiæ, vocari tamen judicium prudens, tum quia cum summâ probabilitate eliciebatur, quo sensu omnis actus probabilis dici potest prudens: tum quia ob invincibilem ignorantiam quâ nitebatur, aptissimus erat ad judicium illud practicum, in quo vera prudentia consistit, fundandum. Est ergò actus prudentiæ occasionaliter, non formaliter.

VII. *Veritas essentialis actus Fidei non arguit omnes alios actus esse essentialiter veros.*

Objicies septimò: Si actus Fidei de objecto contingenti sit essentialiter verus, ergo omnis alius actus de objecto contingenti erit essentialiter verus. Confirmatur: Visio beata videns se perpetuò duraturam non est essentialiter vera, alioqui nec à Deo posset destrui. Ad argumentum negatur consequentia, est enim peculiaris ratio de actu Fidei, quæ fusè declarata est Sect 2.

VIII. *Visio beatifica duobus modis se reflexè videre potest.*

Ad Confirmationem dico omnem visionem beatificam esse essentialiter veram. Ad inconveniens autem quod inde deducebatur, respondeo, Visionem beatificam supra se reflectentem, duobus modis se habere posse: vel enim concomitanter quasi se habet ad seipsam, & nullo præsuppositio, séque immediatè videt perpetuò duraturam, tunc autem nullum est inconveniens quod sit necessariò indestruibilis, etiam à Deo. Alio modo videre se potest perpetuò duraturam, nempe in actu alterius, ut in actu Fidei, quo quis crederet visionem beatificam, quam Petrus habet duraturam semper, in hoc casu visio illa, quâ Petrus in illo actu videt eam perpetuò duraturam, non est semper duratura necessariò & antecedenter, sed tantùm consequenter & liberè, supponit enim decretum liberum Dei de illâ nunquam destruendâ; priùs enim quàm hanc ejus durationem revelet Deus, debet statuisse eam nunquam destruere, sicque non obstante hac visione reflexâ sui, est quovis instanti simpliciter, seu antecedenter destruibilis: sicut etiam contingeret in duratione Angeli, quam Sanctus aliquis aut Angelus videret semper duraturam.

Visio antecedenter & consequenter perpetuò duratura.

SECTIO QUINTA.

Vtrùm Fides possit esse partiale principium assensus falsi: ubi etiam an Deus possit infundere errorem, aut habitum vitiosum.

I. *Possitne actus Fidei divinæ concurrere partialiter ad actum falsum.*

Quoad primum, Quæstio fermè est de modo loquendi, quam proinde paucis perstringam. Dico itaque, quando altera præmissa est de Fide, altera naturalis falsa, ut in hoc & similibus syllogismis: *Vbi sunt duæ naturæ, sunt duæ hypostases, sed in Christo sunt duæ naturæ, ergo duæ hypostases:* in hoc inquam syllogismo licet præmissa Fidei non sit causa, etiam partialis, specialiter determinans ad falsum, sed hoc faciat præmissa naturalis falsa, quæ determinat præmissam illam ad conclusionem hæreticam, non tamen videtur negari posse, quin præmissa Fidei simul cum aliâ ad conclusionem illam intentionaliter concurrat, sicut in omnibus aliis conclusionibus contingit, quæ tanquam causam naturaliter exigunt duas præmissas, una enim sola ad hoc non sufficit, ut constat.

Ad conclusionem eliciendam concurrit utraque præmissa.

II. *Docent multi Deum posse infundere errorem.*

Quoad secundum, Vtrùm scilicet possit Deus intellectui creato infundere errorem, seu assensum falsum: Prima sententia est affirmativa, ita Cajetanus in lib. 2. Regum, cap. 12 & 16. dicens Deum posse esse causam mendacii, non ut mendacium est, sed ut est pœna. Eandem sententiam tenet Vasquez 1. 2. Disp. 9. cap. 4. & tertiâ parte, Disp. 61. cap. ultimo, ubi ait Deum esse posse causam erroris, in actibus saltem quoad substantiam naturalibus. Idem docet P. Arriaga hîc, Disp. 4. Sect. 5. num. 74. & alibi.

III. *Negant & contra alii posse Deum infundere errorem.*

Secunda sententia negat posse Deum infundere alicui errorem: ita Coninck hîc, Disp. 10. dub. 2. num. 28. & 29. Neque hoc de actu tantùm erroris asserendum dicunt multi, sed etiam de habitu: ita Medina 1. 2. quæst. 24. Turrianus 2. 2. Disp. 3. dub. 4. Tannerus hîc, disp. 1. q. 1. d. 5. n. 152. estque communissima inter recentiores opinio.

IV. *Duobus modis intelligi potest Deus infundere errorem.*

Notandum hanc erroris infusionem duplicitèr intelligi posse: Primò ita ut Deus per se & adæquatè, ac sine concursu intellectus creati assensum falsum in eo producat. Secundò ut simul cum intellectu hominis aut Angeli actum erroneum in eo efficiat, non per generalem tantùm concursum, hac enim ratione non solùm tantùm actus falsos, sed etiam ad peccaminosos, ut ad odium Dei, blasphemiam, & similes cum hominibus concurrit Deus, ut communis habet Philosophorum ac Theologorum sententia, & latè contra Durandum & Dolam ostendi Disputat. 29. Physicorum. Non ergò de hoc ad errorem concurrendi modo procedit quæstio, sed utrùm speciali quadam ratione ad illum possit Deus concurrere, intellectum scilicet peculiariter ad eum determinando, & movendo, quemadmodum movet & inclinat ad actus bonos.

Non est hic sermo de concursu universali.

V. *Sicut summa bonitati repugnat inclinare ad malum, ita primæ veritati inclinare ad falsum.*

Prima Conclusio: Deus nec errorem per seipsum solum in intellectu denominationis illius capace producere potest, nec cum homine aut Angelo peculiari modo, proximè explicato ad illius productionem concurrere. Ratio est: Deus namque, sicut quia est summa bonitas, non solùm peccare ipse nequit, sed nec in alio esse vera causa peccati, voluntatem scilicet creatam ad illud peculiariter movendo ac determinando, ita cùm sit prima veritas, non solùm non potest per se falsum testari, sed nec alium ad actum falsum determinare & peculiari modo ad errorem impellere, ita ut sit vera & propria illius causa, eique specialiter imputari possit quòd homo erret; hoc siquidem, ut dixi, non minùs dedecere videtur primam veritatem, quàm alterum summam bonitatem. Et sanè per se, vel ex ipsâ terminorum apprehensione Deo maximè indignum videtur, ut quemquam decipiat, seu in errorem inducat. Hinc S. Augustinus libro 83. Quæstionum, quæst. 53. *Deus*, inquit, *est Pater veritatis, & Veritas, & Spiritus veritatis. Non igitur Deus deceptor est, quod credere impium esse quis non intelligat?* Ibidem etiam in hanc rem: *Summa*, inquit, *& perfecta veritas est, neminem decipere*: additque hoc pronunciatum: *ultimum vitium est decipere.*

Indignum Deo est hominem in errorem inducere.

VI. *In nullo subjecto producere per se potest Deus qualitatem erroris.*

Secunda Conclusio: Probabilius mihi videtur, ne quidem in intellectu, effectus illius formalis incapace, aut etiam in lapide, posse Deum qualitatem hanc erroris, seu assensus falsi producere. Ratio est: hæc enim qualitas, quamvis hic & nunc per accidens hominem non reddat deceptum, ex naturâ suâ tamen ad hoc ordinatur, cujus proinde productio parum decere videtur primam veritatem: sicut ob infinitam in Deo bonitatem, nullo modo concedendum est, posse Deum per se qualitatem odii Dei, etiam in lapide, vel extra omne subjectum producere, ob fœditatem scilicet, & turpitudinem moralem in eâ repertam, quæ etiam turpitudo suo modo reperitur in errore, cum ex se, ut dixi, & in actu primo ordinetur ad deceptionem.

Quanam turpitudo moralis in errore inveniatur.

VII. *Nequit Deus cuiquam habitum erroris infundere.*

Tertia Conclusio: Non actum solummodo, sed nec habitum erroris infundere cuiquam potest Deus: ita auctores numero tertio citati. Ratio est eadem cum illâ, quam adduximus pro primâ conclusione; cùm enim habitus erroris peculiariter ordinetur ad assensum falsum, seu errorem producendum, Deus, qui illum infundit, hominem peculiariter ad errorem, & deceptionem directè inclinaret, ac determinaret, essétque ipsi vera causa errandi, quod, ut ostendi, in primam veritatem cadere omnino non potest. Confirmatur: Qui peculiari modo alterum movet & impellit ad peccandum, est peculiaris causa peccati, ergo & errandi is, qui peculiari modo incitat ad errorem. Confirmatur secundò: Deus eo quòd peculiariter ad actum bonum moveat est auctor & causa illius, ergo si infundat aliquid inclinans ad errorem, erit similiter erroris causa.

Si Deus habitum erroris infunderet, censeretur causa assensus falsi.

Dices: Quantumvis alicui infundatur habitus erroris, hic tamen ad actum falsum non necessitat, sed integrum ei est actum erroris elicere, vel non elicere, utpote qui hac in parte sui ad huc juris est, nullâque ei vis infertur. Respondetur: Licèt productio erroris pendeat à libertate creaturæ sese hîc & nunc ad illum immediatè determinantis, tribueretur nihilominus Deo, qui nimirum speciali ratione ad eum movet & inclinat. Sicut, licèt voluntas creata ad actum bonum immediatè se determinet, Deus tamen per gratiam internæ illuminationis, sanctas scilicet inspirationes eam ad actum illum movendo & inclinando censetur vera illius causa.

VIII. *Quamvis homo liberè ad assensum falsum concurreret, Deus tamen peculiaris foret illius actus causa.*

Hinc tandem infero non posse Deum cuiquam infundere habitum vitiosum. Ratio eadem est quæ pro præcedente conclusione; sicut enim Deus, si habitum erroris infunderet, inclinaret intellectum ad assensum falsum, ita si habitum vitiosum infunderet voluntati, illam peculiariter moveret ad actum peccati, essétque vera illius causa, non minùs quàm in præcedento casu esset vera causa erroris.

IX. *Non potest Deus cuiquam infundere habitum vitiosum.*

Ad pleniorem tamen hujus postremi, & præcedentium in totâ hac Sectione intelligentiam notandum, tum habitus erroris, tum vitiosos esse in duplici differentia: aliqui enim habitus erroris sunt essentialiter erronei, illi nimirum, qui ex naturâ suâ ordinantur ad actus, qui necessariò semper sunt falsi, ut est actus negans esse Deum, esse illum Trinum & Unum, Infinitum, Immensum, Omnipotentem, &c. Item actus negantes prima principia, & demonstrationes quasdam mathematicas, &c. Ex habitibus similiter vitiosis alii sunt intrinsecè, & essentialiter tales, ut habitus odii Dei, blasphemiæ, & similes: habitus etiam ad hos actus inclinantes, *volo mentiri, committere adulterium, sacrilegium*, &c. item *volo studere, legere, comedere quia est prohibitum*, vel, *etiamsi sit prohibitum.*

X. *Habitus vitiosi & erroris sunt in duplici differentiâ.*

Habitus aliqui vitiosi & erroris sunt essentialiter tales.

De his ergo habitibus intelligenda sunt, quæ hactenus circa infusionem habitus erroris & vitii diximus: alii enim sunt habitus tum erroris, tum vitii, ut tomo præcedente, Disp. 98. Sect. 1. & 2. ostendi, quæ non ex prædicatis suis intrinsecis, sed per accidens solummodo sunt falsi aut mali; cùm enim actus, ad quos inclinant, non sint intrinsecè mali, sed secundùm prædicata sua intrinseca indifferentes, & mali solùm prout subsunt prohibitioni, sub quâ ratione habitus eos non respiciunt, sed tantùm secundùm prædicata eorum intrinseca, ut loco citato, & Disp. 97. Sect. 2. num. 6. & sequentibus fusè declaratum est, non est cur hujusmodi habitus à Deo infundi nequeant, cùm, prout à Deo infunduntur, sint indifferentes: & idem est de hujusmodi habitibus erroris.

XI. *Quidam habitus per accidens tantùm inclinant ad errorem & vitium.*

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Argumenta contendentia posse Deum infundere habitus erroris & vitii.

I. *Sufficiens ostenditur implicantia, cur Deus infundere nequeat hos habitus.*

OBJICITUR primò: Nulla ostendi potest implicantia, quò minùs Deus infundere queat habitum erroris, aut vitii, ergo. Respondetur, Causam seu implicantiam hujus rei quoad habitus erroris, & vitiosos, qui inclinant ad actus intrinsecè falsos, aut malos, abundè declaratam esse totâ Sectione præcedente, primam scilicet veritatem falsitati, & summam bonitatem malitiæ infinities repugnantem: & insuper ob fœditatem ac turpitudinem hujuscemodi actuum & habituum. Tandem qui est causa particularis illius quod inclinat ad effectum, censetur ab omnibus causa effectus.

II. *Quamvis habitus erroris possit à solo Deo conservari, non tamen potest ab eo solo primò produci.*

Objicitur secundò: Deus per se, & ut causa particularis potest habitum erroris aut vitii ex actibus ab homine comparatum, postea cessantibus actibus solus conservare, ergo & primò per seipsum producere, hominisque infundere. Negatur tamen consequentia: disparitas est manifesta: Deus enim habitus illos conservando agit tantùm causam universalem, utpote cujus munus est supplere defectus causarum particularium: unde secundùm leges universi tenetur hujusmodi habitus, sicut alios effectus, ubi causæ particulares, à quibus primò productæ sunt, deficiunt, conservare. At verò si hos habitus primò, & ad nullius causæ secundæ exigentiam produceret, non ageret ut causa universalis; sed ut particularis, sicque effectus ei specialiter tribuerentur.

III. *Etsi habitus vitiosus possit à Deo solo conservari, actus tamen non potest.*

Urgebis: Ergo & actum vitii seu peccati, ut qualitatem odii Dei, voluntatem commitendi adulterium, &c. potest Deus, cessante influxu activo hominis, per se conservare; nec enim juxta nostrum respondendi modum esset causa particularis horum actuum, sed tantùm universalis, ut proximè diximus de habitibus. Respondetur negando sequelam: actus enim isti, seu qualitates, cessante influxu, seu concursu activo agentis creati petunt connaturaliter desinere, ut quotidianâ constat experientiâ; unde si Deus qualitates hasce, ubi desinit actio causæ secundæ ad eas terminata, ulteriùs conservaret, non ageret juxta sed contra exigentiam harum rerum, adeóque non ut causa universalis, sed particularis, imò non speciali tantùm & extraordinario, sed miraculoso etiam concursu actus illos conservaret.

IV. *Quamvis error sit tantùm malum pœnæ, nequit tamen à Deo produci, & homini infundi.*

Objicitur tertiò à P. Vasquez 1. 2. Disp. 96. & aliis: Error non est malum culpæ, sed tantùm pœnæ, seu malum physicum, non morale; sicut ergo Deus citra indecentiam potest dolorem, & alias pœnas per se producere, ita etiam producere poterit errorem. Respondetur, licèt error non sit malum culpæ, primæ tamen Veritati non minùs repugnat eum per se producere, quàm summæ bonitati producere per se in hominis voluntate culpam, & esse ejus causam, ut in superioribus est declaratum. Hinc S. Augustinus loco Sect. præcedente, num. 5. citato: *Deus*, inquit, *per seipsum neminem decipit, licèt excellentiùs sciat quàm homo, quâ quisque pœnâ & præmio sit dignus.* Quando ergo homines vel per alios homines vel dæmones decipiuntur, Deus tantùm se habet permissivè, justis scilicet de causis non impediendo quo minùs aliqui hoc modo in errorem inducantur: quo sensu in sacris literis dicitur interdum Deus nonnullos decipere, ut tomo præcedente est declaratum. Adde omne malum physicum non posse à Deo produci, ut, juxta plurimos, addicere innocentem nequit ad cruciatus æternos.

Deus neminem per se decipit, quamvis per homines aut Angelos malos decipi quosdam permittat.

V. *Quamvis possit Deus speciem intuitivam albedinis in oculo producere quando albedo non existit, non sequitur eum esse causam erroris.*

Objicitur quartò: Potest Deus speciem intuitivam albedinis in oculo producere, albedine non existente; nec enim hoc magis repugnat, quàm species seu accidentia panis conservare, destructâ panis substantiâ; unde S. Thomas 3 p. quæst. 76. art. 8. apparitiones miraculosas quæ in sacrosanctæ Eucharistiâ interdum contingunt, hoc modo declarat, dicendo mutationem tantummodo esse ex parte videntis, non objecti, per species scilicet rei non existentis, in oculo productas. Respondetur hanc objectionem solùm confirmare quæ dixi Sectione præcedente, num. 10. & 11. posse scilicet Deum ejusmodi habitus infundere, qui per se & intrinsecè non inclinant ad actum falsum vel malum, sed sunt tales solùm per accidens, & ob circumstantias extrinsecas, ut comedere temperatè carnes. Ratio autem est, quia cùm, ut suprà dixi, hi actus quoad prædicata sua intrinseca non sint mali aut falsi, sed in specie indifferentes, & habitus isti eos non respiciant, nisi secundùm prædicata illorum intrinseca, hi habitus ut à Deo producuntur & infunduntur non sunt vel erroris vel vitii, sed tantùm indifferentes: unde in eorum productione vel infusione nulla apparet indecentia, aut quidquam Deo indignum, magis quàm in infusione voluntatis, vel appetitus sensitivi, cùm ad actus illos non inclinent ut falsos aut malos, sed tantùm ad prædicata illorum intrinseca, & ut sunt indifferentes: per accidens autem est quod reddantur actus illi falsi aut mali. Idem dico de speciebus intuitivis albedinis, & aliis hujusmodi.

Nihil obstat quo minùs Deus infundere possit habitus qui inclinent ad actus accidentaliter tantùm malos.

Habitus, prout à Deo infunduntur, nec sunt erroris, nec vitii.

VI. *Deus licèt mortem in creaturâ aut ignorantiam purè negativam causare possit, non tamen errorem, aut vitium.*

Objicitur quintò: Perfectissimæ Dei vitæ non minùs opponitur mors creaturæ, & ignorantia scientiæ, quàm error veracitati, ergo. Respondetur, cùm supremum habeat Deus in res omnes dominium, cunctáque liberè producat & conservet, posse etiam quidvis pro libito destruere, concursúmque quem liberè præbet, liberè suspendere, utpote vitæ & necis dominus, nec in hoc quidquam apparet indecentiæ. Ad ignorantiam quod attinet, cùm ignorantia, quæ merè est negatio scientiæ (de illâ enim solâ hîc loquimur) nec ad verum vel falsum, nec ad bonum aut malum inclinet, non est cur à Deo infundi nequeat: error autem positivè ad falsum, habitus vitiosus, intrinsecè talis, ad malum directè inclinat: unde clarè constat non esse eandem de his & ignorantiâ rationem.

VII. *Ex signis ad credendum falsum moventibus non sequitur posse Deum infundere habitum erroris.*

Objicitur sextò: Falsum, permittente Deo, sub talibus signis uti diximus proponi potest, ut quis probabiliter existimet, imò credere teneatur Deum loqui, & rem illam revelare, cùm tamen revera non loquatur, nec eam revelet, ergo & habitum erroris poterit infundere, cùm hic ad falsum vehementiùs non inclinet, quàm hæc signa. Respondetur, latam inter habitum erroris & hæc signa esse disparitatem; hæc enim signa per se & ex naturâ suâ ad errorem non determinant, cum eadem, ad veritatem fieri possent, unde per accidens tantùm ad falsum hic & nunc inclinant, nec ad hoc specialiter ordinantur: at

Tom. II.

verò habitus erroris directè, & ex naturâ suâ, ac prædicatis intrinsecis ad falsum inclinat, unde qui illum produceret, censeretur per illum directè inclinare ad falsum.

VIII. *Quòd habitus vitiosus occasionaliter augeat meritum, non sequitur eum posse à Deo infundi.*

Objicitur septimò specialiter pro habitu vitioso: Hujusmodi siquidem habitus, ad vitium inclinando auget meritum, cùm augeat difficultatem, sicut eam auget appetitus sensitivus, quem tamen Deus cuique cum naturâ infundit, ergo & infundere poterit habitum vitiosum, saltem si simul cum eâ infundat gratiam. Sed contra: hinc namque sequeretur Deum posse directè & absolutè velle peccatum, variorum siquidem bonorum est homini causa, & peculiariter ad humilitatem deservit. Dico itaque in rei cujuspiam productione non esse spectandum quemcunque finem secundarium, remotum, & extrinsecum, sed primarium & intrinsecum, qui cùm in habitu erroris sit deceptio, & in habitu vitioso peccatum, neuter potest à Deo produci. Secus se res habet in appetitu sensitivo, ille siquidem directè ad malum non inclinat, sed ad commodum naturæ sensitivæ, hoc verò indifferens est ad bonum & malum: habitus autem vitiosus, de quo hìc loquimur, directè & per se ad malum ordinatur, illúdque ut finem suum primarium spectat, & eum in quo est, ad peccatum positivè semper inclinat.

Aliud est de appetitu, aliud de habitu vitioso.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De obscuritate Fidei.

EXPLICATIS iis quæ ad Fidei veritatem, certitudinem, & infallibilitatem spectant, nunc de aliâ illius proprietate, eáque essentiali & intrinsecâ, obscuritate scilicet, agendum, quæ actui Fidei ita est necessariò annexa, ut qua ratione obscurus, eâdem Fides esse desinat. Hæc porro obscuritas in Fide tribus modis intelligi potest, ex parte objecti, subjecti, & actus: Objecti, *quædam namque mysteria ita suâ sublimitate abstrusa sunt & abdita, atque ab omni humanæ mentis captu, naturæq; lumine remota, ut nullus intellectus creatus, quantumvis acutus & perspicax ad claram eorum notitiam pertingere valeat: Ex parte* subjecti, *quòd secundùm multos actum clarum de eodem objecto secum in intellectu non patiatur. Tandem ex parte* actus, *qui nimirum sibi semper congenitam habet obscuritatem, quantumvis res, quæ per eum creditur, aliunde esse possit evidens: qua de re mox plura dicentur.*

SECTIO PRIMA.

Vtrùm actus Fidei sit essentialiter obscurus.

I. *Nihil credendum esse docent hæretici, nisi quod evidenter cognoscitur.*

NOSTRI temporis Novatores, antiquos Ecclesiæ perduelles, ut sibi similis semper est hæresis, secuti, nihil credendum esse affirmant, nisi quod certò nobis & evidenter constat: ita Calvinus lib. 3. Institut. cap. 2. & in primam ad Corinth. cap. 13. Idem olim, ut refert S. Augustinus lib. de utilitate credendi, cap. 1. docebant Manichæi: unde & vitio vertebant orthodoxis, quòd non ex rerum evidentiâ, sed cæco quodam modo in ea quæ credenda proponebantur, tenderent: suis verò, in rebus omnibus evidentiam pollicebantur; quam tamen, inquit S. Augustinus, nunquam ostendebant, sed pro veritate fabulas obtrudebant & somnia, infinitisque figmentis ac mendaciis, miseris mortalibus imponebant,

II. *Ex Catholicis quidam Fidem asserebant esse evidentem.*

Eandem sententiam, Fidem scilicet esse evidentem docuisse videtur Robertus Holcoth, qui proinde Fidem dicebat non esse liberam, nec voluntatis imperio indigere, sed homines vi rationum, quæ cuique mysterium propositum seriò consideranti occurrunt, ad assensum rapi ac necessitari, itaut actum credendi suspendere nequeant. Suarez tamen hic, Disp. 3. Sect. 7. num. 2. ait eum solùm loqui de evidentiâ credibilitatis: qua in re tamen non rectè dicit inferri per eam homini necessitatem in credendo, evidentia siquidem credibilitatis, ut dictum est, non cogit ad assensum, sed integrum cuique relinquit actum Fidei suspendere; unde hac evidentiâ positâ, adhuc est locus piæ affectioni, & imperio voluntatis,

Evidentia credibilitatis nemini infert necessitatem.

voluntatis, hominem ad Fidem determinantis. Fidem etiam esse evidentem docuit Franciscus à Marchia in Prologom. Sententiar. quæstione tertiâ.

III. *Actum Fidei quà talis est essentialiter obscurus.* Dicendum tamen cum communi Theologorum sententiâ actum Fidei esse obscurum, & ita obscurum, ut quà fides clarus esse non possit: ita S. Thomas hic, quæst. 1. art. 4. Ockam in Prologo, quæst. 3. Capreolus d. 25. quæst. unicâ. Cajetanus hic, quæst. 1. art. 4. Bannez, Aragon, & alii. Idem ex recentioribus docet Suarez hic, Disp. 3. Sect. 7. Valentia hic, quæst. 1. parte 4. §. 1. Tannerus tomo tertio, Disp. 1. quæst. 1. dub. 6. num. 158. & alii.

IV. *Duobus modis intelligi potest Fidem petere inevidentiam.* Ut clariùs hac in re procedamus, recolendum quod supra diximus, duobus modis intelligi posse actum Fidei esse obscurum, & requirere inevidentiam, nempe ex parte objecti, ita scilicet ut actus Fidei feratur in obiectum non visum, nec clarè cognitum per medium Fidei, sed quantumvis per aliud medium seu motivum res clarè innotescat credenti, medium tamen Fidei in actu non pariat nisi obscuritatem. Secundus modus inevidentiæ, ut supra dixi, est ex parte subjecti, ut nimirum non solùm actus Fidei per suum medium non pariat evidentiam, sed ulteriùs requirat ut subjectum seu intellectus credentis non habeat evidentiam per quodcunque medium. Nos in hac Sectione de priore tantùm obscuritate loquimur, seu ex parte objecti, & medii Fidei. *Obscuritas omnimoda, seu ex parte subjecti.*

V. *Ostenditur actum Fidei à suo medio excludere evidentiam.* Quod ergo Fides in suo actu, seu ex medio proprio Fidei, non solùm non postulet, sed excludat evidentiam clarè constat ex illo ad Hebræos 11. *Fides est argumentum non apparentium:* quod apertè arguit debere actum Fidei esse obscurum, res enim apparere dicuntur, dum clarè percipiuntur: hinc Apostolus 1. ad Corinth. 13. vers. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate:* ubi *videmus* idem sonat quod *cognoscimus*, ut ibidem advertit S. Thomas, & dum dicitur Fidei cognitionem esse ænigmaticam, certum est debere esse obscuram. Quâ etiam de causâ S. Petrus Epistolâ secundâ, capite primo, vers. 19. Fidem comparat *lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

VI. *Vana hæreticorum ad locum illum Apostoli ad Hebræos responsio.* Nec ullo modo satisfacit quod loco illi Apostoli respondet Calvinus supra citatus, nempe solùm velle Apostolum Fidem esse argumentum non apparentium sensu. Hoc inquam nullo modo satisfacit; inprimis namque est apertè contra mentem Divi Pauli, qui ex eo quòd Fides sit de rebus non apparentibus arguit debere nos cum humilitate & patientiâ in futurorum bonorum, quæ non apparent, spe & expectatione per Fidem vivere: unde secundùm Apostolum debent bona illa, non sensu tantùm, sed neque intellectu conspici, alioqui nulla esset Divi Pauli illatio. Deinde prima etiam principia, quæ sunt cognitiones omnium evidentissimæ, essent rerum non apparentium, cùm eorum objecta sensu sæpè non dignoscantur.

VII. *Ex Fidei libertate ostenditur debere eam esse obscuram.* Secundò probatur conclusio, Fidem scilicet esse obscuram: nam ut optimè arguit S. Thomas hic, quæst. 1. art. 4. Actus Fidei, non quoad exercitium tantùm, sed quoad specificationem est liber, qui proinde non nisi ex actu voluntatis, hominem ad credendum moventis & inclinantis elicitur, ergo objectum ut Fidem terminat, non est evidens, hujusmodi siquidem objecta motione voluntatis non indigent, sed intellectum ad assensum rapiunt. Antecedens probatur ex variis Scripturæ & Conciliorum testimoniis, quibus apertè indicatur ita homines Fidei nostræ mysteria credere, ut penes ipsos sit non credere, nec Fidem amplecti, sed rejicere. Ut verò alia, quæ passim in Conciliis habentur omittam, sic Sess. 6. cap. 6. loquitur Tridentinum: *Disponuntur autem* (homines) *ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* *Sacra Litteræ, & Concilia docent Fidem debere esse liberam.*

Hanc insuper veritatem, Fidem scilicet esse obscuram, clarissimis probatur Sanctorum Patrum testimoniis. Sic S. Basilius homil. in Psalmum 115. Fidem ait non inniti geometricis probationibus, *sed animis nostris*, inquit, *se insinuat efficaci operatione Spiritus Sancti*: & postea addit, *Fidem esse assensum nullâ præviâ inquisitione intentem.* Sanctus etiam Gregorius Nazianzenus Oratione 34. Fidem rationi opponens: *Fidem*, inquit, *potius quàm rationem sequamur.* Deinde S. Hilarius 8. de Trinitate sic habet: *Maximum Fidei meritum est sperare quod nesciat.* Item S. Dionysius de divinis Nominibus cap. 7. *Est*, inquit, *stabilis credentium Fides, & simplex veritatis notio imperswasibili veritate certa*: quod nimirum ratione probari non possit. Hoc etiam alii ex Patribus clarissimè tradunt. VIII. *Patrum auctoritate est manifestum Fidem esse obscuram.* *Quidnam sit maximum Fidei meritum.*

Omnium verò apertissimè Fidei in suo actu obscuritatem docet S. Augustinus. Sermone ergo primo de Trinitate: *Fidelis sum*, inquit, *credo quod nescio:* ex quibus Sancti Doctoris verbis clarè colligitur existimasse ipsum Fidem non esse scientiam, tunc namque dicere cum veritate non potuisset, id se nescire quod credebat, cùm ipsum *credere* esset *scire.* Tract. etiam 40. in Joannem, de iis Isaiæ verbis loquens, Nisi credideritis, non intelligetis: *Credimus*, inquit, *ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus:* Item contra Epistolam fundamenti, cap. 4. sic loquitur: *Turbam fidelium, non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Tandem, ut alia ejus hac de re dicta omittam, libro de utilitate credendi, capite undecimo: *Quòd*, inquit, *intelligimus aliquid, debemus rationi, quod credimus, auctoritati.* IX. *S. Augustinus (apissimè, clarissimè) docet Fidem, quâ talem, non esse scientiâ.*

Ratio demum à priori, Cur Fides essentialiter sit obscura, est, scientia siquidem, seu cognitio evidens rem in se clarè, & per principia illius intrinseca cognoscit, at vero Fides ex essentiâ suâ habet, ut in objecta tendat per principia extrinseca, & ut quis credat propter dictionem & auctoritatem alterius, hoc autem non parit nisi obscuritatem. Et licèt utraque motiva ad eundem assensum interdum concurrant, & idem actus simul Fides sit & scientia, ut ostendi Disp. 50. Logicæ, Sect. quartâ & quintâ, atque ita utraque ratio in eandem entitatem coalescat, quâ Fides tamen actus ille non est clarus, quamvis sit prout est scientia: ut loco citato fusè est declaratum. X. *Fides ex modo tendendi est obscura; scientia clara.* *Quid dicendum quando idem actus est simul Fides & scientia.*

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm extra visionem beatificam dari possit evidentia testimonii divini, seu attestantis.

I. *Prima sententia est non posse hoc modo dari evidentiam divini testimonii.*

RATIO dubitandi est: Nullo enim modo videtur fieri posse ut clarè sciatur aliquem loqui, nisi clarè cognoscatur ipse loquens; sic enim in humanis contingit, ubi nisi quis alium de facie noscat, nullâ ratione cognoscere potest eum loqui. Hanc proinde sententiam tenet Dominicus Bannez hîc, quæst. 1. art. 5. & quæst. 5. art. 1. aitque fieri non posse ut viator quispiam evidenter sciat Deum loqui, cùm quamdiu manet viator, Deum videre nequeat.

II. *Secunda sententia ait posse dari evidentiam attestationis divinæ in viâ.*

Secunda sententia affirmat posse eum, qui non videt Deum, habere nihilominus evidentiam attestationis, seu testimonii divini. Hæc est communis Theologorum sententia: eam tenet Durandus in 3. dist. 23. quæst. 9. Carthusianus q. 1. Prolog. §. *Contra cujus dicta*: Bassolis in eodem Prologo. Caietanus 2. 2. quæst. 5. art. 1. Ferrara 3. contra Gentes, cap. 4. Suarez hic, Disputat. 3. Sect. 8. puncto 1. & to. 1. in 3. partem, Disp. 24. Sect 2. Vasquez 1. parte, to. 2. Disp. 335. & to. 1. in 3. parte, Disp. 53. num. 5. Torrez Disp. 9. dub. 1. Cardinalis de Lugo Disputatione 2. num. 1. Oviedo Contro. 4. num. 13. Arriaga hîc, Disp. 4. Sect. 1. num. 2. Coninck hîc, Disp. 11. dub. 2. num. 53. Valentia Disp. 1. quæst. 5. puncto 1. Lorca 2. 2. quæst. 5. art. 2. & alii passim.

III. *Revelatio divina est duplex, interna seu activa, & externa seu passiva.*

Ad quæstionis resolutionem notandum, Revelationem divinam duplicem esse, *internam* seu *activam*, & *externam* seu *passivam*. Revelatio *activa* est cognitio, quam Deus habet de objecto quod hîc & nunc revelat, & volitio illud creaturæ rationali exteriùs per signum aliquod creatum manifestandi, quod vocatur revelatio *externa*. Hîc ergo quærimus, Utrùm homini vel Angelo certò constare possit Deum loqui, & hujusmodi objectum revelare, seu, quod eodem recidit, an divina mysterii alicujus revelatio evidenter à puro viatore, & extra visionem beatificam dignosci queat.

IV. *Interna Dei revelatio intuitivè videri extra visionem beatificam non potest.*

Prima Conclusio: Certum omnino est revelationem Dei internam à puro viatore videri intuitivè non posse. Ratio est; Interna siquidem Dei revelatio, ut proximè dictum est, consistit in ipsismet actibus Dei internis, cognitione scilicet mysterii, & voluntate illud revelandi, hos autem actus, cùm sint ipse Deus, seu realiter cum eo identificati, clarum est nisi à vidente Deum, videri intuitivè non posse: & per hoc satisfit rationi dubitandi supra, n. 1. positæ, quæ solùm probat actus illos divinos extra visionem beatificam intuitivè à nemine posse cognosci.

V. *Divina revelatio cognosci evidenter potest abstractivè extra visionem beatificam.*

Secunda conclusio: Abstractivè tamen, & per species alienas divina revelatio potest certò & evidenter à puro viatore cognosci: ita auctores supra, num. 2. citati. Ut hæc conclusio probetur, inveniri aliquid debet, quod necessariam connexionem habeat cum revelatione divinâ, ita ut poni à parte rei illud nequeat, nisi existente revelatione. Si ergo hujusmodi aliquid sit possibile, habemus intentum; illo enim à parte rei posito, evidenter infertur Deum rem illam revelare, & tamen revelatio activa Dei, seu actus ejus internus, non intuitivè, sed abstractivè tantùm cognoscitur. Sicut Angelus intuitivè videns seipsum cognoscit evidenter abstractivè existere Deum, à quo existentiam suam accipit: & qui modum videt intuitivè, infert evidenter existere illius subjectum: quemadmodum viso accidente, cognoscitur ejus subjectum ex naturâ rei.

VI. *Ostenditur evidentiam divinæ attestationis haberi posse extra visionem beatificam.*

Posse itaque evidentiam divinæ attestationis à puro viatore, seu extra visionem beatificam haberi, sic ostendo: Nam ut rectè P. Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 8. n. 2. Potest Deus hominis alicujus vel Angeli intellectui species supernaturales infundere, per quas formetur verbum, seu, vel apprehensio vel judicium supernaturale, per quod Deus homini illi vel Angelo loquatur, & hoc vel illud dicat, simulque addat se hoc sentire & dicere, sicque judicium illud est vera Dei externa locutio: deinde elevare eos potest, ut hoc judicium, seu Dei locutionem reflexè per alium actum supernaturalem & quidditativum cognoscant; in hoc ergo casu scient evidenter Deum per primum illud judicium iis infusum loqui, & rem illam, quam hoc judicium affirmat, revelare, & tamen Deum ipsum, aut actus ejus internos non videbunt, sed eos tantùm ex actu hoc, seu signo creato evidenter colligent, quòd scilicet judicii illius primi talis sit indoles, ut nisi à Deo tanquam à causâ principali produci nequeat.

Videndo revelationem externam non videt quis intuitivè internam.

VII. *Perinde est utrum Deus per se solum, an per Angelum judicium illud producat.*

Dices: Apprehensio, vel judicium illud primum produci potest ab Angelo, unde evidenter homini constare non potest quòd sit verum. Sed contra: Angelus enim judicium illud producere nequit naturaliter, sed tantùm ut instrumentum ad hoc elevatum à Deo, ergo Deus ibi est causa illius principalis, unde falsitas, si in judicio illo reperiretur, non minùs tribueretur Deo, quàm si illud solus produceret.

VIII. *Quamvis possit Angelus ille judicio huic ab extrinseco addere malitiam, non tamen illud reddere falsum.*

Respondet Bannez, quantumvis Angelus ille in hoc judicio producendo agat ut instrumentum Dei, posse eum nihilominus ex pravâ intentione malitiam actui illi adjungere, & ex illo capite deficere potest revelatio. Respondetur: Etsi possit Angelus malitiam aliquam ab extrinseco illi judicio appingere, cùm tamen, ut ostensum est, constet Deum per judicium illud loqui, dubitare nequit is cui infunditur, quin sit verum. Unde quicquid sit circa pravam intentionem Angeli, & malitiam inde secutam, efficere tamen non potest ut judicium illud sit falsum, cùm, ut Disp. præcedente, Sect. 5. & 6. ostendi, Deus actum erroneum infundere non possit. Adde posse Deum ad hoc munus assumere Angelum beatum, idque homini clarè ostendere, tunc autem evidenter sciet homo non posse eum illi judicio falsi aliquid adjungere. Tandem, quando Deus solus judicium istud infundit, & hoc homini constat, nullum est periculum falsitatis.

Potest Deus ad hoc judicium uti Angelo beato, hic autem nihil addere potest falsi.

IX. *Quis actum Fidei supernaturalem clarè videt, cognoscit evidenter revelationem.*

Secundò probatur posse purum viatorem habere evidentiam divinæ attestationis: potest namque creatura rationalis per species à Deo infusas intuitivè videre actum Fidei supernaturalis, hic autem, ut Disputatione præcedente, Sect. 2. probatum est, habet necessariam connexionem cum revelatione, ergo qui actum Fidei clarè cognoscit, habebit evidentiam divinæ revelationis, seu attestationis.

X. *Argumenta contraria solùm probant non*

Ex his constat, ea, quæ pro contrariâ sententiâ adducit Bannez, nullam habere difficultatem; solùm enim probant revelationem Dei activam, seu actus ejus internos non posse clarè & intuitivè videri,

posse clarè videri revelationem Dei internam.

videri, quod nos non negamus, non tamen probant non posse revelationem illam cognosci abstractivè, per aliquid scilicet ita cum actibus illis connexum, ut illis non existentibus, hoc poni à parte rei non possit, ut totâ hac Sectione est declaratum. Hæc de possibili: Utrùm enim de facto habuerit quispiam in viâ evidentiam in attestante, dicetur Sectione quintâ.

SECTIO TERTIA.

Utrùm Fides possit esse evidens in attestante.

I. *Status præsentis quæstionis proponitur.*

DARI posse evidentiam in attestante ostensum est Sectione præcedente, ubi id latè probavi: in eo autem sita est, ut ibidem est declaratum, quòd clarè alicui innotescat Deum rem aliquam revelasse: si ergo evidenter sciens quis Deum aliquid dicere, propter hoc ejus testimonium clarè & evidenter cognitum, rei dictæ assentiatur, actus sic elicitus dicitur esse evidens in attestante, de quo proinde actu quærimus, utrùm possit esse actus Fidei, cum nitatur divino testimonio, non obscurè, sed evidenter proposito, & consequenter habere nequeat illam obscuritatem, quam Sect. primâ ostendi actui Fidei esse omnino essentialem.

Difficultas oritur ex testimonio divino clarè cognito.

II. *Prima sententia docet evidentiam attestationis non tollere obscuritatem.*

Prima multorum sententia est, evidentiam attestationis, seu testimonii divini clarè cogniti non parere evidentiam rei attestatæ: ita Ferrara lib. 3. contra Gentes, cap. 40. Lorca hîc, Disp. 16. n. 3. Becanus cap. 2. q. 2. Cajet. hîc, q. 5. a. 1. Amicus Disp. 2. sect. 5. Vasquez primâ parte, tomo 2. Disp. 135. cap. 3. ubi ait, quamvis habeat quis evidentiam attestationis, & etiam veracitatis divinæ, seu quòd Deus hoc dixerit, & quòd in dicendo sit infinitè verax, ita ut nec fallere possit, nec falli, & inde sequatur mysterium existere, ait inquam, hæc omnia non causare evidentiam rei revelatæ, quòd nimirum hæc illatio oriatur ex medio intrinseco, non verò ex causâ vel effectu, quæ intrinsecam habeant cum re revelatâ connexionem; ad evidentiam verò propriam affirmat necessariam esse connexionem intrinsecam terminorum in se, quod non fit propter dictionem alterius, & testimonium extrinsecum. Idem affirmat Turianus; in hoc tamen differt à Vasquez, quod actum illum asserat non esse actum Fidei, sed alium quempiam, vocariúque congruè evidentiam in attestante.

Dicunt aliqui id quod scitur per medium extrinsecum non causare evidentiam

III. *Secunda sententia ait evidentiam testimonii divini parere evidentiam rei testatæ.*

Secunda è contrario sententia affirmat evidentiam attestationis, seu cum quis evidenter novit Deum hic & nunc loqui, causare evidentiam rei per eum dictæ, seu testatæ, & tollere obscuritatem in omni actu Fidei essentialiter requisitam.

Hæc hodie est communior inter Recentiores opinio: eam tenet Suarez tomo in 3. partem, Disp. 27. sect. 2. & hîc, Disp. 3. sect. 8. puncto 3. Valentia hîc, d. 1. q. 5. puncto primo, Coninck Disp. 9. dub. 8. Lugo hîc, d. 2. num. 9. Oviedo Contro. 4. num. 41. Arriaga etiam hîc, Disp. 4. sect. 1. n. 8. Bannez 1. part. quæst. 32. art. primo, Durandus in 3. Dist. 31. q. 4. n. 10. & 11. Tannerus, Hurtado, & alii.

IV. *Evidentia in attestante tollit obscuritatem, ad Fidem requisitam.*

Hæc secunda sententia mihi multo videtur probabilior. Dico itaque, quisquis veracitatem Dei, seu ejus in dicendo infallibilitatem perfectè novit, habetque evidentiam attestationis ejus, seu divini testimonii, dico inquam, actum qui ex his duabus cognitionibus oritur, & in iis fundatur, non esse obscurum, sed clarum, nec posse ullo modo esse actum Fidei. Dixi, qui habet evidentiam testimonii divini, quantumvis namque evidenter sciat quis hominem hic & nunc loqui, nullam tamen habet rei ab eo dictæ evidentiam, quia ejus auctoritas non est infallibilis, unde & quod illius testimonio nititur, est necessariò fallibile.

V. *Ostenditur evidentiam veracitatis ac testimonii divini parere cognitionem evidentem.*

Ut hæc nostra assertio probetur, ponamus tres hujusmodi actus, nempe *Quicquid Deus dicit est verum*, *Deus dicit Verbum esse incarnatum*, *ac proinde est verum*: prima ex his propositionibus est lumine naturæ nota; quid enim evidentius, quàm Deum, veritatis fontem & auctorem, mentiri non posse, aut falsum aliquid testari. Secunda etiam propositio, *Deus dicit Verbum esse incarnatum*, ut supponimus, est evidenter cognita, hoc est, scitur omnino manifestè Deum hoc dicere, ergo tertia propositio, *Verum est Verbum esse incarnatum*, non potest esse obscura, unde enim hauriet obscuritatem; cùm etenim quicquid habet, accipiat à duabus illis propositionibus, quarum utraque, ut dictum est, clara est & evidens, non possunt in tertiam illam refundere obscuritatem, cùm neutra ullam omnino in se contineat, sed claritatem.

Non est unde actus ille de mysterio, hoc modo revelato accipiat obscuritatem.

VI. *Quæ sunt evidenter eadem uni tertio, sunt evidenter eadem inter se.*

Dices cum P. Vasquez suprà, num. 2. citato, actum quidem illum esse verum, non tamen evidentem. Sed contra; quæ enim sunt evidenter eadem uni tertio, sunt evidenter eadem inter se, sed in duabus illis prioribus propositionibus cognoscitur evidenter terminos esse idem uni tertio, ut constat, nec quisquam negare potest, ergo apertè sequitur connexionem horum terminorum inter se esse evidentem; quo enim gradu cum tertio, eodem inter se conjunguntur.

VII. *Quòd medium sit extrinsecum non obstat quin conclusio sit evident.*

Dices secundò: Medium hoc est solummodo extrinsecum, non intrinsecum, seu ex causâ vel effectu, unde parere nequit evidentiam simpliciter, sed tantùm secundùm quid, seu evidentiam consequentiæ, non consequentis, nempe ex ipsis terminis & medio intrinseco. Sed contra; multæ enim sunt demonstrationes, quæ tamen neque sunt à causâ, neque ab effectu; ut *Omne totum est majus suâ parte, sed homo est totum & manus pars, ergo homo est major manu.* Item omnes demonstrationes Mathematicæ, ut *Quæ sunt æqualia uni tertio sunt æqualia inter se, sed hæ duæ lineæ sunt æquales uni tertiæ, ergo sunt æquales inter se*; & aliæ id genus, quæ nec sunt à causâ nec ab effectu, & tamen evidentissimè concludunt, & omnimodè tollunt obscuritatem. Undecunque ergo proveniat evidentia, actui Fidei repugnat. Contra secundò; nec enim aliunde causa & effectus faciunt evidentiam conclusionis, nisi quia per propositiones rectè dispositas ostenditur evidenter ea identificari in præmissis, & hoc pacto necessitant intellectum ad assensum: cum ergo demonstrationes omnes, quantumvis per medium extrinsecum, hoc præstent, parient evidentiam, tollentque obscuritatem ad Fidem necessariam; sicque perinde est quoad hoc, sive sit evidentia consequentiæ, sive consequentis, cùm utraque rem claram efficiat, & parem in assentiendo vim inferat intellectui.

Varia sunt demonstrationes, quæ tamen nec sunt à causâ, nec ab effectu.

Omnis demonstratio rem reddit evidentem.

VIII. *Conclusio in his demonstrationibus, non est*

Hinc etiam præter dicta num. 6. apertè ostenditur non subsistere quod ait Vasquez citatus, rem scilicet in hujusmodi demonstrationibus illatam, non esse evidentem; conclusio quippe, inquit,

Tom. II.

inquit, ex vi formæ nunquam erit categorica, sed modalis; non enim infertur, *ergo Verbum est incarnatum*, sed *ergo verum est Verbum esse incarnatum*. Sed hæc subtiliùs dicuntur quàm verùs: contra ergo sic argumentor, conclusio in his demonstrationibus illata non solùm est vera, sed evidenter vera, ut ostensum est num. 6. ergo ejus objectum est evidenter verum. Deinde, hujusmodi conclusiones sæpè sunt categoricæ, ut in hoc & similibus syllogismis: *Quicquid Deus dicit esse, est, Deus dicit Verbum esse incarnatum, ergo est incarnatum*: vel *Deus dicit Trinitatem esse, ergo est.*

semper modalis, sed sæpè categorica.

IX. *Evidentia in attestante est evidentia simpliciter.*

Ex his præterea habetur, nullam esse limitationem illam, quâ cum Caietano utitur Torrez citatus, & alii, nempe actum istum seu conclusionem esse quidem evidentem, sed tantùm in attestante, non simpliciter. Sed contra; conclusio enim evidens in attestante deducitur ex duabus præmissis evidentissimis, quæ suâ claritate non minùs necessitant intellectum ad assensum, quàm ullæ omnino præmissæ in quibuscunque demonstrationibus, physicis, metaphysicis, vel mathematicis, quæ omnium habentur clarissimæ, ergo paris est evidentiæ cum illis, & consequenter non secundùm quid tantùm evidens, sed simpliciter. Utrùm autem Fides sit discursiva, & habeat rationem conclusionis proptiè dictæ, declarabitur infra.

Æquè ab hac evidentiâ atque ab ullâ aliâ necessitatur intellectus.

X. *Non negat S. Thomas evidentiam in attestante tollere obscuritatem Fidei.*

Objiciunt aliqui auctoritatem S. Thomæ, q. 5. art. 2. ubi expressè affirmare videtur, posse per miraculum fieri evidens, Deum hîc & nunc loqui, rem tamen in se propterea non apparere; ergo secundùm Sanctum Doctorem simul cum evidentiâ divinæ attestationis manet in objecto sufficiens obscuritas ad actum Fidei. Respondetur, non aliud velle S. Thomam, quàm per miracula fieri evidens moraliter, posse Deum hîc & nunc aliquid attestari, imò & esse interdum metaphysicè evidens, credibile esse eum loqui, inde tamen non haberi evidentiam rei ab eo dictæ, ut benè S. Thomam explicat Bannez citatus, & alii. Quæ ulteriùs pro contrariâ sententiâ afferuntur, sunt hinc inde hujus decursu Sectionis soluta.

XI. *Non omnis assensus ob alterius testimonium est actus Fidei.*

Dicet aliquis, ille actus, qui tanquam ratione formali nititur testimonio alterius, est Fides, sed isto actus hac ratione nititur testimonio divino, ergo est Fides. Respondetur, ut actus aliquis sit Fides, niti debet testimonio alterius præcisè ut testimonio, quod hîc non contingit, actus enim ille evidens in attestante non nititur Dei testimonio quà tali, sed ut est signum evidens existentiæ & veritatis rei. Quemadmodum, ut benè advertit P. Coninck citatus, si Joannem audirem mihi dicentem se vivere, actus, per quem huic ejus dicto præbeo assensum, non ei innititur tanquam testimonio, sed quatenus est signum evidens ejus vitæ, estque actus iste scientia à posteriori. Cujus indicium est, quod eodem modo ei hoc dicenti assentiar, sive verax sit, ac fide dignus, sive totâ vitâ mendaciis fuisset deditus.

Res hæc declaratur exemplo ex naturalibus desumpto.

SECTIO QUARTA.

Utrùm stare possit actus Fidei cum evidentiâ in attestante.

SECTIONE præcedente ostendimus, actum, qui innititur evidentiæ divini testimonii, Deique veracitati perfectè cognitæ, esse evidentem, nec habere obscuritatem, ad actum Fidei necessariam, sed esse verè scientiam. Nunc ergo ulteriùs quærimus, Utrùm in aliquo intellectu stare saltem Fides possit cum alio actu, per quem evidenter quis sciat dari circa tale objectum revelationem divinam, ita ut evidentia revelationis, non antecedenter, seu causaliter ad assensum illum se habeat, ut in Sectione præcedente, sed morè concomitanter. Hæc proinde quæstio de formali Fidei objecto clarè cognito procedit, quid de objecto materiali, seu attestato, si de illo aliunde habeatur evidens notitia, sentiendum sit, dicetur Sectione sequente.

I. *Proponitur status præsentis difficultatis.*

Quæstio præcedit de objecto formali Fidei, non de materiali.

Prima sententia affirmat posse actum Fidei stare in eodem intellectu simul cum evidentiâ in attestante: ita Valentia hîc, quæst. 5. parte primâ Vasquez 1. parte, tom. 2. Disp. 135. Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 8. p. 3. num. 26. Turrianus Disput. 9. dub. 4. Coninck Disp. 11. num. 21. Arriagà Disp. 4. Sect. 4. & alii. Secunda sententia est Fidem cum actuali evidentiâ attestationis reperiri simul nullo pacto posse: ita Durandus in 3. dist. 23. quæst. 9. num. 12. & Dist. 31. q. 4. num 10. Victoria 2 2. quæst. 5. art. 1. Bannez & Aragon ibidem: hoc etiam insinuat Cano lib. 12. de locis, cap. 13. Conclusione primâ, & alii non pauci.

II. *Duæ hac in re oppositæ sunt sententiæ.*

Ad quæstionis resolutionem notandum, duobus modis statui hominem vel Angelum posse, qui habet evidentiam in attestante, seu testimonii divini: primò ita ut non aliam habeat cognitionem revelationis seu attestationis, nisi evidentem, nec ullas habeat illius species obscuras, sed claras omnes & evidentes. Secundò statui potest, habens quidem evidentiam divinæ attestationis, seu clarè sciens Deum hîc & nunc loqui, & rem illam revelare, ita tamen ut simul habeat species obscuras ejusdem revelationis, & motiva, quæ moralem tantùm, non metaphysicam habent cum revelatione connexionem. His positis

III. *Duplici ratione status potest is qui habet evidentiam in attestante.*

Dico primò: Si quis non alias habeat species revelationis nisi claras, nec aliam illius notitiam nisi in attestanto, non potest cum hac scientiâ elicere actum Fidei circa objectum, quod proponitur credendum. Ratio est clara; actus namque Fidei, ut Sect. 1. ostensum est, debet esse obscurus, hic autem clara omnia sunt & evidentia, nec ullum principium actus obscuri, ergo hoc tantùm modo revelationem divinam cognoscens, non potest per eam elicere actum Fidei.

IV. *Stare interdum nequit actus Fidei cum evidentiâ in attestante.*

Dico secundò: Si quis habeat species obscuras divinæ revelationis, potest in aliquo casu simul cum evidentiâ in attestante componere actum Fidei circa idem objectum, seu mysterium revelatum. Declaratur conclusio: Contingere etenim potest, ut quis habeat evidentiam attestantis, seu clarè sciat Deum hîc & nunc loqui, & rem aliquam revelare, qui tamen non sciat evidenter Deum esse infinitè veracem, & quicquid dicit esse verum: potest namque homini simplici, & qui nihil ferè novit circa divina attributa, aliquid

V. *Primus modus quo componi potest actus Fidei cum evidentiâ in attestante.*

Potest quis scire evidenter Deum loqui, & tamen non scire eum esse infinitè veracem.

aliquid revelare, ac simul evidenter manifestare se hoc dicere, & nihilominus non ostendere evidenter se esse infinitè veracem: imò & homo ille, quamvis habitualiter sciat Deum esse veracem, & quicquid dicit esse verum, potest nihilominus hic & nunc istud non considerare: quo casu clarè constat posse eum simul cum evidentiâ attestationis seu revelationis elicere actum Fidei circa illud idem objectum; quantumvis enim clarè sciat Dei revelationem, inde tamen in hoc casu nulla refunditur evidentia in objectum credendum. Hinc, etiam cognito evidenter quòd homo aliquis loquatur, adhuc est locus Fidei humanæ, quia homo non est veritatis infallibilis.

VI. Cognitis evidenter tam revelatione, quàm veracite Dei, adhuc est locus actui Fidei.

Dico tertiò: Etiamsi quis habeat evidentiam divinæ attestationis, & simul etiam veracitatis, atque ex his eliciat actum scientificum circa objectum tunc revelatum, si tamen juxta dicta n. 3. habeat alia motiva, quæ moraliter tantùm, non metaphysicè cum revelatione connectuntur, qualia sunt motiva credibilitatis, quibus de facto inducimur nunc in Ecclesiâ ad credendum, ut supra declaratum est Disp. octavâ; in hoc inquam casu adhuc potest ille, stante evidentiâ in attestante elicere actum Fidei circa idem objectum.

VII. Revelatio divina cognosci simul potest clarè & obscurè.

Ratio conclusionis est, hæ namque duæ cognitiones habent se invicem disparatè, & quæque ad suum actum concurrit, illa ad clarum, hæc ad obscurum, nec ullo modo una influit in actum alterius; ac proinde actus ob revelationem obscurè cognitam, & per principia obscura elicitus est actus Fidei, & ad eum requiritur pia affectio, nullum enim ex ipsius principiis necessitat intellectum ad assensum. Confirmatur, nam juxta communissimam sententiam, ut ostendi Disp. 50. Logicæ, potest circa objectum materiale clarè cognitum dari actus Fidei, sicque simul scientia & Fides: si ergo clara cognitio objecti materialis non impedit actum Fidei circa illud objectum, cur illum impediet clara cognitio objecti formalis, eadem enim utrobique urgent argumenta: & sicut in illo casu evidentia in attestato non tollit Fidem, ita neque hic evidentia in attestante. Nec in hoc videtur major difficultas, quàm quòd Christus simul utatur circa idem objectum diversis scientiis, abstractivâ scilicet & intuitivâ.

Idem est de objecto materiali Fidei, & formali.

VIII. Evidentia in attestante & Fides reperiri possunt etiam in eodem actu.

Dico quartò: Evidentia divinæ attestationis non solùm non impedit, quo minùs simul in eodem intellectu sit actus Fidei circa idem objectum, sed insuper non obstat quin idem numero actus possit esse Fides, & evidens in attestante. Dico itaque eundem actum ex duplici motivorum genere procedere posse, divino scilicet testimonio clarè & obscurè cognito, ita ut utraque hæc motiva simul ad illum actum indivisibiliter concurrant. Hæc conclusio eodem modo probatur quo Disputatione 50. Logicæ ostendi posse eundem actum circa objectum aliquod materiale esse scientiam, fidem, & opinionem, quod cùm ibi latè ostenderim, hic non censeo repetendum, nec formalitas scientiæ magis impedit formalitatem Fidei in eodem actu, quàm actus sciontiæ actum Fidei in eodem intellectu, de quo numero præcedente. Videatur Disputatio illa quinquagesima Logicæ, ubi hæc fusissimè sunt discussa.

Formalitas non magis impedit formalitatem, quàm actus actum.

SECTIO QUINTA.

Vtrùm aliquis in viâ habuerit evidentiam in attestante.

I. Angeli in viâ omnium operationum suarii principium habuere Fidem

COMMUNIS Theologorum sententia est cum S. Thoma hìc, quæst. 5. art. primo, Angelos in viâ mysteriorum revelatorum habuisse Fidem tanquam principium supernaturale omnium suorum operum, & Durandum impugnant hoc in 3. d. 23. q. 9. negantem, dicentémque eos, non Fidem sed scientiam evidentem supernaturalem illorum mysteriorum habuisse, omnium operationum supernaturalium fundamentum.

II. Præcipua difficultas contendentium evidentiam in attestante esse Fidem.

Hinc non levis oritur difficultas contra id quod suprà, Sect. 3. num. 4. diximus, actum scilicet ex evidentiâ attestationis, seu testimonii divini, & summæ ejus veracitatis ortum non esse Fidem, sed scientiam mysterii revelati; ex hoc namque sequi videtur Angelos tunc non habuisse Fidem illorum mysteriorum, cùm nullas tunc habuerint species non claras; nec ullum principium aut motivum ad actum obscurum producendum; vel ergo actus ille ortus ex evidentiâ in attestante est Fides, vel nullam tunc omnino Fidem habuerunt: de quo plura Sect. sequente

III. Evidentia physica, quam multi habuerunt de miraculis non obfuit quo minùs per veram Fidem Christo prædicati crederent.

Idem videtur de beatissimâ Virgine, quæ habuit evidentiam physicam de Virgineo suo conceptu: Lazarus etiam evidentiâ physicâ cognovit se à morte ad vitam supernaturali modo fuisse resuscitatum: item Apostoli resurrectionem Christi, alii alia miracula oculis spectarunt, & consequenter physicam habuerunt eorum notitiam; ergo nisi actus ex hac evidentiâ ortus, seu evidens in attestante sit Fides, hi Christo prædicanti credere non potuerunt. Sed de his minor est difficultas, simul namque habere potuerunt species obscuras, & motiva non convincentia, quæ esse poterant principium actus Fidei, vel saltem non constabat ipsis evidenter hæc miracula facta esse in attestationem doctrinæ, quam credebant, sicque in iis mansit obscuritas sufficiens ad actum Fidei, nec completam habebant, etiam physicam evidentiam divini testimonii.

IV. Quo pacto in animabus detentis in purgatorio evidentia in attestante non impediat Fidem.

Circa animas etiam in purgatorio detentas peculiaris esse videtur difficultas, ipsæ namque habent evidentiam in attestante; ex sententiâ quippe particularis judicii sciunt evidenter vera esse ea omnia quæ in vitâ crediderant; ergo ea jam credere non possunt, sicque non habent Fidem, nisi actus secutus ad evidentiam in attestante sit Fides. Respondetur, præter hanc evidentiam divini testimonii habere ipsas memoriam motivorum credibilitatis, unde per ea induci jam possunt ad credendum illa mysteria, sicut inducebantur dum adhuc essent in vivis. Sic etiam affirmant multi S. Paulum, quamvis ex specie memorativâ sui raptus, mysteriorumque in eo sibi revelatorum, habuerit eorum evidentiam in attestante, potuisse nihilominus ex communibus Ecclesiæ motivis eadem credere per veram & propriè dictam Fidem.

V. Ex Prophetis nonnulli habuerunt evidentiam attestationis.

Idem dicendum existimo de Prophetis, si qui rerum sibi revelatarum habuerint evidentiam, quod quamvis de omnibus passim non sit necessarium asserere, cùm Fides supernaturalis ad Prophetiam rerum futurarum sufficiat, in eximiis tamen quibusdam Prophetis, Moysè nimirum, Davide & aliis, reperta fuisse videtur hæc evidentia

attestationis seu divini testimonii. Hinc David 2. Regum 23. v. 24. *Dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël sicut lux auroræ, oriente Sole, mane absque nubibus rutilat*: hæc plus denotant, quàm cognitionem obscuram. Hæc tamen evidentia non impediebat quo minùs simul per alia motiva potuerint habere Fidem.

SECTIO SEXTA.

Præcipua difficultas circa evidentiam in attestante fuit in primo Angelo.

I. *Præcipua difficultas esse videtur de primo Angelo, cui Deus per se mysteria revelavit.*

TOTA itaque difficultas devolvitur ad Angelos, præsertim primum, reliquos enim per primum fuisse illuminatos, communis cum Divo Thoma est Theologorum sententia. Primo itaque Angelo evidenter constabat mysterium Trinitatis exemp. gra. sibi à Deo fuisse revelatum, hanc quippe revelationem sibi fieri, clarè videbat, nec ab alio provenire posse quàm à Deo. Cùm ergo aliunde naturali lumine ipsi esset evidentissimum, quicquid Deus dicit, esse verum, habebat evidentiam in attestante Trinitatis, & aliorum mysteriorum, quæ Deus ipsi revelabat, nec ulla alia habuit motiva, aut species obscuras, quibus inevidentem de iis cognitionem, seu fidem eliceret, ergo non habuit fidem, quod tamen suprà numero primo, cum communi Theologorum sententiâ diximus non esse concedendum.

Nulla Fidei motiva tùe habuit primus Angelus.

II. *Dici nequit illum actum Angeli non esse evidentem.*

Huic difficultati variè varii respondent. Vasquez 1. p. to. 2. Disp. 135. cap 3. ait actum illum, quo Angelus ex revelatione & veracitate Dei evidenter cognitis, infert existentiam mysterii, seu rei revelatæ, non esse evidentem, sicque nihil obstare quo minùs dici possit actus Fidei. Sed contra: nam ut Sect. 3. num. 6. & sequentibus ostendi, actus ille est evidens qui oritur ex duobus evidentibus, cùm ergo hic actus sit ejusmodi, negari nequit eum esse evidentem. Videatur Sectio illa tertia, ubi hoc est fusè declaratum.

III. *Evidentia attestationis causat evidentiam attestati.*

Torrez, ut loco etiam proximè citato diximus, affirmat actum illum, qui ex divino testimonio, Deique veracitate evidenter cognitis procedit, esse quidem evidentem, non tamen simpliciter, sed tantùm secundùm quid, nec rerum in se, sed solùm in attestante. Verùm hoc etiam rejectum est Sect. 3. n. præcipuè nono; actus enim omnis, qui nititur objecto formali evidente, est evidens, & rerum etiam in se veritatem, quamvis per medium extrinsecum evidenter ostendit, & intellectum cogit ad assensum.

IV. *Etiam primus Angelus non habuit ullius omnino mysterii evidentiam in attestante.*

Ad difficultatem ergo propositam dico, etiam primum Angelum non habuisse evidentiam attestationis seu testimonii divini neque Trinitatis, nec alterius cujuscunque mysterii, sed tantummodo moralem, & quæ nullo modo pareret claram cognitionem rei revelatæ, nec cum necessitaret ad assensum, sed non minùs ad hoc egebat piâ affectione, quàm nos ad assentiendum mysteriis nobis propositis eâdem indigemus: ita Medina 1. 2. quæst. 67. art. 3. dub. 1. Granado 2. parte, Disp. 3. Sect. 3. n. 13. Bannez hîc, q. 5, art. 1. & primâ parte, q. 32. art. 1. idem affirmare videtur Valentia q. 5. & alii, estque satis frequens inter recentiores opinio.

Ut verò rem hanc declarem, notandum locutionem hanc primo Angelo à Deo factam, non alio modo contigisse, quàm vivam mysterii credendi apprehensionem in illius intellectu formando, quod eo fine faciebat Deus, ut Angelus occasionem inde sumeret assensum illi mysterio præbendi: quamvis verò dicta apprehensio non fuerit signum naturale hujus Dei intentionis, sed ad hoc peculiariter à Deo instituta, ex variis tamen colligere potuit Angelus hanc Dei ordinationem & institutionem, & hanc esse vocem Dei sibi loquentis, cùm non verba tantùm, sed aliæ res quæcunque esse possint voces, si ad hoc instituantur, ut constat in surdis ac mutis, qui per signa internos suos conceptus aliis aperiunt, & illorum similiter mentem percipiunt.

V. *Quo pacto Deus primo Angelo de Fidei mysteriis sit locutus.*

Quavis res externa potest esse vox.

Plura autem sunt, ex quibus, tanquam ex motivis credibilitatis extrinsecis colligere potuit Angelus, apprehensionem illam in ipsius intellectu productam, fuisse vocem Dei, qua eum alloquebatur: primò, quia mysterium, quod per apprehensionem illam repræsentabatur, *Deum* exempli gratia *esse remuneratorem, & præmium pro bonis operibus reddere, pœnas pro malis infligere*, est rectæ rationi maximè consentaneum, atque in providentiâ ac bonitate Dei fundatum. Secundò, quòd moraliter loquendo nulla sit ratio cur Deus talem, támque extraordinariam apprehensionem in ejus intellectu formet, nisi ut eum per illam illuminet, eáque velut voce utatur ad ipsum hac de re instruendum. Tertiò, probabile inprimis Angelo videri potuit, si mysterium illud esset verum, magnum se illud credendo bonum consequi posse, è contra verò nullum esse periculum mali, si invincibiliter credat falsum, at verò non parum subesse potest periculi si verum non credat. Ex his & aliis, quæ facilè quivis excogitare potuit motivis, evidens erat moraliter illi Angelo hanc apprehensionem fuisse vocem Dei, qua illi intimare voluit dari tale mysterium, ficque elicere potuit actum Fidei, quo illud ita esse crederet quia Deus dixit.

VI. *Motiva credibilitatis, ex quibus colligere potuit Angelus apprehensionem illam fuisse locutionem Dei.*

Nihil mali tunc Angelo provenire potuisset si invincibiliter credidisset falsum.

Evidens itaque metaphysicè erat Angelo, hanc apprehensionem sibi à Deo esse impressam, non tamen ei erat nisi moraliter evidens eam fuisse Dei locutionem, cùm ad varios alios fines, præterquam ad ipsi loquendum potuerit ei Deus illam immittere, ut apprehensionem Trinitatis aut Incarnationis infundere illi potuit ad tentandum ejus ingenium, quod præceptoribus in more est, qui ut discipulorum ingenium probent, res eis interdum difficiles proponunt, ut videant quid de iis sint dicturi. Hæc ergo apprehensio non est essentialiter locutio, & consequenter quantumvis sciret evidenter Angelus eam esse à Deo, non tamen propterea sciebat evidenter esse locutionem, & eo animo à Deo immissam, ut per illam aliquid ipsi significaret.

VII. *Non erat Angelo metaphysicè evidens illam esse locutionem Dei.*

Ad quod clariùs percipiendum, notandum ex S. Thoma quæst. 12. de Prophetiâ, art. 7. Corp. duo ad Prophetiam requiri, nempe ut quis signum seu cognitionem accipiat, & insuper ut sciat quid significet, quæ duo, ut constat, sunt inter se separabilia. Hinc, inquit S. Doctor, Pharao, quamvis ut refertur Gen. 41 sub boum & spicarum figuris, fertilitatis ac sterilitatis futuræ signum accepit, non tamen dicendus est Propheta, cùm rerum per illud significatarum notitiam ex eo non acceperit, sed Propheta fuit Josephus, qui per illa signa res etiam significatas didicit, ac prædixit. Sic ergo audire potest

VIII. *Ostenditur, aliud esse audire locutionem, aliud scire quòd sit locutio.*

quis

quis locutionem, & tamen non scire quòd sit locutio.

IX. *Deus per simplicem rei alicujus repræsentationem sæpius Prophetis est locutus.*

Quòd verò hac ratione Deum cum Angelis loqui non repugnet, ex eo clarè constat, quòd hoc modo sæpiùs cum Prophetis eum locutum esse sit manifestum, per simplicem scilicet quandam apprehensionem & repræsentationem imaginariam, illam ulteriùs ad aliquid aliud significandum ordinando. Sic Danieli locutus est per visionem quatuor bestiarum de mari ascendentium, ut habetur Danielis septimo. Zacharias etiam vidit virum in equo rufo inter Myrteta: & alia id genus plurima, quorum plenæ sunt sacræ literæ. Has autem veras fuisse Dei locutiones constat, nam ad aliquid aliud significandum semper ordinabantur, ut patet ex contextu. Unde Zacharias cap. 1. vers. 7. huic visioni præmittit: *Factum est verbum Domini ad Zachariam* &c. Num. etiam 12. vers. 6. dicit Deus: *In visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Per simplicem ergo rei alicujus apprehensionem loqui etiam Deus potest Angelo.

Simplex rei alicujus apprehensio potest esse locutio.

X. *Ex hac apprehensione à Deo immissâ non poterat evidenter scire Angelus, eum rem per illam significatam dicere.*

Dices: Deus ita rem hanc Angelo per apprehensionem illam proposuit, ut evidenter, evidentiâ saltem morali ei constaret esse Dei locutionem, & teneretur eam credere, saltem quoad specificationem, ita nimirum ut non posset illi dissentire, ergo evidenter hinc sciebat Angelus Deum rem illam affirmare, & consequenter eam esse veram. Negatur tamen consequentia, illa enim apprehensio non magis in unam partem ex se Angelum inclinabat, quàm in alteram: & licèt, ut suprà n. 6. ostendi, ex variis motivis colligere probabiliter posset eam esse Dei locutionem, certò tamen hoc ei non constabat. Hinc nihilominus non tenebatur Deus apprehensionem illam in Angelo non producere, utitur enim hac in re jure suo, & creaturas suas pro libito producit. Hoc verò mirum videri non debet in hac apprehensione, cùm ut supra diximus, miracula etiam patrare possit, licèt inde homines permissivè, & præter Dei intentionem decipiantur. Unde sicut in superioribus ostendimus de hominibus, ita nunc dico de Angelis, posse scilicet eos per accidens obligari ad credendum falsum, ex infirmitate nimirum creaturæ, summáque ad res divinas & supernaturales improportione. Idem etiam existimo de primo homine, eum scilicet evidentiam in attestante non habuisse.

Sicut homines, ita etiam Angeli per accidens obligari possunt ad credendum falsum.

XI. *Congruentius multo est, ut illa*

Dixi primam Dei ad Angelum locutionem fuisse simplicem apprehensionem, non judicium, quia conformius est naturæ rationali, ut hoc modo non vi ad mysterii alicujus assensum rapiatur, sed motivo aliquo proposito inducatur. Deinde, si primus ille actus à Deo impressus Angelo, fuisset judicium, jam antecedenter necessitatus fuisset ad credendum, ita ut illo instanti discredere non potuisset, cùm eodem instanti reali idem affirmare simul & negare nemo possit.

Dei cum Angelo locutio sit apprehensio, non judicium.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrùm actus Fidei esse possit evidens in attestato.

I. *Quid sit actum Fidei esse evidentem in attestato.*

ACTUS ille Fidei dicitur evidens in attestato, qui tendit in objectum, quod aliunde per medium scientificum innotescit, ut Deum esse, & similia. Quærimus itaque an circa objectum hoc modo cognitum dari simul possit actus Fidei. Hanc difficultatem latè discussi in Logicâ, Disp. 50. ubi dixi, non solùm circa idem objectum posse simul in eodem intellectu dari scientiam & fidem, sed etiam in eodem actu posse utramque hanc rationem inveniri. Quæ, cùm ibi fusissimè sint disputata, nihilque iis hic addendum occurrat, huic rei in præsenti non censeo diutiùs insistendum.

II. *Cum visione beatâ quæ nunc est, stare nequit Fides.*

Quæres, utrum sicut cum scientiâ, ita etiam cum visione beatâ stare possit Fides divina. Huic etiam objectioni respondi Disputatione illâ 50. Logicæ, Sect. 3. num. 7. quia tamen Theologica est, hic eam breviter proponendam existimo. Dico itaque, cùm per visionem beatam, quæ de facto datur, omnia quæ hic in viâ obscurâ sunt, & ad Fidem concurrunt, clarè videantur, ipsa nimirum revelatio, & omnia motiva, quæ jam vident cum rebus quas credebant fuisse metaphysicè connexa, miracula scilicet & alia ad hunc finem fuisse à Deo facta, ut nimirum attestarentur mysterio quod tunc credendum proponebatur; hæc inquam omnia cum clarè videantur, nulla manet obscuritas, in qua fundetur Fides, sed omnis actus est evidens in attestante, ut in superioribus est declaratum. Si tamen visio beata talis esset, ut per eam objectum tantùm materiale actus Fidei videretur, non revelatio, nec motiva, existimo cum tali visione beatificâ stare posse actum Fidei divinæ. Unde per divinam potentiam unà cum visione clarâ Dei stare in eodem intellectu potest & actus Fidei, & habitus. Sed de his satis in præsenti; plura hac de re adjicientur postea, Disp. 19. sectione secundâ.

Omnis actus qui jam fertur in beato ad divinam revelationem, est evidens in attestante.



DISPUTATIO DUODECIMA.

De discursu Fidei.

INTER implexas, quæ in intricatissimo hoc de Fide tractatu continentur difficultates, hæc infimum locum non obtinet, ut ex Theologorum hac de re inter se dissensione, oppositisq; sententiis, ac variis tum ab auctoritate tum ratione ductis in utramque partem argumentis constat. Hæc porrò quæstio ad completam objecti formalis Fidei, divinæ scilicet revelationis, de qua suprà Disputatione quartâ latè dictum est, notitiam pertinet, naturamq; ejus & proprietates perfectè declarandas: eam proinde hic explicandam existimo.

SECTIO PRIMA.

Utrùm Fides sit discursiva.

I. *Discursus est mentalis quidam cursus, & tres, aut saltem duas intellectus operationes includit.*

DIscursus, ut Disp. 6. Logicæ dixi, Sect. 1. num. 3. est *mentalis quidam cursus*, quo sicut corpus de loco in locum, ita anima de veritate in veritatem actibus intellectus velut quibusdam gressibus incedit, & ex cognitione rei notæ ad ignotæ, vel saltem minùs notæ cognitionem progreditur. Tres proinde, aut duos saltem actus includit. Hinc Deus, qui res omnes unico indivisibili actu perfectissimè cognoscit, proprium & formalem discursum non habet, quicquid sit de virtuali, de quo dictum est Tomo præcedente.

II. *Quæstio est, utrùm ab omni actu Fidei attingi immediatè debeat divina revelatio.*

Præsens itaque difficultas in hoc sita est; cùm enim Disput. 4. & alibi sæpè dixerimus actum Fidei niti revelatione divinâ tanquam objecto formali, dubium esse potest, utrùm immediatè eâ niti debeat, ita nimirum ut in omni actu Fidei attingatur formaliter dictio Dei, expressè affirmando, *Credo Adamum comedisse pomum vetitum quia Deus dixit?* an sufficiat ut mediatè eam attingat, ita scilicet ut revelatio per unum actum cognita inferat alium actum quo assentiatur quis rei revelatæ, quo tamen posteriore actu revelatio non omnino attingitur. Exempli gratia, in hoc discursu: *Quicquid Deus dicit, est verum, Deus dicit Abelem fuisse justum*, conclusio solùm dicit, *ergo verum est Abelem fuisse justum*, & non hoc totum, *ergo verum est Abelem fuisse justum quia Deus hoc dicit.* Suppono autem ex Disp. 47. Logicæ, sect. 4. assensum conclusionis non attingere immediatè & formaliter objectum præmissarum, alioqui huic quæstioni non esset locus.

Ad præsentem difficultatem supponimus actûs conclusionis non attingere objectum præmissarum

III. *Prima sententia docet Fidem esse discursivam*

Prima ergo sententia affirmat actum Fidei esse discursivum: ita Gabriel in 3. Dist. 23. q. 2. art. 1. Durandus ibid. Dist. 24. quæst. 1. idem tenere videtur Vasquez 1. part. Disput. 5. cap. 3. & 1. 2. Disp. 201. Becanus cap. 8. q. 3. Molina 1. p. q. 1. art. 7. Disp. 1. Lugo, Hurtado, & alii. Dicunt itaque hi Auctores actum conclusionis ex uno vel duobus actibus præcedentibus generatum, quorum unus ad Dei veracitatem evidenter cognitam, alter ad revelationem cognitam obscurè, terminatur; hunc, inquam, actum dicunt esse actum Fidei, cum in hoc casu assentiatur quis objecto propter revelationem, non quidem hoc actu, sed præcedentibus cognitam, ut in hoc & similibus syllogismis: *Quicquid Deus revelat, est verum, Deus revelat dari Trinitatem, ergo verum est dari Trinitatem*; ubi ex connexione veritatis ac Trinitatis cum revelatione tanquam cum medio termino in præmissis, connectuntur eadem inter se in conclusione, quamvis ab hac revelatio non attingatur.

Dicunt multi hanc conclusionem esse actum Fidei quia est ob revelationem.

IV. *Secunda sententia negat Fidem esse discursivam.*

Secunda tamen, eáque multo probabilior sententia asserit Fidem non esse discursivam, sed uno simplici actu per modum Fidei tendere vel in solam revelationem, illam scilicet solam credendo, ut cum dico, *Credo Deum revelasse Evam comedisse pomum vetitum*; vel simul cum revelatione credendo etiam rem revelatam, ut *Credo Evam comedisse pomum vetitum, quia Deus dixit*; ubi ut constat, duo creduntur, & Evam pomum illud comedisse, & Deum id dixisse, seu revelasse: ita Caietanus hîc, quæst. 1. art. 1. ad dub. 4. Ockam quodlib. 3. quæst. 7. Vega 6. in Trident. cap. 39. Valentia hîc, quæst. 1. puncto 2. Suarez hîc, Disp. 6. sect. 4. num. 4. Canus lib. 12. de locis, cap. 3. Turrianus hîc, Disp. 6. dub. 1. Coninck hîc, Disp. 9. dub. 7. & alii.

V. *Præcipua ratio cur Fides non sit discursiva.*

Ex plurimis, quæ ad hujus probationem sententiæ, afferri solent rationibus, illa mihi videtur efficacissima; actus quippe Fidei is est, qui divinâ auctoritate nititur tanquam objecto formali, at verò conclusio, seu assensus ex duabus præmissis deductus, hoc non facit, ergo non est actus Fidei. Major ab omnibus admittitur, estque ipsa Fidei definitio: minor probatur; actus namque discursivus ad duos alios actus per modum conclusionis secutus, extrema tantummodo, non medium terminum repræsentat, ut in hoc discursu: *Quicquid Deus dicit, est, Deus dicit Saram risisse, ergo Sara risit:*

Ostenditur actum hujusmodi ex duabus præmissis deductum non esse actum Fidei.

Sara risit: hæc conclusio nullum aliud habet objectum, præter risum Saræ, nec quidquam repræsentat, nisi quod judicium simplex repræsentaret, quod absolutè, & non per modum conclusionis diceret, *Sara risit*: sicut in hoc & aliis syllogismis in materiâ naturali: *Omnis equus est hinnibilis, Bucephalus est equus, ergo Bucephalus est hinnibilis*; hæc conclusio medium terminum non repræsentat, sed tantùm extrema, particula enim *ergo*, ut ostendi Disp. 47. Logicæ, sect. 6. solùm denotat hunc actum esse ex duobus aliis deductum.

VI. Angelus hunc actum ergo Sara risit intuens, nescit utrùm sit Fides an opinio.

Unde Angelus intuitivè actum illum, *ergo Sara risit*, cernens, sciet quidem esse conclusionem, propter diversum modum tendendi per particulam illam *ergo* expressum, sicut scit utrum actus aliquis sit apprehensio an judicium, propter diversum modum tendendi actus, quamvis idem planè sit utriusque actus objectum: nullo tamen modo sciet conclusionem illam esse Fidem, etiam in hac sententiâ, cum ex vi illius actus discerneré nequeat ex quibus præmissis sit deductus, cùm tamen intuitivè eum videns scire deberet esse actum Fidei, si revera sit talis, sicut videns apprehensionem scit esse apprehensionem, & sic de aliis, ergo ut actus aliquis sit verè & propriè Fides divina, tendere debet immediatè in revelationem, & illam habere pro objecto terminativo, & intrinseco.

VII. Aliunde declaratur quo pacto actus Fidei immediatè attingere debeat revelationem.

Secundò probatur Fidem non niti discursu, sed esse assensum simplicem, quo rem revelatam credimus propter revelationem, ita ut utraque immediatè ab illo actu attingatur. Hujusmodi quippe actus, qui simul in objectum revelatum & revelationem tendat, non est impossibilis, imò ut rectè Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 4. num. 4. de facto datur, ut in hoc syllogismo, ex quo adversarii suas conclusiones de Fide deducunt: *Quicquid Deus dixit est verum, Deus hoc dixit, ergo,* ubi minor saltem propositio creditur, seu cognoscitur per Fidem immediatè, tum quia nulla sunt principia, ex quibus hic actus certò deducatur, tum etiam quia alioquin dabitur processus in infinitum: ob quam causam in Logicâ dixi, dari necessariò debere in scientiis actus aliquos scientificos immediatos, ne scilicet procedatur in infinitum.

Dari necessariò debent aliqui actus Fidei non discursivi.

VIII. Nil obstat quo minùs actus Fidei feratur simul in revelationem & rem revelatam.

Deinde inquiro quænam in hoc sit repugnantia, ut nimirum actus Fidei immediatè, & sine discursu feratur simul assensu simplici in revelationem & rem revelatam? Dices, in eo sitam esse repugnantiam, quòd in mysterio credendo extremorum connexio sit obscura, unde necessarium est ut priùs quis assentiatur revelationi, & inde determinetur ad assensum objecto revelato præbendum. Sed contra; revelatio enim ipsa non est minùs obscura, quàm res revelata, si ergo ex motivis credibilitatis assentiri intellectus possit firmiter revelationi ex imperio voluntatis, ergo & propter revelationem hoc modo cognitam assentiri similiter poterit rei revelatæ, & utrumque eodem actu credere, nec ulla dari ratio potest, cur ad hoc requirantur duo actus distincti; imò ipsâ etiam experientiâ constare videtur nos eodem actu & revelationem & rem revelatam attingere, atque hanc propter illam credere. Deinde, cùm modi tendendi in revelationem immediatè seu per simplicem assensum, & per discursum sint diversissimi, ad eundem Fidei habitum non videntur posse pertinere.

Experientiâ constare videtur eodem actu ferri nos in revelationem, & mysterium.

IX. Aliæ etiam adducuntur rationes ad probandum Fidem non niti discursu: supra enim Disp. 9. Sect. 2. & 3. ostendi Fidem divinam certiorem esse quacunque scientiâ naturali, hoc autem non ita esset, si Fides foret discursiva, eodem enim cum aliis scientiis niteretur principio, nempe, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, & certitudinem suam merè hauriret, sicut illæ ex connexione extremorum cum medio termino in præmissis, sicque par esset illarum cum divinâ fide certitudo: nullus quippe assensus certior esse potest ratione formali, quâ nititur, hæc autem, ut vidimus, Fidei Theologicæ in hac sententiâ, cum scientiis naturalibus est communis. Deinde, cum n. 7. ostenderimus possibiles esse, imò de facto dari actus Fidei, qui immediatè & per simplicem assensum ferantur in divinam revelationem, hi actus, cùm solâ revelatione & divinâ auctoritate tanquam ratione formali nitantur, erunt longè certissimi, & certiores multò illis, qui nituntur discursu, & rationem formalem habent inferioris ordinis, nempe principium illud naturale, in quo forma syllogistica fundatur. Alia contra Fidem discursivam adduci possunt argumenta, quæ tamen, quia minùs efficacia, omittò.

Sequeretur Fidem divinam non esse certiorem scientiis naturalibus.

In hac etiam sententiâ aliqui actus Fidei divina essent certiores aliis.

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contendentia Fidem esse discursivam.

I. Obiic. Quoties actu distincto unum credimus præter aliud, est Fides.

OBJICIES primò: Quoties uni rei propter aliam distincto actu assentimur, est discursus, sed hîc uno actu credimus Deum hoc vel illud revelare, deinde alio actu distincto credimus rem revelatam propter revelationem, quàm actu priori credidimus, ergo hæc conclusio est & actus discursivus, & Fides, sicque Fides est discursiva, ut in hoc & similibus discursibus constat: *Quicquid Deus dicit, est, Deus dicit esse Trinitatem, ergo est Trinitas.*

II. Ostenditur conclusionem illam non esse actum Fidei.

Respondetur tres hujusmodi actus posse à se invicem distinctos formari, nego tamen tertium, seu conclusionem esse actum Fidei. Dices, est propter auctoritatem & testimonium divinum, ergo est actus Fidei. Nego antecedens, auctoritas enim & testimonium divinum ab illo non attingitur, sed est propter identitatem objecti sui non cum revelatione, sed cum objecto à Deo revelato, in formâ syllogisticâ deductam. Quòd verò objectum illud assiciatur divino testimonio seu revelatione, non sufficit ut assensus ille dicatur esse propter revelationem, ut in aliis constat: sic enim in hoc syllogismo: *Omne calidum est substantia, ignis est calidus, ergo ignis est substantia*, hîc inquam, etsi calor afficiat objectum identificatum cum aliquo calido, sicut testimonium Dei afficit objectum identificatum cum aliquo revelato, calor tamen non est ratio cur hîc & nunc conclusioni illi assentiar, *ergo ignis est substantia*, sed ratio assentiendi est identitas ignis cum aliquo calido.

Ad actum Fidei non sufficit, quòd revelatio afficiat objectum creditum.

III. Conclusio illa, si sit supernaturalis requirit concursum supernaturalem.

Urgebis: Hic actus sufficit ad salutem, si quis illum habeat de objecto, quod necessitate medii est credendum. Respondetur, quamvis si sit actus supernaturalis, gratia seu concursus superioris ordinis ad illum requiratur, si tamen actus Fidei propriè dictus de mysterio necessitate medii credendo sit ad salutem necessarius, & non sufficiat actus aliquis supernaturalis, etsi non sit

Tom. II.

Alius actus simul elicitur, sufficiens ad salutem.

rigorosè Fides; dico, inquam, hunc actum ob motivum formale discursus elicitum, ad salutem consequendam non sufficere. Addo nihilominus, ut plurimum contingere, ut ubi hujusmodi assensus ex motivo discursus est elicitus, & per eum objectum formale Fidei intellectui propositum, ut plurimum inquam contingit, ut proprius actus Fidei, seu immediatè terminatus ad divinam auctoritatem ac testimonium eliciatur, qui ad salutem consequendam sit sufficiens.

IV. *Objic. Revelatio est causa actus Fidei, ergo hic generatur per discursum.*

Objicies secundò: In Fide divinâ credit quis rem revelatam propter revelationem, ergo revelatio est causa hujus assensus, esse autem nequit illius causa, nisi hic actus sit conclusio, & producatur per discursum: quare revelatio priùs naturâ movere debet intellectum ut objecto revelato assentiatur, ergo & per actum distinctum cognosci eam oportet, & hoc modo objectivè determinare ad illius rei assensum. Respondetur, revelationem esse quidem objectum formale actus Fidei divinæ, non tamen ad hoc est necessarium ut præviè per actum distinctum cognoscatur, & hac ratione ad assensum rei revelatæ determinet, sed dispositò intellectu per motiva credibilitatis, quæ eò omnia tendunt, ut ostendant mysterium aliquod esse à Deo revelatum, eodem actu indivisibili assentitur quis revelationi & rei revelatæ, & hanc propter illam credit; sicut essentia divina est objectum formale respectu creaturarum, quæ in Deo videntur, & eodem actu materiali videt quis lucem & colorem, & hunc propter illam. Quare revelatio non est propriè causa actus Fidei à priori, seu per actum distinctum ad illum præviè determinans, sed eodem actu homo mysterio & revelationi præbet assensum. Unde congruentiùs diceretur ratio formalis actus Fidei, quàm causa.

Declaratur quo pacto revelatio sit objectum Fidei divina.

Revelatio divina non est à priori causa actus Fidei.

V. *Fides non solùm non est discursus formalis, sed nec virtualis.*

Objicies tertiò: In actu Fidei est discursus virtualis, quidni ergo similiter in eo esse potest discursus formalis. Respondetur negando antecedens, tunc enim solummodo est discursus virtualis, quando eodem indivisibili actu attinguntur objecta præmissarum & conclusionis, assentiendo scilicet objecto illi; quod in formali discursu esset conclusio, propter identitatem, quam habet cum objecto præmissarum, hoc autem non contingit in actu Fidei, ut ostensum est Sectione præcedente.

VI. *Quo sensu Fides sit argumentum non apparentium.*

Objicies quartò: Fides habitualis ad Hebræos c. 11. definitur *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: argumentum* autem hoc loco significat propriè discursum. Sed contra, eodem loco, ut vidimus, Fides vocatur substantia, quod tamen propriè intelligi non potest, cùm sit accidens: sicut ergo dicitur substantia tantùm per similitudinem, quòd nimirum sicut substantia subsistat accidentibus, estque eorum basis & fundamentum, ita Fides sit fundamentum Spei, ita dicitur *argumentum*, non quòd actus Fidei sit discursivus, sed quòd non minùs certos nos de re illâ reddat, ad quam terminatur, quàm quicunque actus comparatus per discursum. Unde Theophilactus *argumentum* hoc loco vertit manifestationem.

Qua ratione Fides sit sperandarum substantia rerum.

VII. *Fides humana propriè dicta generatur sine discursu.*

Objicies quintò: Actus Fidei divinæ & humanæ sunt in ratione Fidei ejusdem rationis, sed actus Fidei humanæ, ut experientiâ constare videtur, generatur per discursum, ergo. Respondetur utramque Fidem quoad hoc pari passu procedere; unde etiam Fides humana propriè dicta non generatur per discursum, sed immediatè & per eundem actum terminatur ad dictionem hominis, & rem ab eo dictam. Hujusmodi ergo actus in humanis per discursum acquisitus non est propriè Fides, sed quædam opinio naturalis. Quare non satis consequenter loquitur P. Coninck Disp. 9. dub. 7. num. 102. dum ait conclusionem hoc modo deductam, esse Fidem humanam, saltem virtualem. Hoc, inquam, non rectè dicitur, Fides namque humana est verè Fides, & inter eam & divinam, non formalis, sed materialis tantùm est discrepantia, quatenus scilicet hæc multo perfectior est, firmioribúsque nititur principiis. Quemadmodum etiam Deus est Ens multo perfectiùs quàm homo aut Angelus, hi nihilominus tam sortiuntur rationem propiam entis, quàm Deus, ut in Logicâ ostensum est.

Hic actus discursivus, est quædam opinio naturalis.

Inter Fidem divinam & humanam materialis tantùm est differentia.

Ad pleniorem doctrinæ, hac, & præcedente Sectione traditæ intelligentiam quæres, quis sit simplicis illius assensus Fidei, quo rem revelatam propter revelationem credo, sensus; quid, inquam, dicat hic actus, *Verbum est incarnatum, quia Deus dixit.* Certum inprimis est, sensum illius propositionis non esse, *Ego judico Verbum esse incarnatum quia Deus dixit*; hic enim actus non reflectit supra seipsum, ut est manifestum: nec etiam sensus illius videtur esse, *Verbum est incarnatum quia Deus dixit*; quasi dictio divina esset causa cur Verbum sit incarnatum: hoc enim constat esse falsum, dictio enim Dei nullo modo influit in Incarnationem, imò hæc dictionem, seu revelationem antecedit; nec enim revelare posset Deus factam esse Incarnationem, nisi esset facta.

VIII. *Declaratur quis sit sensus hujus, & similium actuum Fidei. Anima est immortalis quia Deus dixit.*

Ad hanc difficultatem respondeo, hunc actum neutro modo procedere, nec supra se reflectere, dicendo in actu signato se hoc propter auctoritatem divinam & revelationem judicare, sed propter eam judicat in actu exercito, ita tamen ut auctoritas & revelatio formaliter per illum actum repræsententur. Dispositò itaque intellectu per motiva credibilitatis ad judicandum dari talis mysterii revelationem, assentitur utrique, & revelationi scilicet & rei revelatæ, huic tamen propter illam: unde revelatio est hic objectum formale, cùm sit ratio motiva, seu inducens intellectum ad simplicem hunc actum eliciendum. Non ergo est Incarnatio propter revelationem, sed propter revelationem dicitur esse, non in actu signato, ita ut actus reflectat supra se, sed in actu exercito. Aliud proinde est propter revelationem credere esse Trinitatem, aliud credero eam esse propter revelationem; hoc enim secundum denotat revelationem esse causam existentiæ Trinitatis. Unde revelatio est causa assensus, non rei revelatæ, ut est manifestum. Alii probabiliter dicunt *Quia* in præsenti idem esse ac *Quandoquidem*, & denotare solummodo connexionem inter revelationem & rem revelatam; quod eòdem puto recidere cum solutione præcedente.

IX. *Hic actus non reflectit supra se, sed in actu exercito hoc judicat quia Deus dixit.*

Aliud est propter revelationem credere esse Trinitatem, aliud credere eam esse propter revelationem.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Vtrùm quando utraque, vel una saltem præmissa est de Fide, conclusio objectiva sit de Fide.

I. *Præponitur status præsentis difficultatis.*

DIXIMUS actum conclusionis ex duabus præmissis per formam syllogisticam deductum, non esse actum Fidei, cum non auctoritate divinâ, sed discursu nitatur, nec ad revelationem Dei immediatè terminetur, quod in actu Fidei ostendimus omnino esse necessarium. Nunc ergo ulteriùs inquirimus, utrùm materia, seu objectum hujusmodi conclusionis sit de Fide, seu tale, ut actus Fidei circa illud elici possit, si nimirum debito modo, immediatè scilicet propter auctoritatem divinam in rem illam tendat, ita scilicet ut erraret circa Fidem, qui eam negaret. Debent quidem actus aliqui intellectus, seu discursus antecedere, non ut causa hujus assensus, sed ut aliquid proponens objectum, & hoc modo intellectum disponens ad actum Fidei eliciendum, seu ad objectum illud propter auctoritatem & revelationem divinam credendum.

Actus aliqui intellectus præcedere debent ut quadam dispositio.

II. *Prima sententia docet ad Fidem sufficere revelationem virtualem.*

Prima sententia affirmat objectum conclusionis ex unâ præmissâ de Fide, & aliâ naturali evidente deductæ esse semper de Fide; qui proindo auctores docent assertiones omnes Theologicas esse de Fide; ad Fidem quippe sufficere affirmant quòd aliquid virtualiter reveletur: ita Cano de locis, lib. 6. cap. ult. ad 10. Catharinus de gratiâ, assert. 6. Vega lib. 9. in Trident. cap. 39. Vasquez 1. part. Disp. 5. cap. 3. Mæratius ibidem, Disp. 2. sect. 5. Tannerus ibidem, Disp. 1. q. 5. dub. 3. qui ulteriùs addit, etiamsi propositio naturalis non sit evidens, sed tantùm moraliter certa, adhuc conclusionem ex duabus illis præmissis deductam, esse de Fide.

III. *Secunda sententia negat virtualem revelationem sufficere ad Fidem.*

Secunda sententia docet, ad Fidem non sufficere revelationem virtualem, & consequenter objectum conclusionis vel ex unâ de Fide, & alterâ naturali evidente, vel etiam ex duabus præmissis de Fide deductæ, negat esse de Fide: ita Gregorius in Prolog. quæst. 1. art. 4. Major, Okam, Gabriël, Molina 1. part. quæst. 1. art. 2. dub. 1. & 3. Granado ibidem, Disp. 3. sect. 2. idem tenet Capreolus, Cajetanus, & alii, videturque communis Thomistarum opinio.

IV. *Tertia sententia affirmat, quando præmissa universalis est de Fide, omnia singularia esse de Fide.*

Tertia sententia asserit, objectum conclusionis deductæ ex unâ de Fide, & aliâ evidente naturali tunc esse de Fide, quando conclusio confusè continetur in illâ præmissâ de Fide: ita Suarez hîc, Disp. 3. sect. 11. & alii. Ait ergo hæc sententia, quando revelatio est immediatè de aliquo toto, per eam revelari immediatè omnia singularia, sicque circa unumquodque ex illis singularibus elici posse actum Fidei, si per principium naturale ei applicetur, seu proponatur intellectui.

V. *Revelatio duplex, formalis seu immediata & virtualis seu mediata.*

Ad rem hanc clariùs percipiendam, advertere oportet revelationem duplicem esse, *formalem & virtualem. Formalis* revelatio illa est, per quam res aliqua directè & immediatè ac in se revelatur. Sic Deus immediatè in Scripturâ revelavit, se cœlum & terram creasse, Adamum peccasse, &c. Secundò quando est revelatio alicujus totius universalis, tunc enim immediatè, ut proximè dictum est, quamvis confusè revelatio fertur in omnia singularia, ut *omnis homo* immediatè significat Petrum, Paulum, Joannem, &c. etiamsi clarè & distinctè per illum terminum communem non exprimantur, sed generatim tantùm & confusè.

VI. *Exponitur in quo sita sit revelatio virtualis.*

Revelatio *Virtualis* est, quando objectum aliquod non immediatè in se revelatur, sed mediatè tantùm, dum scilicet revelatur aliquid, quicum objectum illud habet connexionem, sive realiter ab eo distinguatur, sive non. Ponamus exempli causa potentiam risivam, seu risibilitatem, aliquo modo ab humanâ naturâ distingui: quærimus, cùm non sit formaliter revelatum, Christum habere potentiam ridendi, ex eo quòd reveletur eum esse hominem, cùm sint objecta distincta; Utrùm saltem reveletur virtualiter, seu an ex connexione illâ potentiæ risivæ cum humanâ naturâ censeri debeat de Fide, Christum habere potentiam ridendi.

Fundatur hæc revelatio in connexione unius prædicati cum alio.

VII. *Præmissa non faciùt, sed ostendùt conclusionem objectivam esse de Fide.*

Advertendum secundò, non esse hîc quæstionem, Utrùm præmissæ, ex quibus conclusio illa deducitur, faciant illam de Fide, hoc enim nullo modo ita se habet, imò, ut supra ostendimus, hæc deductio obstat potiùs actui Fidei, qui non bonitate consequentiæ, sed divinâ auctoritate & revelatione niti debet. Præmissæ ergo solùm ostendunt objectum illud esse de Fide, ita ut actu Fidei debito modo ei applicato, seu qui ad objectum simul & divinam auctoritatem terminatur, credi possit. Præmissæ itaque enucleatiùs rem evolvendo, clarè ostendunt id contineri in propositione universali, quod antea in eâ continebatur solùm obscurè, sicque, ut dixi, non faciunt, sed ostendunt objectum illud esse de Fide.

Quid ad objectum Fidei conferant præmissæ.

SECTIO QUARTA.

Assertiones variæ de conclusione objectiva ex unâ præmissâ de Fide deductâ.

I. *Nihil est de Fide, nisi quod est revelatum.*

PRIMA Conclusio: Omne & solum revelatum est de Fide, seu objectum, ad quod proprius actus Fidei divinæ terminari potest. In hoc conveniunt auctores utriusque sententiæ: & ratio est clara; ubi enim actus aliquis invenit objectum suum formale, potest in illud tendere; ubi non invenit, non potest: objectum autem formale Fidei, ut sæpè diximus, est revelatio & auctoritas divina, seu auctoritas nobis circa rem aliquam per revelationem applicata. Tota ergo difficultas est, quid censeatur revelatum, & utrùm ad hoc sufficiat, quòd talem cum re revelatâ habeat connexionem, ut ex eâ per discursum, seu præmissas ritè dispositas per legitimam consequentiam deduci possit.

Difficultas tota est, quid sit revelatum.

II. *Revelato aliquo, non revelatur omne illud quod cum eo identificatur.*

Secunda Conclusio: Ex eo quòd aliquid reveletur, non sequitur omne cum eo identificatum revelari, aut esse materiam Fidei. Exempli gratia, revelari potest Deum esse *sapientem*, etiamsi non reveletur eum esse *ubique*, cùm hæc sint prædicata virtualiter distincta, & vox *sapiens* non significet *ubiquitatem*, magis quàm vox *vitis* rosam, aut *aquila* leonem. Unde si pastor aliquis erudiens puerum dicat, *Deus dicit se esse infinitè sapientem*, nullam faciendo de aliis Dei attributis mentionem, credit puer Deum esse infinitè sapientem, reliqua verò attributa non credit. Quare, ut tomo præcedente in materiâ de

Tom. II.

visione dixi, posse unum attributum, non solùm cognosci abstractivè, sed etiam intuitivè videri sine alio, ita revelari potest, & credi.

III. *Ex eo quòd definiatur aliquem esse hominem, eo ipso definitur eum esse animal rationale.*

Dices: Ergo ex eo quòd reveletur Christum esse hominem, non revelatur eum esse *animal rationale*, aut *constare corpore & animâ*; nec enim magis identificatur animal rationale cum homine, quàm sapientia Dei cum ejus ubiquitate, aut justitiâ. P. Arriaga hîc, sect. 1. concedit consequentiam, & num. 5. ac 6. acriter contendit, quantumvis sit de Fide aliquem esse hominem, non tamen esse de Fide eum esse animal rationale, nec secundùm in primo revelari.

IV. *Ostenditur esse de Fide, Christum habere animam & corpus, ex eo quòd reveletur eum esse hominem.*

Existimo nihilominus hoc nullo modo admitti debere. Dico itaque cum P. Suarez hîc, Disp. 3. sect. 11. eo ipso quòd reveletur aliquem esse hominem, revelari eum esse animal rationale; non enim sunt duo conceptus distincti *homo* & *animal rationale*, sed idem formalissimè, quamvis diverso modo explicentur. Revelato ergo difinito revelatur eâdem operâ definitio & physica, seu hominem constare ex corpore & animâ, & metaphysica; hæc enim tria non sunt conceptus distincti: homo siquidem non est quid simplex, sed formalissimè compositum, nec compositum in communi, sed tale compositum, ergo constans talibus partibus, tum physicis, tum metaphysicis, quamvis per actum, quo quis dicitur homo, non tam clarè & distinctè hæ partes explicentur, ac per actum quo dicitur *animal rationale*, vel *constare animâ & corpore*. Confirmatur, è contrario enim, si reveletur aliquem esse animal rationale, vel constare animâ rationali & corpore, non existimo quemquam negaturum quin ipso facto reveletur eum esse hominem, idque quòd hi conceptus sint formalissimè iidem.

Homo & animal rationale sunt conceptus planè idem.

V. *Revelatur vera definitio hominis specificativè, non reduplicativè, & quâ talis*

Urgebis cum P. Arriaga citato: Ergo revelatur, *animal rationale* esse veram definitionem hominis, cùm secundùm nos sit idem formalissimè cum homine. Distinguo consequens, revelatur id quod est vera definitio hominis, seu specificativè, & in actu exercito, concedo consequentiam, reduplicativè, & actu signato, nego; ad hoc namque dici per revelationem deberet, hanc esse veram definitionem hominis, & constare ex genere infimo & differentiâ infimâ, ac servare cæteras bonæ definitionis conditiones; hoc tamen per actum, quo revelatur Christum esse hominem, non dicitur, ut est manifestum. Sicut si res reverâ sint in loco per ubicationem distinctam, eo ipso quòd reveletur D. Petrum fuisse Hierosolymæ, aut D. Paulum Damasci, revelatur eos habuisse tales ubicationes, cùm idem formalissimè sit esse tali loco, & habere talem ubicationem: non tamen propterea revelatur eos fuisse in loco per ubicationes distinctas, sed solùm revelatur illos habere id, quicquid sit, per quod res sunt in loco. Unde quantumvis re ipsâ sint in loco per ubicationem distinctam, qui tamen teneret contrariam sententiam, non incurreret crimen hæresis, hoc negando.

Res hæc declaratur exemplo Philosophico verum existentium in loco per ubicationem distinctam.

VI. *Qui revelat aliquem esse hominem, revelat eum esse risibilem virtualiter.*

Replicabis cum eodem: Ergo qui revelat aliquem esse hominem, revelat etiam eum esse risibilem cùm risibilitas non minùs realiter cum homine identificetur, quàm animal rationale. Distinguo consequens: revelat eum esse risibilem virtualiter, concedo consequentiam, formaliter nego, risibilitas siquidem est conceptus, seu prædicatum ratione nostrâ distinctum à naturâ humanâ, seu essentiâ hominis, unde ab Aristotele & Philosophis vocatur passio illius metaphysica. Vox ergo *homo* solùm impositum est ad significandum formaliter habentem naturam humanam, quòd verò risibilitas cum eâ identificetur, non sequitur illam formaliter per hanc vocem significari, voces namque non significant res prout sunt à parte rei, sed prout in conceptibus, ut supra vidimus n. 2. & qui dicit, *Bucephalus est ens*, ex vi hujus prædicati præcisè, non aliud de eo affirmat, quàm eum habere aptitudinem ad existendum, etsi consequenter fortassis & remotè dicat alia prædicata cum eo identificata, hoc tamen non est illa affirmare de ipso formaliter.

Ad quid directè & formaliter significandum imposita sit vox homo.

SECTIO QUINTA.

Alia quædam circa conclusionem objectivam ex unâ præmissâ de Fide deductam.

I. *Quicquid revelatur formaliter, est de Fide.*

TERTIA conclusio: Quicquid revelatur formaliter, quamvis confusè, est de Fide, seu objectum aptum, ad quod proprius actus Fidei terminetur. Ratio est: Ubi enim objectum formale Fidei, auctoritas scilicet divina & revelatio invenitur, potest intellectus circa rem illam sic propositam actum Fidei elicere, eámque propter veracitatem Dei, illi per revelationem applicatam credere; nil enim obstat quo minùs potentia quæcunque, sive spiritualis sive materialis, cognoscitiva vel appetitiva, in suum objectum tendat.

II. *Quando terminus aliquis communis definitur, singularia omnia sub eo contenta definiuntur.*

Hinc infero, quando universalis propositio revelatur, omnia inferiora sub illâ contenta, directè & formaliter revelari, quamvis confusè tantùm in illo universali contineantur, & per principium evidens naturale explicatiùs hoc declaretur, ostendatúrque clarè inferiora illa sub termino hoc communi contineri. Ratio est, terminus enim communis, ut supra ostendi, directè & formaliter dicit omnia illa singularia, idque immediatè, & ex vi significationis vocis, per quam exprimitur: sic *omnis homo* significat immediatè Petrum, Paulum, Joannem, &c. & non tantùm ex vi alicujus illationis & consequentiæ. Quando ergo revelatur *Omne animal esse creatum à Deo*, eâdem operâ revelatur hominem, leonem, aquilam, ac reliquas animalium species & individua esse à Deo creata: imò hæ non sunt duæ, sed una & eadem propositio, diversis verbis tradita, & quicquid est confusionis in primâ propositione, est ex parte nostrâ, Deus namque clarè & distinctè judicat de omnibus, quæ revelat, nos tamen ex vi illius termini communis singula sigillatim non concipimus, sed confusè tantùm, unde per propositionem naturalem evidentem scimus hæc vel illa individua & species sub universali illâ propositione, ac termino communi contineri.

Propositio universalis, eadem est cum propositione de omnibus singularibus.

III. *Aliæ propositiones, quarum objecta sunt de Fide.*

Idem existimo de his & similibus propositionibus, *Omnis homo viâ ordinariâ ab Adamo descendens contrahit peccatum originale. Omnis ritè baptizatus, non ponens obicem, recipit gratiam. Omne Concilium legitimè congregatum est infallibile*, &c. ex vi, inquam, revelationis harum propositionum universalium, revelatur directè & immediatè hunc, & illum hominem, adeóque singulos hoc modo ab Adamo descendentes concipi in originali: singulos etiam in secundâ propositione recipere gratiam: Item Nicænum Concilium,

Concilium, Tridentinum & reliqua fuisse infallibilia: Deus siquidem, ut dixi, quemadmodum de singulis sigillatim judicat, ita & singula revelat: unde hæc omnia sunt de Fide.

IV. *Aliud est esse aliquid de Fide in se, aliud quoad nos.*

Ad hoc vero clariùs intelligendum, advertere oportet, aliud esse rem aliquam esse de Fide in se, aliud quoad nos, seu, ut alii loquuntur, de Fide in ratione objecti, non quoad obligationem. Illud omne est de Fide in se, quod est immediatè revelatum, sive speciatim, sive in genere, ut illa omnia sunt, de quibus proximè diximus, quæ nimirum in termino communi, & propositione universali sunt revelata; hæc, inquam, sunt de Fide in se, seu materia sufficiens ad actum Fidei terminandum, si eorum revelatio sufficienter applicetur, & per propositionem aliquam seu præmissam ostendatur ea in termino illo communi contineri, ut in hoc syllogismo: *Omnis ritè baptizatus, non ponens obicem, recipit gratiam, sed hic infans est talis, ergo.* Ante hanc minorem propositionem, seu declarationem quòd hic infans sub propositione illâ universali contineatur, non erat nobis de Fide eum recipere gratiam, quamvis erat de Fide in se, nunc autem est etiam de Fide nobis, & si sub auctoritate & revelatione divinâ immediatè proponatur, potest actus Fidei circa hoc objectum exerceri.

Quo pacto ea quæ sunt de Fide in se, reddantur de Fide quoad nos.

V. *Qua certitudo requiratur, ut conclusio objectiva sit de Fide.*

Quæres, quâ certitudine constare per præmissam naturalem debet, hoc vel illud individuum sub termino illo communi, & propositione universali contineri, ut conclusio objectiva sit de Fide quoad nos? Certum inprimis est, quamcunque levem notitiam, seu apprehensionem ad hoc non sufficere, actus quippe Fidei divinæ debet esse prudens, & quisquis eum elicit, iis oportet nitatur fundamentis, quæ arguant eum, non temerè & inconsultè, sed maturè ac solidè procedere, ut supra latè ostensum est, dum de motivis ad Fidem eliciendam requisitis.

VI. *Aeriter contendunt aliqui ad conclusionem de Fide, præmissam naturalem debere esse evidentem.*

P. Suarez Disp. illâ 3. Sect. 11. num. 6. ait hoc omnino certò & indubitanter debere constare; ac proinde ut revelatio singulorum in propositione universali posita, huic vel illi in particulari debitè applicetur, asserit principium, seu præmissam naturalem debere esse evidentem. Sed contra: docet enim ipse loco proximè citato esse de Fide, respectu saltem baptizantis, infantem, quem hic & nunc baptizat esse justum, ex eo scilicet principio generali de Fide, quòd verum Sacramentum det gratiam omni non ponenti obicem, certum est autem hunc infantem non ponere obicem: contra inquam hoc est, nam neque ipsi baptizanti evidenter constat, illum, quem hic & nunc abluit, & super quem baptismi formam pronunciat, esse verum hominem, potest namquo absolutè esse dæmon in formâ hominis: sicut enim Angelus Raphaël in formâ juvenis apparens Tobiæ, ab eo absque ullâ dubitatione putabatur homo, idem contingere potest in præsenti. Deinde, quomodo omnino certò & evidenter constare ipsi potest aquam, quâ hîc & nunc utitur, esse veram & naturalem, cùm absolutè loquendo possit vera aqua, quam paraverat baptizans, arte dæmonis auferri, & alia quoad sensum planè similis; non tamen vera & naturalis substitui. Certè, si sermo sit de propriâ evidentiâ, isthæc hoc modo cognosci nequeunt.

Nullum naturale principium ostendit evidenter baptizanti, hunc infantem recipere gratiam.

VII. *Vi hoc vel illud sit de Fide quoad nos, sufficit certitudo moralis.*

Probabiliùs itaque mihi videtur, quod affirmat Hurtado hîc, Disputatione undecimâ, Sectione tertia, §. 25. Lugo hîc, Disputatione primâ, Sect. decima-tertia, §. 4. num. 313. Tannerus in Procem. Theolog. & alii, nempe ut sit de Fide quoad nos, hoc vel illud individuum sub termino communi, & propositione universali contineri, sufficere certitudinem moralem. Ratio est: nam ut supra vidimus, ad credendum aliquid fide divinâ, sufficit quòd moraliter certum sit ex motivis credibilitatis auctoritatem & revelationem Dei esse illi applicatam; motiva siquidem credibilitatis, ut supra vidimus Disp. 8 non habent infallibilem connexionem cum re revelatâ, sed tantùm moralem: à fortiori ergo moralis certitudo sufficiet ad hoc vel illud individuum, quod in se est de Fide, nobis quòd sit materia Fidei declarandum.

Eadem videtur difficultas hic, atque de motivis credibilitatis.

VIII. *Exempla moralis certitudinis ad applicationem particularium sufficientia.*

Confirmatur: Si enim Deus cuiquam revelaret, se omnes Turcarum civitates destructurum, credere is Fide divinâ posset Deum destructurum Constantinopolim, quamvis civitatem illam nunquam vidisset, sed morali tantùm certitudine illam esse, & Turcis subesse nosset. Confirmatur secundò: nam, ut rectè P. Suarez Disp. illâ 3. Sect. 11. num. 6. est de Fide Concilium Nicænum exempli gratia fuisse infallibilis auctoritatis, tum ex communi omnium consensu, tum quia S. Gregorius quatuor illa prima Concilia habenda esse ait sicut quatuor Evangelia; & alioqui credi non possent tanquam de Fide ea, quæ in illo Concilio erant definita: & idem est de Concilio Tridentino & aliis, ejusdem cum eo auctoritatis. Jam verò, hoc aliunde non constat, quàm ex universali illâ propositione revelatâ, nempe Spiritum Sanctum Concilio omni legitimè congregato assistere; fuisse autem hæc Concilia legitimè congregata, morali certitudine cognoscimus, ergo &c.

Aliunde ostenditur ad applicationem materiæ Fidei sufficere certitudinem moralem.

IX. *Dices: Non est de Fide hunc hominem esse conceptum, ergo non est de Fide eum conceptum esse in peccato originali.*

Dices cum P. Arriaga Disp. 6. Sect. 1. n. 3. Si ex propositione universali de Fide, & aliâ moraliter certâ oriatur conclusio objectiva de Fide, sequitur hanc conclusionem esse de Fide, *ergo Cicero conceptus fuit in originali peccato*, oritur siquidem ex universali de Fide, nempe *Omnis homo viâ ordinariâ ab Adamo descendens* (Virgine exceptâ) *concipitur in peccato originali*, & alterâ moraliter certâ, nimirum *Cicero extitit*: at verò, inquit, repugnat in terminis esse de Fide, quòd fuerit in originali conceptus Cicero, cùm non sit de Fide eum absolutè fuisse conceptum.

X. *Respond. ex universali propositione revelatâ non esse de Fide ullum in particulari esse conceptum.*

Respondetur, cùm in generali illâ propositione non reveletur directè ullum omnino conceptum iri, multo minùs hoc directè & absolutè revelatum est de Cicerone, aut alio quocunque particulari: unde non est de Fide ex illâ generali propositione hanc vel illam particularem personam esse conceptam, sed solùm est de Fide, eum hominem, qui hîc & nunc viâ illâ ordinariâ concipitur, contrahere peccatum originale, & hoc dicimus esse de Fide, & in illâ universali propositione revelari; ad applicationem quippe abundè sufficit moralis certitudo quòd hic sit homo, & viâ ordinariâ ab Adamo descendat, ut in simili ostendimus numero septimo & octavo.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Reliqua circa conclusionem objectivam, quæ ex alterâ præmissâ de Fide deducitur.

I. *Virtualis tantùm revelatio non sufficit ad actum Fidei.*

QUARTA Conclusio: Quod solùm est revelatum virtualiter & mediatè ex unâ præmissâ de Fide, & aliâ naturali evidente, non est de Fide, sed solùm conclusio Theologica: ita Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 11. num. 7. Coninck Disp. 9. dub. 9. num. 122. Hurtado hîc, Disputat. 12. Sect. 2. Valentia, Molina 1. parte, q. 1. art. 2. Disp 1. & 2. Lugo hîc, Disp. 1. Sectione 13. §. 1. Turrianus 2. 2. Disp. 6. dub. 3. videturque mens S. Thomæ 1. p. quæst. 1. art. 2. idémque docet Capreolus, Caietanus, Gabriël, Major, Gregorius, & alii.

II. *Ostenditur conclusionem ex unâ præmissâ de Fide & alia naturali secutam, si non revelatur formaliter, non esse de Fide.*

Ratio est: Nihil enim ob divinam auctoritatem amplecti, seu Fide divinâ credere possumus, nisi quod est à Deo revelatum, illud autem quod solùm deducitur ex objecto revelato non est à Deo revelatum, ergo non participat rationem formalem Fidei. Quare, in hoc syllogismo: *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis*, hæc conclusio objectiva, seu res ex illis præmissis deducta, non est de Fide formaliter, cùm risibilitas, ut in fine sectionis quartæ ostensum est, sit prædicatum ratione distinctum à naturâ humanâ: Unde per vocem *homo* non significatur; voces siquidem, ut ibidem dixi, non significant res ut sunt à parte rei, sed prout sunt in conceptibus, ut latiùs declaratum est loco citato.

III. *Circa conclusionem objectivam de Fide aliud est de formaliter, aliud de virtualiter revelatis.*

Lata ergo hîc est disparitas inter ea, quæ Sectione 4. num. 4. & Sect. 5. num. 1. diximus esse de Fide, & inter hoc objectum, *animal* enim *rationale* est formaliter *homo*, & *omnis homo* est formaliter hic & hic & ille, &c. at verò vox *risibilitas* non omnino instituitur ad significandam *humanitatem*, magis quàm *sapientia Dei, ejus ubiquitatem*, qua de re supra Sect. 4. num. 2. Quare priora ex vi divinæ revelationis meliùs penetratæ cognosci possunt, & ex solâ explicatione terminorum, risibilitas autem, quantumcunque penetretur humanitas, nisi aliud prædicatum accedat, nunquam cognoscetur, & idem est de ubiquitate Dei respectu sapientiæ. Unde risibilitas partialiter cognoscitur ex vi præmissæ illius naturalis, sicque conclusio ex his duabus præmissis deducta, nec est Fidei nec purè naturalis, sed mixta, ac proinde Theologica. In prioribus verò præmissa naturalis nihil novi affert ex parte objecti, sed solùm applicat distinctè huic vel illi in particulari, quod in præmissâ universali fidei de omnibus revelabatur confusè. Et idem est de *homine* & *animali rationali*. Nec etiam propriè revelatur risibilitas implicitè, sed tantùm remotè, & in causâ, seu radice, sicut calor cognoscitur radicaliter cognito igne, in hoc namque eodem modo se habent proprietates metaphysicæ respectu naturæ seu essentiæ, ac proprietates physicæ.

Conclusio ex his præmissis deducta est mixta, sicq. Theologica.

Idem quoad hoc est de proprietatibus physicis & metaphysicis.

IV. *Præsumeretur hæreticus qui conclusionem illam negaret non tamen esset.*

Objicies primò: Qui in hoc syllogismo, *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis*, qui, inquam, hanc consequentiam sic deductam negaret, censeretur hæreticus, ergo illa conclusio est de Fide. Respondetur cum Suario Disp. illâ 3. Sect. 11. num. 12. qui conclusionem illam negaret, præsumeretur quidem hæreticus, censeretur enim potiùs negare præmissam obscuram, quæ est fidei, quàm naturalem evidentem; re tamen verâ non esset, si solùm negaret conclusionem, vel præmissam naturalem.

V. *Illud est de Fide quod resolvitur in testimonium divinum adæquatè, non tantùm partialiter.*

Objicies secundò: Credimus Christum esse risibilem quia est homo, & credimus esse hominem, quia hoc à Deo est revelatum, ergo conclusio illa ultimò resolvitur in dictionem divinam, sed quicquid creditur propter dictionem, seu testimonium divinum, est de Fide, ergo conclusio *Christus est risibilis*, sic deducta, est de fide. Respondetur, ut aliquid sit de Fide, debet totaliter & adæquatè niti divino testimonio, hoc autem non facit dicta conclusio, partialiter enim tanquam motivo formali nititur principio illo naturali, *Omnis homo est risibilis*: cùm ergo utraque præmissa ad illam conclusionem indivisibiliter per modum objecti formalis concurrat, ideo enim illam credimus, quia Deus dicit Christum esse hominem, & quia omnis homo est risibilis, assensus ille, ut numero tertio dictum est, nec est Fidei, nec scientificus, sed mixtus, seu Theologicus.

VI. *Qui hominem esse crederet sine risibili positivè, faceret Chimæram, non quæ præcisivè.*

Objicies tertiò: Homo sine risibili est Chimæra, ergo qui aliquem credit esse hominem sine risibili, credit Chimæram. Distinguo consequens, si credat eum esse hominem sine risibili negativè, seu negando eum esse risibilem, concedo consequentiam, si hoc credat præcisivè, seu non excludendo positivè, sed solùm non affirmando eum esse risibilem, nego: sicque Judæi, quando inter ipsos erat vera Ecclesia, dum Deum crederent, non credendo Trinitatem, quæ ipsis erat ignota, non credebant Chimæram, ut omnes fatentur, sed credebant verum Deum, & veros actus diversarum virtutum, charitatis, religionis, &c. circa illum exercebant. Imò est communis doctrina Philosophorum, dum has & similes propositiones in scholis passim formamus: *Homo est animal, equus est hinnibilis*, &c. nos non facere Chimæras, quamvis hæc objecta inadæquatè concipiamus, non minùs quàm cum hominem concipimus sine risibilitate.

Inadæquatè aliquid concipiendo non facimus objectum impossibile.

VII. *Lata Fidem inter & hæritatem est hac in re disparitas.*

Objicies quartò: Omnia quæ amantur propter Deum sive immediatè, sive mediatè, amantur ex charitate, ergo etiam quod creditur propter testimonium divinum mediatè, sicut, ut vidimus, creditur risibilitas, erit objectum proprium Fidei divinæ. Respondetur, inter charitatem & Fidem hac in parte latam esse disparitatem; in charitate enim quando objecta, etiam mediata propter Deum volumus, totum & adæquatum objectum, seu motivum formale est divina bonitas. At verò in conclusione ex unâ præmissâ de Fide & alterâ naturali, tota ratio motiva, seu objectum formale adæquatum non est solùm divinum testimonium, sed etiam præmissa naturalis, ut ostensum est numero quinto.

VIII. *Nihil creditur Fide divinâ propter connexionem cum re revelatâ.*

Objicies quintò: Ad Fidem spectat illud omne, quod directè sequitur ad rem revelatam, sed risibilitas in Christo sequitur directè ad humanitatem revelatam, ergo spectat ad Fidem, & consequenter credi potest Fide divinâ. Respondetur negando majorem, id enim quod sequitur ad rem revelatam non creditur propter revelationem, sed propter connexionem, quam cum re illâ habet; Fide autem divinâ credi nihil potest, nisi quod creditur propter solum testimonium & revelationem divinam. Ad id verò quod objiciunt

objiciunt aliqui, nempe ad Dei veracitatem spectare ut ea omnia sint vera, quæ sequuntur ex revelatis: dico hoc tantùm verum esse de iis, quæ ad præmissam, seu propositionem revelatam solam sequuntur, horum quippe veritas adæquatè pendet à testimonio & veracitate divinâ, & consequenter necesse est ut ea sint vera, alioqui multum detraheretur divinæ auctoritati. Si verò aliquid sequatur, non propter solam propositionem revelatam, sed ob præmissam naturalem, nihil derogatur auctoritati divinæ, si conclusio ex hac parte deficiat, & sit falsa. Deinde aliud est conclusionem esse veram, aliud eam esse de Fide.

Non spectat ad divinam veracitatem, ut sint vera, quæ partialiter tantùm sequuntur ad revelationem, multo minùs ut sint de Fide.

SECTIO SEPTIMA.

Conclusio circa difficultatem illationis ex unâ vel utrâque præmissâ de Fide.

I. *Negat Molina has conclusiones, etiamsi ab Ecclesiâ definiantur esse de Fide.*

PATER Molina 1. parte, quæst. 1. artic. 2. Disp. 1. & 2. ita negat objectum conclusionis ex unâ præmissâ de Fide, & alterâ naturali evidente esse de Fide, ut etiamsi conclusio illa definiatur ab Ecclesiâ, neget nihilominus eam esse de Fide, nec unquam excedere certitudinem conclusionis Theologicæ. Ratio ipsius est: Ecclesia enim, inquit, non habet novas revelationes, ac proinde facere nequit de Fide id quod antea non erat de Fide. Quare Ecclesiæ definitionem ad hoc solùm deservire ait, ut nimirum certò constet rem illam esse certam de Fide, saltem mediatè.

II. *Quicquid ab Ecclesiâ definitur est de Fide immediatè.*

Hæc tamen Molinæ sententia nullo modo est amplectenda. Dicendum itaque, quantumvis aliquid antea virtualiter tantùm contentum fuerit in revelatis, accedente tamen definitione Ecclesiæ, non mediatè tantùm & virtualiter, sed immediatè & formaliter esse de Fide. Ratio est, nam, ut supra Disp. 5. dixi, quicquid Ecclesia definit Deus dicit per Ecclesiam, si ergo Ecclesia hujusmodi aliquam conclusionem definiat, Deus per Ecclesiam, quæ vox est & instrumentum Dei, idem loquitur, & eandem nobis veritatem credendam proponit, sicque non minùs est de Fide, quàm alii Fidei articuli.

Quod Ecclesia definit Deus dicit per Ecclesiam.

III. *Proponitur Ecclesia tanquam prima quoad nos regula credendi.*

Confirmatur: Ex communi enim consensu Theologorum Ecclesiæ definitio tanquam prima ponitur quoad nos regula assentiendi rei alicui fide divinâ, & quicquid ab eâ reprobatur, censetur hæreticum, ergo ejus sanctiones sunt de Fide, & ut tales ab omnibus agnoscendæ. Quare, ut supra vidimus, S. Gregorius libro primo Epistolarum, cap. 14. prope finem, quatuor prima Concilia (quorum singula Ecclesiam repræsentabant) haberi voluit tanquam quatuor Evangelia, parisque cum iis auctoritatis. Unde Disputatione illâ quintâ ostendi Ecclesiam in definiendo esse infallibilem, quam proinde S. Paulus vocat *columnam & firmamentum veritatis.* Hinc Sanctus Augustinus: *Evangelio*, inquit, *non crederem, nisi Ecclesiæ me moveret auctoritas.* Hoc etiam probat communis usus & praxis Ecclesiæ: in solemni enim Fidei professione dicimus nos omnia à Conciliis definita credere, idque eodem modo ac alios Fidei articulos in eâdem formulâ, seu Fidei professione contentos.

Ecclesia est Columna & firmamentum veritatis.

Ad fundamentum Molinæ supra, num. 9. positum dicunt aliqui, Ecclesiam ad hæc definienda non habere novam revelationem, sed hæc antea fuisse revelata, saltem confusè, quamvis ut sequebantur ex illâ præmissâ de Fide, & altera naturali, non sint de Fide. Communis quippe, inquiunt, est Theologorum sententia, Deum absolutè nihil de novo revelare, sed jam solùm explicatiùs & explicitè tradi, quod antea tradebatur confusiùs, & implicitè: ita Lugo hîc, Disputat. 1. Sect. 13. num. 270.

IV. *Quorundam circa definitiones Ecclesia responsio rejicitur.*

At sanè hoc concedere Molinæ videtur quod intendit, nempe nihil per definitionem Ecclesiæ esse de Fide, quod antea non erat de Fide, saltem confusè, hoc autem negat Lugo, ut supra dictum est. Dicendum ergo id quod antea non erat de Fide formaliter, etiam confusè, fieri de Fide formaliter per Ecclesiæ definitionem, & Ecclesiam, quamvis non habeat novas revelationes simpliciter, seu quoad veritates capitales, habere tamen novas illuminationes seu illustrationes secundùm quid: ut fusè declaratum est Disputatione quintâ, Sectione secundâ, num. 5. 6. & septimo.

V. *Novas aliquas revelationes in quibusdam quo pacto habeat Ecclesia.*

Quinta Conclusio: Objectum conclusionis deductæ ex duabus præmissis revelatis, est de Fide, & talis, ut si debitè proponatur, assensu Fidei divinæ credi possit: ita ex antiquioribus Scotus, Ockamus, Aureolus, Vega etiam, Canus, & alii: idem docet Vasquez suprà citatus, Suarez hîc, Disp. 3. sect. 11. n. 6. Coninck Disp. 9. dub. 9. num. 119. Lugo hîc, Disp. 1. sect. 13. num. 279. & alii contra Molinam 1. part quæst. 1. art. 2. Valentiam hîc, quæst. 1. punct. 1. § *Quod si quæras.* Et tomo primo, Disputatione primâ, quæst. 1. puncto primo, Lorcam Disp. 6. Turrianum Disp. 3. dub. 3. & alios.

VI. *Objectum conclusionis secuta ad duas præmissas de Fide, est de Fide.*

Declaratur & probatur Conclusio: In his exempli gratia & similibus syllogismis, *Omnes quibus Christus dedit potestatem absolvendi à peccatis, eam verè habuerunt, sed Christus hanc potestatem dedit S. Petro, ergo S. Petrus eam verè habuit:* item *Apostoli omnes acceperunt Spiritum Sanctum, S. Matthæus fuit Apostolus, ergo S. Matthæus accepit Spiritum Sanctum:* in his, inquam, & similibus syllogismis totum objectum contentum in conclusione est revelatum, continetur siquidem expressè in duabus præmissis, cùm in iis expressè habeatur, & S. Matthæum fuisse Apostolum, & omnes Apostolos accepisse Spiritum Sanctum. Cùm ergo quicquid est revelatum sit de Fide, necessarium est objectum hujus conclusionis esse de Fide.

VII. *Ostenditur objectum conclusionis ex duabus præmissis de Fide, esse de Fide.*

Hoc objectum est revelatum, ergo est de Fide.

Sexta Conclusio: His tamen non obstantibus, si conclusio hæc sumatur reduplicativè seu formaliter ut est conclusio, & ut deducitur ex præmissis; actus, inquam, iste non est actus Fidei: quamvis enim totum objectum materiale sit de Fide, ut diximus, sicque ex hac parte nihil desit, totum tamen objectum formale non est testimonium divinum, seu auctoritas ejus & revelatio; conclusioni namque illi assentimur partialiter propter formam syllogisticam, & connexionem objecti præmissarum formaliter cum objecto conclusionis, quæ tamen Deus non revelavit: de quo fusè suprà, Sectione primâ & secundâ. Quare hæc conclusio non est actus Fidei, sed tantùm conclusio Theologica.

VIII. *Actus tamen hic conclusionis non est actus Fidei, sed conclusio Theologica.*

DISPU-

DISPUTATIO DECIMA-TERTIA.

De supernaturalitate actus & habitus Fidei.

ENTIS supernaturalis naturam & proprietates Tomo præcedente, Disputatione duodecimâ fusè discussi, & in quo essentia ejus sita sit ostendi, hujus proinde difficultatis tractatione in præsenti supersedendum existimo. Cum verò tam habitus quàm actus Fidei divinæ, ob summam inter ipsos connexionem, eadem sit ratio, de utroque hic agemus, ambósque in substantiâ supernaturales esse probabimus, in quocunque demum supernaturalitatis conceptus constituatur, quod ad præsentem quæstionem parum arbitror interesse: imò qui in entis supernaturalis naturâ ac notione plurimùm inter se dissident, in hac tamen positione stabiliendâ, actum scilicet & habitum Fidei esse supernaturales, mirâ consensione conspirant, ut hujus discursu Disputationis constabit.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm actus Fidei sit supernaturalis.

I. *Supernaturale quoad substantiam, & quoad modum.*

AD hujus resolutionem quæstionis notandum, ens supernaturale duplex esse, quoad substantiam, & quoad modum. Ens supernaturale quoad substantiam illud est, quod nunquam naturæ viribus fieri potest, ut visio beatifica, unio hypostatica, & alia quæ directè & per se ad hæc duo ordinantur, in quo, Tomo præcedente, Disp. 12. entis supernaturalis essentiam statuimus. Ens supernaturale quoad modum est, quod quamvis in se, & quoad entitatem, naturæ vires non excedat, in his tamen circumstantiis est præter omnem naturæ exigentiam. Sic visus cæco restitutus ejusdem rationis est cum visu quem antea habuit, imò esse idem numero posset, & tamen ejus restitutio est quoad modum supernaturalis, nullæ siquidem naturæ vires hîc & nunc eam exigunt, nec efficere possunt.

II. *Certum est aliquem Dei favorem ad quædam mysteria credenda esse necessarium.*

Inprimis certum est, sine Dei revelatione non posse nos ad quorundam mysteriorum Fidei, ut Trinitatis, Incarnationis, &c. cognitionem pertingere, & hoc sensu non possumus solis naturæ viribus sine aliquo favore seu gratiâ à Deo nobis præstitâ hæc mysteria credere. Neque hoc negabat Pelagius, ejúsque sequaces, sed gratiam legis & doctrinæ ad credendum necessariam esse affirmabant.

III. *Ad credendum sicut oportet ad salutem, specialis aliqua gratia requiritur.*

Ulteriùs certum est, ad credendum sicut oportet ad salutem consequendam, aliquam aliam gratiam præter hanc requiri. Hoc in Concilio Arausicano secundo can. 5 & sequentibus, ac Tridentino sess. 6. can. 3. contra Pelagium est definitum, qui Fidem, quæ totius spiritualis ædificii est fundamentum, & de qua dicit Apostolus ad Hebræos c. 11. v. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; solis naturæ viribus haberi posse asserebat. Definitum insuper hoc idem est contra Semipelagianos, seu Massilienses, qui Pelagii reliquiæ vocabantur: hi namque, ut Tomo præcedente, Disp. 113. dum de necessitate gratiæ, fusiùs declaravi, quamvis gratiam ad salutem absolutè necessariam esse dicerent, initium tamen salutis solis naturæ viribus tribuebant, & inchoationem quandam, seu conatum in nobis præcedere affirmabant, nempe vel actum naturalem Fidei, aut orationem merè humanam, vel quid simile, per quod nos gratiam promereri docebant. Hunc etiam errorem latè impugnarunt Sancti Patres, S. Augustinus, S. Prosper, S. Fulgentius, & alii: nec opus est ei pluribus hic insistere, cum eum latè confutaverim loco proximè citato. Quare inter Doctores omnes Catholicos constat, in actibus salutis adeptioni necessariis requiri, ut sint aliquo modo supernaturales, seu tales, ut solis naturæ viribus elici nequeant, sed concursum aliquem Dei extraordinarium exigant, quamvis in hac exigentiâ declarandâ non levis sit inter eos dissensio. *Massiliensium error circa Fidem, & initium salutis.* *Hunc errorem fusissimè impugnant Patres.*

IV. *Dicunt nonnulli actum Fidei non esse supernaturalem quoad substantiam, sed quoad modum.*

Quidam ergo peculiarem hunc concursum non ad actuum istorum substantiam requirunt, utpotè quos in entitate naturales esse volunt, sed ad modum quendam in iis repertum, etsi hunc modum non eâdem omnes ratione explicent.

Scotus

Scotus tum hîc, tum in 1. d. 17. q. 2. & in 4. d. 49. q. 11. dicere videtur hunc modum consistere in majore intensione actus, quam haurit ab habitu Fidei, quamvis actus in suâ substantiâ sit naturalis. Sed contra, intensio siquidem actus, ejusdem planè ordinis est cum actu ipso, nec aliud ad eam requiritur quàm major conatus potentiæ & concausarum naturalium, ergo si ad actus substantiam concursus ille Dei sit naturalis & debitus, ad intensionem non erit supernaturalis & indebitus. Contra secundò: Concilia namque & Patres docent, actum Fidei supernaturalem necessarium esse ad salutem, nulla tamen certa intensio ad hoc ab iis requiritur, sed modò actus sit propter divinam auctoritatem debitè elicitus, quantumvis remissus sit, sufficit juxta illos ad hoc intentum.

Supernaturalitas non consistit in majore actus intensione.

V. *Alia ratio declarandi supernaturalitatem quoad modum.*

Alio modo procedit Caietanus 2. 2. quæst. 171. art. 2. ad 3. ubi duo actuum genera distinguit; quidam enim, inquit, supernaturales sunt in genere entis, ut visio beatifica, de qua & similibus dictum est numero primo. Alios tamen ait esse actus, ut Fidei, Spei, & Charitatis, qui non in entitate seu substantiâ, sed tantùm in genere moris sunt supernaturales. Quoad entitatem ergo docet hos actus solis naturæ viribus elici posse; ut tamen, inquit, sint supernaturales, seu meritorii (utramque enim hanc rationem confundit) debent ab habitibus infusis procedere, à quibus dignitatem hauriant, & proportionati reddantur ad salutem consequendam.

VI. *Ex habitibus infusis præcisè actus non redduntur supernaturales.*

Hæc tamen sententia nullo modo est probanda; si enim habitus supernaturales dignificare possint actus in substantiâ naturales, dignificare eosdem poterit gratia habitualis, quæ subjectum ipsum gratum Deo reddit, & visione beatificâ, seu gloriâ dignum, ergo ad hoc munus non est opus habitibus supernaturalibus: nec minùs digni essent hi actus si elicerentur per auxilium extrinsecum. Deinde habitus supernaturales seu infusi, sunt ex naturâ suâ operativi, & ad horum actuum efficientiam ordinantur, unde actus isti sunt in entitate supernaturales, quod enim petit principium supernaturale, supernaturale sit necesse est, si enim intra naturæ limites contineretur, principium ei naturale sufficeret.

VII. *Non constitit supernaturalitas actus in illius facilitate.*

Tandem quod dicunt Durandus, Paludanus, Gabriël, & alii, modum scilicet hunc supernaturalitatis situm esse in majore actus facilitate, non subsistit; quantumvis namque actus aliquis cum difficultate eliciatur, conducit nihilominus ad obtinendum beatitudinem, imo quò major in eo eliciendo est difficultas, eò meritum frequenter est majus. Deinde Concilia & Patres gratiam & auxilium supernaturale requirunt ad hos actus, non faciliter, sed simpliciter eliciendos: in hoc etiam juxta omnes, habitus supernaturales seu infusi distinguuntur à naturalibus, quod illi dent simpliciter posse, hi facilè. Manifestum itaque videtur non ad solam actus facilitatem, sed ad ipsam ejus entitatem ac substantiam dari habitus infusos. Hæ præcipuæ rationes sunt supernaturalitatem quoad modum in actibus declarandi: alias minoris momenti, quæ passim videri possunt in auctoribus, omitto.

Habitus naturales dant facilè posse, supernaturales simpliciter.

SECTIO SECUNDA.

Actus Fidei ad salutem necessarius, est in substantiâ supernaturalis: Vbi etiam de differentiâ ex parte objecti formalis.

I. *Actus Fidei divina est supernaturalis quoad substantiam.*

DICENDUM itaque, Actum Fidei *sicut oportet*, seu qui conducit ad salutem, esse in substantiâ supernaturalem: ita Suarez lib. 2. de gratiâ, cap. 4. Molina in Concordiâ, artic. 13. Disp. 7. & 8. Vasquez 1. 2. Disp. 184. Lugo hîc, Disp. 9. Sect. 2. & alii passim, videturque expressa mens S. Thomæ hîc, quæst. 6. art. 1. & 1. 2. quæst. 109. art. 1. & alibi, ut ostendit Suarez lib. 2. de gratiâ, cap. 5. num. 4. Sanctum Thomam sequuntur Aluarez de auxiliis, d. 65. & reliqui Thomistæ. Idem docet Curiel 1. 2. quæstione 109. articulo 1. Turrianus Disp. 46. Sectione tertiâ, estque communis hodie sententia.

II. *Asserunt nonnulli dari in actibus differentiam ex parte objecti formalis.*

Hanc conclusionem probant aliqui; etsi enim inquiunt, idem objectum materiale, restitutio scilicet alieni, tam ab actu naturali, quàm supernaturali attingi possit, semper tamen volunt differentiam aliquam reperiri ex parte objecti formalis motivi, ita ut actus supernaturalis aliquid semper diversum ex parte motivi seu objecti formalis habeat, quod non habet actus naturalis: ita Vasquez hîc, Disp. 86. cap. 6. Turrianus opusc. 2. de gratiâ, Disp. 8. dub. 8. & opusc. 13. dub. 3. Tannerus tom. 3. Disp. 2. quæst. 2. n. 71. & omnium acerrimè Suarez tom. 4. in 3. partem, Disp. 3. Sect. 6. & libro 3. de gratiâ, cap. 11. Hi, inquam, omnes affirmant, omnino necessarium esse in actibus naturalibus & supernaturalibus diversitatem aliquam assignare ex parte objecti formalis.

III. *Virtus naturalis & infusa sæpè non differunt ex parte objecti formalis.*

Hanc tamen rationem impugnavi tomo præcedente, Disp. 114. Sect. 3. Dico itaque nullam esse necessitatem ut actus virtutis naturalis & supernaturalis distinguantur ex parte objecti, sed utraque ex eodem planè objecto formali, seu motivo, circa objectum aliquod materiale versari potest. Sæpè tamen ex parte objecti formalis invenitur inter eas diversitas. Hoc secundum constat apertè, sicut namque sunt motiva, seu objecta formalia naturalia, ita & supernaturalia; nil ergò vetat, quin actus naturalis tendere possit in motivum naturale, supernaturalis in supernaturale.

IV. *Ostenditur actum naturalem & supernaturalem non distingui semper ex parte objecti formalis.*

Prima itaque conclusionis pars, actum scilicet naturalem & supernaturalem in idem objectum formale tendere ex naturâ suâ posse, probatur; objecta quippe supernaturalia, gratia scilicet, visio beatifica, unio hypostatica, &c. cognosci possunt actu naturali: si enim quis rerum supernaturalium planè ignarus, Ethnicus exempli gratia, fidelem aliquem dicentem audiat, Deus bemè in hac vitâ agentibus, & in gratiâ decedentibus, quæ eximia quædam & supernaturalis qualitas est, dat visionem beatificam, quæ etiam est quid supra omnes naturæ vires, Ethnicus, inquam, hoc audiens, & gratiæ & gloriæ habet apprehensionem naturalem, sed secundùm omnes harum etiam dari potest apprehensio supernaturalis, ergo & dari de iisdem poterunt duo judicia, naturale alterum, alterum supernarurale,

Gratia & gloria dari potest apprehensio naturalis & supernaturalis.

ergo actus Fidei naturalis & supernaturalis habere possunt idem motivum, seu objectum formale. Et idem dicendum de actibus voluntatis.

V. *Ratio à priori cur actus naturalis & supernaturalis versari possint circa idem objectum formale.*

Ratio autem à priori hujus conclusionis est, quamvis enim actus specificentur ab objectis, non tamen ab iis specificantur solis, sed aliunde etiam naturam suam & specificationem desumunt: sicut enim in rebus physicis duæ actiones diversorum specie agentium circa eundem terminum (Solis exempli gratia & ignis circa calorem A, qui, ut suppono, ab utrovis sigillatim produci potest) sunt specie diversæ ratione principiorum, quæ specificè distinguuntur, quamvis terminus, quem respiciunt & producunt, sit idem, hoc ipsum inveniri potest in actionibus notionalibus, seu actibus intellectus, idem objectum repræsentantibus, sicque actus naturalis & supernaturalis, licèt terminentur ad idem objectum formale, possunt nihilominus ratione principiorum, seu causarum, quas connaturaliter petunt, specie distingui.

VI. *Declaratur quo pacto duæ cognitiones circa idem objectum possint esse specie distinctæ.*

Res hæc declaratur exemplo in agentibus naturalibus reperto: duo namque actus intellectus, quos habent duo Angeli specie distincti de eodem objecto, specie distinguuntur ob specialem ordinem, seu relationem, quam singuli dicunt ad suum principium, entitatem scilicet vel intellectum Angeli, à quo eliciuntur. Eodem ergo modo, quantumvis actus Fidei naturalis & supernaturalis tendant in idem objectum formale, possunt nihilominus distingui specie ex diversitate principii quod respiciunt, & à quo postulant produci, nempe actus naturalis nudum hominis vel Angeli intellectum, supernaturalis verò habitum Fidei infusum, à quo simul cum intellectu procedit; hinc enim clarè constat diversum specie prædicatum intrinsecum in uno actu relucere, qui non relucet in alio, exigentiam nimirum diversi specie principii, & actum illum, qui per se petit principium supernaturale, nec unquam existere potest ex solis naturæ viribus, esse supernaturalem, quamvis ejus objectum sit quid naturale, jam enim ostendimus & actum naturalem tendere posse in objectum supernaturale, & actum supernaturalem in naturale.

Diversitas principii sufficit ad specificam distinctionem actuum.

VII. *Idem Fido naturali & supernaturali credi potest.*

Ulteriùs ostenditur Fidem naturalem & supernaturalem circa idem objectum haberi posse, Deo namque aliquid revelanti credere nos Fide divinâ supernaturali posse nullus negat: posse etiam hoc Fide naturali fieri videtur manifestum, credere enim Deo nihil aliud est, quàm propter Dei auctoritatem imperare assensum, ac judicare rem ita se habere, hoc autem vires naturæ non excedit. Confirmatur: Si enim homines in purâ naturâ fuissent creati, potuisset Deus illis aliquid revelare, & illi Deo dicenti credere, cum & homini aliquid dicenti, naturaliter credamus, eóque faciliùs, quò ejus auctoritas est major, seu quò perfectiorem habet rerum cognitionem, majorémque probitatem, seu quò magis remotus est à voluntate fallendi; multò ergo magis credere naturaliter possumus Deo, cujus nimirum auctoritas est infinita, nec falli ullo modo aut fallere potest. Confirmatur secundò: Deus hominibus in purâ naturâ existentibus potuisset præceptum aliquod imponere, & ipsi acceptare, ad quod necessarium fuisset credere Deum id præcipere, eique hoc dicenti Fidem adhibere.

Hominibus in purâ naturâ creatis potuisset Deus aliquid revelare, & præcipere.

SECTIO TERTIA.

Declaratur ampliùs quo pacto non requiratur ut actus naturalis & supernaturalis semper differant ex parte objecti formalis.

I. *Hæreticus veros aliquos Fidei articulos credit præcisè quia sunt à Deo revelati.*

QUARTÒ probatur actum naturalem frequenter idem omnino objectum habere cum actu supernaturali: Hæreticus siquidem, qui aliquos veros Fidei articulos credit, assensum iis præbet quia à Deo sunt revelati, & ex imperio voluntatis firmiter iis adhæret. Nec respondeas, quod à plerisque adversariorum responderi video, Hæreticum non ob divinam revelationem, sed ob alia quædam argumenta hisce articulis assentiri: Hoc, inquam, ne respondeas; primò enim, quæ tam valida ab hæretico, aut alio quocunque, solo naturæ lumine, humanique intellectus viribus excogitari argumenta possunt, quæ suadeant apertè dari Trinitatem, Incarnationem, & alia hujusmodi mysteria, quorum gloriâ & fulgore offuscatur & opprimitur humana, imò Angelica mens, & velut noctua caligat ad Solem.

II. *Tenaciùs longè his mysteriis adhæret hæreticus, quàm ulla persuadeant rationes humanæ.*

Deinde tenaciùs multo & immobiliùs his Fidei mysteriis adhæret hæreticus, quàm ulla argumenta naturalia persuadeant, quod exinde apertè constat, paratus namque est veritates alias, quæ evidentiores ipsi longè clariorésque videntur, negare quàm hæc mysteria esse à Deo revelata, quod indicio est, eum propter divinam revelationem hoc præstare; hæc enim sola tantam ei parere potest firmitatem: cùm namque rationes, quæ contra Trinitatem ei occurrunt, multò illi validiores videantur ad hoc mysterium negandum, quàm sint motiva credibilitatis ad illud credendum, cùm etiam voluntas magis motivis hisce moralibus tantùm ad hoc movcatur, quàm argumentis illis, quæ apparent evidentia, ad contrarium, signum manifestum est, ob divinam auctoritatem eum ad huic mysterio assentiendum induci, cùm nullis apparentibus rationibus ab eo possit dimoveri. Tandem, ut alia minoris momenti omittam, communis est Theologorum sententia, Christum Dominum res omnes naturales hujus universi, non scientiâ tantùm naturali, sed etiam supernaturali & infusâ cognovisse, ergo scientia naturalis & supernaturalis non semper distinguuntur ex parte objecti.

Nulla excogitari causa potest tam firmi circa hæc mysteria assensus præter divinam revelationem.

III. *Exemplis ab actibus voluntatis desumptis probatur non esse necessariam diversitatem in objecto.*

Quintò eadem veritas, non requiri scilicet in actu naturali & supernaturali diversitatem ex parte objecti, ostenditur in actibus voluntatis: Deus enim ut auctor naturæ, & ob beneficia creationis & conservationis amari secundùm Theologos potest amore supernaturali, & tamen S. Thomas & alii circa hoc idem objectum affirmant dari posse amorem in substantiâ naturalem, qui tamen actus maximè inter se distinguuntur, & idem est de donatione eleëmosynæ, & similibus, ergo circa idem haberi potest actus naturalis & supernaturalis.

IV. *Objic. Apostolum agere gratiæ pro actibus Fidei Thessalonicensium.*

Objicitur primò à Patre Suarez lib. 2. de gratiâ, cap. 11. S. Paulus ad Thessal. 1. cap. 2. ubi gratias agit Deo Apostolus quòd Thessalonicenses accepissent Verbum Dei ut Verbum Dei, ergo ut affirmat Suarez, ipso facto quod acceptetur ut Verbum Dei, seu credatur ob auctoritatem divinam, apertè evincitur esse opus supernaturale,

ex pe-

ex peculiari scilicet Dei gratiâ factum, gratiásque pro illo esse Deo agendas, quod tamen factu non esset necessarium, si actu naturali acceptari posset ut Verbum Dei, & credi propter divinam auctoritatem.

V. *Frequenter Deo agit gratias D. Paulus pro rebus merè naturalibus*

Sed contra: Apostolus namque sæpè Deo gratias agit pro rebus merè naturalibus, ut pro beneficio creationis & conservationis. Sic etiam ad Corinth. 1. cap. 1. vers. 14. agit gratias Deo quòd neminem eorum baptizaverit, procul dubio tamen actu merè naturali habere quis potest voluntatem non baptizandi. Tandem dico, quamvis acceptare Fidem, seu credere propter auctoritatem divinam, non sit quid supernaturale ex objecto formali, meritò tamen agit Deo gratias Apostolus, quòd gratiâ suâ illis præsto fuerit, effeceritque ut actus doctrinam Evangelicam credendi, qui quantum ad objectum formale potuisset non esse supernaturalis, illius tamen benignitate & extraordinario concursu redditus fuerit supernaturalis, & sicut oportet ad salutem, & hoc sensu verbum illud acceperint ut verè Verbum Dei. Nec aliud intendunt Concilia dum dicunt ex eo quòd quis credat in Deum, Fidem evadere supernaturalem.

Quo sensu doctrinam illam ut verè Verbum Dei acceperint Corinthii.

VI. *Actus à solis objectis specificationem suam non desumunt.*

Objicitur secundò: juxta communem Philosophorum sententiam actus specificationem desumunt ab objectis, cùm ergo actus naturalis & supernaturalis specie distinguantur, habeant necesse est objecta specie distincta. Huic objectioni satisfactum est Sectione præcedente, præcipuè numero quinto, ubi ostensum est non à solis objectis, sed aliunde etiam distinctionem suam & specificationem actus desumere.

VII. *Nil vetat objectum supernaturale attingi ab actu naturali.*

Objicitur tertiò: Objectum Fidei est quid supernaturale, ergo attingi nequit actu naturali. Sed contra: jam enim Sectione præcedente, numero quarto & sequentibus probavi posse actum naturalem attingere objectum supernaturale, idémque hac Sectione ostendi numero primo, secundo, & tertio.

VIII. *In hoc statu naturæ elevatæ omnes eliciunt actus supernaturales Fidei, si sint dispositi.*

Objicitur quartò: Si circa objectum Fidei dari possit actus naturalis, ergo non possunt homines proposito Fidei objecto determinare se ad actum supernaturalem, sicque dum duo æqualiter conantur, alter actum supernaturalem eliciet, alter solummodo naturalem, aliud quippe nihil est in nostrâ potestate, quàm cum tali intensione ad actum aliquem eliciendum conari, intensio autem, & si qua alia est hujusmodi circumstantia, actui tam naturali quàm supernaturali est communis. Respondetur, in hoc statu naturæ elevatæ, cùm semper habeamus auxilium Dei supernaturale paratum, homines, qui sunt dispositi, elicere actus Fidei supernaturales, sive simul eliciant naturales, ut multi volunt, sive non, sicque credere semper possunt sicut oportet, & operari suam salutem.

IX. *Certitudo infallibilitatis actibus accedit ex principiis, à quibus eliciuntur.*

Objicitur quintò: Si dari possit actus naturalis Fidei, qui feratur in veracitatem divinam, hic actus erit æquè certus ac est actus supernaturalis, sicque habebit certitudinem quæ ad beatitudinem, seu salutem consequendam est necessaria. Respondetur, si sermo sit de certitudine objectivâ indubitatum esse, actum naturalem quo quis dicit *Deus est verax*, esse tam certum ex parte objecti, atque est actus supernaturalis, qui idem affirmat, cùm idem utrobique sit objectum. Idem etiam contingere potest in certitudine adhæsionis. Certitudine nihilominus infallibilitatis, actus naturalis multùm cedit actui supernaturali, cùm hic firmioribus longè nitatur principiis, ut fusè ostensum est suprà, Disp. 9. per totam. Ad id, quod additur in fine objectionis, dico supernaturalitatem directè non esse necessariam ob certitudinem actus, sed quia debet esse in eodem ordine cum gratiâ & gloriâ, ut sit illarum meritorius, ut latè declaravi Tomo præcedente, Disp. 126. sect. octavâ. Nec de actu tantùm Fidei, sed de omnibus omnino actibus meritoriis hoc est affirmandum, ut loco citato probavi.

Supernaturalitas actus non requiritur ob certitudinem, sed proportionem.

Objicitur sextò S. Thomas 2. 2. quæst. 5. a. 3. ubi dicit hæreticum, qui obstinatè non vult credere unum Fidei articulum, nullum credere, sed de cæteris habere solummodo opinionem quandam secundùm propriam voluntatem. Respondetur, solùm velle sanctum Doctorem, hæreticum, qui unum Fidei articulum pertinaciter negat, reliquos non credere Fide divinâ; seu supernaturali, & omnino certâ ac infallibili; cùm enim, ut ibídem ait, Ecclesiam, quæ nobis ut credendi regula à Deo proponitur, relinquat, non jam prudenter, ut orthodoxi, sed temerè & ex propriâ voluntate & judicio credit. Ideo autem actum illum, quo hæreticus reliquos Fidei articulos credit, vocat sanctus Doctor opinionem, quia relictâ firmamento veritatis Ecclesiâ, incerto & fallibili modo procedit, infinitisque erroribus obnoxio.

X. *Non negat S. Thomas dari posse Fidem naturalem circa divinam veracitatem.*

SECTIO QUARTA.

Ostenditur actum Fidei divinæ esse in substantiâ supernaturalem.

I. *Firmiores adduci debent rationes pro supernaturalitate actus Fidei.*

QUAMVIS itaque, ut duabus Sectionibus præcedentibus vidimus, circa idem objectum formale dari possit actus Fidei tam naturalis, quàm supernaturalis, sicque ex hoc capite, quòd scilicet ubi objectum est supernaturale, actus etiam debeat esse supernaturalis, non rectè probetur supernaturalitas actus Fidei, aliunde tamen ostendi potest actum Fidei divinæ debere esse in substantiâ supernaturalem.

II. *Scriptura, Concilia, & Patres docêt actum Fidei divinæ esse in substantiâ supernaturalem.*

Probatur itaque primò: Scriptura enim, Concilia & Patres ad actum Fidei divinæ, seu ad credendum sicut oportet ad salutem consequendam, requirunt speciale aliquod auxilium supra omnes naturæ vires, quod, ut verbis utar Divi Augustini lib. de Gratiâ Christi cap. 7. & sequentibus, *Deus occultâ, mirabili, atque ineffabili potestate cordibus nostris insundit*: neque ad hoc sufficere aiunt gratiam legis & doctrinæ, sed singularem insuper internam vim ac virtutem necessariam esse docent, quâ Christus velut vitis in palmites, & caput in membra influit. Sic Joannis 6. vers. 29. dicit Christus: *Hoc est opus Dei ut credatis.* Deinde vers. 44. ab eodem Christo dicitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sic etiam ad Ephesios 2. vers. 8. habetur: *Gratiâ estis salvati per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Item 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*, &c. Et 1. ad Corinth. 12. vers. 3. *Nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto*: idémque aliis Scripturæ locis facilè ostendi potest.

Fides divina in Scripturis passim vocatur speciale donum Dei.

III. *Cœciliorum & Patrum*

Eadem veritas, Fidem nimirum esse in substantiâ supernaturalem, apertè traditur in Conciliis & Patribus, ut tomo præcedente, in materiâ de

Tom. II.

de Fidei, aliorumq; actuum supernaturalitate pronunciata.

de gratiâ universim de omnibus actibus supernaturalibus ostendi. Sic in Concilio Milevitano cap. 4. utrumque dicitur esse donum Dei, *& scire quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Idem docet Concilium Tridentinum sess. 6. can. 3. ubi definitur, neminem *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, ejusq; adjutorio, credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet:* quod etiam tradit idem Concilium cap. 5. 6. & 12. Hoc etiam multo antè definiverat Concilium Arausic. secundum cap. 6. & sequentibus. In hujus insuper doctrinæ confirmatione multi sunt Sancti Patres, Cælestinus & Innocentius Pontifices, item S. Augustinus, S. Prosper, & S. Fulgentius, dum contra Pelagium ejusque reliquias de naturâ & necessitate gratiæ disputant, ut in primo Tomo fusè dictum est.

IV. *Non propter rerum credendarum difficultatem auxilium speciale requirit Pater.*

Respondent aliqui, Patres & Concilia, peculiare illud adjutorium, non ob actuum Fidei supernaturalitatem requirere, sed ob difficultatem, quæ in rebus credendis reperitur. Contra primò; res enim credendæ sæpenumero sunt faciles, & tales, ut vel homini eas dicenti assensum haud difficulter præbeamus, ergo à fortiori circa easdem credere possumus Deo. Contra secundò; absona quædam, & contra omnem rationem, hominum suasu & eloquentiâ credunt hæretici, ut non dari in hominibus liberum arbitrium, mandata Dei esse servatu impossibilia, quibus nihil dici potest stolidius. Si, inquam, ad hæc, & his similia, quæ cum lumine naturali apertè pugnant, credenda induci fictis quibusdam rationibus possunt homines, quidni vera Fidei mysteria credere actu naturali poterunt. Actus ergo ad quem Concilia & Patres gratiam prævenientem, & peculiare illud adjutorium requirunt, est ejusmodi, ut nullius, quantumvis facundi hominis eloquentiâ & suasu elicere eum quisquam per se possit, sed omnes omnino artis ac naturæ vires excedit.

Fucatis hæreticorum rationibus multi sæpè ad falsa amplectenda dogmata pertrahuntur.

V. *Ob difficultatem in credendo præsertim non requiritur peculiare auxilium.*

Nec etiam oritur hæc difficultas ex parte modi credendi; vel enim hic modus est quod Fides sit obscura, hinc tamen provenire nequit tanta difficultas, cùm & Fides, qua homo homini credit, sit obscura, & nihilominus homines passim sibi invicem Fidem adhibent: vel oritur difficultas ex firmitate, quæ in actibus Fidei circa articulos credendos est necessaria; hoc tamen dici nequit, hæretici namque tam firmiter suis erroribus adhærent, quàm orthodoxi adhærent veritati. Ad credendum itaque sicut oportet, seu ad salutem consequendam, debet actus Fidei esse altioris ordinis ad omnem actum in substantiâ naturalem, quique in entitate proportionem habeat cum gratiâ & gloriâ, ut sit earum meritorius, gloriam autem esse in substantiâ supernaturalem ostendi Tomo præcedente, Disp. 14. dum de lumine gloriæ. Plures ad hoc argumentum responsiones rejeci supra, Sectione primâ, dum impugnavi supernaturalitatem quoad modum.

Actus Fidei meritorius, esse debet ejusdem ordinis cum gratiâ & gloriâ.

SECTIO QUINTA.

Ex eo quòd dentur habitus supernaturales, probatur existere actus supernaturales.

I. *Ex habitibus supernaturalibus*

Vlteriùs etiam ostenditur actum Fidei divinæ esse in substantiâ supernaturalem: dantur siquidem habitus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis ad actus harum virtutum eliciendos peculiariter à Deo infusi, ergo hi actus sunt in substantiâ supernaturales, nisi enim haberent prædicatum aliquod excedens omnes naturæ vires, principia hujusmodi supernaturalia non postularent, nec habitus hujusmodi operativi, quique sunt per modum potentiæ, & dant simpliciter posse, sicut habitus naturales posse facilè, ad eorum productionem infunderentur.

ostenditur dari actus supernaturales.

II. *Auctoritate probatur dari habitum supernaturalem Fidei, per se à Deo infusum.*

Antecedens itaque, quòd scilicet detur habitus supernaturalis ad actus Fidei divinæ eliciendos à Deo infusus, quamvis aliqui id negent, tantum nihilominus pro illius existentiâ est in Conciliis fundamentum, ut varii Theologi, inter quos est P. Hurtado hîc, Disp. 62. §. 4. affirment hoc sine gravi notâ negari non posse. Lugo verò hîc, Disp. 9. sect. 3. num. 41. Fide certum esse docet dari in adultis justificatis donum Fidei infusæ, seu principium supernaturale permanens, actuum Fidei divinæ elicitivum, sive hoc donum vocandum sit habitus, sive non; fortassis enim, inquit, necdum est definitum, hoc donum esse habitum. Idem docet Curiel 1. 2. q. 110. art. 2. & alii. Vega etiam lib. 7. in Tridentinum, cap. 24. qui Concilio interfuit, ubi retulisset sententiam asserentem adultis in justificatione præter gratiam habitualem infundi dona, seu virtutes, Fidem nimirum, &c. subjungit: *Visum est huic sanctæ Synodo* (Tridentinæ) *acceptare sententiam istam, & asserenti oppositum anathema indicere: intellexit enim hanc esse communem Ecclesiæ Fidem; tametsi non sub nomine habituum.*

Multi asserunt appellandum esse donum Fidei, non habitum.

III. *Tria à quibusdam circa certitudinem horum, vel donorum, vel habituũ tempora distinguuntur*

Ut verò rem hanc enucleatiùs evolvamus; tria à nonnullis circa certitudinem Fidei de existentiâ horum, sive donorum sive habituum tempora distinguuntur. Sotus itaque lib. 2. de gratiâ, cap. 18. & 19. cum aliis affirmat, ante Concilium Viennense sub Clemente V. non solùm non fuisse de Fide, vel ab Ecclesiâ definitum dari hæc dona, virtutes, aut habitus Fidei, &c. sed nec ita constanter in hanc sententiam illius temporis Theologos conspirasse. Hinc, inquiunt, Innocentius III. cap. *Majores* de Baptismo asserere videtur hoc inter Theologos suo tempore valdè fuisse incertum, ideóque illud eum noluisse definire. Secundum tempus statuunt à Concilio Viennensi inclusivè usque ad Tridentinum; in hoc namque Concilio aiunt definitum esse tanquam probabilius hujuscemodi virtutes seu habitus infundi. Tertium tandem tempus est jam post Concilium Tridentinum; quod, inquiunt, quamvis expressiùs hac de re pronunciaverit, quàm Concilia antecedentia, negant tamen, etiam post illud, esse de Fide dari hujusmodi habitus infusos: foret nihilominus ingentissima, inquit Sotus, temeritas eos negare.

Dicunt nonnulli, nec ante nec post Concilium Viennense fuisse de Fide dari hujusmodi dona, seu virtutes.

IV. *Fide certum est nobis in justificatione habitum, seu principium permanens Fidei infusæ, conferri.*

His tamen non obstantibus dicendum, Fide certum esse nobis in justificatione infundi habitum, seu virtutem, & donum aliquod permanens Fidei infusæ. Hoc probatur primò ex illo primæ ad Corinthios 13. vers. 13 ubi docet Apostolus Fidem nunc, seu in hac vitâ manere, excidere verò in futurâ: hoc autem clarum videtur, non de actu Fidei intelligendum esse, sed de habitu, actus siquidem non semper in hac vitâ manet, quando enim dormimus, actum Fidei non elicimus, cùm tamen etiam tunc simus fideles, ergo hæc denominatio non ab actu desumitur, sed ab habitu, qui in nobis etiam dormientibus manet, & animam informat. Dices, etiam in dormienti-

Locus iste Apostoli intelligi nullo modo potest de Fide actuali.

dormientibus dici potest manere actus Fidei, non quidem physicè, sed moraliter, ex eo nimirum quòd quis immediatè ante somnum actum Fidei elicuerit. Sed contra: Sic namque si justus quispiam immediatè ante mortem actum Fidei eliceret, dici similiter posset manere Fides in patriâ in animâ illâ, quæ hunc actum Fidei elicuerat. Alia ergo Fides est, quam dicit Apostolus in hac vitâ, seu viâ manere, non in patriâ.

V.

Ex Concilio Tridentino ostenditur dari habitus, seu dona permanentia Fidei, Spei, & Charitatis.

Probatur secundò ex Concilio Tridentino, in quo planè definitum videtur dona hæc permanentia Fidei, Spei, & Charitatis in justificatione simul cum gratiâ nobis infundi. Sess. ergo 6. cap. 7. postquam dispositiones, quæ justificationem antecedunt, & inter eas actum Fidei & Spei enumerasset, sic subjungit: *Hanc dispositionem, & præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio etiam, & renovatio interioris hominis per susceptionem gratiæ & donorum:* per hæc autem dona non intelligit Fidem & Spem actualem, cùm dona ista, ut ait Concilium, distinguantur à præparatione, utpote quam consequitur, præparatio autem, ut vidimus, includebat actus Fidei & Spei, ergo hæc dona intelligi debent aliquid permanens, & à Fidei & Spei actibus distinctum. Clariùs adhuc postea loquitur Concilium eodem capite his verbis: *Unde in ipsâ justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per IESVM CHRISTVM, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem:* sicque declarat quænam fuerint illa dona, quæ in justificatione supra dixerat infundi.

Aliud Concilii Tridentini testimonium pro habitu, seu dono permanente Fidei.

VI.

Amissâ justificationis gratiâ, non semper amittitur Fides.

Tandem idem Concilium Sess. 6. can. 28. definit per quodcunque peccatum mortale amitti gratiam justificationis, non verò Fidem, sed hanc destrui per solam infidelitatem, ergo admittit verum donum permanens Fidei, seu habitum supernaturalem, amissâ per peccatum gratiâ, adhuc persistentem; si enim esset naturalis, quamvis per unicum actum Fidei nonnihil minueretur, ut aliis habitibus naturalibus contingit, qui paulatim per actus contrarios corrumpuntur, non tamen totus Fidei habitus per unum actum infidelitatis deperderetur, ut docet Concilium loco citato, & cap. 15. ejusdem Sessionis sextæ.

Habitus naturales non simul toti destruuntur.

VII.

Si habitus Fidei esset naturalis, daret facilitatem in operando.

Præterea, si hic habitus Fidei non sit in substantiâ supernaturalis, seu per se infusus, sed naturalis tantùm, & infusus per accidens, ejusdem erit naturæ & indolis cum aliis habitibus naturalibus, sicque dabit facilitatem, instar aliorum habituum naturalium, quod tamen est contra omnem experientiam, puer etenim qui in baptismo infusum accepit habitum Fidei, ubi ad rationis usum perveniit, nullam majorem propterea sentit in credendo facilitatem, quàm si baptismum non suscepisset. Deinde hæreticus, qui annis aliquot hæreticorum dogmata secutus varios actus erroneos elicuisset; hic inquam, ad Ecclesiam postea rediens, & in justificatione simul cum gratiâ Fidem sibi infusam accipiens, summam adhuc inclinationem ad errores pristinos in se experitur, ergo habitus Fidei quem modo recipit, non est naturalis; hi enim habitus & facilitatem tribuunt ad suos actus, & inclinationem tollunt ad contrarios, quod non faciunt habitus supernaturales.

Hæreticus convertus summam adhuc inclinationem sentit ad pristinos errores.

VIII.

Cum ad actus supernaturales sufficiat auxilium extrinsecum, cur infundantur habitus.

Dantur ergo habitus supernaturales Fidei, Spei, &c. ad actus prout oportet, seu ad salutem consequendam necessarios eliciendum. Quamvis enim vel per auxilium supernaturale extrinsecum, vel intrinsecum transiens elici hujusmodi actus possint, connaturaliùs tamen eliciuntur per principium intrinsecum, idque permanens, actus quippe vitales postulant connaturaliter principium intrinsecum, cumque hi habitus, ut dixi, sint potentiæ in ordine supernaturali, sicut intellectus & voluntas in ordine naturali, connaturalius videtur, ut sint quid permanens sicut hæ potentiæ naturales. Habitus verò infusi morales ideo non manent in peccatore, amissâ gratiâ, quia gratiam supponunt ut radicem, vel physicam, ut multi volunt, vel moralem; unde cùm peccator per offensam gravem ipsos demeruerit, Deus illos aufert, & sicut non nisi aliquo præcedente merito eos primò infundit, ita sine aliquo merito eos denuo non vult restituere. Habitus verò Fidei & Spei idcirco in peccatore, habitibus aliis destructis, Deus conservat, quia eorum actus sunt totius ædificii spiritualis supernaturalis fundamentum. Sed de his omnibus fusiùs dictum est Tomo præcedente, dum de gratiâ, & habitibus supernaturalibus, tam Theologicis, quàm infusis.

Quare in peccatore non remanent habitus infusi morales.

IX.

Habituum supernaturalium infusioni non obstat quod affertur ex Concilio Viennensi, & Innocentio tertio.

Ad illud quod supra, num. 3. afferebatur ex Concilio Viennensi, & Innocentio tertio cap. *Majores* De baptismo & ejus effectu: licèt concederemus rem hanc eo tempore non fuisse definitam, postea tamen definiri potuit, imo ut ostendi num. 5. & 6. definita est in Concilio Tridentino sess. 6. variis locis. Deinde dico, quamvis circa parvulos tempore Innocentii tertii controversum inter Theologos fuerit, Utrùm iis in baptismo infunderentur hæc dona, seu virtutes, & in Concilio Viennensi definitum sit tantummodo ut probabilius parvulis juxta ac adultis ea infundi, quoad adultos tamen nullum fuit dubium, quin iis infunderentur: imo Concilium apertè supponit ut indubitatum dona hæc & virtutes in justificatione semper infundi adultis, solúmque definitum est à Concilio esse probabilius ea quoque infundi parvulis, sicut infunduntur adultis, tota enim controversia, ut dixi, illic erat circa parvulos, de quibus agebatur in Concilio, an scilicet in baptismo dona illa permanentia reciperent, sicut illa recipiunt in justificatione adulti; qua in re partem affirmativam amplexum est Concilium ut probabiliorem, & Patrum ac Theologorum dictis magis conformem.

Controversia in Concilio Viennensi tantùm erat circà parvulos, non circà adultos.

SECTIO SEXTA.

Quid de speciebus, ad supernaturalem Fidei actum requisitis sentiendum.

I.

Affirmant nonnulli species ad actum Fidei concurrentes, debere esse in substantiâ supernaturales.

QUÆRES, Utrùm sicut habitus, qui ex parte potentiæ ad actum Fidei divinæ concurrit, est supernaturalis, ita etiam species, quæ loco objecti eundem actum efficiunt, debeant esse in substantiâ supernaturales. Affirmat P. Granado hic, tractatu 13. Disp. 7. idem docet Hurtado in præsenti, Disp. 58. Sect. 4. §. 36. & alii nonnulli, qui species hasce supernaturales unà cum ipso habitu supernaturali Fidei infundi aiunt, & unà cum illo destrui. Quàm firmæ sint rationes, quibus ad hoc probandum nituntur, postea videbimus.

II.

Ad actum Fidei sufficiunt species

Secunda, eáque probabilior sententia negat ad actum Fidei supernaturalem necessarias esse supernaturales species, sed ad actum illum Fidei eliciendum

eliciendum sufficere ait species in substantiâ naturales: ita Bannez 1. parte, quæst 88. artic. 3. Suarez lib. 2. de Attributis, cap. 15. n. 9. Vasquez Tomo 1. in 1. partem, Disp. 43. cap. 5. num. 15. Ripalda Tomo 1. de ente supernaturali, Disp. 54. Coninck Disp. 16. dub. 2. num. 13. Turrianus hic, Disp. 38. dub. 5. & alii.

cies in substantiâ naturales.

III. *Ostenditur ad actum Fidei supernaturalem non requiri species supernaturales.*

Ratio est: In confesso enim est apud omnes dari objectorum Fidei species naturales, sed hæ ad actum Fidei supernaturalem eliciendum sufficiunt, ergo species supernaturales ad hunc finem sunt superfluæ: minor probatur, species siquidem naturales sufficiunt ad actum Fidei naturalem, ergo & ad supernaturalem, cùm enim, ut supra ostensum est, solùm differant hi actus ratione formalitatis supernaturalitatis, & ad hanc detur in causâ completâ principium sufficiens, nempe habitus, non est cur aliud requiratur, magis quàm cur ad formalitatem vitalitatis requiratur aliud principium præter intellectum. In actu ergo supernaturali Fidei, præter generales formalitates entis, &c. tres peculiariter quoad rem præsentem reperiuntur formalitates, *vitalitas*, *repræsentatio*, & *supernaturalitas*, ad quas, seu ad actum ex illis compactum requiritur & sufficit triplex virtus in causâ completâ, intellectus ad vitalitatem, species ad repræsentationem, & habitus ad supernaturalitatem, tribuendo nimirum formaliter singula singulis; realiter enim omnes tres causæ ad formalitates singulas concurrunt.

Tribus formalitatibus in actu, triplex in causâ adæquatâ respondet virtus.

IV. *Sicut intellectus elevari potest per auxilium extrinsecum, ita & species naturales per habitum.*

Probatur conclusio secundò: Intellectus namque ad eliciendum actum supernaturalem elevari juxta communem sententiam Theologorum potest per auxilium extrinsecum, ergo & species naturales ad actum Fidei supernaturalem producendum elevari possunt per habitum Fidei, quamvis sit speciebus extrinsecus. Ratio est; elevare siquidem, aliud nihil est, quàm in rei alicujus productione supplere id quod alteri causæ ob debilitatem & ordinis inferioritatem deest, ut in præsenti potest contingere; quod enim speciebus, ordinis naturalis cùm sint, in productione actus supernaturalis deest, supplet habitus supernaturalis. Res hæc exemplo naturali declarari aliquo modo potest: statuatur pondus ut centum, puer, qui habet vires solùm ut tria, tres tantùm illius partes seu gradus, & non totum pondus elevare potest; accedat vir aliquis robustus, quique habet vires ut centum, puer ille simul cum hoc viro totum illud pondus jam levabit, & ad hoc dici potest à viro illo elevatus. Idem ergo dici in præsenti potest, & multo magis propriè de speciebus & habitu respectu actus supernaturalis.

Exemplo à naturalibus desumptoreshæc aliquâ ratione declaratur.

V. *Causa has species producans non est necessariò supernaturalis.*

Objicies primò: Causa supernaturalis producit effectum supernaturalem, sed causa has species producens, nempe revelatio, est supernaturalis, ergo, &c. Respondetur causam specierum non esse ut plurimum supernaturalem, objectorum siquidem Fidei, & ipsius etiam revelationis species producuntur à vocibus eorum, qui res Fidei primò proponunt, hæ autem voces sunt quid merè naturale, ut constat. Deinde, etiamsi revelatio esset supernaturalis, speciem tamen sui abstractivam (de hac enim solâ loquimur in præsenti) producere posset in intellectu, nec species alia quàm naturalis hic requiritur, ut ostensum est, qualem, omnes harum rerum nos habere affirmant.

VI. Objicies secundò: Quando causa aliqua elevatur ad effectum sibi improportionatum, connaturalius est ut elevetur per aliquid sibi intrinsecum, & non per aliud principium extrinsecum, ergo ad actum Fidei supernaturalem, ut connaturaliter procedamus, vel assignare debemus species in substantia supernaturales, vel si sint naturales, elevari debent per aliquid sibi intrinsecum, & non per habitum Fidei ipsis extrinsecum. Respondetur, quando aliunde in causâ totali & adæquatâ datur virtus sufficiens ad effectum, ut hic in intellectu instructo habitu Fidei dari ostendimus ad actum Fidei supernaturalem, non connaturalius esset, sed planè superfluum, ut species sint supernaturales, vel ut naturales elevantur per aliquid ipsis intrinsecum. Sicut in exemplo numero quarto allato, frustra planè & superfluè puero illi adderentur vires intrinsecæ, dum adest vir robustus, qui sufficienter eum juvare possit, ad pondus illud ut centum elevandum. Unde si species essent supernaturales, non improbabiliter fortè loqueretur qui diceret, non requiri habitum infusum ad actum supernaturalem Fidei, sed posse intellectum per has species ad actum supernaturalem elevari, cùm ad effectum supernaturalem sufficiat in causâ completâ unum principium supernaturale. Quamvis de visione beatâ peculiaris hac in re sit difficultas.

Dices: connaturalius est ut species eleventur intrinsecè.

Respond. hic & nunc speciebus non esse connaturalem elevationem intrinsecam.

VII. *Quare species ad fidem infusam Christi sint supernaturales.*

Objicies tertiò: Species, etiam de objectis naturalibus in scientiâ Christi infusâ, sunt supernaturales, ergo & species in nobis ad actum supernaturalem Fidei debent esse supernaturales. Respondetur, si species illæ sint supernaturales, quod tamen multi negant, non est propter exigentiam actus supernaturalis præcisè, sed ad ornatum majorem intellectus, seu animæ Christi, cui propter summam dignitatem & excellentiam optima quæque & præstantissima debentur.

VIII. *Quamvis actus clarus de objecto supernaturali sit supernaturalis, non tamen actus obscurus.*

Objicies quartò: Actus clarus, seu intuitivus rei supernaturalis postulat species supernaturales illius, idem ergo est de actu obscuro & abstractivo. Negatur tamen consequentia; actus namque clarus & intuitivus rei supernaturalis per proprias species haberi debet, & objecto proportionatas, adeóque supernaturales: actus verò obscurus de re supernaturali, qualis est omnis actus Fidei, per species abstractivas haberi potest, sicque nulla hic necessitas specierum supernaturalium.

IX. *Non est necessarium ut species & habitus sint semper in eodem ordine.*

Objicies quintò: Habitus & species esse debent in eodem ordine, utpote quæ unum simul conflant principium, actus supernaturalis Fidei productivum. Respondetur negando antecedens, unum enim principium supernaturale, ut diximus, sufficit ad actum illum supernaturalem producendum, cùm in causâ adæquatâ reperiatur virtus, omnibus formalitatibus effectus respondens, ac proinde supernaturalitas in specie esset superflua. Quod si species objecti materialis, quæ unà cum intellectu possibili actum aliquem spiritualem producit, sit spiritualis, & hac in parte proportionem servet cum intellectu, ejusdemque cum eo sit ordinis, hoc non præcisè ratione productionis actus spiritualis contingit, cùm, ut Tomo præcedente, Disp. 74. Sect. 4. dum de speciebus Angelicis, ostendi, objectum materiale non speciem tantùm spiritualem sui simul cum intellectu agente, sed actum etiam spiritualem cum intellectu possibili immediatè producere queat: Ratio ergo desumitur, non ex parte objecti seu effectus, sed subjecti, quod nimirum in subjecto purè spirituali species materialis adæquatè subjectari non possit.

Quare species objecti materialis producens simul cum intellectu actum spiritualem, sit spiritualis.

Objicies

X. *Ad conclusionem supernaturalem non semper requiritur ut utraque præmissa sit supernaturalis.*

Objicies sextò: Ut eliciatur conclusio supernaturalis requiruntur duæ præmissæ supernaturales, ergo etiam ad actum Fidei supernaturalem, seu tale judicium requiritur & habitus & species supernaturalis. Respondetur negando antecedens; plurimi enim docent ad conclusionem Theologicam supernaturalem sufficere unum actum Fidei supernaturalem, quamvis altera præmissa sit merè naturalis, principium scilicet aliquod lumine naturæ notum. Circa supernaturalitatem harum specierum nonnulla subjungentur in fine Sectionis sequentis.

SECTIO SEPTIMA.

Reliqua ad actus Fidei supernaturalitatem cognoscendam requisita

I. *Sitne judicium practicum de credibilitate rei credenda supernaturale.*

QUÆRES primò, Utrùm judicium practicum de credibilitate mysterii, quod credendum proponitur, seu quo quis judicat illud Fide divinâ esse credibile, & quo voluntas proximè movetur ad applicandum prudenter intellectum ad assensum firmissimum circa objectum illud eliciendum ob auctoritatem divinam, sit supernaturale. P. Coninck Disp. 13. de actibus, dub. 3. vult hoc judicium esse in substantiâ naturale, & supernaturale tantùm quoad modum, quòd nimirum objectum materiale, circa quod versatur, sit supernaturale, & non nisi per revelationem divinam cognosci possit.

II. *Judicium hoc credibilitatis est in substantiâ supernaturale.*

Probabilius tamen est quod affirmat Suarez hîc, Disp. 4. Sect. 6. & communis sententia Theologorum, hoc scilicet judicium esse in substantiâ supernaturale. Ratio est, nam ut Tomo præcedente, in materiâ de gratiâ ostendi, actus naturalis intellectus non potest immediatè intentionaliter excitare ad actum supernaturalem voluntatis propter improportionem, quæ non minor est in hoc genere inter actum naturalem & supernaturalem, quàm inter materialem, seu sensitivum, & actum voluntatis, seu spiritualem.

III. *Judicium hoc practicum est ipsa gratia præveniens, quam exigunt Patres.*

Deinde Concilia & Patres, ut ibidem ostendimus, gratiam excitantem, seu prævementem supernaturalem requirunt ad actum Fidei *sicut oportet*, seu supernaturalem, gratia autem hæc nihil aliud ut plurimum est, nisi ipsissimus hic actus, seu judicium practicum de credibilitate rei, quæ credenda proponitur; hoc enim per modum cogitationis sanctæ, qualis revera est, voluntatem allicit ad imperandum intellectui, ut actum Fidei circa objectum eliciat. Aliud est de iis actibus, qui remotè tantùm ad actum supernaturalem concurrunt. Sicut tamen, ut suprà diximus, dari potest actus naturalis Fidei circa hoc ipsum objectum, ita & dari potest naturale judicium practicum credibilitatis ad eum proximè disponens.

Dari etiam potest judicium practicum credibilitatis naturale.

IV. *Actus quo voluntas imperat assensum supernaturalem Fidei est supernaturalis.*

Quæres secundò: Utrùm actus, quo voluntas imperat intellectui, ut actum Fidei supernaturalem eliciat, sit etiam supernaturalis. Communis Theologorum sententia est affirmativa. Ratio est eadem, quæ proximè assignata est pro imperio illo practico, seu judicio de credibilitate rei, quæ credenda proponitur, immediatè enim movet & excitat ad actum supernaturalem. Confirmatur: Actus Fidei, ut Disputatione sequente videbimus, est liber & meritorius, sed non aliunde libertatem & rationem meritorii haurit, quàm ab hac volitione, ergo hæc volitio debet esse meritoria, & consequenter supernaturalis; nihil enim, quod supernaturale non est, potest gratiam & gloriam mereri, ut Tomo præcedente in tractatu de gratiâ fusè est declaratum; & ut communis habet Theologorum sententia, nullus actus naturalis, saltem nisi ab actu supernaturali imperetur, potest esse meritorius: imo, ut Tomo præcedente, Disp. 126. Sect. 8. ostendi, probabilius est nullum omnino actum naturalem, etiam ab actu supernaturali imperatum, esse meritorium. Sed etsi hoc concederemus, Fides tamen aliunde in substantiâ esse debet supernaturalis, quia nimirum immediatè excitat ad actus supernaturales & meritorios voluntatis, ad quod in actibus Fidei requiritur supernaturalitas.

Hoc ostenditur ex ratione meritoris in actu Fidei reperta.

Nullus omnino actus naturalis potest esse meritorius.

Specialis ratio cur Fides debeat esse supernaturalis.

Dices: Fides, ut sæpè ex Conciliis & Patribus diximus, est fundamentum totius ædificii supernaturalis, & quid in hoc statu rerum ad omnem actum meritorium requisitum; malè ergo actum illum, quo voluntas prò suâ in intellectum potestate imperat actum Fidei, dicimus esse meritorium. Negatur tamen consequentia: Concilia siquidem & Patres solùm volunt Fidem esse radicem & principium omnis actus liberi & meritorii præter ipsum actum fidei, hic autem, ut jam diximus, ut sit liber & meritorius includit actum illum liberum, seu imperium supernaturale voluntatis, quod proinde non antecedit actum Fidei in ratione liberi & meritorii, sed eum talem constituit, unúmque cum ipso integrat actum meritorium.

V. *Volitio meritoria imperàs actum Fidei non impedit quominùs Fides sit radix actuum omnium meritoriorum.*

Quæres tertiò, ad quod principium spectet judicium illud evidens credibilitatis, de quo n. 1. 2. & 3. dictum est. Caietanus & alii dicere videntur practicum hoc judicium ad ipsum habitum Fidei spectare tanquam principium elicitivum sui. Sed contra; habitus enim Fidei pro objecto suo adæquato habet revelationem divinam, & in illam per actus obscuros fertur; judicium autem hoc evidens non recumbit in divinâ auctoritate & revelatione, sed in mediis evidentibus, ex quibus per discursum elicitur: cùm ergo modum tendendi habeat diversissimum, aliudque objectum formale ab actu Fidei, non potest ab habitu Fidei procedere.

VI. *Judicium evidens de credibilitate mysterii Fidei non elicitur ab habitu Fidei.*

Dices: Judicium hoc credibilitatis, ut suprà asseruimus, est supernaturale, ergo procedere debet à Fide, Fides namque, ut sæpè diximus, est totius ædificii supernaturalis fundamentum, quàm proinde Tridentinum Sess. 6. cap. 8. vocat omnis justificationis radicem; nihil ergo, habituale saltem, seu permanens, Fidem antecedere debet, & animam informare. Respondetur, ut suprà, num. 5. dixi de volitione, nihil in eo esse incommodi, quòd motus aliquis plus aut cogitatio supernaturalis ad Fidem disponens, Fidem antecedat; hoc enim expressè docet Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 5. his verbis: *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum IESVM præveniente gratiâ sumendum esse*, &c. Neque propterea quidquam derogatur Fidei, quo minùs absolutè & simpliciter ab illâ tanquam à basi & fundamento sumatur initium justificationis, per modum scilicet radicis liberæ & meritoriæ, qualis est actus Fidei *sicut oportet*: gratia autem præveniens, seu cogitatio illa sancta & inspiratio est quid indelibe-

VII. *Quòd plus aliquis motus, aut cogitatio sancta præcedat Fidem, ad hanc disponens, nullum est inconveniens.*

A gratiâ præveniente, juxta Tridentinum sumitur justificationis initium.

Tom. II.

ratum, nec ad aliud ordinatur nisi ad excitandum & movendum hominem ad actum Fidei supernaturalis producendum. Unde unum idemque cum Fide facere censetur, & non actus ab actu Fidei distinctus.

VIII. *A quo principio hoc judicium credibilitatis eliciatur.*

Ad hoc porro judicium eliciendum nullus habitus, aut principium permanens est in animâ statuendum, sed Deus auxilium semper intrinsecum fluens immittit, sicut docent plurimi infundi à Deo dona Spiritus Sancti, donum scilicet *Intellectus*, *Consilii*, *Prudentiæ*, &c. ad quæ hoc judicium non immeritò à quibusdam reducitur. Sed quicquid sit de hoc, prima cogitatio, per quam ad operandum supernaturaliter excitamur, non ab habitu, seu principio permanente, ut dixi, sed ab auxilio fluente intrinseco procedit. De principio productivo piæ affectionis, seu volitionis credendi, aliisque ad eam spectantibus dicetur postea.

IX. *Ad judicium credibilitatis supernaturale sufficiunt species naturales.*

Jam verò circa hoc judicium credibilitatis notandum, sicut ad actum Fidei supernaturalem sufficiunt species naturales cum habitu Fidei eas elevante, ita in præsenti quamvis, ut dixi, istud judicium sit supernaturale, ad ejus tamen productionem sufficiunt similiter species naturales, ab objectis desumptæ, & à prædicatione illius, qui motiva credibilitatis proponit: hæ autem species ad actum illum supernaturalem elevantur per auxilium illud fluens, seu transiens intrinsecum, sicut species actus Fidei per habitum Fidei.

X. *Ab actu Fidei supernaturali producitur species memorativa simpliciter naturalis, supernaturalis secundùm quid.*

Peculiaris verò hoc loco circa species oritur quæstio, Utrùm scilicet, quamvis, ut Sectione præcedente diximus, species ad actum Fidei supernaturalem eliciendum necessariæ sint in substantiâ naturales, quæritur inquam, an hic actus supernaturalis Fidei vim habeat producendi species memorativas sui supernaturales, per quas homo illum actum producens, ipsius postea recordetur. Respondetur species memorativas ab actibus Fidei supernaturalibus productas, & relictas in animâ, esse simpliciter naturales, supernaturales tamen secundùm quid.

XI. *Ostenditur speciem hanc memorativam esse simpliciter naturalem.*

Ratio primæ partis est; cùm enim, quantumvis actus quispiam sit supernaturalis, debeatur nihilominus intellectui reflexa illius cognitio, seu recordatio, videntur species illius esse naturales, & non minùs connaturaliter debitæ intellectui, quàm actus ipse, per quem illius recordamur, cui enim debetur actus, debetur etiam principium illius productivum. Quod verò actus memorativus, seu recordatio actus Fidei debeatur connaturaliter homini, qui actum illum Fidei elicuit, & consequenter species recordationis illius productivæ, ex eo ulteriùs ostenditur; creatura quippe intellectualis, ex se & naturâ suâ intrinsecè postulat, ut habeat recordationem suorum actuum, & consequenter species hasce memorativas, ut hoc modo, dum operationes omnes suas habet perspectas, easque mente revolvit pro libito, rationem de iis reddere possit, séque ex hac cognitione actuum præteritorum, meliùs circa futuros, velut ex quadam ideâ & modulo gubernare. *Ratio posita ulteriùs declaratur à priori.*

XII. *Explicatur quo pacto hæ species memorativæ sint supernaturales secundùm quid.*

Secunda conclusionis pars, quòd nimirum hæ species memorativæ, esto in substantiâ naturales, sint nihilominus supernaturales secundùm quid, clarè ostenditur, non enim haberi possunt hæ species nisi aliquo supernaturali vel miraculo præsuppositio, sicque licèt in se sint naturales, quoad modum nihilominus sunt supernaturales Sicut recordatio, quam modo habent damnati de actibus supernaturalibus à se in viâ, dum in gratiâ essent elicitis, est quoad substantiam naturalis, ipsisque debita, supponit tamen operationes supernaturales, sicque secundùm quid, seu quoad modum est supernaturalis. Idem est de cognitione, quam Angeli habuerunt de vino per conversionem ex aquâ facto, de mortuis à Christo resuscitatis, & aliis hujusmodi operibus, naturæ vires excedentibus. *Exempla varia operationum secundùm quid supernaturalium*

XIII. *Species, objecta etiam supernaturalia actuũ Fidei repræsentantes sunt naturales.*

Idem quoad utramque partem dicendum existimo de speciebus objecta actuum Fidei repræsentantibus, esse scilicet eas naturales simpliciter, supernaturales secundùm quid. Primum constat, sicut enim, ut supra dixi, species ad primum supernaturalem actum Fidei, per quem objecta supernaturalia repræsentantur, sunt naturales, ita etiam sequentes species, & memorativæ erunt naturales, cùm æquè objecta illa, etiam supernaturalia repræsentare effectivè possint, ac primum actum Fidei supernaturalem efficiendo, eadem ab initio repræsentabant. Species etiam hæ naturales paulatim intenduntur, & objecta illa clariùs & clariùs repræsentant in suo genere, hoc est effectivè, clariores scilicet & clariores actus Fidei hæc objecta formaliter repræsentantes producendo; species namque impressa, ut in Philosophiâ declaratum est, non alio modo objectum repræsentat, quàm producendo expressam. Ex his ergo infertur ad objecta illa repræsentanda nil opus esse speciebus supernaturalibus. *Naturales hæ species paulatim intenduntur, & clariores Fidei actus producunt.*

DISPUTA-

DISPUTATIO DECIMAQUARTA.

De libertate actus Fidei. Vbi de piâ affectione.

NON inter infimas tractatus hujus controversias ponenda hæc de actus Fidei libertate difficultas, utpote quæ primos etiam Theologos in tam diversas traxit sententias. Libertas porro, de qua sermonem hic instituimus, non est libertas à coactione, seu vi extrinsecùs illatâ, sed perfectissima libertas indifferentiæ, ita nimirum, ut positis omnibus ad objectum aliquod ob divinam auctoritatem credendum in actu primo requisitis, homo adhuc plenè sui juris sit, & vel omnem circa rem propositam cohibere actum possit, vel etiam contrarium elicere. Hoc verò non ita intelligendum est, quasi intellectui ipsi hæc insita sit libertas & indifferentiâ, ut se ad utramque contradictionis partem inflectere, & in hunc vel illum actum pro libito prodire possit; hæc enim virtus, voluntatis propria est, quæ arbitra mentis, pro suâ tum in alias animi facultates, tum etiam intellectum potestate, eum ad hunc vel illum actum determinat, & ab omni etiam judicio exercendo interdum cohibet: imò ubi obscurè, ut in præsenti contingit, objectum proponitur, intellectum in obsequium Fidei captivat, & suo subdit imperio.

SECTIO PRIMA.

Sitne actus Fidei liber, & à motione voluntatis dependens.

I. *Actus Fidei à voluntate pendere potest mediatè & immediatè.*

ACTUS Fidei duobus modis à voluntate pendere potest, mediatè, & immediatè. Tunc dicitur mediatè pendere à voluntate, quando voluntas imperat intellectui ut mysterium, quod credendum proponitur, consideret, motiváque ad assensum illi præbendum conducentia, maturè ponderet. Immediatè verò tunc à voluntate pendet actus Fidei, quando jam proposito objecto, & perpensis motivis, imperat voluntas intellectui, ut actu credat, & articulo proposito assensum de facto præbeat. De hoc secundo modo concurrendi voluntatis procedit præsens quæstio; determinatio enim mediata actibus Fidei cum actibus aliarum scientiarum est communis, cum penes voluntatem sit, intellectum ad objecti etiam scientifici considerationem applicare, vel illius considerationem impedire

Sermo hic est de determinatione voluntatis immediatâ.

Primus itaque hac in re dicendi modus est Caietani 1. 2. quæst. 65. art. 4. qui tale voluntatis in intellectum imperium esse affirmat, ut etiam nullâ ratione vel motivo assentiendi proposito, illum ad assensum objecto illi præbendum cogere despoticè possit. Sed contra: objectum enim assensus seu judicii est verum, saltem apparens, sicut objectum prosecutionis in voluntate est bonum: unde sicut cogere se nequit voluntas ad amandum id, quod saltem non apparet bonum, ita nec cogere potest intellectum ad assentiendum illi, quod non apparet verum: alioqui judicare pro libito quis posset, homines in tali civitate, Constantinopoli ex. gratia esse pares, & statim relicto priori actu, judicare eos esse impares, cum ad utrumque assensum eliciendum par sit ratio, aut potiùs nulla Sic etiam persuadere quis sibi pro arbitrio posset Turcam esse mortuum, Antichristum natum, & sexcenta hujusmodi, quæ manifestè apparent quàm parum sint rectæ rationi consentanea. Tandem hæc sententia pugnat apertè cum doctrinâ Philosophi 2. de animâ, textu 157. dicentis, *posse nos phantasiari cùm volumus; opinari autem non ita.* Voluntatis ergo imperium in intellectum non est despoticum, ut in membra

II. *Nullâ præcedente ratione cogere nequit voluntas intellectum ad assentiendum objecto.*

Incommoda ex hujusmodi voluntatis in intellectum imperio.

Dictum quoddam Aristotelis.

Tom. II.

III. *Docent nonnulli positivum voluntatis imperium ad actum Fidei non requiri.*

membra externa, sed politicum, propositis scilicet rationibus illum rationali modo movendo.

Secunda sententia est Scoti, & aliorum, positivum scilicet voluntatis imperium, ad actum Fidei circa mysterium aliquod eliciendum non esse necessarium, sed si voluntas negativè se habeat, & non renitatur, posse intellectum mysterium propositum credere, nec quidquam ex parte voluntatis aliud requiri, quàm ut assensum non impediat. Sed contra: actus enim Fidei divinæ est vera obedientia; sic enim ait Apostolus ad Romanos 10. vers. 16. *Non omnes obediunt Evangelio.* Idem ad Romanos 1. vers. 6. sic habet: *Accepimus gratiam ad obediendum Fidei:* obedientia autem est actus voluntatis, & libera ac meritoria divinæ legis, seu præcepti Fidei adimpletio, & actus humanus; hic autem sine libero voluntatis consensu haberi non potest, ut Tomo præcedente, in tractatu de actibus humanis cum communi Doctorum sententiâ ostensum est.

Ostenditur ad Fidem non sufficere ut voluntas se habeat negativè.

IV. *Intellectus à motivis non necessitatur ad assensum Fidei.*

Hinc à fortiori sequitur, non posse subsistere eorum sententiam, qui docent, positâ applicatione mysterii & consideratione motivorum, intellectum summo impetu rapi ad credendum illud mysterium, non minùs quàm positis præmissis evidentibus rapitur ad assentiendum conclusioni scientificæ. Qui dicendi modus tribuitur Holcoth in 1. quæst. 1. & aliis: Idem, ut testatur P. Turrianus Disp. 29. dub. 1. docuit Complutensis quidam Theologus; qui proinde asserebat actum Fidei non immediatè, sed mediatè tantùm esse liberum, nempe prout est in potestate hominis se ad mysterii & motivorum consideratione applicare.

V. *Mysterio eodem modo à concionatore proposito quidam Fidem adhibent, quidam non adhibent.*

Hoc tamen, ut dixi, nullo modo subsistit: positâ enim frequenter multis simul eâdem applicatione mysterii, aliqui credunt, alii non, sed in suâ infidelitate culpabiliter persistunt. Sic cum S. Paulus, ut habetur Act. 17. in Areopago concionaretur Athenienſibus, S Dionysius & alii nonnulli dictis ab eo Fidem habuerunt, & ad religionem Christianam conversi sunt, aliis, qui eandem concionem audiverant, non conversis. Sic etiam Lucæ primo Zacharias Angelo nasciturum ipsi filium dicenti credere noluit, & propterea est punitus, ergo potuit credere, alioqui non fuisset ei data vitio incredulitas, ergo quando debitè alicui per motiva applicatur aliquod mysterium, non necessitatur ad credendum. Unde sacræ Scripturæ nos frequenter ad mysteriis debitè propositis assentiendum hortantur, & ab incredulitate absterrent, quorum tamen utrumque frustra fieret, si ubi res aliqua credenda ritè proponitur, non possit quis ei dissentire: sicut frustra quis aliquem hortaretur, ut assentiatur demonstrationi mathematicæ.

Frustra Scriptura ad credendum hortarentur, frustra deterrerent ab incredulitate.

VI. *Ad credendum objecto debitè proposito requiritur positiva inclinatio voluntatis.*

Vera itaque sententia docet, etiam proposito, & debitè per motiva applicato objecto, ut quis illud credat requiri positivam motionem voluntatis: ita S. Thomas hîc, quæst. 2. art. 9. ad 2. & 1. 2. quæst. 17. art. 6. quem sequuntur Thomistæ. S. Bonaventura in 3. distinct. 13. art. 9. quæst. 2. Richar. art. 6. quæst. 1. Suarez hîc, Disp. 6. Sect 6. Turrianus Disp. 29. dub. 1. Coninck Disp. 13. dub. 4. & Disp. 9. n. 73. & 74. & alii: quamvis illi, qui ex motivis credibilitatis aiunt evidenter convinci mysteria Fidei esse vera, dicere nequeant motionem voluntatis ad assentiendum mysteriis per Fidem, esse necessariam, cum jam aliunde juxta illos sit quis ad hunc assensum determinatus.

Quinam dicere nequeant, requiri ad Fidem, voluntatis impulsum.

Probatur ergo ex iis, quæ supra, n. 3. allata sunt, mihique ad hoc ostendendum videntur efficacissima. Deinde Marci ultimo, vers. 15. & 16. dicit Christus discipulis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur.* Et ibidem, vers. 14. Christus exprobrasse dicitur incredulitatem discipulorum: hæc verò manifestè arguunt ad actum credendi requiri libertatem, & consequenter volitionem, nec enim vel Fides laudem & præmium mereretur, vel incredulitas vituperium, nisi liberè exercerentur, essentque actus voluntarii, & morales.

VII. *Ostenditur motum voluntatis esse ad actum Fidei necessarium.*

Ad laudem requiritur actus moralis.

SECTIO SECUNDA.

Vlteriùs ostenditur ad actum Fidei requiri motionem voluntatis.

I. *Declaratur actum Fidei debere esse voluntarium & liberum.*

Quamvis ex iis, quæ Sectione præcedente dicta sunt, satis constet ad assensum mysterio per motiva credibilitatis applicato præbendum requiri inclinationem voluntatis, quia tamen multi non acquiescunt, res hæc, utpote non parvi momenti, aliis adhuc argumentis est firmanda, declarandumque quo pacto Fides, non quoad exercitium tantùm, sed etiam quoad specificationem sit libera.

II. Apostolus ad Rom. 10. Isaias c. 53.

Apostolus ergo ad Romanos 10 cum Isaiæ cap. 53. conqueritur; *Quis*, inquit, *credidit auditui nostro?* quod arguit actum credendi, libertati nostræ esse subjectum, & penes nos esse credere vel discredere, actum Fidei vel infidelitatis seu incredulitatis elicere, sicque libertatem nos hac in parte habere, non quoad exercitium tantùm, sed etiam quoad specificationem. Hinc ulteriùs idem Apostolus ad Romanos 10. v. 10. *Corde*, inquit, *creditur ad justitiam*, nomine autem *cordis*, ut ibidem notat S. Thomas, intelligitur voluntas. Ad quam rem insuper Actor. 8. v. 37. dixit Eunucho Philippus: *Si credis ex toto corde*, hoc est ex totâ voluntate, sicut de amore Dei passim dicitur, debere esse *ex toto corde*.

Actus Fidei est liber non quoad exercitium tantùm, sed etiam quoad specificationem.

III. *Docent Concilia Fidem esse debere liberam, adeoque includere voluntatem.*

Maximum etiam ad hoc asserendum sumitur fundamentum ex Conciliis. Inprimis itaque Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait: *Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credendo vera esse, quæ à Deo revelata sunt:* quibus verbis clarè docet homines ad assensum mysteriis Fidei præbendum determinari liberè per voluntatem. Hoc ipsum expressis verbis tradiderat antea Concilium Arausicanum secundum can. 5. ubi dicitur: *Initium Fidei esse ipsum credulitatis affectum: eumque ineſſe nobis per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad Fidem.* In Concilio etiam Toletano 4. cap. 55. *Sicut*, inquit, *homo propriâ arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur.* Quibus Conciliorum testimoniis optimè insistit P. Hurtado hîc, Disputat. 45.

Concilium Tridentinum, Arausicanum, & Toletanum.

IV. *Ratio à priori cur actus Fidei requirat motionem voluntatis.*

Ratio demum à priori hujus assertionis est; quia, ut in superioribus latè declaravimus, objectum formale Fidei est auctoritas divina obscurè proposita, experientiâ autem compertum est intellectum solâ evidentiâ cogi, seu necessitari ad assensum: ut ergo cogatur hîc & nunc, & captivetur in obsequium Fidei, intervenire debet voluntas, suóque imperio eum ad assentiendum compellere.

Intellectus non cogitur nisi ad evidentia objecti.

compellere. Quod verò dicunt nonnulli, ad hoc ut actus Fidei, circa mysterium per motiva credibilitatis propositum, liberè eliciatur sufficere, ut voluntas non renitatur, rejectum est Sectione præcedente, numero tertio.

V.

Sancti Patres ad actus Fidei requirunt motionem voluntatis.

S. Augustinus.

S. Ambrosius.

S. Irenæus.

S. Bernardus Origenes.

Hanc etiam veritatem apertissimè tradunt Sancti Patres: primò itaque S. Augustinus tract. 26. in Joannem: *Multa*, inquit, *potest facere homo non volens: credere autem non potest nisi volens.* Deinde de Prædestinatione Sanctorum cap. 5. sic habet: *Quisquis audet dicere, ex meipso habeo Fidem: non ergo accepi, profectò contradicit huic apertissimæ veritati: non quia credere, aut non credere, non est in arbitrio humanæ voluntatis, sed in electis præparatur voluntas à Domino*, &c Idem docet S. Irenæus lib. 4. cap. 62. *Non tantùm in operibus*, inquit, *sed etiam in Fide liberum, & suæ potestatis arbitrium hominum servavit Dominus*, &c. Hoc etiam docet S. Ambrosius, S. Bernardus, Origenes, & alii.

VI.

Objic. Sufficere quòd aliquod mysterium liberè primò applicetur.

Declaratur quo pacto ad Fidem non sufficiat, ut objectum liberè applicetur.

Sequeretur posse aliquem sine omni libertate & merito credere.

Objicies primò, non esse necessarium ut actus Fidei sit liber immediatè, sed sufficere quòd sit liber mediatè, seu quoad primam mysterii applicationem, ita nimirum ut voluntas intellectum liberè applicet ad objecti illius & motivorum considerationem, quamvis hac applicatione & consideratione positâ, actus credendi inde secutus sit necessarius. Sed contra: Scripturæ enim, ut Sectione præcedente vidimus, hortantur ad Fidem, seu ad assensum mysterio jam applicato præbendum, & dehortantur ab infidelitate, seu negatis objecto hoc modo proposito assensum denegat, quod tamen, uti diximus, frustra fieret, si, ubi mysterium semel est propositum, non sit in hominis potestate eidem non assentiri: sic namque non magis esset liber actus Fidei, quàm conclusio Mathematica, aut visio ocularis, hæ enim quoad primam applicationem sunt liberæ. Deinde contingere posset, ut quis casu & sine omni libertate & merito mysterium aliquod crederet, si nimirum aliquis illi nihil minùs antea cogitanti, imò invito articulum Fidei sub motivis proponeret, hic enim secundùm hos auctores in ipso assensu Fidei nullam exercet libertatem, nec meretur; sed neque applicat se liberè ad cogitandum de mysterio, cum ipsi inopinanti, imò invito, ut dixi, proponi possit, ergo nec ullam hic habet libertatem, nec meritum.

VII.

Objic. voluntatem nihil efficere posse in intellectu, in ordine ad actum credendi.

Objicies secundò: vel intellectus antecedenter ad motionem, seu imperium voluntatis habet motivum sufficiens ad credendum, vel non habet: si habet, frustra ergo requiritur determinatio voluntatis ad assensum Fidei, cum priùs elicere eum possit intellectus, quàm inclinatio illa, seu motus voluntatis existat. Si pro illo priori, intellectus sufficiens motivum ad credendum non habet, nequicquam accedit inclinatio voluntatis, cum novum lumen non adferat, intellectus autem nisi aucto lumine, majoréque apparente inter extrema connexione, elicere actum jam non potest, quem antea defectu motivi non poterat, cum voluntas motivum intellectus nequeat supplere.

VIII.

Inefficax quorundam hujus difficultatis solutio.

Nec satisfacit quod respondent aliqui, voluntatem suo imperio efficere, ut connexionem inter extrema apprehendat intellectus, quæ antea ad assensum Fidei sufficeisset, si fuisset hujuscemodi impulsus voluntatis. Hoc, inquam, non satisfacit; vel enim ante hunc motum voluntatis, intellectus apprehendebat connexionem extremorum, vel non, si primum, ergo secundùm adversarios intellectus antea assentiri mysterio proposito potuisset, imo necessariò assensus fuisset: si verò antea connexionem extremorum non apprehendebat intellectus, qua ratione efficere potest voluntas ut eam jam apprehendat, nec enim auget vim ejus & perspicaciam in intelligendo, nec novum proponit motivum, ergo efficere nequit, ut intellectus modò connexionem extremorum apprehendat

Intellectus imperio voluntatis non apprehendit de novo connexionem extremorum.

IX.

Duo motivorum genera in omni assensu Fidei intervenunt.

Ad solutionem itaque notandum, duo motivorum genera ad assensum Fidei, seu actum credendi esse necessaria, intrinseca sive terminativa, & extrinseca sive impulsiva: motiva intrinseca in actu Fidei sunt objectum ipsum, seu mysterium, quod credendum proponitur, & auctoritas divina, hæc enim duo intrinsecè ab omni assensu Fidei attinguntur; unde voluntas, horum motivorum defectum nullâ ratione supplere potest; nisi enim hæc adsint, actus Fidei divinæ elici omnino non potest.

X.

Quanam sint motiva extrinseca, seu impulsiva actus Fidei.

Motiva extrinseca, seu impulsiva, illa dicuntur, quæ intrinsecè actus Fidei non attingit, sed prævie tantùm ad eum eliciendum requiruntur, moventque voluntatem, ut illum imperet: hujusmodi sunt motiva credibilitatis, sanctitas nimirum doctrinæ, antiquitas, consensio populorum, Pontificum in Sede Petri ad hunc usque diem nunquam interrupta successio, miracula, & similia, de quibus fusè supra, Disp. septimâ.

XI.

Motivum intrinsecum assensus Fidei supplere nequit voluntas, potest extrinsecum.

Cur ante imperium voluntatis non credat intellectus.

Ad argumentum itaque num. 7. propositum dico, voluntatem supplere non posse motivum intellectus intrinsecum; hoc namque, ut numero nono ostendi, omnino necessarium est ad assensum Fidei, utpote ad quod actus credendi immediatè semper terminatur; supplere nihilominus potest motiva extrinseca, seu impulsiva, efficiendo nimirum ut veritati, seu connexioni extremorum, quam antè apprehendebat, credere tamen ob rei obscuritatem & sublimitatem non poterat, nunc præbeat assensum, quod est *captivare intellectum in obsequium Fidei.*

Hoc verò non ita est intelligendum, quasi intellectus rationes illas impulsivas, seu motiva non repræsentet, isthæc enim omnia proponit voluntati, hæc namque, cæca cùm sit, quicquid videt, per intellectum videt, & alienis oculis, non suis. Cum tamen prædicta motiva, ut supra Disputatione octavâ ostendi, non connectantur essentialiter cum mysteriis, seu articulis credendis, non determinatur per se intellectus ad rebus illis assentiendum, sed necessarius est impulsus, seu imperium voluntatis. Intellectus nihilominus per actum Fidei motiva hæc credibilitatis non attingit, hic siquidem assensus in rem, quæ proponitur, fertur merè propter auctoritatem divinam.

XII.

Intellectus rationes hasce impulsivas cognoscit, eas tamen non attingit per actum Fidei

XIII.

Hoc argumentum illos maximè urget, qui dicunt intellectum realiter distingui à voluntate.

In aliâ opinione non urget hac difficultas.

Addo denique, hanc difficultatem illos præcipuè urgere, qui intellectum statuunt realiter distinctum à voluntate, maximè si dicant, sicut multi dicunt, animam ipsam in actus intellectus & voluntatis immediatè non influere; in hac enim sententiâ perinde fermè est, ac si essent duo supposita realiter distincta. In sententiâ verò, quam Disp. 12. & 13. de Animâ defendi, intellectum scilicet & voluntatem nec à se invicem, nec ab animâ realiter distingui, & animam ad actus omnes immediatè per se concurrere, hoc argumentum omnino non urget, aliud siquidem non est, quàm quòd idem suppositum, melius jam penetratis motivis credibilitatis, imperet sibi ut actum Fidei eliciat.

In

Tom. II.

XIV. *Res tota declaratur exemplo à naturalibus desumpto.*

In aliâ tamen etiam sententiâ sustineri utcunque potest solutio data; sicut servus jubente Domino, interdum terram fodit, quamvis non ob eundem finem, quem habet dominus, sed quia persuasum habet, bonum hîc & nunc esse domino obedire. Sic cùm videat intellectus bonum & honestum esse in præsenti voluntatis imperio obtemperare, eâ impellente assensum Fidei circa objectum, quamvis obscurè propositum, elicit.

XV. *Solvitur alia objectio contendens assensum Fidei esse necessarium.*

Tandem, ut occurram objectioni, quæ à nonnullis hîc fieri solet ad probandum actum Fidei esse necessarium: dicunt namque, sicut qui Romam nunquam vidit, de illius tamen Urbis existentiâ dubitare non potest, utpote quam à tot fide dignis existere accipit, ita cum non à paucioribus, fidéque etiam dignioribus habeamus mysteria Fidei nostræ esse vera, non magis de iis, quàm de existentiâ Romæ dubitare possumus, sed necessariò rapimur ad assensum. Respondetur tamen, latam hîc esse disparitatem; tot enim támque graves difficultates ac dubia circa res Fidei occurrunt, ut homines ab iis credendis retardent, efficiantque, ut non solùm non necessitentur ad assensum, sed novo insuper determinativo, imperio scilicet voluntatis, ad hoc indigeant. At verò contra existentiam Romæ nulla occurrit difficultas. Sed hac de re fusè dictum est in superioribus.

Quare mysteria Fidei non necessitant ad assensum.

SECTIO TERTIA.

Inquiruntur varia circa voluntatem credendi, & piam affectionem.

I. *Non ad Fidem tantùm divinam, sed etiam ad humanam requiritur motio voluntatis.*

Quæres primò, Utrùm ad Fidem etiam humanam necessaria sit voluntatis determinatio? Negat P. Coninck Disp. 13. de Actib. dub. 4. num. 40. & 41. quamvis enim, inquit, media opinionis, vel Fidei etiam humanæ evidentiam in objecto non ostendant, nec illud clarè probent esse verum, probant tamen esse evidenter probabile. At sanè mira mihi videtur hæc doctrina; aliud namque est judicare objectum aliquod esse evidenter probabile, aliud objectum illud esse verum: primum quidem contingit quoties pro conclusione aliquâ afferuntur rationes evidentor probabiles, sed hic non est actus Fidei, nec enim recumbit hic actus in auctoritate dicentis, sed in evidentiâ probabilitatis objecti. Sic etiam motiva credibilitatis mysteriorum Fidei divinæ manifestè ostendunt mysteria illa esse evidenter credibilia, & hoc judicat quisquis objecta hoc modo sibi proposita considerat, non tamen propterea judicat mysteria illa esse vera, nec circa illa elicit actum Fidei divinæ, credendo scilicet propter auctoritatem divinam ea ita se à parte rei habere, sicut motiva suadent. Quemadmodum ergo ad Fidem divinam, ita etiam ad humanam hominis unius requiritur inclinatio voluntatis; quantumvis enim mihi constet hominem aliquem hoc vel illud dicere, potest nihilominus vel fallere, vel falli, sicque datur adhuc locus motioni voluntatis. Aliud esse videtur, cum plurimi sine contradictione in eodem conspirant, ut esse Romam.

Aliud est objectum aliquod esse evidenter probabile, seu credibile, aliud esse verum.

Cur ad Fidem humanam requiratur inclinatio voluntatis.

II. *An solùm ad primum actum Fidei circa aliquod objectum, sed ad omnes etiam sequentes circa illud requiratur motio, seu imperium voluntatis?* P. Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 7. num. 7. fine ait, quamvis ad primum illum actum Fidei requiratur pia affectio, seu imperium voluntatis, ubi tamen habitum quis actuum credendi objectum illud acquisivit, docet nullam amplius imperii voluntatis esse necessitatem, sed solùm ad applicandum intellectum ad cogitandum de articulis Fidei, hac verò applicatione positâ ait nos ex habitu operari, & sine novâ motione voluntatis actus Fidei circa objectum illud elicere.

Actum Fidei circa aliquod objectum necessarium sit imperium voluntatis.

III. *Tam ad actus Fidei sequentes, quàm ad primum requiritur determinatio voluntatis.*

Sed contra: Ratio siquidem, quare ad actum Fidei eliciendum requiritur imperium voluntatis, est obscuritas objecti, cum ergo, quantumcunque in variis quis se circa objectum illud credendi actibus exercuerit, eadem semper maneat in objecto obscuritas, manet semper necessitas extrinseci determinativi, & opus est inclinatione voluntatis. Deinde actus Fidei, etiam millies repetiti, semper sunt obscuri, ac proinde generare nequeunt habitum clarum, sed obscurum tantùm, & sui similem. Et idem est de speciebus ab actibus Fidei circa objecta illa relictis, non enim sunt actibus, à quibus relinquuntur, clariores. Non ad primum ergo actum tantummodo, sed ad omnes insequentes requiritur imperium voluntatis, sive hoc naturale sit, sive supernaturale, de quo postea.

Nec habitus, nec species sunt clariores actibus.

IV. *Ex magnâ postea credendi facilitate non arguitur minimè tùm intercedere imperium voluntatis.*

Verum est quidem, ubi quis actus varios Fidei circa objectum aliquod elicuit, minore eum postea difficultate rem illam credere; hoc tamen non arguit tunc non intercedere imperium voluntatis, sed solùm intercedere imperceptibiliter, ut in eo contingit, qui longâ consuetudine didicit artificiosè pulsare citharam, hic enim ubi artem perfectè callet, imperium illud internum, quo digitos summâ celeritate & facilitate movet, non sentit, cùm tamen juxta omnes illud semper dari sit certissimum. Provenit ergo hæc facilitas tum à voluntate, quæ diuturno hujuscemodi imperii actuum exercitio citiùs multo hos Fidei actus imperat: tum ab intellectu, qui longo usu intensiores jam species acquisivit, quæ simul cum inclinatione voluntatis, ad hos actus facilitant.

Unde procedat prædicta facilitas.

V. *Habitus conclusionis solus nunquam supplet locum præmissarum.*

Dices: Quotidianâ constat experientiâ, ubi quis conclusioni alicui assensum propter præmissas aliquoties præbuit, eum postea eidem conclusioni ex habitu à prioribus actibus producto, summâ cum facilitate sine præmissis assentiri, ergo & ex habitu elicere similiter circa prædictum objectum actus Fidei poterit absque imperio novo voluntatis. Respondetur, habitum conclusionis solum, nunquam supplere locum præmissarum, sed semper confusa saltem memoria præmissarum intervenit, quæ propter præmissas quarum facit nos recordari, movet ad assentiendum conclusioni, quamvis habitus ad facilitatem illam plurimùm conducat.

Intervenit semper confusa quædam memoria præmissarum.

SECTIO QUARTA.

Debeátne hic credulitatis affectus esse supernaturalis.

I. *Pia voluntatis affectio ad actum Fidei requisita, est supernaturalis.*

Quæres tertiò: Utrùm pia hæc voluntatis affectio esse debeat in substantiâ supernaturalis. Negat Scotus in tertio, Distinct. 25. quæst. 2. & alii nonnulli. Dicendum nihilominus cum communi sententiâ esse in substantiâ supernaturalem:

supernaturalem: ita Suarez Tomo primo in tertiâ parte, quæst. 7. art. 3. & lib. 2. de Gratiâ, cap. 5. ac denique hic, Disp. 6. Sect. 7. Hurtado hic, Disp. 46. Sect. 1. Coninck in præsenti, Disp. 13. dub. 5. Lugo hic, Disp 10. Sect. 3. Arriaga hic, Disp. 17. Sect. 4. num. 25. Torrez Disp. 46. Molina in Concordiâ q. 14. a. 13. Disp. 8. Granado tractatu 9. Disputat. 3. & alii passim.

II. *Supernaturalitas piæ affectionis ostenditur ex Conciliis.*

Præcipua secundùm omnes veritatis hujus probatio desumitur ex Conciliis; hæc enim ad assensum Fidei liberum & meritorium ultra gratiam legis & doctrinæ requirunt veram internam gratiam per Christum; hoc namque inprimis docet Concilium Arausicanum secundum can. 2. & 5, ubi, non augmentum tantùm, sed etiam initium Fidei, ipsúmque adeo credulitatis affectum asserit esse per donum gratiæ, id est, inquit, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad Fidem, & nobis naturaliter non inesse. Latéque idem prosequitur can. 6. & 7. Idem clarissimè docet Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6. his verbis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ à Deo revelata, & promissa sunt.*

Concilii Arausicani ac Tridentini definitiones de piâ affectione, seu initio Fidei.

Hoc insuper expressè tradunt Sancti Patres; S. Fulgentius, S. Prosper, S. Hilarius, & alii, qui ad voluntatem credendi peculiare gratiæ adjutorium requirunt, quod apertè indicat, existimasse ipsos, eam quoad substantiam esse supernaturalem. In quâ etiam sententiâ clarum est fuisse S. Augustinum, tum de spiritu & literâ cap. 33. & 34. tum de Prædestinatione Sanctorum capite sexto & octavo; ubi docet ad hunc effectum requiri *Inspirationem & infusionem Spiritus Sancti*, quæ voces denotant divinum aliquid, seu supernaturale. Et eodem modo loquuntur Concilia & Patres de hac voluntate credendi ac de actibus Spei & Charitatis, quos Theologi omnes docent esse in substantiâ supernaturales.

III. *Docent Patres voluntatem credendi esse supernaturalem.*

Inspiratio & infusio Spiritus S. arguit actū supernaturalem.

Hæc, ut dixi, est præcipua hujus veritatis probatio: ulteriùs tamen ostendi potest ex eo, quod Tomo præcedente, Disp. 126. Sect. 8. fusè declaravi, ad meritum scilicet necessarium esse actum supernaturalem, cum ergo hæc pia affectio, seu imperium voluntatis sit, ut vidimus, verum meritum, imo actus Fidei non nisi ratione hujus sit meritorius, cum à piâ hac affectione totam suam libertatem, ut jam ostensum est, hauriat, supernaturalis sit necesse est. Et sanè non video cur voluntas visitandi infirmos, dandi eleëmosynam, & hujusmodi sint supernaturales, & non volitio credendi Deo articulos Fidei revelanti, cùm hic actus multo iis difficilior sit, multóque nobilior, utpote qui circa longè nobilius objectum versatur.

IV. *Pia hæc affectio est meritoria, ac proinde esse debet supernaturalis.*

Sicut aliæ volitiones sunt supernaturales, ita & voluntas credendi.

Dices: Nihil in Conciliis & Patribus frequentius, quàm à Fide desumi initium salutis, eámque esse totius ædificii supernaturalis fundamentum, ergo ante Fidem nullus præcedere actus debet in substantiâ supernaturalis, ergo voluntas hæc credendi, cum Fidei actum antecedat, salvâ Conciliorum & Patrum auctoritate non potest esse supernaturalis. Huic objectioni fusè responsum est Disputatione præcedente, Sect. septimâ, numero quinto, & sequentibus, ubi diximus voluntatem credendi, seu piam affectionem, cum actum Fidei constituat in ratione liberi & meritorii, non censeri hac in parte actum ab actu Fidei, qualis ad justificationem requiritur, distinctum. Videantur dicta loco citato, & numero septimo.

V. *Supernaturalitas piæ affectionis non impedit quo minus à Fide sumatur initium salutis.*

Verum integrat actum meritorium cum actu Fidei.

Quamvis autem, ut sæpè diximus, sicut in aliis virtutibus dantur circa eorum objecta actus naturales, & supernaturales, ita etiam dari possint voluntates credendi, non supernaturales tantùm, sed etiam naturales, actus tamen naturales piæ affectionis ad proportionatè determinandum ad actum Fidei non sufficiunt, ut in simili ostendi Disputatione præcedente, Sectione septimâ, n. 2, nec opus est quidquam hac de re isthic adjicere. Addo solùm non esse probandum, quod docet P. Suarez, qui sicut, ut Sectione præcedente, numero secundo vidimus, affirmat piam affectionem ad primum tantùm actum Fidei requiri, non ad sequentes, ita in præsenti ad primum similiter Fidei actum necessariam esse ait voluntatem credendi supernaturalem, ad sequentes verò sufficere ait naturalem.

VI. *Cur actus naturalis piæ affectionis non sufficiat ad actum supernaturalem Fidei.*

Non ad primum tantùm actum Fidei, sed ad omnes etiam insequentes pia affectio debet esse supernaturalis.

Sed contra: Eadem siquidem est ratio de actibus Fidei sequentibus ac de primo, indeterminatio scilicet intellectus ad assentiendum rebus Fidei, & improportio actus naturalis ad determinandum ad actum supernaturalem. Deinde Concilia & Patres indiscriminatim loquuntur, dicuntque absque limitatione voluntatem credendi, seu credulitatis affectum esse ex peculiari gratiâ Dei, & infusione ac inspiratione Spiritus Sancti, ut supra vidimus numero secundo & tertio.

VII. *Eadem semper manens objecti tum materialis, tum formalis obscuritas requirit eandem determinationem.*

Dices: hæc determinatio provenit ab habitu infuso Fidei, qui est supernaturalis. Contra primò: Actus Fidei, non primus tantùm, sed etiam sequentes sunt liberi & meritorii, ergo eorum determinativum debet esse quid liberum, & operatio vitalis, habitus autem infusus Fidei est in operando necessarius, & qualitas mortua. Contra secundò: Puer in infantiâ baptizatus, infusum sibi tunc accipit habitum supernaturalem Fidei, ubi verò ad rationis usum pervenerit, eget nihilominus piâ affectione, seu imperio voluntatis supernaturali, ut actum Fidei supernaturalem eliciat, ergo habitus infusus Fidei ad hanc determinationem non sufficit.

VIII. *Non aliunde quàm à piâ affectione supernaturali provenire potest hæc determinatio ad actum Fidei.*

Dices secundò; per actus varios piæ affectionis in entitate supernaturales generari habitum supernaturalem piæ affectionis, & hunc immediatè ad assensum Fidei determinare. Contra: Passim namque negant Theologi dari hujusmodi habitus supernaturales acquisitos, & cum communi sententiâ eos negavi Disp. 31. de Animâ, Sect. 2. Contra secundò: Habitus isti supernaturales acquisiti, etsi darentur, non possent immediatè determinare ad assensum Fidei, habitus quippe acquisiti non determinant nisi producendo actus similes iis, à quibus sunt producti, ergo non per se immediatè, sed per actus piæ affectionis ad assensum Fidei determinant. Contra tertiò: Hi enim habitus supernaturales acquisiti, etiam juxta auctores, qui eos admittunt, non dant simpliciter posse, sed tantùm facilè. Maneat ergo, ad omnes omnino actus Fidei novam requiri determinationem, seu voluntatem supernaturalem credendi. Quod verò de actu Fidei circa res revelatas diximus, idem dicendum est de revelatione, ad hanc scilicet eodem modo, quo ad res revelatas requiri determinationem voluntatis.

IX. *Si darentur habitus acquisitus supernaturalis piæ affectionis, non determinaret immediatè ad actum Fidei.*

Habitus acquisiti, etiā supernaturales non dant posse simpliciter.

Tom. II.

SECTIO QUINTA.

Quibusdam discussis natura piæ affectionis ulteriùs declaratur.

I. *Cujusnam virtutis censetur pia affectio.*

QUÆRES quartò: Ad quam virtutem pertineat hæc pia affectio, seu voluntas credendi? Respondetur, quamvis ex variarum virtutum motivis elici possit, ut ex motivo obedientiæ, charitatis, &c. videri tamen propriam & peculiarem per se virtutem constituere, cujus motivum sit velle hominem credere ob honestatem, quæ peculiariter relucet in subjiciendo intellectum dictioni & auctoritati divinæ. Hæc autem virtus quamvis involvat generalem rationem obedientiæ actibus omnibus præceptis communem, singularem tamen in se continet honestatem ab aliis distinctam: ita Suarez hîc, Disputatione septimâ, sectione secundâ, & tertia parte, quæstione septimâ, articulo tertio; Coninck in præsenti, Disputatione decimâ-tertiâ, dub. 6. Molina in Concordiâ, quæst. 14. art. 13. dub. 8. Valentia verò piam affectionem reducit ad virtutem studiositatis: idem etiam facit Torrez, Salas, & alii: nonnulli eam statuunt sub virtute religionis. Sed verius videtur quod diximus.

Peculiarem per se constituit virtutem.

Ad quid nonnulli piam affectionem reducant.

II. *An pia affectio debeat esse actus usquequaque honestus.*

Quæres quintò: Utrùm hæc pia affectio debeat necessariò esse honesta: hoc est an licèt ex naturâ suâ & intrinsecè hic actus sit bonus & honestus, possit nihilominus ab actu aliquo malo imperari, & hoc modo reddi extrinsecè malus. Negant nonnulli posse piam affectionem vitiari, etiam ab extrinseco, cum sit actus supernaturalis. Dico tamen, quandoquidem ut Tomo præcedente, Disputatione nonagesima secunda, sectione quartâ ostendi, actus, non externus tantùm, sed etiam internus, & supernaturalis vitiari possit extrinsecè, per actum malum qui eum imperat; idem in præsenti dico de piâ affectione, eam scilicet quantumvis supernaturalem, posse hoc modo vitiari, ut siquis hunc affectum, aut etiam Fidem referat ad vanam gloriam, aut alium finem minùs honestum. Quoad prædicata tamen intrinseca hi actus integri semper manent, & usquequaque honesti.

Pia affectio, quamvis quoad intrinseca sit semper actus honestus, potest extrinsecè vitiari.

III. *Objic. Piam hanc affectionem non posse imperari ab actu naturali.*

Dices: Disputatione præcedente, sectione 7. numero 2. & sequentibus, & hac Disputatione, sectione 4. numero sexto asseruisse nos, ideo judicium practicum de credibilitate mysteriorum Fidei, & piam etiam affectionem debere esse in substantiâ actus supernaturales, quia actus omnis naturalis est improportionatus & insufficiens ad excitandum actum supernaturalem; cum ergo actus hic malus sit naturalis, non poterit excitare seu imperare piam hanc affectionem, quæ est in substantiâ supernaturalis, & consequenter hæc ab illo non potest vitiari. Hanc proinde sententiam tenet Suarez hic, Disputatione sextâ, sect. 7. num. 11. Idem docet Lugo Disputatione decimâ, sectione tertiâ, numero trigesimo octavo, & sequentibus, & alii.

Non appareret quomodo pia affectio possit vitiari.

IV. *Determinatio per se ad actum supernaturalem requisita debet esse supernaturalis, non quæ tantùm concurrit per accidens.*

Ad hoc tamen argumentum, quo præcipuè movetur Suarez, Respondeo cum Arriaga hic, Disputatione decima-septimâ, sectione 4. n. 41. quando dicitur imperium, seu determinationem ad actum supernaturalem debere esse supernaturalem, eique in entitate proportionatam, sermonem tantùm esse de determinatione, per se & connaturaliter ad actum supernaturalem requisitâ, non de determinatione quæ solùm concurrit per accidens; nil enim vetat quo minùs hæc sit actus in substantiâ naturalis. Ratio verò hujus est, nam ante hunc actum imperantem naturalem, & independenter ab eo voluntas habet omnia principia ad piam affectionem eliciendam necessaria: unde sine illo, imò sine omni actu naturali potuisset piam affectionem producere. Sicut, ergo sine hoc actu integrum est voluntati supernaturalem credendi volitionem pro libito elicere, ita & eum si libuerit assumere potest, & piam affectionem per illum elicere.

Sine actu malo imperante potuisset voluntas elicere piam affectionem.

V. *Simul cum piâ affectione bonâ dari potest volitio mala imperans actum Fidei.*

Hinc à fortiori sequitur, posse simul cum piâ affectione bonâ & honestâ, dari volitionem pravam imperantem actum Fidei, ob finem scilicet aliquem non bonum, puta vanam gloriam, quæstum, aut quid simile. In hoc autem casu, actus hic Fidei utrùm bonus sit simul & malus, an malus tantùm non perinde omnibus est exploratum. P. Arriaga hîc, Disputatione decima-septimâ, sectione quartâ, numero quadragesimo sexto, affirmat actum illum Fidei fore simul bonum & malum; sicut enim, inquit, à piâ affectione haurit bonitatem moralem, ita ab actu illo pravo desumit malitiam, sicque utramque in se tum boni tum mali rationem complectitur.

Sit ne actus ille Fidei bonus, an malus, an utrumque.

Hanc sententiam nunquam probandam existimavi: eam proinde latè impugnavi Tomo præcedente, Disputatione nonagesima primâ, sectione quartâ & quintâ. Quoad præsentem, ergo casum de hoc actu Fidei, dico, vel antecedentiam aliquam inter piam affectionem, & actum illum naturalem pravum intercedere, vel non, sed utrumque actum habere se concomitanter: si primum, actus ille qui alterum naturâ præcedit, dat actui Fidei denominationem boni vel mali, quia ille solus influit. Si verò habeant se concomitanter, uterque actus influit, & imperat assensum Fidei; hic tamen assensus non est simul bonus & malus, sed tantùm malus, tum quia *bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu*, tum ob alias causas loco proximè citato fusè declaratas, quæ hîc non sunt repetendæ.

VI. *Actus hic Fidei à piâ affectione & actu prævio imperatus, esset absolutè malus.*

Bonum ex integrâ causâ.

Quæres sextò: Quamvis de facto pia hæc affectio sit libera, utrùm saltem possit Deus necessitare voluntatem ad piam affectionem, & per eam ad assensum Fidei? Respondetur affirmativè: nec enim peculiaris apparet difficultas cur non æquè necessitare possit Deus ad actum piæ affectionis, ac ad alios actus bonos, saltem tollendo deliberationem, ut in subitis piis motibus contingit; in hoc autem casu excitare posset hæc pia affectio ad assensum Fidei, & hic esset necessarius, sicut actus voluntatis, à quo procedit.

VII. *Potest Deus necessitare ad piam affectionem, & per eam ad actum Fidei.*

Quæres septimò: Utrùm immediatè necessitare possit Deus intellectum ad actum Fidei sine ullâ piâ affectione prævîâ. Probabilius mihi videtur hoc fieri posse: ita Torrez hîc, Disputatione vigesimanonâ, sectione quarta, Coninck Disputatione decima-tertiâ numero 44. & alii, idque vel per concursum extrinsecum, per quem intellectum cogat ad actum Fidei eliciendum, vel per qualitatem intrinsecam infusam, quæ talis sit efficaciæ, ut intellectum per se & immediate determinare queat ad credendum, quemadmodum lumen gloriæ in patriâ deteterminat immediatè ad actum visionis beatificæ producendum, quamvis & visio per concursum etiam extrinsecum

VIII. *Necessitare immediatè potest Deus ad assensum Fidei sine ullâ omnino piâ affectione.*

extrinsecum produci possit, ut ostendi Tomo præcedente, dum de principiis visionis beatificæ.

IX. *Adjiciuntur nonnulla ad probandum omnem actũ Fidei ex piâ affectione liberâ ortum, esse meritorium.*

Diximus suprà actum omnem Fidei imperatum à piâ affectione supernaturali liberâ esse meritorium, & quidem de actu Fidei hominis in gratiâ existentis nulla est difficultas; est enim de condigno meritorius gratiæ & gloriæ, sicut alii actus boni supernaturales ab homine justo eliciti, de quibus fusè dictum est Tomo præcedente, Disputatione centesimâ vigesima-sextâ. Actus tamen Fidei, cum non sit formaliter liber, sed tantùm denominativè à piâ affectione, à qua procedit, sicut rationem liberi, ita & meritorii ab eadem desumit, habétque se hac in parte sicut actio exterior respectu interioris. Imo non assensus tantùm Fidei, utpote qui infallibilis semper est summéque certus, est hoc modo meritorius, sed actus etiam opinionis ex piâ affectione supernaturali procedens, rationem meritorii sortitur. Hujusmodi opinionis assensus est ille, quo existimamus Beatissimam Virginem fuisse sine labe peccati originalis conceptam, qui actus, cum pius sit, non est cur esse nequeat meritorius. *Assensus, non Fidei tantùm, sed opinionis potest esse meritorius.*

X. *Vtrùm primus actus Fidei disponens peccatorem ad justificationem sit meritorius.*

Major difficultas est de primo actu Fidei in peccatore, qui justificationem præcedit, sit necne meritorius. Ratio verò dubitandi oritur ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 8. sic loquitur: *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive Fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur*, &c. Hic tamen Concilii locus non negat actui Fidei meritum de congruo, sed solùm meritum simpliciter, seu de condigno; illud namque tantummodo meritum hic negat, quod impedit quo minùs aliquid detur gratis, hoc autem solùm præstat meritum de condigno, quod absolutè exigit præmium, ad quod obtinendum ponitur: meritum autem de congruo nihil exigit, sed Deus ex quadam congruitate & decentiâ aliquid illius intuitu donat, quod tamen si non donaret, nec huic merito vim, nec merenti injuriam inferret; quod, ut dixi, secus contingit in merito de condigno. Quando autem ager, qui valet mille florenis venditur centum, non censetur in hoc casu ager ille dari gratis, sed pro pretio condigno inadæquato, unde ex solâ multiplicatione similium partium fit pretium agri condignum adæquatum, quod in actu illo Fidei non contingit. Centum ergo illi floreni soluti, vel sunt pretium condignum adæquatum partis illius agri, vel partiale totius. *Quo pacto meritum de condigno differat à merito de congruo.* *Quid si ager valés mille, vendatur centum.*

Dico itaque actus Fidei supernaturales ab homine necdum justificato elicitos, quamvis non sint meritorii de condigno respectu justificationis, eam tamen mereri de congruo: ita sanctus Augustinus tum alibi, tum Epistolâ 105. ubi sic habet: *Remissio peccatorum non est sine aliquo merito, si Fides illam impetrat.* Libro etiam de Prædestinatione Sanctorum, cap. 1. *Quis*, inquit, *dicat, eum qui incepit credere, nihil mereri ab eo, in quem cepit credere?* Hanc etiam doctrinam apertè tradit S. Prosper libro primo de vocatione Gentium, capite vigesimo-sexto & alibi. Quare non rectè Valentia Disputatione octavâ, quæstione sextâ, puncto quarto, cum aliis quibusdam affirmat, nec Fidem, nec ullum omnino actum in peccatore mereri justificationem de congruo. XI. *Actus Fidei ab homine peccatore eliciti merentur de congruo gratiam justificationis.* *Malè aliqui negant dari meritum de congruo respectu justificationis.*



DISPUTATIO DECIMA-QUINTA.

De necessitate Fidei ad salutem.

FIDEI veritate, certitudine, supernaturalitate, aliisq; proprietatibus & excellentiis declaratis, nunc de ejusdem necessitate agendum, & quantopere præstans hoc Dei donum ad salutis, æternæq; vitæ adeptionem requiratur, explicandum. Æquum enim, rectæq; rationi consentaneum maximè videtur, ut qui per claram visionem Deo perpetuò sunt fruituri, summámque ex felicissimo illo conspectu jucunditatem voluptatémque in cœlo percepturi; æquum, inquam, est ut quemadmodum voluntatem hic laboriosis variarum virtutum actibus cum difficultate sæpè maximâ exercent, ita altis se ac sublimibus, quæ à Deo credenda proponuntur mysteriis submittant, quantumvis abditis & humanæ mentis captum excedentibus, & intellectum captivent in obsequium Fidei. Quod quo pacto contingat, in sequentibus declarabitur.

SECTIO PRIMA.

Sitne Fides supernaturalis, necessaria ad salutem.

I. *Duplex necessitas, Medii & Præcepti.*

Declaratur quid sit necessitas medii.

Quæ sint necessaria necessitate præcepti.

Differentia inter ea quæ necessaria sunt necessitate præcepti & medii.

NECESSITAS credendi est duplex, *Medii* & *Præcepti*. Necessarium necessitate *Medii* illud est, sine quo in re vel voto obtineri beatitudo juxta præsentem rerum statum omnino non potest, etsi eo quis sine culpâ careat, ex quocunque demum capite id contingat. Hoc modo baptismus parvulo secundùm legem Dei ordinariam est necessarius, utpote sine quo, nisi Martyrio coronetur, ad cœlestem gloriam pertingere nequit, quamvis nullius culpâ accidat, ut ei non administretur. Necessarium necessitate *Præcepti* illud dicitur, quod ex lege aliquâ vel mandato est sub gravi peccato faciendum. In hoc tamen à necessitate medii differt hæc necessitas, quod etiam in hoc rerum ordine, & secundùm legem Dei ordinariam, sine rebus illis, quæ ex divino præcepto facienda præscribuntur, salvari quis possit, si citra culpam ea omittat, nempe quòd vel non ei suppetat facultas illa præstandi, vel invincibiliter ignoret præceptum: quod secus contingit in iis, quæ necessaria sunt necessitate medii, infans etenim, quamvis penitusignoret baptismi susceptionem sibi esse ad salutem necessariam, si tamen illum de facto non suscipiat, cœlestem beatitudinem, extra casum Martyrii, ut diximus, nunquam consequetur.

II. *Quædam utrâque necessitate requiruntur, & medii & præcepti.*

Quædam verò necessaria sunt solâ necessitate præcepti, ut actus eleëmosynæ in casu extremæ necessitatis: quædam solâ necessitate medii, ut gratia habitualis omnibus, & adultis insuper gratia præveniens: quædam denique utrâque necessitate sunt necessaria, & medii scilicet & præcepti, ut in adultis, qui in peccatum aliquod grave sunt prolapsi, est pœnitentia vel formalis vel virtualis. Primò de necessitate *Medii* agemus, deinde de necessitate *Præcepti*.

III. *Sitne Fides aliqua actualis supernaturalis adultis medium necessarium ad salutem.*

Quærimus ergo in præsenti, utrùm Fides aliqua supernaturalis actualis sit necessaria adultis necessitate *Medii* ad æternam beatitudinem consequendam. Ut omittam Pelagium, qui omnem gratiæ supernaturalis necessitatem negabat, Catholici quidam hanc Fidei, imò cognitionis omnis supernaturalis necessitatem in aliquo casu negabant, & per solam cognitionem naturalem Dei, & boni honesti aiebant posse homines consequi salutem. Hanc sententiam tenet Vega lib. 6. in Trident. cap. 20. & 21. Idem de Gentibus ante Christi adventum sensisse videtur S. Clemens Alexandrinus libro 6. stromatum. Eandem doctrinam insinuare videtur Justinus Martyr Apologiâ 2. pro Christianis, & S. Chrysostomus Homilia 37. in Matthæum. Hanc similiter opinionem S. Thomas ad Romanos secundo refert, eámque non rejicit.

Fidem supernaturalem dicebât aliqui non esse necessariam.

IV. *Fides actualis supernaturalis est adultis medium ad salutem necessarium.*

Dicendum nihilominus cum communi Theologorum sententiâ, adulto non justificato Fidem aliquam supernaturalem actualem ita necessitate medii esse necessariam, ut sine eâ justificari, & salutem consequi nequeat, licèt invincibiliter hanc

hanc Fidei necessitatem ignoret, & inculpabiliter illâ careat: nec minùs huic adulto ad beatitudinem actualis Fides est necessaria, quàm parvulo baptismus juxta dicta numero primo: ita S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 3. & Scholastici omnes cum Magistro in 3. Dist. 23. qui actum Fidei ad salutem ita requirunt, ut nullum omnino adultum in ullo tempore, vel loco justificari sine illâ potuisse affirment: imò hanc doctrinam ita certam esse nonnulli autumant, ut sine errore in Fide negari non posse asserant. Quare Sotus, qui priorem sententiam aliquando docuerat, illam in posteriori editione revocavit.

Existimant nonnulli hanc Fidei necessitatem sine errore in Fide negari non posse.

V. *Asserunt frequenter divina literæ Fidem esse ad salutem simpliciter necessariam.*

Præcipua hujus veritatis probatio desumitur ex divinis literis, ubi toties, tamque apertè traditur, ut mirum sit quemquam de eâ dubitare posse. S. Paulus ergo ad Hebræos c. 11. vers. 6. *Sine Fide*, inquit, *impossibile est placere Deo.* Hic etiam est scopus, quem totâ Epistolâ ad Romanos præfixum sibi habuit Apostolus, ut nimirum ostenderet nullam vel naturalis vel scriptæ legis justitiam absque justitiâ Fidei ad salutem sufficere: quod probat exemplo Abrahæ, de quo cap. 4. v. 3. dicit, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Hinc Idem S. Paulus ad Hebræos c. 11. v. 5. cum in sacrâ Scripturâ dicatur Henoch placuisse Deo, infert eum habuisse Fidem. Unde ad Ephesios c. 2. v. 8. sic scribit: *Gratiâ estis salvati per Fidem.* Hoc idem ex variis præterea Scripturæ locis, utpote quod in eâ frequentissimè continetur, ostendi potest: sed hæc ad institutum nostrum sufficiunt.

VI. *Ex Concilio Tridentino & Patribus ostenditur Fidem esse medium ad salutem.*

Hanc etiam assertionem, Fidem scilicet absolutè necessariam esse ad salutem, apertissimè tradit Concilium Trident. Sess. 6. cap. 8. ubi Fidem ait esse humanæ salutis initium, & fundamentum, ac radicem omnis justificationis, *sine quâ impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Idem etiam passim docent Sancti Patres: S. Ambrosius primæ ad Timotheum c. 2. *Fides*, inquit, *est quæ dat salutem.* Sanctus etiam Chrysostomus Homil. de Fide & ejus naturâ sic loquitur: *Nullus sine Fide vitam habuit.* Idem asserit S. Hieronymus, S. Augustinus, & alii, ita ut meritò hæc dici possit communis Patrum sententia, de quorum mente plura num. 8.

VII. *Ratio à priori cur Fides sit medium necessarium ad consequendam salutem.*

Ratio denique est, quia, ut adulti justificentur, elicere debent actus supernaturales voluntatis, hi autem sine cognitione supernaturali elici nullâ ratione possunt, in hoc autem rerum statu nulla datur cognitio supernaturalis præter Fidem, quamvis per divinam potentiam dari possit. Imò eousque processit Sanctus Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 19. ut ipsos etiam infantes per actualem Fidem salvari asseruerit, non quidem per Fidem actualem parvulorum, cum actuum Fidei capaces non sint, sed per actualem Fidem parentum, vel eorum à quibus Deo offeruntur. S. Augustinum hac in re sequitur S. Bernardus epistolâ 77. Hoc tamen non videtur posse in rigore intelligi; quantumvis enim ipsorum parentes, & ii à quibus baptizantur sint hæretici, parvuli tamen ritè baptizantur, & si statim postea ex hac vitâ decedant, salvantur. Intelligi ergo debent S. Augustinus & S. Bernardus de Fide Ecclesiæ, per quam iis baptismus applicatur remotè, quamvis qui illum applicant immediatè, sæpè verâ Fide, ut dictum est, sint destituti.

Quid de Fide parvulis ad salutem necessariâ senserint S. Augustinus & Bernardus.

XIII. Fides ergo actualis in proprio subjecto adultis est ad salutem necessaria, utpote justificationis initium, & sine quâ gratiam nullus aut gloriam consequi potest. Hoc præter Patres numero sexto allatos docet S. Fulgentius libro de Fide ad Petrum his verbis: *Sine Fide nulla potest prodesse, imo neque esse conversio:* & postea: *Sine hac Fide nemo ad filiorum numerum potest pertinere.* Item S. Leo serm. 4. de Nativitate expresè asserit nihil sine Fide sanctum esse posse. Hoc ipsum sæpiùs testatur S. Augustinus, ut Libro de sermone Domini in Monte, cap. 9. ubi sic loquitur: *Ubi vera Fides non est, nec potest vera esse justitia.* Aliis etiam locis hoc ipsum frequenter repetit.

Adduntur quædam Patrum testimonia ad probandam necessitatem Fidei actualis in adultis

Hoc sensu intelliguntur verba illa Christi, Marci ultimo, vers. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur:* ubi, ut notat S. Bernardus epist. 77. de solâ Fide hoc loco dicit Christus, *Qui non crediderit, condemnabitur:* quibus verbis hanc, Fidem inter & baptismum facere videtur differentiam, quòd baptismus non in re semper sit necessarius, sed vel in re vel voto; at de Fide loquens absolutè dicit damnatum iri adultos illos, qui non credunt, seu Fide destituti sunt. Quod si quis in infantiâ baptizatus, ubi ad rationis usum pervenerit, aliquanto tempore sine peccato mortali vivat, & hoc modo moriatur, is, quamvis nullum actum Fidei eliciat, nihilominus consequetur beatitudinem: hic verò, non tanquam adultus salvatur, seu per medium adultis ad salutis adeptionem ordinatum, sed tanquam infans, sicut adhuc moraliter est, & per baptismum, qui est medium seu remedium parvulis ad salvationem institutum.

IX. *De particulari quodam casu circa Fidem actualem.*

Quid de baptizato in infantiâ, & aliquo tempore post rationis usum vivente, sentiendum.

SECTIO SECUNDA.

Quorumnam mysteriorum Fides sit ad salutem necessaria?

I. *Fides ad salutem consequendam alio modo necessaria est, quàm baptismus.*

Fides ergo adultis ad gratiam justificationis, & æternam salutem consequendam est medium necessarium: & quamvis baptismus, etiamsi sit medium similiter necessarium, requiratur tamen solùm vel re, vel voto, Fides nihilominus non sufficit in voto, sed in re debet existere. Disparitas verò inter Fidem & baptismum est, baptismus siquidem suppleri in adultis potest, & haberi in voto per actum contritionis, vel amoris Dei super omnia; hi enim actus secundùm omnes sufficiunt ad gratiam, & salutem consequendam, Fides verò, cum, ut sæpiùs dictum est, sit fundamentum totius ædificii supernaturalis, haberi nequit in ullo actu ad justificationem sufficiente, qui Fidem antecedat, imò actus Fidei in præsenti rerum statu est ad omnem actum contritionis & amoris Dei super omnia supernaturalem necessarius; quamvis enim cognitione naturali sciri divina bonitas possit, & gravitas peccati mortalis contra Deum commissi, nec tamen vel amari illa potest, vel hoc detestari *sicut oportet* sine actu supernaturali Fidei.

Cur requiratur Fides in re, & dari nequeat in voto.

II. *Tria quoad Fidei articulos distinguenda sunt tempora.*

Ad clariùs hac in re procedendum tria distinguenda sunt tempora: Primum in lege naturæ, seu ab initio mundi usque ab Moysen: Secundum in lege scriptâ, seu à Moyse usque ad Christum: Tertium in lege gratiæ, seu à Christo usque ad hodiernum diem, & usque ad finem mundi durabit, nec enim de omnibus his temporibus quoad Fidei articulos eodem modo est procedendum.

Tom. II.

Pessimè nonnulli quosdam ex antiquis Gentilibus in cœlo constituunt.

cedendum. Suppono autem ex Sectione præcedente supernaturalem aliquem actum Fidei esse & semper fuisse adulto ad salutem necessarium, modo ibi explicato. Perperam ergo Erasmus In Comment. Tusc. Quæstionum *Ciceronem*: Zuinglius etiam *Herculem*, *Socratem*, *Aristidem*, *Theseum*, *Camillum*, *Catones*, & alios ex antiquis illis Gentilibus quamquam fide divinâ destitutos, cælesti frui beatitudine asserunt. Quod eorum pronunciatum Canus *erroneum & fortè hæreticum*, Valentia *ab omnibus jam ut erroneum rejici*, Bannez *aut esse hæresim, aut hæresi proximum* jure meritissimo affirmant.

III.

Rectè dividitur Fides in explicitam, & implicitam.

Notandum insuper Fidem, aliam esse *explicitam*, aliam *implicitam*. Quam Fidei divisionem licèt Calvinus improbet, & imperitè in eam invehatur, desumitur tamen ex S. Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 14. & S. Gregorio lib. 2. Moralium, cap. 25. eámque cum Magistro in 3. Dist. 25. tradunt communiter Theologi. Fides *explicita* illa est, qua veritatem aliquam distinctè & in particulari credimus, ut *Verbum esse Incarnatum* &c. Fides verò *implicita* illa dicitur, qua non distinctè & in particulari, sed in confuso tantùm & in communi aliquid credimus, quatenus nimirum in aliquâ veritate creditâ continetur implicitè: sic qui credit Deum esse creatorem Universi, credit eum esse creatorem Lydiæ, Cappadociæ, Mesopotamiæ &c. quamvis de his regionibus expressè tunc non cogitet, imo de iis fortè nunquam audiverit. Sic qui hujusmodi actum Fidei elicit, *credo Verbum esse Incarnatum, & quicquid insuper Deus revelavit*: hic explicitè credit Incarnationem, reliqua implicitè, quamvis plurima in divinis literis continentur, quorum is, præsertim si rudis sit, penitus est ignarus.

Differentia inter hos duos actus Fidei.

Idem actus potest esse Fides explicita & implicita.

IV.

Fides explicita de existentia Dei in omni statu ac tempore fuit necessitate medii ad salutem consequendam necessaria.

Prima Conclusio: Existentia Dei omni tempore & statu fuit Fide explicitâ credenda, ita ut quisquis in peccatum grave lapsus fuisset, nec gratiam & justificationem in hac vitâ, nec gloriam in futurâ sine eâ consequi potuisset: ac proinde necessarius semper fuit hic actus Fidei necessitate medii. Hæc est communis Doctorum sententia, quam proinde tenet Suarez hîc, Disput. 12 Sect. 3. num. 2. Valentia hîc. q. 2. punct. 3. Tannerus Disp. 1. quæst. 7. dub. 2 qui etiam sententiam Vegæ Sect. præcedente, n. 3. relatam, qui contrarium docebat, ait esse erroneam. Ratio est: nisi enim quis Deum Fide supernaturali credat, nec eum super omnia *ut oportet* amare potest, nec de peccatis dolere, & sperare veniam.

V.

Objic. Sequi paucos veram Dei Fidem, habere, & ad salutem necessariam.

Dices, hinc sequitur plurimos, etiam inter Orthodoxos esse, qui veram Dei Fidem, & ad salutem necessariam non habent; quotus enim quisque est, qui ita omnia Dei prædicata explorata habet, ut eorum aliquod ipsum non lateat; hic ergo veram de Dei existentiâ Fidem habere nequit, cum unum aliquod, imo plurima fortasse Dei prædicata ignoret, ergo non habet veram Fidem circa Deum, ejúsque existentiam, cùm Deum non cognoscat, *Quæ enim simplicia, seu indivisibilia sunt*, inquit Aristoteles 9. Metaphys. *vel tota cognoscuntur, vel omninò ignorantur.* Hinc S. Hilarius Psal. 1. infideles, cum varia Dei attributa ignorent, ait *fingere Deum, qui non est.* Sanctus Thomas etiam secunda secundæ, quæstione secundâ, articulo secundo ad tertium, asserit Philosophos verum Deum non cognovisse, quia sub illis cum rationibus non noverant, quas de eo Fides tradit.

Res simplices vel tota sciuntur, vel omnino ignorantur.

Sed contra: Indubitatum enim apud omnes est, Judæos olim habuisse veram Fidem, paucissimis tamen eorum notum erat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, ergo ignorantia unius aut alterius ex Attributis, vel prædicatis seu perfectionibus divinis non obstat quo minùs habere quis possit veram cognitionem & Fidem de aliis. Sic etiam hodie de variis Dei prædicatis gravis est inter Theologos controversia, asserentibus aliis ea in Deo reperiri, aliis negantibus. Volunt exempli gratia aliqui dari in Deo subsistentiam absolutam, relationem transcendentalem ad creaturas, actum primum intelligendi & volendi, & alia hujusmodi, quæ nihilominus alii nullo modo in Deo admittenda existimant, ergo vel unius sententiæ vel alterius auctores Deum omnino ignorant, & verâ Fide sunt destituti, quod non existimo quemquam dicturum.

VI.

Unum Dei Attributum ignoratum non obstat veræ Fidei circa alia.

Quid de oppositis Theologorum circa attributa Dei sententiis censendum.

VII.

Deus realiter simplicissimus varios in se continet conceptus ratione nostrâ distinctos.

Respondetur itaque, licèt Deus sit realiter simplicissimus, varios tamen eum in se conceptus virtualiter, & ratione nostrâ distinctos complecti, ut esse ens infinitum, omnipotens, unum &c. quæ si sciat, quantumvis alia nonnulla Dei prædicata invincibiliter ignoret, dici nihilominus potest nosse Deum. Dixi *invincibiliter*, si enim ignorantia hæc, vel etiam error sit vincibilis, seu culpabilis, jam procedit quodammodo ex hæresi, & quadam specie infidelitatis; unde quamvis cum ejusmodi errore stare in personâ illâ possit verus actus scientiæ, aut etiam Fides humana vera de aliis Dei prædicatis, non tamen Fides infusa, hæc enim per talem actum infidelitatis destruitur, si antè fuisset habita, & impeditur habenda.

Hæc ignorantia vel error debet esse inculpabilis.

VIII.

Non obstat Fidei de Deo, quod Deus cognoscatur evidenter.

Nec urget quod contra hoc objicit Cajetanus, multos scilicet non posse habere Fidem de existentiâ Dei, cum habeant de illâ evidentiam, Fides autem & scientia, seu actus clarus & obscurus de eodem objecto stare simul in eodem intellectu non possunt. Hoc, inquam, non urget, Disp. enim 50. Logicæ, Sectione secundâ, & sequentibus ostendi non in eodem tantùm intellectu dari posse scientiam & Fidem de aliquo objecto, sed eundem etiam actum utramque illam rationem in se complecti posse, quo admisso cessat difficultas.

Stare simul possunt Fides & scientia.

SECTIO TERTIA.

Quid de necessitate Fidei circa alios articulos & mysteria existimandum.

I.

Ante adventum Christi Fides explicita perfecta de eo non erat necessaria.

Secunda Conclusio: Fides explicita de Christo, qua scilicet cognosceretur ut verus Deus & homo, & per passionem ac mortem homines redempturus, non erat ante Christi adventum medium necessarium ad salutem. Hæc est communis Theologorum sententia: eam tenet Magister in tertio, Distinctione 25. S. Thomas secunda secundæ, quæstione secunda, articulo septimo, Halensis tertia parte, quæstione 69. vel 82. membro tertio, articulo 2. ad tertium, Cano, Vega, & alii passim: & hoc fortè modo intelligi possunt S. Clemens Alexandrinus, Justinus Martyr, & S. Chrysostomus suprà, Sect. 1. num. 3. citati, & alii quidam, dum tempore legis naturæ vix videbantur requirere Fidem ad justitiam.

Ratio

II. *Ratio S. Bernardi cur Fides explicita Christi non fuerit ante ejus adventum necessaria ad salutem.*

Ratio hujus optima est, quam tradit S. Bernardus epist. 77. Medium siquidem omnibus necessarium ad salutem, publicè prædicari deberet, & omnibus clarè innotescere; at verò non solùm in lege naturæ, sed nec in lege scriptâ Christus clarè prædicabatur, sed obscurissimo tantùm modo, sub umbris scilicet & figuris *Petræ, serpentis ænei, Agni Paschalis*, &c. ex quibus non nisi paucissimi, iisque ex speciali privilegio, peculiarique immisso lumine Christum ut Deum & hominem, & mundi à peccatis liberatorem ac Redemptorem cognoverunt, cùm tamen, ut dixi, si tunc fuisset medium ad salutem necessarium, res hæc omnibus debuisset esse manifesta.

Christus ante ejus adventum non nisi obscurissimè cognoscebatur.

III. *Tempore legis naturæ & scriptæ non erat necessaria ad salutem cognitio Christi nisi valde implicita.*

Tertia Conclusio: Verius etiam videtur, non aliam tempore legis naturæ & scriptæ Christi cognitionem fuisse necessitate medii requisitam, quàm valdè implicitam, talem nimirum, ut Deus crederetur habere providentiam circa humanum genus, hominesque per media aliqua sibi cognita misericorditer liberaturum, inter quæ media generatim sumpta Christus, ejusque redemptio continebatur, quamvis neque hoc, neque ullum aliud medium in particulari ab iis cognosceretur: ita S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. ad tertium, Salmeron tomo 12. Disp. 31. in Acta, Valentia hîc, Disp. 1. quæst. 2. puncto 4. §. *Nunc vero*: Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 2. numero septimo: Suarez hic, Disp. 12. Sectione tertiâ, numero 17. & alii passim contra Lorcam hîc, Disp. 31. num. 4. & Coninck Disp. 14. dub. 9. num. 142. qui dicebant, omni omnino tempore necessarium necessitate medii fuisse ut quivis explicitè cognoscetet venturum aliquem Redemptorem, etsi quis in particulari futurus esset, & in quibus circumstantiis venturus, homines ignorarent.

Peculiaris quorundam hac de re sententia.

IV. *Nec etiam Judæi necessarium fuit credere venturum esse Salvatorem animarum, sed tantùm corporum.*

Dices: Nihil in antiquo testamento frequentius, quàm venturum fuisse Messiam, ergo in lege saltem scriptâ omnibus necessarium fuit credere venturum esse aliquem Redemptorem, idque non confusâ illa & generali ratione, sed omnino explicitè. Respondetur primò, esto concedatur omnes in lege scriptâ credere debuisse venturum esse Messiam, hæc tamen Fides non fuit ipsis necessaria necessitate medii, sed tantùm præcepti. Unde non videtur dubium, quin si rudis aliquis & ignarus in illo populo nihil unquam de Messiâ audivisset, potuisset nihilominus eum per Fidem Dei remuneratoris, ejusque dilectionem salvari. Secundò dico Judæos passim Messiam expectasse, eumque venturum credidisse, non ut animarum, sed corporum, ut ita dicam, Redemptorem; existimabant quippe plerique illum instar Regis temporalis futurum, eosque vi & armis ab hostibus, qui ipsos identidem impetebant, mirisque vexabant modis, & captivos interdum in alias regiones ducebant, liberaturum.

Quem conceptum passim de Messia formabat populus Israëliticus.

V. *Quanam annus aliquot post Christi mortem necessaria ad salutem fuit Fides Christi,*

Quarta conclusio: Ante sufficientem prædicationem Evangelii, hoc est usque ad annum plus minùs quadragesimum post mortem Christi; (tunc enim solùm promulgata sufficienter seu consummatè censebatur lex nova) clarior & explicatior Christi Fides non requirebatur, quàm in iis ante fuit, quibus Christus non erat sufficienter prædicatus seu propositus; ac proinde adhuc sufficiebat Fides Christi implicita. Hoc apertè ostenditur Actorum decimo in Cornelio centurione, qui ibidem dicitur religiosus ac timens Deum, ejusque orationes & eleemosynas dixit Angelus ascendisse *in memoriam in conspectu Dei*, seu illi placuisse, qui proinde tunc fuit justus & fidelis, cum sine Fide impossibile sit placere Deo; hic nihilominus, antequam ad eum veniret S. Petrus, explicitam Christi Fidem non habebat, ad hunc enim finem ad eum missus est Apostolus, ut scilicet Christum ei annuntiaret; ergo illo tempore poterant homines esse justi & consequenter fideles sine explicitâ Fide Christi, si invincibiliter seu inculpabiliter eum ignorarent; cum enim lex Evangelica omnes tunc non obligaret, media quæ jam ad salutem in lege novâ obtinendam peculiariter requiruntur habendi, nondum singulis incumbebat necessitas, sicque media, quæ antea erant sufficientia, adhuc sufficiebant. Quod verò de Cornelio diximus, expresè docet S. Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 4. argum. *Sed contra*: & tertia parte, quæst. 69. art. 4. ad secundum: idemque affirmat S. Augustinus de Prædest. Sanctorum, capite 7. Sanctus Chrysostomus, & S. Gregorius.

Cornelius centurio justus & fidelis fuit sine explicitâ Fide Christi.

Media instituta ad salutem obtinendam sub lege Evangelicâ, non statim obligabant omnes.

SECTIO QUARTA.

An post promulgatum sufficienter Evangelium explicita Fides Christi sit necessaria ad salutem.

QUINTA Conclusio: quamvis salvari quis modò possit sine Fide explicitâ Christi in re obtentâ, semper tamen post promulgationem Evangelii, & Christi per Apostolos prædicationem, Fides explicita Christi fuit per se loquendo ad salutem necessaria: ita S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. ad tertium, ubi asserit puerum, si statim postquam pervenit ad usum rationis se convertat ad Deum, recepturum justificationem. Eandem sententiam de Fide Christi tenet Vega in Trid. lib. 6. cap. 19. Suarez hîc, Disp. 12. Sect. 4. n. 11. Torrez Disp. 27. dub. 4. Arriaga hîc, Disp. 12. Sect. 2 num. 7. & alii: quod etiam ex parte docet Coninck hîc, Disp. 14. num. 163.

I. *Explicita Fides Christi est per se loquendo necessaria ad salutem.*

Contrarium nihilominus tenet Valentia q. 2. p. 4. assertione tertiâ, Lorca Disp. 22. Sanchez libro secundo Summæ, cap. 2. qui dicunt post promulgatum sufficienter Evangelium ita necessitate medii, in re necessariam esse Fidem explicitam Christi, ut scilicet expresè credatur illum *Deum esse & hominem, natum, mortuum, & resuscitatum*, ut quantumvis invincibiliter hæc & inculpabiliter ignoret, salutem consequi non possit.

II. *Qualis explicita Fides Christi à nonnullis requiratur ut medium ad salutem necessarium.*

Nostra tamen assertio quoad primam partem probatur; jam enim potest quis habere supernaturalem, & explicitam Fidem Dei absque eo quod habeat explicitam Fidem Christi, sicut habuerunt in lege naturæ & scriptâ, alioqui pejori loco nunc essent homines, quàm ante Christi adventum, cum tamen secundùm omnes via ad salutem modò longè facilior sit, quàm vel in lege naturæ fuit, vel etiam sub veteri testamento. Jam verò, ex hac Fide supernaturali explicitâ Dei potest homo ille se ad Deum convertere, eumque actu amoris supernaturali diligere, quod si præstet, certissimè justificabitur, cum actum charitatis, seu amoris Dei super omnia supernaturalem, semper sequatur justificatio.

III. *Ostenditur, hoc etiam tempore Fidem Christi explicitam non esse in re medium necessarium ad salutem.*

Quòd autem contingere possit, ut quis explicitam Fidem Dei habeat sine explicitâ Fide Christi, ostenditur communi illo exemplo à Theologis passim usurpato, de puero in sylvis enutrito,

IV. *Declaratur quo pacto habere quis possit expli-*

Tom. II.

is namque si, ubi primùm ad rationis usum pervenerit, faciat quod in se est, lumen sibi cælitus immissum recipiet, per quod etsi nihil adhuc de Christo audiverit, pervenire nihilominus poterit ad Fidem Dei, & per illam se ad eum convertere per actum amoris, & hoc pacto justificari, ut ostensum est numero præcedente.

citam Fidem Dei sine explicitâ Fide Christi.

V.

Secundò ostenditur dari in aliquo posse Fidem explicitam Dei sine Fide explicitâ Christi: Fides enim ex auditu, nam ut ait Apostolus ad Romanos 10. vers. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Quisquis ergo ad Fidem primò instruitur, successivè instrui debet, nec enim tot Fidei articulos simul capere explicitè potest, cum ad tam varia, támque alta simul attendere, proprium Angeli sit, non hominis. Quando ergo Catechumenus primò de mysteriis Fidei instituitur, proponi ante ea quæ ad Christum spectant, potest Deus cum quibusdam illius perfectionibus, esse scilicet eum infinitum, summè bonum, &c. imò hæc connaturaliter priùs proponi debent, cum Fides Dei sit quasi ab intrinseco ad justificationem obtinendam necessaria, utpote sine qua non potest homo converti ad Deum prout oportet, eúmque amare, & hoc modo gratiam acquirere: Fides verò explicita Christi, non ex naturâ rei & ab intrinseco, sed tantùm jure divino positivo, seu ex Dei ordinatione requiritur, quando requiritur, sicque magna inter Fidem explicitam Dei & Fidem explicitam Christi hac in parte est differentia.

Articuli Fidei, non sí simul omnes, sed successivè proponúntur.

Possunt, imò connaturaliter proponi debent Deus & aliqua ejus perfectiones, ante mysteria de Christo.

VI.

Jam itaque hic catechumenus primum sibi propositum mysterium, seu de Deo credere potest, quamvis nihil adhuc audierit de Christo ejúsque passione, morte, aliisque ad eum spectantibus; gratis siquidem, & sine fundamento diceretur Deum in hoc casu auxilium ad credendum huic homini non infundere donec alia etiam mysteria audierit, Christúsque illi & mors ejus ac redemptio proponatur; si autem habeat actum Fidei supernaturalem circa Deum, credátque eum esse, & Remuneratorem esse, poterit, uti dictum est, se ad eum convertere, & actibus amoris ac Spei aliisque piis affectibus gratiam peccatorúmque remissionem obtinere.

Credere potest catechumenus primum articulum, necdum audito secundo.

Gratis diceretur non posse aliquè credere primum articulum sine secundo.

VII.

Deinde, ut Tom. præc. Disp. 38. probatum est, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ergo barbaris etiam, quique de Christo nihil omnino audiverunt, dat gratiam ad salutem consequendam sufficientem, talis autem non potest esse cognitio Dei naturalis, hæc namque ut ostensum est Tomo priori in materiâ de Merito, Disputatione centesimâ vigesimâ-sextâ, sect. 8. ad salutem non sufficit, nec potest esse principium actuum supernaturalium, seu *prout oportet* ad gratiam & gloriam obtinendam, gratia ergo hæc esse debet gratiâ Fidei supernaturalis Dei ut remuneratoris, ex qua proinde ad Deum converti possunt, ac justificari. Recurrere autem ad miracula, ut quidam faciunt, dicentes Deum facientibus quod possunt missurum Angelos vel prædicatores, qui iis Christum annuncient, nullum vel in Scripturâ, vel experientiâ habet fundamentum.

Barbarus, cui Deus supernaturalem summi Numinis cognitionem non concedat.

Frustra hic nonnulli recurrunt ad miracula.

VIII.

Secunda conclusionis pars, quod scilicet per se loquendo Fides Christi explicita in hoc statu legis Evangelicæ sit singulis necessaria ad salutem, probatur variis locis Scripturæ, quibus ostenditur Christum hoc modo Ecclesiam suam instituisse, ut nimirum per se loquendo omnes Fidem Christi explicitam in re habeant, & non tantùm in voto, ac per eam consequantur salutem. Hoc inprimis constat ex illo Marci ultimo, vers. 15. ubi dicit Christus Apostolis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit &c. salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur:* ergo intentio Christi fuit, ut per se loquendo omnes explicitè in Christum crederent, & per hanc ejus Fidem ad gratiam in hac vitâ, & gloriam in sequenti pertingerent. Apostolus etiam ad Galatas Christum positum esse dicit ut *fundamentum hujus Ecclesiæ*, quia nimirum, ut salutem consequamur, illi per Fidem debemus conjungi. Quare Concilium Tridentinum sess. sextâ, capite sexto Fidem redemptionis, quæ est in Christo Jesu numerat inter dispositiones ad justificationem requisitas. Illud etiam Actorum 4. v. 12. idem probat: *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Joannis item 3. vers. 18. *Qui credit in eum* (Christum) *non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.*

quando necessariam.

Sacræ Literæ frequenter testantur Fidem Christi explicitam, ad adeptionem salutis esse per se requisitam.

Id tamen notandum, testimonia illa, qualia sunt nonnulla ex prædictis, quæ absolutè dicunt Fidem de Christo, rebúsque ad eum spectantibus esse absolutè ad salutis adeptionem necessariam, intelligenda solummodo esse de illis, quibus in hoc statu rerum & post promulgationem sufficientem Evangelii, Christus ejúsque mysteria sunt prædicata, ii enim tenentur illa credere, sicque illis Fides Christi est ex Dei institutione medium ad salutem necessarium, quod tamen non arguit, eos, quibus nunquam Christi nomen innotuit, non posse sine fide de ipso, ejúsque morte ac resurrectione salvari; hoc enim nimis durum est, parúmque Dei benignitati & clementiæ consentaneum.

IX.

Alius modus explicandi testimonia quo dicunt Fidem Christi esse ad salutem necessariam.

Tandem pro contrariâ sententiâ non facit quod affirmant aliqui, ad Christi scilicet gloriam & legis gratiæ commendationem spectare, ut sine explicitâ Christi fide nullus hoc tempore, seu post promulgatum sufficienter Evangelium salvetur; officit enim potiùs gloriæ Christi, copiosæque ejus redemptioni, dum arctos adeo illi limites præscribit, cum tamen juxta communem Theologorum omnium consensum, multo facilior hoc tempore, seu in lege gratiæ sit via ad salutem, quàm olim vel in lege naturæ, vel sub vetere testamento, paucioribúsque impedimentis circumsepta. De mente autem S. Augustini circa necessitatem Fidei explicitæ Christi dicetur Sectione sequente.

X.

Non facit ad Christi gloriam, sed obest potiùs, quòd nullus sine Christi explicitâ Fide possit salvari.

SECTIO QUINTA.

Alia quædam circa necessitatem Fidei ad salutem consequendam.

QUÆRES: Utrùm Fides explicita Trinitatis sit ad salutem necessaria? Respondetur, idem hac de re tenendum esse, quod Sectione præcedente diximus de mysterio Incarnationis, nempe non esse eam ita necessariam, ut sine illâ in re habitâ justificari quis, & salutem consequi non possit, sed sufficit illius votum, actus scilicet contritionis vel dilectionis Dei super omnia, in quo actu in adultis vel formale, vel virtuale propositum includitur servandi omnia præcepta, quorum unum est credere explicitè hæc mysteria, ubi debitè proponuntur: ita Suarez hîc, Disp. 12. Sect. 4.

I.

An explicita Fides Trinitatis sit hoc tempore ad consequendam salutem necessaria.

Nullum est fundamentum dicendi Fidem explicitam Trinitatis esse ad salutem necessariam.

Sect. 4. num. 25. Turrianus Disp. 27. dub. 8. Coninck Disp 14. dub. 9. Lugo de Virtute Fidei, Disp. 12. Sect. 4. num. 105. Arriaga hîc, Disp. 12. Sect. 4. num. 26. Ratio autem est, quia nullum hoc asserendi est in Scripturâ aut Conciliis fundamentum : nec S. Paulus aliud in iis, quæ credi debent enumerat, quàm ut quis credat Deum esse, & remuneratorem esse, ubi nulla fit mentio de Trinitate : gratis ergo quis cognitionem illius explicitam assereret esse simpliciter necessariam ad salutem.

II. *S. Augusf. dicere videtur Fidem Christi explicitam esse ad salutem absolutè necessariam.*

Verùm, objiciet quispiam, si idem dicendum sit de Fide explicitâ Trinitatis,, quod de Fide explicitâ Incarnationis, Sanctus Augustinus variis locis, ut de Prædestinatione Sanctorum, capite 7. de Correptione & gratiâ, cap. etiam 7. de Civit. Dei lib. 10. cap. 47. De naturâ & gratiâ cap. 44. & alibi, expressè docet Fidem explicitam Christi, hoc est, ut loquitur ipse, Incarnationis, mortis & resurrectionis ejus esse simpliciter necessariam ad salutem, ita ut nec nos modò, nec antiqui sine eâ salvari olim potuerint.

III. *S. Augusf. ab omnibus explicari debet.*

Sed contra; nam S. Augustinus ab omnibus debet explicari, locis enim citatis Fidem explicitam Incarnationis, mortis, & resurrectionis æquè ante ac post adventum Christi ad salutem absolutè requirebat, nec magis in lege Evangelicâ, quàm in lege scriptâ, & lege naturæ, ut ex ejus testimoniis constat, quæ refert P. Coninck Disp. 14. dub. 9. & Lugo hîc, Disp. 12. Sect. quartâ.

IV. *Variæ explicationes verborum S. Augustini.*

Diversæ ergo Sancti Doctoris verborum à variis afferuntur explicationes. Dicunt aliqui per Fidem Christi intelligere S. Augustinum Fidem, quæ est ex meritis Christi, & hanc affirmare ipsum esse ad salutem consequendam necessariam. Hæc explicatio, quamvis circa dicta illius contra Pelagium sufficiat, dum nimirum S. Doctor affirmat justos olim non fuisse salvatos per legem naturæ, sed per gratiam Christi, hoc est, per Christi merita obtentam; aliis tamen testimoniis, frequenter in ejus operibus repertis sine violentiâ applicari non potest. Alii eum de Fide implicitâ Christi intelligunt, sed parum probabiliter, tam clarè enim de Fide explicitâ Christi identidem loquitur, ut non nisi vi maximâ dictis ejus illatâ, Fidei Christi implicitæ applicari possint. Tertiò alii & propiùs vero aiunt solùm voluisse eum Fidem explicitam Christi necessariam fuisse in corpore Ecclesiæ, non verò in singulis personis, quo sensu non semel dicit parvulos hoc etiam tempore per parentum & Ecclesiæ Fidem salvari, dum scilicet per Fidem Ecclesiæ, baptismus iis applicatur.

Alii S. Augustinum intelligunt de Fide implicitâ Christi, alii de Fide explicitâ ejus in totâ Ecclesiâ.

V. *Si Fidem Christi explicitam requirat absolutè S. Augustinus, aliorum potius Patrum sententia est amplectenda.*

Hanc postremam Sancti Augustini expositionem tradit Hugo de Sancto Victore, eámque approbat Suarez hîc, Disp. 12. Sect. 3. num. 17. At sanè difficilis est hæc explicatio, tum ob alia Sancti Doctoris testimonia, tum maximè ob illud libro 18. de Civitate Dei, cap. 47. ubi de illis loquens, qui ex gentibus olim salutem sunt consecuti, sic habet: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus unus mediator Dei & hominum homo* CHRISTVS JESVS, *qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum venisse nobis nunciatus est; ut una eademq; Fides per ipsum omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perduceret ad Deum.* Hæc aliáque S. Augustini verba Patri Suarez adeo visa sunt explicatu difficilia, ut Disp. illâ 12. Sect. 3. num. 13. absolutè existimet tenuisse ipsum Fidem Christi explicitam esse simpliciter ad salutem necessariam. Quòd si hæc sit illius sententia, uti revera esse videtur, Sancti Chrysostomi, S. Gregorii, & S. Bernardi sententiam hac in parte existimo potiùs esse amplectendam.

S. Chrysostomi, Gregorii & Bernardi sententia videtur tenenda.

VI. *Quæ sit forma Ecclesiæ Catholicæ, quis illius membrum esse censeatur.*

Dices : in Concilio Lateranensi Cap. *Firmiter* & extravag. *Vnam sanctam* definitum est, non nisi in Ecclesiâ Catholicâ esse salutem, sed nullus, si Fidem Trinitatis & Incarnationis non habeat, est in Ecclesiâ, ergo nullus sine utriusque mysterii notitiâ & fide est in Ecclesiâ. Confirmatur : Quisquis jam est in Ecclesiâ, est Christianus, sed Christianus nemo est, qui expressè non credit in Christum, ergo. Ad argumentum respondetur cum Suarez hîc, Disp. nonâ, Sect. 1. n. 3. & 5. formam constituentem Ecclesiam militantem esse Fidem : unde quisquis habet fidem, censetur membrum Ecclesiæ, qui verò fide destitutus est, nec fidelis, nec intra Ecclesiam haberi potest.

Quisquis habet Fidem est verum membrum Ecclesiæ.

VII. *Viâ ordinariâ non salvantur homines nisi per Fidem explicitam Christi.*

Hi ergo cum veram Fidem habeant, quamvis non explicitam Trinitatis & Incarnationis, non est cur ab Ecclesiâ Catholicâ excludantur. Ad confirmationem dico, ut quis sit Christianus, & consequatur salutem, sufficit Christi Fides implicita, & quòd re vel voto in eum credat, quamvis explicitè de eo nunquam audiverit. Via tamen ordinaria hoc tempore, seu post promulgatum sufficienter Evangelium est, ut quis credat justificari peccatores per passionem & mortem Christi : & hoc modo intelligendum est Concilium Tridentinum sessione sexta, capite sexto, dum ad justificationem impii requirit Fidem de Christo ut redemptore.

VIII. *Cognitio Trinitatis est simpliciter necessaria ad perfectam cognitionem Incarnationis.*

Concludo itaque, etsi nec Fides explicita Incarnationis, nec Trinitatis sit absolutè ad consequendam salutem necessaria, ut fusè probatum est in superioribus, per se tamen loquendo non minùs requiritur explicita Fides Trinitatis, quàm Incarnationis; hæc enim cum sit unio secundæ Personæ Trinitatis cum humanâ naturâ; cognosci perfectè nequit nisi cognitâ secundâ Personâ, & consequenter Trinitate. Deinde non confertur baptismus nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad collationem ergo & susceptionem baptismi, per se loquendo requiritur expressa notitia Trinitatis. Quare S. Paulus Act. 19. ad ritè conferendum baptismum exigebat expressam cognitionem Spiritus Sancti.

SECTIO SEXTA.

De Fide Dei ut remuneratoris.

I. *Quid censendum de Fide Dei remuneratoris.*

QUÆRES tandem: Utrùm necessaria necessitate medii ad salutem sit explicita Fides Dei remuneratoris? Communis Theologorum sententia est affirmativa ob dictum illud Apostoli ad Hebræos 11. vers. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quia remunerator est.* Quem etiam locum exponunt omnes de remuneratione supernaturali, qua de causâ dixit in eodem capite S. Paulus Fidem esse fundamentum rerum sperandarum, hoc est bonorum supernaturalium, quam ob causam ait eam esse *argumentum non apparentium*, nempe talium, quæ non modò oculis, sed nec ratione, & naturali lumine investigari possunt; *nec enim oculus vidit, nec auris audivit,*

Intelligitur Apostolus de remuneratione supernaturali.

audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit, &c. ubi intelligitur clara Dei visio, seu beatitudo supernaturalis, quæ est remuneratio Sanctorum. Utrùm tamen hæc remuneratio sit necessariò semper supernaturalis, dicetur posthæc num. nono & decimo.

II. *Argumentum contendens ad justificationem non requiri Fidem de Deo ut remuneratore.*

Hæc, ut dixi, est communis sententia: non leve tamen contra eam proponi argumentum solet; ad justificationem siquidem extra Sacramentum, secundùm omnes sufficit amor Dei super omnia, ad hunc autem actum eliciendum non requiritur nisi Fides de Deo ut summè bono, sapiente, & cum similibus prædicatis, ex quorum cognitione in Deum tendimus affectu amicitiæ seu benevolentiæ, & prout opponitur amori concupiscentiæ; per illum siquidem actum Deum propter se amamus, in cujus proinde objecto non ingreditur prædicatum remuneratoris, hoc enim movet potiùs ad affectum concupiscentiæ, per quem Deum amamus, non propter se, sed ut bonum nobis, seu ut bona supernaturalia conferre potest. Certum ergo est explicitam considerationem Dei ut remuneratoris ad actum amoris Dei super omnia, seu charitatis & benevolentiæ non requiri, quamvis, si hoc etiam prædicatum consideretur ut est in Deo maxima perfectio, nil obstet quo minùs sit objectum amoris, amicitiæ, seu actus benevolentiæ, quo nimirum gaudemus de summâ Dei excellentiâ, atque eximias hasce & infinitas perfectiones ei volumus. Ex quibus omnibus confici videtur, Fidem Dei ut remuneratoris ad justificationem & consequendam salutem non esse necessariam: nec enim minùs amabilis est Deus ob sapientiam, & alia attributa, quàm ob beneficentiam.

Consideratio explicita Dei ut remuneratoris non requiritur ad actum charitatis.

III. *Dicunt nonnulli Fidem de Deo ut remuneratore ad salutem requiri solùm ex ordinatione divinâ.*

Ad hanc difficultatem, quam à solis recentioribus Theologis discuti video, diversæ adhiberi responsiones possunt. Respondent aliqui, probari quidem hoc argumento, Fidem de Deo remuneratore non esse ad salutem necessariam ex naturâ rei, sed solùm ex ordinatione divinâ, Deus quippe, inquiunt, decrevit neminem adultum sine dispositione debitâ, & proportionatâ ex parte ipsius justificare, debita autem & proportionata dispositio est Fides de Deo ut remuneratore, sicut namque ad justificationem essentialem & habitum charitatis infundendum requiritur extra Sacramentum dilectio Dei super omnia, ita, inquiunt ipsi, cum habitus supernaturales Fidei & Spei sint partes integrales nostræ justificationis, & debita dispositio ad infusionem horum habituum sint actus Fidei & Spei, clarum videtur sine Fide Dei remuneratoris justificari neminem posse, cum sine hac Fide nullus elicere queat actum Spei: ita Oviedo Contro. 7. num. 33. & ex parte P. Petrus Hurtado hic, Disp. 41. §. 5. & 8. & alii.

Justificatio essentialis & integralis.

IV. *Deus, sicut ut auctor naturæ non potest propositivè objecto negare concursum naturalem, ita nec ut auctor gratiæ supernaturalem.*

Cardinalis de Lugo hîc, Disp. 12. Sect. 5. num. 117. hanc solutionem, & benè impugnat: Mysteria enim Fidei, ut supra, Sect. . . n. 5. & 6. ostendi, & attributa ac perfectiones divinæ proponi possunt successivè, imò hoc modo frequenter proponuntur: possunt ergo attributa bonitatis, sapientiæ, &c. priùs proponi, quàm prædicatum remuneratoris, ergo & priùs credi possunt fide divinâ, & amore supernaturali charitatis amari. Sicut namque in rebus naturalibus, proposito debitè objecto, albedine exempli gratia, negare sine vi rebus illatâ non potest concursum naturalem ad actus naturales producendos, ita objecto supernaturali debitè proposito, vel speciebus supernaturalibus non potest ut auctor supernaturalis sine violentiâ negare concursum supernaturalem. Si autem Deus det concursum ad Fidem divinam & supernaturalem de bonitate vel sapientiâ, aut aliis attributis, antequam proponatur attributum seu perfectio remuneratoris, non potest sine simili violentiâ negare concursum ad amorem supernaturalem, quo perfectiones illæ amentur, quemadmodum positâ repræsentatione objecti naturalis, floris verbi causa, aut alterius similis objecti delectabilis, negare ut auctor naturæ non potest concursum naturalem ad illius amorem & complacentiam.

Sicut cognitioni objecti naturalis debetur concursus ad amorem naturalem, ita & supernaturalis ad supernaturalem.

V. *Fides Dei ut remuneratoris est ad conversionem peccatoris moraliter necessaria.*

Placet ergo responsio, quam huic objectioni adhibet Lugo ibidem num. 110. nempe, quamvis in particulari aliquo casu, & ex singulari privilegio (quod Sanctæ Mariæ Magdalenæ concessum fuisse nonnulli existimant) diligere peccator possit Deum super omnia, moraliter tamen loquendo impossibile videtur, ut mens ejus ad tam sublimem ac difficilem actum primò assurgat, nec nisi per quosdam gradus, actus scilicet alios faciliores, ut amore honesto sui ipsius, timore gehennæ, & similibus, quibus paulatim ad actum dilectionis Dei super omnia disponatur, nec ab extremo ad extremum, in tantâ præsertim distantiâ, qualis inter Deum & peccatum intercedit, ascendat sine medio. Hinc Ecclesiastici 25. v. 16. dicitur: *Timor Dei initium dilectionis ejus*: Ecclesiastici etiam primo, v. 16. *Initium sapientiæ timor Domini*: & versu 25. *Radix sapientiæ est timere Dominum*: quod etiam ex S. Augustino, S. Thoma, & Theodoreto fusè probat Lugo citatus. In hanc item solutionem, quamvis eam acriter impugnet, relabitur Arriaga Disp. 12. Sect. 4. num. 41. dum ait Fidem explicitam Dei ut remuneratoris non esse ad justificationem peccatoris rigorosè necessariam, quamvis communiter ita justificatio contingat.

Non ascenditur facilè ab extremo ad extremum sine medio.

Variis Scripturæ testimoniis confirmatur moraliter tantùm Dei ut remuneratoris Fidem requiri.

VI. *Objic. Non posse hoc attributum fortiùs excitare ad amorem Dei, quàm alia.*

Dices, Fides de Deo ut remuneratore non potest fortiùs movere, quàm Fides de bonitate, sapientiâ, aut sanctitate Dei, attributum siquidem beneficentiæ non est his attributis perfectius. Confirmatur, nam ut supra insinuavi, attributum remuneratoris excitat potiùs ad amorem concupiscentiæ, quàm amicitiæ, amamus enim Deum ob hoc attributum, non quia bonus est in se, sed quia est bonus nobis, ac proinde hoc affectu nosipsos potiùs amamus, quàm Deum.

VII. *Unde hoc attributum moveat ad amorem Dei super omnia.*

Ad objectionem dico, non ideo asseruisse nos attributum remuneratoris peculiariter conferre ad justificationem, quia aliis attributis est perfectius, sed quia cum ex hoc attributo cognoscamus Deum nos amare, & varia in nos conferre beneficia, ex hac cognitione movemur ad Deum, infinitámque ejus bonitatem amandum, vel potiùs redamandum, nam ut pulchrè S. Augustinus, *Nimis durus est animus, qui si amorem nolebat impendere, nolit rependere*: unde ex hoc motivo extrinseco excitari connaturalissimè potest peccator ad actum amoris Dei super omnia eliciendum, Deúmque propter Deum diligendum.

S. Augustinus.

VIII. *Occasione hujus attributi excitari possumus tum ad amorem benevolentiæ, tum concupiscentiæ.*

Hinc etiam constat ad confirmationem: quamvis enim occasione cognitionis hujus attributi, considerando scilicet Deum ut benignum ac beneficum, & à quo multa in nos proficisci possunt & solent bona, excitari possimus ad amorem concupiscentiæ, seu ad ipsum amandum ut bonum nobis; non tamen est quo minùs puriore in eum affectu feramur, & ex ejusdem attributi considerationem excitemur ad Deum propter se diligendum,

diligendum, déque infinitis ejus perfectionibus, & inter alias de hac, ut Deum decente & ornante gaudendum.

IX. *Virum hæc remuneratio debeat esse supernaturalis.*

Quæres, Utrùm hæc remuneratio, quam per Fidem de Deo ut remuneratore explicitè credimus, debeat esse supernaturalis? Communis sententia, ut supra numero primo dixi, est affirmativa: eam tenet Suarez hîc, Disp. 12. Sect. 3. num. 8. Granado Controv. 1. de Fido, tractatu 10. Disp. 2. Sect. 1. num. 2. idem docet Valentia, Lorca, Torrez, Caïetanus, Bannez, Coninck Disp. 14. dub. 9. num. 115. docens Fidem hanc debere esse explicitam vitæ æternæ, quam Deus, benè operantibus, post hanc vitam promisit.

X. *Probabilius est remunerationem præscindere à naturali & supernaturali.*

Alii nihilominus, ut Hurtado hîc, Disp. 43. Sect. 7. Molina 1. parte, quæst. 1. art. 1. Disp. 1. cum quibusdam aliis affirmant, Fidem quidem debere esse supernaturalem, qua creditur remuneratio, remunerationem tamen præscindere posse à supernaturalitate: quod etiam tenet Arriaga hîc, Disp. 12. Sect. 4. & mihi videtur probabilius. Hinc non difficulter solvitur quod opponunt aliqui circa necessitatem Fidei de Deo ut remuneratore, quòd nimirum ad justificationem intra Sacramentum sufficiat attritio, seu dolor conceptus ob metum gehennæ & pœnarum, ut docet Tridentinum sess. 14. capite quarto, licèt nullam is vel gratiæ, vel gloriæ tunc habeat consideretionem. Hoc, inquam, probat nostram assertionem, Fidem scilicet in hoc casu, quamvis ipsa esse debeat supernaturalis, non tamen necessariò debere esse de objecto, seu remuneratione supernaturali: quamvis namque in hoc statu rerum, seu elevationis, peccatum mortale nunquam remittatur sine infusione gratiæ; cum tamen hæc duo ex se realiter sint separabilia, potest peccator de remissione peccati mortalis, etiam hoc tempore instrui, nullâ factâ mentione infusionis gratiæ, aut alterius rei in entitate supernaturalis, sicque per hanc attritionem simul cum Sacramento obtinebit remissionem peccatorum, imò & gratiam, cum Deus statuerit peccatum mortale de facto non remittere nisi per illius infusionem.

Ostenditur remunerationem non cognosci necessariò ut supernaturalem.

Ille qui sic dolet, remissionem peccatis accipiet per gratiam.

XI. *Malè aliqui docent Fidem explicitam requiri ad gloriam, quamvis non requiratur ad gratiam.*

Addo ulteriùs hunc, si statim post acceptam absolutionem moriatur, etiamsi insuper Fidem Christi explicitam non habeat, quâ de re dictum est supra, Sect. quartâ, hic inquam, non gratiam tantùm, sed & gloriam consequetur. Malè ergo Cano in relectione de Sacramentis in genere, parte secundâ contrarium affirmat, & Castro libro secundo de lege pœnali, cap. 14. addens impium esse asserere quemquam adipisci gloriam, nisi priùs habeat explicitam Fidem Christi, licèt sine hac Fide obtinere possit gratiam, & justificari. Idem etiam tenet Aragon, Bannez, Ledesma, & alii nonnulli. Sed malè, ut dixi, & sine fundamento loquuntur, gratia enim secundùm omnes dat jus ad gloriam; si ergo quis sit justificatus, & gratiam ad finem usque vitæ conservet, haud dubiè gloriam, & æternam beatitudinem consequetur. Quare Pater Arriaga hîc, Disp. 12. Sect. 2. num. 8. hanc Cani & aliorum sententiam vocat improbabilem.

XII. *Quarum, & quæ rerum creatarum Fides requiratur.*

Circa objecta quædam creata, ut de immortalitate animæ, de peccato originali, de necessitate divini auxilii: circa hæc, inquam, dicendum Fidem horum explicitam non semper esse necessariam, sed sufficere implicitam, sicut qui credit & sperat præmium alterius vitæ, sufficientem habet notitiam immortalitatis animæ: & idem in simili est de reliquis, quamvis expressè quis de iis non cogitet.

XIII. *Datur præceptum Fidei, non negativum tantùm, sed affirmativum.*

Hæc de necessitate medii: certum verò insuper est dari præceptum Fidei, non negativum tantùm, seu de non discredendo articulis Fidei debitè propositis, quod præceptum obligat semper, & pro semper; sed etiam positivum, seu affirmativum, idque divinum, quo nimirum certis temporibus, quædam fidei mysteria credendi gravis nobis incumbit obligatio, ut Deum esse Trinum & Unum, Filium Dei carnem de Mariâ semper Virgine sumpsisse, mortuum esse & resuscitatum, item Ecclesiam Catholicam, Baptismum, Eucharistiam & pœnitentiam. Negant tamen Theologi nonnulli eandem cum aliis esse necessitatem credendi articulum de Communione Sanctorum, saltem ita in particulari, cum vix docti intelligant quid in illo articulo contineatur.

Quid de Communione Sanctorum existimandum.

XIV. *Probatur ex sacris Literis dari præceptum Fidei affirmativum.*

Quod verò detur hujusmodi præceptum Fidei, seu obligatio articulos quosdam & mysteria credendi, probatur inprimis ex illo Marci ultimo, vers. 16. *Qui non crediderit condemnabitur.* Item Joannis 1. cap. 3. vers. 23. dicitur: *Hoc est mandatum ejus: ut credamus in nomine Filii ejus* JESV CHRISTI. Quâ de causâ cap. primo Epistolæ ad Romanos, vers. 5. dicit Apostolus: *Accepimus gratiam &c. ad obediendum Fidei in omnibus Gentibus.* Quando autem & quoties in vitâ præceptum hoc Fidei affirmativum obliget, non perinde certum & exploratum est apud Theologos. Obligare inprimis omnes videtur quando Fidei mysteria primò alicui proponuntur. Deinde quando ad tentationem aliquam vincendam, vel ad Sacramenta suscipienda actus Fidei est necessarius. Quoties autem, non indirectè tantùm, seu ex occasione, juxta jam dicta, sed ex se, & directè hoc præceptum obliget, dicetur infra.

Quando, & quoties in vitâ hoc Fidei affirmativum præceptum obliget.

DISPUTATIO DECIMA-SEXTA.

De actu Fidei secundùm se.

DIXIMVS actum Fidei esse verum, certum, supernaturalem, & ad salutem adipiscendam necessarium, tum necessitate præcepti, tum medii. Diximus præterea actum Fidei spectare per se & directè ad intellectum, cum credere sit judicare rem ita se habere propter dictionem alterius. Voluntatis tamen actus, ut suprà observavimus, nempe pia affectio, ad eum est necessarius. Quædam nihilominus minoris momenti ad plenam perfectamq; naturæ illius declarationem restant discutienda, quæ hac Disputatione expediemus.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur nonnulla circa actum Fidei.

I. *Vtrùm actus Fidei, cum objectum eorum formale sit ejusdem rationis, distingui possint specie.*

PRIMUM quod in præsenti declarandum occurrit, est utrum actus Fidei specie inter se differre possint, an omnes necessariò sint ejusdem speciei? Ratio dubitandi est; objectum namque formale, auctoritas scilicet divina unde præcipuè specificantur actus Fidei, est ejusdem rationis in omnibus, ergo & actus ipsi similiter erunt ejusdem rationis: ita Suarez hic, Disp. 6. Sect. 3. num. 11. Coninck Disp. 16. n. 18. Turrianus Disp. 24. dub. 3. Molina, & alii. Dicendum nihilominus, quantumvis objectum formale omnium actuum Fidei sit ejusdem rationis, actus tamen distingui posse per objecta materialia; cum enim actus, ut sæpè dictum est, sit essentialis respectus ad objectum, formalisque illius repræsentatio, quæ diversitas relucet in objecto, in actu etiam reluceat necesse est, ac proinde actus, qui objectum materiale habet specie distinctum ab alio, specie etiam ab actu illo distinguatur necesse est. Deinde actus Fidei affirmativus etiam circa idem objectum, specie distinguitur ab actu Fidei negativo.

Quæ in objecto relucet diversitas, relucet etiã in actu.

II. *Actus Fidei, etiam ratione objecti formalis, nempe revelationis distinguuntur specie.*

Adde, cum, ut supra Disp. 4. Sect. 2. diximus, revelatio, seu locutio Dei sit objectum partiale formale actus Fidei, & hæc sit sæpè specie distincta, actus Fidei frequenter, etiam ratione objecti formalis, specie distinguentur. Quòd verò revelatio, seu locutio divina sæpè distinguatur specie, constat, sicut enim actus, quo homo quispiam dicit *Sol lucet*, est specie diversus ab actu, quo idem diceret *Leo rugit*, quia nimirum hi actus habent objecta specie distincta, idem est de revelatione divinâ, seu locutione qua dicit, *Verbum est incarnatum*, & qua dicit: *Erit dies judicii*. Hinc apertè sequi videtur actus Fidei, quibus dicti duo articuli creduntur, esse specie diversos ratione objecti formalis, nempe revelationis; non enim hi actus Fidei feruntur in revelationem, seu locutionem ut sic, sed in has ut has, nempe ut hæc objecta in particulari manifestantes: nequo sola veracitas Dei sufficit ad aliquid credendum, nisi Deus illud revelet, & per locutionem, nobis credendum proponat, ut per se videtur manifestum. Quid hac in re sentiendum sit de actu Fidei humano & Angelico dicetur Disputatione sequente, Sect. 2. n. 2. & 3.

Declaratur quo pacto revelatio sit satè specie distincta.

III. *Sintne actus Fidei speculativi, an practici.*

Quæri secundò potest, sintne actus Fidei speculativi, an practici? Ad hujus quæstionis solutionem recolendum quod latè discussum est Disputatione decimâ Logicæ, ubi fusè de naturâ cognitionis speculativæ & practicæ est disputatum. Cognitio itaque *practica* illa dicitur, quæ ei in quo est modum rem aliquam faciendi ostendit, & regulas quasdam interdum ad illius effectionem conducentes præscribit; ac proinde supponit semper objectum, quod repræsentat, esse operabile à cognoscente. *Speculativa* verò cognitio illa est, quæ in objecti contemplatione fistit, nec ullo modo ad illius productionem immediatè dirigit, sicque nec in objecto, quod considerat, aptitudinem ad productionem supponit.

Quid sit cognitio speculativa, quid practica.

IV. *Actus Fidei quoad objectum suum formale primarium non sunt practici.*

His positis dico primò: Actus Fidei quoad objectum suum formale primarium, veracitatem scilicet divinam, nec sunt, nec ullo modo esse possunt practici. Ratio est clara: veracitas siquidem divina non est quid operabile, ergo actus Fidei respectu illius nequit esse practicus. Quoad objectum etiam formale secundarium, nempe revelationem, quam supra, Disputatione quartâ partialiter constituere objectum formale Fidei diximus, actus Fidei non potest esse practicus, quamvis namque revelatio sit quid creatum, & producibile, ad actum tamen Fidei supponitur, estque unum ex iis, quæ ad Fidem circa mysterium aliquod eliciendam antecedenter prærequiruntur.

Neque etiam respectu alterius objecti formalis secundarii.

Quoad

V. *Actus Fidei quoad objecta materialia sunt partim practici, partim speculativi.*

Quoad objecta verò materialia, seu res, quæ credendæ proponuntur, actus Fidei divinæ sunt partim practici, partim speculativi; practici, quando objectum, quod per illos creditur est factibile, seu operabile à cognoscente, sive credente, ut *virtus est exercenda quia Deus dixit, peccata fugienda*, &c. Quando verò objectum creditum non est operabile à cognoscente, actus Fidei illud repræsentans est speculativus: ut dum quis credit esse cœlum empyreum, Angelos, dæmones, &c. sic etiam actus, quo aliquis unum Dei attributum credit propter aliud, ut omnipotentiam, aut justitiam propter veracitatem, est speculativus: & sic de aliis.

VI. *Idem actus Fidei divinæ potest esse practicus & speculativus.*

Addo ulteriùs, eundem actum Fidei divinæ respectu diversi objecti posse simul esse practicum & speculativum, ut si quis actum eliciat, quo dicat, *Trinitas est amanda*, hic actus respectu Trinitatis est speculativus, respectu amoris eliciendi practicus. Aptissimum ad rei hujus explicationem exemplum habemus in creatis, in tribus scilicet gradibus viventium, in quibus reperitur vegetabile tantùm, rationale tantùm, & vegetabile simul ac rationale. Similes, inquam, tres gradus, speculativum tantùm, practicum tantùm, & speculativum simul & practicum, reperiuntur in actibus Fidei.

VII. *Nullus est actus Fidei divinæ de objecto operabili, qui non sit simul practicus & speculativus.*

Imo verò, in actibus Fidei divinæ nullus omnino est, si sit de objecto operabili à credente, qui non sit simul practicus & speculativus. Ratio videtur manifesta; nullus enim est actus Fidei divinæ, ut supra ostendimus, qui non feratur immediatè in divinam auctoritatem, seu veracitatem tanquam in objectum formale: quantumvis ergo hic actus respectu objecti materialis creati sit practicus, nihilominus respectu divinæ veracitatis, objecti increati, erit speculativus.

VIII. *Juxta naturam actuum judicandum de naturâ habitus Fidei.*

Observandum denique, quod de actibus fidei dictum est, dici eodem modo debere de habitu. Habitus ergo Fidei, qui respicit actus practicos, tanquam principium eorum productivum, est practicus; qui speculativos, speculativus; qui demum actus respicit, utramque in se rationem, seu formalitatem habentes, simul speculativus est & practicus; ita ut naturam actuum sequatur semper habitus, & vel practici, vel speculativi, vel utriusque denominationem ab iis sortiatur.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam ad plenam actus Fidei notitiam spectantia.

I. *Quid sit Fides universalis, quid particularis.*

QUÆRES primò: Utrum rectè dividatur Fides in *universalem & particularem*? Respondetur affirmativè, estque divisio à Theologis passim usurpata. Fides *universalis* illa dicitur, ut supra etiam notavimus, quæ Catholica appellatur, quia nimirum universali usu Ecclesiæ admittitur, omnibúsque fidelibus est communis.

Fides ex quatuor capitibus dicitur universalis.

Ex quatuor verò capitibus hæc Fides dicitur universalis: ex *personis*, *locis*, *temporibus*, & *dogmatibus*. Ex personis, ab omnibus enim, qui intra Ecclesiæ gremium continentur, creditur. Ex locis, quia ubique, ex temporibus, quia semper fuit admissa. Denique ex dogmatibus, hæc enim Fides omnia complectitur, quæ in articulis habentur ab Ecclesiâ fidelibus ad credendum propositis. Fides *particularis* censetur illa, quæ per privatam revelationem habetur, sicque & in materiâ à Fide universali, & personâ, & propositione distinguitur: hæc tamen differentia est materialis; unde hi duo assensus circa idem objectum non distinguuntur specie.

Fides particularis.

II. *An actus Fidei practicus & speculativus differant specie.*

Quæres secundò: An actus Fidei practicus, ut *Actus pœnitentiæ est exercendus ad remissionem peccati consequendam*, & speculativus, nempe *Deus est*, differant specie? Hæc quæstio in genere soluta est Sectione præcedente, n. 1. & 2. quamvis enim ratione objecti formalis primarii, veracitatis scilicet divinæ, hi actus, uti dixi, non distinguantur specie, cùm hæc eadem sit respectu omnium actuum Fidei, qua de causâ Suarez hic, Disp. 6. Sect. 3. num. 11. Coninck Disput. 16. num. 18. & alii affirmant omnes actus Fidei divinæ esse ejusdem speciei infimæ; loco tamen proximè citato ostendi diversitatem specificam oriri in actibus posse ex diversitate specificâ objectorum materialium. Imo ulteriùs ostensum est, in objecto formali secundario, nempe revelatione, apparere differentiam specificam, & consequenter ratione illius, actus Fidei practicos & speculativos posse distingui specie.

Cur multi dicant nullos actus Fidei divinæ distingui specie.

III. *Quænam sit recta Fidei definitio.*

Quæres tertiò: Quænam sit recta definitio Fidei? Difficultas hæc ob duas traditas Fidei definitiones proponitur, à S. Paulo alteram, alteram à S. Augustino, qui de prædestinatione Sanctorum, cap. 2. sic Fidem definit: *Credere*, inquit, *nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare*: quam Fidei definitionem amplectitur & explicat Sanctus Thomas hic, quæst. 2. art. 1. Hanc definitionem eo nomine rejicit P. Arriaga hic, Disp. 15. Sect. 1. num. 6. quòd omnibus omnino judiciis intellectus convenire videatur. Sed si commodâ aliquâ expositione hæc doctrina defendi possit, ut mihi videtur posse, ex observantiâ & respectu tantis Patribus debito, id est faciendum. Hæ ergo particulæ non conveniunt omni judicio intellectus, *assensio* namque aliquam præ se fert libertatem in judicando, & in adhæsione intellectus respectu objecti propositi, quod judicio evidenti non competit, hoc siquidem ita rapitur ab objecto, ut cohibere quis intellectum nequeat, quo minùs in hujusmodi actum prorumpat. Deinde ex discursu illius capitis sufficienter innuit Sanctus Doctor hanc assensionem esse debere ob auctoritatem alicujus rem illam dicentis: ac proinde hæc Divi Augustini, & Divi Thomæ doctrina non est tam facilè rejicienda.

Quæ fuerit mens S. Augustini in definitione quadam Fidei ab ipso traditâ.

IV. *Quo pacto intelligendum illud Apostoli ad Heb. 11. Fides est sperandarum substantia rerum, &c.*

Sanctus Paulus in Epistolâ ad Hebræos, cap. 11. de Fide loquens, sic habet: *Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: ubi de Fide intellectuali, seu actu intellectus, quo articulos Fidei nobis propositos credimus sermonem esse, constans est Patrum & Theologorum sententia, confirmaturque ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi asserit Apostolum eo capite de Fide illâ loqui, quæ est dispositio ad justificationem, quámque, ut ibidem dicit Concilium, *ex auditu concipientes* (adulti) *liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.*

V. *Quid de hoc dicto Apostoli censeant communiter Theologi.*

Hoc Divi Pauli pronunciatum, quamvis optima sit Fidei explicatio, ex communi tamen Theologorum consensu, non fuit eo loco mens Apostoli rigorosam, & secundùm omnes Logicæ regulas exactam tradere Fidei definitionem, sed illius quoad præcipuas ejus proprietates descriptionem: ita P. Hurtado hic, Disputat. 49. §. 17. Cardinalis de Lugo Disputat. 8. Sect. 3. num. 35.

Tom. II.

P. Arriaga Disputatione 15. Sectione primâ, numero octavo, & alii.

VI. *Quo pacto tradatur exacta Fidei divinæ definitio.*

Quidam itaque hanc tradunt pro exactâ Fidei divinæ definitione: *Credere est alicui assertioni propter divinum testimonium assentiri:* ita Coninck Disp. 14. dub. 1. num. 3. & alii. Sed contra: Actus namque Fidei, ut supra, Disputatione undecimâ diximus, est essentialiter obscurus, assentiri autem quis potest objecto alicui propter revelationem & veracitatem Dei evidenter cognitas, seu propter evidentiam in attestante, in quo casu actus ille esset propter testimonium divinum, & tamen non foret actus Fidei propriè loquendo, cum obscuritatem in se non haberet, sed evidentiam. Mihi ergo placet definitio Fidei divinæ, quam assignat P. Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 1. n. 5. Fides divina *est assensus firmus, in auctoritate Dei obscurè revelantis fundatus.* Hæc, inquam, definitio omnia Fidei prædicata essentialia exactè explicat, ac proinde meritò est amplectenda. *Proponitur exacta Fidei definitio.*

VII. *Quid de fiduciâ censendum, quam nostri temporis sectarii Fidem appellant.*

Quæres quartò: Quid de Lutheri, aliorúmque nostri temporis sectariorum placito judicandum, qui actus Fidei in quadam fiduciâ statuunt, eósque non ad intellectum spectare dictitant, sed ad voluntatem. Inprimis dico, me nullo modo persuadere mihi posse ullum ex hæreticis tam fuisse simplicem, ut omnes actus Fidei dixerit esse actus voluntatis: primò quia in humanis Fides, quâ homo unus credit alteri, est actus intellectus, per quem ejus dictis assensum præbet, ut apud omnes est in confesso, ergo & Fides, quâ credimus Deo, cum uterque actus, ejusdem rationis sit; & sola differentia est, quòd Fides humana feratur in auctoritatem creatam & fallibilem, divina in infallibilem, ipsam scilicet Dei veracitatem.

VIII. *Manifestissimum est omnem actum Fidei non esse fiduciam.*

Deinde, clarissimum est plurimos actus Fidei, ut credere Deum esse Trinum & Unum, Adamum comedisse pomum vetitum, Davidem Philisthæum illum infixo in fronte ejus lapide occidisse, & hujusmodi, clarissimum, inquam, est hos & similes actus ab intellectu elici, cum per eos judicemus res istas ita se habere, judicium autem, ut constat, spectat ad intellectum. Per fiduciam ergo solùm intelligere possunt actum illum voluntatis, per quem ex vanâ quadam confidentiâ inaniter sperant sibi remissum iri peccata, aut etiam jam de facto esse remissa. Probabilius tamen est, hanc etiam fiduciam vel esse, vel includere actum intellectus, quo quis, vanè tamen & futiliter, sibi persuadet, se peccatorum veniam à Deo obtinuisse, & salutem infallibiliter consecuturum. Catholici tamen nullam de salute suâ profitentur se habere certitudinem, sed Dei bonitate ac misericordiâ freti sperant se illam aliquando obtenturos, & hoc sensu modestam quandam & submissam dici possunt habere fiduciam, longè tamen ab arrogante illâ, & stultâ hæreticorum fiduciâ diversam. *Quid fiducia nomine intelligatur.* *Diversus Catholicorum & hæreticorum procedendi modus.*

SECTIO TERTIA.

Qua ratione differant, credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.

HÆc Fidei divisio desumpta est ex S. Augustino sermone 181. de tempore, & sermone 61. de verbis Domini, & tractatu 21. in Joannem: quam etiam Theologi omnes amplectuntur, S. Thomas hîc, quæst. 2. art. 2. Magister in tertio, Distinctione 23. Halensis 3. parte, quæst. 68. memb. 7. art. 3. Caietanus hîc, q. 2. art. 2. Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 3. num. 2. & alii. I. *Hæc Fidei divisio ex S. Augustino est desumpta.*

Hæc tamen Fidei divisio non ita intelligenda est, quasi sit de tribus actibus Fidei realiter inter se distinctis, ut cum S. Thoma quæst. illâ secundâ. art. 1 ad 2. docent omnes, sed de eodem assensu Fidei intelligi potest secundùm diversam habitudinem, quam dicit ad Deum: quâ de causâ Caietanus citatus ait, hujusmodi actum propriè non esse *multum* (hoc est, plures) sed *multiplicem*, quòd nimirum varias ratione nostrâ connotationes contineat ad objectum Fidei primarium, nempe Deum. II. Credere Deo, Deum, & in Deum, *in eodem actu Fidei reperiri possunt.*

Ut verò diversos hosce respectus, seu habitudines, quas hic actus dicit, magis in particulari declaremus, notandum, Deum & objectum formale & materiale Fidei esse, & insuper finem ultimum, ad quem non actus Fidei tantùm, sed persona actum illum eliciens, & quicquid in ipso est refertur. *Credere* ergo *Deo* habitudinem dicit ad Deum tanquam objectum formale, propter illum enim, ejúsque testimonium & veracitatem credimus, Deo siquidem credimus loquenti & testificanti. *Credere Deum* denotat habitudinem, quam actus Fidei dicit ad Deum tanquam objectum materiale, seu quod creditur, ut dum credimus *Deum esse*, *esse Trinum &c.* quibus cum ob divinum testimonium assentiamur, hoc actu & Deo, & Deum credimus, & in ipsum ut in objectum formale, quod in omni actu Fidei contingit, & in objectum materiale tendimus. III. *Declaratur quid sit* credere Deo, Deum, & in Deum. *Denotant Deum esse objectum formale & materiale actus Fidei, ac finem ultimum.*

Tandem, *credere in Deum*, tertiam illam habitudinem denotat, numero præcedente positam, qua scilicet per actum Fidei in Deum ferimur tanquam in ultimum finem: hoc verò non præcisè fit per actum intellectus, sed includit insuper actum voluntatis, quo ordinatio illa in Deum fiat tanquam in ultimum finem, & à quo actus ille Fidei ex hac intentione imperatur. Dari ergo potest actus, quo quis credat Deo, non tamen Deum, vel in Deum, ut dum quis Fide divinâ credit Cainum occidisse Abelem, & similia: è contra verò dari nequit *credere Deum*, vel *in Deum*, quin detur *credere Deo*, cum Deus, ut dixi, sit objectum formale omnis actus Fidei, & quicquid creditur, propter illius auctoritatem credatur. Potest etiam esse *credere Deo* & *Deum*, & tamen non *in Deum*. IV. *Credere in Deum, præter actum intellectus, includit actum voluntatis.* *Dari potest* credere Deo, & non Deum, aut in Deum.

Quæres, an ut quis credat *in Deum* requiratur Fides formata, seu ut qui credit, habeat animam gratiâ & verâ charitate instructam: an reperiri etiam hujusmodi actus Fidei possit in peccatore? Primum affirmare videtur Doctor Angelicus, numero primo citatus, secutus ut verosimile est Sanctum Augustinum ubi supra, qui negare videtur V. *An ut quis credere possit in Deum requiratur ut sit in statu gratiæ.*

videtur peccatores credere in Deum; sic enim habet: *Quid est credere in eum? credendo amare, credendo in eum ire.* In quam rem occasione hujus dicti S. Augustini, sic illud ulteriùs explicans, & hanc triplicem Fidei habitudinem declarans loquitur Magister loco supra citato: *Aliud est* inquit, *credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo, est credere vera esse quæ loquitur; quod & mali faciunt: & nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum, est credere quòd ipse sit Deus quod etiam mali faciunt. Credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & ejus membris incorporari.*

Mens S. Augustini & S. Thomæ circa hoc quod est Credere in Deum.

VI. *Communis est opinio ad hunc actum requiri Fidem formatam.*

Hæc sine dubio est communis Patrum sententia, quam præter jam citatos tenet S. Anselmus ad Romanos 4. & Beda in illud Joannis 6. v. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille:* estque communis scholasticorum opinio.

VII. *Dicunt multi peccatores dici posse credere in Deum.*

Non desunt tamen Theologi, qui contrarium opinantur, & dicunt, etiam peccatores in propriâ personâ credere in Deum: imo S. Augustinus libro de Fide & operibus, cap. 14. & S. Bernardus sermone 24. in Cantica peccatores aiunt credere posse in Deum: quod etiam in ipsis sacris literis habet fundamentum, Joannis enim 12. vers. 42. nonnulli dicuntur credidisse in Christum, qui nihilominus in peccato persistebant, de quibus proinde eodem loco ait Evangelista: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* Unde & Sanctus Chrysostomus homiliâ 52. in Matthæum: *Nihil prodest*, inquit, *si credas in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, nisi rectè vixeris.* Censet ergo Sanctus Doctor, etsi quis sit in peccatis gravibus, nihilo tamen secius posse eum credere in Deum.

Quidam in peccato perseverantes crediderunt in Christum

VIII. *Antonomasticè credere in Deum supponit statum gratiæ, & requirit ut sit Fides formata.*

Hos duos loquendi modos haud difficulter inter se conciliari posse existimo, si dicamus, credere in Deum simpliciter & perfectè, supponere statum gratiæ, & ut quis sit ab omni peccato gravi liber. Ut verò imperfectiore modo aliquis credat in Deum, non videtur necessarius perfectus actus charitatis, & ut diligat Deum super omnia, sed sufficit si in Deum tendat amore concupiscentiæ, seu Spei, & proponendo ei obedire eliciendo actum Fidei, quamvis sit in peccato mortali, & non habeat firmum propositum omnia alia Dei mandata observandi.

IX. *Dicine possit credo in Ecclesiam, vel in Sanctos.*

Hinc infertur alterius quæstionis resolutio, Utrùm scilicet, quemadmodum dicimur *credere in Deum*, ita etiam dici possimus *credere in Ecclesiam, aut in Sanctos.* Res est parvi momenti, nec nisi quæstio de nomine. Negari hoc communiter solet, cum credere in aliquem, relationem ad eum denotet tanquam ad ultimum finem, quod in nihil creatum cadere potest. Quare Sanctus Augustinus tomo 5. tract. 29 in Joannem, in illa verba Joan. 14. vers. 1. *Creditis in Deum, & in me credite: Petro aut Paulo credimus*, inquit, *sed non dicimur credere nisi in Deum.* S. Thomas etiam 2. 2. quæst. 1. art. 9. ad 5. ait, melius esse, & magis usitatum, ut non legatur in Symbolo, *Credo in sanctam Ecclesiam Catholicam*, sed simpliciter, *sanctam Ecclesiam Catholicam*, & pro eodem citat S. Leonem Papam: quo etiam modo alii legunt illum Symboli articulum.

Mens S. Augustini, & S. Thomæ circa hoc quod est credere in Ecclesiam.

X. *Multi non refugiunt dicere Credo in Ecclesiam & in Sanctos.*

His tamen non obstantibus non refugiunt multi concedere dici posse *Credo in Ecclesiam*, vel *in Sanctos*: sic in Epistolâ ad Philemonem, vers. 5. dicit S. Paulus: *Gratias ago Deo meo audiens Fidem, quam habes in Domino IESV, & in omnes Sanctos:* Hinc S. Hieronymus in hanc ipsam Epistolam: *Una atque eadem*, inquit, *credulitas in Deum fertur, & in Moysem, ut populus, qui credebat in Deum, æquè crederet in servum ejus.* Eodem etiam modo loquitur S. Epiphanius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, & alii. Ratio verò est, nam credere in aliquem, non necessariò dicit relationem in eum tanquam in ultimum finem, sed inferiorem tantùm respectum, habitudinem nimirum ad illum cui aliquid dicenti Fidem adhibemus. Nihil ergo apparet, cur hic loquendi modus à Theologis usurpari nequeat.

SECTIO QUARTA.

De Fide miraculorum.

I. *Loquimur tam de illo in quo patrandum est miraculum, quàm de illo qui est miraculum patraturus.*

Sermo hic est non de illo tantùm, qui patraturus est miraculum, sed de illo etiam in quo, seu circa quem miraculum est patrandum, in utroque enim requiritur Fides ut constat, de primo enim sic loquitur Apostolus 1. ad Corinthios 13. vers. 2. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam* &c. de secundo verò videmus Christum in eo, circa quem faciendum erat miraculum, Fidem requisivisse, ut latiùs declarabitur numero septimo.

II. *Tria in eo, qui miraculum patraturus est, requiruntur.*

Notandum insuper, tria in eo, qui miraculum aliquod patraturus est, requiri: primò credulitatem in Omnipotentiâ Dei, quòd nimirum hoc opus, quod naturæ vires excedit, præstare possit. Secundò præter hanc generalem, seu universalem Fidem, quæ omni miraculorum patrationi est communis, requirunt multi aliud judicium magis particulare, per quod certò sibi quis persuadeat se hic & nunc beneficium istud à Deo obtenturum, & hoc miraculum patraturum. Tertiò intervenit actus voluntatis, nempe fiducia: de quibus num. 8. iterum redibit sermo.

III. *Status præsentis difficultatis.*

Quærimus ergo in præsenti, Utrùm Fides miraculorum sit eadem cum Fide dogmaticâ, seu historicâ, vel an realiter ab eâ distinguatur. Prima sententia affirmat Fidem miraculorum realiter à Fide dogmaticâ, seu eâ, quâ mysteria revelata credimus, distingui: ita Vega lib. 9. in Tridentinum, cap. 28. Abulensis in caput 17. Math. quæst. 165. Aragon in præsenti, quæst. 1. art. 1. Vasquez 1. 2. Disp. 209. cap. 4. & Disput. 210. capite quarto.

Prima sententia.

IV. *Quid nonnulli ex Sanctis Patribus sentiant de Fide miraculorum.*

Huic sententiæ non parum favent nonnulli ex Sanctis Patribus: hinc S. Chrysostomus hom. 29. in Epistolâ ad Corinthios in illa verba cap. 12. v. 7. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri autem Fides in eodem spiritu: *Fidem dico*, inquit, *non eam quæ dogmatica est, sed fignorum, de qua dictum est, si habueritis Fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Sanctus etiam Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quintâ in eâdem esse videtur sententiâ, ait enim, etsi nomen Fidei sit unum, dupliciter tamen dividi; *unum quippe genus est*, inquit, *quod habet dogmaticam assensionem, aliud verò quod gratis datur, per quam non solum creduntur dogmata, verùm etiam est super vires effectiva.*

V. *Secunda sententia Fidem miraculorum*

Secunda tamen sententia docet Fidem miraculorum non esse distinctam à Fide dogmaticâ, seu catholicâ, sed utramque ad eundem habitum spectare: ita S. Thomas hîc, q. 178. a. 1. ad 5. Soto

Tom. II.

eandem esse ait cum fide dogmaticâ.

Soto 2. de naturâ & gratiâ cap. 6. Caietanus in cap. 17. Matth. Bellarminus tomo ultimo, Controversiâ 2. lib. 1. de Justificatione cap. 15. & alii. Hanc sententiam clarè docet S. Cyprianus libro tertio ad Quirinum, cap. 42. eámque tenere videtur S. Ambrosius libro octavo in Lucam ad illa verba *adauge nobis Fidem:* pro eâdem etiam sententiâ citari solet Sanctus Hilarius in Matth. capite decimo septimo.

VI. *Probabilius est Fidem miraculorum non distingui à Fide dogmaticâ.*

Hæc secunda sententia mihi videtur probabilior; cum qua proinde dicendum Fidem miraculorum à Fide dogmaticâ realiter non distingui. Declaratur hoc primò ex illo Apostoli ad Hebræos 11. ubi cum de Fide loquens dixisset: *Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, ubi sine dubio sermo est de Fide dogmaticâ, per illam tamen ait patrari miracula, postea namque vers. 33. de eadem subdit: *Per Fidem vicerunt regna, extinxerunt impetum ignis, obturaverunt ora leonum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Idem etiam deducitur ex loco illo Apostoli 1. ad Corinthios 13. vers. 2. quem supra num. 1. attuli: *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam*: ubi dubitari non potest, quin loquatur de Fide dogmaticâ, eam namque comparat cum charitate, & tandem concludit: *Manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas.*

VII. *Fides miraculorum ostenditur esse necessaria in eo qui patraturus est miraculum.*

Requiritur ergo, ut n. 1. dixi, hæc Fides non solùm in eo, qui patraturus est miraculum, sed in illo etiam circa quem est patrandum. Primum inde ostenditur, Deus siquidem, ut ex Scripturis constat, ad patrationem miraculi Fidem requirit, quæ sit credulitas; quod exinde patet; Matthæi enim 17. vers. 19. dicitur non potuisse Apostolos dæmonium illud ejicere propter eorum incredulitatem. Deinde Deuter. 20. Moyses & Aaron eò quòd Fidem non habuerint ad aquam populo Israëlitico è petra educendam, dicuntur non credidisse. Quod verò requiratur etiam Fides in eo, circa quem miraculum est patrandum, sæpiùs traditur in sacris literis: sic enim Matthæi 9. vers. 28. Christus cæcos quosdam curaturus, iis dixit: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Respondérunt: *Vtique Domine; tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum Fidem vestram fiat vobis.* Capite etiam 13. vers. 59. sic habetur: *Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum.*

Necessaria proinde tam in faciento, quàm in eo, circa quem fieri debet miraculum, est credulitas; credulitas autem, ut constat, est actus intellectus; ex his ergo conficitur, Fidem miraculorum esse actum intellectus nitentem auctoritate Dei, qui sæpiùs promisit se hujusmodi Fidem habenti, hac in parte non defuturum; per quem actum firmiter credat, non solùm posse Deum hoc præstare, sed etiam hic & nunc velle, si per eum, qui facit, aut in quo faciendum est miraculum, non steterit: sicque est actus conditionatus, seu certitudinis conditionatæ.

VIII. *Ostenditur quis demum sit actus Fidei Catholicæ, per quem patratur miraculum.*

Hic ergo est actus Fidei Catholicæ, per quem patratur miraculum: & quamvis interdum interveniat firmum illud judicium supra, num. secundo positum, non tamen videtur absolutè necessarium, cum applicatio illa, de qua isthic fit mentio, sufficienter fiat per actum hunc conditionatum proximè assignatum. Ex hoc etiam oriri potest in voluntate fiducia illa, seu humilis confidentia, qua quis sperat Deum sibi auxilium ad hujus miraculi perpetrationem concessurum.

IX. *Verùm præter hunc actum conditionatum requiratur firmum aliud judicium.*

X. *Qui de miraculo hic & nun. patrando dubitat, non amittit Fidem Catholicam.*

Dices, ergo S. Petrus dum in aquis, & Apostoli dum in naviculâ timuerunt, amiserunt habitum Fidei, cum Fides miraculorum eadem juxta nos sit cum Fide Catholicâ. Respondetur, non propter quamcunque levem & venialem dubitationem, seu hæsitationem Fidem amitti. Deinde, ratio frequenter cur miraculum non perpetretur, non est defectus Fidei, sed stante Fide deest fiducia, seu actus ille voluntatis, quem diximus ad miraculi perpetrationem requiri.

XI. *Aliud est patrare miracula, aliud habere Fidem ad ea patranda.*

Dices secundò: Non est in nostrâ potestate habere Fidem miraculorum, cum tamen actus Fidei Catholicæ habere possimus pro libito, ergo Fides miraculorum non est Fides Catholica. Respondetur, non esse quidem in hominis potestate patrare quando vult miracula, cum varia ad hoc ex parte Dei requirantur, qui sæpè videt hoc non expedire: habere autem Fidem miraculorum cum gratiâ & auxilio divino existimo in nostrâ situm esse potestate; est enim actus liber, & quem habere homines possunt si velint: quod exinde constat, Christus namque Matth. 14. & 17. quosdam reprehendit, quòd hanc Fidem non haberent; illam ergo habere, clarum est in eorum situm fuisse potestate.

DISPUTA-

DISPUTATIO DECIMA-SEPTIMA.

De habitu Fidei.

EX Theologis nonnullos video, de habitu Fidei prius quàm de actu Disputationem instituere : mihi tamen satius videtur Disputationem de habitu Fidei Disputationi de Fidei actibus postponere, cum effectus ad causæ cognitionem commodissimè deducant. Doctorem ergo Angelicum secutus, qui ubi 2.ª 2.ª quæst. 2. & 3. de actu Fidei disputasset, jam quæst. 4. disputat de habitu, ejúsque naturam, virtutem, ac proprietates per octo articulos accuratissimè declarat : ejus, inquam, vestigiis insistens, cum Disputatione præcedente de actibus Fidei dixerim, nunc prograediar ad habitum.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur quædam circa virtutem, seu habitum Fidei. Vbi An Fides sit virtus intellectualis.

I. *Dari habitum infusum Fidei, omnino est indubitatum.*

DARI habitum infusum Fidei certum est : hoc probatur inprimis ex illo 13. ad Corinthios v. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc ; major autem horum est Charitas.* Hoc etiam apertè ostenditur ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 6. & 7. ubi docet adultum per justitiam, quæ Fidem, Spem, & Charitatem includit, justificari. Unde Suarez libro sexto de Gratiâ, cap. 3. & 8. meritò censet hoc esse de Fide, idque non de adultis tantùm, sed etiam de parvulis, Concilium enim capite illo septimo asserit, unicam esse causam formalem justificationis nostræ ; cum ergo parvuli non minùs justi sint quàm adulti, & forma, seu causa formalis justificationis sit unica, habere debent eandem justitiam, gratiam scilicet, Fidei, Spei, & Charitatis habitus includentem.

Parvuli sunt univocè justi cum adultis.

II. *Habitus Fidei est in intellectu tanquam in subjecto.*

Hic Fidei habitus est in intellectu, utpote qui est principium permanens actuum Fidei, qui sunt in intellectu, ut Disputatione præcedente dictum est, quamvis requirant actum voluntatis, piam scilicet affectionem, à quo redduntur liberi & meritorii, de quâ fusè disputatum est supra, Disputatione 14. Sect. 3. & 4. dum de libertate Fidei. Sicut ergo actus Fidei actum piæ affectionis requirit, ita Fidei habitus requirit in voluntate habitum. Hic etiam habitus est supernaturalis, cum ordinetur ex naturâ suâ ad producendos actus Fidei, qui ut Disputatione 13. Sectione quartâ fusè probatum est, sunt supernaturales. Sicut tamen, ut ibidem ostendi, dantur etiam actus Fidei naturales circa idem planè objectum, ita & datur habitus Fidei naturalis, ut sit principium eorum elicitivum, quicquid enim actus habent formaliter, habent habitus effectivè.

Requirit habitum voluntatis sibi adjunctum.

Datur habitus Fidei tum supernaturalis, tum naturalis.

III. *Habitus Fidei est varius, certus, & obscurus.*

Hinc ulteriùs infero, habitum Fidei esse virtutem Theologicam, esse essentialiter verum, certum, & obscurum, cum, ut supra suis locis declaratum est, hæc omnia reluceant in actibus Fidei, eadem autem, ut in fine numeri præcedentis dixi, sunt lineamenta habituum & actuum, qui ab iis producuntur. Quæ sit Fidei definitio, quod à nonnullis hic inquiri video, dictum est Disputatione præcedente, Sectione secundâ, à numero tertio.

IV. *Vtrùm Fides sit virtus intellectualis.*

Quæres, Utrùm Fides sit virtus intellectualis? Intellectualis, inquam, nam Divus Thomas 1. 2. quæst. 56. art. 3. distinguit inter virtutem simpliciter, & virtutem intellectualem, aitque nullam esse virtutem simpliciter, nisi vel sit in voluntate, vel voluntati subsit, nos autem in præsenti loquimur de habitu Fidei præcisè prout est in intellectu, & habitum illum voluntatis, de quo dictum est numero secundo, non includit

V. *Probabilius est habitum Fidei esse virtutem intellectualem.*

Dicendum, habitum Fidei esse virtutem intellectualem : ita S. Thomas 2. 2. quæst. 4. a. 5. ad secundum, & 1. 2. quæst. 62. art. 3. ad secundum. Idem ex recentioribus docet Molina primâ parte, quæst. 1. art. 6. Valentia Tomo tertio, Disp. 1. quæst. 4. puncto 5. Hurtado Disp 55. §. 5. Coninck Disp. 16. dub. 3. n. 26. Lugo hic, Disp. 15. num. 19. & alii, contra Durandum in 3 Distinct. 23. quæst. 6. num. 6. & Caietanum hic, quæst 4. art. 5. qui dicebat esse quidem habitum Fidei virtutem intellectus, non tamen virtutem intellectualem. Sed hæc subtiliùs dicta sunt quàm veriùs ; si enim sit virtus intellectus, seu virtus ab intellectu elicita, & in eo subjectata, est virtus intellectualis ; nil namque aliud per virtutem intellectualem intelligunt Theologi.

Inanis hæc in re Caietani distinctio.

VI. *Ratione probatur*

Probatur itaque conclusio, & ostenditur Fidem divinam esse virtutem intellectualem. Virtus

Tom. II.

Fidem infusam, esse virtutem intellectualem.

intellectualis est, quæ semper inclinat potentiam ad bonum suum, hoc autem semper facit Fides infusa, bonum namque intellectus est veritas, seu verum, ad hoc autem intellectum inclinat semper Fides divina, idque multo meliùs quàm ulla scientia naturalis, tum quia est in entitate supernaturalis, sicque perfectissimo modo ornat & perficit intellectum, tum quia summè infallibilis; & quamvis in claritate à scientiis superetur, in certitudine tamen eas multis gradibus excedit, ut supra ostensum est, Disput. 9. Sect. 2. & 3. tum denique, quia de rebus supernaturalibus, ut de Trinitate, aliisque altissimis Fidei mysteriis, quæque naturæ rationalis captum superant, hominem instruit.

Fides divina meliùs multo intellectum perficit, quàm ulla scientia naturalis.

VII. *Aristoteles Fidei supernaturalis nullam habuit notitiam.*

Dices: Aristoteles 6. Ethicorum, cap. 3. quinque tantùm esse ait virtutes intellectuales, nempe *Artem*, *Scientiam*, *Prudentiam*, *Sapientiam*, & *Intellectum*. Respondetur, Aristotelem de Fide infusâ, seu supernaturali nullam habuisse notitiam, sed cognovisse solummodo Fidem humanam & fallibilem, quam nil mirum quòd inter virtutes intellectuales non recenseat, sicut ob eandem rationem è virtutum intellectualium numero excludit opinionem, quòd nimirum incerta sit, & errori obnoxia. Plura hac de re numero nono.

VIII. *Quòd Fides divina sit obscura non obstat quominùs Fides sit dispositio ad optimum.*

Dices secundò: Aristoteles sexto Physicorum textu 17. definire videtur virtutem, quod sit *Dispositio perfecti ad optimum*, ergo Fides non est virtus, cum non disponat ad optimum potentiæ, melior siquidem est intellectui scientia clara & evidens, quàm Fides obscura. Distinguo antecedens, virtus est dispositio ad optimum in genere, concedo antecedens, in specie, nego. Explico distinctionem; optimum in genere voluntatis est *honestum*; optimum in genere intellectus *verum*: ad illud omnis virtus voluntatis disponit, ad hoc omnis virtus intellectus, & de his optimè procedit definitio hæc Aristotelis, & dictum illud est verissimum. Optimum in specie tam in voluntate, quàm intellectu, est actus perfectissimus, qui ab his potentiis elicitur, de hoc autem actu intelligi dictum illud nequit, alioqui nullus erit actus virtutis in voluntate, nisi actus amoris Dei super omnia, nec ullus habitus virtutis præter habitum charitatis, sicque Spes non erit virtus, cum non attingat objectum suum perfectissimo modo, seu Deum propter se, sed ut bonum nobis.

Optimum in genere, & in specie tum in voluntate, tum in intellectu.

IX. *Ulteriùs ostenditur Fidem esse virtutem intellectualem.*

Imo ulteriùs sequitur contra communem Philosophorum sententiam, Philosophiam non esse scientiam, cum non habeat demonstrationes tam evidentes, ac sunt demonstrationes Mathematicæ. Ad illud de Aristotele num. 7. dixi ibidem, cum Fidem supernaturalem seu infusam non cognovisse, sed tantùm cognovit virtutes naturales seu acquisitas, sicque de iis solis est locutus. Si autem Fides divina, seu assensus obscurus & infallibilis illi innotuisset, maximè circa res divinas, non videtur dubium, quin hujusmodi actum longè perfectiorem existimasset scientiâ naturali, præsertim cum libro secundo de partibus animalium, cap. 3. dicat: *Melius est divina utcunque attingere, quàm creata perfectè cognoscere*: ergo & habitum ad hunc assensum inclinantem dixisset esse virtutem intellectualem, estque sic appellanda, etiam præcisè prout est actus intellectus.

Melius est divina utcunque attingere, quàm creata perfectè cognoscere.

X. *Quo sensu Fides sæpè vocetur*

Quando verò Concilia & Patres Fidem appellant virtutem simpliciter, sumitur Fides prout subest voluntati, seu piæ affectioni, à qua accipit quòd sit libera & meritoria. Nec ad hoc ut aliquid dicatur virtus simpliciter, requiritur ut sit in voluntate, sed sufficit quòd voluntati subordinetur, & relationem aliquam ad eam habeat, juxta dicta supra, numero quarto ex Doctore Angelico.

virtus simpliciter.

SECTIO SECUNDA.

Sitne habitus Fidei respectu omnium credendorum ejusdem speciei.

I. *Dictum est supra actus Fidei infusa ob varias rationes distingui specie.*

Disputatione præcedente, Sectione primâ diximus actus Fidei divinæ ex variis capitibus distingui specie, idque non solùm ratione objecti materialis, sed etiam formalis secundarii, seu divinæ revelationis, quæ pro diversis specie objectis est specie diversa, ut ibidem ostensum est numero secundo. Item actus Fidei positivos diximus specie distingui à negativis. Nonnulli, ut Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 3. numero octavo, dicunt actum explicitum Fidei non distingui specie ab actu implicito, quòd nimirum uterque actus idem planè habeat objectum. Contrarium tamen videtur probabilius: quamvis siquidem idem adæquatè sit utriusque actus objectum, tam materiale quàm formale, diversus tamen ille tendendi modus, abundè sufficere videtur ad hos actus specie distinguendos

De actu explicito Fidei, & implicito.

II. *Actus Fidei hominis & Angeli differunt specie.*

Hinc infero actus Fidei hominis & Angeli de eodem omnino objecto tam materiali quàm formali, esse distinctos specie ob eandem rationem, propter diversum scilicet tendendi modum; homo siquidem materiali quodam & confuso modo in suis actibus procedit, Angelus modo longè subtiliore & distinctiore, qui diversus modus in ipsis utriusque actibus semper relucet, ac proinde arguit substantialem in his actibus diversitatem.

III. *Actus Fidei in puro homine esse potest magis meritorius actu Fidei in Angelo.*

Unde actus Fidei infimi Angeli in specificâ seu substantiali ratione superat actum Fidei hominis cujuscunque puri, etiam Beatissimæ Virginis. Hoc tamen non obstante potest actus hominis ratione majoris intensionis esse magis meritorius actu Angeli, sicut multum argenti in valore superat particulam auri. Imo actus Fidei in puro homine, æqualis etiam intensionis cum actu Angeli, esse potest ejusdem cum illo meriti; major enim illa subtilitas actus Angelici parum per se & directè confert ad rationem laudis & meriti, sed merè se habet materialiter. Indirectè tamen potest subtilitas illa Angeli ad valorem & majus meritum conducere, quatenus nimirum juvare potest ad firmiùs & constantiùs credendum.

IV. *Verùm habitus Fidei sit unus specie, & indivisibilis.*

Quærimus itaque, cum tanta in actibus Fidei sit diversitas, etiam specie, utrùm habitus Fidei sit unus specie, & indivisibilis, an diversi habitus partiales diversis specie actibus respondentes. Qua in re non unus est opinandi modus: alii namque Fidei habitum unum & indivisibilem esse statuunt, alii ex variis partialibus habitibus compactum. Loquimur autem in præsenti de habitu Fidei, non prout includit habitum voluntatis, seu piæ affectionis, dicturque Fides justificans, sed merè prout est habitus inclinans ad actus intellectus, quibus res revelatas credimus propter auctoritatem divinam.

Sermo est de solo habitu in intellectu.

Mihi

V. *Habitus Fidei est unus specie & numero in singulis.*

Mihi probabilius videtur habitum Fidei, tum in hominibus, tum Angelis esse unum specie, imò unam in singulis numero qualitatem: ita S. Thomas hîc, quæst. 4. art. 6. Suarez Disp. 7. sect. 1. num. 4. Coninck Disp. 16. dub. 2. n. 18. Hurtado hîc, Disputatione 56. sectione 4. §. 46. ubi, quamvis asserat non posse vel ex Scripturâ, vel Conciliis, vel Patribus efficaciter ostendi habitum Fidei esse unum: ad id nihilominus probandum sufficere ait communem Scholasticorum consensum, ratione cujus affirmat contrarium sine temeritate defendi non posse. Hic autem habitus ad alia & alia objecta per novas species determinatur.

Communis hæc in re Theologorum consensus.

VI. *Eadem qualitas producere potest actus specie diversos.*

Ratio assertionis est; cum enim negari nequeat, quin eadem qualitas plures actus, etiam specie distinctos producere possit, ut potentia intellectiva plures actus intellectus, voluntas voluntatis de facto producit; sicut & lux lucem producit & calorem, calor calorem & siccitatem, tantundem dici potest do habitu Fidei. Idem ergo habitus Fidei est speculativus & practicus, affirmativus & negativus, explicitus & implicitus, &c. quia est horum omnium actuum principium effectivum. Unde S. Augustinus libro 13. de Trin. cap. 2. ad hanc Fidei unitatem applicat illud ad Ephesios 4. v. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Multi tamen existimant hoc non de Fide formali intelligendum esse, sed de objectivâ.

S. Augustinus.

VII. *Incommodum quod ex contrariâ sententiâ sequitur.*

Confirmatur: Ex contrariâ quippe sententiâ sequeretur justos non esse jam sufficienter instructos ad credendum omnia quæ ipsis Deus, vel per seipsum, vel per Ecclesiam potest revelare, sed ad singula, quæ successivè proponuntur, mysteria alios & alios debere partiales habitus infundi. Confirmatur secundò: quicquid enim credimus, propter idem omnino objectum formale credimus, auctoritatem scilicet divinam: quamvis autem diversum objectum materiale, & formale etiam secundarium, ut diximus Disputatione præcedente, sectione primâ, reddat actus Fidei Theologicæ seu infusæ specie diversos, unus tamen & idem habitus, ut proximè ostensum est, potest ad diversos specie actus producendos concurrere. Unde hic habitus, non tantùm ejusdem in omnibus speciei esse dicitur, quamvis in singulis sit numero distinctus, sed à Theologis passim appellatur simplex qualitas, & extensivè indivisibilis, etiamsi sit divisibilis intensivè, quòd per eum iisdem objectis firmiùs & firmiùs quis adhærere possit. Rationes istæ pro hac sententiâ probabiles sunt, non tamen convincunt.

Aliud est do diversitate specificâ in actibus Fidei, aliud habitu.

Hic Fidei habitus dicitur simplex, & indivisibilis.

VIII. *Diversitas inter habitus naturales cognoscitivos, & habitum supernaturalem Fidei.*

Dices: Habitus scientifici naturales non per diversos tantùm gradus intensionis constituuntur in ordine ad eadem objecta, sed per diversas veluti partes ad diversas conclusiones & objecta extenduntur, ut inter alios docet Vasquez 1. 2. Disp. 80. cap. 3. ergo idem dicendum videtur de habitu supernaturali Fidei. Respondetur, latam hic intercedere disparitatem; actus enim illi scientifici naturales, seu novæ conclusiones per actus producuntur, sicque per novos habitus partiales acquisitos, intellectus promptus redditur ad similes iterum actus producendos. Secus res se habet in habitu Fidei, qui non est habitus acquisitus, sed per se infusus, & est instar potentiæ, & dat posse simpliciter. Sicut ergo eadem potentia intellectiva varios, imò omnes actus scientificos producit, ita hic habitus infusus Fidei omnes omnino producit assensus Fidei.

Habitus Fidei habet se per modum potentiæ.

Quare habitus Fidei acquisitus non est qualitas simplex, sed diversæ ejus partes, non intensivæ tantùm, sed extensivæ, modo aliorum habituum naturalium intellectus acquiruntur. Unde quamvis, uti dixi, habitus supernaturalis & infusus Fidei sit ejusdem speciei in omnibus, habitus tamen acquisitus potest in diversis hominibus esse specie diversus juxta varios actus Fidei, quos elicit unus, non alius, & clarè constat dum quis primò instituitur circa articulos Fidei; sicut enim hi successivè proponuntur, ita actus Fidei tum supernaturales, tum acquisiti, qui actus supernaturales comitantur, successivè circa nova & nova objecta proposita eliciuntur, etiam specie distincta: cum ergo uni plura, alii pauciora ex his objectis seu mysteriis interdum proponantur, quamvis habitus infusus Fidei, ut ostensum est, sit in omnibus idem specie, habitus tamen Fidei naturalis seu acquisitus est specie diversus, cum unus diversos specie Fidei naturalis actus eliciat, quos non elicit alius, & consequenter hîc partes illas habitus naturalis actibus illis respondens non acquirit.

IX. *Habitus acquisitus Fidei componuntur ex diversis partibus, tum extensivis, tum intensivis.*

Differentia inter habitum Fidei infusum, & acquisitum.

SECTIO TERTIA.

Reliqua ad habitus Fidei cognitionem necessaria.

I. *Fidei similitudo recipit aliquo modo magis & minus.*

QUÆRES primò: Cum Sectione præcedente dixerimus Fidem supernaturalem propter magnam similitudinem esse in omnibus fidelibus ejusdem speciei, utrùm nihilominus susciplat magis & minus. Respondetur, aliquo modo suscipere, alii enim magis, alii minùs explicitè eadem objecta credunt; quare dici potest Fidem inter illos, qui explicitè reddere possunt rationem eorum, quæ credunt, esse magis unam, quàm sit Fides illius, qui potest, & alterius, qui non potest reddere explicitè rationem illarum rerum, quibus per actus Fidei assentitur. Hoc sensu loquitur Sanctus Hieronymus capite primo in Epistolam ad Titum super verba illa Apostoli vers. 4. *Secundùm communem Fidem. Quod quidem,* inquit, *melius mihi videtur, Apostoli Pauli & Titi Fidem fuisse communem, quàm omnium credentium: in quibus pro varietate mentium Fides communis esse non poterat.*

S. Hieronymus tom. 6.

II. *Præter habitum Fidei nullum aliud infunditur lumen permanens intellectui.*

Quæres secundò: Utrùm præter habitum Fidei infundatur aliud lumen intellectui; id enim non semel insinuat Scriptura: secundæ etenim ad Corinthios cap. 4. v. 6. dicit Apostolus: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ,* &c. Item 1. Petri 2. v. 9. sic habetur: *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Respondetur tamen, præter primam illuminationem, seu gratias prævenientes, per quas Deus mentem illustrat, ut perfectiùs quis apprehendat motiva credibilitatis, seu rationes ad mysterium aliquod credendum inducentes, & præter ipsos actus Fidei infusæ, per quos objecta nobis revelata credimus & cognoscimus, nullum lumen permanens infundi præter habitum Fidei, qui est lumen radicaliter effectivum actuum Fidei, juxta jam sæpius dicta. De hoc lumine, tum actuali, tum habituali intelliguntur loca Scripturæ proximè citata.

Lumen, aliud actuale, aliud habituale.

Tom. II.

III. *De speciebus, & piâ affectione ad Fidem requisitis dictum est suprà.*

Quæres tertiò: Quid de speciebus, & piâ affectione sentiendum, quæ non minùs ad actum Fidei eliciendum necessariæ sunt quàm habitus Fidei. Huic quæsito satisfactum est suprà Disputatione decimâ-tertiâ, sectione sextâ, & Disputatione decimâ-quartâ, sect. 3. 4. & 5. nec opus est hic quidquam adjicere.

IV. *Habitus Fidei divina infunditur nonnunquam sine gratiâ habituali, seu charitate.*

Quæres quartò: Utrùm habitus Fidei aliquando infundatur adulto sine gratiâ habituali, seu charitate? Negat Durandus in 3. Distinctione 13. q. 6. Scotus in 3. Distinctione 36. in fine, Vega & alii. Dicendum nihilominus habitum Fidei divinæ subinde infundi sine gratiâ habituali, seu charitate: ita S. Thomas hîc, q. 6. art. 2. ad tertium, & alii quidam ex Theologis. Probatur: Fide enim certum est habitum Fidei supernaturalis sæpè manere sine gratiâ & charitate, gratia namque habitualis & charitas per quodcunque peccatum mortale amittuntur, quod tamen non contingit in habitu Fidei, ut Disputatione sequente videbimus. Quando ergo catechumenus primò instituitur circa mysteria Fidei, credit Fide divinâ articulos sibi tunc propositos; actus ergo Fidei supernaturalis, qui tunc liberè, vel per auxilium extrinsecum, vel intrinsecum transiens elicitur potest esse sufficiens dispositio ad habitum Fidei, ejusque infusionem de congruo merendum. Deinde hic catechumenus constanter credit illa mysteria, ergo sicut propterea inferimus habitum Fidei in eo, qui grave aliquod peccatum admisit, etiamnum manere, quòd nimirum constanter adhuc credat articulos Fidei, idem dici potest de hoc catechumeno. Imò probabilius videtur habitum Fidei interdum infundi ante habitum Spei. Quando autem infunditur habitus Fidei, verisimilius est infundi etiam habitum piæ affectionis ante charitatem.

Ostenditur Fidei habitum infundi interdum sine gratiâ habituali.

V. *Quo sensu, hujusmodi catechumenus est adhuc infidelis.*

Dices: Adultus iste est adhuc infidelis. Respondetur, si per infidelem intelligatur is, qui actu non suscepit baptismum, est adhuc infidelis, cum necdum admissus sit in gremium Ecclesiæ: si verò per infidelem intelligat quis eum, qui Fidei mysteria non credit, hic dici hoc sensu nequit infidelis, cum non minùs assensu verè supernaturali, Fidei articulos credat, quàm aliquis baptizatus.

VI. *Qua ratione Concilium Tridentinum dicat simul infundi Fidem, Spem, & Charitatem.*

Nec obstat quòd Concilium Tridentinum sessione sextâ, capite septimo dicat hominem in justificatione hæc omnia simul infusa accipere, *Fidem, Spem, & Charitatem*: hoc, inquam, non obstat; certum est enim non debere hoc dictum Concilii universim & semper sumi ut sonat: quando namque fidelis quispiam gratiam, quam per peccatum amiserat, recuperat, & justificatur, nec Spei, nec Fidei habitus accipit, utpote quos non amisit, cum hi duo habitus per omne peccatum non tollantur. Aliqui ergo hoc intelligendum existimant de justificatione parvuli: alii asserunt mentem Concilii esse, hæc omnia semper in justificatione esse simul. Tandem, salvo meliori judicio, dici posse videtur, eam esse justificationis naturam, ut hæc omnia homo habeat, imò tunc accipiat, si omnia, vel aliqua ex iis antea non habuerit.

Tres hujus pronunciati acceptiones.

DISPUTATIO DECIMA-OCTAVA

De amissione Fidei.

CAUSIS omnibus ad habitus Fidei productionem declaratis, nunc quæ ad ejus amissionem, seu destructionem pertinent, sunt explicanda, idq; tum in hac vitâ, tum sequente; utraque enim Fidei amissio peculiarem habet difficultatem. Dum verò habitus Fidei destructionem, ejusque causas declaramus, eâdem operâ illius conservationem quantæq; sit durationis ostendimus, & quo pacto hac in re à gratiâ, Charitate, aliisque virtutibus merè ad voluntatem spectantibus differat, utpote quæ per omne peccatum grave deperduntur.

SECTIO PRIMA.

Quo modo Fides amittatur in hac vitâ. Vbi etiam de Fide vivâ & mortuâ.

I. *Fidei habitus, nisi per peccatum non amittitur.*

IN imprimis tanquam certum supponendum, nempe habitum Fidei, nisi per peccatum non amitti; cum enim ex se seu naturâ suâ, & ab intrinseco non petat desitionem, sed indifferens sit ad quamcunque durationem, Deus qui eum infudit, nunquam illum tollit, nisi homo aliquid ponat, quo eum abjiciat, vel demereatur.

II. *Habitus Fidei non amittitur per quodvis peccatum mortale.*

Quærimus ergo, cum Fides non nisi per peccatum amittatur, utrùm amittatur per omne peccatum mortale. Dicendum Fidei habitum, non per quodvis peccatum mortale amitti. Hæc Conclusio est de Fide, & à Concilio Tridentino contra nostri temporis sectarios Sess. 6. can. 28. definita. Probatur inprimis ex illo Jacobi secundo, vers. 14. *Quid proderit, Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* & vers. 20.

Fidem sine Charitate manere docent Patres.

vers. 20. *Fides sine operibus mortua est*: ubi, quicquid dicant sectarii, apertè supponit Apostolus, Fidem posse sine charitate persistere. David etiam duo gravissima peccata commisit, adulterii scilicet & homicidii, Fidem nihilominus non amisit. Hinc S. Augustinus libro primo de Trin. cap. 18. ait *Fidem sine Charitate esse posse: non prodesse.* Quod etiam alibi frequenter docet; multique in eadem veritate tradendâ sunt Sancti Patres.

III. *Omne peccatum, Fidei in suâ ratione formali non opponitur.*

Ratio assertionis est: Omne namquo peccatum rationem formalem objecti Fidei non destruit, nec ei in conceptu suo formali opponitur, ut per se videtur manifestum; quid enim vetat, ut quis homicidium, furtum, aut fornicationem committat, & tamen Deo objectum aliquod revelanti credat, hæc namque objecta formalia planè disparatè se habent, nec unum alteri ullo modo est contrarium. Hinc fit, ut possit homo Deo credere, nec ullâ ratione velle Fidem negare, quantumvis alia peccatâ, etiam gravia admittat, & in vitâ ac moribus Deum offendat. Sicut autem hæc peccata actibus Fidei non opponuntur, ita nec opponuntur habitui.

IV. *Objicitur: habitus Fidei est proprietas gratia, ergo destructâ gratiâ destruitur.*

Dices: Gratiâ habitualis, ut communis & certa habet Theologorum sententia, per omne peccatum mortale destruitur, ergo & habitus Fidei, utpote qui à gratiâ pendet sicut passio, seu proprietas à formâ: ac proinde gratiâ sublatâ tollatur etiam habitus Fidei necesse est, sicut, ubi amittitur gratia, virtutes omnes morales infusæ unà cum eâ intercidunt. Confirmatur ex illo 1. ad Timoth. c. 1. v. 19. *Bonam conscientiam quidam repellentes, circa Fidem naufragaverunt.*

V. *Fides ad gratiam comparatur ut fundamentum ad ædificium.*

Ad argumentum dico, habitum Fidei non comparari ad gratiam tanquam proprietatem ab eâ dimanantem, sicut comparatur Charitas, & virtutes morales infusæ, sed, ut optimè advertit Suarez comparatur habitus Fidei ad gratiam ut fundamentum ad ædificium, quod destructo ædificio potest etiamnum persistere.

VI. *Declaratur mens Apostoli.*

Ad Confirmationem respondetur, non velle per illa verba Apostolum, omne peccatum contra conscientiam destruere Fidem formaliter, sed solùm dispositivè, quatenus nimirum per varia peccata minuitur affectus erga Deum, & hoc modo mens paulatim disponitur ad incidendum in hæresim, & ut quis liberiùs fruatur voluptatibus, ad Fidem si res ita ferat negandam. Hoc in more hodie videmus nostri temporis hæreticis, qui cum adolescentem catholicis præceptis imbutum pervertere volunt, & ad suas partes pertrahere, non ab intellectu ejus incipiunt, sed à voluntate: vitiis ergo eum primò ac voluptatibus implicant, fœdisque carnis illecebris & oblectamentis irretiunt, quibus penitus immersus, ita occæcatur paulatim, ut & sui & Dei obliviscatur, & hoc pacto aptus tandem redditur qui ad hæreticorum castra se transferat: atque ita his magistris ab innocente in scelestum, ab homine in belluam, à belluâ in hæreticum transit.

Pessima hæreticorum nostri temporis consuetudo.

Primò voluntatem corrumpit, mox intellectum.

VII. *Cur ob omne peccatum mortale non tollat Deus habitum fidei.*

Dices secundò: Ea est gravitas peccati mortalis, utpote quod est malitiæ quodammodo infinitæ, ut omnium omnino Dei donorum privationem mereatur, ergo & habitus supernaturalis Fidei: alioqui per nullum mortale peccatum tolleretur. Respondetur, Deum, si quod peccato mortali in rigore debetur facere vellet, posse etiam habitu Fidei peccatum hoc admittentem jure meritissimo orbare, sicut similiter ob justam in eum indignationem posset illum naturali etiam vitâ privare, & statim deturbare ad infernum, sed cum iratus est, misericordiæ recordatur; vitam hanc relinquit, ut alteram, vitam scilicet gratiæ, recuperet, cujus recuperandæ, quamdiu vivit, Spem habet, Ideoque Deus habitum fidei ex suâ benignitate & misericordiâ in eo relinquit, utpote qui Spei & justificationis est maximè connaturalis radix & fundamentum. Aliqua tamen peccata talis naturæ sunt, ut ob ea habitus fidei tollatur, uti postea dicetur.

Quare in peccatore remaneat habitus Fidei.

VIII. *De Fide vivâ & mortuâ, formatâ & informi.*

Quoad secundum, de Fide scilicet *vivâ & mortuâ, formatâ & informi*, communis est hæc Theologorum Fidei divisio, desumpta ex Sancto Augustino libro de cognitione veræ vitæ, cap. 32. eámque tradit Divus Thomas 2. 2. q. 4. art. 3. 4. & 6. quem Thomistæ & alii sequuntur. Eadem Fidei divisio habetur in Sancto Bernardo sermone secundo de resurrectione.

IX. *Declaratur quid sit Fides viva & mortua.*

Fides ergo viva, seu formata illa est, quam in animâ vel Angelo gratia, quæ vita est animæ, & charitas comitatur; Fides verò in animâ sine gratiâ & charitate est informis & mortua: quo sensu dixit S. Jacobus, cap. 2. vers. 20. *Fides sine operibus mortua est.* Fides ergo destructâ gratiâ non destruitur, ut volunt sectarii, sed solùm vitâ illâ, splendore, & ornatu orbatur, quæ ipsi ex gratiæ concomitantiâ accedebant. Quodautem Fides maneat aliquando sine gratiâ & charitate, seu operibus, testatur idem Apostolus capite illo secundo citato, versu 17. ubi sic habet: *Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsâ:* ergo manet juxta Apostolum, quamvis sit mortua, seu non habeat opera. Sicut actus eleëmosynæ ab homine in gratiâ existente factus, est opus vivum, in homine sine gratiâ mortuum, sicque idem opus successivè est vivum & mortuum: idem ergo contingere potest in habitu Fidei.

Ostenditur eandem Fidei habitum posse successivè esse vivum & mortuum.

X. *Objic. Fides mortua non est magis Fides, quàm homo mortuus est homo.*

Dices: Juxta S. Jacobum loco citato: *Fides sine operibus mortua est*, ergo unà cum gratiâ destruitur, sicut enim homo mortuus non est homo, ita Fides mortua non est Fides. Confirmatur: nam S. Gregorius homil. 26. in Evangelia sic habet: *Vera Fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit:* ergo juxta S. Gregorium post commissum peccatum, & amissam per illud gratiam & charitatem, non manet vera fides, ergo nec Fides; sicut enim, inquiunt, quod non est verum ens, non est ens; ita quod non est vera Fides, non est Fides.

XI. *Duplex Fidei acceptio, quoad essentiam, & quoad statum.*

Ad solutionem notandum, duobus modis sermonem hîc esse posse de verâ Fide, vel quoad essentiam, vel quoad statum, seu in esse substantiæ, & virtutis. Loquendo itaque de Fide quoad essentiam seu substantiam, Fides informis seu mortua, hoc est, quæ in animâ existit sine gratiâ & charitate, est vera Fides, habet namque veram rationem & conceptum Fidei, conceptus quippe verus & essentialis Fidei in eo situs est, ut rebus revelatis assentiatur propter auctoritatem divinam, ad hoc autem præstandum nec actus Fidei formaliter, nec habitus efficienter eget gratiâ, vel charitate, cum conceptus ille sit ab istis diversissimus. Si verò sermo sit de Fide quoad statum, seu in esse virtutis, hoc est, secundùm diversum statum subjecti, cum gratiâ scilicet & charitate, vel sine illis existentis habitus Fidei, quamvis quoad essentiam sit vera Fides, ut dixi, non tamen est vera virtus Fidei simpliciter, cum juxta Sanctum Thomam 2. 2. quæst. 6. art. 2. & dictum ab omnibus Theologis acceptum, charitas sit forma virtutum.

An Fides sine Charitate sit vera Fides in esse virtutis.

Hinc

Tom. II.

XII. *Ostenditur dari veram Fidē quoad substantiam sine gratiâ, non tamen quoad statum.*

Hinc ergo constat ad objectionem: quando enim Sanctus Jacobus dicit Fidem sine operibus esse mortuam, non loquitur de Fide quoad substantiam, seu essentiam, sed in esse virtutis, cum in peccatore careat illo splendore & vitâ ei à gratiâ & charitate extrinsecus communicatâ, nec quidquam fructuosum in ordine ad vitam æternam operatur. Atque ex hoc constat differentia inter Fidem mortuam & hominem mortuum, vita enim hominis est ipsi intrinseca, & cum eo identificata, ipsáque ejus essentia, per quam denominatur vivens, consistitque realiter in materiâ, formâ, & unione, quarum ullâ sublatâ, entitas hominis destruitur: vita verò Fidei est illi extrinseca. Eodem modo respondetur ad pronunciatum illud Divi Gregorii, Fidem scilicet sine gratiâ & operibus esse veram in esse substantiæ, seu essentiæ juxta jam dicta, non quoad statum, & in esse virtutis, ut fusè declaratum est. Atque hæc doctrina apertè tradita est in Concilio Tridentiuo Sess. 6. can. 28.

Explicatio dicti S. Gregorii n. 10. habetur.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm per omne peccatum hæresis, vel infidelitatis tollatur habitus Fidei.

I. *Vt actus hæresis vel in fidelitatis tollat habitum Fidei, debet esse deliberatus.*

DIXI *peccatum*, si enim actus hæresis, seu infidelitatis sit planè indeliberatus, non est cur per eum tollatur habitus Fidei, cum nullum vel in Scripturâ, vel Conciliis, vel Patribus sit hujus rei fundamentum. Idem à fortiori dicendum de eo, qui omnino invincibiliter dissentit alicui articulo Fidei, planè scilicet ignorans objectum illud esse à Deo revelatum; hunc enim, opinor, nullus dicet amittere Fidem infusam, cum illum ipsum articulum etiamnum credat implicitè, quatenus nimirum explicitè credit omnia vera esse, quæ ab Ecclesiâ dicuntur esse à Deo revelata. Certum denique est eum, qui uni Fidei articulo dissentit, non statim amittere habitum Fidei acquisitæ circa alios articulos. Quæstio itaque procedit de solo habitu Fidei infusæ.

II. *In hæretico circa unum Fidei articulum non manet Fides infusa circa reliques.*

Conclusio: Quisquis per peccatum mortale hæresis (per hæresim intelligo etiam infidelitatem) uni Fidei articulo dissentit, statim habitum Fidei infusæ circa omnes Fidei articulos amittit: ita Divus Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. estque communis Theologorum sententia, ut non sit opus auctores referre, cum unus inventus sit Durandus, qui hoc negaverit, cujus opinionem secuta est Glossa Cap. *Firmiter* de summâ Trinitate. Dicit ergo Durandus in 3. Dist. 23. quæst 9. etsi quis uni vel alteri Fidei articulo deliberatè dissentiat, si tamen assensum aliquibus præbeat, habitum Fidei infusæ eum non amittere.

Durandi hac in re opinio.

III. *Ex Concilio Tridentino ostenditur Fidem infusam per actum hæresis amitti.*

Probatur tamen conclusio primò ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 15. ubi sic habetur: *Asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa Fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur Fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Nec refert quòd Concilium in Canonibus hoc totum non repetierit, nec dixerit in iis denuo Fidem per infidelitatem amitti, sed tantùm asseruerit Fidem per omnia peccata non amitti; hoc, inquam, non obstat, doctrina enim capitum non minùs est de Fide, quàm doctrina canonum. Deinde, ut benè advertunt aliqui, hæretici, contra quos canones illi sunt facti præsertim vigesimus octavus, non negabant Fidem per infidelitatem amitti, unde non erat opus ut Concilium quidquam hac in re contra eos illic definiret, maximè cum antea in capite illo 15. hoc expresse tradidisset. Quia tamen Concilium capite illo decimo quinto citato, non directè, sed quasi per parenthesim hoc dixit, Fidem scilicet per infidelitatem amitti, putant nonnulli id non esse de Fide; aiunt tamen omnes, cum Concilium absolutè hoc affirmet, non posse sine errore negari.

Capita & Canones Conc. Trid. ejusdem sunt auctoritatis.

IV. *Scriptura testimonio probatur Fidem infusam amitti per infidelitatem.*

Nec ad hanc veritatem stabiliendam desunt testimonia ex sacris literis desumpta. S. Paulus itaque 1. ad Timotheum cap. 1. in fine dicit hæreticos naufragium circa Fidem fecisse, id est, ut loquitur S. Chrysostomus homiliâ quintâ in eam Epistolam, ab Ecclesiâ & Fide exciderunt: sicut enim, inquit Sanctus hic Doctor, qui naufragium fecit, rebus omnibus amissis nudus evadit, ita qui ex Ecclesiæ nave per infidelitatem excidit, interna Dei dona omnia, & virtutes amittit: loquitur autem hoc loco Apostolus de Hymenæo & Alexandro, qui tamen non omnes Fidei articulos, sed tantùm resurrectionem negabant, ut postea S. Paulus declarat, & tamen eò quòd hunc unum articulum obstinatè negabant, eos dicit fidei naufragium fecisse. Unde idem Apostolus in eâdem Epistolâ, cap. 6. num. 4. de hæretico loquens: *Superbus est*, inquit, *nihil sciens*, hoc est, ut rectè explicat Suarez, nihil certò & firmiter credens.

V. *Docent Sancti Patres per unum actum hæresis tolli Fidem infusam.*

Hanc etiam doctrinam unanimi consensu tradunt Sancti Patres, inter quos Sanctus Augustinus eam apertissimè variis locis docet, ut libro primo contra Epistolam Parmeniani, capite 7. item de Fide & Symbolo, capite decimo: capite etiam quinto Enchyridii, & alibi. Hoc ipsum clarè affirmant alii Patres, qui passim docent eos, qui in hæresim inciderunt, non esse verè, sed solo nomine Christianos, ergo juxta illos habitus Fidei infusus per actum hæresis, seu infidelitatis amittitur; si enim illum retinerent, non nomine tantùm, sed re essent Christiani.

SECTIO TERTIA.

Sitne inter actum hæresis & habitum infusum Fidei repugnantia physica.

I. *An actus hæresis physicè, an solùm moraliter tollat habitum Fidei infusa.*

QUÆRES, Quomodo cum habitu Fidei infusæ pugnet actus hæresis, seu infidelitatis, physicè, seu ex naturâ rei, an moraliter solùm, ac demeritoriè, & ex ordinatione divinâ? Communis est Thomistarum opinio, actum hæresis physicè pugnare cum hoc habitu infuso; quod etiam docet Vasquez 1. 2. Disp. 9. cap. 4. quem sequitur Torrez, & alii.

II. *Actus hæresis non pugnat physicè cum habitu infuso Fidei.*

Dicendum tamen, hanc inter actum hæresis & habitum Fidei infusæ pugnam non esse physicam, sed moralem tantùm, & hunc ab illo destrui solummodo demeritoriè: ita Suarez tomo tertio de Gratiâ, libro 11. cap. 7. & hic, Disputat. 17. Sect. 2. num. 4. Coninck Disp. 17. d. 3. & Disp. 18. dub. 4. & alii.

III. *Ratio à priori cur non*

Ratio Conclusionis est: Actus enim infidelitatis vel hæresis nihil physicum habet cum habitu Fidei infusæ incompossibile; habitus siquidem infusi,

pugnent physicè actus hæresis, & Fides infusa.

infusi, ut ex communi Theologorum mente sæpè dictum est, dant simpliciter posse, reddúntque subjectum in quo sunt, in actu primo potens ad actus supernaturales circa materiam, quam quisque diversam respicit, eliciendos, nempe habitus charitatis ad actus amoris, habitus Spei ad actus supernaturales Spei, habitus Fidei ad articulos Fidei propter auctoritatem divinam supernaturaliter credendos, & sic de cæteris: sed potentia ad credendum aliquid supernaturaliter, rectè componi potest cum actuali errore contrario; quantumvis enim neget quis Deum esse Trinum & Unum, potest nihilominus hoc mysterium credere. Sic in naturalibus potentia intellectiva ad actum scientiæ, & volitiva ad actum amoris circa aliquod objectum, optimè stant cum errore actuali, & odio illius objecti, ut quotidianâ constat experientiâ.

Stat potentia aliquid credendi, cum errore contrario.

IV. *Sequeretur peccatum etiam venuale hæresis tollere habitum Fidei infusa.*

Confirmatur: Si enim ob oppositionem physicam peccatum hæresis tollat habitum Fidei infusæ, sequeretur per peccatum etiam veniale hæresis aut infidelitatis amitti hunc habitum, cum non minùs ei physicè opponatur peccatum veniale hæresis, quàm mortale. Sequela autem nullâ ratione admitti potest, sublato namque habitu infuso Fidei tolleretur gratia & charitas, utpote quæ in viâ nunquam reperiuntur sine habitu supernaturali Fidei; per nullum autem peccatum veniale tollitur gratia, ut apud omnes est in confesso. Solùm ergo tollitur habitus infusus Fidei per peccatum mortale hæresis, Deo eum in peccati hujus pœnam subtrahente.

V. *Objic. Sequitur per odium Dei amitti habitum Fidei.*

Dices: Si actus hæresis cum habitu Fidei infusæ pugnet moraliter tantùm, seu demeritoriè, sequitur contra dicta Sectione præcedente, non per hæresim solummodo aut infidelitatem, sed per alia etiam peccata, puta odium Dei &c. amitti habitum Fidei, hoc siquidem peccatum in ratione demeritorii superat peccatum hæresis. Respondetur pœnam duplicem esse, essentialem, & accidentalem: argumentum itaque rectè probat odium Dei mereri majorem pœnam essentialem, seu graviùs puniri in inferno, pœnam tamen hanc accidentalem, ablationem scilicet habitus Fidei infusæ peculiari modo meretur hæresis & infidelitas, pœnâ peccato respondente. Sic è contrario laureolæ, ut passim docent Theologi, non propter amorem Dei, seu actum charitatis, & maxima etiam merita, sed ob particulare genus operum meritoriorum, Martyrii scilicet, Virginitatis &c. beatis à Deo conferuntur.

Resp. Odium Dei mereri majorem pœnam essentialem, non accidentalem.

VI. *Facilitas ad alios articulos credendos provenit ab habitu Fidei acquisito.*

Dices secundò: Postquam quis unum vel alterum Fidei articulum per actum hæresis negavit, eandem facilitatem retinet credendi alios articulos, ergo signum est illum eundem quem antea habuit Fidei infusæ habitum retinere. Sed contra; hinc namque sequeretur, etiamsi quis, non uni tantùm vel alteri Fidei articulo dissentiat per peccata mortalia hæresis, sed licèt plurimos neget, adhuc non amissum iri Fidem, seu habitum illum infusum, cum etiamnum circa articulos, quos non negavit, sentiat facilitatem in credendo. Respondetur itaque hanc facilitatem provenire ab habitu acquisito, ab actibus naturalibus Fidei, qui unà semper cum supernaturalibus eliciuntur, vel ab ipsis etiam actibus Fidei supernaturalibus producto, ut dixi Disp. 31. de Animâ, Sectione secundâ, numero quarto: ad hoc verò insuper concurrunt species, tum rerum ipsarum, quæ sæpiùs jam sunt creditæ, tum motivorum credibilitatis.

VII. *Nil impedit quo minùs quis sit fidelis sub unâ ratione, & infidelis sub aliâ.*

Dices tertiò: Physicè repugnat ut quis simul sit fidelis & infidelis, sed per actum hæresis constituitur quis infidelis, per habitum infusum Fidei fidelis, ergo inter hæc duo datur physica repugnantia. Respondetur non obstare physicè quò minùs quis sit fidelis sub unâ ratione, quatenus nimirum per habitum Fidei infusæ est aptus ad articulos Fidei credendos; & infidelis, quatenus actu articulum aliquem Fidei obstinatè negat: quemadmodum & castus quis esse potest per castitatem infusam, quam post varia admissa luxuriæ peccata, in justificatione accipit per baptismum vel pœnitentiam, & tamen esse luxuriosus per habitum luxuriæ antea contractum.

VIII. *Aliud est dà Fide humanâ & acquisitâ, aliud dà divinâ & infusâ.*

Dices quartò: Potest aliquis Fide acquisitâ non credere unum & nihilominus credere aliud, unum tamen vel alterum hoc modo non credendo, non destruitur totus habitus Fidei humanæ, ergo nec divinæ, seu infusæ. Negatur tamen consequentia, disparitas est; Fides enim humana & acquisita est divisibilis, Fides autem infusa simplex qualitas, & indivisibilis. Deinde objectio illa potiùs probaret actum hæresis & habitum Fidei infusæ non opponi inter se physicè, sed tantùm moraliter, modo jam declarato.

SECTIO QUARTA.

Vtrùm obstinatè dissentiens uni articulo Fidei, credere possit alios.

I. *Difficultatis propositæ declaratio.*

HACTENUS de Fidei habitualis amissione dictum est, nunc aliquid subjungendum de amissione, vel impeditione actualis. Quærimus itaque, an qui deliberatè, & pertinaciter aliquem Fidei articulum debitè sibi propositum credere renuit, & obfirmato in contrarium animo persistit, possit Fide divinâ credere reliquos. Dixi *deliberatè & pertinaciter*, ac sciens cum esse articulum Fidei; si enim quis ei dissentiat existimans invincibiliter non esse articulum Fidei, quamvis circa hunc particularem articulum, cui etiam invincibiliter discredit, habere verum actum Fidei, etiam naturalem non possit, cum eidem objecto assentire simul & dissentire nequeat, non tamen est, quo minùs credere, actu etiam supernaturali possit reliquos, qui sufficienter proponuntur.

Quid de illo, qui invincibiliter ignorat illum esse articulum Fidei.

II. *Vtrùm ignorantia culpabilis unius articuli impediat Fidem actualem circa reliquos.*

Quæres, Utrùm si quis non invincibiliter, sed ignorantiâ culpabili etiam mortaliter, ignoret aliquid esse articulum Fidei, eo quòd habens suspicionem illud esse revelatum, negligit ulteriùs circa ejus revelationem inquirere; quæres, inquam, Utrùm obstinatè dissentiens huic Fidei articulo, possit nihilominus credere alios. Mihi probabilius videtur, in hoc nullam esse repugnantiam; hic enim, quantumvis peccare, etiam graviter queat, circa rem hanc non inquirendo, cum tamen reipsa articulus ille non sit sufficienter propositus, non est cur per illum dissensum materialem, vel habitus Fidei ab eo tollatur, vel Fides actualis circa alios articulos impediatur, voluntas quippe ad actum Fidei requisita etiamnum manet, voluntas scilicet credendi Deo aliquid revelanti, Deum autem hic & nunc istud revelare ignorat, quamvis id ignoret peccaminosè.

III.

Sermo itaque in præsenti est de negatione articuli Fidei formaliter, seu de dissensu scienter habito

Tom. II.

habito ab articulo Fidei cognito ut tali. Tres hac in parte sunt dicendi modi: primus est quorundam recentiorum, qui hoc non ad physicam ullam, sed moralem tantùm repugnantiam reducunt. Dicunt itaque eum, qui obstinatè dissentit uni Fidei articulo, posse quantum est ex se, & ex naturâ rei credere alios articulos; Deus tamen, inquiunt, statuit auxilium gratiæ ad actum supernaturalem Fidei ei nunquam conferre, sicque negans pertinaciter unum, credere nequit reliquos. Suarez verò hîc, Disp. 7. Sect. 4. Lorca Disp. 33. Valentia hic, quæst. 5. punct. 3. Coninck Disp. 18. dub. 4. & alii affirmant eum, qui pertinaciter unum Fidei articulum negat, non posse actum supernaturalem Fidei circa alios elicere, idque ob repugnantiam physicam; aiunt namque per actum hæresis vel infidelitatis tolli objectum formale Fidei, auctoritatem scilicet divinam per quamcunque regulam seu organum traditam; qui enim, inquiunt, Deo per unum organum loquenti credere recusat, non potest ei credere loquenti per aliud. Tertiò Durandus in 3. Dist. 23. q. 9. num. 8. asserit, quantumvis quis unum Fidei articulum, cognitum ut talem neget, posse eum nihilominus, etiam de lege ordinariâ credere reliquos, non physicè tantùm, sed moraliter, cum hi actus objecta habeant planè diversa.

Tres de actu hæresis circa unum articulum, & idei circa ties dicendi modi.

IV. *Quibusdam actibus hæresis tollitur objectum formale Fidei.*

Prima Conclusio: Si quis ita articulum aliquem à Deo revelatum neget, ut existimet Deum falsum dicere, & fallere posse aut falli, nullum alium articulum credere potest Fide divinâ. Ratio est clara: hujusmodi quippe actus hæresis tollit objectum formale Fidei, veracitatem scilicet divinam, seu summam ejus in dicendo infallibilitatem, unde quicquid deinceps ob Dei dictionem ac revelationem credit, non actu certo & infallibili, qualis, ut supra ostendimus, esse debet actus Fidei divinæ, sed incerto & fallibili credit; talis siquidem est actus, quale est objectum formale cui innititur, hoc autem ipsi est incertum & fallibile, cum Deum putet non esse in dicendo infallibilem, sed fallere posse & falli.

V. *Negans unũ articulum, credere nequit alium eodem modo revelatum.*

Secunda Conclusio: Si quis Deo, vel per privatam revelationem aliquid ei dicente, vel per certum organum, puta Ecclesiam, loquente, & articulum aliquem manifestante, articulum illum negat, nullum alium articulum eodem modo revelatum ac propositum credere potest Fide divinâ, idque non moraliter tantùm, ut volebat prima sententia supra, numero tertio relata, sed neque physicè. Probatur Conclusio: cum enim in his omnibus eadem sit ratio credendi, auctoritas scilicet divina eodem modo proposita, si unum articulum neget, signum est eum alios non ob auctoritatem Dei, sed aliâ de causâ, & ex animi levitate credere, sicque non habere verum actum Fidei Theologicæ.

VI. *Vnum sic propositum credere, & non credere aliud, esset virtualis cõtradictio.*

Confirmatur: Implicare siquidem videtur ut quis unum articulum credat quia ab Ecclesiâ nomine Dei infallibiliter credendus proponitur, alium verò quem novit eodem modo propositum rejicere; esset namque virtualis & implicita contradictio, ac proinde nullum credere potest, sic enim crederet aliquid esse verum quia Ecclesia id auctoritate divinâ docet, simulque crederet aliud esse falsum, quod certò scit ab Ecclesiâ eodem modo, & divinâ auctoritate proponi; hac autem ratione existimaret Ecclesiam in proponendo Fidei articulos esse fallibilem & infallibilem; & idem est de privatâ revelatione respectu alterius privatæ revelationis. Ob quam causam conclusione præcedente, numero quarto dixi eum, qui unum Fidei articulum negat quia existimat Deum in eo falsum dicere, posseque fallere & falli, nullum alium credere Fide divinâ, imò ad hoc reddi impotentem.

VII. *Nullo fundamento diceret quis Ecclesiam in uno esse infallibilẽ, non in alio.*

Nec dicas posse aliquem existimare Ecclesiam in hoc vel illo articulo proponendo à Deo regi, & peculiarem habere assistentiam, ac proinde esse illius organum, non tamen in omnibus: hoc, inquam, dici nequit, eadem enim ubique sunt indicia infallibilitatis Ecclesiæ in proponendo, sicque si in uno articulo proponendo non habet judicio ipsius infallibilitatem, nullo fundamento judicabit eam esse infallibilem in proponendis aliis, adeóque illius Fides non esset prudens, sed levis & vana, & consequenter non supernaturalis. Ex quo infero, eum, qui unum Fidei articulum ab Ecclesiâ propositum negat, non posse, etiam physicè, ullum omnino articulum Fidei Catholicæ credere, perinde enim est articulus Catholicæ Fidei & articulus ab Ecclesiâ, quæ unica jam regula est universalis seu catholicæ Fidei ad credendum propositus.

Levis & vana Fides non potest esse supernaturalis.

VIII. *Quid sentiendum quando diu articuli proponuntur per diversa organa adæquata.*

Tertia Conclusio: Si tamen articuli aliqui à diversis adæquatè organis, ut olim apud Judæos erant Moyses & Christus, proponantur, nil obstare videtur, quo minùs possit quis unum articulum credere, negans alium. Ratio Conclusionis est; nulla enim in hoc est repugnantia aut contradictio vel formalis vel virtualis, si enim esset, maximè quia negatio unius ex illis articulis tolleret objectum formale alterius, hoc autem non sequitur, quantumvis namque Judæus neget Christum, credere nihilominus potest Deum creasse mundum, objectum quippe adæquatum hujus actus Fidei est veracitas seu auctoritas divina huic rei applicata per revelationem factam Moysi, & per hujus sanctitatem ac miracula, aliáque motiva credibilitatis Judæo à Moyse proposita, ex hoc autem objecto, ut constat, nihil in Judæo tollitur negando Christum, credere enim etiamnum potest Deum esse in dicendo infallibilem, & creationem mundi esse Moysi à Deo revelatam, & à Moyse propositam. Credere ergo potuisset Judæus dictis Moysis, quamvis non crederet dictis Christi; uni autem dicto Moysis assentiri Fide divinâ non potuisset, si aliud ab eo dictum negasset, ob rationes supra pro secundâ Conclusione allatas.

Credere Moysi si posset Iudæus negans Christum.

Vnum articulum à Moyse propositum negans non potuisset credere alios.

SECTIO QUINTA.

Solvuntur quædam difficultates contrà dicta circa impedimentum Fidei actualis per actum hæresis.

I. *Objicitur, Nullam in hoc esse repugnãtiam, nec physicam, nec moralem.*

Obiicit primò Durandus, nullam in eo apparere repugnantiam, ut quis, etsi unum Fidei articulum neget, credat alium, etiam ab eodem organo propositum; nec enim est repugnantia physica, cùm illi duo actus tendant in diversa objecta, & planè disparata; neque etiam est repugnantia moralis, seu ex decreto & ordinatione Dei statuentis non dare auxilium, seu concursum supernaturalem ad alium articulum credendum ei qui negavit unum, nullibi enim de tali decreto constat, imo contrarium potiùs ex Scripturâ & Patribus, ipsáque etiam experientiâ constare

Resp. Hanc repugnantiam non esse moralem, sed physicam.

constare videtur. Respondetur fatendo hanc repugnantiam non esse moralem illam sectione præcedente, numero tertio à recentioribus statutam, sed physicam, quòd nimirum dum quis alicui articulo dissentit, tollatur partiale objectum formale quando est de eodem organo, juxta dicta supra, Sectione præcedente, numero quinto, sexto, & septimo.

II. *Objic. Apostolos in triduo mortis Christi fidem amisisse, qui tamen credebant creationem mundi.*

Objicies secundò: Apostoli aliique in triduo mortis Christi, Fidem Christi videntur amisisse: unde Lucæ 24. vers. 11. dicitur: *Visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* Quare nonnulli autumant Ecclesiam illo tempore in solâ Virgine mansisse: ex quo originem duxisse existimat Turrecremata illam Ecclesiæ cæremoniam candelas omnes præter unam in illius tridui officio extinguendi, quòd nimirum cæteris Ecclesiæ luminibus extinctis, Virgo sola lucem Christique Fidem retinuerit. Quam etiam ob causam asserunt aliqui diem Sabbati illi esse peculiariter dicatum. Jam verò non est verisimile amisisse Apostolos Fidem circa creationem mundi, & alia hujusmodi, ac proinde unus fidei articulus credi potest sine alio.

Cur dies Sabbati sit peculiariter Virgini dicatus.

III. *Apostoli in triduo Christi fidem non amiserunt.*

Inprimis quoad hanc objectionem P. Suarez hîc, Disp. 9. Sect. 3. num. 8. negat Apostolos in illo triduo Christi Fidem amisisse; quamvis de illius resurrectione dubitaverint, utpote quæ non satis ipsis videtur fuisse etiamnum perspecta, juxta illud Joannis 20. vers. 9. ubi de se & Petro, qui ad sepulchrum cucurrerant, dicit: *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere*, dubitabant siquidem utrùm Christus propriè an ænigmaticè fuisset hac de re locutus. Quamvis insuper Petrus in Fidei confessione defecerit, nihil tamen Fidei contrarium credidit, nec dubitavit an Christus esset verus Deus: quod etiam S. Chrysostomus, S. Augustinus, Sanctus Ambrosius, & alii ex Patribus affirmant, communisque habet scholasticorum sententia cum Magistro in 3. dist. 24. Quod similiter de Sancto Joanne, & Sancto Jacobo, qui teste Sancto Hieronymo de viris illustribus, à morte Christi usque ad illius resurrectionem jejunavit, videtur omnino dicendum. De aliis etiam probabilius videtur, eos non de Christi divinitate in illo triduo, sed solùm de resurrectione dubitasse. Ex quo à fortiori sequitur eos non perdidisse Fidem de creatione mundi, & aliis hujusmodi.

Quid de Petri fide sentiant Patres & Theologi.

IV. *Creationem mundi potuissent Apostoli credere propter testimonium Moysis.*

Secundò dici potest hanc objectionem solùm probare id quod in fine Sectionis præcedentis, Conclusione tertiâ diximus de duobus organis adæquatis. Unde etiamsi supponamus Apostolos Fidem de Christi divinitate amisisse, creationem tamen mundi credere Fide divinâ potuissent propter testimonium Moysis, sicut illam, & id genus alia credebant tunc temporis Judæi, & peculiariter Regi Agrippæ act. 26. vers. 27. dicit S. Paulus: Credis *Rex Agrippa Prophetis? Scio quia credis.* Aliud est de eodem organo, ut Sectione præcedente ostensum est Conclusione secundâ, ubi diximus non posse quemquam unum articulum negare, & alium ab illo ipso organo propositum credere.

V. *Credens unum articulum non debet necessariò esse paratus animo ad credendum omnes.*

Dices: Quisquis unum articulum credit, paratus esse animo debet ad credendum omnes sufficienter propositos, ergo &c. Distinguo antecedens, si per idem organum proponantur, concedo antecedens, si per diversum, nego: jam enim non eodem modo proponuntur, sicque nil mirum si unus credatur, non alius, juxta dicta loco proximè citato; circumstantiæ namque sunt diversæ, unde de hoc & illo articulo non est eadem ratio, nec uterque necessariò est vel credendus, vel negandus. Adde, quamvis qui prudenter judicat articulum ab uno organo propositum esse dignum qui credatur, non possit non judicare idem de altero eâdem probabilitate proposito, quamvis à diverso organo proponatur, non tamen necessariò illum credit; aliud quippe est judicare articulum aliquem esse credibilem, aliud illum credere: sicut potest quis sibi persuadere, & judicare prudenter sobrietatem esse bonam & honestam, & nihilominus ex corrupto affectu inebriari.

Aliud est judicare articulum aliquem esse credibilem, aliud illum credere.

VI. *Nihil in eo est incommodi, ut veniale peccatum hæresis impediat actum Fidei circa idem objectum.*

Objicies tertiò: Ex dictis sequitur peccatum etiam veniale infidelitatis vel hæresis, actum scilicet quodammodò indeliberatum pugnare cum actu Fidei; idem quippe est utriusque objectum, actus scilicet deliberati hæresis & hoc modo indeliberati, hi siquidem non habent objectum diversum, sed in eo solùm differunt, quòd unus cum plenâ advertentiâ eliciatur, alter tantùm cum semiplenâ. Respondetur, nihil in eo esse incommodi, ut peccatum veniale hæresis impediat exercitium actus Fidei circa idem objectum, cùm, ut supra diximus, actus planè indeliberatus, & qui ne quidem veniale peccatum est, hoc præstet, circa idem quippe objectum affirmatio & negatio, assensus & dissensus simul dari nequeunt. Quod etiam affirmare omnes debent de actu veniali semideliberato, quo quis affirmaret Deum fallere posse aut falli, hoc enim actu stante, nullum omnino actum Fidei elicere is potest, nec Deo quidquam dicenti, assensum firmum & infallibilem præbere. Aliud est de amissione habitus Fidei per peccatum veniale hæresis, ut dictum est Sectione tertiâ, numero quarto.

Fateri omnes debent actum aliquem semideliberatum hæresis impedire actil Fidei.

Objicies quartò: S. Augustinus libro de Baptismo, cap. 3. ait Judæum ad Fidem conversum, non amittere, sed etiamnum retinere Fidem, quam antea habebat de Deo. Respondetur solùm loqui de Fide objectivâ.

VII. *S. Augustinus loquitur de fide objectivâ.*

DISPUTATIO DECIMA-NONA.

De subjecto, & augmento Fidei.

DE solis subjectis rationalibus est sermo, res siquidem irrationales, Fidei capaces esse nullo pacto possunt, utpote quæ spiritualis est, omnique potentiæ materiali improportionata. In quibus ergo subjectis rationalibus Fides reperiatur hic inquirimus, hominibus scilicet & Angelis, iisq; tum viatoribus tum comprehensoribus. Difficultas etiam est de animabus in Purgatorio detentis, quæ quamvis à viâ hujus vitæ discesserint, necdum tamen plenè sunt in termino, nec beatitudinem adepti. Vltimò de damnatis, tum hominibus tum Angelis agendum, & num Fides in iis etiamnum permaneat investigandum.

SECTIO PRIMA.

In quibus subjectis reperiatur Fides: & primò de viatoribus.

I. *Viatores omnes per se loquendo sunt Fidei capaces.*

VIATORES omnes, tum homines, tum Angelos esse per se loquendo Fidei capaces communis est Theologorum opinio. Per se, inquam, loquendo; ii enim qui rationis usu destituti sunt, amentes scilicet & infantes, actum Fidei elicere de lege ordinariâ non possunt. Dixi de lege ordinariâ, Beatissimæ namque Virgini hoc à Deo concessum fuisse privilegium, ut nimirum in ipsâ etiam infantiâ, primisque vitæ annis imo diebus, & Fidei perfectos, amorisque ferventissimos actus eliceret constans omnium est sententia: quod præterea sancto Joanni Baptistæ in infantiâ contigisse credimus.

Privilegium VIRGINI concessum.

II. *Negant aliqui Angelos in statu viæ habuisse Fidem.*

Circa viatores ergo difficultas est primò de Angelis, dum adhuc in viâ existerent, utrùm scilicet habuerint Fidem. Negat Hugo de Sancto Victore libro primo de Sacramentis, parte 5. c. 14. & parte 6. cap. similiter 14. Magister in 2. Dist. 23. Halensis & alii, qui eos, non Fidem, actum scilicet obscurum, sed claram & perfectam mysteriorum revelatorum cognitionem, etiam in viâ habuisse affirmant, operationum omnium supernaturalium fundamentum.

III. *Angeli omnes dum in viâ versarentur, habuerunt Fidem.*

Contrarium tamen, omnes scilicet Angelos in viâ habuisse Fidem, cum Doctore Angelico 2. 2. quæst. 5. art. primo, tenet communis schola Theologorum, Caietanus hoc ipso loco, Bannez, Arragon, & alii. Valentia q. 5. puncto primo. Vasquez 1. parte, tomo secundo, Disp. 135. c. 3. & tertia parte, tomo primo, Disput. 53. cap. 1. & alii passim; quæ proinde sententia omnino est tenenda. Ratio verò est; nam ut rectè S. Thomas citatus, cum Angeli non sint creati in gloriâ, erant verè viatores, ac proinde habere debebant cognitionem propriam viæ, hæc autem est Fides, qua nimirum divina mysteria, non clarè cernuntur, sed veluti per speculum in ænigmate. Confirmatur: Angeli enim, cum ab initio non fuerint in patriâ, erant in statu accedendi ad Deum, accedentem autem ad Deum oportet credere, ut ait Apostolus ad Hebræos c. 11. v. 6. Confirmatur secundò: Angeli siquidem juxta omnes erant creati in gratiâ, & consequenter erant justi & grati Deo, *Sine Fide autem impossibile est placere Deo*, ut docet idem Apostolus loco citato. Habacuc etiam secundo, vers. 4. dicitur, *Justus in fide vivit*; ergo cum fuerint justi & viatores, habere debebant Fidem, quamvis hæc eorum Fides diversæ rationis fuerit à fide hominum, ut suprà, Disputatione decima-septimâ, sectione secundâ, num. 2. & sequentibus est dictum. Conveniebat etiam ut Angeli, qui in corpore pati non poterant, captivando intellectum, Deo per Fidem obsequia mentalia præstarent, & hoc modo beatitudinem mererentur.

Ostenditur Angelos in viâ credidisse mysteria à Deo revelata.

Status gratiæ in viatoribus Angelis requirebat Fidem.

IV. *Difficultas quo pacto primus Angelus potuerit habere Fidem.*

Verùm contra dicta gravis occurrit difficultas, saltem de primo Angelo (reliquos enim per primum circa Fidei mysteria fuisse illuminatos docent passim cum Divo Thoma Theologi, sicque habuerunt revelationem eorum obscuram) is namque evidenter noverat mysterium Trinitatis exempli causâ, & alia sibi à Deo fuisse revelata, unde ibi non erat obscuritas, quæ nihilominus ad Fidem est necessariò requisita, sed habuit notitiam evidentem illorum mysteriorum; ex unâ enim parte habuit evidentiam attestationis divinæ, aliunde verò clarè sciebat Deum esse in dicendo infallibilem, ergo cognitio inde orta non potuit esse Fides, sed scientia, cum usquequaque fuerit evidens.

V. *Primus Angelus non*

Hanc difficultatem latè tractavi suprà, Disp. 11. sect. 5. & 6. ubi dixi primum etiam Angelum non habuisse evidentiam testimonii divini, nec clarè cognovisse

Habuit evidentiam attestationis divinæ.

cognovisse Deum tunc locutum esse, & mysteria illa ipsi revelasse, ut ibidem fusè declaratum est: nec in præsenti necessarium est illic dictis quidquam adjicere.

VI. *Primi parentes in statu innocentiæ habebant Fidem.*

Secunda difficultas circa viatores est de primis parentibus, utrùm scilicet Adamus & Eva in statu innocentiæ habuerint Fidem. Qui numerò secundo dixerunt Angelos, dum essent in viâ, non habuisse Fidem, idem hic affirmant de primis parentibus in statu innocentiæ. Contrarium tamen cum auctoribus numero tertio citatis affirmandum, Adamum videlicet & Evam in statu innocentiæ habuisse Fidem, quod eodem modo probatur, quo hic probatum est Fidem in Angelis, dum adhuc essent in viâ, fuisse repertam, argumentáque contraria eodem modo sunt solvenda. Hæc communis est Sanctorum Patrum sententia, inter quos S. Ambrosius lib. 5. epist. 33. cum Adamo loquens sic habet: *Agnosce te esse nudum, quia bonæ indumenta fidei perdidisti.* Quod etiam de Beatissimâ Virgine, Apostolis, aliisque dicendum esse ostendi Disp. illâ undecimâ, sect. quintâ.

VII. *Anima in Purgatorio habent Fidem.*

Tertia hac in re difficultas est de animabus in Purgatorio detentis; quamvis namque inter vivos esse desierint, & hoc sensu non sint in viâ, nec completè inter viatores censeri possint, nondum tamen sunt in termino, nec Dei visione potiuntur: quare non est cur habitum supernaturalem Fidei, quem in vitâ habuerunt, amittant. Deinde tendunt etiamnum ad beatitudinem, eamque desiderant & expectant, hæc autem supponunt Fidem. Præterea sunt justæ, & perfecto actu supernaturali Charitatis Deum super omnia diligunt, hic autem actus cognitionem supernaturalem, à qua reguletur, supponit. Cum ergo peregrinentur adhuc à Domino, ambulant per Fidem, & ut benè Coninck, cum necdum venerit quod perfectum est, non est cur evacuetur quod ex parte est.

Actus Charitatis in eis regulabatur per Fidem.

VIII. *Ostenditur quo pacto potuerint habere actum Fidei.*

Dices: Habebant evidentiam in attestante, ergo non habebant fidem. Primò negari potest antecedens juxta dicta num. 5. ex Disputatione II. sect. quintâ & sextâ. Secundò, etiamsi concederetur eos habuisse evidentiam attestationis divinæ, seu clarè cognovisse Deum mysteria illa ipsis revelare, species tamen obscuræ de revelatione quam in hac vitâ habebant, etiamnum manent, & per hanc revelationem credere hæc mysteria possunt; Fidem namque & scientiam de eodem objecto stare simul in eodem intellectu posse ostendi Disput. 50. Log. sect. 2. & tertiâ. Quod de animabus in Purgatorio dixi, idem de Sanctis illis animabus, quæ usque ad Christi passionem in Limbo detinebantur, dicendum, eas scilicet veram Fidem habuisse, cum necdum fuerint in termino. Aliud est de existentibus in Limbo puerorum, sunt namque in termino, & consequenter Fidem, quæ viatorum propria est, non habent, nec ad beatitudinem æternam, ad quam obtinendam Fides ordinatur, tendunt.

Quid dicendum de existentibus olim in Limbo Patrum, & nunc in Limbo puerorum.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm in beatis sit, vel esse possit Fides.

I. *In beatis de facto non datur Fides.*

DIco primò: in beatis nec quoad actum, nec quoad habitum de facto reperitur Fides propriè dicta. Hæc communis est Doctorum sententia cum S. Thoma 1. 2. Quæst. 67. a. 3. & 5. desumiturque ex sancto Augustino lib. 14. de Trin. & libro primo de Doctrinâ Christianâ, cap. 37. Quare audiendus non est Gerson tractatu de vitâ spirituali, & Durandus in 3. Dist. 23. dum contrarium asserere videntur. Explicandi etiam sunt Tertullianus lib. de Patientiâ, cap. 12. Irenæus libro secundo contra hæreses, cap. 47. & Photius Episcopus Constantinopolitanus, dum dicere videntur Fidem manere in patriâ. Nonnulli, inter quos est Valentia 2. 2. Disp. 1. quæst. 5. puncto secundo existimant eos non de Fide propriè dictâ locutos esse, sed de aliâ cognitione Fidei aliquo modo simili. Intelligi etiam possunt de scientiâ in attestante, quam aliqui vocant Fidem, quia est ob auctoritatem loquentis: de qua scientiâ plura statim dicentur.

Quo sensu dicant nonnulli Fidem manere in patriâ.

II. *Ex divinis Literis ostenditur Fidem de facto non reperiri in beatis.*

Prima conclusionis pars, nempe de Fide actuali, probatur ex illo Apostoli 1. ad Corinthios 13. vers. 9. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*; tam Fidei scilicet, quàm prophetiæ obscura cognitio. Et paulò post, vers. 12. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Versu etiam octavo ejusdem capitis sic habetur: *Charitas nunquam excidit*, &c. secunda item ad Corinthios capite quinto, versu septimo, dicit Apostolus: *Per fidem ambulamus, non per speciem*: Fidem opponens visioni.

III. *Docent Patres Fidem non manere in patriâ.*

Hanc poinde veritatem apertè tradunt Sancti Patres, Sanctus Augustinus sermone 53. de tempore: sanctus Anselmus in illum locum D. Pauli, *Charitas nunquam excidit.* In quem etiam locum sic loquitur Sanctus Hieronymus: *Charitas nunquam excidit, id est ipsa sola permanet in futuro.* Qua de re loquens S. Chrysostomus homiliâ 34. in locum illum Apostoli, *Major autem horum est Charitas*, ideo Charitatem ait esse majorem, quia Fides & Spes transeunt, Charitas autem semper durat. Hæc ille.

IV. *Ratio cur Fides actualis reperiri nequeat in beatis, non est ita facilis assignatu.*

Rationem hujus rei firmam afferre, non ita est facile. Lugo hic, Disput. 17. sect. 3. num. 30. Rationem cur actus Fidei connaturaliter esse nequeat in patriâ, etiam circa objecta quæ beati non vident in Verbo, hanc affert: à patriâ enim, inquit, seu statu beatitudinis quæ est omnium bonorum complexio, abesse debet omne malum, quale est, non formido tantùm, sed potentia ad formidandum; licèt namque actus Fidei divinæ, cum sit firmissimus omnem actualem formidinem excludat, non tamen per eum excluditur potentia formidandi, ne assentiendo objecto sic obscurè proposito incidat in errorem, credendo scilicet Deum id revelasse quod non revelavit; pro illo enim priori nihil est quod impediat quo minùs hoc timere possit: ergo stante visione beatificâ non potest quis elicere actum Fidei. Hoc argumentum prolixè prosequitur Lugo loco citato.

Visio beatifica & formidinem excludit, & potentiam formidandi.

Tom. II.

V. *Ostenditur traditam rationem non convincere, quòd nequeat in beatis dari actus Fidei.*

Hæc tamen ratio mihi non videtur concludere: quamvis enim in modo proponendi hoc objectum nihil sit, quod tollat potentiam formidandi, vel etiam ipsam formidinem, eum modus ille sit obscurus, nec differat, ut supponimus, à modo quo nobis objecta Fidei divinæ proponuntur, aliunde nihilominus & formido tollitur, & formidandi potentia; habet namque semper beatus actum clarissimum & certissimum, quo vel in Verbo videt, vel per scientiam supernaturalem evidentissimè cognoscit se errare non posse, hic verò actus non formidinem tantùm errandi tollit à beato, sed potentiam formidandi: sicut scientia, quam beatus semper habet fore ut ipsius beatitudo, seu visio Dei sit æternùm duratura, non timorem tantùm de illius perpetuitate tollit, sed timendi potentiam.

Quis actus in beato tollat potentiam formidandi.

VI. *Hunc actum Fidei in beato sequitur actus scientiæ.*

Intrepidè ergo se ad credendum accingit, cum nôrit se errare non posse. Dices, ergo si objectum illud credat, certò scit ita id se habere, hæc autem est scientia, non Fides. Respondetur, hunc actum scientiæ non antecedere, sed sequi actum illum Fidei; videndo enim hunc suum actum Fidei, & sciendo se non posse errare, infert evidenter objectum illud ita esse sicut actus Fidei dicit; hic autem actus scientificus nullo modo impedit actum illum Fidei, cum, uti dixi, sit eo posterior. Quando autem Deus beato clarè aliquid extra Verbum revelat, ita ut is sciat revelationem illam esse à Deo, assensus inde secutus non est propriè & strictè dicta Fides, cum sit actus clarus & evidens, clarè ostendens, & objectum esse verum, & hanc verè esse revelationem divinam, sicque nulla est obscuritas nec in objecto materiali, nec formali. Quidam tamen hunc actum vocant Fidem, quia est propter auctoritatem extrinsecam, & testimonium loquentis, quamvis clarè cognitum: non tamen est propriè Fides, ut suprà vidimus Disputatione undecimâ, sect. primâ: neque hic loquendi modus est usurpandus.

Assensus in attestante non est propriè Fides.

Modus loquendi non usurpandus.

VII. *Statum beatitudinis nulla decet obscuritas.*

Ratio ergo, cur actus proprius Fidei in beatis reperiri nequeat, est; statum enim illum perfectissimum beatitudinis non decet ulla obscuritas, utpote qui claram & immediatam revelationis ac locutionis Dei cognitionem requirit, nec ullo modo decens & congruum videtur, ut amicus amicum præsentem signis ac mutibus alloquatur, eique mentem suam obscurè aperiat, cùm connaturalissimè cum eo clarè loqui possit: ita Suarez hîc, Disput. 6. sect. 9. num. 7. Hurtado hîc, Disput. 59. sect. 4. §. 15. & alii. Hanc etiam ob causam nullus actus probabilis elici potest à beatis circa res etiam naturales, actus namque omnis probabilis involvit obscuritatem: actus tamen scientificos, etiam abstractivos his de rebus habere statum illum beatificum non dedecet.

In patriâ non dantur actus probabiles.

VIII. *Ostenditur habitum Fidei de facto in beatis non reperiri.*

Secundam conclusionis numero primo statutæ partem, in patriâ scilicet non dari habitum Fidei propriè dictæ, probant aliqui, quòd nimirum foret otiosus, cum nullum actum Fidei ibidem producere hic habitus possit. Sed contra: in corporibus siquidem beatorum post diem judicii semper manebit potentia vegetativa, nutritiva, & generativa in sententiâ potentias distinguente ab animâ, & tamen nullum unquam actum elicient, ergo ex eo præcisè quòd habitus infusus Fidei, qui, sicut alii habitus supernaturales se habet instar potentiæ, nullum in beatis actum producet, non sequitur in iis non mansurum ad ornatum animæ, & integritatem ædificii supernaturalis, quemadmodum hæ potentiæ manent ad ornatum corporis, & integritatem, seu complementum potentiarum materialium. Ratio itaque cur habitus Fidei non maneat in beatis, nec connaturaliter in iis manere possit, est ejus obscuritas: unde sicut numero septimo propterea actum Fidei è patriâ exclusimus, quia est obscurus, idem nunc faciendum de habitu, qui id habet in actu primo, quod actus in secundo.

Quòd foret otiosus solum non sequitur.

Habitus Fidei non est in patriâ propter obscuritatem.

IX. *Visio beatifica pugnat immediatè cum actu Fidei, lumen gloriæ mediatè cum Fidei habitu.*

Hinc infero, inter lumen gloriæ & habitum Fidei esse oppositionem aliquo modo physicam, saltem mediatam; inter visionem verò & actum Fidei est repugnantia immediata quia visio Dei, seu beatitudo directè & immediatè petit ut nullus ibi sit actus obscurus: cum ergo lumen gloriæ petat connaturaliter producere actum visionis, habet saltem mediatam oppositionem cum habitu Fidei, qui petit producere actum Fidei.

X. *Principia actuum contrariorum non semper sibi sunt contraria.*

Nec obstat quod opponunt aliqui, quòd nimirum licèt actus inter se subinde pugnent, ut actus currendi & sedendi, non tamen principia, imo idem interdum potest esse actuum contrariorum principium, ut eadem voluntas est principium amoris & odii: ita P. Hurtado hîc, Disp. 29. §. 11. & Disp. 59. §. 16. Hoc inquam iis quæ jam diximus, non obest: quamvis enim id ita frequenter contingat, universim tamen non est verum; sicut namque peccatum & visio inter se pugnant, ita & lumen gloriæ & peccandi potentia: quod à fortiori dicendum de unione hypostaticâ respectu eorundem: ut rectè observat Lugo citatus, num. 41.

XI. *Objic. Sequi inter beatos non posse dari Fidem humanam.*

Dices: Hinc sequitur non dari Fidem etiam humanam inter beatos, cum sit actus obscurus, nihil autem obscurum secundùm nos in cœlo statui potest. Ex aliâ verò parte si, dum beati inter se colloquuntur, unus alteri credere, ejusque dictis Fidem adhibere nequeat, tollitur omne inter eos commercium, & solatium accidentale quod ex mutuâ inter se conversatione percipere possent: sicque perfectissimi illius status felicitas magnam partem minueretur. Respondetur posse beatos sibi invicem credere; hæc tamen non est Fides propriè dicta, nec actus ille quidquam in se continet obscuritatis aut formidinis, vel formalis, vel radicalis. Quamvis namque hic assensus sit propter testimonium loquentis, cum tamen evidenter sciat is, quem beatus alloquitur, hanc esse locutionem beati, & beatos nec fallere posse nec falli, actus ex his secutus erit evidens, & scientificus, sicut suprà Disput. 11. diximus de evidentiâ in attestante ob testimonium divinum clarè cognitum. Et idem est de Angelis vel inter se, vel cum beato loquentibus.

Resp. Posse beatos sibi invicem credere, non tamen Fide propriè dictâ.

XII. *Per divinam potentiam dari potest in beatis & actus Fidei, & habitus.*

Dico secundò: Per divinam tamen potentiam dari in beatis potest actus, & consequenter habitus Fidei: ita Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 9. n. 7. qui id non de illis tantùm rebus affirmat, quæ beati non vident in Deo, sed de iis etiam, quæ vident, quod mihi videtur probabilius. De primâ parte, iis scilicet quæ non videntur in Deo, minor est difficultas, quid enim vetat, ut Deus obscurè illa revelet, ita ut nec revelatio, nec res revelata nec motiva videantur, in quo casu nihil deest ad verum & proprium actum Fidei. Secunda etiam pars ostenditur; quantumvis enim & Deus & objecta illa clarè in Deo videantur, non tamen est necessarium ut videatur revelatio, sicque cum objectum formale Fidei adhuc maneat obscurum, nec concomitantia visionis circa objectum materiale tollat hanc obscuritatem, non impedit

Etiam de rebus in Deo visis dari in beatis potest verus actus Fidei divina.

impedit quo minùs res illa credatur Fide divinâ. Unde à fortiori in beatis dari divinitus potest habitus Fidei.

XIII. *Probabilius est, amisso in patriâ habitu Fidei, manere habitum piæ affectionis.*

Quæres, Utrùm in beatis maneat habitus piæ affectionis? Negat P. Granado hîc, tract. 13. Sect. 1. num. 4. Coninck Disp. 17. num. 43. & alii. Probabilius tamen est piæ affectionis habitum in cœlo manere, tum ad actus aliquos conditionatos eliciendos, ut, *Si Deus me juberet credere, crederem*: tum etiam ad actum gaudii de assensu Fidei in hac vitâ seu viâ olim habito: qui actus quamvis produci possint ab habitu charitatis, si quis nimirum eos eliciat præcisè quia Fides placet Deo, possunt nihilominus elici ex affectu erga honestatem, quæ relucet in credendo, hic autem affectus propriè spectat ad habitum piæ affectionis. Hanc itaque sententiam tenet Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 9. num. 7. quoad actum illum conditionatum: & quoad habitum Disp. 7. Sect. 5. num. 4. Hurtado Disp. 29. Sect. 2. §. 11. & alii.

Quis sit conceptus piæ affectionis.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm in damnatis reperiatur Fides.

I. *De potentiâ absolutâ dari potest Fides in damnatis.*

DE potentiâ Dei absolutâ posse in damnatis ac dæmonibus, etiam in illo statu manentibus, dari tam habitum quàm actum Fidei infusæ, nulli dubium est, cùm Fides peccato mortali non repugnet, nec cum statu damnationis essentialem habeat incompossibilitatem. Sermo itaque in præsenti solùm est de potentiâ ordinariâ, & utrùm de facto in damnatis & dæmone detur actus vel habitus Fidei infusæ.

II. *Asserunt nonnulli reperiri de facto in damnatis Fidem infusam.*

Prima sententia affirmat, Fidem etiam infusam in damnatis reperiri, si eam in hac vitâ habuerint: ita Durandus in 3. dist. 23. q. 9. idem docere videtur Halensis 3. p. quæst. 64. membro primo, quam etiam sententiam tradere videtur Magister in 3. Dist. 23. quæst. 9. § 4. & ex recentioribus probabilem eam existimat Valentia & Salmeron, hîc Disp. 3. in Epistolam Jacobi, ille Tomo tertio, Disp. 1. quæst. 5. punct. 2. Idem docet P. Justinianus in illum locum Divi Jacobi. Fundatur hæc sententia in illo Jacobi 2. vers. 19. *dæmones credunt, & contremiscunt*, ubi loqui videtur Apostolus de actu Fidei infusæ, alioqui invalida foret ejus argumentatio, hoc enim exemplo utitur ad probandum, Fidem, etiam infusam, non sufficere ad justificationem & salutem, cum, inquit, dæmones credant, qui nihilominus in peccato persistunt & damnatione.

Fundamentum hujus sententiæ est illud: dæmones credunt, & contremiscunt.

III. *Nec actus, nec habitus Fidei infusa reperitur in damnatis, neque de lege ordinariâ reperiri in eis potest.*

Contraria tamen sententia planè est tenenda, nempe nec in hominibus damnatis, nec dæmonibus reperiri actum aut habitum Fidei infusæ, nec de potentiâ ordinariâ reperiri in iis posse, licèt possint de potentiâ absolutâ, ut dictum est numero primo. Hæc est expressa mens S. Thomæ hîc, quæst. 5. art. 2. Caietani ibidem, Sancti Bonaventuræ in 3. dist. 25. art. 2. quæst. 3. Gabrielis quæst. 2. art. 3. tenet etiam Suarez hîc, Disp. 6. Sect. 9. num. 9. & Disp. 7. Sect. 5. Bannez hîc, quæst. 5. art. 2. dub. 1. dicens contrariam sententiam esse periculosam, & errori proximam. Turrianus hîc, Disp. 43. dub. 3. Hurtado hîc, Disp. 59. Sect. 2. qui tamen contrariam opinionem affirmat non esse censurâ dignam. Eandem sententiam tenet Lorca Disp. 30. num. 4. Granado hîc, Tract. 13. Sect. 1. n. 5. & alii.

Probatur primò: Fides siquidem est fundamentum salutis, & ad æternam beatitudinem consequendam ordinatur, utpote quæ est juxta Apostolum *sperandarum substantia rerum*, quarum prima & præcipua est gloria cælestis: damnati autem cum è cœlo in perpetuum excluſi sint, æternisque suppliciis addicti, & insuper in statu desperationis versentur, nec consequi beatitudinem, nec eam sperare possunt. Confirmatur: ad Fidem namque, ut in superioribus ostensum est, requiritur pia affectio, damnati verò nullum pium & honestum actum habent, aut habere possunt, præsertim cum in malo maximè sint obstinati.

IV. *Damnati cum in statu damnationis & desperationis sint, nec cõsequi beatitudinem nec eam sperare possunt.*

Probatur secundò: Actus Fidei infusæ ut eliciatur, requirit auxilium supernaturale, gratuitò à Deo concessum; cum ergo damnati ac dæmones non sint in statu misericordiæ, sed pœnæ & vindictæ, nec gratiæ ac justificationis, ad quam obtinendam, ut diximus, Fides ordinatur, capaces, non est cur Deus auxilium hoc supernaturale iis largiatur. Multo minùs conservabit in damnatis Deus habitum supernaturalem Fidei, sed eum tollet, juxta illud Lucæ 19. vers. 26. *Et quod habet auferetur ab eo*: cui consonat illud Divi Dionysii de Divinis nominibus, cap. 4. ubi ait *carere damnatos omnibus divinis donis*. Unde dicit Christus, sanctum non dari canibus, nec margaritas projici ante porcos. Quarè licèt in hac vitâ Fidei habitus non auferatur nisi ratione infidelitatis, in inferno tamen aufertur à damnatis ratione status, licèt multi ex iis actum infidelitatis nunquam elicuerint.

V. *Damnati sunt in statu pœnæ & vindictæ, nec ullam Dei misericordiam merentur.*

Dæmones, & homines damnati, ratione status privantur donis supernaturalibus.

Objicies primò illud Jacobi 2. vers. 19. *dæmones credunt, & contremiscunt*, quod Apostoli dictum contrariæ sententiæ auctores contendunt intelligi debere de Fide supernaturali, & infusâ, ut numero primo dictum est. Respondetur primò cum Suarez hîc, Disp. 6. Sect 9. fine, actus illos Fidei in dæmonibus non esse liberos, sed coactos, ut postea declarabitur, nec ad sui productionem requirere piam affectionem, sicque esse naturales, non infusos. Ad illud verò Apostoli dico, solùm scriptum ab eo hoc fuisse contra illius temporis hæreticos, qui Fidem sine operibus dicebant sufficere ad salutem, nec de modo credendi cura ipsis erat, sive supernaturalis esset, sive naturalis, libera vel necessaria, sed tantùm de rebus creditis. Fidem proinde, quæ ea cunque esset, modò firma foret & sine hæsitatione, ad justificationem, æternæque vitæ adeptionem sufficientem esse asserebant. Illos itaque exemplo dæmonum refellit S. Jacobus, hi siquidem Fidem habent, per eam tamen nec justificantur, nec consequuntur salutem, nec eam unquam consequentur, aut consequi possunt.

VI. *Quo pacto intelligendum sit dictum illud: dæmones credunt, & contremiscunt.*

Suis temporis hæreticos refellit hic S. Jacobus.

Secundò dici potest, scopum Apostoli hoc loco fuisse ostendere Fidem sine operibus esse mortuam, hoc autem probat per Fidem illam dæmonum, quam omnes norunt esse mortuam, quia est infructuosa; si ergo, inquit S. Jacobus, Fides tua sit sine operibus, non est magis viva nec fructuosa, quàm Fides dæmonum, qualiscunque demum hæc eorum Fides sit, libera an necessaria; nec enim, juxta Divum Jacobum, inde Fides est viva, quòd sit libera, sed quòd ex eâ bona opera procedant, sicut fructus ex arbore, & propterea Fides dæmonum, ut docet Apostolus, est mortua, quia nulli ex eâ bonorum operum fructus

VII. *Intentum Apostoli est ostendere Fidem sine operibus esse mortuam.*

Hoc ostendit ex Fide in dæmonibus reperta.

Tom. II.

fructus enascuntur. Fidem verò sine operibus esse mortuam, aliis rationibus ibidem ulteriùs ostendit.

VIII. *Fides dæmonum est naturalis, & necessaria.*

Quæres, qualisnam sit hæc Fides, quam in dæmonibus reperiri affirmat Apostolus? Respondetur inprimis esse naturalem, ex naturali Dei revelatione ipsis factâ ortam. Deinde non est libera, sed necessaria & coacta, ad quam proinde eliciendam nullus prærequiritur actus voluntatis, nec pia affectio. Variis autem modis contingit hæc necessitas; primò enim evidenter evidentiâ in attestante sciunt se propter sua peccata esse ad æterna illa supplicia damnatos, Deo nimirum hoc iis ita revelante, ut nec de revelatione ipsâ, nec de re revelatâ dubitare possint. Unde Fides, quam habent dæmones & damnati, non est proprièFides, sed scientia in attestante, quæ tamen, ut supra vidimus, cum sit per motivum extrinsecum, propter testimonium scilicet loquentis, vocatur Fides. Eodem etiam modo evidenter sciunt futuram hominum resurrectionem, & judicium universale, séque post illud perpetuò conclusum iri in inferno. Hæc verò & alia, de quibus in fine numeri sequentis, sive à Deo ipsis immediatè revelentur, sive per Angelos, sciunt certissimè ita se habere, & ex his revelationibus evidenter ac necessariò deducunt, cum certò sciant sanctos Angelos mentiri non posse.

Est etiam evidens in attestante, & non requirit piam affectionem.

IX. *Satisfit duobus locis Angelici Doctoris, quibus statuere videtur Fidem in damnatis.*

Objicies secundò Sanctum Thomam 2. 2. quæst. 18. art. 3. ad secundum, ubi hanc inter Fidem & Spem differentiam constituit, quod Spes in damnatis non maneat, maneat autem Fides. Respondetur solùm velle Sanctum Doctorem manere in damnatis Fidem naturalem, cum in illis nulla omnino Spes maneat, nec supernaturalis nec naturalis. Neque etiam obstat quod Sanctus Thomas 1. parte, quæst 64. art. 1. corpore dicit, nempe cognitionem, quæ est per gratiam, & in speculatione sita est, non esse penitus à malis angelis ablatam. Respondetur enim cognitionem illam per gratiam non capi à Sancto Doctore pro notitiâ supernaturali, seu actu ex gratiâ & auxilio supernaturali elicito, sed objectivè, id est, pro notitiâ de objectis seu mysteriis supra naturam, quæ ipsis omnino gratuitò, & hoc sensu per gratiam, seu ex gratiâ revelantur, quæ naturali lumine assequi per se nunquam potuissent, ea tamen jam actu naturali post revelationem cognoscunt. Nonnulla etiam, quæ Deus facere decrevit, ipsis à Sanctis Angelis Dei permissu communicantur, & hæc etiam dici possunt cognosci per gratiam, quia eorum notitia ipsis naturaliter non debetur.

Quid hoc loco sit juxta D. Thomam cognitio per gratiam.

X. *Quamvis in damnatis maneat character, non tamen manet Fides.*

Objicies tertiò: Manet in damnatis Character, qui secundùm communem Theologorum sententiam est quid supernaturale, ergo in iis reperiri similiter poterit Fides. Negatur tamen consequentia: obstat enim tum actui tum habitui Fidei status damnationis, ut hac Sectione declaratum est. Deinde Fides est donum longè præstantissimum, & non dandum canibus; character verò, quamvis sit quid supernaturale, est tamen inferioris ordinis, & quid merè mortuum, manétque non ad ornatum, sed ad ignominiam, & confusionem damnatorum, cósque, qui illo insigniti sunt, summæ arguit ingratitudinis. Manet insuper in damnatis character ad fideles ab infidelibus distinguendos.

XI. *Omnium objectorum*

Ad varia itaque objecta modo dicto credenda necessitantur dæmones: existimo nihilominus eos non necessariò credere omnia, habent enim etiamnum species memorativas diversarum rerum, quæ obscurè iis cum motivis credibilitatis in viâ proponebantur, quæque moralem tantùm certitudinem pariunt, non evidentiam: quantumvis namque motiva, eorúmque vim penetrent, cum tamen hæc moraliter solùm, non metaphysicè cum rebus revelatis connectantur, non possunt eos necessitare, seu cogere ad assensum. Hoc tamen non obstante arbitror eos de his objectis non habere Fidem, etiam naturalem; ex perversissimâ enim voluntate, summóque in Deum odio credere ei nolunt, nisi ubi per evidentiam coguntur, nec actum Fidei ob illius auctoritatem elicere, etiamsi sibi invicem fallacissimis, ac mendacissimis, nulláque Fide dignis, adhibere Fidem velint.

Fidei non habent dæmones evidentiam in attestante.

Objecta quædam cum morali tantùm evidentiâ ipsis proponuntur.

SECTIO QUARTA.

Annotantur quædam circa augmentum Fidei.

I. *Fides major in uno est quàm in alio, idque & ex parte objecti & subjecti.*

Fidem majorem in uno esse quàm in alio indubitatum est, idque tum ex parte objecti, tum subjecti. Major, inquam, est Fides ex parte objecti, non formalis primarii; hoc enim est prima veritas, una & simplicissima, quæ proinde eadem indivisibilis est in omni actu Fidei. Major itaque est Fides in uno quàm in alio ex parte objecti materialis, quatenus nimirum Fides in uno ad plura, saltem explicitè extenditur quàm in alio, sicque ipsius Fides est major extensivè quàm sit Fides hujus, cum ille plurium objectorum, seu mysteriorum Fidei habeat cognitionem explicitam.

II. *Fides ex parte subjecti major est tum in intellectu, tum voluntate.*

Fides etiam, ut dixi, major est ex parte subjecti, idque tum ex parte intellectus, tum voluntatis: ex parte voluntatis, dum quis promptiùs, majoréque cum devotione se ad credendum applicat: ex parte verò intellectus, dum majore cum firmitate quis objectis creditis adhæret, magísque immobiliter, quod exinde colligitur, quia difficiliùs ab assensu iis præbendo dimovetur: sicut quamvis omnes qui vero actu charitatis Deum amant, eum diligant super omnia, alius tamen alio firmiùs hoc sensu eum amare arguitur, dum gravissimis etiam tentationibus appetitus, ab ejus amore non desistit, cum alius levi etiam tentationi cedat, Deique amorem facilè relinquat: quemadmodum firmiores agere radices censetur arbor, quæ maximâ ventorum vi extirpari nequit, quàm quæ levi flatu dejicitur. Videatur S. Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 4. ubi S. Doctor rem hanc optimè declarat.

Firmiùs credere censetur qui difficiliùs à Fide dimovetur.

III. *Ex pluribus capitibus procedere potest hæc major firmitas in uno quàm in alio.*

Si quis verò ulteriùs quærat unde hæc major firmitas assensus Fidei in uno quàm in alio proveniat: ex duobus præcipuè capitibus hoc potest contingere, primò ex simplicitate credentis, qui cum non adeo perspicacis interdum sit ingenii, argumentorum ac rationum vim quæ Fidei mysteria apparenter impugnant, non ita penetrat, ex quo fit, ut sophismatum illorum subtilitate, & apparente efficaciâ non moveatur, sed quo simpliciùs, eo confidentiùs incedat, & in Ecclesiæ, ducis infallibilis auctoritate recumbens, argutias illas ac technas in hominum perniciem inextas, feliciter declinet

IV.

Secundò econtrario hæc major firmitas Fidei provenire in quibusdam solet ex præstantiâ intellectus.

Ingenii acumen, & doctrina ad Fidei firmitatem non parum conducunt.

tellectus. Cùm enim summâ ingenii vi & acumine polleant, excellentiáque insuper doctrinâ sint instructi, fucatum à verò, adulterinum à sincero, vitiosum ab integro discernunt, & paralogismos contra Fidei mysteria propositos nullo negotio dissolvunt, eorúmque vanitatem ac fallaciam advertentes, nt nullius momenti contemnunt, quoque pluribus istiusmodi hæreticorum figmentis ad aliquem Catholicæ Ecclesiæ articulum negandum alliciuntur, eo illum constantiùs amplectuntur, firmiusque dogmatibus Fidei veluti per antiperistasin adhærent.

Victrix veritas dum premitur, assurgit.

V. *Firmior Deo super omnia credit unus quàm alius.*

Hinc itaque oritur duplex firmitas suprà, numero secundo posita ex parte scilicet tum intellectus, tum voluntatis; hæc namque firmior efficitur in operando, ille in assentiendo, Deóque super omnia firmiùs & constantiùs credit: sicut homo quispiam firmiùs Deum amat super omnia, dum ex variis, quibus petebatur, tentationibus victor evadens, & hunc amoris actum, & virtutis exercitationem sibi reddidit faciliorem.

VI. *Probatur habitum Fidei augeri posse quoad intensionem.*

Variis ergo modis, ut dictum est, augeri potest Fides, nec in omnibus fidelibus est æqualis. Hinc Lucæ 17. v. 6. dixerunt Christo Apostoli: *Domine adauge nobis fidem.* Hinc etiam Ecclesia in quadam oratione Deo dicit: *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Quod etiam probatur ex illo Apostoli 2. ad Corinthios 10. v. 15. *Crescentis fidei vestræ*, ergo juxta Apostolum Fides accipit incrementum, & augeri potest quoad intensionem.

SECTIO QUINTA.

Varia inquiruntur circa augmentum intensivum habitus Fidei.

I. *Utrùm Fides augeatur per actus informes.*

His ergo positis, quæritur primò, utrùm habitus intensivè augeatur per actus Fidei informis, seu in eo qui habet Fidem sine gratiâ, & charitate? Qui Fidei habitum dicunt nunquam infundi ante charitatem, dicere similiter necessariò debent Fidem per actus fidei informes non augeri; non enim est major ratio, cur habitus Fidei in peccatore sine gratiâ existens, per actus Fidei supernaturales, ab eo elicitos augeatur, quàm cur ob similes actus peccatori Fidem habitualem nondum habenti habitus Fidei primò infundatur.

II. *Probabilius est habitum Fidei per actus hujusmodi augeri.*

Nos verò qui suprà cum Suarez lib. 9. de Gratiâ, cap. 4. Vasquez, Turriano, Coninck, & aliis diximus, quando quis primò actum Fidei supernaturalem elicit, habitum Fidei illi statim infundi antequam sit dispositus sufficienter ad justificationem, sicque priùs quàm recipiat gratiam, jam etiam dicimus habitum Fidei post amissam gratiam, in peccatore perstitentem augeri per actus Fidei informes, saltem habitu intensiores in eo qui gratiam nondum recuperavit. Ratio est, sicut namque primus actus fidei supernaturalis in Catechumeno est dispositio sufficiens per modum meriti de congruo ad movendum Deum ut habitum Fidei ipsi primò infundat, quamvis ille actus sit informis, eodem modo actus informes Fidei esse possunt dispositio tanquam meritum de congruo, ut Deus habitum Fidei quem jam ille recepit, vel qui amissâ gratiâ remanet in peccatore, augeat, aliumque & alium ei gradum adjiciat. Hoc proinde tenet Turrianus Disp. 45. dub. 1. Lorca Disp. 32. fine, Bannez, Valentia, & alii, quia nimirum etsi actus illi, cum sint sine gratiâ, non sint meritorii de condigno augmenti habitus fidei, possunt tamen esse meritorii de congruo.

Sicut primò infundi, ita augeri potest habitus Fidei per actus informes.

III. *Intensior in justo esse potest habitus supernaturalis Fidei cæteris habitibus infusis.*

Hinc infero, posse habitum supernaturalem Fidei in justo intensiorem esse cæteris habitibus infusis. Ratio est: potest namque justus quispiam habens & habitum fidei supernaturalem, & reliquos infusos valdè intensos labi in peccatum aliquod mortale, quo in casu habitus omnes infusos præter habitum Fidei & Spei amittit, quem etiam habitum Fidei, dum homo ille in peccato manet, augere potest, & paulatim eum reddere intensiorem, deinde justificari potest per gratiam multo minùs intensam quàm sit hic habitus fidei, habitus autem alii infusi ejusdem sunt intensionis cum gratiâ, ergo interdum non sunt adeo intensi in justo ac habitus infusus Fidei.

IV. *An habitus infusus Fidei & Spei in peccatore interdum minuatur.*

Quæritur secundò, Utrùm sicut habitus infusus Fidei (idem est de habitu Spei) augetur ita etiam interdum minuatur, licèt totus ille habitus Fidei non destruatur. Bannez hîc, quæst. 4. art. 5. dub. 1. tam de habitu supernaturali Fidei, quàm Spei, admittere tanquam probabile videtur utrumque in peccatore minui. In hanctamen sententiam acriter invehuntur recentiores Theologi, Turrianus hîc, Disp. 45. dub. 3. Hurtado Disp. 61. sect. 4. & alii, estque communis Theologorum sententia habitum Fidei infusum nnuquam paulatim minui.

V. *Eodem modo loquitur Tridentinus de habitu Fidei, ac de gratiâ.*

Ratio autem est; Nam juxta Tridentinum Sess. 6. cap. 15. quamvis gratia per omne omnino peccatum mortale amittatur, habitus tamen Fidei non amittitur nisi per peccatum infidelitatis: qua de causâ eodem modo procedendum docent Theologi de habitu Fidei ac de gratiâ, sed gratiam per peccata venialia non minui certum est, ergo nec minuitur habitus Fidei. Confirmatur: si enim per peccata venialia infidelitatis Fidei habitus minuatur, posset paulatim per frequentia hujusmodi peccata venialia penitus amitti, cum singula partem illius tollant: quod à fortiori urget contra eos qui per quodvis peccatum mortale aliquid habitus Fidei dicunt amitti; sic enim tandem amitteretur totus. Nec ullum habet fundamentum quòd affirmant aliqui, habitum scilicet infusum Fidei minui per primum peccatum mortale, non per sequentia, hoc inquam, gratis dicitur; cum enim peccata mortalia sequentia sint ejusdem rationis cum primo, imò aliquando multo graviora, nulla est ratio cur non æquè per illa minuatur habitus Fidei, ac per primum.

Si habitus Fidei minuatur per alia peccata, quàm infidelitatis, paulatim totus per illa tolletur.

VI. *Utrùm augeatur per actus habitu remissiores.*

Quæritur tertiò, Utrùm habitus infusus Fidei augeatur per actus Fidei habitu remissiores. Hæc difficultas communis est Spei & Charitati, & in materiâ de Charitate tractari plerumque ab auctoribus solet, ac proinde ibi commodiùs examinabitur: ubi etiam dicetur utrùm habitus infusus Fidei augeatur intensivè per actus aliarum virtutum.

VII. *An habitus infusus Fidei augeatur per actus physicè.*

Quæritur quartò, Num habitus infusus Fidei, quem supra diximus augeri intensivè per actus, saltem habitu intensiores, augmentum hoc ab his actibus accipiat physicè: & eadem difficultas procedit de habitu Spei & Charitatis. Sermo autem est de virtute connaturali horum actuum, in sententiâ enim, quam Disp. 27. Physicæ defendi, dari scilicet potentiam obedientalem latam, non est dubium quin possint habitus Fidei,

Tom. II.

Spei & Charitatis, aliíque omnes supernaturales ab actibus produci: imò aliqui affirmant habitus hosce supernaturales de facto ab actibus supernaturalibus augeri, imo etiam posse connaturaliter primò ab iis produci.

VIII. *Nec habitus infusus Fidei, nec alii ab actibus supernaturalibus producuntur.*

Dicendum nihilominus cum communi Theologorum sententiâ habitum supernaturalem Fidei, idem est de aliis, non produci nec augeri ab actibus Fidei supernaturalibus, sed & primum esse & augmentum à Deo immediatè accipere. Ratio est primò; hi namque habitus à Theologis vocantur per se infusi, hoc tamen non haberent, si ab actibus producerentur vel augerentur, sed essent habitus acquisiti per actus supernaturales, sicut alii acquiruntur per actus naturales.

IX. *Alii actus supernaturales non producunt habitus supernaturales, ergo nec actus Fidei producunt habitum Fidei.*

Probatur conclusio secundò: Peccatores namque, dum adhuc in statu peccati mortalis persistunt, multos actus bonos supernaturales eliciunt virtutum moralium, hi tamen actus non producunt habitus infusos suarum virtutum; actus enim supernaturalis justitiæ in peccatore non producit habitum supernaturalem justitiæ, nec actus supernaturalis misericordiæ habitum supernaturalem misericordiæ, hi quippe habitus nunquam reperiuntur sine gratiâ, ergo nec habitus supernaturalis Fidei producitur per supernaturales actus Fidei, cum eadem sit proportio illorum habituum supernaturalium ad suos actus, ac habitus Fidei ad suos.

X. *Sequeretur hos habitus supernaturales augeri, etiam in cœlo.*

Probatur tertiò: Si enim actus supernaturales habeant vim physicam producendi, vel augendi habitus suos infusos, ergo etiam in cœlo eos augebunt, cum illic varios actus supernaturales variarum virtutum beati etiam liberè eliciant; hoc autem ab omnibus negatur, nec enim dicunt Theologi hos in cœlo unquam augeri, sed in eâdem mensurâ seu intensione semper manent, in qua erant dum justus ex hac vitâ discessit. Confirmatur: horum enim habituum seu virtutum augmentum est præmium bonorum operum, & illorum gratiâ Deus his virtutibus novos & novos gradus tanquam ob merita adjungit: hoc ergo augmentum non debet ab his actibus seu operibus produci, sed à Deo horum actuum intuitu infundi; hoc namque in omni alio merito tum naturali, tum supernaturali cernimus, præmium siquidem non actu seu opere meritorio physicè producitur, sed meritum tanquam causa moralis movet præmiantem ad præmium illud per se largiendum.

Physica horum habituum productio per actus obstat rationi meriti & præmii.

Dices: Actus naturales augent habitus acquisitos, ergo & actus supernaturales augere possunt habitus supernaturales, eadem enim est utrobique proportio. Negatur tamen consequentia, tum ob rationes jam allatas, tum quia habitus infusi sunt per modum potentiæ; unde sicut non possunt primò ab actibus produci, ita nec augeri, omnis namque actus potentiam suam supponit, unde sicut in naturalibus nulla potentia à suis actibus producitur, ita nec in supernaturalibus. Habitus verò acquisiti, cum non dent simpliciter posse, sed tantùm facilè, potentiam jam supponunt, & eam tantummodo inclinant ad promptiùs agendum.

XI. *Differentia inter augmentum habituum acquisitorum & supernaturalium.*

Quæritur quintò: Si habitus Fidei per peccata non minuatur, ut supra, num. 4. diximus, unde proveniat ut Fides debilior sit in peccatore, quàm in justo. Respondetur, hoc non ex eo procedere, quòd quidquam de habitu Fidei per peccata mortalia tollatur, sed quia peccatori non dantur peculiaria illa auxilia & lumina, quibus Fides excitatur & illuminatur ad operandum. Sicut quamvis similis planè sit intellectus in docto & indocto, ille nihilominus promptiùs multo de variis rebus discurrit, quia plura habet principia, seu lumina naturalia, quæ ipsum excitant & juvant, quibus alter caret.

XII. *Ratio cur Fides debilior sit in peccatore, quàm in justo.*

DISPUTA-

DISPUTATIO VIGESIMA.

De regulis Fidei.

DEVS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: inter alia verò ad hoc, salutem scilicet consequendam media, unum maximéque necessarium est Fides, quam etiam omnibus unam esse voluit, juxta illud ad Ephesios 4. vers. 5. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma. *Vt ergo in tantâ hominum multitudine, ac gentium varietate, quæ ex Dei benignitate ad hunc finem & Fidem ordinantur, via aliqua & ratio inveniretur eò perveniendi, regulæ quædam infallibiles ab eo statutæ sunt, quarum directione ac ductu veram Fidem consequi ac retinere possint. Ex his verò regulis quædam vivæ sunt, seu animatæ, ut Romanus Pontifex & Ecclesia; quædam inanimatæ, ut Scriptura, Traditiones, & Ecclesiæ decreta in iis rebus quæ ad Fidem spectant. Per has itaque vias doctrina ad salutem consequendam necessaria nobis innotescit, ut in sequentibus declarabimus.*

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo Scriptura sit regula Fidei.

I. *Quid sit Scriptura.*

SCRIPTURA passim definiri solet *Quid Scriptum instinctu Spiritus Sancti, non sensum tantùm sed etiam verba dictantis.* Sic Petri 2. c. 1. vers. 21. ita loquitur Apostolus: *Non voluntate humanâ, &c. sed Spiritu inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Item Regum secundo, c. 23. v. 2. dicit David: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Sic insuper Lucæ primo, vers. 70. dicitur: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Hinc etiam Psalmo 44. v. 2. dicit Propheta regius: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Alia etiam plurima Scripturæ loca in hanc rem à Bellarmino & aliis, qui contra hujus temporis Sectarios scripserunt, afferuntur: sed hæc instituto nostro sufficiunt.

Variis divini verbi testimoniis ostenditur Scripturam esse verbum Dei.

II. *Testantur frequenter Patres sacram Scripturam esse verba à Deo nobis tradita.*

Accedunt Patres, apud quos nihil frequentius quàm sacram Scripturam esse verba Dei, seu à Deo nobis peculiariter tradita: sic S. Augustinus concione secundâ in Psalmum nonagesimum: *De civitate*, inquit, *à qua peregrinamur, scriptæ nobis venêre literæ.* Sanctus etiam Chrysostomus initio enarrationis in Isaiam ait Prophetas esse dictos videntes, non quia clarè viderint semper, sed quia tantâ certitudine audiebant, ac si viderent. Eodem modo S. Hieronymus Isaiæ primo, & in Abdiam, ubi Prophetas ob certitudinem, non ob claritatem dicit uti vocibus *visionis* & *videndi*, eo quòd sensus visus sensuum omnium sit certissimus: ubi dum dicunt Prophetas non videre, sed audire, verba quæ audiunt, sunt verba Dei ad eos interiùs loquentis; unde & Scriptura, quam nobis reliquerunt, est verbum Dei: hinc etiam vocatur *Scriptura divina, eloquia Dei*, & antonomasticè *Scriptura*.

Docent Patres Prophetas audire, non videre.

III. *Verba sacræ Scripturæ duobus modis dici possunt esse à Deo.*

Quando autem dicitur in Scripturâ sacrâ debere etiam verba à Spiritu Sancto dictari, hoc duobus modis, inquit Suarez, contingit; primò ita ut non conceptus tantùm, sed singula etiam verba in particulari suggerat, quod in scriptis Propheticis accidit. Alio modo, assistendo ne scriptor canonicus erret, verba etiam quædam ei interdum suggerendo, permittendo nihilominus ut proprio ingenio ac industriâ aliquando utatur, eum tamen peculiariter semper dirigendo, ut talibus verbis res explicet, in quibus nihil indecens aut indecorum cernatur, idque ex peculiari motione & intentione, ut res illæ hoc modo explicarentur. Hunc etiam posteriorem modum sufficere ait Suarez hîc, Disp. 5. Sect. 3. num. 5. Existimo tamen priorem modum ad rationem Scripturæ esse necessarium.

IV. *Quomodo definitiones Ecclesiæ differant à Scripturâ.*

In hoc ergo differt Scriptura à definitionibus Ecclesiæ, quæ quamvis etiam sint verbum Dei, & per eas ipse nobis loquatur, intendit namque substantiam definitionum, & ut exteriùs verbis exprimantur, animo scilicet mentem suam per eas nobis manifestandi, verba tamen in particulari non intendit, sed tantùm movet eos penes

quos

Tom. II.

quos est potestas definiendi, ut congruo modo veritates hasce exprimant, & nobis credendas proponant. Deus ergo in utrisque sensum, seu res ipsas in particulari intendit, & in Scripturâ ad ipsa etiam verba specialiter dirigit, & ad hæc peculiariter verba scribenda hagiographum movet, in definitionibus autem verba in genere tantùm, modò ad rei definitæ declarationem sint idonea, intendit.

In definitionibus verba generatim tantùm à Deo spectantur.

V.

Declaratur quo pacto Scriptura sit regula Fidei.

Ex his itaque infertur Scripturam sacram esse regulam Fidei, cum sit certissima, utpote Verbum Dei, & in ejus auctoritate, quæ infallibilis est, fundata. Quare nihil in Scripturâ, quantumvis minimum reperitur, quod non sit æqualis auctoritatis cum maximo: unde mendacium aut falsitatem in Scripturâ reperiri est impossibile, & est regula planè infallibilis. Hinc S. Paulus 2. ad Timotheum 3. vers. 15. *Ab infantiâ*, inquit, *sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per Fidem*: & vers. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum.* Ad hanc autem veritatem probandam aptissimum est illud Christi Joannis 5. vers. 39. *Scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Quare & Concilium Tridentinum sess. quartâ hanc veritatem expressè definit, & ex communi Sanctorum Patrum traditione amplectendam esse ostendit.

Ex sacris Literis constat Scripturam esse regulam Fidei.

SECTIO SECUNDA.

Objectiones quædam contendentes Scripturam non esse regulam Fidei.

I.

Objic. Non fuisse omnibus hagiographis notum se infallibiliter scribere.

Objicies primò: Omnes, qui Scripturam sacram exararunt non sciebant se ex inspiratione Spiritus Sancti, & infallibiliter scribere, ergo ipsorum scripta non erant certa & infallibilia, & consequenter non Verbum Dei, nec norma seu regula Fidei. Respondetur negando consequentiam, ipso facto namque quòd Deus librum illum dictet, infallibilis auctoritatis sit necesse est, & Verbum Dei, sive id sciat scribens, sive non; liber enim aliquis infallibilitatem suam haurit, non à scientiâ scribentis, sed ab intentione dictantis, seu inspirantis.

II.

Librum aliquem prius non canonicum potest Deus postea reddere canonicum.

Unde ulteriùs existimo posse Deum librum aliquem, qui antea non erat canonicus, reddere canonicum, affirmando scilicet eum esse verum, eo ipso enim quòd hoc præstet Deus, libro illi confert infallibilitatem, acceptátque pro suo, quamvis primò à profano auctore fuerit conscriptus. Quare S. Paulus interdum profanorum auctorum dicta usurpans, ea reddidit canonica. Quamvis autem Ecclesia hoc facere nequeat, potest nihilominus librum, qui necdum est declaratus canonicus, declarare esse canonicum, sicque ostendere divinam auctoritatem illi esse annexam: imo hoc circa libros quosdam canonicos præstitit, de quibus aliquando fuit dubitatum, ut in vetere testamento sunt liber Hester & Judith, liber Tobiæ, Ecclesiasticus, liber Sapientiæ & Baruch, primus etiam & secundus Machabæorum. In novo autem testamento controversia aliquando fuit de quibusdam Epistolis, Divi Pauli ad Hebræos, S. Jacobi & S. Judæ, 2. S. Petri, 2. & 3. D. Joannis, cum ejusdem Apocalypsi: quæ tamen omnia ab Ecclesiâ jam sunt approbata, & inter libros canonicos recensita, ut in Concilio Tridentino habetur Sessione quartâ.

De quibus olim libris fuerit dubitatū utrum essent canonici.

III.

Objic. Scriptura est obscura, ergo non potest esse regula Fidei.

Objicies secundò: Regula aperta esse debet, & omnibus perspicua, utpote ad quam veluti normam explorare sua quisque debet ne aberret. Quare sicut præcepta, ad quæ actus omnes voluntatis conformare nos oportet, clara esse debent & aperta, ut quid agendum sit cernamus, idem dicendum est de regulâ intellectus. Jam verò Scriptura in plurimis locis est obscura, ita ut difficillimum sæpè videatur ejus sensum assequi. Imò aliquando literalem sensum sequi debemus, aliquando *litera occidit*. Sub eadem etiam literâ varii interdum sensus continentur, qui ejus obscuritatem non parum augent: unde vel hoc nomine non videtur apta Scriptura, quæ pro regulâ Fidei assignetur.

Varii sensus Scripturam reddunt obscuram.

IV.

Certum est sacras Literas magnâ ex parte esse obscuras.

Respondetur, esse quidem sacram Scripturam variis locis obscuram, quod etiam testatur Sanctus Petrus Epist. 2. cap. 3. vers. 16. ubi de Epistolis D. Pauli loquens: *In quibus*, inquit, *sunt multa difficilia intellectu.* & Psalmo 118. vers. 18. orat Propheta Regius ut Deus ipsi Scripturæ intelligentiam concedat: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tuâ.* Hæc verò obscuritas provenit, tum ab altitudine & sublimitate rerum, quæ ibi continentur, tum ex brevi & succincto scribendi modo, & summa etiam mysteria pauci tradendi. Hinc autem solùm conficitur, dari debere regulam aliquam vivam, ad quam tanquam ad oraculum pro difficiliorum locorum Scripturæ explanatione debeamus confugere, nempe Ecclesiam, nec Scripturam sacram proprio ac privato judicio esse intelligendam. Ad rectam verò insuper divinarum literarum intelligentiam plurimum conducit unanimis consensus Patrum, ut docet Concilium Tridentinum sess. quartâ citatâ: quibus proinde, ubi in eadem loci alicujus Scripturæ interpretatione conspirant, refragari prohibet eodem loco Concilium: nam, ut docet S. Augustinus 18. de Civitate Dei, c. 41. non est verisimile Patres sine peculiari Spiritus Sancti assistentiâ hoc modo in eâ explicatione consentire.

Ad Ecclesiam tanquam ad oraculum pro explicatione Scripturæ recurrendum.

A communi Patrum consensu non recedendum.

Ad id quod numero tertio addebatur, varios esse Scripturæ sensus, & inde etiam nasci illius obscuritatem: fateor ita esse, sed hoc solùm probat quod numero præcedente diximus, dari scilicet debere regulam vivam, cujus hac in re judicio stare oporteat, & illius interpretationem pro verâ & certâ admittere. Ut verò quædam de hac sensuum varietate adscribam, quam benè declarat Suarez, & alii: Scripturæ sensus est duplex, primus *Literalis*, qui per verba directè & immediatè significatur. Hic verò sensus duplex est, *Proprius*, quem verba prout sonant, & in genuinâ acceptione denotant, ac *Metaphoricus*, quando scilicet verba à proprio sensu ad improprium transferuntur. Sensus *Mysticus*, quem aliqui spiritualem appellant, est ille, qui non tam in verbis, quàm in rebus per verba significatis continetur, nam, ut rectè Suarez & alii, in divino sermone non verba solummodo, sed ipsæ etiam res per verba denotatæ significant. Hic verò sensus est triplex, *Tropologicus*, qui & *Moralis* dicitur, & ad mores pertinet: *Anagogicus*, qui secundùm omnes ad statum felicitatis æternæ, ac beatitudinem refertur. Tertius sensus est *Allegoricus*, qui ad præsentis vitæ, seu Ecclesiæ militantis statum, & Christi Domini mysteria declaranda atque illustranda ordinatur.

V.

Adjiciuntur nonnulla de variis sacræ Scripturæ sensibus.

Sensus literalis & mysticus, proprius & metaphoricus.

Sensus Tropologicus, Anagogicus, & Allegoricus.

Objicies

VI. *Objic. Varia in Scripturâ contineri, quæ divino Spiritu videntur indigna.*

Objicies tertiò: Quædam à scriptore canonico aliquando ex proprio spiritu Scripturæ interseri, quæque divinâ inspiratione ac spiritu videntur indigna, qualia sunt familiares quædam salutationes in Epistolis Apostolorum, Tobiam habuisse canem, & id genus alia: si ergo aliqua in Scripturâ sint purè humana, seu proprio spiritu à scriptore illo exarata, unde nobis constabit omnia non esse hujusmodi, sicque nihil certum & infallibile in Scripturâ habebimus.

VII. *Nihil in Scriptura reperitur, quod non sit scriptum ex inspiratione Spiritus Sancti.*

Respondetur nihil omnino esse in Scripturâ quod spiritu humano & proprio exaratum sit, sed quicquid in eâ est, procedit à Spiritu Sancto, & ex illius instinctu & inspiratione scribitur. Semper ergo scriptio est ex inspiratione divinâ, quamvis factum vel statutum non sit semper peculiari modo à Spiritu Sancto. Hoc constare videtur ex illo Apostoli primæ ad Corinthios 7. vers. 10. & 12. ubi de nonnullis dicit: *Præcipio non ego, sed Dominus:* de aliis verò: *Ego dico, non Dominus:* & hoc tamen & illud ex Spiritus Sancti inspiratione est literis ab Apostolo mandatum.

VIII. *Quo pacto sacra Scriptura sit regula uniformis.*

Objicies quartò: Regula uniformis semper & eadem esse debet, Scriptura autem tum ob varias in diversa idiomata translationes, tum differentes in eadem linguâ lectiones varia videtur; ergo adhiberi nequit pro regulâ uniformi. Respondetur, Concilium Tridentinum ut difficultati, quæ ex varietate diversarum Scripturæ editionum, lectionum, & translationum oritur, occurreret, hanc edidit sanctionem sess. 4. §. 2. *Statuit & declarat* (Sancta Synodus) *ut hæc vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authenticâ habeatur, & ut nemo illam rejicere, quovis prætextu audeat vel præsumat.*

Concilii Tridentini circa Scripturam decretum.

SECTIO TERTIA.

De Traditionibus: & an sint infallibilis regula Fidei.

I. *Quid, & quotuplex sit Traditio.*

TRADITIO, ut vox ipsa sonat, est quid datum seu traditum: in præsenti verò significat doctrinam ad religionem spectantem, quæ nec ab Hagiographis nec Ecclesiâ sit scripta, qua de causâ vocatur Verbum Dei non scriptum. Si ergo à Christo immediatè profecta sit, dicitur traditio divina; si ab Apostolis, ut est illa, quòd scilicet bigamus non sit ordinandus, appellatur Apostolica; si denique ab Ecclesiâ, Ecclesiastica. Traditiones verò Apostolorum & Ecclesiæ ad religionem pertinentes sunt etiam Verbum Dei, utpote à Deo ipsis inspiratæ, juxta illud Matthæi 10. vers. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: quæ proinde sunt etiam regula infallibilis Fidei, non minùs quàm Scriptura ipsa. Hæ porro traditiones partim doctrinales sunt, partim morales.

Traditiones doctrinales & morales.

II. *Certum est dari in Ecclesiâ præditas traditiones.*

Dari itaque in Ecclesiâ hujusmodi traditiones constans est Catholicorum omnium sententia contra nostri temporis sectarios. Probatur primò ex illo Epistolæ 2. D. Pauli ad Thessalonicenses, cap. 2. vers. 14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Idem ostenditur ex illo 1. ad Corinthios cap. 11. vers. 2. *Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Plura sacræ Scripturæ ad hanc veritatem probandam testimonia videri possunt apud Tannerum hîc, Disp. 1. q. 5. dub. 3. numero 98. & 99.

III. *Ex Concilii & Patribus ostenditur dari traditiones non scriptas.*

Hoc insuper in variis Conciliis definitur, ut in septimâ Synodo, Actione secundâ, in quintâ Synodo Constant. Act. 10. & jam noviſſimè in Concilio Tridentino, sessione quartâ. Accedunt Patres, qui non semel hanc veritatem nobis apertissimè tradunt: unde S. Augustinus Epistolâ tertiâ, & 86. & libro secundo contra Julianum, de Patribus loquens sic habet: *Quod invenerunt in Ecclesiâ, tenuerunt, & quod à suis Patribus didicerunt, nobis tradiderunt*, & à nobis idem faciendum S. Doctor esse affirmat. Idem docet Sanctus Irenæus libro 3. cap. 3. & 4. S. Dionysius, Chrysostomus, Cyprianus, & alii: omnium autem clarissimè S. Basilius libro de Spiritu Sancto, cap. 7. ubi cum dixisset quædam dogmata esse scripta, quædam ex traditione Apostolorum, sic subjungit: *Utraque parem vim habent ad pietatem.* Capite etiam 29. ait: *Apostolicum esse, etiam traditionibus non scriptis inhærere.*

Varia sanctorum Patrum testimonia.

IV. *Diversis temporibus traditio fuit certa regula Fidei.*

Deinde ante Moysen nulla erat Scriptura, & nihilominus erat Fides, & varia ob auctoritatem divinam credebantur: quod etiam contigit post Christum, octo illis annis antequam S. Matthæus, qui fuit primus scriptor canonicus, scripsit Evangelium, ergo illis temporibus traditio erat certa regula Fidei, ergo etiamnum est in iis rebus, quæ in Scripturâ non exprimuntur, qualia sunt quòd ipsa Scriptura sit authentica, quòd dies Dominicus celebrandus sit loco Sabbathi, Sanctissimæ Matris Dei perpetua virginitas contra Helvidium, & alia, quæ Fide certa habentur, & tamen in Scripturâ non reperiuntur, ut est manifestum.

Multa creduntur ob solam traditionem.

V. *Traditiones non adduntur Scripturæ ut partes illius, sed ut aliqua præter ea, quæ in Scripturâ sunt; credenda.*

Dices primò: In ipsamet Scripturâ variis locis prohibetur, ut Deuteronomii 4. & Apocalypsis 22. vers. 18. ne quis aliquid Scripturæ tanquam doctrinam Fidei adjiciat, sed secundùm nos traditiones sunt hujusmodi, ergo. Respondetur primò, illis locis aliud non prohiberi, quàm nequid Scripturæ addatur tanquam pars illius, traditiones autem hoc modo non adduntur, sed ut quædam præter ea, quæ in Scripturâ sunt, credenda & observanda. Deinde locis illis solùm prohibetur ne quidquam Scripturæ addatur ei contrarium, quodque sensum illius mutet & corrumpat: & hujusmodi traditiones vocantur in divinis literis traditiones hominum, non verò illæ, de quibus hîc loquimur, quæ nimirum vel à Christo, vel Apostolis, vel Ecclesiâ auctoritate divinâ credendæ fidelibus proponuntur.

Quænam traditiones in Scripturâ vocentur traditiones hominum.

VI. *Non est necessarium ut omnia planè, quæ ad salutem obtinendam conferunt, habeantur in Scripturâ.*

Dices secundò: Hinc plurimum de dignitate Scripturæ detrahi, ejusque excellentiæ derogari, utpote quæ diminuta censebitur, si quidquam ad Fidem pertinens, seu quod necessarium est ad credendum, in eâ non contineatur. Imo hoc expressè videtur contra Apostolum 2. ad Timotheum tertio, vers. 18. & Sanctos Patres asserentes Scripturam sufficere ad salutem. Respondetur, non velle Patres omnia omnino credenda, quæ ad salutis consecutionem conferunt, in Scripturâ explicitè contineri, sed præcipua tantùm Fidei mysteria, quæque capita ac fundamenta sint unde alia deducantur: novum enim Testamentum brevi & conciso modo est scriptum, qua de causâ, ut notat Suarez, à Patribus appellatur *Verbum abbreviatum.* Deinde Scriptura non probat expressè se esse Scripturam, sed hoc habetur ex

Quare Scriptura vocetur Verbum abbreviatum.

traditione

Tom. II. traditione ſeu definitione Eccleſiæ juxta illud S. Auguſtini: *Ego Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me moveret auctoritas*; ergo omnia non habentur in Scripturâ, ſed quædam aliunde deſumuntur.

VII. *Seclusâ Spiritus ſancti aſſiſtentiâ eadem ſunt incommoda circa Scripturam, ac circa Traditiones.*

Quod verò à nonnullis objicitur, traditiones variis incommodis eſſe expoſitas, earum ſiquidem facilè obliviſcuntur homines, ſuntque mutationi obnoxiæ, & id genus alia, ergo non videntur habere certitudinem & infallibilitatem Fidei. Reſpondetur, ex naturâ rei eadem incommoda circa Scripturam accidere poſſe, ac circa traditiones, tum ob diverſitatem linguarum in quas transfertur, variasque in eodem idiomate lectiones: tractu etiam temporum amitti ſancti libri poſſunt, & corrumpi. Sicut ergo de Scripturâ, ita etiam de Traditionibus providet Deus ne hæc incommoda circa illas accidant.

Quæres: Unde dignoſci poſſint traditiones divinæ à traditionibus hominum, ſeu veræ à ſuppoſititiis? Reſpondetur, variis modis hoc fieri poſſe, nempe ex conſenſu Patrum, ex communi fidelium conſpiratione, & quod caput eſt, ex Eccleſiæ, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, definitione. VIII. *Unde Traditiones veræ diſcernantur à ſuppoſititiis.*

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA.

De Eccleſiâ.

INFALLIBILES regulæ Fidei, ut Diſputatione præcedente oſtendimus, in duplici ſunt genere; aliæ enim ſunt vivæ ſeu animatæ, aliæ inanimatæ: de his jam dictum eſt: de vivis autem, cum hic proprius ſit de iis diſputandi locus, nunc agemus, & primò de Eccleſiâ, cujus viva, viſibilis & infallibilis auctoritas omnino eſt neceſſaria tum ad verum ſacræ Scripturæ ſenſum nobis tradendum, & ea quæ credenda ſunt ritè proponenda, tum ad difficultates & controverſias, quæ identidem oriri ſolent terminandas ac decidendas.

SECTIO PRIMA.

Sitne ad res Fidei viva aliqua, & animata regula neceſſaria.

I. *Viva & viſibilis regula neceſſitas declaratur.*

CONSTANS eſt Orthodoxorum omnium ſententia vivam aliquam & viſibilem regulam planè eſſe neceſſariam. Ratio eſt; quotidianâ enim conſtat experientiâ varias in rebus Fidei oriri controverſias, etiam circa Scripturam, quæ proinde Scripturâ dirimi non poſſunt, maximè cum ut ſuprà vidimus ſit obſcura: viva ergo aliqua regula, quæ has lites dirimat, ac finem tot controverſiis imponat, eſt neceſſaria, nempe Eccleſia, utpote quam nos audire jubet Chriſtus, ejuſque judicio ſtare; nec enim ſine hujuſmodi aliquâ auctoritate debitum Eccleſiæ regimen poteſt conſiſtere. Hinc S. Hieronymus contra Luciferianum: *Si*, inquit, *non ſit in Eccleſiâ una eminens poteſtas, tot futura ſunt ſchiſmata, quot ſacerdotes.* Plura hac de re numero ſequente.

Sine hac regulâ ſtare rectum regimen non poteſt.

II. *Scriptura, quicquid dicant Sectarii, non eſt clara, nec aptam per ſe ſit regulam Fidei.*

Hæretici nihilominus ut judicium Eccleſiæ ſubterfugiant, negant ullam vivam regulam eſſe neceſſariam, ſed ſcripturam aiunt unicam eſſe normam & regulam Fidei, utpote quam claram eſſe docent, & ad omnes omnino Fidei controverſias decidendas abundè per ſe ſufficere. Sed, ut Diſputatione præcedente, ſectione ſecundâ oſtenſum eſt, Scriptura, quicquid dicant ſectarii, eſt obſcura, quod apertè oſtenditur ex tot támque diverſis ejuſdem interdum loci interpretationibus, ſummáque inter doctiſſimos etiam viros, ipſósque adeo Eccleſiæ Patres de Scripturæ ſenſu & intelligentiâ ſententiarum diverſitate; unde & ſeſe invicem hac de re frequenter conſulebant, ut ex variis Sancti Hieronymi & S. Auguſtini ſcriptis mutuò de hoc ipſo argumento literis conſtat. *Scripturâ obſcuritatem agnoſcunt ſancti Patres.*

III. *Ipſorum etiam ſectariorum maxima eſt de Scripturæ ſenſu diſſenſio.*

Idem inſuper clariſſimè oſtendit ipſorum etiam ſectariorum de Scripturæ ſenſu inter ſe diſſenſio, ubi quot capita, tot fermè ſunt ſententiæ, miréque hac in parte inter ſe digladiantur: unde de illis quatuor verbis: *Hoc eſt corpus meum*, incredibile eſt quot, quámque diverſæ, imo oppoſitæ inter eos ſint ſententiæ: quod etiam de aliis Scripturæ locis eſt manifeſtum, de quibus graviſſima paſſim apud ipſos diſſidia ac diſceptationes videmus, aliis alios acerrimè impugnantibus, & ignorantiam in ſacrarum literarum expoſitione, ac cæcitatem exprobrantibus. Sicque dum ſacram Scripturam, quam Sole clariorem eſſe dictitant, *Ignorantiam ſibi invicem & cæcitatem exprobrant hæretici.*

dictitant, fixè se ac firmiter aquilarum more intueri, ac lynceis oculis penitus introspicere gloriantur, ad ejus tamen qualescunque radios cæcutiunt, & vespertilionum instar caligant. Plura hac de re dixi Tomo præcedente, Disp. primâ, Sect. 4. ubi nostri temporis hæreticorum dissensiones, rixas ac discordiam fusè sum prosecutus.

IV. *Rejicitur privatus hæreticorum spiritus.* Inanius multo est ac futilius, quod ad vivæ regulæ necessitatem excludendam asserunt sectarii, se nimirum per privatum spiritum, peculiaresque à Deo immissas inspirationes ac illuminationes regi, per quas omnia Scripturæ loca, quantumvis abdita ac difficilia perspecta se habere aiunt & penitus explorata, earúmque adminiculo dubia omnia, maximè etiam implexa & intricata solvere, & quascunque occurrentes controversias dirimere se posse affirmant.

V. *Nihil inanius, nec absurdius quàm omnia tribuere spiritui privato.* Sed quis non videt quàm hoc vanum sit, & frivolum; hoc enim pacto Fides, cùm tamen unam tantùm esse doceat Apostolus, tot erunt quot hominibus hisce placebit imaginari & dicere se habere spiritus privatos, adeóque quod volet quisque credet pro libito, nec diversas tantùm, sed contrarias etiam Fides habebunt, & planè inter se oppositas, alius namque dicet sibi à privato suo spiritu suggeri esse duas tantùm personas divinas, alius à suo suggeri esse quatuor, alius fortassis esse nullam: & hoc modo in omni, quæ oriri posset controversiâ procedent. Imo hac ratione sectarii de facto procedunt, & eodem, ut prætendunt spiritu dictante, pugnantia credunt, & aliis credenda proponunt, ut nervosissimè & elegantissimè ostendit fortissimus ille Fidei Catholicæ pugil Pater Edmundus Campianus in eruditissimo illo libello decem rationum, ubi ratione primâ cum varia & opposita, quæ privatus cujusque spiritus sectariis suggerebat placita recensuisset, sic concludit: *Denique cum omnia credant suo quisque spiritui, nomen Sancti Spiritus horribili blasphemiâ mentiuntur.* Deinde teste Apostolo ad Romanos decimo: *Fides est ex auditu*, &c. & *Quomodo audient sine prædicante*: frustra ergo ad privatum spiritum recurritur.

Privatus hæreticorum spiritus suggerit pugnantia,

Verissimum P. Edmundi Campiani dictum.

VI. *Ad vivam regulam necessariò est recurrendum.* Manifestum ergo est vivam aliquam & visibilem, publicámque regulam esse necessariam, ad quam pro difficultatibus, quæ oriri possint, decidendis, dirimendisque litibus & controversiis recurratur: hoc enim in omni benè instituto regno & republicâ videmus, supremum scilicet aliquem constitutum esse judicem, penes quem sit plena potestas dubia omnia, quæ occurrunt resolvendi, finémque litibus, litigantibus silentium imponendi; cujus proinde sententiæ ac judicio stare omnes debeant, nec cuiquam fas sit refragari. Quod si hoc in civili republicâ fieri videamus, quanto magis fieri debet in Ecclesiasticâ, in qua non pauciores, imo multo plures majorisque longè momenti occurrunt difficultates & controversiæ, utpote ad animarum salutem, æternæque beatitudinis adeptionem spectantes. Et sanè à summo rerum omnium moderatore Deo non satis hominibus prospectum videretur, si talem nobis judicem non providisset: cujus proinde, ut summa auctoritas, ita vox clara esse debet & infallibilis, & cui omnes sine appellatione illico acquiescant. Quis autem hic judex sit, & quæ regula, constabit ex sequentibus. Videatur Bellarminus libro 3. de Verbo Dei, cap. 3. & alii, qui rem hanc fusissimè tractant contra hujus temporis sectarios.

In omni republicâ supremus aliquis judex est statuendus.

Ejusmodi judicem maximè postulat regimen Ecclesiasticum.

SECTIO SECUNDA.

Quid sit Ecclesia, & quinam in eâ contineantur.

I. *Quid nomine Ecclesiæ intelligatur.* Ecclesia generatim sumpta idem est ac congregatio fidelium, seu cœtus hominum in unam veram Fidem conspirantium, unde nullo unquam tempore in orbe defuit. Si tamen nominis etymologiam spectemus, non tam propriè congregatio dicitur, quàm evocatio, deducitur namque à Græco verbo ἐκκαλέω, quod idem sonat atque evoco, ita ut Ecclesia rigorosè dicta sit propriè *cœtus vocatorum.* Ecclesia latè sumpta est triplex, *triumphans, patiens,* & *militans*; triumphans in Cœlis, in Purgatorio patiens, in terra militans.

Ecclesia est triplex.

II. *Vox Ecclesiæ jam denotat Ecclesiam Christi.* Porro, quamvis nomen Ecclesiæ, Judæorum quoque populo applicari quondam potuerit, cum essent cœtus fidelium Deum peculiari modo ac ritu colentium, usus tamen jam obtinuit ut significet Ecclesiam Christianam, seu à Christo specialiter institutam, quemadmodum Matth. 16. v. 18. dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Est ergo hæc Ecclesia congregatio fidelium, qui Fidem in Baptismo professi, Romano Pontifici tanquam capiti subjiciuntur, seu, ut loquitur S. Cyprianus: *est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* Est denique cœtus sub uno sacrificio & sacramentis Deo serviens, & peculiarem ei cultum exhibens, per quæ ab omnibus aliis cœtibus distinguitur.

III. *Infideles non baptizati non sunt in Ecclesiâ,* Hi itaque sunt in Ecclesiâ; nunc videndum quinam ab eâ excludantur. Et quidem de infidelibus non baptizatis certum est eos non esse de Ecclesiâ, quæ nimirum, uti diximus, est congregatio Fidelium: quare de his dicit Apostolus primæ ad Corinthios 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare?* Quod etiam de Turcis & Judæis est dicendum.

IV. *Catechumeni non sunt in Ecclesiâ actu, sed potentiâ.* Catechumeni non sunt propriè & actu in Ecclesiâ, sed tantùm potentiâ, ut ex communi consensu Patrum ostendit Bellarminus tomo secundo, libro 3. de Ecclesiâ, cap. 3. cum necdum susceperint baptismum qui est janua Ecclesiæ, unde ad nullum omnino sacramentum jus habent, nec possunt ab Ecclesiâ puniri. Salvari tamen possunt, cum sint fideles, ad hoc namque sufficit quòd sint in Ecclesiâ voto, quamvis re non sint; & in hoc differt Ecclesia ab Arcâ Noë, extra quam nullus omnino salvari ab aquis diluvii & submersione potuit, quantumvis post inchoatum diluvium, omnibus votis in eâ esse cupivisset.

V. *Verum excommunicati non sunt de Ecclesiâ.* Excommunicatos ejiciunt ex Ecclesiâ Bellarminus libro illo tertio, cap. 5. Valentia hîc, q. 1. punct. 7. §. 19. Tannerus Disp. 1. q. 3. dub. 2. Alii tamen asserunt excommunicatos non esse ab Ecclesiâ excludendos, juxta illud S. Augustini contra Donatistas, cap. 20. *Non separamus à populo Dei, quos degradando vel excommunicando punimus.*

VI. *Hæretici nec aperti nec occulti sunt in Ecclesiâ.* Hæretici simpliciter non sunt in Ecclesiâ, cum Fide careant, quæ est ædificii spiritualis Ecclesiæ fundamentum: undo Capite *Firmiter* de summâ Trinitate Ecclesia appellatur *Ecclesia fidelium*, & in Catechismo Romano *fidelium cœtus*. Unde idem dicendum videtur de hæreticis etiam occultis, quamvis nonnulli eos in Ecclesiâ collocent. Aliquo tamen modo dici possunt spectare ad Ecclesiam hæretici, quia nimirum in eâ esse

Tom. II.

deberent, ac proinde punire eos potest Ecclesia, & cogere ut ad ipsam redeant, sicut pastor ovem errantem potest vi reducere ad ovile. Licèt verò characterem hominis Christiani retineant, non arguit eos esse in Ecclesiâ, hunc enim etiam in inferno retinent, cùm tamen S. Thomas 3 parte, quæst. 8. art. 3. dicat, damnatos nec actu nec potentiâ esse membra Christi.

Punire tamen eos potest Ecclesia.

VII. *Sintne Schismatici de Ecclesiâ.*

Idem affirmat Bellarminus de Schismaticis, eos scilicet non esse de Ecclesiâ, quod similiter docet Valentia, & Tannerus supra citati. Nonnulli tamen, ut Alphonsus de Castro libro de hæreticorum punitione, capite 24. & alii, Schismaticos aiunt non esse hoc nomine ab Ecclesiâ excludendos. Etsi enim rebelles sint & refractarii, Summóque Pontifici in quibusdam obtemperare recusent, cum tamen Fidem & baptismum retineant, in quibus essentia membri Ecclesiæ consistit, non est, inquiunt, cur quis eos existimet esse ab Ecclesiâ separandos. Verum est quidem, sæpe affirmare Patres abscindi ab Ecclesiâ Schismaticos, sed ideo hoc modo loquuntur quia cum schismate conjunctam habebant hæresim, ut in schismaticis Græcis modò contingit.

Cur Schismatici interdum dicantur ab Ecclesiâ separati.

VIII. *Non prædestinati tantùm & justi, sed reprobi etiam & mali sunt in Ecclesiâ.*

Quamvis autem nomen Ecclesiæ interdum, ut Psalmo 88. vers. 6. ad solam congregationem justorum restringatur, Fide tamen certum est, non prædestinatos tantùm, ut olim volebant Wicleffus & Joannes Huss, & nuper dixit Calvinus, nec justos tantùm, ut post Donatistas affirmant Lutherani, sed malos etiam & reprobos esse in Ecclesiâ. Probatur: Ecclesia namque comparatur *areæ*, in qua triticum simul & palæ; *sagenæ*, in qua pisces boni & mali; *Arcæ Noë*, in qua animalia munda & immunda continebantur. Hæc proinde veritas tum in Cõcilio Constantiensi Sess. 15. tum Tridentino Sess. 6. can. 28. est definita, ubi Concilium anathema dicit illi, qui asserucrit *eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum.* Videatur Bellarminus libro tertio de Ecclesiâ, & alii, qui hæc fusissimè contra sectarios discutiunt.

Cur area, sagena, & Arca Noë comparetur Ecclesiæ.

SECTIO TERTIA.

Alia quædam inquiruntur circa naturam & notionem Ecclesiæ.

I. *Negant hæretici Ecclesiam esse visibilem.*

His ergo positis, Quæritur primò, utrùm vera Ecclesia sit visibilis? Negant hæretici: unde Lutherus libro de servo arbitrio ait Ecclesiam non esse illos, quos vulgo dicimus Ecclesiam, hominum scilicet multitudinem, Deo sub Romano Pontifice certo ritu & cultu servientium, sed paucos pios, quos Deus tanquam reliquias occultè conservat & abscondit, seu veluti scinctillas quasdam aut prunas *cineri suppositas doloso.*

II. *Variis modis ostenditur Ecclesiam esse visibilem.*

Constans tamen Orthodoxorum omnium sententia est veram Christi Ecclesiam esse visibilem. Hoc inprimis ostenditur ex rebus variis, quibus Ecclesia in sacris literis comparatur, areæ scilicet, reti, ovili, & civitati supra montem positæ. Quare S. Augustinus libro de unitate Ecclesiæ, cap. 14. & alibi illud Matthæi 5. vers. 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, intelligit de Ecclesiâ. Deinde Matthæi 18. vers. 17. dicit Christus: *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit*: quod apertè arguit Ecclesiam esse visibilem, alioqui si eam quis non videat, quo pacto vel illi dicet quidquam, vel etiam audiet.

III. *Auctoritate Patrum probatur Ecclesiam esse visibilem.*

In hac etiam veritate illustrandâ multi sunt Patres antiqui, cúmque esse Ecclesiæ fulgorem asserunt, ut abscondi nullo modo possit. Hinc Sanctus Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ sic habet: *Ecclesia Domini luce perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit.* Sanctus etiam Chrysostomus homiliâ quartâ in cap. 6. Isaiæ: *Facilius*, inquit, *Solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.* Idem sæpiùs docet S. Augustinus, qui Ecclesiam visibilem adeo esse affirmat, ut eam nemo non videre nequeat, nisi ultro oculos claudat. Concludo itaque hujus Sancti Doctoris verbis Tractatu secundo in Epist. Joannis: *Quid amplius dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? Qui contra lucernam, in candelabro positam oculos claudunt?*

IV. *Ecclesiam errare nullo modo potest.*

Quæritur secundò: Utrùm hæc Ecclesia possit in Fide errare? Respondetur negativè: & primò quidem non posse eam errare, aut deficere per hæresim est clarissimum, in symbolo enim vocatur *Sancta Ecclesia Catholica*, cum hæresi autem consistere sanctitas non potest, hæresis namque fundamentum sanctitatis destruit, nempe Fidem, sine hac enim *impossibile est placere Deo*: si ergo tota Ecclesia hoc modo deficeret, desineret esse vera Ecclesia, ut rectè affirmat Suarez, & fieret synagoga satanæ. Imo ulteriùs existimo cum eodem Suarez libro primo defensionis Fidei, cap. 4. ne quidem per ignorantiam invincibilem errare posse Ecclesiam in iis, quæ credit tanquam certa de Fide. Ratio est, nam ab Apostolo 1. ad Timotheum cap. 3. vers. 15. dicitur Ecclesia *Columna & firmamentum veritatis*: quæ autem in eâ firmitas, si decipi possit, & in rebus etiam maximi momenti, ipsisque adeo Fidei mysteriis errare? Quòd verò per hæresim, ut diximus, errare nequeat, probat dictum illud Christi Matth. 16. vers. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Christus nimirum ita illi speciali protectione assistit, ut in nullum errorem induci possit, quemadmodum hunc Matthæi locum communiter intelligunt Sancti Patres. Unde hæc veritas in variis Conciliis manifestè est definita. Videatur Bellarminus, Hosius, Tannerus, & alii, qui hæc fusissimè contra sectarios prosequuntur: ad nostrum verò institutum, qui Theologiam tantùm scholasticam, non res cum hæreticis controversas scribimus, non pertinent.

Ne quidem per ignorantiam invincibilem errare potest Ecclesia.

Ecclesia columna est & firmamentum veritatis.

Docent Concilia Ecclesiam errare non posse.

V. *Ecclesia est regula viva Fidei, & ad omnes controversias decidendas ordinata.*

Est ergo Ecclesia infallibilis, nec solùm ipsa errare non potest, aut in Fide deficere, sed nec falsum aliis credendum proponere: sicque est regula viva Fidei, cui proinde obtemperare omnes debent, & dicto esse obsequentes. Ad rei autem hujus explicationem recolendum quod suprà Disputatione quintâ dixi, Ecclesiam scilicet duobus modis sumi, *formaliter*, seu pro toto cœtu fidelium, & *repræsentativè*, vel, ut alii loquuntur, *virtualiter*, nempe pro Prælatis & Pastoribus Ecclesiæ in Concilio Generali à Romano Pontifice approbato, qui res omnes definiendi potestatem habent, quorum proinde scita velut à Deo tradita amplecti omnes debent, eorúmque dictis acquiescere. Extra Concilium verò hæc potestas residet in solo Romano Pontifice.

IV. *Tota Ecclesia non est apta ut sit regula vivæ*

Quando autem dicimus Ecclesiam esse regulam vivam Fidei, non est intelligendum de Ecclesiâ formali, seu de universo cœtu fidelium, moraliter enim impossibile est ut tota Ecclesia ad aliquid

seu judex in controversiis decidendis.

aliquid decidendum ac definiendum conveniat, nec laïci ad hoc munus sunt idonei: deinde cum auctoritate docere videtur actus potestatis à Christo ad regendam Ecclesiam peculiariter concessæ, regimen autem Ecclesiæ, ut constat, non ad totum corpus, sed ad caput pertinet. Judex ergo Fidei non est Ecclesia *formalis*, sed *virtualis*, seu *repræsentativa*, hoc est, ut dixi, vel Romanus Pontifex solus, vel cum Concilio, de quo Sectione sequente.

SECTIO QUARTA.

De Ecclesiâ repræsentativâ, seu Conciliis.

I. *Quid nomine Concilii intelligatur.*

CONCILIA sunt comitia quædam Ecclesiastica: sicut enim in civili Republicâ primarii quique unà cum Principe ad rectam illius administrationem, résque varias tractandas identidem conveniunt, ita in Ecclesiâ Episcopi sub Pontifice, Christi in terris Vicario congregantur, ut de iis, quæ ad illius regimen spectant communi consilio deliberent, eáque tum ad doctrinam tum mores statuant, quæ ab omnibus fieri observaríque debent. Hic itaque conventus seu congregatio à Græcis σύνοδος, à Latinis Concilium, aut etiam Synodus vocatur.

II. *Quatuor reperiuntur Conciliorum genera.*

Concilia porro hæc in quadruplici sunt differentiâ: alia enim sunt *diœcesana*, alia *provincialia*, alia *nationalia*, alia denique *generalia*. *Diœcesanum* Concilium est, cum sub uno aliquo Episcopo Parochi ipsius non ad res Fidei docendas, sed ad ea, quæ dictæ diœcesis administrationi conducunt, congregantur. Concilium *Provinciale* illud dicitur, in quo unus Archiepiscopus præest suis Suffraganeis simul collectis: quod etiam Concilium appellari solet *locale*. Concilium *Nationale* vocatur, in quo integræ alicujus nationis seu regionis Episcopi & Archiepiscopi sub uno aliquo Patriarchâ vel Primate conveniunt. Hoc verò Concilium vocatur interdum generale, non absolutè & simpliciter, sed vel respectu præcedentium, vel quòd generatim omnes illius gentis seu nationis Præsules contineat; qua etiam de causâ appellatur aliquando universale. Hæc tamen omnia Concilia reipsa sunt particularia, & errare possunt, nec ex se habent vim obligandi ad credendum ea quæ docent, aut definiunt, nisi confirmentur à Romano Pontifice, tunc autem firmitatem non à se, sed ab ipso accipiunt. Doctrina itaque, quam hæc Concilia ex se tradunt, habet solummodo auctoritatem humanam, majorem tamen vel minorem pro qualitate, & numero definientium.

Concilium diœcesanum, provinciale, & nationale.

Nullius Cœcilii particularis doctrina est infallibilis, si spectetur per se.

III. *Quid sit Concilium generale, & cur vocetur Oecumenicum.*

Quartum itaque, quódque antonomasticè vocatur Concilium, est Concilium *Generale*, quod à Sancto Augustino & aliis vocatur etiam *Universale*, quia nimirum non ad hanc vel illam Nationem aut Provinciam, sed ad universam Ecclesiam pertinet. Hoc porro Concilium, ut sit legitimum, ab ipso Romano Pontifice congregari debet, ipséque in eo, vel per se vel suos Legatos præsidere: quid de Concilio ad deponendum Pontificem dicendum sit, habetur Disputatione sequente Sect. 4. num. 10. Ad hoc ergo Concilium accedere possunt & debent universi terrarum orbis Episcopi, nisi justâ de causâ excusentur, & propterea appellatur *Oecumenicum*, à quo proinde nullus Episcopus per se loquendo excludi potest.

IV. *Generale Concilium nisi à Romano Pontifice convocetur, non est legitimum.*

Generale ergo Concilium, ut sit legitimum, convocari, ut diximus, debet à Romano Pontifice, utpote supremo Ecclesiæ capite, Christique in terris Vicario: unde nisi ab eo congregetur, potest errare, ut in Concilio Ariminensi contigit, & consequenter non est infallibilis regula Fidei. Adde, quantumvis ab initio legitimè congregetur, tamdiu tamen solummodo habet auctoritatem infallibilem, quamdiu in obedientiâ Pontificis persistit, eique ut capiti unitur; si enim postquam Concilium est inchoatum, à Romani Pontificis obedientiâ discedat, eique obtemperare recuset, ut ex parte accidit in Concilio Basilienſi, ab eo tempore desinit esse infallibilis auctoritatis, nec censeri potest regula Fidei.

V. *Causæ variæ ad cogendum Concilium generale.*

Causæ ad Concilium generale celebrandum variæ assignari solent: prima est nova hæresis exorta, ad quam extinguendam omnes Ecclesiæ Principes concurrere & conspirare debent, eique junctis viribus se opponere. Hinc septem prima generalia Concilia ad hunc finem videmus fuisse olim congregata. Varia etiam Concilia ob schismata inter Romanos Pontifices, ut Pisanum, Constantiense, & alia fuerunt coacta. Tertia causa est suspicio hæresis in Romano Pontifice, aut si in moribus planè esset incorrigibilis. Quarta est, si casus contingeret, ut Cardinales non possent aut nollent eligere Pontificem. Causa etiam sufficiens ad Concilium generale cogendum est abusuum ac vitiorum, quæ in Ecclesiam irrepserunt, reformatio. Quædam insuper Concilia celebrata fuisse cernimus, ut per ea Christiani excitarentur ad se Saracenis, & communi Ecclesiæ hosti opponendum: nonnulla etiam aliquando ad Imperatorem deponendum.

Quid si Cardinales nollent, aut non possent eligere Pontificem.

VI. *De iis qui ad Concilium generale sunt vocandi.*

Quæres, quinam sint ad generale Concilium convocandi? Quoad Episcopos jam diximus eos, quantum fieri potest, esse vocandos, nec ullum, per se loquendo posse excludi: soli verò Episcopi sunt ad Concilium necessariò & per se vocandi, ut in iis judicent & ferant sententiam. Ratio est, soli namque Episcopi sunt Pastores, seu quibus grex Christi doctrinâ & scientiâ traditur pascendus. Hinc in Concilio Nicæno primo soli Episcopi 318. judicabant. Hinc etiam in Concilio Chalcedonensi Martinus quidam Abbas, *Non est meum*, inquit, *subscribere, sed Episcoporum.* Licèt vero alii præter Episcopos admitterentur ad subscribendum, aliquid tamen addi solebat, quo denotabatur, eos non definiendo, sed definitis ab Episcopis consentiendo subscribere. Episcopi itaque absolutè dicebant *subscripsi*, vel *definiens subscripsi*: de aliis verò dicitur, *consentientes subscripserunt*, ut de Presbyteris quibusdam expresè refertur in Concilio Arausicano secundo: qua etiam ratione in Concilio aliquando subscripsisse cernimus Imperatorem, ut videre licet in sextâ Synodo, actione duodecimâ.

Soli Episcopi sunt necessario ad Concilium vocandi.

Differentia inter subscriptionem Episcoporũ, & aliorum.

VII. *Ab antiquis omnibus Concilia generalia vocantur Conventus Episcoporum.*

Soli ergo Episcopi ad generale Concilium necessariò sunt convocandi: unde apud antiquos omnes, ipsósque adeo Ecclesiæ Patres, ut Sanctum Cyprianum, S. Hilarium, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Augustinum, & alios, hujusce modi Concilia appellantur *Conventus Episcoporum.* Hinc in Concilio Chalcedonensi cum Monachi & Laïci Concilium intrassent, clamarunt identidem Patres: *Mittè foras superfluos, Concilium Episcoporum est.* Quamvis autem soli

Tom. II.

Episcopi jure interſint Concilio, & habeant ordinariè jus ſuffragii, ex privilegio tamen ſeu indulto Pontificis & conſuetudine idem concedi poteſt Cardinalibus, Epiſcopis titularibus, ſeu annularibus, Abbatibus, & Generalibus Ordinum; quamvis enim non habeant juriſdictionem ordinariam, poſſunt tamen habere delegatam.

VIII. *Aliqui habent ſuffragium deciſivum, alii conſultivum.*

Alii clerici, quamvis jus non habeant accedendi ad Concilium generale, vocari nihilominus poſſunt, ut difficultates, quæ circa res Fidei oriri poſſunt, examinent, & diſcutiant, qui proinde licèt non habeant ſuffragium *deciſivum*, habent tamen ſuffragium *conſultivum*. Laici quamvis Concilio intereſſe poſſint ut illud defendant, & omnia pacata reddant, jus tamen ſuffragii non habent, imo Suarez hîc, Diſputatione undecimâ, Sectione primâ fine, probabilius eſſe affirmat Pontificem iis ſuffragium in generali Concilio concedere non poſſe, cùm jure ſaltem ordinario juriſdictionis non ſint capaces: quod à fortiori dicendum eſt de fœminis.

Quid de laicis dicendum.

IX. *Tam in vetere, quàm novo Teſtamẽto laici à jure ſuffragii in Eccleſiâ excluduntur.*

Hinc tam in vetero, quàm novo teſtamento Laicis jus ſuffragii in rebus ad Fidem & Eccleſiam ſpectantibus non conceditur. Unde Aggæi 2. verſ. 12. dicitur: *Interroga Sacerdotes legem.* Malachiæ etiam ſecundo, verſ. 7. ſic habetur: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*: & alibi ſæpè eadem veritas in vetere teſtamento traditur. In novo etiam Teſtamento hoc idem vàriis locis habetur: ſic Actorum 20. verſ. 27. dicit Apoſtolus: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Hinc etiam Matthæi 5. verſ. 14. dicitur: *Vos eſtis lux mundi*: & cap. ultimo, verſ. 19. *Euntes docete* &c.

X. *Concilium generale, in quo adeſt Romanus Pontifex per ſe vel per ſuos Legatos, eſt infallibilis regula Fidei.*

Concilium itaque generale in quo adeſt Pontifex, errare non poteſt, & eſt infallibilis regula Fidei; regitur namque à Spiritu Sancto, ut habetur Actorum 15. verſ. 29. in forma definiendi ab Apoſtolis uſurpata: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*: unde hæc veritas perpetuâ traditione in Eccleſiâ ſemper fuit habita. Ratio autem eſt; cùm enim, ut jam diximus, rectum Eccleſiæ regimen poſtulet, ut aliqua ſit regula viva, quæ res ad Fidem ſpectantes definiat, controverſiásque decidat, nulla ad hoc munus aptior Concilio generali, in quo unà cum Capite conveniunt Eccleſiæ Proceres, junctisque viribus ad hæreticorum vim & impetum retundendum, résque Fidei ſtatuendas declarandásque conſpirant. Idem etiam dicendum de Concilio generali, in quo Pontifex per ſe non adeſt, ſed per ſuos Legatos, ſi tamen rebus in eo definitis Pontificis approbatio accedat. Imo ſi juxta inſtructionem de re aliquâ in particulari à Papa per Legatos tranſmiſſam, Concilium rem illam definiat, res ſic definita, etiam non expectatâ confirmatione Pontificis eſt ſtatim de Fide, Pontifex ſiquidem jam præbuit conſenſum, ſicque res illa habet omnem auctoritatem ad firmam & validam definitionem requiſitam. Videatur Bellarminus & alii, quî hæc latè proſequuntur.

Quid ſi res definiatur ſolùm juxta inſtructionem Pontificis.



DISPUTA-

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA.

De Summo Pontifice.

EX variis regendi formis, quas in diversis Orbis terrarum partibus viguisse cernimus, Monarchiâ *scilicet, ubi unus aliquis cæteris cum potestate præest,* Aristocratiâ, *quando regimen in solis Optimatibus reperitur, ac* Democratiâ, *dum videlicet imperium in populo residet: ex his, inquam regendi formis perfectissima est* Monarchia, *utpote ad pacem & concordiam inter eos qui reguntur conservandam aptissima. Firmiùs etiam multo administratur Regnum illud, vel Respublica in quâ unius nutu & imperio omnia reguntur. Hinc illi etiam, apud quos Democratia viguit, ubi peculiaris aliqua difficultas exorta erat aut grave periculum imminebat, ut rebus arduis occurrerent, discrimenque quod Reipublicæ impendebat evaderent, ad Monarchiam confugere, plenámque rerum administrandarum potestatem uni conferre sunt coacti. Sic apud Romanos in more semper fuisse cernimus, ut dum summa urgeret necessitas, & res Romana in ultimum pene discrimen adducta esset, Dictatorem crearent, atque ad unius regimen tanquam ad unicum periclitantis ac prope jam labentis Reipublicæ stabilimẽtum cõfugerent.*

Christus ergo, cum sapientissimè Ecclesiam instituerit, Monarchicum in eâ regimen reliquit, quod, ut jam ostensum est, omnium est perfectissimum. Quamvis ergo Apostoli omnes jurisdictionem & spiritualem potestatem in totum Orbem à Christo Domino acceperint, ut ex sacris Literis apertè constat, in hac tamen potestate Petrus cæteris superior fuit, & à Christo omnibus prælatus, utpote cui oves suas peculiari modo pascendas tradidit, & Ecclesiæ regimen commisit illis verbis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. *Quæ potestas quo pacto in Romanum Pontificem Petri successorem derivata sit, in sequentibus ostendetur.*

SECTIO PRIMA.

Varia circa Petri primatum & Sedem Episcopalem declarantur.

I. *Petro Ecclesiæ primatus à Christo Domino fuit concessus.*

APOSTOLUS Petrus, ut diximus cæteris Apostolis in jurisdictione & spirituali potestate fuit Prælatus, & caput Ecclesiæ sub Christo constitutus, ut tum ex illis verbis: *Tu es Petrus*, &c. jam ostensum est, tum quia Christus gregem suum illi pascendum commisit, dum dixit: *Pasce oves meas:* cujus loci vim frustra vitare conantur hæretici, dum oves quidem Petro commissas à Christo fuisse asserunt, sed non omnes, verùm illius potestatem ad solos Judæos fuisse restrictam, juxta illud Pauli ad Galatas c. 2. vers. 7. *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis*, &c.

II. *Non harum vel*

Frustra, inquam, illa Christi verba: *Pasce oves meas;* ad aliquas oves in particulari, non ad omnes universim referunt; dum enim dicit Chri-

Tom. II.

stus *meas*, & omnes omnino oves Ecclesiæ, quæ est ovile Christi, sint oves Christi, non est cur curam ovium Petro hic à Christo traditam, ad has vel illas oves in particulari referat, & non extendat ad omnes. Ad quam rem pulchrè Sanctus Bernardus libro secundo de Consideratione, cap. 8. sic loquitur: *Pasce oves meas, quas? illius, vel illius populi, civitatis, vel regionis, aut certi regni? oves meas*, inquit, *cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Hic est communis Sanctorum Patrum sensus, qui Petro totum Christi ovile, omnésque ejus oves commissas fuisse affirmant, idque peculiariter ex illâ diversitate verborum Christi colligunt, *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*: quibus verbis, inquiunt, apertè significatur, omnis conditionis homines, tum inferiores tum superiores illius regimini & curæ à Christo fuisse concreditos.

illarum in particulari, sed omnium omnino ovium cura Petro est commissa.

Communis Patrum vox est Petro Ecclesiæ primatum fuisse commissum.

III. *Certum est illa verba* Pasce oves meas *soli Petro fuisse à Christo dicta.*

Hæc autem verba, *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*, Petro, & soli Petro fuisse à Christo dicta, testantur Patres omnes, & in particulari S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Augustinus, & alii, & ex capite illo 21. Joannis apertissimè colligitur; cum enim ipsi dixisset Christus: Simon Joannis diligis me plus his? statim post Petri responsionem subjungit: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*: & immediatè addit: *Cum esses junior, cingebas te &c.* cum ergo clarissimum sit, nemine inficiante, hæc postrema verba fuisse soli Petro dicta, eâdem claritate constat de aliis. Verbum verò illud *Pasce*, ostendere Pastoris officium, seu curam pastoralem fuisse Petro commissam Patres universi affirmant; Pastoris autem officium est, ut rectè advertit Suarez, non tantùm alimenta ovibus præbere, sed etiam illas regere, & curam earum gerere, errantes ad ovile revocare, & si opus sit ad reditum compellere.

IV. *Explicatur dictum illud Apostoli:* Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis.

Ad illud capitis secundi ad Galatas, num. 1. relatum, *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis*; quibus verbis volunt hæretici, affirmare Divum Paulum non habuisse S. Petrum potestatem in universam Ecclesiam, sed in Judæos tantùm, sicque oves Christi quoad auctoritatem & pastoralem curam fuisse inter hos duos Apostolos divisam: ad hoc, inquam, Respondetur convenisse inter se Apostolos, ut regiones universi inter se dividerent, unde & verisimile est Sanctum Petrum & Sanctum Paulum statuisse sicut in hunc locum docet S. Hieronymus, ut ille Judæorum præcipuè, hic Gentium conversioni invigilaret. Certum namque est Sanctum Petrum Gentilibus peculiari modo non semel prædicasse, ut eos ad Christi Fidem perduceret: unde & nobilissimas Gentium Ecclesias, ut Antiochenam & Romanam per se, Alexandrinam per Marcum discipulum suum, & alias in Europâ Ecclesias per Apostolicos viros à se in varias partes transmissos fundavit. Sanctum Paulum etiam, non Gentibus tantùm, sed & Judæis prædicasse compertum est, & in ipsis divinis literis apertè traditum: ad quos etiam præclaram illam scripsit Epistolam.

Et Petrus Gentibus, & Paulus Judæis non semel est concionatus.

V. *Potestas universalis Petri erat ordinaria, & perpetuò duratura.*

Quamvis itaque, ut supra diximus, Apostolis omnibus jurisdictio & potestas spiritualis in universum mundum fuerit à Christo commissa, in hoc tamen inter alia potestas universalis Petri ab universali aliorum potestate differebat, quòd esset ordinaria, & perpetuò duratura, quod in aliis Apostolis non reperiebatur; etsi enim illi, dum viverent, potestatem universalem in totum orbem haberent, unà tamen cum ipsis mortua est hæc potestas, & eorum successores jurisdictionem habebant limitatam, & ad suæ terminos Ecclesiæ restrictam. Petri verò potestas nullis, ut loci, ita nec temporis limitibus est definita, sed ipso mortuo, in illius successores est derivata. Hinc S. Augustinus libro de Pastoribus, capite decimo affirmat pastoralem dignitatem & curam universalis Ecclesiæ Petro, non propter ipsum datam esse, sed propter Ecclesiam; cum ergo illo è vitâ sublato, vivat adhuc, perpetuóque victura sit Ecclesia, hæc etiam in eâ vivat ac vigeat dignitas necesse est, cum non minùs hac potestate jam indigeat Ecclesia, quàm in sui primordiis indigebat.

Petri potestas nulla, nec loci, nec temporis limitibus fuit circumscripta.

VI. *Petrus antequam Romam veniret erat supremus Ecclesiæ pastor & rector.*

Petrus ergo, etsi antequam Romam veniret, universalem hanc potestatem, imo & superioritatem respectu omnium Christi fidelium haberet, idque antequam ullam omnino privatam instituere ret, aut regeret Ecclesiam, & anno Christi 39. Antiochiæ Sedem Episcopalem habuerit, indéque per annos septem, ut communis habet Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum sententia, Ecclesiam ut universalis & supremus Pastor rexerit, Antiochiæ tamen Sedem constanter non fixit, sed illâ vel Evodio, ut volunt aliqui, vel ut alii Ignatio relictâ, Romanam Ecclesiam anno Christi 45. fundavit, eámque ad finem usque vitæ rexit, & Cathedram illic constanter habuit, ac per seipsum illam deinceps semper, annis scilicet 24. quibus vixit, gubernavit, nullo (quod tamen Antiochiæ fecerat) constituto, qui ante mortem ipsi succederet.

VII. *Indubitatum est D. Petrum Romæ pluribus annis fuisse Episcopum.*

Petrum verò Romæ fuisse, illámque Ecclesiam pluribus annis in Episcopali dignitate rexisse, ita antiquorum omnium, ipsorúmque etiam Sanctorum Patrum testimoniis est comprobatum, ut quisquis hac de re dubitat, dubitare perinde possit, utrum Nero aut Constantinus Romæ aliquando fuerint, vel de re aliâ quacunque ambigere, pro certâ & indubitatâ ad nos priscorum monumentis transmissâ. Summæ proinde insciliæ & imprudentiæ arguuntur nostri temporis sectarii, dum hoc in dubium revocare conantur: frustra, inquam, antiquitati se opponunt novatores; ita enim eorum omnium, qui tot jam labentibus sæculis hac de re scripserunt auctoritatis pondere deprimuntur, ut vel hinc leve, nulliúsque momenti esse ostendatur quicquid ipsi in contrarium pro suo commento afferunt: unde in caput 16 Matthæi de hoc Petri Romæ Episcopatu & Ecclesiæ primatu loquens Maldonatus: *Pugnabit*, inquit, *pro illo orbis terrarum contra insensatos.*

Antiquitatis vox est Petrum & Romæ sedisse, & ibidem esse mortuum.

SECTIO SECUNDA.

Ostenditur Romanos Pontifices Petro in hac universali potestate successisse.

I. *Romanus Pontifex Petro in universalis Ecclesiæ regimine successit.*

POTESTAS itaque ordinaria universam Ecclesiam regendi, ut diximus, eáque perpetuò duratura Divo Petro à Christo est concessa, quâ de causâ ab eodem Christo appellatur *Petra*, agnósque ejus & oves pascere jubetur. Hanc vero potestatem secum Romam transtulit, eámque ex illâ Sede in universum mundum exercuit, & suo in illâ Cathedrâ successori reliquit. Quamvis namque

Jurisdictionem universalem secum in Romanam sedem transtulit.

namque Antiochenam etiam Ecclesiam aliquando cum simili potestate, & jurisdictione universali administraverit, inde tamen discedens successorem cum inferiore potestate illic reliquit, dum interim Romæ supremam ipse auctoritatem exerceret. Deinde Antiochiæ transeunter tantùm, ut ita dicam, & solummodo ad tempus mansit, Romæ verò, uti dictum est, constanter sedem fixit, ibique per glorioſum martyrium vitam finivit, sicque ut Episcopatum, ita & auctoritatem & præeminentiam ei, qui ipsi Romæ successit reliquit.

II. *Ostenditur supremi Pastoris dignitatem, quæ in Petro fuit, semper in Ecclesiâ Romanâ perstitisse.*

Quòd verò hic primatus, seu superioritas in omnes per totum mundum Ecclesias, Romanæ cathedræ, Petrique in eâ successoribus post ejus mortem semper fuerit relicta, variis modis ostenditur. Præter dicta ergo, id Pontifices suis decretalibus literis tradunt: hinc Callistus, *Nulli dubium est*, inquit, *quòd Apostolica Ecclesia caput sit omnium Ecclesiarum.* Hoc ipsum testantur Clemens, Anacletus, Leo, Gregorius, & alii, qui cum sanctitate & sapientiâ præstantissimi fuerint, suumque pro Christo sanguinem non pauci ex iis fuderint, quantumvis in propriâ causâ loquantur, nullus tamen sapiens judicare poterit Fidem eis hac in parte esse abrogandam.

III. *Gravissimæ semper controversiæ Romano Pontifici missa sunt decidenda.*

Hinc gravissimæ, quæ in variis terrarum orbis partibus exortæ sunt difficultates & controversiæ ad Romanum Pontificem tanquam ad supremum judicem semper deferebantur, ipsius sententiâ decidendæ. Causæ etiam maximæ ad Romanæ sedis Episcopum quasi ad summum tribunal missæ sunt. Hinc, ut alios omittam, S. Athanasius & S. Chrysostomus à sede suâ Episcopali injustè pulsi, ad Romanos Pontifices, hic ad Innocentium, ad Iulium ille appellavit, & ab eo in sedem suam est restitutus. Præterea Pontifex Romanus in alios Episcopos jurisdictionem semper quandam exercuit, eorum scilicet electionem vel per se vel suos legatos, quos in omnibus fere regionibus habuit, confirmando, & Metropolitanis pallium in signum Archiepiscopalis potestatis mittendo. Romani etiam Pontificis, ut Disputatione præcedente, sectione quartâ, num. 4. vidimus, erat convocare Concilium generale, ita ut si ab ipso non convocaretur, haud censeretur legitimum. Leges insuper Ecclesiasticas sancivit frequenter Romanus Pontifex, omnibusque per totum Orbem servandas tradidit, cunctosque ad tum divinarum, tum Pontificiarum legum observationem compulit. Hæc ad Romani Pontificis supremam in omnes potestatem probandam sufficiunt, ejusque in reliquas Ecclesias jurisdictionem, & superioritatem: qui plura cupit consulat Bellarminum, & alios, qui res inter nos & hæreticos controversas ex instituto tractant.

Romanus Pontifex jurisdictionem in alios Episcopos exercuit.

Leges toti Orbi præscribit Romanus Pontifex.

IV. *Ex ratione Summi Pontificatus dignitas Sedi Romanæ fuerit annexa.*

Indubitatum ergo est, Summi Pontificatus dignitatem Romanæ cathedræ, & Petri in eâ successoribus, ex quo Petrus illic sedit, fuisse annexam, & ad hoc usque tempus, quo eam sedem tenet Alexander septimus, longâ tot annorum serie in iisdem permansisse. Unde constat eum qui Petro in Romanâ sede succedit, in jurisdictione etiam universali succedere, & qui Urbis, Orbis esse Episcopum. Hanc porro universalem potestatem ac jurisdictionem, saltem à Petro huic cathedræ constat fuisse annexam, ut ex totius antiquitatis, ipsorumque etiam sanctorum Patrum testimoniis est manifestum, qui docent Petrum, quam ipse à Christo accepit ligandi atque solvendi potestatem, cum Episcopatu Romano conjunxisse.

V. *Vtrùm hic Romana Ecclesia principatus à solo Petro provenerit, an ex institutione Christi.*

Quæres ulteriùs, Utrùm potestas hæc & jurisdictio universalis, ac principatus in omnes Ecclesias, solius Petri auctoritate Ecclesiæ Romanæ fuerit annexus, an ex institutione & præcepto Christi. Sotus in 4. Dist. 24. q. 2. art. 5. à solo Petro hoc provenisse affirmat, ac proinde esse tantùm juris humani. Unde in Summi Pontificis potestate esse docet principatum hunc, & universalem jurisdictionem ab Episcopatu Romano separare. Idem sentire videtur Paludanus, Armachanus, & alii.

VI. *Dignitas jurisdictionis universalis Episcopatui Romano ex Christi institutione fuit annexa.*

Contraria tamen sententia omnino est tenenda. Dico itaque jurisdictionem hanc, seu potestatem universalem in totum Orbem, omnesque per eum dispersas Ecclesias, à Petro, non suâ auctoritate, sed ex Christi ordinatione & præcepto fuisse Episcopatui Romano annexam: ita Caietanus Opusculo de potestate Papæ, Cap. 13. & 14. Cano lib. 6. de Locis, Cap. 4. Valentia hîc, quæst. 1. punct. 7. §. 26. & alii. Hoc inprimis ostenditur ex sanctis Patribus, S. Athanasio, S. Ambrosio, S. Augustino, & aliis asserentibus ex peculiari Dei ordinatione factum esse, ut Ecclesiæ primatus Romæ collocaretur.

VII. *Ostenditur primatum Romanæ Ecclesia non esse merè juris humani, sed divini.*

Ratio verò est: Si enim esset merè juris humani, & solius Petri voluntate præstitum, posset hoc alterius Pontificis voluntate mutari, imo & verisimiliter Conciliorum Generalium decretis, aut Regum vel Imperatorum conatibus fuisset aliquoties mutatum: cum ergo tot annorum spatio hoc nunquam contigerit, manifestum indicium est, rem hanc altioris potestatis, seu divinæ esse, & non merè ab homine provenisse. Quamvis autem Romani Pontifices Avinione in Gallia annis aliquot habitaverint, semper tamen, etiam dum illic manerent, erant Pontifices Romani, nec ullus alius toto illo tempore erat sedis Romanæ Episcopus. Unde quàm primùm per difficultates licuit, ob quas Pontifex se Româ Avinionem transtulit, Romam rediit: imo dum Avinione mansit, semper appellatus est Pontifex Romanus.

SECTIO TERTIA.

An sit de Fide hunc hominem esse verum Romanum Pontificem, & Caput Ecclesiæ.

I. *Quæstio de illo tantùm procedit de cujus electione non potest justè dubitari.*

PROCEDIT quæstio de eo, qui pro vero Pontifice ab Ecclesiâ universim est acceptatus; si enim de validitate electionis ejus cum fundamento dubitetur, indubitatum est, non esse de Fide, hunc esse verum & legitimum Pontificem, cum sit justa ratio de canonicâ illius electione dubitandi: quod dubium quamdiu perstat, non est necessariò credendum illum esse Romanum Pontificem, & Petri successorem.

II. *Negant aliqui esse de Fide hunc esse verum Pontificem.*

Prima sententia affirmat, quantumvis quis ab Ecclesiâ pro vero & legitimo Pontifice semel sit admissus, non tamen esse de Fide eum esse verum Romanum Pontificem, & Caput Ecclesiæ, sed hoc solùm constare morali quadam certitudine, ratione cujus tamen aiunt teneri nos ei in omnibus obedire, & quæ desinit credere, non minùs quàm si esset de Fide eum esse verum Pontificem: ita Bannez hîc, quæst. 1. art. 10. dub. 4. qui quamvis dicat valde temerarium & scandalosum esse,

Tom. II.

si quis neget eum esse verum Pontificem, & Caput Ecclesiæ, quem Ecclesia semel pro tali proposuit & acceptavit, absolutè tamen negat hoc esse de Fide: sicut etiam negat esse de Fide, quod hoc Concilium sit ritè confirmatum, & congregatum.

III. *Dicunt non constare eum esse canonicè electum.*

Idem de Summo Pontifice docet Castro de hæresibus, libro primo, cap. 9. ubi sic habet: *Quamvis credere teneamur verum Petri successorem esse supremum totius Ecclesiæ Pastorem; non tamen tenemur eâdem Fide credere, Leonem aut Clementem esse verum Petri successorem; quoniam non tenemur ex Fide Catholicâ credere, eorum quemlibet rectè & canonicè fuisse electum.* hæc ille. Eandem opinionem tenet Turrecremata libro 4. Summæ, part. 2. cap. 9. Caietanus 22. quæst. 1. art. 3. Cano, Vega, & alii, ex quibus nonnulli rem hanc non omnino ad Fidem spectare asserunt, nonnulli aiunt esse conclusionem Theologicam, utpote quæ ex alterâ præmissâ de Fide, alterâ naturaliter cognoscibili deducatur.

Volunt nonnulli rem hanc esse conclusionem Theologicam.

IV. *Secunda sententia docet esse de Fide hunc hominem esse caput Ecclesiæ.*

Secunda sententia docet esse de Fide eum, qui pro vero & legitimo Pontifice est acceptatus, esse verum Pontificem, & caput Ecclesiæ: ita Salmeron Tomo 13. parte 3. in Epistolam ad Romanos: Suarez hîc, Disputatione decimâ, Sectione quintâ, Tannerus, Hurtado, Lugo, & alii, estque communis Auctorum nostræ Societatis sententia. Valentia verò, quamvis idem doceat, hanc tamen addit limitationem, si nimirum ille aliquid circa Fidem definierit. Ut ab hoc ultimo incipiam,

V. *Ipso facto quòd aliquid definiat obligans totam Ecclesiam, est de Fide eum esse verum Pontificem.*

Dico primò: Eo ipso quòd Pontifex aliquid definiat, quo totam Ecclesiam ad id credendum obligat, est de Fide eum esse verum Pontificem, & caput Ecclesiæ: ita Valentia Disp. 1. quæst. 1. puncto 7. §. 39. & nostri omnes. Ratio est; ipso facto enim quòd hujusmodi aliquid definiat, definit in actu exercito se habere auctoritatem hoc faciendi, & consequenter esse verum Pontificem, & caput Ecclesiæ: quemadmodum & Hagiographus dum nobis sacras literas tradit, eâdem operâ tradit se esse scriptorem canonicum, & quod tradit, auctoritate divinâ credendum tradere, sicut qui loquitur, dicit in actu exercito se loqui: quod similiter de definitionibus Conciliorum generalium ab omnibus dici solet.

VI. *Si quis pro vero Pontifice ab omnibus sit admissus, de Fide est eum esse Caput Ecclesiæ.*

Dico secundò: Quamvis nonnulli existiment, etiamsi quis à totâ Ecclesiâ pro Pontifice sit admissus, non tamen esse de Fide eum esse verum Pontificem, & caput Ecclesiæ, donec aliquid definiat, & actum aliquem exerceat ad totam Ecclesiam spectantem, atque in quo utitur auctoritate Papali; his inquam non obstantibus dico, eo ipso quòd quis pro vero ac legitimo Pontifice sit electus, & ab omnibus acceptatus, esse de Fide eum esse caput Ecclesiæ, etiam antequam rem ullam definiat: ita Suarez, Tannerus, & alii supra citati.

VII. *Universa Ecclesia errare non potest.*

Ratio est; Impossibile namque est Ecclesiam, *Columnam & firmamentum veritatis*, errare, in iis præsertim rebus, quæ sunt tanti momenti, & ad Religionem spectant; maximi autem momenti est, & præcipuo quodam modo ad Religionem spectans, ut Ecclesia aliquem acceptet pro verâ regulâ Fidei, nec enim videtur ullâ in re graviùs errare eam aut periculosiùs posse, cum hic sit fundamentalis error, & à quo alii plurimi, iique non levis momenti oriri possint circa Fidem & objecta, quæ ab ipso proponuntur credenda. Errare ergo Ecclesia hac in re non potest, nec eum pro capite Ecclesiæ, & veritatis regulâ acceptare, qui talis reipsa non est. Quare hæc acceptatio universalis videtur esse vox Dei, cui omnes & possunt & debent credere, ac proinde est de Fide hominem sic electum & acceptatum pro Romano Pontifice esse caput Ecclesiæ.

Error circa Caput Ecclesiæ est error fundamentalis.

VIII. *Alia argumenta non hanc, sed priorem conclusionem probant.*

Hoc est præcipuum hujus secundæ conclusionis fundamentum: quod enim ad rem hanc probandam afferunt aliqui, nempe debere nos Fide credere quæ in generali aliquo Concilio ritè convocato definiuntur, ac proinde debere etiam credere eum, qui Concilium illud convocat, habere potestatem id convocandi, & approbandi, sicque esse Summum Pontificem, & caput Ecclesiæ, cùm nullus alius potestatem habeat hoc præstandi: item cùm credere debeamus id quod definit Pontifex esse verum, eique oporteat sine formidine adhærere, ita eâdem firmitate credere debemus illum esse verum Romanum Pontificem, si enim de hoc dubitemus, nunquam firmiter & sine formidine adhærere possumus iis, quæ ab eo definiuntur, & credenda proponuntur: hæc inquam solummodo probant primam conclusionem, nempe esse de Fide hunc esse verum Pontificem, & caput Ecclesiæ postquam aliquid definierit, non tamen probant secundam, nimirum esse de Fide eum esse verum Pontificem eo ipso quòd ab Ecclesiâ pro tali admittatur, & acceptetur.

Qua firmitate credimus definita, eâdem credimus definientem esse Summum Pontificem.

SECTIO QUARTA.

Argumentorum solutione ulteriùs declaratur esse de Fide hunc esse verum Romanum Pontificem: & quædam inquiruntur.

I. *Ostenditur esse de Fide hunc hominem esse verum Pontificem Romanum.*

OBJICIES primò: Ut aliquid sit de Fide, debet esse revelatum, Deus autem nunquam revelavit hunc hominem, Alexandrum scilicet septimum esse verum Romanum Pontificem, & caput Ecclesiæ, ergo non est de Fide. Respondetur, hoc esse à Deo revelatum in revelatione universali; dum enim revelat Ecclesiam nullâ unquam in re erraturam, eo ipso revelat hunc hominem in particulari, quem Ecclesia pro vero & legitimo Summo Pontifice admittit, esse verum Papam, & caput Ecclesiæ, hic enim error, ut Sectione præcedente, numero septimo ostendi, esset gravissimus, & omnia pessum irent, si in ipsâ Fidei regulâ Ecclesia decideretur; sic enim innumeri de rebus etiam ad Fidem spectantibus in eam errores irreperent, nihilque certi haberemus aut solidi, sed fluctuaremus, & omni vento doctrinæ circumferremur. Ipso facto autem quòd reveletur hunc hominem esse caput Ecclesiæ, revelatur etiam, saltem mediatè; vel implicitè eum esse baptizatum, & habere reliqua ad Summum Pontificem requisita, & hoc modo, non in se tantùm, sed etiam quoad nos sunt de Fide. Quid verò foret si Pontifex incideret in hæresim dicetur infra num. 8. & Sect. 6. n. 5.

Revelat Deus hunc hominem sic acceptatum, esse Caput Ecclesiæ.

II. *Non obstat quòd non sit de Fide hanc numero hostiam esse consecratam.*

Objicies secundò: Non est de Fide hanc numero hostiam esse consecratam, ergo nec hunc numero hominem esse caput Ecclesiæ. Respondetur negando consequentiam, hanc enim hostiam esse consecratam nullo modo vel ex revelatione constat, vel evidente sequelâ ex propositione revelatâ deducitur, multo minùs in eâ includitur,

includitur, cùm, quantumvis sit de Fide omnem hostiam, cui cuncta ad validam consecrationem sunt adhibita, esse consecratam, facilè tamen contingere potest, ut aliquid desit ad validam consecrationem requisitum. At verò in præsenti Deus per approbationem illam universalem, qua hic homo acceptatur ab omnibus pro vero Pontifice dicit eum esse verum Pontificem, & hæc communis omnium acceptatio est quædam vox Dei hoc dicentis, ut Sectione præcedente est declaratum; quando enim revelavit Deus Ecclesiam, maximè in rebus Fidei non erraturam, in revelatione illâ universali revelat eam, hic & nunc seu in hujus hominis in particulari acceptatione non errare: sicut ex hac propositione de Fide: *Omnis homo est redemptus à Christo*, sequitur hanc esse de Fide, *Petrus est redemptus à Christo*, quia in propositione illâ universali continetur, nihil enim aliud est *Omnis homo*, quàm Petrus, Paulus &c. ut ex Logicorum præceptionibus, ipsóque naturali discursu est manifestum.

In revelatione illâ universali includitur hæc particularis.

Res hæc declaratur exemplo.

III. *Nunquam pro Capite Ecclesiæ acceptatus fuit, nisi is qui talis revera fuit.*

Objicies tertiò: Accidit aliquando ut pro vero Pontifice admitteretur ab Ecclesiâ, qui tamen verus Pontifex non erat, ergo id quod diximus de universali acceptatione non probat esse de Fide talem esse verum Pontificem, & Caput Ecclesiæ. Respondetur hoc nunquam in Ecclesiâ contigisse, nec quidquam hac de re ex antiquorum monumentis extat Fide dignum: quod enim de Joanna Papissa circumfertur, fabula est, & dudum ab Orthodoxis explosum.

IV. *Quænam sint actiones, in quibus Pontifex errare nequit.*

Quæres, cùm Sectione præcedente dixerimus Papam in quibusdam actionibus errare non posse, quæres inquam, quænam sint actiones illæ ratione quarum singulare hoc privilegium ei concedatur. Respondetur, inprimis non posse eum errare in decretis & dogmatibus Fidei sanciendis, sic enim totam Ecclesiam in varios, ut diximus, & gravissimos errores induceret: & idem est de decretis morum ad totam Ecclesiam spectantibus. Deinde errare nequit Pontifex in Canonizatione Sanctorum: Unde existimo cum Valentia, & aliis esse de Fide Sanctum canonizatum esse in cœlo: & idem mihi probabilius videtur de Beatificato. Præterea errare nequit Pontifex in approbatione Religionum, si enim in his errare posset, sequeretur totam Ecclesiam in Fide & moribus errare posse, sicque non esset sancta, nec columna & firmamentum veritatis.

De Fide est Sanctum Canonizatum, esse in cœlo.

V. *Potest Summus Pontifex deponere seipsum.*

Inquiri hîc etiam solet, an is, qui ad Summi Pontificis dignitatem est evectus, possit ab illo gradu decidere, ac deponi. Posse Pontificem seipsum deponere communis est Theologorum sententia, & constat id aliquando contigisse. Imo existimo probabilius, ad hoc ut Pontifex se deponat, non esse necessarium ut vel Ecclesiæ, vel Cardinalium consensum expectet, sed liberè & pro voluntate posse eum se abdicare, cum nullum habeat sibi superiorem, sicut habent alii Episcopi, qui Pontifici Romano subsunt, quâ de causâ tam liberè, & nisi illius expectato consensu, Episcopatum resignare non possunt.

VI. *Deponi potest Pontifex ob perpetuam amentiam.*

Quæritur ulteriùs utrùm ob causas aliquas deponi possit Pontifex, etiamsi ipse in hanc sui depositionem non consentiat. Respondetur posse: primò si incidat in perpetuam amentiam, perpetua siquidem amentia quoad usum rationis æquivalet morti, unde jure divino in hoc casu est depositus. Quòd si in amentiâ, quæ perpetua censebatur, depositus, iterum ad se redeat, tunc si adhibitâ debitâ diligentiâ ante depositionem, prudenter judicabatur amentia esse perpetua, quamvis reipsa talis non fuerit, manet etiamnum depositus, alioqui maximam in Ecclesiâ pareret confusionem, nec res tanti momenti dependere debet à futuro contingenti.

Quia si depositus ad se postea redeat,

VII. *Posse Pontificem deponi ob hæresim Theologi omnes affirmant.*

Ob hæresim deponi posse Pontificem communis est Theologorum sententia: imo aliqui, ut Turrecremata, Paludanus, Castro libro secundo de justâ hæreticorum punitione, cap. 22. & 23. Salmeron tomo duodecimo, tract. 83. Tannerus hîc, Disputat. 1. quæst. 4. numero 174. & alii asserunt, quamvis Summus Pontifex ab hominibus deponi nequeat, utpote qui in terris nullum habet superiorem, & sicut potestatem suam non ab hominibus, sed à Deo, positâ hominum electione, immediatè accipit, ita nec ab hominibus privari eâ potest; asserunt inquam, illum ipso facto quod in hæresim incidat, è dignitate excidere, Deo potestatem ipsi immediatè, nullâque expectatâ hominum sententiâ seu judicio, auferente. Ratio hujus sententiæ est, omnis siquidem auctoritas & jurisdictio Ecclesiæ fundatur in Fide, juxta illud 1. ad Corinthios 3. v. 11. ubi dicit Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est*: quod Apostoli dictum S. Augustinus intelligendum esse docet de Fide: *Si Christus*, inquit, *est fundamentum, etiam Fides Christi.* Si ergo Fides est fundamentum Ecclesiæ, est etiam fundamentum Pontificiæ dignitatis, seu supremæ auctoritatis & Capitis Ecclesiæ.

Dicunt aliqui eum tunc immediatè deponi à Deo.

VIII. *Probabilius est Pontificem ob culpam hæresis non statim privari à Deo suâ dignitate.*

Communis tamen hodie Theologorum sententia est, Pontificem etiam ob hæresim publicam non privari à Deo suâ dignitate & potestate Pontificiâ, nisi hominum hac de re judicium & sententia præcesserit: & hæc sententia mihi multo videtur probabilior. Si ergo accideret Papam fieri hæreticum, & hac in re obstirmato animo publicè persistere, statim atque legitima sententia declaratoria contra eum ab Ecclesia est prolata, desinit esse Summus Pontifex, Deus namque sicut ubi ab hominibus est electus, confert ei summam illam potestatem, & jurisdictionem universalem, ita ubi sententia contra eum declaratoria ab Ecclesiâ lata est, eâdem eum privat, & Pontificiâ dignitate.

Christus, sicut contulit, ita aufert ab eo dignitatem.

Dixi deponi eum debere ob hæresim publicam; ob hæresim namque merè interiorem nullus dicit illum è dignitate Papali excidere, sed crimen hæresis esse debet manifestum. Quòd verò in hoc casu deponi debeat habemus ex Clementis primi epistolâ primâ, ubi ait docuisse S. Petrum hæreticum Papam esse deponendum. S. Paulus etiam ad Titum 3. vers. 10. sic habet: *hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita*; quod si hoc in quovis hæretico homine est faciendum, quanto magis in eo qui præesset Ecclesiæ, utpote à quo longè plus mali posset procedere: & nisi talis depositio in hoc casu fieri posset, Christus in tanto periculo Ecclesiam suam omni remedio reliquisset destitutam. Quòd si Papa in hæresim lapsus, postquam semel ac iterum est admonitus, resipiscat, non est deponendus: si verò post has admonitiones maneat contumax, aut postquam correxit se, & hæresim ejuravit, in eam denuo relabatur, potest & debet deponi. Suarez tamen asserit fieri non posse, ut verus Pontifex unquam incidat in hæresim: idem docet Bellarminus lib. 4. de Pontifice, capite 6. contraria tamen sententia multo est communior.

IX. *Ad depositionem, hæresis debet esse publica.*

Si post primam vel secundam admonitionem resipiscat, non est deponendus.

Quæres:

Tom. II.

X. *A quo sententia declaratoria in depositione Pontificis esset ferenda.*

Quæres: Casu quo Pontifex ob hæresim esset deponendus, à quo sententia hæc declaratoria ferri deberet. Respondetur, hoc ad omnes Ecclesiæ Episcopos, utpote Pastores ordinarios spectare, sicque ad Concilium generale, quod quamvis ad res Fidei definiendas, ut suprà diximus, à solo Papa legitimè congregari possit, in hoc tamen casu, cùm Concilium congregandum sit contra Pontificem, potest legitimè vel à Cardinalibus, vel ex consensu Episcoporum congregari; quod proinde Concilium si Papa conaretur impedire, posset jure ei obsisti. Aliqui tamen existimant, non esse ad hoc necessarium ut Episcopi in unum aliquem locum conveniant, sed sufficere aiunt ut Concilia Provincialia vel Nationalia ab Archiepiscopis vel Primalibus convocentur, & Episcopi in hac sententiâ declaratoriâ omnes conspirent. Alii denique sententiam hanc declaratoriam dicunt ferri posse à Cardinalibus. Sed licèt res hæc iis committi potuisset, sicut committitur Pontificis electio; cùm tamen nulla talis data ipsis sit ab Ecclesia commissio, nec ullum extet hac de re jus Pontificium, de facto non habent hujusmodi potestatem.

Dicunt aliqui non esse necessarium Concilium generale, sed sufficere nationalia.

XI. *Pontifex negans Fidem tantùm exteriùs, si hoc coactus faciat, non est deponendus.*

Si verò contingat Pontificem vi coactum Fidem exteriùs negare, si profiteatur se invitum hoc fecisse, non est deponendus: quod apertè ostenditur in S. Marcellino. Si tamen non coactus, sed ultro & sponte neget Fidem, quantumvis postea affirmet se exteriùs solùm hoc fecisse, interiùs tamen non præbuisse consensum, eodem modo cum illo agi potest ac cum eo, qui est hæreticus; Ecclesia siquidem non judicat de internis.

XII. *Pontifex, quantumvis gravia admittat crimina, deponi non potest.*

Quoad pravitatem morum, licèt Canonistæ quidam dicant Papam ob gravia crimina, si planè sit incorrigibilis, posse deponi, communis tamen sententia est, verum Pontificem, quantumcunque perversis sit moribus, deponi nihilominus non posse, cum nullum hac de re extet jus humanum vel divinum, ex quo hoc deducatur; imo dicit Christus Matthæi 23. vers. 2. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ* &c. & circa depositionem Pontificis solum specificatur crimen hæresis. Si tamen accideret, ut Pontifex, vel ob perpetuam captivitatem, vel aliam ob causam ita impediretur, ut fungi suo munere in Ecclesiæ administratione non posset, & hoc in grave Ecclesiæ damnum cederet, teneri juxta quosdam videtur ad officio suo ac dignitati renunciandum: cui opinioni non parum favet Suarez hîc, Disputat. 10. Sect. 6. num. 18.

Quod si Pontifex fungi officio suo non possit.

SECTIO QUINTA.

De infallibilitate Pontificis in definiendo.

I. *Pontifex cum Concilio generali aliquid definiens errare non potest.*

Quando Romanus Pontifex unà cum Concilio generali aliquid definit, totique Ecclesiæ credendum proponit, nullo modo errare potest. In hac conclusione Orthodoxi omnes contra sectarios id negantes conveniunt. Hoc ad minimum probant illæ, quæ Petro ejúsque successoribus à Christo factæ sunt in sacris literis promissiones; sic Matthæi 16. vers. 18. dixit ei Christus: *Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Si ergo hanc instar petræ firmam & infallibilem in definiendo potestatem ullibi habeat Pontifex, maximè cum Concilio generali, quod est medium accommodatissimum ad res maturè ponderandas & modo sapientissimo decidendas. Idem habetur ex illo Lucæ 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quam proinde veritatem tanquam certam & indubitatam tradunt unanimiter Sancti Ecclesiæ Patres.

II. *Dicunt aliqui Pontificem extra generale Concilium definientem posse errare.*

Quæres, Utrùm Romanus Pontifex, etiam extra Concilium generale definiens habeat infallibilitatem? Negant aliqui, asserentes posse Pontificem, etiam ut Pontificem, sine Concilio definientem errare, & alios in errorem falsâ definitione inducere: ita præter Erasmum, & alios similes semi-christianos, inquit Tannerus hîc, Disp. 1. quæst. 4. dub. 6. docent aliquot Parisienses, ut Gerson & Almainus in libris de potestate Ecclesiæ: idem tenet Alphonsus de Castro libro primo, cap. 2. contra hæreses: hoc etiam affirmare videtur Ockamus, Pamormitanus, & alii.

III. *Romanus Pontifex, etiam extra Concilium generale habet infallibilitatem in definiendo.*

Dicendum tamen, quicquid Romanus Pontifex, etiam extra Concilium generale definit, esse de Fide, eúmque per se habere infallibilitatem in iis, quæ hoc modo universali Ecclesiæ credenda proponit: ita S. Thomas hîc, quæst. 1. art. 10. & quæst. 11. art. 2. & alibi: Halensis tertiâ parte, quæst. 4. membro 5. Albertus Magnus, Waldensis libro secundo Doct. cap. 47. & 48. Richardus, Paludanus, & alii: Bellarminus libro de Pontifice, cap. 3. Valentia hîc, quæst. 1. punct. 7. Caïetanus in Opusculo de potestate Papæ, Suarez hîc, Disp. 5. Sect. 8. Tannerus hîc, Disp. 1. quæst. 4. dub. 6. estque communis Theologorum sententia.

IV. *Ostenditur Romanum Pontificem extra generale Concilium esse definiendo infallibilem.*

Probatur primò ex locis Scripturæ supra, n. 1. allatis; illæ enim promissiones, ut diximus, non Concilio generali, sed Petro ejúsque Successoribus sunt factæ. Hinc Patres Ecclesiam Romanam appellant *Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum.* Hinc etiam in Concilio Florentino in decreto Eugenii definitur *S. Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & Romanum Pontificem esse Caput totius Ecclesiæ, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem.*

V. *Pontifex approbando decreta Concilii Provincialis, ea facit esse de Fide.*

Præterea, quæ in Conciliis Provincialibus decreta ac definita sunt, accedente approbatione Pontificis censentur ab omnibus esse de Fide, ergo secundùm communem consensum Ecclesiæ, ut Pontifex reddat aliquid de Fide, non est opus Concilio generali. Deinde Pontifices, etiam à principio hanc in se potestatem agnoverunt, & plures hæreses, ut Pelagii, Prisciliani, Joviniani, & Vigilantii damnarunt, quas postea tota Ecclesia hoc ipso damnavit: non est autem verisimile tot tantáque sanctitate & sapientiâ viros voluisse hanc potestatem injustè usurpasse. Hæc proinde communis est Sanctorum Patrum sententia, quos refert Bellarminus libro tertio de Pontifice, Salmeron in caput 16. Matthæi, & alii. Tandem difficillimum est Concilium generale convenire, ob maximas, quæ hac in re interveniunt difficultates, & aliunde occasio frequenter accidit novam emergentem hæresim damnandi, ergo non est verisimile hanc potestatem Pontificis, esse Concilio generali astrictam.

Communis Sanctorum Patrum Vox est, Pontificem sine generali Concilio posse aliquid reddere Fide certum.

VI. *Quid de opinione negante Pontificem sine*

Quare hanc sententiam, posse scilicet Romanum Pontificem sine generali Concilio aliquid definire, & reddere de Fide, Suarez citatus ait esse certam de Fide: contrariam verò opinionem

Bellarminus

Concilio generali aliquid definire censeant auctores.

Bellarminus loco citato ait esse erroneam & hæresi proximam: Valentia asserit eos, qui docent Pontificem extra Concilium generale aliquid definientem ex cathedrâ, & credendum toti Ecclesiæ proponentem, posse errare, hos, inquam, ait Valentia errare in Fide gravissimè: ex quibus constat illam sententiam nullo modo esse tenendam.

VII. *Non sequitur Concilium Generale nullis esse usui.*

Objicies: Si solus Pontifex sine Concilio generali aliquid possit definire, & toti Ecclesiæ credendum proponere, nulli usui erit Concilium generale. Negatur tamen sequela, ad hoc enim deservit, ut res, quæ definienda proponitur, maturiùs penderetur, majoréque cum satisfactione omnium statuatur, dum tot doctissimorum hominum, omniqúe exceptione majorum suffragiis approbatam esse vident: unde & hæretici acquiescent faciliùs, & ad hujusmodi definitiones amplectendas, minore cum repugnantiâ inducentur.

VIII. *Quid si Pontifex sine debitâ diligentiâ aliquid definiret.*

Quæres: Utrùm si Pontifex aliquid extra Concilium sine præmissâ debitâ diligentiâ definiat, utrùm inquam, in hoc casu res sic definita, esset de Fide. Sylvester verbo *Fides*, & in dialogo contra Lutherum, Canus & Castro affirmant rem hoc modò definitam non esse de Fide; imo ulteriùs asserunt Papam absque maturâ deliberatione definientem posse errare, nec teneri Ecclesiam definitionem temerè factam acceptare. Hoc tamen, inquit Suarez citatus, est periculosum; sic namque aperitur via omnia Pontificum decreta respuendi, cùm dubitari possit, an debitam adhibuerint diligentiam: quare ait ipse casum hunc non posse contingere, Deus enim, qui speciali providentiâ Ecclesiam gubernat, hoc nunquam permittet. Idem etiam affirmat Bellarminus citatus, Valentia, Bannez, & alii. Addit tamen Bellarminus, si Pontifex non adhibitâ sufficiente diligentiâ aliquid definiat, eum infallibiliter non definire, nec rem illam esse de Fide.

Deus non permittet Pontificem aliquid temere definire.

IX. *Nullus unquam Pontifex aliquid falsum definivit.*

Ad ea, quæ circa varios, qui nonnullis Pontificibus à quibusdam objiciebantur errores, quos ab iis definitos fuisse prætendebant, optimè respondet Bellarminus libro 4. de Pontifice, ubi per plura capita rem hanc exactissimè tractat. Ad id quod de Sixto Quinto refertur, ipsum scilicet decreto suis bibliis præfixo definivisse biblia illa à se edita carere mendis, ad hoc inquam dico cum Tannero hîc, Disp. 1 quæst. 4. d. 6. vel decretum illud nunquam ad Valvas Ecclesiæ Romæ affixum fuisse, vel si fuerit, refixum tamen mortuo Sixto fuisse duobus mensibus ante elapsum tempus, quod ad validam illius promulgationem requirebatur. Idem etiam dicendum de Joanne 22. qui cum errorem illum, in quo privatim versabatur, animas scilicet Beatorum ante resurrectionem, seu extremum judicii diem non visuras Deum, definire conaretur, morte priùs sublatus est, quàm hoc præstaret, Deo ex singulari erga Ecclesiam curâ ac providentiâ ita disponente, ne unquam Romanus Pontifex falsi aliquid definiret.

De Bibliis Sixtinis, & Joanne XXII.

X. *An Pontifex privatim fieri possit hæreticus, non ita constat inter auctores.*

Utrùm verò Romanus Pontifex ut privata persona hæreticus esse possit, non usque adeo inter Catholicos etiam Scriptores certum est. Partem affirmantem, posse scilicet eum privatim fieri hæreticum tenet Caietanus, Sotus, Canus, Castro, & alii. Suarez tamen supra citatus, & Albertus Pighius negât. Sed quicquid sit de possibili, nunquam tamen hoc ab ipso Ecclesiæ exordio contigisse ostendit Bellarminus libro 4. de Pontifice, cap. 6. & sequentibus, quod non leve argumentum est, in hæresim incidere eum non posse; cùm enim mille sexcentorum annorum spatio hoc nulli Pontificum acciderit, moraliter certum est id fieri nequaquam posse. In iis tamen rebus, quæ ad Fidem, & universam Ecclesiam non pertinent, ut privata persona in opinando & agendo, tum voce tum scriptis errare potest; in his enim homo cum sit, nullum præ aliis hominibus peculiare habet privilegium.

Non videtur Pontificem incidere posse in hæresim.

SECTIO SEXTA.

Reliqua ad Summi Pontificis electionem, dignitatem, & auctoritatem spectantia.

I. *Christus certum modum eligendi Pontificem non præscripsit.*

Dico primò: Certus ac determinatus Pontificem eligendi modus non est à Christo præscriptus, sed Ecclesiæ relictus. Hæc conclusio certa omnino videtur; non enim idem in Ecclesiâ semper fuit eum eligendi modus, etsi namque in præsenti eligatur à Cardinalibus, Petrus tamen, ut constat tum ex ipsius Clementis, tum aliorum Pontificum Epistolis, successorem sibi elegit Clementem. Quamvis siquidem in Canone Missæ Linus & Cletus ante Clementem nominentur, & aliqui etiam ex Sanctis Patribus affirment Clementem Petro immediatè non successisse, ratio tamen hujus fuit, vel quòd Clemens electus quidem à Petro fuerit, sed statim post mortem Petri dignitati illi renuntiavit, & in eo munere succedere noluit, ut asserit S. Epiphanius, vel ideo Linus & Cletus in Canone Missæ præponuntur Clementi, & inter Romanos Pontifices numerantur, quia Linus fuit Petri coadjutor, & eo absente Romanam Ecclesiam regebat, eique ante Petrum mortuo Cletus in eodem officio successit, quamvis neuter verè fuerit Pontifex Romanus, quæ est sententia Damasi, Tertulliani, Russini, & aliorum.

Cur Linus & Cletus in Canone Missæ ante Clementem nominêtur.

II. *Romanus Pontifex possitne sibi eligere successorem.*

Quare P. Suarez hîc Disp. 10. Sect. 4. ait posse Pontificem Romanum sibi eligere successorem, & esse in ejus potestate modum eligendi Pontificem, qui nunc est in Ecclesiâ, mutare, & alium modum instituere. Si verò nullus esset à Pontifice institutus eligendi modus, & sedes vacaret, ab omnibus Ecclesiæ Episcopis eligi deberet. Potest etiam Romanus Pontifex alteri Episcopo concedere ut sibi eligat successorem, ut expressè habetur cap. *Petisti* 7. quæst. primâ, & alibi.

III. *Non est necessarium ut semper eligatur unus ex Cardinalibus.*

Circa personam eligendam, etsi Ecclesiæ consuetudo sit ut eligatur ad hanc dignitatem unus ex Cardinalibus, Suarez tamen citatus asserit hoc non esse necessarium: unde ait, si quis extra collegium Cardinalium ad hoc munus assumeretur, electionem fore validam; nullo enim jure constat electionem passivam ad solos Cardinales esse restrictam. Quamvis autem eligatur ab hominibus, ad quos spectat personam Pontificis designare, solus tamen Christus potestatem ei & auctoritatem immediatè confert, sicut Rex immediatè potestatem confert proregi.

IV. *Quid faciendum quando plures eliguntur Pontifices.*

Dico secundò: Quando plures eliguntur Pontifices, nullus tenetur ulli ex iis in particulari adhærere, donec ei constet quis eorum sit legitimè electus: imo si dum eorum jus est dubium, aliquis cuiquam ex illis determinatè adhæreret, peccaret.

Tom. II.

peccaret. Quando autem ex pluribus, qui sunt electi, cognosci nequit quis eorum sit legitimè electus, Ecclesia cogere omnes potest, ut prætenso juri renuncient, séque in ordinem redigant. Dubius etiam Pontifex, si nullâ certâ ratione de legitimâ ejus electione constare queat, deponi potest ab Ecclesiâ, uti factum est in Concilio Constantiensi. Ratio est, Ecclesia siquidem jus habet ad eligendum Pontificem, cui obedire valeat in conspectu Ecclesiæ, sed dubius Pontifex non est hujusmodi, ergo deponi potest, & alius ejus loco per legitimam & claram electionem subrogari.

Pontifex dubius deponi potest ab Ecclesiâ.

V. Quæres, cùm supra, Sect. 4. num. 8. dixerimus Pontificem hæreticum, non statim dignitate & auctoritate Pontificiâ excidere, nec nisi hominum hac de re judicium & sententia præcesserit, potestate illâ & officio orbari: quæres inquam, quo pacto esse possit adhuc Caput Ecclesiæ, quandoquidem, ut supra diximus, Fides sit fundamentum Ecclesiæ, & sine eâ nullus membrum Ecclesiæ esse possit, multo minùs caput. Sed contra, nullus enim dicit Pontificem, cujus hæresis esset occulta, ipso facto dignitate illâ ac munere orbari, hîc tamen, ut constat, eadem est difficultas. Respondetur itaque Fidem, sicut non est necessaria ad potestatem ordinis, ita nec ad potestatem jurisdictionis; unde quamvis non sit propriè membrum Ecclesiæ, Deus tamen per quemcunque potest in Ecclesiam suam influere.

Qua ratione Papa hæreticus possit esse Caput Ecclesiæ.

Fides sicut non ad potestatem ordinis, ita nec ad potestatem jurisdictionis est necessaria.

DISPUTATIO VIGESIMA TERTIA.

De infallibilitate auctoritatis divinæ.

FIDEI falsum subesse non posse, in superioribus fusè declaratum est, quòd nimirum divinæ veracitati, quæ nec fallere potest nec falli, tanquam objecto formali innitatur, indéque firmitatem suam & infallibilitatem hauriat. Vt ergo hæc Dei in dicendo veracitas clariùs innotescat, nonnullas hic circa eam ad totius hujus de Fide tractatus conclusionem inquiremus: quamvis enim res tam clara videatur non posse Deum falsum dicere, ut nullus de eâ relictus sit ambigendi locus, eo tamen audaciæ processerunt nonnulli, ut hoc affirmare non sint veriti, quos proinde res Theologicas tractantibus nefas est non refellere, sed Dei veracitatem ab hac calumniâ vendicare debent, & obstruere os loquentium iniqua.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Deus falsum aliquid dicere, aut mentiri possit.

I. MENDACIUM, ut communis jam habet Theologorum opinio, est *Manifestatio rei contra id quod existimatur verum:* seu, ut alii illud definiunt, est *Enunciatio contra mentem loquentis:* quod conforme est doctrinæ Divi Augustini lib. de mendacio, cap. 3. ubi ait, *Ideo aliquem mentiri, quia aliud habet in animo, aliud verbis enunciat:* ubi etiam ait S. Doctor, non verbis tantùm, sed etiam signis ac nutibus mentiri aliquem posse; strictè tamen loquendo volunt multi mendacium in solis vocibus consistere, factis namque significare falsum, est simulatio potiùs quàm mendacium, ut docet S. Thomas quæst. III. art. I. Quòd verò dicunt aliqui ad mendacium requiri intentionem fallendi, non ita intelligendum est quasi, ut quis mentiatur, habeat directè & formaliter animum deciptendi, sed indirectè tantùm ac remotè, & radicaliter, seu quòd habeat animum scienter proferendi propositionem falsam, quam novit esse talem, & hoc modo det occasionem deceptionis, quamvis ipse non intendat formaliter per eam quemquam decipere.

Quid sit mendacium.

Quomodo in mendacio interveniat animus fallendi.

In idem recidunt variæ definitiones mendacii.

II. Mentiri ergo, ut vetus dictum habet, est *contra mentem ire:* unde non est idem mentiri & dicere falsum, potest quippe aliquis & falsum dicere sine mendacio, & verum cum mendacio, si nimirum in primo casu id quod falsum est, putet esse verum, in secundo verò id quod reipsa est verum, existimet esse falsum; ficque in eo sita est malitia mendacii, quod verba discordent à mente, seu in dissonantiâ ac dissidio, ut ita dicam pectoris & linguæ: quæ est ipsissima doctrina S. Augusti-

Mentiri est contra mentem ire.

S. Augustini in Enchirid. cap. 18. ubi ait Mendacium esse, *dicere aliquid scienter aliter ac sentimus.*

III. *An dicens verum putans esse falsum committat peccatum mendacii completum.*

Ex hac verò occasione quæri potest, Utrum sicut qui occidit feram putans esse hominem, non committit homicidium completum & consummatum; sed affectu tantùm, non effectu, unde si censura aliqua esset annexa homicidio, eam non incurreret; quæri inquam, potest utrum idem dicendum sit de mendacio. Existimo juxta principia hîc posita, & notionem mendacii jam traditam, disparem hac in re esse rationem inter homicidium & mendacium; in hoc enim casu verba ejus discordant à mente, & aliud putat, aliud loquitur, sicque non affectu tantùm, sed etiam effectu mentitur, & completum ac consummatum mendacii peccatum committit. Unde si pœnæ aliquæ aut censuræ mendacio essent annexæ, illas incurreret, cùm verè & propriè mentiretur: & idem dicendum de illo, qui hoc etiam modo pejeraret. His ergo positis *Sic mentiens aut pejerans incurreret censuras.*

IV. *Hæretici quidam asserebant Deum aliquâdo fuisse mentitum.*

Sanctus Augustinus libro contra mendacium, cap. 2. & de hæresibus 70. refert Priscilianistas hæreticos, ut sua excusarent mendacia, & speciosum sibi hac in re prætextum obtenderent asseruisse Deum sæpiùs fuisse mentitum: *Non se aliter*, inquit S. Augustinus, *arbitrantes veracem suam ostendere falsitatem, nisi veritatem dicant esse mendacem.*

V. *Catholici quidam asserebant Deum de potentiâ absolutâ mentiri posse.*

Nec satis rectè hac in re processerunt nonnulli Catholici, qui quamvis Deum de potentiâ ordinariâ mentiri non posse assererent, dicebant nihilominus posse eum mentiri de potentiâ absolutâ: ita Petrus de Aliaco in 1. quæst. 2. dub. 3. & Adamus in 3. Dist. 14. quæst. 5. dub. 2. Gabriël verò in 3. d. 12. quæst. 1. art. 3. dub. 1. affirmat posse Deum dicere falsum, hoc tamen faciendo, inquit, non mentitur; ad vitandam quippe vocis invidiam, inquit Suarez, mendacium præter hoc, quod est contra mentem ire, ait includere deordinationem quandam moralem, seu peccatum, quare licèt Deus falsum diceret, non tamen mentiretur, quia hoc faciendo non peccaret. Idem docere videtur Robertus Holcot in 2. quæst. 2. art. 8. memb. 3. Hoc tamen, inquit P. Coninck Disp. 10. dub. 1. est abuti & rebus & vocibus; unde quoad præsentem quæstionem idem est mentiri & falsum scienter dicere, seu aliud mente judicare, aliud verbis exprimere.

VI. *Falsitas duplex, materialis & formalis.*

Ut clariùs hac in re procedamus, notandum falsitatem esse duplicem, *materialem*, quando quis id quod falsum est dicit putans nihilominus id esse verum, & *formalem*, quæ tunc intervenit, ubi quis sciens aliquid esse falsum, illud tamen affirmat, aut sciens esse verum negat, in quo mendacium formale situm est: quod etiam tunc contingit, quando quis existimans aliquid esse falsum illud affirmat, quamvis reipsa sit verum, sicque mentitur, non quia dicit falsum, sed quia dicens etiam verum, loquitur contra mentem, & aliud interiùs judicat, aliud verbis profert exteriùs, de quo fusiùs dictum est, numero secundo & tertio. *Mentiri quis potest etiam dicendo verum.*

VII. *Deus non de potentiâ ordinariâ tantùm, sed nec de absolutâ potest mentiri.*

Conclusio: Deus nullo ex his modis mentiri aut falsum dicere potest: hæc est certa & indubitata sententia, idque loquendo non de potentiâ tantùm ordinariâ, sed etiam de absolutâ. Prima pars de mendacio materiali constat, Deus enim, cùm omnia perfectè noverit, non potest aliquid falsum dicere ignorans id esse falsum, seu existimans esse verum, cùm omnia oculis ejus nuda sint & aperta, & nullâ in re falli ullâ ratione possit.

VIII. *Ex sacris Literis ostenditur Deum non posse ullâ ratione mentiri.*

Secunda pars de mendacio formali ostenditur inprimis ex Scripturâ, ad Hebræos 6. vers. 17. ubi sic loquitur Apostolus: *In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem Consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles* (promissionem scilicet & juramentum) *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* His autem verbis evidens est Apostolum loqui de potentiâ absolutâ, alioqui solatium non esset fortissimum, cum dubitare absolutè possemus an Deus hic & nunc loquendo, seu testando non utatur potentiâ absolutâ. Quicquid ergo est revelatum à primâ & summâ veritate debet esse certissimum & verissimum, ut cum S. Thoma docent Theologi, alioqui nec prima esset veritas, nec summa, sicque Fides nostra non esset certissima, nec firmissimus assensus: quæ est ratio conclusionis à Sancto Thoma & Theologis assignata. Qua de re pluribus agemus Sectione sequente. *Quicquid à primâ veritate dicitur debet esse verissimum, & certissimum.*

IX. *Alia Scriptura locis probatur Deum nullo modo mentiri posse.*

Hæc etiam veritas probatur ex illo ad Rom. 3. vers. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax:* hoc autem non de potentiâ tantùm ordinariâ intelligendum est, sed etiam de absolutâ, ut communis habet Patrum sententia, qui hoc in ipsâ divinâ naturâ fundatum esse dicunt, quicquid autem Deo naturale est, nequit aliter se habere, etiam de potentiâ absolutâ. Idem, ut alia Scripturæ loca omittam, probatur ex illo Nu. 23. vers. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?* ubi, sicut in præcedente testimonio, sermo est de actu primo, seu de capacitate ad mentiendum, non de actu secundo, nec enim omnes homines actu mentiti sunt, ut Beatissima Virgo, & alii nonnulli viri sanctissimi; ac proinde sermo illic esse debet de potentiâ ad mentiendum. *Sermo hic est de actu primo, seu capacitate ad mentiendum.*

X. *Auctoritate Patrum ostenditur, Deum non posse mentiri.*

Accedunt Patres, qui omnimodam Dei ad mentiendum incapacitatem luculenter adeo tradunt, ut nullus de eorum mente dubitare possit. Sanctus ergo Chrysostomus Homiliâ in Symbolum sic habet: *Aliqua Deus non potest, ut falli, fallere, mentiri.* Sanctus etiam Athanasius libro de Incarnatione Verbi: *Absurdum est*, inquit, *Deum in suis verbis mentiri.* Deinde S. Basilius sermone de abdicatione rerum sic habet: *Hæc verba Dei sunt, & ideo falsa esse non possunt.* Ad hanc rem etiam facit dictum illud S. Anselmi lib. 1. Cur Deus homo, cap. 12. *Non sequitur*, inquit, *justum esse mentiri, si Deus vult mentiri, sed potiùs Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas; imo quæ deserendo veritatem corrupta est:* ubi loquitur apertè de potentiâ etiam absolutâ, cùm dicit Deum non fore Deum, si mentiatur. Denique S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, c. 25. *Si volunt invenire*, inquit, *quod omnipotens non potest, habent prorsus. Ego dicam: mentiri non potest.* Clariùs etiam rem hanc explicat lib. 1. de Symbolo, cap. 1. ubi hæc habet: *Deus omnipotens est: & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, &, quod ait Apostolus, negare seipsum non potest; quam multa non potest, & omnipotens est, & ideo omnipotens, quia ista non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens, si mentiri, si falli, si iniquè agere, non esset omnipotens.* *Clarè loquuntur Patres, non de ordinariâ tantùm potentiâ, sed de absolutâ.* *Sicut nec mori, nec falli, ita nec mentiri potest Omnipotens.*

Tom. II.

Ex quibus Patrum dictis manifestè habetur inanem esse eorum distinctionem, quos supra num. 5. retuli, qui dicebant non posse quidem Deum mentiri de potentiâ ordinariâ, posse tamen de potentiâ absolutâ: Patres siquidem, ut vidimus, de potentiâ absolutâ loquuntur, iis quippe utuntur exemplis, quibus hoc apertè indicant, velle se Deum, per nullam omnino potentiam mentiri posse; dicunt namque eum non magis posse mentiri, quàm mori, quàm falli, quàm iniquè agere, quàm negare seipsum; hæc autem Deo per nullam potentiam possunt contingere. Plura hac de re Sectione sequente.

XI. *Ostenditur inanem esse distinctionem illam de mentiendo de potentiâ ordinariâ & absolutâ.*

Habetur secundò, non minùs inanem esse distinctionem illam Gabriëlis supra, eodem numero quinto positam, qui aiebat posse quidem Deum falsum dicere, sed non mentiri, nam secundùm modum loquendi Scripturæ idem est mentiri & falsum scienter dicere, unde in loco illo Num. 23. citato, ut vidimus, ait Propheta: *Dixit ergo, & non faciet: locutus est, & non implebit.* Si namque Deus non impleat quod promisit, alterum è duobus sequatur necesse est, vel eum promisisse absque animo faciendi, vel mutasse sententiam, quorum primum est mentiri, secundum mutari. Unde Joan. 8. vers. 55. dicit Christus: *Si dixero quia non scio eum* (Patrem) *ero similis vobis mendax:* ergo clarum est Christum pro eodem sumere mentiri, & scienter falsum dicere. Qua de re in sequentibus iterum redibit sermo.

XII. *Idem in phrasi Scripturæ est mentiri, & scienter dicere falsum.*

Si Deus non staret promissis, vel mentiretur, vel mutaretur.

SECTIO SECUNDA.

Ulteriùs ostenditur Deum nullâ ratione mentiri, seu falsum dicere posse.

SECUNDA Conclusio: Deus sicut per se mentiri, seu falsum dicere non potest, ita nec id facere potest per alium. Dixi, mentiri seu falsum dicere; quamvis enim in nobis, ut Sectione præcedente ostendi, hæc duo separari possint, cùm variarum rerum ignorantiâ laboremus, nec quisquam, citra specialem Dei illustrationem & instructionem, usque adeo sit perspicax, ut rerum omnium perfectam habeat notitiam, ex quo accidere potest, ut ignoranter dicat falsum, existimans illud esse verum, idcóque non mentitur formaliter, quia non dicit falsum scienter, in Deo tamen, qui res omnes perfectissimè cognoscit, hæc duo, falsum dicere & scienter falsum dicere, separari non possunt, cùm si falsum diceret, sciret id esse falsum, & consequenter esset mendacium formale.

I. *Deus etiam per alios, qui ejus nomine loquuntur, mentiri non potest.*

In Deo perinde est falsum dicere, & scienter dicere.

Probatur itaque Conclusio; quicquid enim Deus per alios dicit, verè dicit, sicut qui aliquem per alium occidit, verè illum occidit; unde & David Uriam, & Judæi Christum verè occiderunt, quamvis nec David Uriæ, nec Judæi Christo vulnera per se & immediatè inflixerint: sic etiam Lucæ primo, & capite primo Epistolæ ad Hebræos dicitur Deus per Prophetas locutus: cùm ergo Deus quod per alios dicit, verè dicat, non minùs falsum diceret & mentiretur, si per alios hoc faceret, quàm si faceret immediatè per seipsum. Quare, sicut supra diximus, si Deus vel semel per se aliquid falsum diceret, nulla esset illius auctoritas, quia dubitare semper possemus, an aliàs etiam non esset falsum quod loquitur, ita & si falsum diceret per alium, sicque nulla esset auctoritas sacræ Scripturæ, quam nobis per Prophetas tanquam per nuncios suos veluti Fidei regulam tradidit, sicque & Fides ipsa fluctuaret, nec haberet eam firmitatem, quam omnes in Fide Theologicâ requirunt.

II. *Quisquis per alios aliquid dicit, illud verè censetur dicere.*

Deus, si per alium diceret falsum, mentiretur.

Probatur ulteriùs Deum nec per se, nec per alios mentiri posse; mendacium siquidem, ut docet Sanctus Augustinus in libro de mendacio & contra mendacium, putátque esse de Fide hæres. 70. est intrinsecè malum: quæ etiam est sententia S. Thomæ infra, quæst. 110. art 3. docentéque passim Theologi, & ideo prohibitum, non è contra, malum quia prohibitum, ergo à Deo procedere nullo modo potest, quamvis enim lege Deo prohibitum non sit, Summo bono tamen ab intrinseco, & prædicatis essentialibus omne malum repugnat: antecedens verò, mendacium scilicet esse intrinsecè malum probatur ex illo ad Rom. 3. vers. 8. ubi loquens Apostolus de mendacio damnat dictum illud quorundam asserentium: *Faciamus mala ut eveniant bona*, apertè significans mendacium ita malum esse, ut nullâ de causâ fieri possit, nec ullo fine cohonestari: unde Alexander tertius Cap. *Super eo* de usuris asserit sacras literas prohibere, ne quis vel pro alterius vitâ servandâ mentiatur; quod indicio est mendacium esse intrinsecè & indispensabiliter malum.

III. *Mendacium est intrinsecè malum, ac proinde à Deo procedere nullo modo potest.*

Ex Apostolo probatur mendacium esse intrinsecè malum.

Nec pro alterius vitâ servandâ fas est mentiri.

Adde, quamvis daremus in hominibus licitum interdum esse mentiri ad ingens aliquod malum vitandum, quod nisi per mendacium vitari nequiret, in Deo tamen excusari non posset, omnipotens enim cùm sit & infinitè sapiens, medium ei honestum deesse nequit ad finem quemcunque obtinendum, juxta illud Job 13. vers. 7. *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro eo loquamini dolos?* Quare in Concilio Lateranensi sub Leone decimo gravissimè reprehenduntur, imo & excommunicantur illi, qui fictis revelationibus & miraculis Fidem confirmare, aut virtutem persuadere conantur. Unde ipsis etiam Ethnicis hoc solo naturæ lumine innotuit, nimirum, esto admitteretur posse homines nonnunquam gravi pressos necessitate mentiri, dum nullus alius iis occurrit, ingens aliquod malum, quod eorum capitibus imminet, vitandi modus, à Deo tamen ob rationem jam datam id fieri non posse: hoc Cicero, hoc Plato secundo de Republicâ circa finem docuit, mendacium scilicet, quamvis homini utile subinde esse posset, Deo tamen semper esse indignum

IV. *Etsi mendacium excusari possit in hominibus, non tamen possit in Deo.*

Ethnicis solo naturæ lumine innotuit Deum non posse mentiri.

Insuper est peculiaris ratio, cur Deus mentiri nequeat, si enim vel semel mendacium, etiam levissimum diceret, summam illam suam auctoritatem amitteret: sicut enim dici passim inter homines de hominibus solet: *Si quis semel Fidem fregerit, etiamsi per omnes Deos juraverit, Fides ei amplius non est adhibenda*, ita si Deus vel semel mentiretur, nulla deinceps esset ejus auctoritas, nec quisquam existimaret se ejus dictis securè Fidem postea adhibere posse: ac proinde sicut impossibile est Deum velle privare se hac suprema auctoritate, ita impossibile est eum velle mentiri. Hinc etiam apud homines quotidie videmus, quamvis dicere leve aliquod mendacium sit peccatum tantummodo veniale, si tamen quis falsitatem illam firmet juramento, censetur semper peccatum mortale, quòd nimirum Deum in testem rei falsæ vocare, sit eum suâ auctoritate privare, & reddere mendacem.

V. *Specialis ratio cur Deo repugnet mendacium.*

Grave peccatum est Deum in testem levissimi etiam mendacii vocare.

Si quis

VI. *Ratio à priori cur mendacium sit intrinsecè malum, non ita facilè est assignatu.*

Si quis autem quærat, in quo hæc tanta mendacii malitia consistat, quæ illud ita turpe reddat & inhonestum intrinsecè, ut nullo, quantumvis recto apposito fine cohonestari possit, non ita dictu est facilè. Assignari tamen hujus ratio potest, quod nimirum mendacium sit ex naturâ suâ destructivum convictus humani, omnémque inter creaturas rationales societatem & commercium tollat: unde quisquis huic vitio est obnoxius, mendaciisque eos quibuscum agit, non indirectè tantùm, sed directè decipere solet, indignus est qui inter homines degat, & ab omnium consortio censetur quàm longissimè ablegandus. Eo autem gravius est hoc malum, quòd ubi necessitas aliqua occultandæ veritatis occurrit, aliæ viæ sint id præstandi, ut per æquivocationem &c. ut postea latiùs dicetur: mendacium verò est per se, & directè aptum ad mentis sinceritatem corrumpendam, hominémque inidoneum planè reddendum, qui cum aliis versetur, habétque in se indecentiam omnino indispensabilem. Quare erravit Cassianus, qui Collatione 13. dicebat, vel necessitate urgente, vel humilitatis gratiâ, ut ad proprias virtutes tegendas, licitum esse mentiri.

Nunquam occurrere potest necessitas dicendi mendacium.

Error Cassiani.

VII. *Hæreticum est asserere Deum ullo modo posse mentiri.*

Ex dictis sequitur sicut est hæreticum asserere, Deum per se posse mentiri, ita & hæreticum est affirmare eum posse mentiri per alios; Scripturæ siquidem, dum negant Deum posse mentiri, loquuntur de illâ locutione; qua nobis locutus est per Prophetas. Quare Canus, cùm libro secundo de locis Theologicis rectè dixisset, hæreticum esse asserere Deum per se posse mentiri, non rectè ibidem dubitat an eâdem censurâ notandi sint qui dixerunt Deum mentiri posse per alium, cùm Patres docentes Deum mentiri non posse, loquantur contra Priscilianistas affirmantes Deum per Prophetas esse mentitum.

VIII. *Impossibile est Deum non implere quod promisit.*

Ex dictis sequitur non posse Deum non stare promissis, & illud quod pollicitus est, non implere. Hæc etiam est communis Catholicorum sententia, & existimo similiter esse de Fide; Scripturæ siquidem dum dicunt impossibile esse ut Deus mentiatur, de illo mendacio ut plurimum loquuntur, quod committeret Deus, si quæ promisit non impleret. Unde impossibile etiam est Deum cuiquam præcipere mendacium, aut ad illud incitare seu impellere. Ratio primæ partis est, quam supra assignavimus; mendacium quippe est intrinsecè malum, & inhonestum, cùm enim veritas honesta sit, honestum esse nequit veritatem, seu honestatem oppugnare, conarique illam pro viribus destruere, quod tamen facit quisquis mendacium scienter profert, seque hoc pacto opponit veritati. Secunda verò pars probatur: si namque Deus incitaret aut impelleret ad mendacium, incitaret & impelleret ad peccatum, quod Deo planè est indignum, ut omnes Catholici fatentur. Quàm verò Deo repugnet mendacium, & consequenter quemquam ad illud incitare, constat ex illo Divi Augustini libro 83. Quæst. q. 53. *Sicut ergo*, inquit, *summa & prope divina virtus est, neminem decipere, sic ultimum vitium est quemlibet decipere.*

Non potest Deus impellere aut incitare ad mendacium.

Dictum D. Augustini circa mendacium.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur argumenta contendentia Deum posse testificari falsum.

OBJICIES primò, Deus alia potest, quæ non minùs mala sunt quàm mendacium, ut occidere innocentem: sicut ergo dispensavit cum Abraham ut filium suum innocentem vellet occidere, & cum Filiis Israël in furto, ut nimirum spoliarent Ægyptum, ingentemque inde prædam discedentes auferrent, ergo & secum vel cum aliis dispensare potest in mendacio. I. *Dices: Deus potest occidere innocentem, ergo & mentiri.*

Respondetur Deum ratione supremi dominii, quod in res omnes habet, posse de vitâ & bonis omnium disponere; cùm sit Dominus non solùm ipsarum rerum, sed juris etiam quod quisque vel in bona vel vitam habet, unde nihil in hoc inhonesti, ut vel vitam alicui vel bona auferat, eáque alteri donet. At verò si vel semel mendacium, etiam leviſſimum diceret, vilescеret ejus auctoritas, nullúsque eum dignum censeret cui Fides unquam adhiberetur, & alia hujusmodi, quæ duabus præcedentibus Sectionibus fusè sunt declarata. II. *Ratio quare, licèt Deus auferre possit bona aut vitam alterius, non tamen possit mentiri.*

Objicies secundò: Potest Deus per alios mentiri, ergo & per seipsum, perinde enim est, ut diximus: antecedens probatur ex illo Ezechielis 14. vers. 9. *Et Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum:* quod vers. 4. & 5. pluribus exponitur. Hinc etiam 3. Regum, cap. 22. dicitur Deus posuisse *spiritum mendacem in ore omnium Prophetarum.* Unde 2. ad Thessalonicenses 2. vers. 10. dicit Apostolus: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Alia hujusmodi in sacris literis habentur, quæ apertè docere videntur, Deum per alios testificari posse falsum. Deinde Rebecca & Jacob ex instinctu Spiritus Sancti videntur mentiti, ut deciperent Isaac, uti habetur Gen. 27. III. *Dices secundo: Deus testificari potest falsum per alios, ergo & per seipsum.*

Objicitur illud de Rebeccâ & Jacob.

Respondetur cum S. Thoma, illa omnia, quæ in argumento ponuntur intelligenda esse permissivè, quemadmodum Tomo præcedente illa etiam Scripturæ testimonia, in quibus asseritur, Deum quosdam excæcare vel obdurare, dixi similiter intelligenda esse permissivè. Ad quam rem aptè S. Augustinus libro 83. Quæstionum, quæst. 53, *Quædam*, inquit, *per seipsum facit Deus; quæ illo solo digna sunt, ut illuminare, & beare animas: quædam verò per servientem sibi creaturam, quædam præcipiendo, alia verò permittendo*; dum nimirum aliquid facit, præsciens fore ut aliqui inde decipiantur. Quâ etiam ratione intelligendus est S. Augustinus, dum eodem loco dixit, Deum, non per se, nec per bonos Angelos, sed per malos, alios nonnunquam malos decipere, nempe permissivè: & hoc sufficit, ut Deus dicatur quosdam per errorem, vel deceptionem punire, deceptionem scilicet non intendendo, sed tantùm permittendo. IV. *Illa Scripturæ testimonia intelligenda sunt permissivè.*

Divi Augustini circa deceptionem explicatio.

Ad id quod de Jacob & Rebecca dicebatur, affirmant nonnulli eos esse mentitos, hoc tamen non ex instinctu & inspiratione Dei eos fecisse asserunt, sed ex se, & ut finem illum, quem prætendebant, assequerentur. Dicendum tamen cum S. Augustino libro contra mendacium, c. 10. V. *Dicunt aliqui Rebeccam & Iacob ex humanâ prudentiâ esse mentitos.*

Tom. II.

non fuisse mendacium, sed mysterium: quæ etiam est communis Theologorum sententia. Dico itaque cum divini verbi interpretibus, non caruisse veritate quod dixit Jacob patri suo Isaac: *Ego sum primogenitus tuus Esau*, jure enim fuit illius primogenitus, quamvis naturâ non esset, quemadmodum Joannes Baptista à Christo ipso vocatur Elias, nempe spiritu, quamvis personâ Elias non esset. Hoc clarissimè docet S. Gregorius Homiliâ septimâ in Evangelia: *Joannes*, inquit, *in spiritu Elias erat, in personâ Elias non erat. Quod ergo Dominus dicetur de spiritu, hoc Joannes denegat de personâ.* Reliqua etiam omnia, quæ capite illo 27. Genesis dixit Jacob, sine mendacio intelligi possunt, ut consideranti patebit.

Jacob fuit primogenitus Isaac, non naturâ, sed jure.

VI. *Objic. multa Deum promisisse, quæ non implevit.*

Objicies tertiò: Deus multa prædixit, ut eversionem civitatis Ninive Jonæ cap. 3. & mortem Ezechiæ 4. Regum, cap. 20. quæ tamen neutiquam evenerunt. Multa etiam promisit, quæ non implevit: ex quibus sequi videtur, Deum aliquando fuisse mentitum. Respondetur circa illud de Ezechiâ & Ninive, promissiones illas non fuisse absolutas, sed comminatorias. in quibus tacita semper includitur conditio, si nimirum ii, quibus facta est comminatio, non se emendaverint. Ad illud quod de Cain afferunt nonnulli, Deum scilicet ei promisisse fore ut non occideretur, qui nihilominus postea fuit occisus: ad hoc, inquam, respondetur Deum non promisisse Caino eum non occidendum, sed neminem eum occisurum impunè.

Prædictiones quædam sunt comminatoria.

Deus promissa semper implevit.

VII. *Quamvis posset Deus destruere jus hominis non tamen posset mentiri.*

Objicies quartò: Si quid obstet quo minùs possit Deus nobis testificari falsum, & mentiri, est quia homo (idem est de Angelo) habet jus ne hoc modo decipiatur, sed Deus, ut numero primo diximus, ut supremus Dominus, non in bona tantùm & vitam hominis, sed in jus etiam quod cuique in bona & vitam competit, habet jus, ergo in hoc etiam jus, quod homines habent ne decipiantur, Deus jus habet, & consequenter potest illud per supremum suum dominium destruere. Respondetur, licèt Deus posset hoc jus hominis, ne directè & per mendacium decipiatur, destruere, non posset tamen mentiri, sic namque vilesceret ejus auctoritas, & indignus censeretur cui deinceps Fides haberetur, ut hìc numero secundo, & fusiùs duabus præcedentibus Sectionibus est declaratum.

Quisquis vel semel mentitur, indignus est cui Fides postea habeatur.

VIII. *Explicatur dictū quoddam Innocentii Papæ*

Objicies quintò: Innocentius Papa Cap. *Gaudemus* de divortiis affirmat Jacob à mendacio excusatum fuisse per revelationem divinam, ergo mendacium non est intrinsecè malum, ut nos hactenus esse diximus, & consequenter potest circa illud tum in aliis, tum etiam in seipso Deus dispensare. Respondetur, mentem Pontificis solummodo esse, cognovisse Jacob ex divinâ revelatione jus primogenituræ sibi à Deo esse concessum, ita ut cum veritate dicere patri suo posset: *Ego sum primogenitus tuus.* Urgebis: dixit Isaac Genesis 27. vers. 35. ad Esau, *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*, ergo in dictis illis Jacob fraus aliqua & mendacium intervenit; cum itaque totum hoc Jacob & Rebeccæ factum, ex Dei instinctu provenerit, Deus movere & instigare potest ad mendacium. Ad hoc tamen dico solùm voluisse Isaac, in externâ illâ actione speciem quandam fraudis apparuisse.

circa mendacium.

Quo pacto intelligendum sit illud: Venit germanus tuus fraudulenter.

IX. *Licèt Deus omnem justam pœnam possit infligere, neminem tamen potest per mendacium decipere.*

Objicies sextò: Nonnulli ob sua scelera justè merentur decipi, ergo cùm Deus omnem pœnam, quam quis meretur possit infligere, poterit eos per mendacium decipere. Negatur tamen consequentia, Deus enim nullam pœnam infligere potest, quæ ipsum dedecet, imo quæ ipsi est impossibilis, mendacium autem vel per se, vel alium ejus instinctu dictum, Deo est impossibile. Quamvis ergo æqualem quis, aut etiam majorem pœnam ob scelera mereri possit, quàm sit deceptio per mendacium, hanc tamen à Deo sibi infligendam mereri ob rationem dictam non potest, etsi per æquivocationem id fieri indirectè possit, aut etiam deceptionem per mendacium alterius interdum propter gravia hominis sic decepti peccata permittendo, non tamen potest Deus hoc mendacium per se dicere, vel per alium nomine Dei loquentem.

Permittere potest Deus hominem per alterius hominis mendacium decipi.

X. *Aliud est præcipere ut quis innocenter credat mendacium, aliud præcipere mendacium.*

Addo, etiamsi concederetur posse Deum inspirare, aut etiam præcipere nonnunquam alicui, ut innocenter credat alteri mendacium aliquod loquenti, non tamen inspirare, aut præcipere cuiquam potest ut mentiatur: exempli gratia, quamvis inspirare Deus posset rustico aut puero, ut pastori vel parenti credant, qui ipsis dicerent non dari Trinitatem, non tamen inspirare posset patri aut pastori, ut hanc falsitatem seu mendacium diceret. Nihilominus non potest Deus ad falsum credendum inspirare, sicut nec ut supra, Disp. 10. Sect. 5. & 6. ostendi, Deus nec actum nec habitum erroris potest infundere: sicut ergo hoc ob summam rei indecentiam Deus facere non potest, ita nec ad errorem seu falsum inspirare. Videantur dicta loco proximè citato. Alia quædam circa mendacium adjicientur Disp. sequente, Sectione tertiâ, fine.

Deus movere aut inspirare non potest ad falsum, seu errorem.

DISPUTA-

DISPUTATIO VIGESIMA QUARTA.

De Æquivocatione.

DEVM mentiri non posſe, nec falſum per ſe vel per alium ullo modo teſtificari, Diſputatione præcedente oſtendimus, Id namque primam veritatem, ſummámque ejus in dicendo auctoritatem dedecere, lumine naturæ eſt compertum. Nunc ergo ulteriùs inquirendum, an ſicut mentiri, ita etiam æquivocare, Deo, infinitæq; illius veracitati repugnet, & num ſi amphibologicè loqueretur, ejus infallibilitas, & in dicendo integritas ſinceritásque imminueretur; qui enim ambiguis, variásque continentibus ſignificationes verbis utens, alium in errorem ac deceptionem fraudulenter inducit, perinde quoad hoc facere videtur, ac ſi mentiretur. Quid mihi hac in parte veriſimilius videatur, hac Diſputatione aperiam.

SECTIO PRIMA.

An inter loquendum licitum aliquando ſit uti æquivocatione.

I. *Tribus fere modis contingit æquivocatio, verbis, compoſitione, & reſtrictione.*

ÆQUIVOCATIO, ſeu alio modo loqui, quàm auditores intelligant, tribus ut plurimum modis contingit: primò ſiquis verbis utatur æquivocis, ſeu duplicem ſenſum habentibus. Secundò dum verbo proferuntur, quæ in ſenſu etiam ordinario verum ſenſum faciunt, ex eorum tamen collocatione oritur ambiguitas, ſicque uti proferuntur æquè apta ſunt falſum ſenſum in intellectu audientis generare quàm verum, ut in dicto illo, *Ibis redibis nunquam in bello peribis*: & in vulgari exemplo, *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.* Tertiò provenire poteſt æquivocatio ex reſtrictione mentali, quæ tunc contingit, quando verba quæ quis exteriùs profert ſunt falſa, juncta tamen aliis quæ loquens interiùs retinet, ſibique in mente format, ſunt vera: ſi quis, exempli gratia, de re aliquâ interrogatus dicat ſe neſcire, ſubintelligendo, ut tibi dicam, aut quid ſimile, in quo caſu voces internæ externas reſtringunt ad ſenſum particularem, cum tamen audiens illa intelligat univerſaliter: & in hoc poſtremo præcipua conſiſtit difficultas. Alius æquivocandi modus ponetur infra, Sect. 3. num. quarto.

Vide vocetur reſtrictio mentalis.

II. *Licet ex juſtâ causâ per amphibologiam æquivocare.*

Prima Concluſio: Duobus primis modis, nempe utendo verbis quæ duplicem habent ſignificationem, vel ſermonem proferendo, qui ratione collocationis verborum eſt ambiguus, quamvis in nullo ex illis verbis ſit ambiguitas, licitum eſt ex juſtâ causâ æquivocare: ſi tamen id ſine juſtâ causâ fiat, erit peccatum veniale contra veracitatem: ita Sylveſter verb. Juramentum, Navar. cap. 12. num. 8. 9. & 19. Valentia 2. 2. D. 5. q. 13. punct. 2. §. *Nihilominus*, Suarez tomo 2, de Relig. libro 3. de Juramento, cap. 10. & 11. Sanchez libro 3. in Decal. cap. 6. num. 12. Leſſius de jure & juſtitiâ, cap. 42. dub. 9. n. 47. Toletus lib. 4. Summæ, cap. 21. n. 9. Sayrus in Theſauro, libro 12. cap. 17. num. 24. Mald. 2. 2. tract. 10. cap 6. dub. 7. Reginaldus lib. 18. cap. 7. Coninck Diſp. 10. dub. 3. num. 47. & alii paſſim. Ratio concluſionis eſt; hic enim verba quæ proferuntur, aliquem verum ſenſum faciunt, unde quiſquis iis ad hunc ſenſum utitur non dicit falſum, nec mentitur, quamvis audiens, in alio illa ſenſu accipiat, quàm loquens intendat, & hoc pacto in errorem inducatur.

Summa pro hac ſententia eſt auctoritas.

III. *In quibuſdam caſibus non eſt licitè uti æquivocatione.*

Id vero circa hanc concluſionem obſervandum, in quibuſdam caſibus nullo modo licitum eſſe uti æquivocatione, ſed gravem omnibus incumbere obligationem verba in eo ſenſu proferendi, quo ea putat ab auditoribus intelligenda. Hoc autem variis modis contingit: primò, quando à ſuperiore vel judice legitimè de re aliquâ interrogamur, nósque is ad quæſitum jubet reſpondere, tunc namque ſyncerè, & ſine æquivocatione reſponſionem dare tenemur, & in eo ſenſu, quo ille nos legitimè interrogat. Deinde ſi de rebus Fidei, & aliis magni momenti quis eſſet inſtruendus, maximè ſi ex officio hoc facere teneamur, amphibologia omnis & æquivocatio eſt vitanda: imo ſi quis æquivocè loquendo alium in erro-

Caſus varii in quibus nullo modo uſurpanda eſt æquivocatio.

Tom. II.

in errorem circa Fidem aut religionem induceret, vel etiam ad peccandum contra justitiam & alias virtutes, si quis, inquam, sic æquivocaret, hæc ejus æquivocatio ad vitia virtutibus illis contraria indirectè saltem spectaret. In contractibus etiam faciendis abstinendum ab æquivocatione, ac denique quoties ex ambiguis hujuscemodi locutionibus grave aliquod incommodum audientibus accideret.

In contractibus non loquendum amphibologicè.

IV. *Licitum est interdum æquivocatione uti per restrictionē mentalem.*

Secunda Conclusio: Probabilius etiam mihi videtur licitam esse æquivocationem per restrictionem mentalem, hoc est, quando verba exteriùs prolata sunt falsa, juncta nihilominus verbis quibusdam internis, quæ quis in mente retinet, faciunt sensum verum, ut numero primo est declaratum. Contrarium huic conclusioni tenet Caietanus 2. 2. quæst. 89. art. 7. Sotus libro octavo de Justitiâ, quæst 1. art. 7. Azor Tomo 1. Moral. lib. 11. cap. 4. quæst. 5. Coninck citatus, qui licèt æquivocationem duobus primis modis numero primo positis admittat, negat tamen licitè fieri posse per restrictionem mentalem. Sanchez etiam, quamvis hanc conclusionem teneat, ait tamen hunc æquivocandi modum non esse ita probatum, ac duos præcedentes.

V. *Ostenditur æquivocationem per mentalem restrictionem non esse mēdacium.*

Ratio conclusionis est: Mentiri siquidem, ut Disputatione præcedente, Sectione primâ dixi, est contra mentem ire, ac proinde in eo situm est mendacium, quod sit dissonantia seu difformitas verborum à mente, & ut quis intendat veritatem, quam mente concipit, verbis negare: qui autem hoc modo cum restrictione loquitur, non intendit quidquam verbis affirmare aut negare contrarium illi, quod habet in mente, sed solùm id inadæquatè manifestare quod interiùs concipit. Confirmatur: si enim quis aliis audientibus verba quædam proferat, quæ falsum sonant, & eandem propositionem continuaret, verba quædam submissâ voce adjiciens, per quæ propositio redderetur vera, non mentiretur, quamvis alii ex propositione illius inadæquatè tantùm auditâ occasionem inde capiant errandi, ergo similiter in præsenti.

Hoc modo æquivocans non dicit id quod non habet in mente, sed dicit inadæquatè quod habet.

VI. *Sicut factis aliquid celans aut simulans non mentitur, ita nec verbis.*

Confirmatur secundò: Nam ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 111. art. 1. si quis gressus aliquantulum versus locum aliquem dirigat, quo tamen ire, seu pertingere non intendit, sicut Christus Lucæ 24. finxit se longiùs ire, hic non mentitur, cùm mens ipsius non sit facto illo significare se animum habere ad locum illum eundi, sed solummodo intendit hoc faciendo celare animum quem habet eundi aliò, vel quid simile, ergo sicut hic non mentitur facto, ita nec alter verbis. Ex gravi ergo causâ licitum est uti restrictione mentali: quòd verò audiens inde decipiatur, nil refert; habet enim hic jus ad sic loquendum, nec cum gravi suo incommodo abstinere ab hujusmodi locutione tenetur. Quod supra de simplice assertione diximus idem affirmat Sanchez citatus de Juramento.

VII. *Sine restrictione mentali vitari nequeunt interdum gravissima incommoda.*

Denique varii casus sunt, in quibus non nisi per hujusmodi restrictionem gravissima incommoda vitari possunt, ut si maritus à confessario uxoris petat an uxor ipsi confessa sit adulterium, in hoc inquam casu non videtur negari posse, quin liceat confessario id negare, quamvis adulterium reipsa sit confessa: si enim nihil respondeat, vel ut aliqui volunt, eum reprehendat, quod rem hujuscemodi petat, perinde erit frequenter ac si fateretur, præsertim cùm non rarò noverit maritus confessarium illius esse naturæ, ut si revera adulterium non fuisset confessa, illico absolutè negaret, sicque nisi in hoc casu neget, prodet confessionem, si autem neget, & non utatur mentali restrictione, mentietur. Vide Sanchez loco citato, ubi varia hujuscemodi exempla in hanc rem adducit.

Quid faciendum si maritus à Sacerdote petat, an uxor confessa sit adulterium.

VIII. *Nihil obstat quo minus Deus uti possit æquivocatione.*

Tertia Conclusio: Non homines tantùm, sed etiam Deus uti potest æquivocatione. Ratio clara habetur ex dictis; si enim, ut ostensum est, in æquivocatione nihil appareat inhonestum, non est cur Deo repugnet. Confirmatur: æquivocare, ut dixi, est loqui in sensu ambiguo seu dubio, ita ut virò etiam prudenti verus sensus non appareat, Deum autem hujusmodi sermone usum sæpius in divinis literis fuisse constat ex Scripturæ sacræ interpretibus, qui in vero multorum divini Verbi testimoniorum sensu assignando non parum ad hunc usque diem inter se dissentiunt.

Deus in sacris Literis sæpè videtur usus æquivocatione.

IX. *Ostenditur Christum usum esse restrictione mentali.*

Secundò probatur Conclusio: non enim videtur negari posse, quin Christus in Scripturâ interdum usus sit restrictione mentali: sic namque Joan. 7. v. 8. dixit *Ego non ascendo ad diem festum istum*, ad quem tamen tunc ascendit, quod videtur sine restrictione aliquâ mentali dici non potuisse. Deinde Marci c. 13. v. 32. discipulis suis dixit Christus, *De die autem illâ vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*: seu ut alius Evangelista habet, *nisi solus Pater*. Cum ergo indubitatum sit Christum quà hominem, tempus judicii generalis sciviſse, aliqua hic intervenire necessariò debuit restrictio, ut scilicet Christus diceret se diem illum vel horam non sciviſse ut eam aliis narraret, vel vi naturali humanitatis, aut quid simile. Angelus etiam Raphaël Tobiæ 5. v. 7. dixit se esse *ex filiis Israël*, & postea, v. 18. ait idem, *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Multa insuper dixit Judith Holoferni, quæ nisi per restrictionem aliquam mentalem, non videntur à mendacio excusari posse: & idem de aliis quibusdam Scripturæ locis dicendum. Quare S. Gregorius lib. 26. Moral. cap. 7. sic habet: *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia talia esse audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Capite etiam eodem ait S. Doctor verba specie tenus videri sæpè hominum judicio aberrare à veritate, & tamen vera esse ideo, quia quatenus compaginantur in cordis cardine, veritati concordant: manifestum ergo videtur eum admisisse æquivocationem per restrictionem mentalem.

Varia locutiones Scripturæ, in quibus continetur mentalis restrictio.

Divi Gregorii Magni dictum pro restrictione mentali.

X. *Restrictio verbis concepta debet esse proportionata verbis exteriùs prolatis.*

Id verò notandum cum Suarez tomo secundo de Religione, libro 3. de Juramento, cap. 10. n. 4. non quamcunque restrictionem mentalem sufficere ad excusationem hujusmodi verborum à mendacio, sed verba in mente retenta talia esse debent, ut materiæ de qua tunc est sermo, & verbis exteriùs prolatis sint proportionata, ita ut si voce proferrentur, & aliis verbis, quæ jam prolata sunt, conjungerentur, verum cum eis sensum facerent, & congrua daretur responsio. Hinc ut rectè advertit Vasquez 1. 2. quæst. 103. art. 4. Disp. 82. cap. 4. n. 29. non foret hujusmodi æquivocatio, si quis interrogatus utrùm comedisset, responderet *non comedi*, per has voces intelligi volens se non dormiviſse: hæc inquam, non foret æquivocatio, sed mendacium, si verè comedisset; non enim est in cujusvis potestate verborum significationem mutare, & primâ destructâ, aliam imponere.

Non est penes quemvis significationes verborum mutare.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Argumentorum solutione ostenditur licitum subinde esse uti æquivocatione.

I. *Objj. primò, tanta est deformitas in æquivocatione ac in mendacio.*

OBJICIES primò: In æquivocatione tanta est deformitas, atque in oratione, qua directè dicitur falsum, æquè enim homines per æquivocationem falluntur, ac per mendacium, nec minùs per illam, quàm per hoc vilescit auctoritas loquentis, & convictus humanus æquè destruitur, ergo vel utrumque licitum erit, vel neutrum. Respondetur, negando antecedens; in mendacio siquidem, seu dictione falsi vilitas quædam est ac monstruositas, quæ personam hoc agentem reddit contemptibilem; in æquivocatione autem semper dicitur verum, quamvis veritatem illam non semper audiens percipiat, cùm ergo hîc non violetur, sed tantùm celetur veritas, quod interdum quis justam habet causam faciendi, & utatur jure suo, nulla est turpitudo nec inhonestas.

In æquivocatione dicitur semper verum, in mendacio nunquam.

II. *Per æquivocationem non destruitur convictus humanus.*

Ad id quod addebatur de convictu humano, Respondeo, cùm æquivocatio non nisi ex gravi causâ usurpari possit, ubi nulla talis causa cernitur, non est cur quis timeat, ne verbis ejus quicum loquitur subsit æquivocatio, sed moralem habet certitudinem, nullam vel amphibologiam vel restrictionem in illius sermone contineri, ad convictum vero humanum non est hîc necessaria certitudo metaphysica, sicut nec in aliis rebus est necessaria, sed ad hoc ut securè cum hominibus versemur, sufficit quòd de eorum probitate moraliter nobis constet, nempe eos bona nostra non rapturos, nec aliam injuriam illaturos, quamvis hac de re non habeamus certitudinem metaphysicam. Deinde quemadmodum communiter docent omnes, licitum scilicet in quibusdam casibus esse bona aliis & etiam vitam nonnunquam auferre, & tamen hinc non destruitur convictus humanus, ita nec ex eo destruetur, quòd in quibusdam casibus licita sit æquivocatio.

Ad convictum humanum non requiritur certitudo metaphysica.

III. *In responsione per æquivocationem nulla reperitur simulatio illicita.*

Objicies secundò: Qui in alio sensu interroganti respondet, quàm is interrogat, mentitur, cùm simulet se facere quod non facit, ergo hujusmodi respondendi modus est illicitus. Respondetur nullam hîc intervenire simulationem illicitam: quòdverò quis interdum responsionem det, veram quidem, sed non integram, utitur jure suo, quod hîc & nunc habet ad celandam veritatem. Omnis ergo simulatio non est mala, nec illicita, Christus enim finxit seu simulavit se longiùs ire, sic Angelus Raphaël simulavit se esse hominem, Josue item simulavit fugam ante Regem Hai, viri etiam quique sanctissimi simulatione, ut constat, non semel sunt usi. Sicut ergo in factis, ita & in dictis simulatio omnis non est mala, nec improbanda, sed ea solummodo quæ fit ex intentione significandi falsum, ac proinde de hac solâ simulatione loquitur Sanctus Thomas 2. 2. quæst III. art. 1. Corpore, quando dicit, simulare se facere quod non facit, esse mendacium. Adde, qui per restrictionem respondet, ut dixi, non simulat se respondere, sed verè respondet, quamvis alter responsionem plenè non percipiat.

Omnis simulatio vel in verbis vel factis non est improbanda

Objicies tertiò: Quando quis utitur restrictione mentali, ut si interrogatus utrùm hoc vel illud fecerit, respondeat se non fecisse, intelligendo, quantum tibi teneor dicere, verba exteriùs prolata sunt falsa, cùm id significent quòd non ita se habet à parte rei, ergo qui ea profert mentitur, cùm scienter dicat falsum.

IV. *Veritas aut falsitas propositionis non ex unâ ejus parte desumenda est, sed ex totâ.*

Respondetur veritatem vel falsitatem propositionis alicujus non ex unâ tantùm ejus parte desumendam esse, sed ex totâ propositione; nec enim judicium de illius veritate aut falsitate ferri potest, donec absolvatur, alioqui in hac propositione, *Christus habet corpus aëreum*, prima tria verba erunt vera, omnes nihilominus dicunt eum absolutè verum non protulisse, veritas quippe, non ex parte propositionis, sed ex tota, ut dixi, est desumenda. Cùm ergo verba, quæ exteriùs proferuntur, unam faciant propositionem cum iis, quæ loquens sibi format interiùs, & in mente retinet, simpliciter vera est illius responsio: sicut Sectione præcedente num. 5. de illo diximus, qui altè quædam, alia submissâ voce diceret, ut ibi est declaratum. Adde hunc non contra mentem ire, cùm non intendat id quod in animo habet negare, sed inadæquatè tantùm manifestare; in hoc autem utitur jure suo, licèt enim ut plurimum illa verba, & eo modo proferre loquens debeat, ut ab audiente mens ejus facilè capiatur, & hic sit finis primarius loquendi, alii tamen sunt fines secundarii, ut ad celandam veritatem &c. quos aliquando adhibere licitum est, & non directè semper & plenè quæsito respondere. Sed hinc

V. *Accipi debet tota propositio, ut quis de illius veritate judicet.*

Utens restrictione mentali non mentitur, quia non it contra mentem.

Objicies quartò: Cùm notum sit æquivocationem justis de causis esse licitam, timere semper quis potest, ne subsit verbis ejus qui respondet æquivocatio, suspicari enim interrogans potest an alter syncerè ac directè, & non potiùs truncatè & per amphibologiam, ac figuratè loquatur. Respondetur, cùm, ut dictum est, æquivocatio non nisi raro & gravibus de causis sit licita, non est cur quis hac de re metuat, sed moraliter certus esse potest eum quicum agit non uti æquivocatione, sicut non est cur suspicetur eum, qui passim habetur Catholicus aut ejus parens, non esse catholicum aut parentem, quamvis absolutè contrarium possit accidere.

VI. *Quod æquivocatio interdum sit licita non est cur passim homines sint soliciti ne decipiantur.*

Objicies quintò: Etsi, ut Disputat. præcedente, Sect. 2. num. 4. de mendacio dixi, etsi, inquam, in hominibus vel etiam in Angelis, ob necessitatem gravis alicujus incommodi evitandi permitti posset æquivocatio, in Deo tamen nulla est hujusmodi necessitas, potest namque facillimè cogitationes divertere, ne quis id petat, quod ipse in communi & vulgari sensu non vult dicere, ergo quicquid sit de creaturis, Deus tamen honestè æquivocare non potest. Respondetur, etsi Deus utendo potentiâ suâ absolutâ, & miraculosè impedire creaturam rationalem possit, ne illa ab ipso quærat ad quæ directè non vult respondere, in universi tamen administratione non tenetur uti miraculis: unde non minùs, ubi vult, æquivocatione uti potest quàm creaturæ. Ratio autem cur Deus mentiri non possit, etiamsi in hominibus admitteretur interdum licitum esse mendacium, est, ut loco citato, num. 5. dixi, quia vilesceret ejus dignitas, & summam suam auctoritatem amitteret, ut ibi latiùs est declaratum.

VII. *Etiàmsi Deus possit omnes occasiones æquivocandi vitare, ad hoc tamen non tenetur.*

Differentia in Deo circa æquivocationem & mendacium.

SECTIO TERTIA.

Alia quædam circa æquivocationem, & mendacium.

I. *Ex eo quòd Deus possit æquivocare, nihil imminuitur auctoritas Scripturæ.*

QUÆRES, si Deus, ut diximus, possit æquivocare, quomodo non enervatur Fides Scripturæ, quid enim scimus an Deus dum in eâ loquitur, non æquivocet, sicque omnia erunt dubia & incerta, nec habebimus in quo figamus pedem, cùm firmissimo hoc divinarum literarum solatio orbemur. Respondetur, ad hoc ut firmiter aliquid ob divinam auctoritatem credamus, non est necessarium, ut vel de re revelatâ, vel etiam de revelatione habeamus certitudinem metaphysicam, sic enim, ut in superioribus dictum est, Fides esset evidens, sed ad hoc ut Fides suam habeat infallibilitatem, sufficit quòd motiva credibilitatis ejusmodi sint, quæ moralem faciant certitudinem, hanc esse Scripturam, seu locutionem & Verbum Dei, & Deum in hoc sensu esse locutum, & si revera sit eo sensu locutus, actus huic locutioni innixus erit actus Fidei.

Ad Fidem non requiritur certitudo metaphysica quòd Deus hoc vel illo sensu loquatur.

II. *Non rudes tantùm, sed prudentissimi possunt per æquivocationem decipi.*

Ex dictis totâ hac Disputatione infero, non solùm tali homines oratione æquivocando uti posse, ut rudis quispiam occasionem inde capiat deceptionis, sed ut etiam prudentissimi quique, & maximè sagaces per eam non rectè intellectam fallantur. Sic Tobias Raphaëlis dictis fuit deceptus: sic Isaac post tantam adhibitam diligentiam, nam varias adhibuit interrogationes, palpavit, &c. illo filii sui facto in errorem fuit adductus.

III. *Mentalis restrictio licèt nunquam sit mendacium, potest tamen esse peccatum.*

Quamvis verò restrictio mentalis nunquam sit mendacium, si tamen eâ utatur quis sine justâ causâ est peccatum, quisquis enim illam absque necessitate adhibet, facit injuriam alteri, cum scilicet in errorem ac deceptionem injustè adducendo, quæ injuria major est vel minor prout res, circa quam is decipitur, est majoris momenti, graviúsque inde damnum ei accrescit. Utrùm autem injustè uti restrictione sit peccatum commissionis an omissionis non ita cōstat inter Theologos, Sanchez namque citatus numero 16. & Valentia censent esse quodammodo peccatum omissionis, veritatem scilicet abscondendo dum eam manifestare quis tenetur. Alii nihilominus existimant potiùs esse peccatum commissionis, & per illud violari præceptum negativum non decipiendi alios, estque licèt non formaliter, æquivalenter tamen mendacium.

Sitne peccatum commissionis, an omissionis.

IV. *Quartus modus æquivocandi per locutionem tantummodo materialem.*

Præter tres illos modos æquivocandi, supra, Sectione primâ; numero primo positos, quartum addunt aliqui, ut nimirum etsi quis de re aliquâ interrogatus verba exteriùs proferat, in quibus plena & integra continetur responsio, qui tamen hæc verba profert intendit vel per aliqua illorum, vel etiam per omnia non loqui. Unde inquiunt hi auctores, quantumvis verba illa sint falsa vel ambigua, qui tamen iis hoc modo utitur nec mentitur, nec æquivocat, quia non loquitur. nec quidquam per ea intendit significare, sed merè illa profert materialiter, & animi gratiâ, seu ad exercendam vocem, aut quid simile: quare cùm mentiri & æquivocare sit taliter loqui, hic verò omnino non loquatur, clarum videtur eum nec æquivocare nec mentiri, cùm non habeat animum propriè loquendi, quem tamen aiunt. ad locutionem esse essentialiter necessarium.

Prius est loqui, quàm taliter loqui.

V. *An mentiatur qui apud se tantùm verba profert menti contraria.*

Quæres: Si quis nullo alio præsente verba exteriùs apud se proferat menti contraria, utrum mentiatur? Inprimis posse aliquem sibi exteriùs loqui, indubitatum videtur, ut ostendi Disp. 42. Logicæ, Sect. 2. num. 4. & in divino officio dicimus: *Benedic anima mea Dominum* &c. unde si quis hæresim internam, quam in mente habet, exteriùs vel verbis apud se solum proferat, vel scripto, committeret peccatum consummatum hæresis, & pœnas hæreticis statutas incurreret. Probabilius tamen videtur eum, qui hoc modo sibi loquitur, non mentiri, veracitas enim est quædam fidelitas, fidelitas autem, ut in factis ita etiam in dictis est ad alterum, & quædam pars justitiæ. Quòd si quis ita apud se solum verba externa falsa proferret, ut ea ad alios sub conditione dirigeret, casu scilicet quo adsint & audiant, quamvis revera nullus adsit, affectu mentiretur, non effectu. Lorca tamen Disputatione septimâ, num. 2. fine dicit sic apud se solum loquentem, seu verba falsa scienter proferentem mentiri, & si hoc etiam modo apud se solum juret, committere peccatum perjurii.

Veracitas cum sit quoddam genus fidelitatis, semper est ad alterum.

VI. *An mentiatur is, qui falsa coram aliis profert, existimans ea à nemine esse credenda.*

Quæres secundò: An qui voces falsas coram aliis profert, sciens neminem ex audientibus fidem ejus dictis habiturum, an inquam mentiatur, hic enim cùm sciat dicta sua ab aliis non esse credenda, non videtur habere animum generandi in illorum mente opinionem falsam, aut notitiam, quam ipse non habet, aliis communicandi, ergo non it contra mentem, & consequenter non mentitur. Respondetur, si ille priùs quàm verba illa falsa coram aliis profert, faciat protestationem se per voces illas non intendere quidquam significare, sed verba merè materialiter proferre, & revera hoc modo ea proferat, non mentitur, & si eodem modo apponeret juramentum, non juraret, multo minùs pejeraret. Si autem verè loquatur, nullúmque signum edat se non intendere, aliud ab eo quod habet in mente significandi, probabiliùs videtur eum mentiri; ad hoc enim, ut Disputatione præcedente, Sectione primâ, numero primo dixi, non est necessarium ut habeat expressam & formalem intentionem fallendi, seu aliud quàm quod ipse in mente concipit, iis significandi, sed sufficit intentio radicalis, nempe proferendi scienter propositionem falsam, quæque ex se apta sit notitiam falsam in aliorum mentibus generare, & occasionem dare deceptionis, quamvis ipse hujusmodi deceptionem formaliter non intendat.

Per protestationem excusari potest à mendacio.

Ad mendacium sufficit intentio radicalis fallendi.

DISPUTATIO VIGESIMA QUINTA.

De infidelitate.

ABSOLVTIS iis quæ ad Fidei notitiam pertinent, nonnulla de vitiis Fidei contrariis sunt adjicienda; horum enim declaratio non parum ad plenam & perfectam Fidei cognitionem conducit. Sicut autem Fides est duplex, Moralis, *quæ est virtus inclinans ad standum promissis, Fidemq; datam servandum, &* Theologica, *quæ est virtus intellectualis hactenus à nobis declarata, ordinaturq; ad actus Fidei eliciendos, quibus mysteria à Deo nobis revelata propter ejus auctoritatem credimus: ita etiam duplex est infidelitas, una Fidei morali, secunda Theologicæ contraria, & de hac solâ præsens procedit disputatio.*

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur varia circa naturam & notionem infidelitatis.

I. *Certum est dari peccatum infidelitatis.*

DARI peccatum infidelitatis certius est, quàm ut de eo quisquam dubitare possit; sic enim Marci ultimo, vers. 16. dicit Christus: *Qui non crediderit, condemnabitur:* item Joannis 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo;* qui scilicet in Christum tot tantisque miraculis doctrinam suam confirmantem credere nolebant, sed ex malitiâ & perversitate, in suâ incredulitate persistebant.

II. *Quando infidelitas est peccatum.*

Ulteriùs itaque inquirimus quando infidelitas sit peccatum? Ad hanc quæstionem respondet Sanctus Thomas hîc, quæst. 10. art. 1. Infideliratem contrariam, seu contrariè oppositam Fidei, semper esse peccatum, infidelitatem verò secundùm puram negationem ait S. Doctor non esse peccatum, sed potiùs pœnam peccati, ex peccato scilicet Adami consecutam. Prima pars probatur: voluntariè enim & liberè articulis Fidei debitè propositis non credere, est divinam auctoritatem virtualiter saltem contemnere, cùm gravis omnibus incumbat obligatio Deo loquenti assensum præbendi, & captivandi intellectum in obsequium Fidei, ut præter loca Scripturæ numero præcedente allata, ostenditur ex illo Joannis 3. vers. 18. *Qui non credit, jam judicatus est,* nimirum propter voluntariam incredulitatem. Hinc etiam Christus cùm Joannis 16. v. 8. & 9. loquens de Spiritu Sancto dixisset: *Arguet mundum de peccato*, hoc immediatè post explicat de infidelitate, seu voluntariâ incredulitate circa Christum; *de peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me.* Secunda verò pars ostenditur, nam sicut in aliis rebus, ita etiam in infidelitate ignorantia invincibilis excusat à peccato: Unde ad Romanos 10. vers. 14. dicit Apostolus: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Hujusmodi ergo infidelitas, inculpabilis cùm sit, à peccato excusatur

Infidelitas contraria Fidei est peccatum.

Invincibilis ignorantia excusat à peccato infidelitatis.

III. *Quid requiratur ut quis censeatur infidelis.*

Quæres, quis censendus sit infidelis? Inprimis certum videtur ad hoc præcisè non sufficere, ut quis actum & habitum Fidei non habeat, sic enim Christus & Beati forent infideles. Nec etiam ut quis sit infidelis requiritur, ut tum actu tum habitu Fidei careat culpabiliter, infantes enim non baptizati censentur infideles, qui tamen & actu & habitu Fidei carent inculpabiliter. Infidelitas proinde hoc modo sumpta est carentia actus & habitus Fidei in subjecto apto. Ut verò quis culpabiliter sit infidelis, negare positivè debet omnia vel aliquod saltem Fidei mysterium sibi debitè propositum, & hoc modo vel tollere habitum Fidei, si illum antea habebat, vel impedire, ponendo scilicet obstaculum habitui Fidei per actum infidelitatis, quem nimirum habitum hîc & nunc sibi infusum habuisset, si actum Fidei, ut debebat elicuisset.

Infidelitas latè sumpta, est carentia Fidei in subjecto apto.

IV. *Nullus absolutè censeri potest infidelis, quamdiu habet habitum Fidei.*

Quamdiu ergo quis habet habitum Fidei, non potest absolutè censeri infidelis, quantumvis vel omnia, vel aliqua mysteria Fidei, quæ scire tenetur, addiscere negligat. Quare, ut rectè Sanchez libro 2. in Decalogum, cap. 1. num. 8. si puer aliquis baptizatus in infantiâ, educaretur inter infideles, & postea ubi ad rationis usum perveniisset, ignoraret culpabiliter mysteria Fidei, non esset infidelis, nisi actu aliquo contra Fidem elicito

Tom. II.

Per negligentiam addiscendi Fidem committi potest peccatum infidelitatis privativæ.

elicito habitum Fidei amitteret: dici tamen posset per hanc negligentiam committere peccatum infidelitatis privativæ. Infidelitas autem propriè dicta, ut dixi, est actus, quo quis rebus Fidei debitè propositis dissentit, quod proinde non in peccato omissionis, ut aliqui volunt, sed commissionis situm est, sive hoc peccatum in solâ voluntate consummetur, ut vult Valentia hic, Disput. 1. quæst. 10. puncto primo, Hurtado Disputat. 68. Sect. 2 & alii, sive in intellectu, ut contendit Suarez hîc, Disp. 16. Sect. 3. num. 7. Coninck Disp. 18. dub. 3. & alii, quod videtur probabilius, si sermo sit de peccato infidelitatis non affectu tantùm, sed effectu.

V.

Dari potest quorundam mysteriorum Fidei invincibilis ignorantia.

Porro dari posse invincibilem quorundam Fidei mysteriorum ignorantiam, communis est Theologorum sententia. Quamvis enim, ut Tomo præcedente, Disputat. 2. Sect. 2. num 3. ostendi, dari per longum tempus nequeat invincibilis ignorantia Dei, quorundam tamen Fidei mysteriorum, ut Trinitatis, Incarnationis, & similium dari posse dixi hîc, Disp. 15. Sect. 4. & 5. imo Dei etiam ut remuneratoris notitiam non esse ad salutem consequendam absolutè necessariam ibidem ostendi, Sectione sextâ.

VI.

Utrum peccatum commissionis & omissionis intra idem genus infidelitatis differant specie.

Quæret aliquis, Utrùm peccatum commissionis & omissionis intra idem genus infidelitatis differant specie: exempli gratia duobus hominibus proponitur debitè credendum aliquod mysterium Fidei, alter illud non credit, sed consensum culpabiliter suspendit, imo animum ab eo avertit, & alia omnia cogitat, ac voluntariè non præbet assensum: alter verò positivè dissentit, & articulum illum absolutè negat, vel saltem de eo deliberatè dubitat: quæritur inquam, Utrùm hæc duo peccata differant specie, an numero tantùm & materialiter. Probabilius mihi videtur cum P. Suarez hîc, Disp. 15. Sect. 1. hæc duo peccata differre specie; habent enim se sicut odium Dei, & peccatum non diligendi eum, quando quis habet obligationem actum amoris Dei eliciendi; sicut namque ibi sunt duo præcepta specie distincta, alterum positivum amandi Deum, alterum negativum non eum odio habendi, ita similiter hîc sunt etiam duo præcepta specie distincta, negativum unum, nempe non dissentiendi Deo loquenti, nec negandi res Fidei; alterum positivum, audiendi scilicet Fidei articulos, cósque debitè propositos credendi.

Habent se sicut odium Dei, & omissio amoris debiti.

Duplex præceptum, tum amoris Dei, tum Fidei.

VII.

Quanta sit gravitas peccati infidelitatis.

Quæri etiam hîc solet, quanta peccati infidelitatis sit gravitas. Et quidem esse illud radicaliter admodum grave, exinde constat, præterquam enim quòd hominem privet gratiâ, in quo cum aliis omnibus peccatis mortalibus convenit, tollit insuper Fidem, totius ædificii supernaturalis fundamentum, utpote sine qua impossibile est placere Deo, & actus virtutis sicut oportet ad æternam beatitudinem consequendam elicere, sicque maximum hominii infert nocumentum, juréque censetur hoc sensu peccatum longè gravissimum. Alia verò peccata relinquunt Fidem, per quam homines resipiscere possunt, & aliquid impetrare, per quod ad priorem iterum statum redeant, juxta dictum illud sæpiùs à Divo Augustino usurpatum: *Fides impetrat, quod lex imperat.*

Maximum homini nocumentum infert infidelitas.

Fides impetrat, quod lex imperat.

VIII.

Graviora sunt ex genere suo peccata contra virtutes Theologicas

Loquendo verò de gravitate formali, S. Thomas hîc, quæst. 10. art. 3. & alibi docet peccata contra tres virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem esse ex genere suo graviora peccatis contra virtutes morales, cùm peccata illa opponantur virtutibus Theologicis, quæ immediatè respiciunt Deum, ac proinde hæc peccata immediatè à Deo avertunt. Comparando autem peccata hæc inter se, dicit S. Thomas odium Dei esse ex genere suo peccatorum omnium gravissimum. Quando autem dicitur hæc peccata esse ex genere suo graviora, sensus est peccatum graviissimum in genere infidelitatis esse gravius quocunque peccato contra virtutes morales, & peccatum gravissimum contra Charitatem esse gravius quocumque alio peccato, non solùm contra virtutes morales, sed etiam infidelitatis.

peccatis contra virtutes morales.

Quid sit peccata esse ex genere suo gravissima.

Regula ergo illa Aristotelis, 8. Ethicorum, cap. 5. quam etiam 1. 2. quæst. 73. art. 4. approbat S. Thomas, nempe, *Illud in moralibus est pessimum, quod optimo contrariatur*, intelligenda est per se loquendo, & ex genere suo, nil enim vetat, quo minùs detur peccatum aliquod infidelitatis, vel etiam alterius vitii, quod aliquod peccatum odii Dei, quod vel ratione vehementis passionis, ex qua elicitur, vel aliunde nonnihil excusari possit, in gravitate excedat, cùm è contra circumstantiæ cum quibus infidelitas, aut aliud peccatum elicitur, ejusmodi esse queant, ut eorum malitiam mirum in modum augeant: sicque ex circumstantiis ita gravitas odii decrescere, & aliorum peccatorum crescere potest, ut hæc illud interdum vel exæquent, vel superent.

IX.

Quo sensu intelligendum sit, Illud in moralibus est pessimum, quod optimo contrariatur.

Circumstantiæ mirè augent, aut minuunt peccata.

Circa omissionem amoris debiti, existimo ne quidem in genere suo excedere homicidium, aut aliud hujusmodi gravissimum peccatum, cùm omissio diligendi Deum negativè tantùm opponatur Charitati, homicidium autem opponitur justitiæ positivè. P. Suarez verò Disp. 2. de Spe, Sect. 2. num. 5. ait dari posse peccatum aliquod contra Spem gravius quocunque peccato infidelitatis: sicut enim, inquit, actus concupiscentiæ erga Deum, quo quis amat Deum sibi, seu ut bonum proprium, elicitur ab habitu Spei, & est perfectior ullo actu Fidei, saltem ut Fides est in voluntate, sic namque non est virtus Theologica, cùm non feratur in Deum immediatè, sed solùm in actum Fidei, quem imperat, adeóque ut sic est virtus moralis; Spes autem, etiam ut est in voluntate est virtus Theologica, & Deum immediatè habet pro objecto. Jam verò, sicut actus ille Spei proximè positus est perfectior ullo actu Fidei, ita actus huic actui oppositus, quo quis diceret: *Volo potiùs in re aliâ, quàm in Deo ponere felicitatem*, est pejor seu gravior ullo actu infidelitatis. Quamvis ergo actus desperationis sint ut plurimum graviores actibus infidelitatis, ratione tamen actus desperationis proximè positi concludit maximum peccatum contra Spem esse gravius maximo peccato infidelitatis, adeóque sicut Spes ob actum prædictum est perfectior Fide, ita habitus desperationis ob hunc actum est pejor habitu infidelitatis.

X.

Quid de omissione amoris Dei censendum.

Actus concupiscentiæ respectu Dei, ut boni proprii, elicitur à virtute Spei.

Actus prioris actui è diametro oppositus.

Aliqua desperatio est peccatum gravius ullâ infidelitate.

SECTIO SECUNDA.

De variis speciebus infidelitatis.

I.

Comparantur peccata infidelitatis inter se.

Peccatum infidelitatis cum aliis tum contra virtutes Theologicas, tum morales peccatis Sectione præcedente comparavimus, quámque respectu illorum habeat gravitatem exposuimus; nunc ergo peccata infidelitatis, quæ varia sunt, inter se conferemus, eorúmque respectu sui invicem malitiam examinabimus.

Tres

II. *Tres species infidelitatis, Paganismus, Iudaismus, & hæresis.*

Tres præcipuæ numerantur infidelitatis species, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Has tres species enumerat S. Thomas hîc, quæst. 10. a. 5. eásque juxta triplicem rationem, per quam fidei adversantur, distinguit, quam etiam infidelitatis divisionem amplectuntur omnes Theologi. Infidelitas ergo, inquit S. Thomas, vel adversatur Fidei nullo modo susceptæ, & est Paganismus: vel adversatur Fidei in figuris tantùm susceptæ, & est Judaismus: vel adversatur Fidei formaliter & in se susceptæ, & incurritur peccatum hæresis. Nec S. Thomas tantùm, sed etiam Cœlestinus Papa in Epistolâ ad Episcopos Galliæ, has, & has tantùm infidelitatis species enumeravit. De duobus primis hîc agemus, de hæresi tractabitur Disputatione sequente.

III. *Omnes aliæ infidelitatis species ad hæc reducuntur.*

Hæc porro divisio est ádæquata, ad quam proinde omnes aliæ infidelitatis species reducuntur, Turcismus enim ad Paganismum reducitur, & si quis olim inter Judæos aliquem ex articulis à Moyse traditis negasset, censendus fuisset hæreticus. Imo, ut docet S. Thomas citatus, a. 5. ad 3. potest quis simul in duas ex his infidelitatis species incurrere, si enim, inquit S. Doctor, aliquis ex Christiano fiat Judæus, hæresim incurret propter Christianam Fidem, quam semel amplexus fuerat, negatam, & simul reus erit perfidiæ Judaicæ, cujus modò se sequacem profitetur. Communis tamen hodie Theologorum sententia affirmat, has tres infidelitates, non specie essentiali, sed accidentaliter tantùm inter se differre. Ut verò quis sit hæreticus, non est necessarium, ut susceperit baptismum, catechumenus namque, si aliquam Fidei Catholicæ, quam priùs admiserat partem negaret, esset hæreticus, utpote qui Fidem susceptam negaret.

Duarum simul specierum infidelitatis quis reus esse potest.

Hæ infidelitates accidentaliter tantùm differunt.

Catechumenus potest esse hæreticus.

IV. *Paganismus alias duas species superat extensivè.*

Hæresis reliquas superat intensivè.

Quamvis autem, ut affirmat Sanctus Thomas quæstione illâ decimâ citatâ, Paganismus Judaismum & hæresim extensivè superet per se loquendo; in pluribus enim ad Fidem spectantibus ut plurimum errat Ethnicus quàm Judæus, Judæus quàm hæreticus: Intensivè tamen hæresis Judaismo, Judaismus Paganismo est deterior: cùm enim hæretici majorem habeant rerum ad Fidem pertinentium cognitionem, & clariorem etiam materiæ Fidei propositionem, graviùs peccant veritati sic propositæ resistendo, & se, ut debebant, Deo loquenti non subjiciendo. Hinc S. Petrus Epist. 2. cap. 2. vers. 21. *Facta*, inquit, *sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato*, &c. Ad quam rem etiam S. Augustinus lib. 21. de civitate, cap. 25. sic habet: *Pejor est desertor Fidei, & ex desertore oppugnator ejus effectus, quàm ille, qui non deseruit, quam nunquam tenuit.* Idem docent S. Hieronymus, S. Augustinus, & alii Patres.

Docent Patres ex tribus infidelitatibus hæresim esse pessimam.

V. *An infidelitas aliquando excusari possit à peccato.*

Quæres, Utrùm in infidelibus non apostatis possit carentia Fidei excusari à peccato? Sermo est de infidelitate positivâ, seu in adultis, infidelitatem enim negativam, ut vocant, seu quæ in parvulis, aut perpetuò amentibus reperitur, clarum est vacare culpâ, cùm hi neque cognitionem, neque libertatem habeant ad peccatum admittendum requisitam. Quærimus itaque, an in adultis talis inveniri ignorantia possit, quæ eos à peccato infidelitatis excuset.

VI. *Qualis in infidelibus*

Dicendum infideles illos, qui nullam omnino de Fide nostrâ habuerunt notitiam, sed sunt in invincibili rerum ad eam spectantium ignorantiâ, non peccare articulos Fidei non credendo; ignorantia namque invincibilis, ut dixi Sectione præcedente, in omni re excusat à peccato, cùm nihil volitum, quin præcognitum. Quòd si nonnulli infideles aliquid de Fide audivissent, sine sufficiente tamen propositione ad credendum, non commisissent peccatum infidelitatis rebus sic propositis non assentiendo, habere nihilominus potuissent obligationem ulteriùs de iis inquirendi, & veritatem indagandi; si verò id præstare neglexissent, verti iis hoc vitio jure potuisset, & peccatum incurrissent; propositio siquidem, quæ non sufficit ad credendum, sufficere interdum potest ad dubitandum, & ad obligationem diligentiâ circa rerum sic propositarum pervestigationem utendi; nempe vel Deum, si ad eos aliqua Dei pervenit notitia, orando, vel eruditum aliquem, & in his rebus peritum doctorem quærendo, à quo pleniùs instruantur. Sed hac de re fusiùs dictum est Tomo præcedente, in materiâ de gratiâ, dum de illo celebri inter Theologos principio: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.*

dari possit rerum ad Fidem spectantium ignorantia.

Aliud est propositionem esse sufficientem ad credendum, aliud ad dubitandum.

Quæ diligentia sit adhibenda.

SECTIO TERTIA.

An omnia infidelium opera sint peccata.

I. *Sintne omnes infidelium actiones peccata.*

De aliâ etiam circa infideles difficultate egi in materiâ de gratiâ, Utrùm scilicet omnia eorum opera sint peccata: sed quia hîc eam à Theologis proponi video, nonnulla in præsenti de illâ attexam. Sententiam itaque affirmativam tenet Gregorius in 2. Distinct. 39. quæst. primâ, art. 2. & Catherinus in caput secundum Geneseos: idem asserit Michaël Baius assertione vigesimâ sextâ.

II. *Communis Theologorum sententia est, omnes infidelium actiones non esse peccata.*

Dicendum nihilominus, omnes infidelium actiones non esse peccata, ut cum Doctore Angelico 2. 2. quæst. 10. art. 4. docet communis Theologorum sententia, ita ut supervacaneum sit auctores pro hac veritate recensere. Probatur primò ex illo ad Romanos 2. vers. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea* (aliqua scilicet) *quæ legis sunt faciunt.* Deinde Daniël Propheta Regem Nabuchonosorem ad opera quædam naturaliter bona excitat: *Peccata tua*, inquit, *eleëmosynis redime*, ergo hoc ab ipso, quamvis infideli, fieri sine peccato poterat, Spiritus Sanctus siquidem, neque per se, neque per Prophetas excitat ad peccatum. Hinc S. Hieronymus in Cap. 29. Ezechielis: *Ex eo*, inquit, *quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.* Idem docet S. Chrysostomus, S. Basilius & alii.

Docent sancti Patres omnia opera infidelium non esse peccata.

III. *Quæ Divi Augustini de hac circa infidelium actiones controversiâ fuerit opinio.*

Circa mentem S. Augustini peculiaris hac in re est difficultas. Et sanè negari non potest, quin sanctus Doctor opinioni illi, quòd scilicet omnia infidelium opera sint peccata, non parum interdum faveat, ut constat ex libro quarto contra Julianum, cap. 3. ubi maximopere contendit, nullam ex infidelium actionibus esse bonam, sed singulas aliquid mali semper habere ad mixtum. Quod etiam alibi docet, variisque locis ita clarè in hoc puncto loquitur, ut non leve fundamentum sit existimandi, eum verè in hac sententiâ fuisse.

Quamvis

Tom. II.

IV. *S. Augustinus sæpè docet dari in infidelibus actiones aliquas honestas.*

Quamvis autem hæc ita sint, alibi tamen idem sanctus Doctor disertè affirmat, dari in infidelibus operationes varias, usquequaque honestas: sic enim de Spiritu & literâ, cap. 26. loquens de illo Divi Pauli dicto, suprà numero octavo posito, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*; ait Gentes interdum secundùm rectam rationem operari, & honestas aliquas actiones exercere. Aliis etiam locis varias virtutes morales, ut continentiam & patientiam in quibusdam ex infidelibus admittit. Ex quibus constat illum, etsi prædictæ sententiæ nonnihil aliquando faveris, meritò tamen pro nostrâ tanquam verâ & propriâ ipsius opinione citari posse.

V. *De operibus tantùm ad salutem spectantibus loquitur S. Augustinus.*

Ad illa ergo quæ numero præcedente ex S. Augustino sunt allata, dici inprimis potest, cum, dum dicit infideles nihil boni operari posse, solùm velle ipsos nihil boni agere posse prout oportet, seu ad justificationis gratiam, & cælestem beatitudinem obtinendam; quicquid enim tale non est, pro nihilo reputatur, dicente Apostolo 1. ad Corinthios 13. vers. 2. *Si Charitatem non habeam, nihil sum.* Imo hanc esse Divi Augustini mentem satis ipsemet indicavit; libro etenim quarto cõtra Julianum, cap. 3. de Fabricio, Regulo, Fabio, & antiquis Philosophis loquens, qui olim habebantur in virtute præstantissimi: *Nec in istis*, inquit, *est vera justitia*; & rationem reddit, *quia justus ex Fide vivit*; quod apertè denotat, cum de virtutibus tantùm supernaturalibus esse locutum. Hinc etiam idem S. Augustinus tractatu 45. in Joannem, & cap. illo 3. contra Julianum ait, nullum opus esse integrè & completè bonum, nisi per Fidem ac dilectionem Dei referatur in Deum: non ergo de operibus merè moralibus, seu naturalibus loquitur, sed de supernaturalibus.

Hanc esse Divi Augustini mentem, ex ipso D. Augustino ostenditur.

VI. *Qui rarissimè bene agit, moraliter censetur nunquam bene agere.*

Alio etiam modo exponi solet S. Augustinus; cùm enim parum in moralibus pro nihilo reputetur, & infideles rarò admodum actiones hujusmodi usquequaque honestas, seu absque omni mali permixtione eliciant, moraliter censentur nunquam bene agere: qua de causâ dixit sanctus Augustinus eos semper peccare, cùm opera sine circumstantiâ aliquâ malâ, non nisi rarissimè exerceant.

VII.

Dices: S. Paulus ad Romanos 14. v. 23. dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Respondetur primò cum S. Augustino per Fidem ibi intelligi fidem Theologicam, sicque sensus illius dicti est, ut vult Suarez hîc, Disp. 17. sect. 3. n. 6. Tannerus hîc, Disp. 8. dub. 4. num. 66. & alii, *quod non est ex Fide*, id est, quod est contra Fidem, omnia autem opera infidelium non sunt contra Fidem. Secundò S. Chrysostomus per Fidem illo loco intelligit fidelitatem, seu conscientiam; quicquid autem non fit secundùm dictamen conscientiæ est peccatum, nemo tamen, opinor, dicet infideles semper agere contra conscientiam.

Loca quædam S. Pauli circa actiones infidelium declarantur.

Omnia opera infidelium non sunt contra Fidem, aut conscientiam.

VIII. *Declaratur dictum illud Christi, Non potest arbor mala fructus bonos facere.*

Ad illud Christi, Matthæi septimo, vers. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, dico sensum esse, arborem malam quà malam non posse fructus bonos facere: sicut è contra eodem loco ait Christus: *Non potest arbor bona fructus malos facere*, quod similiter intelligi debet reduplicativè, seu ut est mala, nam homines in gratiâ Dei existentes committunt peccata venialia, *septies* quippe *in die cadit justus.* Sensus ergo est, infideles quà infideles, seu ut opera infidelitatis exercentes, falsos scilicet Deos colendo, aut idola adorando non posse bonos fructus facere, sicut nec justi in quantum justi, seu ex inspiratione divinâ operantes peccant, Deus enim ad malum non instigat. Quemadmodum ergo justi secundùm se possunt malè, ita & infideles secundùm se possunt benè facere, alia scilicet opera quàm infidelitatis exercendo. Adde voluntatem humanam ex se non esse arborem malam, sed indifferentem ad bonum vel malum exercendum, juxta illud Ecclesiastici 15. vers. 17. *Appositit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.*

Infideles ut infideles non possunt bonos fructus facere.

Qualis arbor sit voluntas humana.

IX. *Quo sensu dicat Apostolus, Infidelibus nihil est mundum.*

Tandem circa illud Divi Pauli ad Titum 1. v. 15. *Infidelibus nihil est mundum*, eodem modo explicari potest ac dictum præcedens, nempe nihil mundum esse infidelibus ut infidelibus, seu ex infidelitate operantibus. Peculiariter verò eo loco intelligit Apostolus Judæos, ritus & cæremonias antiquæ legis, postquam non mortuæ tantùm erant, sed mortiferæ, observantes, ut hoc Divi Pauli dictum exponit Sanctus Augustinus lib. 13. contra Faustum, capite quarto. Videatur Bellarminus libro quinto de gratiâ & libero arbitrio, Suarez hîc, Disp. 17. Tannerus Disputatione 1. quæstione octavâ, Lugo Disp. 18. & 19. & alii, qui hæc fusissimè prosequuntur.



DISPUTATIO VIGESIMA SEXTA.

De hæresi & apostasiâ.

EX tribus infidelitatis speciebus Disputatione præcedente, sectione secundâ, numero secundo enumeratis hæresim diximus esse gravissimam, cum iis, qui in hoc vitium incidunt, & major sit rerum ad Fidem spectantium notitia, & clarior divinæ auctoritatis, ac locutionis propositio, ex quo fit ut gravius peccent se primæ veritati mysterium aliquod revelanti non submittendo, & intellectum captivando in obsequium Fidei. Nunc ergo in quo hujus vitii enormitas consistat declarandum, ejusq; natura ac proprietates explicandæ.

SECTIO PRIMA.

Varia discutiuntur circa naturam, & notionem hæresis.

I. *Quid nomine hæresis intelligatur.*

QUAMVIS hæresis, si nominis etymologiam spectemus, idem sonet ac peculiarem, vel unius per se electionem, vel plurium in rem aliquam seu opinionem sive bonam sive malam consensum & conspirationem, & qui hoc modo inter se conspirant vocari eâdem ratione possint hæretici: propriè tamen hæc vox denotat aberrationem à verâ Fide, communiq́ue orthodoxorum circa articulos ad religionem spectantes consensione.

II. *Hæresis & secta, etiam in bonam partem interdum accipiuntur.*

Est ergo hæresis latè dicta idem quod secta, nec in malam tantùm, ut dixi, sed etiam in bonam partem accipitur. Hinc Cicero in Paradoxis: *Cato*, inquit, *perfectus (meâ sententiâ) Stoicus, & ea sentit, quæ non sanè probantur in vulgus, & in eâ est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum.* Idem in Verrem: *Horum*, inquit, *nos hominum sectam atque institutionem prosequimur.* Hinc etiam olim variæ dicebantur esse Philosophorum sectæ, quæ & in seipsis virtutis exercitationem profitebantur, & operam dabant, ut alios ad honestatem morum, vitámque rectè instituendam inducerent. Deinde ipsemet Apostolus Actor. 24. & 26. nomen *sectæ* in bonam partem accipiebat: sicque sacris juxta ac profanis scriptoribus familiare olim fuit vocem illam hoc modo accipere. Jam verò longus in Ecclesiâ usus obtinuit, ut nec *hæresis* nec *sectæ* nomen in bono sensu sumatur, imò & ipsemet Apostolus 1. ad Corinthios cap. 11. v. 19. hæresis nomen in malam partem accipiebat, *Oportet*, inquit, *& hæreses esse*, &c. quo etiam modo vox *hæresis* & *secta* ab Ecclesiâ jam usurpatur; qua proinde de causâ secta à secando deducitur, quòd hæretici religionem, quam catholici indivisam servant, secent ac dividant, indéque dicuntur *sectarii*: unde etiam ad Galatas cap. 5. inter vitia, quæ è cœlo excludunt, numerantur *sectæ*.

Secta & hæresis jam in malam semper partem sumuntur.

Ex doctrinâ itaque S. Thomæ hîc, quæst. 10. art. 5. & quæst. 11. art. 1. & 2. & alibi definiri hæresis potest, quòd sit error pertinax, veræ Fidei contrarius, in eo qui Fidem aliquando fuerat amplexus: quas ultimas particulas addo ob dicta Disputatione præcedente, sect. 2. num. 2. ubi in triplici illâ divisione infidelitatis in *Paganismum*, *Judaismum*, & *hæresim*, dixi ad hanc requiri ut Fides aliquando fuerit suscepta. Sicut verò Fides, quamvis in actu intellectus consistat, ut tamen est virtus, ad voluntatem etiam pertinet, & ejus actum includit, idem è contrario est de hæresi, quæ ut sit peccatum debet esse voluntaria; si enim quis in re aliquâ ad Fidem spectante erret ex ignorantiâ invincibili, non est hæreticus, nec dici potest committere peccatum hæresis.

III. *Quæ sit hæresis propriè sumpta definitio.*

Vt Fides, ita & hæresis partim ad intellectum, partim ad voluntatem pertinet.

Pertinacia verò hæc est voluntas resistendi doctrinæ Ecclesiæ, seu Fidei Catholicæ, nolendo scilicet judicium suum Dei, vel Ecclesiæ auctoritati subjicere, seu ut loquitur S. Augustinus lib. 4. de Baptismo, cap. 16. ut eligat potiùs Ecclesiæ resistere, quàm à propriâ sententiâ recedere, quod etiam ex S. Hieronymo, & aliis Patribus desumitur, idémque cum S. Thoma tenent omnes Scholastici. Ratio autem est clara; quantumvis enim quis, etiam circa doctrinam Ecclesiæ, & Fidei articulos erret; si tamen ita animo comparatus sit, ut si sciret contrarium ab Ecclesiâ doceri, opinionem illam suam relinqueret, nullus hunc censet esse hæreticum. Hinc ergo apertè deducitur, ut quis sit hæreticus necessariam esse pertinaciam, seu obstinatum animum se judicio Ecclesiæ non submittendi. Hinc tamen non sequitur, ut quis habeat hujusmodi contuma-

IV. *Quæ & qualis pertinacia ad hæresim requiratur.*

Vt quis sit hæreticus, debet obstinatè resistere judicio Ecclesiæ.

Tom. II.

Vnico momento committi potest peccatum hæresis.

contumaciam, requiri moram temporis, si enim sufficientem habeat cognitionem, quòd Ecclesia aliquid credendum proponat, poterit uno momento contumaciter ei resistere, & incurrere peccatum hæresis.

V. *Peccatum hæresis cum ignorantiâ esse potest, non tamen ex ignorantiâ.*

Hæresis ergo, licèt cum aliquâ ignorantiâ esse possit, non tamen ex ignorantiâ, potest nimirum esse cum ignorantiâ concomitante, non tamen ex antecedente. Prima pars probatur; quantumcunque enim quis nesciat hunc vel illum articulum ab Ecclesiâ crèdendum proponi, si tamen dicat, etiamsi Ecclesia hoc prohiberet, illud nihilominus amplecterer, hic est animo hæreticus, estque refractarius, contumax, & rebellis Ecclesiæ: sicut si quis cernens feram, sagittam in eam emitteret, & occideret, animo tamen ita affectus, ut dicat, etiamsi esset homo, idem facerem, hic animo committeret homicidium.

VI. *Ignorantia antecedens tollit pertinaciam.*

Secunda verò pars dicti, numero præcedente positi, hæresim scilicet, non posse esse ex ignorantiâ antecedente, constat; quando enim quis ex ignorantiâ in errorem aliquem contra Fidem incidit, non habet contumaciam, ad hæresim requisitam; qui siquidem non novit errorem illum suum esse contra Ecclesiam, non obstinatè resistit Ecclesiæ, nec suum judicium judicio illius pertinaciter anteponit, pertinacia autem, ut ostensum est, ad peccatum hæresis est essentialiter requisita.

VII. *Ignorantia etiam vincibilis, imo affectata excusat ab hæresi.*

Idem dicendum existimo, etiamsi ignorantia illa sit vincibilis, seu culpabilis, imo affectata: quamvis namque is peccet, quòd negligat aut nolit scire quid Ecclesia hac in re sentiat, non tamen committit peccatum hæresis, hoc siquidem peccatum non est contra auctoritatem Ecclesiæ, per illud siquidem non refragatur Ecclesiæ, cùm ignoret, quamvis culpabiliter, Ecclesiam docere contrarium, sed vel propter difficultatem aliquam aut laborem in inquirendo, quæ hac in re sit mens Ecclesiæ, vel etiam interdum ne cogatur mutare sententiam, diligentiam debitam non adhibet: hoc tamen non obstante, ubi sufficienter intellexerit opinionem illam suam esse contrariam judicio Ecclesiæ, paratus esse potest ad eam relinquendum, & se submittendum Ecclesiæ, sicque non est hic pertinacia, & consequenter, neque hæresis. Est ergo hoc peccatum contra obligationem sciendi, quòd scilicet non inquirat, cùm tamen teneatur, aut etiam ex proposito nolit inquirere. Ignorantia proinde affectata, etsi augeat peccatum illud in ratione voluntarii, non tamen illud transfert in rationem hæresis; ad hanc enim, ut sæpè diximus, requiritur pertinacia, seu contumax resistentia judicio Ecclesiæ, hic nihilominus nescit, quamvis voluntariè & culpabiliter, hanc esse mentem Ecclesiæ.

Peccatum hoc ignorantia non est contra auctoritatem Ecclesiæ, sed obligationem sciendi.

SECTIO SECUNDA.

Resolvuntur quæsita quædam circa naturam hæresis.

I. *Sintne omnia peccata hæresis in gravitate æqualia.*

QUÆRES, Utrùm omnes hæreses sint æquales? Certum esse videtur, peccata hæresis alia aliis esse graviora, ex variis enim capitibus crescere aut decrescere potest hæresis gravitas, ex majore scilicet libertate, pertinaciâ, metu extrinsecùs incusso, majore vel minore credendi difficultate, & similibus. Graviùs item peccaret extensivè, qui plures, vel etiam omnes libri alicujus canonici propositiones negaret, quàm qui solùm negaret unam.

II. *Hæreses omnes in ratione hæresis sunt formaliter æquales.*

Hac in re, loquendo formaliter, existimo omnes hæreses esse secundùm se æquales. Ratio est, turpitudo siquidem ac deformitas hæresis in hoc sita est, quòd quis Deo per Ecclesiam loquenti adhibere Fidem nolit, sed tum ejus, tum Ecclesiæ auctoritatem contemnit. Dignitas ergo objectorum ad hoc parum deservit; æquè enim Dei per Ecclesiam loquentis auctoritatem ac veracitatem contemneret, qui negaret Evam ex Adami costâ fuisse formatam, aut Abelem à Caino interfectum, & alia hujusmodi à Deo revelata, ac qui negaret Deum esse Trinum & Unum: quamvis materialiter unus actus hæresis esse possit pejor alio.

Materialiter una hæresi esse potest pejor alia.

III. *An deliberatè dubitans in Fide sit hæreticus.*

Quæres secundò: An deliberatè & pertinaciter dubitans in Fide sit hæreticus? Negat Cano libro 12. de locis, cap. 9. ad quartum. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 7. num. 12. Tannerus, & alii. Contraria tamen sententia affirmat Christianum, qui deliberatè & contumaciter dubitat in materiâ Fidei, esse hæreticum: ita S. Thomas 1. parte, quæst. 32. art. 4. & hîc, quæst. 11. art. 1. & 2. ubi etiam Caietanus, Bannez, Aragon. Gabriel in 4. Distinct. 13. art. 1. & in 3. Dinstinct. 23. quæst. 2. art. 1. Suarez hîc, Disputat. 19. Sect. 4. num. 10. Hurtado Disp. 80. Sect. 4. §. 21. Coninck Disp. 18. dub. 7. n. 102. Lugo hîc, Disp. 20. Sect. 1. num. 17. & alii.

IV. *Dubium circa res Fidei dubitis modis potest contingere.*

Notandum, dubium circa Fidem duobus modis posse contingre: primò ita ut positivè judicet mysteria Fidei esse incerta, sic autem deliberatè & pertinaciter dubitantem nullus dubitat quin sit hæreticus, cùm hoc judicium sit error positivus contra Fidem. Alio modo contingere potest dubium circa res Fidei, dum nimirum quis ob motiva contraria motivis Fidei, quamvis positivum illum errorem non eliciat, omnem tamen actum seu judicium obstinatè suspendit, & vocatur dubium negativum. Hanc ergo suspensionem pertinacem auctores primo loco citati, etsi fateantur esse grave peccatum, aiunt nihilominus non esse hæresim: alii verò affirmant, adduntque si pertinax hæc illius suspensio aliis innotescat, illámque signo aliquo externo manifestet, eum incursurum pœnas hæreticis statutas.

Dubium positivum circa Fidem, & dubium negativum.

V. *De Fide deliberatè dubitans negativè non est propriè & physicè hæreticus.*

Inter hos duos procedendi modos mediâ incedendum viâ existimo. Dico itaque eum, qui hoc pacto negativè circa ea, quæ credenda proponuntur, dubitat, omnem scilicet actum ob motiva Fidei contraria deliberatè & contumaciter suspendendo, non esse propriè & physicè hæreticum, quia ille tantùm est hoc modo hæreticus, qui errat in Fide, hic autem nullum habet errorem contra Fidem, cùm omnem actum erroneum suspendat, sicque nullum habet actum contrarium Fidei. Dici nihilominus potest fundamentaliter & inchoativè hæreticus; qui enim ultro hac ratione de rebus ad Fidem spectantibus dubitat, jam est in gradu proximo dubitationis positivæ. Dici etiam potest hæreticus interpretativè; sicut namque is, qui purè omittit velle auditionem Sacri, censetur positivè velle non audire Sacrum, ita qui deliberatè suspendit omne judicium circa certitudinem rerum Fidei, censeri potest interpretativè judicare illas esse incertas, quod secundùm omnes, ut numero 11. diximus, est positivè errare contra Fidem.

Est inchoativè, imo interpretativè hæreticus.

VI. *An actum opinativum circa res Fidei eliciens incurrat hæresim.*

Quæres tertiò: An qui assensu probabili, seu opinativo crederet articulum aliquem Fidei, incideret in hæresim; hic enim dubius esse videtur de re ad Fidem spectante, omnis quippe opinio includit

includit formidinem, seu dubium, ergo si dubitans de rebus Fidei sit hæreticus, erit etiam talis, qui actum probabilem circa res Fidei elicit. At sanè, hoc nullo modo videtur admittendum, certum namque videtur, eum, qui Fide humanâ aliquem Fidei articulum credit, non incidere in hæresim, cum tamen in actu solùm probabili sit aliqua formido, saltem radicalis, ut in Logicâ dixi, Disp. 50. Sectione primâ. Nisi ergo quis ita de rebus Fidei sit dubius, ut judicet eas non esse dignas firmiore Fide, non potest censeri hæreticus.

SECTIO TERTIA.

De propositione hæreticâ, erroneâ, malè sonante, & similibus, quomodo distinguantur.

I. *Propositiones diversa quæ damnabiles appellantur.*

VARIÆ à Theologis recensentur propositiones, quas damnabiles appellant: *Hæretica, Erronea, sapiens hæresim, piarum aurium offensiva, temeraria, scandalosa, injuriosa, blasphema:* quæ omnes sigillatim sunt discutiendæ, & quâ unaquæque censurâ digna sit declarandum.

II. *Propositio hæretica latius patet, quàm peccatum hæresis.*

Prima ergo inter has propositiones est *hæretica:* circa quam notandum, latiùs patere propositionem hæreticam, quàm peccatum hæresis, hoc siquidem præter propositionem Fidei contrariam includit actum voluntatis, nempe pertinaciam, seu voluntatem obstinatè & contumaciter resistendi Ecclesiæ, & suum judicium illius judicio anteponendi: propositio verò hæretica illa est, quæ opponitur alicui veritati Fidei, à quocunque demum, & quacunque ratione ac modo intentionéque proferatur, aut exaretur; ac proinde hæretica censetur sine ullo respectu ad loquentem, vel scribentem, de quo plura infra, numero quarto. Sicut è contra ut propositio aliqua sit de Fide, non requiritur ut actu ex Fide proferatur, seu animo obtemperandi Ecclesiæ, sed ut sit de Fide, sufficit quòd sit à Deo revelata, hinc enim habet quòd digna sit quæ firmissimè credatur. Ad propositionem etiam hæreticam parum refert à quo proferatur, sive ab eo qui Fidem aliquando susceperat, sive à Judæo, sive pagano, sed solùm spectandum est utrum sit doctrinæ à Deo revelatæ contraria.

Parum refert quo animo proferatur.

Non pendet propositio hæretica à persona eam proferente.

III. *Quid proprie loquendo sit error.*

Secunda propositio damnabilis, seu quæ meretur censuram, est *erronea:* circa quam notandum, licèt error latè sumptus, cuicunque propositioni falsæ conveniat; sicut tamen in Philosophiâ non quælibet propositio falsa censetur erronea, sed illa tantùm, quæ est contra veritatem certissimam, contra axioma scilicet aliquod à Philosophis omnibus veluti oraculum quoddam acceptatum: eodem modo in Theologiâ non quævis propositio, quamvis falsa, est erronea, sed illa solummodo, quæ est contra veritatem in Theologiâ certissimam, & ut talem à Theologis admissam. Propositio verò erronea distinguitur ab hæreticâ, & censuram meretur hac inferiorem, nec Theologorum judicio ad propositionis hæreticæ gravitatem pertingit.

Quæ propositio inter Theologos censeatur erronea.

IV. *In quo erronea propositio distinguatur ab hæretica,*

In quo autem hæc hæreticam inter & erroneam propositionem differentia sita sit, non ita constat inter Theologos: quod enim nonnulli eò rem deducant, quasi propositio hæretica illa sit, quæ cum pertinaciâ defenditur, non sic erronea; hoc rejectum est supra, numero secundo, ubi diximus pertinaciam non esse de conceptu propositionis hæreticæ, sed hanc in eo præcisè consistere, quòd sit propositio veritati alicui à Deo revelatæ opposita, & in illo eam dixi à peccato hæresis distingui, quòd hoc actum voluntatis includat pertinaciter resistendi Ecclesiæ, propositio vero hæretica spectet ad solum intellectum, & in difformitate actus cum objecto revelato. Hinc Pius Quintus, & Gregorius Decimus-tertius in Bullâ contra Michaëlem Baium differentiam in ipsius propositionibus invenerunt inter hæreticas & erroneas, cùm tamen Baius non fuerit contumax, nec cum pertinaciâ restiterit Ecclesiæ, neque unquam habitus sit hæreticus. Aliunde ergo quærenda est hæc differentia.

non ita est exploratum.

Differentia non consistit in ullâ pertinaciâ.

Baius, quâvis Catholicus, habuit propositiones hæreticas.

V. *Vera propositionis erroneæ, ut ab hæreticâ distinguitur, declaratio.*

Variis itaque omissis, quæ hîc confusissimè congeruntur, propositio erronea illa est, quæ non directè & immediatè veritati Fidei opponitur, seu quæ directè negat veritatem, quæ non est Fidei, sed conclusionis tantùm Theologicæ. Ratio est, quia hujusmodi propositio non est hæretica, cùm id quod negat non sit revelatum, sed ex unâ propositione revelatâ, & alterâ naturali evidente deductum. Dixi id quod negat esse deductum ex unâ propositione de Fide, & alterâ evidente naturali, si enim utraque præmissa, ex qua deducitur sit de Fide, etsi, ut supra diximus, conclusio qua talis, non sit actus Fidei, cùm habeatur per discursum, objectum tamen est de Fide, seu revelatum, & consequenter qui illud negaret esset hæreticus. Quamvis ergo qui talem veritatem negat, non sit hæreticus, aliquam tamen meretur censuram hæresi inferiorem, nec aptior ei à Theologis applicari posse videtur, quàm ut appelletur propositio *erronea.*

Veraque præmissa hujus conclusionis Theologica non debet esse de Fide.

VI. *Propositio Sapiens hæresim in quo distinguatur à propositione erroneâ.*

Sequitur propositio *sapiens hæresim,* seu, ut eam aliqui appellant, *hæresi proximas;* licèt enim nonnulli hanc confundant cum propositione erroneâ, verius tamen videtur propositionem, quæ sapit hæresim, eam esse quæ est contraria doctrinæ, quam esto non planè certum sit esse de Fide, non paucis tamen existimatur esse: sicut ergo propositio hanc doctrinam affirmans proximè accedit ad Fidem, ita propositio illam negans est proxima hæresi, qualis etiam videtur negans conclusionem, quæ deducitur, etsi non penitus clarè, ex duabus præmissis de Fide. Unde, cùm, ut diximus, objectum propositionis deductæ ex duabus præmissis de Fide, sit de Fide, & revelatum, propositio illam negans erit hæretica, sicque sortietur utramque rationem, nempe hæresis, & hæresim sapientis. Quare mihi videtur hujusmodi propositio pejor, & censura illius gravior censurâ propositionis erroneæ.

Hæresis, & sapiens hæresim cadit interdum in eandem propositionem.

VII. *Quid sit Propositio malè sonans.*

Propositioni sapienti hæresim affines sunt duæ aliæ, *Malè sonans,* & *piarum aurium offensiva.* Quoad primam, propositio *malè sonans* illa dici potest, quæ verbis abutitur, eáque usurpat in sensu à communi fidelium sensu diverso. Unde quamvis hæreticam, vel etiam erroneam significationem non habeant, dissonantiam nihilominus quandam continent ab usurpatâ passim à Catholicis illarum vocum acceptione. Exemplum poni solet in hac propositione: *In Deo sunt tres essentiæ relativæ,* quæ ita sonat, quasi in Deo essent tres essentiæ, ac proinde malè sonat.

VIII. *In quo sita sit propositio piarum aurium offensiva.*

Propositio piarum aurium offensiva illa est, per quam indecens aliquid vel indecorum de Deo, Sanctis, vel religione profertur, hæc namque piæ aures audire sine summâ molestiâ non possunt.

Tom. II.

Quamvis autem hujusmodi etiam propositiones malè sonent sicut præcedentes, quam ob causam nonnulli eas à malè sonantibus non distinguunt, in hoc tamen ab illis differunt, quòd propositio malè sonans, ut dixi, vocibus abutatur, easque in sensu à communi fidelium acceptatione diverso usurpet; propositio verò piarum aurium offensiva verbis in propriâ significatione utitur, sed propter indecorum loquendi modum Catholici & pii homines per istiusmodi propositiones offenduntur.

Hæc propositio non abusivè, sed propriè verba usurpat.

IX. *Temeritas est quadam vel in agendo vel loquendo præcipitatio.*

Sequitur propositio *temeraria*; ad quam intelligendam operæ pretium erit recolere quod ex Sancto Thoma 2. 2. quæst. 53. art. 3. ad secundum notat Suarez hîc, Disp. 19. Sect. 2. numero vigesimo; temeritatem scilicet esse præcipitationem quandam, aliquid sine judicio aut regulâ rationis faciendi. Sicut ergo illud temerariè factum censetur, quod fit sine regulâ rationis, ita propositio illa jure appellatur temeraria, quæ sine sufficiente ratione vel auctoritate profertur. Hoc autem, ut loco citato rectè advertit Suarez, duobus modis contingit, positivè & privativè: tunc propositio est in re ad Fidem spectante positivè temeraria, quando est contra communem Patrum vel Scholasticorum sententiam; cùm enim tot ac tales viri in eam conspirent, fieri non potest, ut sine urgentissimâ ratione, aut firmissimis sacrarum literarum testimoniis id præstent, ac proinde non potest contraria assertio niti sufficiente ullâ ratione vel auctoritate, quæ eam à temeritate eximat. Propositio verò privativè temeraria est, quæ sine ullo sufficiente fundamento profertur, sive alii contrarium affirment, sive non, ut si quis ex solâ conjecturâ tanquam certum affirmaret diem judicii intra centum aut ducentos annos futurum. Nec in rebus sacris tantùm, sed etiam Philosophicis sua reperiri potest temeritas.

Propositio temeraria positivè, & privativè.

Propositio privativè temeraria.

X. *Declaratur in quo peculiariter consistat propositio scandalosa.*

Propositio scandalosa, ut aliquid supra quasdam ex jam dictis propositionibus superaddit, illa est, quæ ruinæ spiritualis occasionem audientibus præbet, vel scilicet ad mala incitando, vel à bonis operibus retardando, ut si quis aliquid proferat, quod statui religioso detrahit. In præsenti autem illa doctrina censetur scandalosa, quæ occasionem dat errandi in Fide. Hinc *seditiosa* propositio est, quæ incitat ad seditionem, *Blasphema*, quæ irreverentiam contra Deum aut Sanctos, vel res sacras, etiam inanimatas continet, quæ proinde vocari insuper potest *Injuriosa*. Propositio denique qua verus Dei cultus minuitur, & pietatis opera, vocatur *Impia*. Licèt verò singulis propositionibus singulas censuras applicare conentur Theologi, eidem nihilominus propositioni, ut supra notavi, censuræ variæ applicari possunt. Hinc in Concilio Basiliensi sessione 22. hæc propositio, *Christus quotidie peccat*, vocatur *erronea, scandalosa, & piarum aurium offensiva.*

Propositio seditiosa, blasphema, impia.

Eidem propositioni variæ interdum censuræ competunt.

Quæres, quid sit apostasia? Non est sermo de apostasiâ ab ordine aliquo religioso, sed à Fide. Quæstionem hanc, quæ ferè tota est de modo loquendi, breviter expediam: qui eam fusiùs tractatam videre cupit, legat Sanchez lib. 2. in Decalog. capite septimo, Suarez hîc, Disp. 16. sect. 5. & alios. Quamvis ergo apostasia ut plurimum vocetur recessus à tota Fide Christi, quâ de causâ Julianus appellatur apostata, ad apostasiam tamen hoc absolutè non videtur requiri, sed ad hanc appellationem sufficit, si quis Fidem ex parte tantùm deserat: unde S. Cyprianus libro primo, Epist. 2. vel ut alibi habetur, 54. hæreticos inter apostatas recenset.

XI. *In quo sita sit malitia apostasiæ.*

S. Cyprianus hæreticos numerat inter apostatas.

Ratio est, quia hæretici non minùs Fidem relinquunt, quàm illi, qui ad Mahometismum transeunt, vel Judaismum: Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 12. art. 1. Corpore, ad apostasiam solùm requirit, ut qui prius Deo per Fidem erat conjunctus, non maneat ei conjunctus per Fidem: quo etiam sensu explicat illud Prov. 6. vers. 12. *Homo Apostata vir inutilis*, quia scilicet nihil facere potest, quod Deo placeat, *sine Fide* siquidem *impossibile est placere Deo.* Antonomasticè tamen apostatæ appellantur illi, qui Christum penitus negant, ob quam causam, ut diximus, Julianus simpliciter vocatur *apostata*, non alii Imperatores, qui in hæresim aliquam sunt prolapsi. Ad apostasiam tamen non videtur necessarium, ut quis baptismum susceperit, unde & cathecumenus, si Fidem, quam susceperat, deserens incidat in hæresim, dici potest apostata.

XII. *Ratio quare hæreticus dici possit apostata.*

Homo apostata vir inutilis.

Cur Julianus peculiariter vocetur apostata.

XIII. *Transitus à Fide ad Paganismum non est propriè hæreticus.*

Quæres, utrum qui relictâ Fide Catholicâ, quam priùs fuerat amplexus, ad Judaismum vel Paganismum transit, appellari possit propriè hæreticus. Pars negativa videtur probabilior, hæreticus namque in rigore solùm vocatur is, qui Christianitatis professionem retinet: meritò tamen hæreticorum pœnis plectitur, hæ siquidem non solùm contra hæreticos strictè dictos latæ sunt, sed generatim contra apostatas. Utrùm autem apostasia addat malitiam specie distinctam, & in confessione aperiendam, affirmat Suarez cum aliis; nonnulli tamen, quamvis hæc circumstantia sit gravis, &, si velis, specie etiam distincta, non tamen potest, inquiunt, confessario esse ignota, cum ipso facto quòd quis hoc peccatum confiteatur, sciat confessarius esse illud commissum post baptismum, peccata namque ante baptismum commissa non sunt subjecta clavibus, ut ex communi sententiâ Theologorum, & ipsa Synodo Tridentinâ est manifestum.

Circumstantia apostasiæ, quo pacto sit in confessione aperienda.

XIV. *De pœnis hæreticorum agere spectat ad rerum moralium scriptores.*

Tractatio de pœnis hæreticorum, tam spiritualibus, quàm temporalibus ad rerum merè moralium Scriptores pertinet, non ad Theologiam scholasticam, seu quæ in scholis prælegi auditoribus solet: quare inter alias res morales in unum per se Tomum congestas, commodiùs hæc quæstio disputabitur. Videatur Sanchez tomo primo in Decalogum, libro secundo, cap. sexto, Suarez in parte morali Fidei, Laymannus, Bonacina, Filliucius, & alii.

DISPUTA-

DISPUTATIO VIGESIMA SEPTIMA.

De Theologiâ.

FVSAM hic à nonnullis institutam de Theologiâ Disputationem video, quod nimirum & Fidem primarium sui principium habeat, & consequenter maximam ab eâ dependentiam. Cùm tamen Tomo præcedente, per totam Disputationem primam, latissimè de Theologiâ dixerim, ejúsque naturam ac proprietates declaraverim, & hîc, Disputatione duodecimâ, quæ illic defuerant, supplevero, nihil restat quod de eâ hoc loco sit inquirendum.

Finis Tractatus de divinâ Fide.



DISPUTATIO VIGESIMA OCTAVA.

De secundâ inter virtutes Theologicas, videlicet SPE.

IDEM totius ædificii spiritualis fundamentum esse constans est Patrum omnium ac Theologorum pronuntiatum, divinarum etiam Literarum, Conciliorumq; calculo firmatum. Quare ut aliarum virtutum, ita & Spei radix est & origo, dicente Apostolo: Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. *Quemadmodum itaque Fides est regula intellectus, illumq; continet ac moderatur, ne circumferatur omni vento doctrinæ, & ad varias errorum syrtes ac scopulos allidatur, ita Spes est anchora voluntatis, eámque firmam & fixam tenet, ne inter tot procellas ac tempestates fluctuet, æstúque veluti quodam abreptus humanus animus, ab optato cursu deviet, atque à cœlestis beatitudinis prosecutione desistat. Hic ergo Theologicæ hujus virtutis natura est declaranda, variaq; circa eam occurrentes difficultates enodandæ.*

SECTIO PRIMA.

Annotantur quædam circa virtutem Spei.

I. *Spes secundus est ad salutem gradus.*

HIc secundus gressus est, quo ad Deum, dum in hac vita peregrinamur, tendimus, *Spes enim*, ut ait S. Ambrosius lib. 5. epist. 22. *salvat sicut Fides*: & ad Rom. 8. v. 24. dicitur, *Spe salvi facti sumus.* Divus etiam Joannes epist. 1. cap. 3. v. 3. de Spe loquens: *Omnis*, inquit, *qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*; si ergo ut habet dictum illud Divi Augustini, *Sicut corpus gressibus, ita anima affectibus fertur*; hoc affectu velut præcipuo quodam gressu ad Deum ferimur, & ad ejus in cœlo consecutionem aspiramus, *expectantes beatam spem*, ut ait Apostolus, eóque toto pectore anhelantes.

II. *Est tractatum de Fide congruè po-* Doctor ergo Angelicus, cum jam de Fide egisset, quæ prima est virtutum Theologicarum, & quæ cum ad intellectum pertineat, Spei, & Charitati, quarum utraque in voluntate residet, objectum sperandum & amandum proponit, congruo jam ordine de ipsis etiam tractat: *nitur tractatus de Spe.* Parum enim prodesset, Deo, Deique verbo Fidem habere, & quæ in Ecclesia proponuntur divina dogmata credere ac profiteri, nisi quis de Divina bonitate Spem concipiat, ac fiduciam consequendæ gratiæ, & finis ultimi, vitæ æternæ. Porro hæc Spes ritè concepta ita justum fulcit in summis ærumnis, ut etiam mundi omnibus præsidiis destitutus, *Quasi leo confidens & absque terrore sit*; Proverb. 28. & intrepidus dicat, *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.* Hinc D. Paulus 1. ad Thess. c. 5. Spem galeam vocat salutis.

III. *Hæreticorum Spes, inanis est & mera præsumptio.* Hæc verò non est inanis illa & futilis hæreticorum Spes, qui quamvis de Christi meritis & gratia glorientur, dum tamen bonæ conscientiæ testimonium, & melioris vitæ propositum negligunt, eorum fiducia non est Spes vera, sed planè vanissima ac dementissima, & mera præsumptio. Quid enim inanius quàm beneficia, vel veniam ab eo sperare, quem novis indies sceleribus offendunt, justámque ejus in se indignationem provocant, cúmque placare contemnunt, & scelera

Quanam censenda sit vera Spes.

scelera sceleribus addendo, *Ducunt in bonis dies suos, & in momento ad infernum descendunt.* Ea ergo vera Spes habenda, quæ quotidianâ divinæ bonitatis ac beneficiorum meditatione accenditur, puritatéque conscientiæ, ac bonis operibus roboratur, juxta illud Psalm. 36. v. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem*; item 1. Joannis 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*, &c. quoniam mandata ejus custodimus; ac demum invictâ in rebus adversis patientiâ comprobatur: hæc enim est quæ non confundit, sed, ut dixi, summum animo robur addit, & firmitatem.

IV. *Quatuor circa virtutem Spei inquirenda.*

Quatuor autem de hac virtute quæri possunt, ex quorum cognitione integra illius notitia consurgit: quænam scilicet sit, quæ sint adjuncta illius, an sit de ea aliquod præceptum, ac demum quæ habeat contraria, quare his singulis singulæ respondebunt Disputationes, & hoc pacto materiam quàm possum breviſſimè expediam.

SECTIO SECUNDA.

De nomine Spei, & aliis quibusdam ad hanc virtutem spectantibus.

I. *Spes aliquando objectivè sumitur, aliquando subjectivè.*

IN primis notandum, non idem semper Spei nomine importari, aliquando enim quasi objectivè sumitur, pro objecto scilicet Spei, seu pro re quam speramus, sic Apostolus ad Colossenses cap. 1. v. 5. *Propter spem*, inquit, *quæ reposita est vobis in cælis*, &c. & ad Tit. c. 2. v. 13. *Expectantes beatam spem*; ad Rom. 8. v. 24. *Spes quæ videtur non est spes.* Secundò sumitur Spes quasi subjectivè pro eo in quo, seu à quo speramus: sic Christus dicitur *Spes nostra*, & Psalm. 21. *Tu es spes mea ab uberibus matris meæ.* Tertiò denique sumitur pro actu vel habitu sperandi, idque non uno modo. Primò enim generaliter sumi solet & impropriè, pro quacumque futuri eventus sive boni sive mali expectatione, vel ut alii explicant, pro existimatione, quo modo Cicero lib. 1. ad Atticum *Spem malorum* dixit: Virgilius etiam 1. Æneid. *At sperate Deos memores fandi atque nefandi.* Lib. item 4. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Quam significationem esse impropriam docet S. Augustinus in Enchirid. cap. 8. ex auctoritate Grammaticorum, quorum aliqui exinde Virgilium ut improprie loquentem fugillant, & pro *sperare*, timere reponendum asserunt, cum objectum Spei sit bonum, sicut malum timoris. Usitatam tamen esse locutionem hanc apud probatos auctores docent alii, nec vitio vertendum Virgilio, quod eam usurpaverit.

Spes interdum idem est ac rei futuræ expectatio.

Quid per sperare probati subinde auctores intelligant.

II. *Propria vocis Spei acceptio.*

Secundò itaque sumitur Spes propriè pro expectatione futuri boni: Sic Cic. 2. Tuscul. quæstionum à timore eam distinguit, & libro 6. epist. fam. *Semper*, inquit, *magis adversos rerum eventus metuimus, quàm speramus secundos*: idemque confirmat D. Augustinus supra auctoritate Lucani, dum ait: *Liceat sperare timenti*; distinguit etiam Horatius dum canit: *Sperat infestis, metuit secundis alteram sortem*, &c.

III.

Subdividunt aliqui secundam hanc significationem, licèt meo judicio potiùs sint species diversæ veræ Spei, quàm variæ nominis significationes, cum propria significatio & ratio generica Spei illis verè conveniat; ut quando dicunt significare aliquando tendentiam in bonum possibile, quo modo ad appetitum sensitivum spectat, & est passio quædam, brutis etiam communis, de qua D. Thom. 1. 2. quæst. 25. art. 3. & quæst. 40. ubi Vasq. Val. d. 3. quæst. 1. part. 1. Salas, tract 9. disp. 3. sect. 5. Lorca d. 48. Azor, tom. 1. lib. 1. c. 23. q. 2. quam passionem moderatur magnanimitas, ut ait D. Thom. hîc, art. 5. ad 4. & infra q. 125. art. 2. ad 3. aliquando verò significat tendentiam in bonum intelligibile, & pertinet ad appetitum rationalem, voluntatem scilicet. Spei huic ac præcedenti conditiones assignat D. Thom. q. 40. quas etiam enumerat Aristoteles 2. Ethic. cap. 5. Quod scilicet sit de *bono, futuro, possibili, arduo.*

Aliæ Spei à quibusdam traditæ divisiones.

Quam Spem moderetur magnanimitas.

IV. *Declarantur quatuor conditiones objecti Spei, proximè assignata.*

Et quidem quoad tres priores, certæ omnino videntur: nam primò, quòd sit *de bono*, videtur manifestum, cùm Spes sit actus prosecutionis appetitus, quæ non est nisi de bono, saltem apprehenso, ut fuga de malo. Secundò quòd bonum etiam debeat esse *futurum*, id est à nobis necdum obtentum; constat, cùm de habito sit potius quies & gaudium; unde Aristoteles suprà dixit Spem generari ex imaginatione rerum salutarium, quæ propè sunt, & ideo dicitur Spes versari circa bonum absens, quod non ita intelligendem est ut absentia pertineat ad objectum Spei; absentia enim boni potiùs habet rationem mali & generat tristitiam, & ideo potius est objectum fugæ, quàm prosecutionis; sed est intelligendum quod cùm Spes necessariò sit circa bonum nondum obtentum, versari non possit circa bonum præsens, sed circa id quod est absens, id est, circa tale objectum cui absentia sit necessariò conjuncta. Tertia conditio (si tamen sit à priori distincta) quod debeat esse *possibile*, saltem in apprehensione, quia cognitâ impossibilitate boni cessat potiùs conatus obtinendi, & succedit desperatio.

Absentia rei non ingreditur objectum actus Spei.

V. *Quo pacto objectum Spei debeat esse arduum.*

Quarta conditio, addi solet, quod sit *arduum*, & in hoc differt Spes à desiderio, quòd illud non dicat difficultatem in bono concupito, nec conatum animi ad illam vincendam. Sed quamvis ut dicebam, priores conditiones necessariæ sint, & fortè se teneant ex parte objecti formalis talis actus, hæc tamen non adeo est certa: imo tria de ea in controversiam vocari solent; primum est, an & quomodo Spes à desiderio distinguatur; secundum, in quo sita sit hæc arduitas: tertium denique, an pertineat ad rationem objecti formalis, vel solùm ut conditio, sicut de absentiâ diximus, de quibus tamen commodiùs infra cum de objecto Spei, ut est virtus Theologica.

Tria circa hanc arduitatem inquirenda.

VI. *Dari hanc Spei virtutem est certissimum.*

Dari verò hanc Spem manifestiùs est, quàm ut probatione indigeat, ex innumeris Scripturæ locis, quibus hæc virtus nobis apprimè commendatur: sic ad Rom. 8. v. 25. *Si quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* primæ Petri c. 1. v. 3. *Regeneravit nos in spem vivam*, &c. & Concilium Moguntinum can. 2. *Spes*, inquit, *in Deum firmiter à cunctis Christianis retinenda est*: citátque illud Psalm. 61. vers. 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi*; idémque non paucis aliis Scripturæ locis habetur.

DISPUTATIO VIGESIMA NONA.

De objecto tum materiali, tum formali Spei.

EX re nullâ meliùs scientiarum natura innotescit, quàm ut quodnam eorum sit objectum, inquiramus; inde enim præcipuè scientiæ distinguuntur, & suam quæque haurit diversitatem. Vt ergo quænam hujus virtutis ab aliis, tum Theologicis, tum moralibus sit differentia dignoscamus, in ipso statim tractatus initio, illius objectum investigandum.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Spes versetur circa Deum, ut objectum immediatum, vel potius circa visionem Beatam.

I. *Docent aliqui, Deum non esse immediatum objectum Spei.*

PARTEM negativam, Quod nimirum Deus non sit immediatum Spei objectum tenent Gabriël 3. Dist. 36. quæst. unicâ, art. 3. dub. 7. & Durand. quæst. 3. num. 6. propter diversum tamen fundamentum, nam Gabriël putat cognitionem proponentem voluntati objectum sperandum & amandum, esse objectum formale & immediatum movens ad amorem: quod tamen circa finem in Philosophia est rejectum. Ubi ostendimus cognitionem solum esse conditionem applicantem voluntati fundamentum, seu objectum non verò esse objectum ipsum.

II. *Vult Durandus Spem immediatè respicere visionem beatam, Deum verò mediatè.*

Fundamentum autem Durandi est, quia putat visionem ipsam esse objectum immediatum, Deum verò qui per eam videtur, mediatum, & quasi consecutivum, licèt principale: Cùm enim, inquit, visio beata immediatè versetur circa Deum, Spes quæ visionem respicit immediatè, Deum etiam mediatè & quasi consecutivè respicit, tanquam principale tamen objectum, & finem ultimatum. Ratio ejus est primò quia cum visionem immediatè respiciat, non potest ipsam & Deum æquè proximè, & sine ordine respicere; sed ita ut visionem per se respiciat, Deum autem ut objectum ejus, ergo proximè visionem, remotè verò & consequenter Deum. Confirmatur, quia prosecutio Spei pertinet ad amorem concupiscentiæ, quo amamus nobis immediatè aliquod bonum, sed hoc non potest esse Deus; ergo sola visio: Minor probatur, quia talis amor non est honestus, sed turpis; Deus enim, cum ultimus sit finis, non potest ad aliud ordinari, & cùm per se sit amandus, non potest propter aliud ordinatè amari, in amoro autem concupiscentiæ bonum concupitum ad nos ordinamus, & non propter se amatur, sed propter eum cui amatur; ergo, &c.

Addit idem Durandus, Deum non posse esse objectum immediatum Spei, quia est amor concupiscentiæ.

III. *Sola visio, inquit, præsens delectat immediatè, ergo sola speratur absens immediatè.*

Secundò hoc probat Durandus: quia idem est objectum Spei & gaudii, nam id quod absens speramus, possessum delectat, sicut è contra objectum tristitiæ damnatorum est malum pœnæ præsentis, & absens erat objectum timoris, sed eodem modo hoc est immediatè sola visio creata Dei, ergo: Minor probatur, tum quia non delectamur de bono à nobis distincto, nisi ratione boni formaliter inhærentis, & illud nobis quasi conjungentis, ut frigidus delectatur de igne propter calorem sibi ab eo inhærentem, cibus delectat propter actionem gustandi; nec enim aliter bonum illud fit proprium: Quid enim medicina, licèt pretiosa ægroto prodest, nisi mediâ sumptione illi conjungatur, & producat sanitatem: sic in præsenti delectat Deus & fit bonum proprium immediatè per visionem inhærentem, mediâ qua delectat; ergo Deus secundùm se non est objectum Spei, sicut nec delectationis, quod debet esse bonum sperantis, sed mediâ visione, & consequenter illa sola erit immediatum objectum, quia eo ordine aliquid est objectum amoris concupiscentiæ, quo est bonum illi cui concupiscitur.

Non delectamur de bono à nobis distincto, nisi ut nobis inhærente.

IV. *Aliud Durandi argumentum ductum ab objecto timoris.*

Confirmatur: quia objectum timoris est illud malum, quod Deus potest nobis infligere, non verò ipse Deus qui illud infligit; ergo cùm Spes contraria sit timori, objectum ejus erit bonum, quo Deus nos potest afficere, & non ipse Deus qui afficit. Dices disparitas est, quia Deus non est malus in se, ut timeatur, sed solùm ratione effectus, quem potest producere, est tamen secundùm se bonus, ut speretur. Contra: licet namque in se sit bonus, non tamen nobis, nisi ratione præmii, & visionis conjungentis, ut modò dicebatur,

dicebatur, cùm nihil extrinsecum sit alteri bonum, nisi ratione alicujus intrinseci.

V. *Ait ulteriùs Deum in se non posse esse objectum Spei, quia non est objectum futurum.*

Tertia Durandi ratio est, quia Deus secundùm se non potest esse objectum immediatum Spei, ergo sola visio erit: antecedens probatur, quia Deus ut sic non est bonum futurum nobis, sicut debet esse objectum Spei, neque alio modo est obtinendus, nisi mediâ visione; ergo ipsa semper mediat inter Deum & Spem. Confirmatur: Quia desperatio non habet Deum secundùm se pro objecto immediato, sed visionem Dei, nemo enim desperat Deum, sed ejus consecutionem; ergo similiter Spes non habet pro objecto immediato Deum secundùm se, sed visionem: Spes enim & desperatio, cùm motus sint contrarii, versantur circa idem objectum. Hinc Paulus ad Rom. 5. *Gloriamur*, inquit, *in spe gloriæ*. ad Tit. etiam c. 1. & alibi, objectum Spei dicit esse *vitam æternam*, quæ est visio beata. Deinde D. Thomas art. 2. beatitudinem, quam docet esse objectum Spei, appellat effectum divinæ virtutis adjuvantis, quod tamen dici nequit de Deo secundùm se. Item art. 1. ait objectum Spei esse futurum, & arduum, Deo tamen, ut dictum est, secundùm se non convenit esse futurum vel arduum, sed solùm ratione visionis.

Deus etiam secundùm se non est objectum arduum.

VI. *Secunda sententia affirmat solum Deum esse objectum immediatum Spei.*

Secunda sententia huic opposita asserit objectum proximum & immediatum Spei, & ut *quod* esse solum Deum, ita ut visio nullo modo sit objectum quod speramus, sed tantùm conditio requisita ex parte Dei, ut tanquam objectum terminet actum Spei: ita nonnulli, qui hoc modo explicant objectum dilectionis in patriâ, & desiderii in viâ, Palud. in 4. d. 49. quæst. 4. a. 2. Gregorius in 1. d. 1. quæst. 3. Major quæst. 5. d. 1. Caietanus art. 2. & latiùs 5. §. *In eodem articulo*; non enim putant aliter salvari, quo modo Deus sit immediatum objectum, sed solùm mediante visione, & consequenter inquiunt Spes non erit virtus Theologica.

VII. *Probatur dicta sententia primò auctoritate S. Thomæ.*

Probatur primò auctoritate Divi Thomæ, qui art. 2. ut probet beatitudinem æternam esse proprium & principale objectum Spei, hac utitur ratione: Deus est, in quem, sive à quo speramus, ergo objectum nostræ Spei debet esse proportionatum Deo, & consequenter infinitum, si autem hæc ratio sit efficax, sequitur solum Deum & beatitudinem objectivam, non autem formalem seu visionem esse hoc objectum, quia visio Dei est aliquid creatum, & consequenter finitum.

VIII. *Secunda ratio est quia solus Deus, & non visio, est ultimus finis noster.*

Secundò probatur, quia solus Deus, non visio habet rationem ultimi finis nostri, ergo etiam solus Deus est obiectum immediatum Spei nostræ, consequentia patet, Spes siquidem primariò respicit finem ultimum, omnes autem concedunt beatitudinem nostram esse primarium objectum Spei, sed hoc non habet nisi in quantum est ultimus finis noster, ergo: antecedens probatur, tum quia solus Deus & non visio habet rationem causæ primæ efficientis, ergo & ultimi finis, tum etiam quia visio ordinatur ad Deum ut ad finem, ergo ratio ultimi finis non convenit ei, sed soli Deo. Confirmatur: nam solus Deus secundùm se, id est ratione suæ bonitatis intrinsecæ, & non ratione visionis est summum bonum nostrum, ergo etiam est objectum immediatum amoris concupiscentiæ, ad quem pertinet Spes, atque adeo ipsius actus Spei: Antecedens probatur, tota namque ratio, ob quam visio est nobis bona, est quia est consecutio summi boni nostri; & ita si Deus ratione suæ bonitatis non esset bonum nostrum, nec visio ut ejus consecutio esset nobis bona. Quod ulteriùs declaratur, nam ratio propter quam actus gustandi cibum est nobis bonus, est quia ipse cibus secundùm se est nobis bonus factâ applicatione per actum, & si cibus non esset nobis bonus, nec actio gustandi esset, imo foret mala si cibus esset malus. Tandem Deus Abrahæ dixit: *Ego sum merces tua magna nimis.*

Variis modis ostendere conantur aliqui solum Deum, & nullo modo visionem esse objectum immediatum Spei.

Tertiò probatur hæc sententia: delectatio siquidem quæ sequitur ex visione beatificâ habet Deum secundùm se pro objecto immediato, & non ipsam visionem, ergo & Spes: consequentia ex supra dictis patet, antecedens verò probatur, nam per visionem beatificam solus Deus cognoscitur ut objectum *quod*, & non ipsa visio, saltem necessariò; ad beatitudinem namque non est necessarium videri aliquid aliud ut objectum *quod*; si enim mente concipiamus aliquem videre Deum solum, ita ut non videat se videre, ille foret beatus essentialiter, haberétque delectationem beatificam, & tamen non delectaretur de visione, cùm enim sit actus appetitus non potest versari circa rem ullam ut circa objectum, nisi illa supponatur cognita, ergo solus Deus, & non visio est objectum immediatum illius delectationis, quæ præcisè sequitur ex visione beatificâ, patet consequentia, quia nihil potest esse objectum *quod* delectationis, quæ sequitur ex aliqua cognitione, nisi id quod est objectum, *quod*, ejusdem cognitionis, voluntas etenim quæ est principium talis delectationis, non potest ferri, vel hoc vel alio quocumque actu, nisi in objectum cognitum.

IX. *Tertium hujus sententia argumentum ducitur ex delectatione secutâ ad visionem.*

Nihil movere voluntatem potest, nisi quod cognoscitur.

Dices, potest visio cognosci ut objectum *quod* aliâ cognitione reflexâ. Contra, talis cognitio reflexa non est necessaria ut quis sit verè beatus, neque delectatio, quæ habetur de visione cognoscitur, ad illam enim sequitur, sed si cognoscatur, per aliam cognosci necessariò debet. Deinde quando quis delectatur de re aliquâ creatâ, quam cogitat, hæc delectatio nullo modo habet pro objecto *quod*, delectationem ipsam, nec cogitationem, sed solùm rem cogitatam, vel præsentem in cogitatione, ergo similiter delectatio de Deo viso nullo modo habet ut objectum *quod* visionem, sed solùm Deum. Brutum etiam delectatur de colore viso, quia habet pro objecto colorem visum, & nullo modo ipsam visionem, ergo similiter beatus, qui delectatur de Deo, habet pro objecto Deum tantùm, & non visionem.

X. *Quid si visio, quamvis non directè, reflexè tamen cognoscatur per aliam cognitionem.*

SECTIO SECUNDA.

Resolvitur quæstio circa immediatum objectum Spei.

I. *Duo hic notandi sunt fines. cui scilicet & cujus gratiâ.*

SUPPONENDUM ex alibi dictis, respectu amoris concupiscentiæ duos distingui solere fines, quorum alter dicitur, *cujus gratia*, & est bonum concupitum, alter finis *cui*, estque persona cui res aliqua concupiscitur. Rursus finis *cujus gratia* subdividitur in finem *qui*, estque ipsum bonum concupitum, ut est pecunia, & in finem *quo*, qui est adeptio, ratione cujus, finis, *qui* conjungitur nobis, & fit bonum nostrum, ut est possessio pecuniæ; appellaturque finis *quo*

non

Tom. II.

non respectu affectus concupiscentiæ, quasi non sit per eum volitus, ut *quod*, sed respectu finis *qui* quia est id quo possidetur, & conjungitur.

II. *Finis qui & quo unus finem totalem constituunt.*

Relicto ergo primo fine *cui*, quia ad hanc difficultatem non pertinet, reliqui duo non comparantur inter se ut duo fines integri, neque ut duo objecta, aut bona totalia, sed ut constituentes unum integrum finem, unum objectum & bonum totale, ut patet in exemplo posito, nam nec pecunia sine possessione, nec possessio sine pecuniâ est nobis bona, atque adeo neutra sine altera habet rationem finis aut objecti *quod*, respectu affectus concupiscentiæ.

III. *Visio inter Spem & Deum non est objectum quod, sed quo.*

Hinc fit visionem non esse mediam inter Spem nostram & Deum, ut integrum objectum *quod*, sed ut possessionem & adeptionem objecti, & ideo non tollit quin Deus etiam sit objectum immediatum, ad hoc namque oporteret eam esse mediam, ut objectum integrum: unde cùm Deus & visio non distinguantur inter se ut duo objecta totalia respectu Spei, habere inter se nequeunt ordinem in ratione objecti proximi & remoti, quia hujusmodi ordo supponit distinctionem.

IV. *Objectum creatum & increatum possùt unum finem constituere.*

Dices: Deus est bonum increatum, visio quid creatum, ergo non possunt constituere unum bonum, aut objectum. Respondetur negando consequentiam, non enim constituunt hoc bonum eadem ratione, sed Deus ut ipsum bonum quod principaliter concupiscitur, visio autem ut ejus possessio & adeptio, qui actus noster esse debet, & quid creatum.

V. *Deus ut objectum immediatum reddit nos beatos.*

Prima conclusio: Deus ut beatitudo objectiva, & quæ tanquam objectum reddit nos beatos, est objectum immediatum Spei Theologicæ: ita Doctores communiter in 3. d. 26. ubi Scotus quæst. 1. S. Bonaventura quæst. 2. & 3. Carthusi. quæst. 1. & 1. d. 1. quæst. 4. qui sententiam Durandi irrationalem vocat, & contrariam communi Doctorum. Med. 1. 2. quæst. 11. art. 3. ad 4. Caietanus hîc, art. 5. Valentia punct. 1. Suarez & Vasquez infra citandi, & colligitur ex illo Genesis 15. vers. 2. *Ego merces tua magna nimis*; cùm enim Spes versetur circa mercedem & præmium, benè sequitur Deum, qui secundùm se est præmium nostrum, esse objectum Spei. Unde Sanctus Augustinus 12. de Civitate, capite ultimo, ait: *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit ei, cui seipsum, quo melius & majus nihil posit esse, promisit.* Item ad Hebræos 6. vers. 19. *Habemus Spem incedentem usque ad interiora velaminis*, id est usque ad ipsum Deum, qui est nostra beatitudo objectiva, & nunc explicata est: juxta illud: *Ut Spes vestra esset in Deo*, vel in Deum, ut habet alia lectio 1. Petri 1. vers. 21.

Ego ero merces tua magna nimis.

Qui dedit virtutem, erit præmium virtutis.

VI. *Spes est virtus Theologica, sicut objectum ejus immediatum est Deus.*

Probatur conclusio primò ex iis quæ infra dicentur, Spem scilicet esse virtutem Theologicam, talis enim esse non potest, nisi immediatum illius objectum sit Deus, nam mediatè versari circa Deum ad hoc non sufficit, alioquin si quis amaret visionem beatam propter ejus pulchritudinem, diceretur habere virtutem Charitatis, cùm mediatè versetur circa Deum, & religio esset virtus Theologica, quia licèt objectum immediatum sit cultus Dei, mediatum tamen est ipse Deus, & qui desideraret habere actum Fidei, eliceret desiderium Theologicum, mediatè siquidem tenderet in Deum, qui est immediatum objectum Fidei, quæ tamen omnia falsa sunt, & contra communem Doctorum sententiam. Confirmatur: Nostra siquidem beatitudo objectiva, & finis ultimus *qui*, non potest consistere in aliquo creato, ut concedunt omnes, ergo objectum gaudii beatifici non potest esse sola visio, atque adeo neque etiam Spei, quæ circa eandem beatitudinem versatur.

Varie ostenditur objectum immediatum Spei, ut est Virtus Theologica, debere esse Deum.

Secunda conclusio: Etiam beatitudo formalis, seu actus ipse creatus videndi, qui nos reddit formaliter beatos, pertinet ad objectum formale *quod* Spei, idque immediatè, cùm non præsupponat aliquid, quod priùs terminet Spem, ita Capreolus in 3. d. 26. quæst. 2. art. 3. ad argumenta Durandi: contra secundam conclusionem, Valentia Disp. 11. quæst. 1. punct. 1. §. *Nos verò*, & Vasquez 1. 2. d. 15. cap. 3. & 4. ubi licèt præcipuè loquatur de objecto delectationis in patriâ, idem tamen supponit dicendum de objecto Spei.

VII. *Visio etiam spectat ad objectum formale immediatum Spei.*

Probatur primò auctoritate Divi Thomæ, qui art. 2. supponit Spem attingere Deum innitendo ejus auxilio ad consequendum bonum speratum: ex quo sic arguo: Bonum ad quod consequendum datur hoc auxilium, non est solus Deus, sed etiam visio beatifica, & actio qua illud adipiscimur, ergo objectum Spei non est solus Deus, sed simul cum visione; patet consequentia, quia bonum obtinendum appellat D. Thomas bonum speratum, id est objectum, quod speramus: Antecedens probatur, auxilium quippe hoc non datur immediatè ad ipsam formalem adeptionem, quæ est visio, sed ad opera, quæ in viâ ex dispositione Dei ad consequendum terminum requiruntur, terminus autem ad quem via nostra ordinatur, non est Deus ut sic, sed ut à nobis adipiscendus, quam rationem formaliter ingreditur ipsa adeptio, seu visio, ergo.

VIII. *Auctoritate D. Thomæ ostenditur Visionem esse objectum immediatum Spei Theologicæ.*

Probatur conclusio secundò; objectum namque divinæ promissionis non est solus Deus, sed etiam visio beatifica, ergo & objectum Spei, id enim speramus quod Deus promisit: Antecedens probatur, id etenim quod Deus promisit, est totum hoc, *futuros nos esse beatos*, ergo promisit visionem beatificam, à qua tanquam à formâ habent beati formaliter, quòd sint tales. Confirmatur: Totum id respondet nostris meritis tanquam præmium, ergo & Spei tanquam objectum *quod*, patet antecedens, id enim quod alicui in patriâ, in præmium suorum meritorum confertur, est quòd sit formaliter beatus, hoc autem habet formaliter per visionem, ergo.

IX. *Objectum Spei idem est, quod est objectum divinæ promissionis.*

Per visionem habent beati formaliter quòd sint tales.

Tertiò probatur, si enim aliqua ratio faveret oppositæ sententiæ, maximè ea quam assignat Caietanus loquens de delectatione, nempe Deum esse finem ultimum, & visionem solùm se habere ut causalitatem finis, quæ dicitur finalizatio, vel tanquam conditionem sine qua non: sed neutrum horum convenit visioni, ergo: Minor probatur, nam in primis visio non est finalizatio Dei, quia non intelligitur ut procedens ab eo secundùm quod habet rationem finis, ut intelligitur omnis causalitas respectu suæ causæ, sed terminatur ad Deum ut possessio & adeptio ipsius. Deinde neque est conditio sine qua non requisita ex parte objecti, Dei scilicet, ut sit bonum nostrum, cùm hoc modo sit potiùs objectum *quod*, tum quia esse bonum nostrum est de ratione formali objecti Spei, tum quia per visionem dicitur Deus fieri bonum nostrum tanquam per possessionem ejus, possessio autem seu adeptio boni concupiti ut statim dicam, est objectum *quod* affectus concupiscentiæ.

X. *Quòd Deus sit finis ultimus, non obstat quo minus illum etiam suo modo ingrediatur visio.*

Visio ad Deum terminatur ut ejus adeptio & possessio.

Ultimò probatur: Objectum *quod* amoris concupiscentiæ, non solùm est bonum principaliter concupitum, sed etiam adeptio ejus, seu possessio, tùm in gene-

XI. *Ex amore concupiscentiæ*

ergo

re, arguitur ad actum Spei.

ergo objectum Spei non solùm est Deus, sed etiam visio, Spes quippe pertinet ad amorem concupiscentiæ, & visio est realis adeptio & possessio Dei. Antecedens probatur, tum quia adeptio conducit ad consequendum bonum concupitum, non minùs, imo magis quàm medium ad consequendum finem, ergo habet rationem boni respectu concupiscentis, saltem sicut medium, licèt non sit medium quod ordinatur ad adeptionem, cùm sit ipsa adeptio.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur argumenta circa immediatum objectum Spei.

I. *Inter finem qui & quo nulla intercedit prioritas.*

AD primum argumentum Durandi: Jam constat ex nostrâ suppositione initio Sectionis præcedentis positâ, non esse inter illa duo ullam prioritatem, sed utrumque, Deum scilicet & visionem conflare unum objectum, & finem integrum.

II. *Amari nequit Deus propter nos ut propter ultimum finem.*

Ad confirmationem: Respondeo primò ex Valentia hic, parte 1. ad 1. Durandi, negando minorem; licèt enim Deus non possit amari amore concupiscentiæ propter nos, ut propter ultimum finem, potest tamen amari à nobis ita ut ipse sit ultimus finis, quem nobis appetimus, ut nos perficiat, & hoc modo talis amor non est inordinatus, quia per illum non referimus Deum ad nosipsos tanquam ad ultimum finem, sed potiùs volumus & speramus eum, qui est ultimus finis noster, ut nos perficiat. Pro cujus explicatione advertunt benè aliqui, omne bonum, etiamsi sit summum, & finis ultimus esse alicui bonum, ideóque ordinari potest ad aliud ut ad finem *cui*. quia est ejus bonum ejúsque perfectivum, non tamen potest ordinari ad aliud ut ad finem *cujus gratia*, quia id quod ordinatur ad aliud ut ad finem *cujus gratia*, est medium respectu illius, & ita esset perversio ordinare Deum, qui est ultimus finis omnium, ad aliquid aliud, ut ad finem *cujus gratia*, quia sequeretur ultimum finem fieri medium respectu alterius. Hæc verò ratio non habet locum in Deo, cùm ordinatur ad aliud, ut ad finem *cui*, quia, ut optimè notavit Scotus in 3. d. 26. quæst. unicâ, §. *Adquæstionem igitur.* non ordinatur ad talem finem, ut ad summum bonum, vel perfectionem suam, sed potiùs ad perficiendum ipsum, sicut aliqui dicunt substantiam ordinari ad accidens, ad ipsum scilicet sustentandum. Hinc non habet Deus rationem medii respectu nostri, sed potiùs ultimi finis, quia est volitus à creatura, ut ultimus finis, & summum illius bonum. Pro quo etiam videri possunt quæ dici solent 3. parte, quæst. 1. art. 3. ad explicandum quo pacto sit intelligendum Verbi Incarnationem fuisse ordinatam ad nostram salutem ut ad finem.

Omne bonum, quodcunque demum illud sit, est alicui bonum.

Deum appetimus ut aliquid à quo perficimur.

Deus est summum nostrum bonum, & finis ultimus.

III. *De bono à nobis distincto non delectamur nisi ratione alicujus illud nobis conjungentis.*

Ad secundum nego minorem: ad probationem concedo debere esse aliquid, quòd vel sit actio, vel habeat modum actionis conjungentis, quod dico propter pecuniam, vel agrum exempli gratia, quæ nobis conjunguntur ratione possessionis, quæ non est propriè actio, imo nec quid realiter inhærens, sed vel denominatio extrinseca, vel quid morale conveniens nobis secundùm moralem existimationem, ut in honore, qui est in honorante, & in famâ, quæ est in extrinseco subjecto, & sit præsens per relationem ad eum, ad quem pertinet. Debet ergo esse possessio vel moralis, vel per actum vitalem, vel aliquid aliud quod sit sufficiens conjunctio, attentâ naturâ boni concupiti Nego tamen talem actionem seu possessionem solam habere rationem immediati objecti, ratio est, quam supra assignavimus, quia scilicet actio, qua nobis conjungitur bonum, & qua fit bonum nostrum, comparatur cum tali bono ut finis *quo*, cum fine *qui*, & constituit cum eo unum finem totalem & integrum, ideóque licèt videatur intercedere, inter nos & illud bonum, re tamen verâ non intercedit, nec impedit quo minùs illud bonum sit immediatum objectum amoris concupiscentiæ, & Spei.

Bonum aliquod variis modis potest nobis conjungi.

Res & ejus possessio unà integrum finem constituunt.

Ad confirmationem de timore & tristitiâ damnatorum respondeo, sicut objectum totale delectationis beatorum, ut statim dicam, est Deus visus, ita ut delectatio immediatè attingat & Deum & visionem, sic etiam objectum totale tristitiæ damnatorum est Deus non visus, seu privatio hujus summi boni, quod est Deus visus, ita ut tristitia immediatè attingat Deum, ut subest privationi visionis. IV. *Quidnam sit objectum totale tristitia damnatorum.*

Neque contra hoc habet vim quod objici posset, Deum scilicet secundùm se non esse nobis malum, & consequenter nec immediatum objectum tristitiæ, licèt namque Deus præcisè sumptus secundùm se non possit intelligi ut malus nobis, hoc tamen objectum, nempe Deus non visus, malum est damnatis, & præcipuum malum, scilicet damni, quod est carentia boni, quo ob suam culpam privantur. Timor etiam in viâ pro objecto immediato hoc totum habet, scilicet Deum non visum, & differt à tristitiâ, quia tristitia respicit privationem ut præsentem, timor verò ut futuram, in quo similitudinem habet cum Spe. V. *Hoc objectum, nempe Deus non visus, est malum damnatis.*

Quomodo timor differat à tristitiâ.

Ad tertium respondeo non esse opus, ut objectum Spei sit futurum secundùm suam entitatem: aurum enim, quod ab Indiis speratur advehendum, jam præexistit; sufficit ergo quòd sit futurum secundùm possessionem, & sic Deus est objectum Spei, in quantum scilicet est bonum per visionem possidendum; ex quo non sequitur quòd visio sola sit objectum Spei, sed Deus per visionem possidendus, sicut nec sola possessio auri est objectum Spei humanæ, sed aurum possidendum, licèt ipsa visio & possessio sperentur tanquam id quo finis est possidendus. VI. *Non requiritur ut bonum speratum sit futurum secundùm suam entitatem.*

Ad confirmationem dico, desperationem habere pro objecto totum hoc, *Deum non fore obtinendum per visionem*, ita ut feratur etiam ad ipsum Deum. Ad loca illic citata respondeo, intelligenda esse de objecto Spei, & fine ut est res, non secludendo tamen finem ut adeptionem, quæ est visio. VII. *Quidnam sit objectum desperationis.*

Ad argumenta secundæ sententiæ, & primò ad id quod ex Divo Thoma adducebatur, dico ad efficacitatem illius rationis sufficere, quòd Deus, qui est infinitus pertineat intrinsecè ad objectum Spei immediatum, quod etiam sufficit ut sit virtus Theologica. VIII. *Deus intrinsecè spectat ad objectum immediatum Spei.*

Ad secundum nego antecedens quoad finem nostrum integrum, respectu amoris concupiscentiæ; utraque autem probatio solùm convincit Deum secundùm se esse finem ultimum *qui*, sive *ut rem*, non autem convincit de fine ultimo ut est adeptio, quod satis ex probatione nostræ conclusionis constare potest. Ad confirmationem IX. *Non solus Deus, sed etiam visio ingreditur finem nostrum ultimum.*

nego

Tom. II.

Deus visus est summum bonum nostrum.

nego etiam antecedens, quia licèt Deus ratione suæ bonitatis intrinsecæ sit in se summè bonus, non tamen est bonum nostrum ut actu conveniens nobis, nisi actu nobis conjungatur, quòd in patriâ fit per visionem. Ad probationem concedo ideo visionem esse nobis bonam, quia per eam ut adeptionem fit, ut Deus, qui in se summè est bonus, sit bonum nostrum, id est actu nobis conveniens: & idem proportionaliter est dicendum in exemplo de cibo & actu gustandi ibi adducto: itaque cùm dicimus Deum per visionem esse bonum nostrum, non significamus ei addi aliquam bonitatem, in ordine ad nos, sed solùm addi hoc quod est esse actu bonum nostrum, vel nobis conveniens. Cùm autem Deus Abrahæ dixit se futurum ejus mercedem, aut sensus est, ego tibi mercedem accumulatissimam referam, unde Abraham respondit: *Domine Deus quid dabis mihi:* vel sensus esse potest formalis, & tunc in illâ promissione adeptio & possessio ejusdem boni includitur, sicut si mercenario fieret promissio de pretio pro suo labore, includeretur possessio ejusdem pretii.

Illorum verborum, Ego sum merces tua magna nimis, duplex esse potest sensus.

X. *Delectatio orta ex visione beatificâ, non Deum solùm, sed etiam visionem habet pro objecto.*

Ad tertium nego antecedens quoad delectationem de objecto adæquato. Ad primum medium in contrarium Respondeo, ipsam etiam visionem cognosci, sive quia actus potentiæ immaterialis virtute reflectit supra se, & quando directè tendit in objectum, virtuali reflexione tendit in seipsum, ita ut visio in beatis duplex munus præstet respectu delectationis scilicet & objecti *quod*, in quantum est adeptio Dei, & conditionis sine qua non, in quantum est cognitio suiipsius, sive quia cognoscitur per aliam cognitionem expresè reflexam, quæ æquè inseparabiliter sequitur ad visionem ac ipsa delectatio, & sicut non potest voluntas beati intellectum avertere à cognitione Dei, ita neque à cognitione suæ visionis, cùm in hujusmodi suspensione non reperiatur ratio boni, saltem juxta potentiam ordinariam. Neque delectatio quæ habetur de visione ita cognitâ est distincta ab ea quæ consequitur ad visionem ut est adeptio Dei, quamvis verum sit delectationem hanc distingui ab aliâ delectatione, quæ habetur de bonis Dei ut sunt bona ipsius, quæ pertinet ad amorem amicitiæ, & ad quam visio non concurrit ut adeptio & ex consequenti neque ut objectum *quod*, sed solùm ut conditio sine qua non.

Datur cognitio vel formaliter vel virtualiter reflectens supra visionem.

Duplex distingui debet delectatio de Deo.

XI. *Bruto per visionem conjungitur color, quando de illo delectatur.*

Ad exemplum de bruto, nego antecedens, color siquidem eo casu conjungitur bruto per visionem tanquam per adeptionem, & ideo necesse est visionem esse objectum *quod* suæ delectationis, & ad hoc satis est visionem cognosci ab eo sensu interno, ad quem pertinet cognoscere operationes sensuum externorum, quod tribui à Philosophis solet sensui communi.

SECTIO QUARTA.

Quæ sit ratio formalis, sub qua Spes ut distincta ab aliis virtutibus suum objectum respicit.

I. *Dicunt aliqui Deum sub ratione ardui esse objectum formale Spei.*

PRIMUS dicendi modus est objectum proprium Spei ultimò constitutivum cum suâ ratione formali *sub qua*, esse quidem Deum visum, non sub ratione boni, sed sub ratione ardui, excellentis, & glorioſi: ita Divus Bonaventura in 3. d. 26. art. 7. quæst. 4. Durandus ibidem quæst. 3. num. 6. quoad rationem sub qua, & Richardus art. 4. quæst. 1. quamvis dicat arduitatem non consistere in difficultate quoad adeptionem, sed in excellentiâ bonitatis.

II. *Ratio cur affirment nonnulli ita fundi Spem ad superandam difficultatem.*

Ratio, quam suæ opinionis reddunt hi auctores, est: ad hoc namque infunditur nobis Spes, ut per illam mens erigatur ad superandam arduitatem, quæ reperitur in consecutione finis, quem intendimus. Confirmatur, nam hac conditione additâ bono ut differentiâ essentiali limitante, intelligitur sufficienter constitutivum proprium Spei, ergo &c.

III. *Volunt alii Deum sub conceptu misericordiæ constituere objectum formale Spei.*

Secunda sententia est, Deum sub ratione misericordiæ, liberalitatis & potentiæ esse objectum Spei. Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi ait peccatores convertendo se ad divinam misericordiam, in Spem erigi, ergo motivum formale sperandi est divina misericordia. Hinc sæpè in Scripturâ Spes nostra tribuitur promissionibus Dei: Psalm. 118. *Respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis*, & rursus: *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi Spem dedisti.* Divus Thomas etiam quæstione unicâ de Spe, quæ est 7. de spirit. creaturis art. 1. ait: *Sicut formale objectum Fidei, est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentimur iis, quæ creduntur, quæ sunt materiale objectum Fidei; ita etiam formale objectum Spei est objectum divinæ potestatis* (intellige saltem præsuppositivè, ut infra) *propter quod tendit motus Spei in bona sperata, quæ sunt objectum materiale Spei.*

Probatur ex Concilio Tridentino.

Dictum quoddam S. Thomæ.

Probatur secundò: quantumcunque enim quis sit potens conferre bonum, si non sit liberalis, & misericors, non poterit res illa ab eo sperari, quia non necessariò facit omne quod potest, sed quæ liberè statuit, vel promisit, & è contra licèt sit liberalis, si non sit potens conferre, non poterit ab illo aliquid sperari, ergo Deum esse liberalem & potentem ad conferendum id quod speratur, est objectum Spei, quod ex utroque coalescit, sicut in materiâ de Fide dixi veracitatem ex scientiâ & bonitate consistere: non est autem potens Deus hujusmodi bona conferre, nisi prout est omnipotens, ergo.

IV. *Potentia sine liberalitate, & liberalitas sine potentia parum prosunt.*

Tertia sententia est aliorum, qui aiunt Deum sub ratione justi & fidelis esse objectum formale Spei. Fundamentum est, quia collatio beatitudinis est corona Justitiæ, & præmium laborum, quod promisit Deus, qui non mentitur, ergo motivum sperandi beatitudinem est Justitia, quâ Deus unicuique dat secundùm merita, & fidelitas, per quam promissa complet.

V. *Asserunt nonnulli Deum ut justum & fidelem esse objectum formale Spei.*

Quarta sententia eorum est, qui putant hoc objectum esse Deum ut summum bonum nostrum, amabile amore concupiscentiæ, & quasi in amantis commodum: ita Scotus in 3. d. 26. quæst. unicâ, §. *Ad quæstionem vero*, ubi propterea docet ex Divo Anselmo de casu Diabo. c. 4. actum Spei esse desiderium voluntatis prout habet affectum commodi, id est prout respicit Deum non ut est bonus in se, sed ut bonum est, & quasi commodum nostrum. Idem docet Gab. quæst. unicâ, art. 1. §. *Pro quo nota*: & art. 2. in probatione 2. & 3. conclusionis, Major 3. d. 23. quæst. 1. Almai. in principio moral. tractatu 2. cap 7. Medina 1. 2. quæst. 62. artic. 3. Suarez 3. parte, tom. 1. quæst. 7. in com. art. 4. ante disput. 19. & docti quidam recentiores. Imo Divus Thomas art. 6. ubi in hoc distinguit Spem à Charitate,

VI. *Dicunt alii Deum ut summum bonum nostrum constituere hoc objectum.*

Differentia inter Spem & Charitatem à Divo Thoma assignata.

à Charitate, quòd Charitas unit hominem Deo, Spes verò facit tendere in Deum ut est quoddam bonum possidendum à nobis.

VII. *Ratio formalis Spei esse debet bonum aliquod alliciens voluntatem.*

Ratio hujus opinionis est primò, quia objectum Spei esse debet aliquod bonum, à quo alliciatur voluntas ad superandam difficultatem, quæ in illius consecutione reperitur, & consequenter versari non potest circa arduitatem vel difficultatem in obtinendo, ita ut ea sit ratio formalis, cùm hoc potiùs habeat rationem mali, & consequenter non potest esse primum motivum movens voluntatem ad superandum difficultatem, sed potiùs deterret, unde propter talem difficultatem potest voluntas illud bonum respuere; debet ergo esse aliquod bonum alliciens & non creatum, eo quod Spes virtus sit Theologica, ergo increatum, & Deus, Deus autem non potest esse objectum Spei, ut bonum in se, quia sic est bonum specificans Charitatem, ergo ut est bonum nobis: patet consequentia, Spes siquidem & Charitas sunt duæ virtutes distinctæ, & consequenter cùm utraque Deum respiciat, assignanda est aliqua inter eas distinctio ex parte objecti formalis, quæ non potest esse alia, nisi illa duplex ratio bonitatis in Deo, ergo.

Bonum alliciens quod constituit objectum Spei Theologica, non potest esse creatum.

VIII. *Tandem dicunt alii, Deum, non peculiari ratione, sed prout ab omnibus perfectionibus abstrahit, esse objectū formale Spei.*

Quinta demum sententia est Vasquez 1. part. tom. 1. d. 84. cap. 1. & tom. 2. d. 235. cap. 4. & 1. 2. tom. 1. disp. 15. cap. 1. & præcipuè 3. part. tom. 1. d. 43. cap. 2. num. 6. & aliorum Recentiorum, qui licèt cum prædictis in eo conveniant quod objecta sperata vocent objecta materialia, rationem tamen formalem dicunt esse Deum, non secundùm misericordiam, liberalitatem, vel aliam specialem rationem, sed prout est is à quo beatitudinem supernaturalem speramus; sicut enim inquiunt, Charitas fertur in bonum divinum, & pulchritudinem, non quæ ex speciali aliquâ perfectione, sed quæ ex omnibus consurgit, ita Spes fertur in Deum, ut ab ipso speramus, non propter unam vel alteram rationem, sed prout à suis divinis perfectionibus habet ut ab ipso jure sperare possimus.

IX. *Cur nullam peculiarem Dei perfectionem pro objecto formali Spei statuendam existiment hi auctores.*

Ratio autem cur hi Auctores nullam specialem assignandam putant perfectionem, ea esse videtur, quia si aliqua specialis, liberalitas, exempli gratia, assignetur, eodem modo assignari posset fidelitas, vel justitia, vel misericordia, quæ non minùs sunt principia bonorum, quæ à Deo habemus, quàm liberalitas, ex quo fieret tot esse posse Spes, virtutes Theologicas essentialiter distinctas, quot possumus considerare in Deo perfectiones formaliter diversas, quæ sunt principia bonorum, quæ a Deo speramus, quælibet siquidem illarum sufficeret ad virtutem constituendam. Quam rationem satis convincere existimo trium priorum sententiarum falsitatem. Harum omnium opinionum fundamentis satisfiet infra, Sectione sextâ.

SECTIO QUINTA.

Declaratur in quo ratio formalis Spei Theologicæ consistat.

I. *Ratio sub qua objectum terminat actum Spei, est esse acquisibile à Deo.*

PRIMA Conclusio: Ratio formalis sub qua objectum immediatum terminat actum & habitum Spei, est esse acquisibile per vires acceptas ex auxilio Dei, & à Deo. Probatur primò auctoritate D. Thomæ, qui hîc, art. 1. dicit bonum quod speramus terminare actum Spei nostræ in quantum est possibile nobis per divinum auxilium; & art. 7. vitam æternam ait esse objectum Spei, ut ad eam possimus pervenire per divinum auxilium: quæstione etiam sequenti art. 2. asserit objectum principale Spei esse beatitudinem æternam, secundùm quod est possibilis haberi ex auxilio divino, id est à Deo; neque enim cum aliquibus existimo Deum solum ingredi rationem formalem, vel præcisè ut est dans beatitudinem, vel cum aliis præcisè ut præbet auxilia ad bona opera, quibus eam promeremur, sed ut ab eo beatitudinem quomodocumque, assequimur, & alia in ordine ad ipsam.

In quo juxta Doctorem Angelicum sita sit ratio formalis objecti Spei.

II. *Communis ratio sub qua convenit objecto prout est alliciens ad prosecutionem.*

Secundò probatur: Communis namque ratio *sub qua* respectu affectus prosecutionis in genere, consistit in appetibilitate quæ convenit objecto secundùm se quasi ad modum allicientis ad prosecutionem; ergo etiam specialis ratio *sub qua* respectu particularis affectus prosecutionis, scilicet Spei, sita est in speciali modo appetibilitatis, qui explicatur per esse acquisibile à Deo, & per divinum auxilium: patet consequentia, sicut enim ratio *sub qua* respectu prosecutionis in communi explicatur per ordinem ad prosecutionem in communi, & juxta ejus exigentiam, ita etiam ratio *sub qua* respectu particularis prosecutionis, scilicet Spei, explicari debet in ordine ad prosecutionem peculiarem, & juxta ejus exigentiam, cùm ergo affectus Spei versetur circa suum objectum ut possibile haberi per divinum auxilium, ut conclusione sequenti probabo, in eo constituenda erit ejus ratio *sub qua*, quòd objectum sit acquisibile per divinum auxiliuu.

Spes versatur circa suum objectum ut est possibile haberi per divinum auxilium.

III. *Declaratur in quo ratio formalis adæquata Spei Theologicæ consistat.*

Secunda conclusio: Deus ut conferens nobis beatitudinem, & auxilia ad eam requisita, seu beatitudo nostra ut à Deo obtinenda, & quæ ad eam prærequiruntur, est objectum adæquatum Spei quoad rationem objectivam, seu motivum formale, cui innititur Spes, sicque nec Vasquez adæquatam rationem objectivam assignavit in eo quod sit bonum à Deo obtinendum, neque rectè moderni aliqui, ut se illi opponant, asserunt solum bonum obtinendum pertinere ad primariam rationem objectivam, non autem causam efficientem, & media, per quæ obtineatur.

IV. *Ad Spem pertinet, ut quis Deo auxiliatori & datori innitens erigatur ad aliquid prosequendum.*

Veriùs itaque existimo, ad primariam rationem Spei tanquam proprium ipsius conceptum pertinere, ut animus propter Deum auxiliatorem & datorem ipsi innitens se erigat ad sperandum; sicut propter ipsum dicentem se erigit ad credendum ea, quæ alioquin non crederet. Unde in divinis literis sæpè dicitur Spem nostram niti Deo: sic Psalm. 90. *Quoniam tu es Domine Spes mea*, & alibi: *Spera in Deo*, id est, innitere illi ut auxiliatori, & datori boni quod speratur, hoc verò non materiale objectum, sed motivum formale denotat: nec se habet extrinsecè auxilium Dei, sed sicut veracitas in Fide.

V. *Probatur auctoritate Concilii Tridentini.*

Probatur hoc primò auctoritate Concilii Tridentini sess. 6. de Justificatione cap. 13. ubi dicitur: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam Spem collocare & reponere omnes debent*, &c. quo nihil clarius dici potuit ad significandum auxilium divinum, & Deum ut causam efficientem esse fundamentum cui Spes innititur.

VI. *In solâ Spe explicandâ mentionem faciūt Theologi causæ efficientis & mediorum.*

Secundò ostenditur ratione, & præcipuè quod hoc sit speciale in Spe, quia dum aliarum virtutum effectus & objecta explicant Theologi, non meminerunt causæ efficientis, vel mediorum, quibus assequantur homines bonum, quod intendunt,

Tom. II.

intendunt, nunquam tamen explicant rationem objectivam Spei, quin affirment eam duo respicere, bonum scilicet obtinendum, & Deum, à quo obtineatur, & æquè primò utrumque. Confirmatur primò: Deus quippe ut est principium auxiliorum, quibus possumus consequi beatitudinem, est motivum formale cui innititur aliqua virtus Theologica, & cùm hæc virtus non possit esse Fides, neque Charitas, utpote quæ distincta habent motiva, neque alia ab eis & à Spe, quia darentur quatuor virtutes Theologales, sequitur apertè eam esse Spem. Confirmatur secundò: Sperare siquidem beatitudinem aut quodcumque bonum à creaturâ, vel à Deo magnam causat diversitatem in actu voluntatis, ergo ad formalissimam rationem hujus Spei pertinet respicere bonum à Deo obtinendum.

Nulla virtus prater Spem hoc modo tendit in Deum.

Diversa est ratio sperandi beatitudinem à Deo & à creatura.

VII. *Ulteriùs ostenditur Deum ut causam efficientem esse motivum formale Spei.*

Probatur tertiò: Roganti quippe cur speramus beatitudinem supernaturalem, respondendum est quia Deus eam dat, & auxilia, quibus eam promereamur, ergo Deus ut causa efficiens est motivum formale cui Spes innititur: consequentia patet, eadem namque est ratio cui innititur Spes, & ratio propter quam speramus, sicque dicimus Deum ut revelantem mysteria credenda, esse rationem motivam cui innititur Fides, quia hoc assignatur ut ratio propter quam credimus, cùm ad similem interrogationem respondemus: idem est de medio demonstrativo respectu assensus scientifici. Antecedens probatur, tum quia secluså concessione horum auxiliorum, non possemus habere actum Spei circa beatitudinem supernaturalem, & eâ positâ possumus, ergo adæquata ratio habendi actum Spei est beatitudinis & horum auxiliorum concessio: tum quia juxta nullam ex aliis sententiis huic interrogationi congruè responderi potest.

Secluså concessione beatitudinis & mediorum, elicere non possumus actum Spei.

SECTIO SEXTA.

Solutio objectionum contra rationem formalem sub qua *Spei.*

I. *Quamvis ad Spem requiratur difficultas, hæc tamen non est objectum formale Spei.*

AD fundamentum primæ sententiæ constat ex dictis, licèt enim concedatur ad actum Spei requiri difficultatem, eo quod ubi non est difficultas, non est motus, quo erigatur animus ad eam superandam, ea tamen non potest esse ratio movens & alliciens, cùm potiùs voluntatem deterreat à consecutione objecti, ut ait D. Thomas 1. 2. quæst. 23. art. 2. his verbis: *Bonum autem arduum, sive difficile, habet rationem ut in ipsum tendatur, in quantum est bonum, & ut ab ipso recedatur, in quantum est arduum & difficile.* Et quisque in se experitur eò se magis à prosecutione retrahi, quò major est difficultas, nisi aliunde facilitetur, ut dicetur latiùs infra. Debet ergo esse aliqua ratio, qua objectum reddatur possibile, non obstante difficultate. Ad confirmationem; nego antecedens nisi accedat possibilitas per divinum auxilium.

Ad actum Spei requiritur aliquid quod voluntatem alliciat.

II. *Quamvis misericordia & alia perfectiones ibi recensita conferant ad Spem, non tamen*

Ad primam rationem secundæ sententiæ respondeo, Spem inniti misericordiæ divinæ tanquam medio præsuppositio conducenti ad beatitudinem consequendam; idémque dicendum est de aliis virtutibus, non verò quod sint objectum formale, & hoc tantùm voluit Concilium, idque innuunt Scripturæ, quamvis hæ intelligi possunt de Deo ut causâ efficiente, quo modo spectat ad objectum formale, ut diximus. Quid autem intendat Divus Thomas ostendimus in probatione secundæ nostræ conclusionis, Sectione præcedente. Et per hoc patet etiam ad secundum, licèt enim Spes respiciat Deum ut liberalem, potentem, &c. illa tamen non se habent ut objectum, sed ut media prærequisita, ut velit ac possit conferre, sicque meritò ab eo sperare possimus,

sunt objectum illius formale.

III. *Promissio & justitia Dei ad Spem prærequiritur.*

Ad fundamentum tertiæ sententiæ idem est dicendum, promissionem scilicet & justitiam habere se præsuppositivè tantùm ad objectum formale, nostro modo concipiendi. Ad fundamentum quartæ dico, rectè probare intentum quoad arduitatem, si sumatur pro difficultate in obtinendo, non autem si sumatur pro eo quod est ab alio, à Deo scilicet per ejus auxilia acquirendum. Ad argumentum Vasquez, in quantum contra nos facit, constat ex dictis.

IV. *Spes respicit objectum, non solùm ut absens, sed etiam ut arduum, quod non facit desiderium.*

Quæres, quo pacto inter se differant Spes & desiderium? Dico in hoc differre, quòd Spes respiciat objectum non solùm ut absens, sed etiam ut arduum, & possibile, quod tamen non includitur in objecto simplicis desiderii, si quando autem difficultas spectari videatur à desiderio, ut quando propter eam hoc augetur, id solùm est quasi occasionaliter, sicut etiam excitari interdum solet desiderium ex prohibitione objecti, quæ tamen non includitur in illius objecto, bona siquidem à nobis nonnunquam, quò difficiliora, eò majora apprehenduntur, magisque desiderantur, ex quo tamen non sit arduitatem illam esse conditionem necessariam illius objecti.

SECTIO SEPTIMA.

Quid sit objectum materiale Spei, seu quæ liceat sperare.

I. *Quanam censenda sint objecta materialia Spei.*

ILLA, quæ sperantur sunt objecta materialia Spei, sicut quæ creduntur Fidei, quemadmodum ergo omnia quæ cadere possunt sub objecto formali Fidei, primâ scilicet veritate revelante, sunt materialia Fidei objecta, ita in præsenti quæ cadere possunt sub objecto formali Spei, beatitudinis scilicet propriæ, acquisibilis à Deo, vel ut ordinata ad tale bonum, sunt objecta materialia Spei, & à Deo peti possunt. Quâ de causâ Sanctus Augustinus in Enchir. cap. 114. & 115. Tom. 3. ait omnia contineri in oratione Dominicâ: *Septem*, inquit, *petitiones continet Dominica oratio, quarum in tribus æterna poscuntur, in reliquis temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria:* & in Epistolâ 121. de his petitionibus ait: *Liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere.* Videatur Canisius in Summâ cap. 2. de Spe.

Omnia in Oratione Dominicâ contineri ait S. Augustinus.

II. *Ad quanam prater beatitudinem extendere se possit virtus Spei.*

Quia tamen hæc bona varia sunt, ideo claritatis gratia ad specialia descendimus: & quidem cum suprà dixerimus beatitudinem nostram esse objectum principale, de aliis præcipuè procedit quæstio, an ad illa, quæcumque sint, prout conducunt ad beatitudinem, se possit extendere virtus Spei, sicut Charitas non solùm se extendit ad Deum, & pulchritudinem ejus amandam, ut resultat ex omnibus ejus attributis, sed etiam ad singula, & amat Deum ut justum, ut misericordem, &c. imo & ad proximum, quatenus particeps

ceps est divinæ naturæ per gratiam, ad ipsos etiam peccatores propter Deum amandos, ut dicetur infra Disp. 36. sect. 1. & 3. ita quærimus an Spes se extendat ad alia objecta præter beatitudinem.

III. *Qua ratione bona corporalia esse possint objectum Spei.*

Certum est primò, bona corporalia, seu corporis non posse propriè & perfectè sperari virtute Spei Theologicæ, nisi prout dicunt ordinem ad spiritualia, ipsisque deserviunt: sicut enim divitiæ v. g. vel sanitas non petuntur à Deo, nisi in ordine ad animam, ita neque per Spem nisi sub hac ratione sperari possunt: si autem prudenter credantur fore utilia ad adeptionem supernæ felicitatis, rectè poterunt sperari: ita D. Thom. art. 2. ad 2. ubi Bannez, Aragon, & alii.

IV. *Ostenditur quo pacto licitè peti possint corporalia.*

Probatur: Ista enim licitè à Deo in oratione Dominicâ petuntur sub hac ratione, juxta sanctum Augustinum suprà, ut scilicet, *His sufficienter adjuti sempiterna fiducialius appetamus*; ut ait Ecclesia, ergo & sperari possunt, cum spes & fiducia maximè requirantur, ut oratio sit perfecta.

V. *Versari potest Spes circa resurrectionem corporis, & ejus gloriam.*

Certum est secundò, licèt Spes primariò versetur circa beatitudinem animæ, posse tamen versari circa resurrectionem corporis, & ejus gloriam; quòd enim hæc sit objectum materiale Spei, dubitari non potest, cùm passim in Scripturâ habeatur, & Job. cap. 19. v. 25. dicat: *Scio quòd in novissimo die de terrâ surrecturus sum, & in carne meâ videbo Deum meum: reposita est hæc spes mea in sinu meo*; & habetur in Symbolo Nicæno, *Expecto resurrectionem, & vitam venturi sæculi.* Ratio est quia beatitudo corporis est nobis à Deo promissa, ut constat Joan. c. 6. & pertinet ad complementum beatitudinis animæ, licèt non sit immediata possessio Dei, & consequenter ad materiale objectum spectat, non ad formale, cùm sit potiùs complementum illius, & ideo propter illud speratur.

Beatitudo corporis est quoddam complementum beatitudinis animæ.

VI. *Sperari possunt omnia ad salutem consequendam necessaria.*

Dicendum tertiò, remissionem peccatorum & auxilia omnia ac media necessaria ad consequendam salutem, posse sperari ut objectum materiale Spei, modò ex iis sint, quæ omnibus concedi solent, imo & specialia quædam, modò prudenter existimentur conducere ad æternam salutem. Prior pars constat, ea quippe omnia per se requiruntur ad formale objectum, & consequenter ad illud ex se ordinantur, promittuntur etiam à Deo, ergo qui efficaciter sperat beatitudinem, sperare quoque debet à Deo media & auxilia, sine quibus obtineri non potest. Unde Triden. supra, dixit peccatores per Spem erigi ad veniam consequendam, quia est peccatori medium necessarium ad beatitudinem: hæc autem omnia dicuntur materialia objecta, ut rectè Divus Thomas hîc, art. 2. quia non sperantur primariò & propter se, sed ut subsunt formali, vel ut danda à Deo propter beatitudinem, seu Deum ipsum.

Hæc à Deo promittuntur; ergo possunt sperari.

Cur vocentur objecta materialia.

VII. *Vi virtutis Spei ad aliquid petendum concurrat, debet petitio esse prudens.*

Dixi quædam etiam peculiaria auxilia sperari posse, si prudenter existimentur conducere ad beatitudinem, & ita cadere sub objecto formali Spei; si enim quis peteret rem aliquam extra communem ordinem, & soli Virgini vel Apostolis concessam, talis esset potiùs imprudens, & præsumptuosa petitio, nec Spes Theologica ad eam concurreret, nisi fortè esset specialiter alicui à Deo promissum, tunc enim sperari posset, ut constat ad Rom. 4. ubi dicitur Abrahamum in ultimâ suâ & uxoris senectute speravisse semen suum multiplicandum à Deo sicut stellas cæli, & arenam maris, quamvis hoc non esset necessarium ad beatitudinem consequendam, quia scilicet fuerat à Deo promissum. Idem esset de auxiliis abundantioribus, quæ à Deo promittuntur omnibus, qui benè acceptis utuntur, cùm illa valdè conducant ad augmentum gratiæ & gloriæ: unde possumus & debemus illa sperare à Deo, inquit Aragon hîc, conclusione 3. ex D. Thoma, art. 2. ad 2.

Quàdo prudenter sperari possint auxilia abundantiora.

Secunda ergo pars, licèt non sit adeo certa sicut prior, sic tamen ostendi potest primò: sint verbi gratia prædicta bona specialia non promissa, vel palma martyrii, vel liberatio ab aliquo morbo, aut gravi tribulatione temporali: quòd hæc sperari possint colligi videtur ex Dan. 13. ubi Susanna cùm judicio sisteretur, dicitur suspexisse in cœlum, *erat enim cor ejus fiduciam habens in Deo*, & sperabat se liberandam, cùm tamen ea liberatio nec esset necessaria ad salutem æternam, nec illi esset promissa: item Psalm. 36. dicitur: *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*: ubi non est sermo de re necessariâ ad salutem, sed de liberatione à quacumque tribulatione, quæ tamen dicitur speranda à solo Deo, ut denotetur sermonem illic esse de Spe Theologicâ.

VIII. *Quomodo extraordinaria quædam interdum sperentur, non pertinentia ad vitam æternam.*

Secundò probatur, bona quippe temporalia ut diximus, possunt esse objectum Spei, in quantum conducere possunt ad beatitudinem, ergo & prædicta beneficia specialia, bona enim temporalia nec sunt necessaria, nec à Deo fidelibus promissa, imo sæpè quis salutem temporalem sperat, quam Deus decrevit illi non conferre, ergo sufficit quòd prudenter existimentur conducere ad salutem æternam, ut à Deo sperari possint. Denique probatur, quia quod quis prudenter postulat à Deo, potest etiam prudenter ab eo sperare, sed prædicta bona à Deo prudenter postulantur, ut constat ex usu fidelium, ergo.

IX. *Declaratur quo pacto bona temporalia sperari possint à Deo.*

SECTIO OCTAVA.

Argumenta quædam contra objecta materialia Spei.

I. *Ad objectum aliquod materiale sperandum, sufficit quòd proponatur per prudentiam supernaturalem.*

Objicies primò: Spes tendere nequit in objectum, nisi Fides illud proponat ut concedendum à Deo, modo per hominem non steterit, sed Fides non potest proponere palmam Martyrii esse mihi concedendam, quantumcunque illam desiderem, quia Deus hoc non revelavit, ergo: Respondeo, objectum formale Spei & media necessaria ad salutem proponi quidem per Fidem, at verò ad sperandum aliquod objectum materiale sufficit quod illud proponatur per prudentiam supernaturalem: sic enim objectum formale Charitatis proponitur per Fidem, plura verò objecta materialia proponuntur à prudentia, ut v. g. quod hoc vel illud negotium dignum sit, ut propter amorem Dei geratur.

II. *Diverso modo procedendum de quibusdam objectis Spei, & de aliis quoad declarandam ejus certitudinem.*

Objicitur secundò: Spes Theologica est certa; si autem sperare posset prædicta bona esset incerta quia aliquando speraret id quod Deus decrevit non conferre, etiamsi per hominem non stet. Confirmatur, quia sæpè non apponitur illa conditio, si Deo placuerit, ergo tunc saltem non appetuntur hæc bona per Spem. Respondebo de certitudine Spei latiùs infra: modò dico certitudinem ejus prout tendit ad objectum formale & media necessaria, & ad promissa à Deo, desumi ex Fide,

Tom. II.

ex Fide, & ita esse infallibilem: quoad alia ver objecta desumitur ejus certitudo ex prudent quæ etiam est certa licèt dictet aliquid esse s randum, quod revera non sit obtinendum, quia adhuc potest prudenter in eo sperando procedi. Ad confirmationem respondeo: Non opus esse in petendis & sperandis hujusmodi donis supernaturalibus semper explicitè apponere conditionem illam: *Si Deo placuerit*, nam eo ipso quòd actus petendi & sperandi sit honestus, quia prudenter existimatur res, quæ petitur conducere ad salutem æternam, jam præsupponitur intrinsecè imbibita ibi talis conditio.

Non est explicitè necessaria hac conditio, Si Deo placuerit.

I. *Ad proprium actum Spei attingi abeo debet, non materiale tantùm ejus objectum, sed etiam formale.*

Quæres, an eodem actu, quo quis sperat objectum materiale, possit vel debeat etiam sperare objectum formale, idque explicitè, vel implicitè tantùm. Respondeo juxta ea, quæ dixi supra in materiâ de Fide, ad Spem Theologicam requiri, ut eodem actu, quo quis sperat objectum materiale quà tale, speret etiam objectum formale, & propter illud moneatur ad sperandum objectum materiale, quidquid sit modò an moveri quis possit ad sperandum idem objectum materiale propter intrinsecam, & specialem ejus bonitatem, de quo Sectione sequente.

IV. *Objic. Cùm plura objecta materialia habeant diversas specie bonitates, sequi, esse diversas specie virtutes Spei.*

Objicitur tertiò: Ex dictis sequi videtur dari plures virtutes Spei, patet consequentia, hæc enim omnia sperari possunt per Spem Theologicam, non per eandem, ergo per diversas: Minor probatur, bonitas siquidem, quæ relucet in gloriâ corporis exempli gratia distincta est ab eâ, quam habet beatitudo & secundùm hanc speratur, ergo ille actus respicit distinctam rationem, ab actu, qui respicit beatitudinem, & consequenter erit distincta Spes, vel saltem ea non habebit unam rationem formalem indivisibilem. Hæc objectio petit Sectionem sequentem.

SECTIO NONA.

An Spes omnia materialia sua objecta sub unâ indivisibili ratione respiciat?

I. *An sperare aliquo modo possimus in Sanctis.*

Hic etiam dicetur qua ratione liceat fiduciam aliquam in Sanctis reponere, de quo Divus Thomas hîc, art. 4. quærens an quis possit sperare in homine; cùm enim dictum sit Spem Deo inniti ut efficienti, & concedenti beatitudinem, videndum restat an & quo pacto possit alteri etiam inniti.

II. *Error Pelagianorum Spem dicentium inniti Solis viribus naturæ.*

Antequam meam hac in re sententiam proponam: Notandum duos extremos errores in præsenti cavendos, alterum Pelagianorum dicentium Spem nostram inniti nostris meritis & operibus, ex solo libero arbitrio factis, sine gratiâ Dei, & propter illa sola nos posse beatitudinem sperare: Contra quem dictum est Tomo præcedente, in materiâ de gratiâ. Alterum Lutheranorum asserentium, nullo modo Spem beatitudinis inniti nostris operibus, etiam ex gratiâ factis, sed nec invocationi aut precibus Sanctorum, imo magnam injuriam irrogari Deo asserunt, invocando Sanctos, & fiduciam ullam in eorum precibus ponendo.

Error Lutheranorum circa invocationem Sanctorum.

III. *De Fide est Sanctos esse invocandos,*

Contra hunc etiam errorem disputari solet 1. 2. quæst. 114. art. 3. ubi Vasquez d. 213. cap. 7. & infra quæst. 83. art. 4. in materiâ de Oratione, ubi ostenditur de Fide esse Sanctos esse invocandos, & eorum precibus nos juvari. Videri etiam potest quoad merita nostra Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. & can. 26. Quoad Sanctorum verò invocationem sess. 22. cap. 3. & sess. 25. cap. 1 & 2.

nosq; eorum precibus juvari.

IV. *In Deo solo tanquam in causâ primariâ & principali ponenda fiducia.*

Omnia quæ ad hanc veritatem improbandam adducunt hæretici, etsi contra Pelagianos faciant, ipsos tamen non juvant, solùm namque ostendunt Spem beatitudinis non esse collocandam in homine, vel in aliquâ aliâ creaturâ, tanquam in causâ primariâ & principali, quæ nos possit ad eam independenter à Deo perducere, quo modo soli Deo confidendum, qui solus sine creaturâ potest beatificare, non tamen probant non posse nos vel in nostris operibus, vel Sanctorum precibus Spem aliquam collocare tanquam in causis secundariis & instrumentis adjuvantibus, ac Deum inclinantibus modo statim explicando, de quo optimè Valentia hîc, punct. 1. ubi illud fusè ex Scripturâ & Patribus probat.

In Sanctis tamen secundariò potest Spes aliqua poni.

V. *Variè ostenditur posse Spem nostrâ aliis à Deo minùs principaliter inniti.*

Ratio autem est, Spes siquidem nostra inniti aliquo modo potest iis omnibus, quæ nos ad beatitudinem adjuvant, vel ut causæ, vel ut media, sed talia sunt opera nostra meritoria, & invocationes Sanctorum, ut constat Tobiæ 4. vers. 12. dum dicitur: *Fiducia magna erit coram Deo eleëmosyna.* Theologi etiam 1. parte docent prædestinationem nostram juvari precibus Sanctorum quoad consecutionem beatitudinis. Hinc Divus Petrus Epist. 2 cap. 1. ait: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quo etiam sensu accipienda sunt verba Divi Augustini, Bernardi, & aliorum Patrum, cùm dicunt Beatissimam Virginem esse unicam Spem nostram, & totam rationem sperandi; non enim intendunt ipsam esse causam principalem nostræ Spei, sed ita loquuntur, ut excellentiam intercessionis illius declarent.

Quo sensu dicât Patres Beatissimam Virginem esse unicam Spem nostram.

VI. *Spes respicit objecta omnia in ordine ad beatitudinem.*

Dicendum itaque existimo, Spem Theologicam objecta omnia respicere sub respectu ad beatitudinem, ita ut in omni actu (ut supra dicebam) ipsa beatitudo sit ratio formalis movens & determinans ad omnia alia amanda, quæ propter beatitudinem amantur. Deinde dico, Spem ita Deo inniti, ut ipse sit ratio formalis cur etiam innitatur Sanctis, ita ut si quid in Sanctis speretur, ut ille actus sit Spei Theologicæ, in tantum illis debeat inniti, in quantum innititur Deo propter quem speramus in Sanctis, ut instrumentis ejus principaliter agentis, propter quæ ipse statuit nobis aliquid conferre. Hoc sufficienter probatum est in Sectionibus præcedentibus.

Deus est ratio formalis cur speremus in Sanctis.

VII. *Bona creata sperari possunt, & prout conducunt ad beatitudinem, & prout sunt aliquid absolutum.*

Per hæc constat ad objectionem positam in fine Sectionis præcedentis; bona enim creata dupliciter sperari seu desiderari possunt, primò quatenus dicunt ordinem ad beatitudinem & ad illam conducunt: Secundò ut sunt in se aliquid absolutum. Primo modo sperantur Spe Theologicâ, secundo modo actu alterius virtutis, illius scilicet, cujus ratio formalis movet, vel si nullius in particulari ratio formaliter attingatur, putant aliqui fore actum alicujus particularis Spei, non Theologicæ, de qua proinde parum curant Theologi.

VIII. *Utrum detur peculiaris habitus, qui non sit Spes Theologica, ad sperandum in Sanctis.*

Quæret fortè aliquis, an sicut datur habitus distinctus à religione ad Sanctos colendos suo proprio cultu Duliæ, & habitus distinctus à Charitate ad amicitiam incundam cum bonis, ita an detur habitus à Spe Theologicâ distinctus ad sperandum in Sanctis, & ad sperandum alia supernaturalia dona à beatitudine distincta. Quoad primum

primum probabile existimant nonnulli, dari hujusmodi habitum. Dico tamen si detur non fore Theologicum, quia ejus actus non nititur Deo tanquam primo agenti juxta supra dicta. Secundò existimo ejus actum rarò aut nunquam futurum in usu, eo quòd fideles quoties Sanctos invocant, semper ad Deum ut ad primam causam, ad ipsos verò ut ad Dei instrumenta respiciant, quorum intercessione Deus beneficia conferre consuevit. Quoad secundum, certum est non fore etiam habitum illum Theologicum, cùm talia objecta respiciat secundùm se & propriam bonitatem, non autem in ordine ad beatitudinem ut rationem formalizandi; & licèt detur specialis habitus virtutis Theologicæ ad sperandum à Deo beatitudinem ut maximum bonorum & finem omnium, non tamen ad alia, saltem qui sit Theologicus.

Si detur talis habitus non Theologicus, ejus actus rarò erit in usu.

Habitus ad sperandum alia bona à beatitudine distincta non erit Theologicus.

SECTIO DECIMA.

Vtrùm per Spem Theologicam possit quis sperare alteri beatitudinem?

I. *Nil vetat ut quis sub aliquo respectu alteri speret beatitudinem.*

CONCLUSIO Divi Thomæ art. 3. est, licèt Spes sit propriè & in rigore respectu alicujus boni pertinentis ad ipsum sperantem, ex suppositione tamen amoris, quo quis alterum diligit, & eum tanquam unum moraliter secum reputat, poterit etiam illi sperare beatitudinem Theologicam: nam sicut per amorem possumus proximis salutem optare, & eam à Deo petere, ita & per Spem possumus eandem illis sperare: quod colligi videtur ex Divo Paulo ad Philip. 1. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi JESV*, id est usque ad beatitudinem æternam, & ex illo Jacobi ultimo vers. 16. *Orate pro invicem ut salvemini*; ea enim quæ à Deo petimus possumus sperare ab illo, sed petimus alteri vitam æternam, ergo & hoc possumus sperare. Hæc communis videtur Thomistarum opinio.

Cùm à Deo petamus aliorum salutem, possumus eam sperare.

II. *Ex S. Augustino ostenditur posse nos alteri sperare beatitudinem.*

Probari solet hæc sententia: Primò auctoritate Divi Augustini sermone 11. de verbis Domini tom. 10. dicentis: *De nemine est desperandum dum vivit*, ergo supponit posse nos desperare de salute aliorum, & consequenter etiam de illorum salute sperare. Et certè, nisi affectus salutis alterius pertineat ad Spem, non facilè explicabitur contra quam virtutem sit desperare de beatitudine alterius, talis enim desperatio contraria videtur affectui, quo alteri speramus beatitudinem.

III. *Bonum alterius movere potest voluntatem sicut bonum proprium.*

Probatur secundò: quia bonum alterius ut conferendum à Deo movere potest voluntatem, sicut & potest idem bonum proprium à Deo etiam conferendum, nam utroque actu respicitur idem bonum, & à Deo conferendum, ergo uterque actus erit Spei.

IV. *Idem objectum formale habet volitio beatitudinis alterius & suipsius.*

Tertiò: Nam velle summum bonum alteri, ut futurum à Deo, habet formalem rationem objecti Spei, à nobis assignati, neque videtur transire hic affectus in affectum benevolentiæ erga proximum, sicut enim est affectus Spei, quo quis sibi sperat, vel desiderat hoc bonum ut futurum à Deo, etiamsi hoc velit ex affectu benevolentiæ & complacentiæ erga seipsum, ita similiter idem erit respectu proximi, ergo, &c.

V. *Negant nonnulli posse quemquam sperare beatitudinem alteri Spe Theologicâ.*

Alii tamen negant per Spem Theologicam posse nos alteri sperare beatitudinem: ità Richardus in 3. d. 26. art. 1. quæst. 2. ad 3. Basolis ibidem, quæst. unicâ, §. *Sed istam opinionem* Almain. verò tractatu primo Moralium, cap. de Spe, utramque opinionem æquè existimat probabilem: imo & D. Thomas ibidem quæst. 2. art. 5. quæstiuncula 4. ad secundum, sine limitatione docet, Spem esse de rebus pertinentibus ad sperantem, & 3. parte, quæst. 1. art. 4. ad tertium, Spem, ait, esse tantùm respectu illius, quod speratur ab ipso sperante habendum.

VI. *Fundamentum eorum est, quia Spes est amor concupiscentiæ spectans bonum proprium.*

Ratio hujus sententiæ est, quia virtus hæc essentialiter est quidam amor concupiscentiæ tendens formalissimè in bonum proprium, at Spes & desiderium boni alterius ut alterius sine respectu ad se, non tendit formalissimè in bonum proprium, ergo non potest elici ab hac virtute, sed pertinebit ad amorem amicitiæ. Quia tamen potest hic affectus procedere ex concupiscentiâ, & non sistere in proximo ut est alius à nobis, sed quatenus bonum ipsius est nostrum, sub hac ratione possumus illi bonum per Spem Theologicam sperare. Sic parentes sæpè filiis desiderant & sperant bona, quasi illis, qui sunt aliquid sui; & idem contingere potest propter amicitiam. Quia ergo hanc distinctionem veram puto, & de mente Doctoris Angelici, per quam etiam priores sententiæ inter se conciliari possunt, eam sequentibus conclusionibus explicabo.

Sub quo conceptu sperare aliquid possimus proximo.

VII. *Sperare bonum alterius qua tale, non pertinet ad virtutem Spei.*

Prima Conclusio: Sperare alteri bonum formaliter ut illius est, & illum solum respiciendo, sine ullo respectu ad sperantem, non pertinet ad virtutem Spei, sed potius Charitatis, seu benevolentiæ; ita D. Thomas hic, art. 3. & quæst. sequenti art. 2. ad 3.

VIII. *Differentia inter affectum Spei & benevolentiæ respectu alterius.*

Probatur primò: Virtus namque Spei ad bonum proprium essentialiter tendit, & in eo formalissimè ab amore benevolentiæ distinguitur, qui respicit bonum alterius, ut bonum illius est, uti constat ex ratione factâ pro secundâ sententiâ, maximè si procedat ex complacentiâ personæ illius: & ideo D. Thomas loco ultimo citatus dicit beatos ex affectu Charitatis sperare nobis beatitudinem, & in quæstione de Spe art. 4. ait eos hoc facere secundùm communem rationem Spei, non verò propriam. Confirmatur: quia fieri potest ut quis speret propriam beatitudinem ex divino auxilio, & tamen desperet de salute alterius, ergo desperatio alienæ salutis non est contrà Spem, quæ est virtus Theologica, tunc namque per illum actum amitteretur habitus Spei Theologicæ juxta communem doctrinam de corruptione habitus infusi, sicut in hæretico per actum hæresis, qui proinde uno negato mysterio, cætera non verè credit.

Potest quis sperare propriam salutem, & tamen desperare de salute alterius.

IX. *Probatur Conclusio ex fine ad quem Spes infunditur.*

Secundò probatur conclusio ex communi Theologorum doctrinâ, quòd scilicet Spes infundatur, ut per eam animus sperantis erigatur ad vincendas difficultates, etiam extrinsecas, quæ oriri possunt in consecutione boni sperati; sed hic affectus esse non potest respectu beatitudinis alterius, ex eo solùm quòd consideretur ut bonum alterius, & quando non concipitur ut aliquo modo consequenda à sperante, neque tunc erigitur animus ad vincendas difficultates, quæ possunt alteri occurrere in consecutione beatitudinis. Unde & qui desperat de propriâ beatitudine, quasi victus difficultatibus, temerè desperat propter ignaviam, qui tamen affectus non reperitur in eo, qui de beatitudine alterius propter

In sperando suam & alterius beatitudinem maxima est differentia.

Tom. II.

illius ignaviam desperat. Et per hæc patet ad argumenta primæ sententiæ, quatenus contra hanc conclusionem facere videntur.

SECTIO UNDECIMA.

Ostenditur quo pacto possit quis sperare alteri beatitudinem.

I. *Declaratur sub qua ratione sperare quis possit alteri beatitudinem.*

Conclusio secundâ: Si tamen speretur proximo beatitudo, quatenus ratione unionis cum illo, sive ex dilectione, sive propinquitate, vel alio vinculo, est unum moraliter cum sperante, & bonum illius est bonum sperantis, talis actus erit actus Spei Theologicæ: Probatur, ejusmodi quippe actus versatur circa Deum quatenus bonum nostrum, saltem mediatè ratione proximi, quia ad nos apprehenditur pertinere, & sub hoc respectu desiderium & Spes ad bonum ipsius terminatur. Nec contrarius est Sanctus Augustinus, qui loco supra citato solùm loquitur, quando nullo modo est bonum sperantis, hîc autem licèt beatitudo proximorum pertineat ad alios, non tamen sub hoc respectu terminat actum hujus virtutis, sed prout ad nos pertinet ratione unionis cum proximis; per quod patet ad argumentum secundæ sententiæ in quantum contra nos facere videtur.

Ostenditur qua hac in parte sit mēs D. Augustini.

II. *Objic. hic affectus non videtur Spes, nec amor concupiscentia, sed amicitiæ.*

Contra nostram tamen conclusionem objicies primò: Unio cum proximo per amorem potiùs facit, ut actus, quo illi desidero bonum, non sit Spei, sed Charitatis, seu benevolentiæ; patet, nam quia illum amo, tali amore motus, ei ut amico ex complacentiâ ipsius, & consequenter ex benevolentiâ desidero ei bonum, & non ex amore concupiscentiæ, seu ex complacentiâ mei ipsius. Respondeo unionem factam per amorem Charitatis dupliciter considerari posse: Primò, ut est quidam actus movens ad intendendum proximo bonum propter finem, quem ipse respicit, ex bonitate scilicet illius objécti, & complacentiâ in eo, & sub hac ratione quæcumque proximo desiderantur, pertinent ad amicitiam, non ad Spem.

Dupliciter considerari potest unio facta per amorem.

Secundò considerari potest unio amoris, non ut movet ad desiderandum bonum proximo propter ipsum, sed ut proximum facit ad nos pertinere, sicut facit propinquitas, vel aliud vinculum verbi gratia, & tunc facit, ut velimus illi bona quatenus est aliquid spectans ad nos, & sub hac ratione tale bonum illi desidero, aliter non desideraturus, quod signum est fieri ex complacentiâ nostri, & sic ad Spem pertinet.

III. *Explicatur quo pacto hic amor proximi spectet ad nos.*

Objicies secundò: Beati habent hoc vinculum, & nos amant, ac desiderant nobis beatitudinem, & tamen ille actus non est Spei Theologicæ, quam juxta Divum Thomam non habent, ergo desiderare vel sperare aliis beatitudinem non est actus Spei Theologicæ. Omissis aliis solutionibus respondetur ex jam dictis, abstrahendo in præsenti an maneat in beatis habitus Spei nec ne, de quo postea. Dicendum itaque eos non habere actum sperandi elicitum ab hac virtute, quia hæc virtus, quæcunque desiderat distincta à beatitudine subjecti in quo est, ea desiderat & sperat ex desiderio & Spe beatitudinis propriæ, quæ in omni actu est ratio formalis, neque alio modo potest quisquam aliquid sperare: unde cùm beati jam habeant beatitudinem, nihil sperare possunt per hanc virtutem, quæ quidquid respicit, respicit in ordine ad beatitudinem propriam.

IV. *Objic. Beati cupiunt nobis beatitudinem.*

Respondetur beatos hic faciendo non habere actū virtutis Spei Theologicæ, hac enim virtute omnia desiderat ex Spe beatitudinis propriæ.

DISPUTATIO TRIGESIMA.

De actibus Spei.

Post explicatum objectum, tum materiale, tum formale Spei, restat juxta ordinem à nobis in principio positum, ut de actibus ejus agamus, quod in hac Disputatione faciemus, in qua eandem fere methodum servabimus, quam in materia de Fide, suppositis tamen nonnullis, quæ ibi sunt abunde declarata.

SECTIO PRIMA.

An actus Spei ad appetitum, & partem ejus irascibilem pertineant?

I. *Actus Spei pertinet, non ad appetitum sensitivum, sed rationalem.*

Prima Conclusio: Actus Spei essentialiter est actus elicitus à voluntate; ita quæst. sequenti Divus Thomas cum communi Theolog. Probatur ratione D. Thomæ, quia objectum Spei, ut vidimus, spectat ad appetitum, tum sic, illud bonum est spirituale & honestum, utpote ad beatitudinem ordinatum, cujus non est capax appetitus sensitivus; ergo ad rationalem tantùm appetitum, qui est voluntas, pertinebit actus Spei, de quo est sermo. Confirmatur ex definitione Spei, quæ vel essentialiter est desiderium, vel illud includit, ut postea dicetur, sed desiderium est actus voluntatis; ergo, major patet, cum enim sit actus amoris circa bonum tantùm futurum non potest non esse desiderium; hoc enim nihil aliud est quàm amor boni futuri, quamvis aliquid supra desiderium addat.

Cum actus Spei includat desiderium, spectare debet ad voluntatem.

Secunda

II. *Ostenditur actum Spei esse actum appetitus irascibilis.*

Secunda Conclusio: Actus Spei est actus appetitus irascibilis; hæc non tam probatione quàm explicatione indiget, pro qua suppono appetitum animalem, quia duo officia exercere debet, dividi etiam solere in concupiscibilem & irascibilem: primò enim debet prosequi bonum appetendo illud simpliciter, quod dum præstat, concupiscibilis dicitur; quia tamen hoc bonum sæpè est arduum, & difficile, vel quia in ejus consecutione adeundi sunt labores, vel quia impeditur à contrariis, ideo debet & difficultatem in hujus boni assecutione aggredi, & bonum ipsum tueri à contrariis, quod dum præstat, irascibilis dicitur. Habet ergo has duas considerationes quatenus hæc duo munera exercet; verius enim est non esse has duas potentias realiter distinctas, frustra siquidem asseretur talis distinctio, cùm utrumque ab eâdem potentiâ præstari commodè possit, sicut est eadem potentia cognitiva convenientis & mali, à quâ movetur ad fugam unius, & alterius prosecutionem, sicut ad eandem potentiam spectat, ut omnes concedunt, gaudere de bono & dolere de malo.

Concupiscibilis & irascibilis non sunt diversa potentia.

Ab eâdem potentiâ provenit motus ad gaudium & dolorem.

III. *Quomodo aliquid distinguat actum Spei in irascibili à desiderio, quod est in concupiscibili.*

Quæres: Quomodo actus Spei, qui est in irascibili differat à desiderio quod est in concupiscibili? Scotus in 3. d. 26. punct. 1. Gabriel ibidem, quæst. 1. art. 3. d. 1. Almainus tractatu 2. Moral. c. 1. Vega lib. 6. in Concil. Trident. c. 26. fine, Durandus quæst. 2. Sotus in 4. d 49. q. 4 & quidam moderni docent, vel non distingui hæc duo, vel se habere ut superius & inferius, quia desiderare solemus affectu inefficaci impossibilia, vel non futura, vel facilia, unde desiderium ut sic est affectui Spei superius; quamvis, inquiunt, possint interdum coincidere.

IV. *Alii desiderium ardui futuri in tantum dicũt esse spem, in quantum connotat persuasionem fore, ut res desiderata eveniat.*

Alii, concedunt desiderium efficax boni ardui futuri in recto, esse Spem, non tamen utcumque, sed quatenus tale desiderium in obliquo connotat ex parte intellectus persuasionem, quòd bonum desideratum verè eveniet, quam persuasionem propriè confidentiam nominari aiunt. Hac ergo positâ cum efficaci desiderio & absolutâ intentione requirendi bonum arduum, non obstantibus difficultatibus, non videtur quid amplius concipi possit in affectu Spei circa tale bonum: ita Vasquez 1. part. d. 84. cap. 1. & 12. d. 4. cap. 2. Salas 1. 2. tractatu 9. disp. 1. sect. 2. & disp. 3. sect. 1. fine.

V. *Spem alii realiter distinguunt à desiderio.*

D. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 1. & cum eo Thomistæ, D. Bonavent. art. 2. quæst. 4. Medina 1. 2. quæst. 62. art. 4. & Interpretes communiter hic asserunt, licèt Spes latè sumpta dici possit desiderium quoddam, eam tamen verè & realiter à desiderio distingui, tum efficaci, tum etiam inefficaci: quæ sententia, quia veram eam existimo, sit nostra

VI. *Declaratur quo pacto Spes latè sumpta dici possit desiderium.*

Conclusio: & quidem quoad priorem partem constat, quia Spes est quædam prosecutio boni nondum adepti, quæ cum vix intelligi possit, nisi per modum cujusdam desiderii, nil mirum quod hoc nomine aliquando vocetur. Constat tamen non esse actum qui propriè dicitur desiderium, quodque curam & anxietatem causat, sed potiùs est actus, qui facit, non tam ut credamus rem concupitam eventuram, quàm actus ex tali persuasione & desiderio ortus, qui animum erigit ne labatur, estque nova prosecutio objecti in voluntate, novusque affectus quo peculiariter ad objectum & media per quæ obtinendum est afficitur, quæ erat secunda pars conclusionis.

Spes tamen non est desiderium strictè sumptũ.

VII.

Confirmatur: Quia rectè adesse potest judicium sufficiens ad desiderium, etiam efficax, & tamen non adesse judicium illud, quod ad Spem est necessarium; ergo non sunt iidem actus, cum requirant distinctam cognitionem ex parte intellectus: Antecedens probatur, ad desiderium namque sufficit ut proponatur aliquid à me hic & nunc possibile acquiri, & media proportionata ad illud consequendum; tunc enim afficitur quis erga tale bonum futurum, & media apponit: ad sperandum verò, & ut quis magno animo & lætus sufferat labores, quod proprium est Spei, requiritur insuper judicium quo illud bonum non solùm possibile hic & nunc credatur, sed etiam eventurum ut speratur, quod si tale judicium non adsit, si adhuc existimetur possibile, perseverat desiderium, Spes verò deficit, nam licèt Spes non requirat evidentiam scientiæ, habere tamen debet conjecturam, ut quod sæpè factum est, modò in simili casu eveniat.

Aliud judicium intellectus requiritur ad Spem, aliud ad desiderium.

Plus ad Spem requiritur, quàm ad desiderium.

Cessante Spe desiderium sæpè perseverat.

Aliqui aliam distinctionem addunt, quòd scilicet desiderium non spectet futuritionem, sicuti Spes; sed solùm respiciat bonum, ut hic & nunc possibile, abstrahendo à futuritione: quod licèt fortè verum sit de desiderio in communi, ut comprehendit etiam inefficax, non tamen negandum videtur, quin etiam sæpè feratur in bonum possibile ut futurum, nam intendit efficaciter bonum quod desiderat obtinere, & movet ad electionem mediorum, ad hoc ut obtineatur; ergo non solùm ad rem illam terminatur sub ratione possibilis, sed etiam futuri; quod ex eo confirmatur, si enim objectum apprehendatur certò non futurum, statim desinit hoc desiderium; ergo non solum respiciebat bonum illud ut possibile, sed etiam ut futurum.

VIII. *Quamvis aliquod desiderium abstrahat à futuritione rei, sæpè nihilominus fertur in bonum possibile ut futurum.*

SECTIO SECUNDA.

An ad eliciendum actum Spei, actus aliqui prærequirantur, ex parte intellectus ac voluntatis, & quinam sint?

I. *Prærequiritur primò actus aliquis ex parte intellectus.*

Prima Conclusio: Ad eliciendum actum Spei efficacem, prærequiritur ex parte intellectus actus judicii supernaturalis; dixi efficacem, quia si aliquis inefficax reperiatur, ad eam sufficiet apprehensio boni sperandi, & quod obtineri possit.

Probatur quia voluntas ut in philosophiâ ostensum est, cæca cùm sit, ferri non potest in objectum, nisi illi per intellectum proponatur, neque actu efficaci qui procedat ad electionem mediorum nisi proponatur per actum judicii; ergo, &c. Quod autem debeat esse supernaturalis, constat tum quia proponit objectum supernaturale, tum quia dirigit & proportionatè illud proponit ad actum Spei supernaturalem; & cùm actus ille Fides esse debeat, ut statim dicam, erit supernaturalis, etiam quoad substantiam.

II. *Ad actum Spei efficacem requiritur judicium, ad inefficacem, si detur, sufficit apprehensio.*

Secunda Conclusio: Judicium hoc esse debet actus Fidei: ita D. Thomas, hîc art. 7. & 12. quæst. 62. art. 4. & D. Augustinus quem refert Beda 1. ad Corinth. 11. *Fidelis*, inquit, *debet credere quod non videt, & visionem speret & amet*; & videtur colligi ex D. Paulo ad Hæbreos c. 11. ubi Fidem vocat *substantiam rerum sperandarum*, quia nimirum est cognitio, cui tamquam fundamento innititur Spes.

III. *Judicium præviums ad actum Spei est actus Fidei.*

Tom. II.

IV. *Ostenditur ad actum supernaturalem Spei antecedere debere actū supernaturalem Fidei.*

Probatur primò: Quia objectum formale Spei est supernaturale & supernaturaliter obtinendum per vires supernaturales, hoc autem cognosci non potest lumine naturæ, sed per solam Fidem, ergo requiritur actus Fidei, qui illud proponat voluntati. Secundò: Actus siquidem virtutum moralium infusarum diriguntur à prudentiâ infusâ, nec ad illos sufficit prudentia naturalis, ergo & actus virtutum Theologicarum, quæ in voluntate existunt, diriguntur à virtute Theologicâ intellectus, Fide scilicet, ad hoc infusâ.

V. *Quomodo ad actum Spei interdum non requiratur Fides.*

Hæc autem conclusio limitanda est primò, ut intelligatur tantùm in viâ, in eorum sententiâ, qui putant manere in patriâ aliquem actum Spei, de quo postea, in illâ enim sententiâ dicendum sufficere in beatis visionem, per quam ibi res cognoscunt, sicut hîc per Fidem. Secundò est limitanda, quòd licèt requiratur Fides ad proponendum objectum formale Spei ut sic, seu in communi, tamen ad proponenda objecta materialia in particulari, & ad applicandum illis formale, ut supra dicebamus, sufficit actus prudentiæ supernaturalis: cùm enim plura objecta materialia sperari possint, quæ non sunt certò concedenda à Deo, illa proponi nequeunt per actum Fidei, quo omnino certò quis judicet objectum esse concedendum, si per hominem non steterit, sed sufficienter proponentur per actum prudentiæ supernaturalis.

VI. *Quale sit hoc judicium ad actum Spei prærequisitum.*

Tertia conclusio: Hoc judicium non est *quòd ego obtinebo beatitudinem*, sed quod possibilis est mihi, suppositis auxiliis Dei, quæ nemini denegantur, & si per me non steterit, eam à Deo obtinere potero. Prima pars patet, tum quia hoc judicium, *ego obtinebo beatitudinem*, non potest esse certum, speciali revelatione seclusâ, quæ paucis fit, judicium autem Fidei debet esse omnino certum, tum etiam quia in reprobis tale judicium est falsum, cùm nunquam adepturi sint beatitudinem, & tamen possunt illam nunc sperare. Secunda pars constat, quia illud judicium est omnino certum, & sufficiens, ut quis conetur ad consecutionem beatitudinis, & ad eliciendum actum Spei respectu illius, quia certum est, quod adeptio beatitudinis, mihi possibilis sit à Deo, suppositis auxiliis ipsius, quæ mihi non denegabit, si per me non steterit. Non tamen negandum, quin judicium illud, quo quis sibi persuaderet, se revera obtenturum beatitudinem, suppositâ misericordiâ divinâ, multùm juvet ad eliciendum actum Spei, non tamen est ad hoc necessarium.

Per auxilia divina possibilis cuique est beatitudinis adeptio.

VII. *Quis actus ad Spem prærequiratur ex parte voluntatis.*

Quarta conclusio: Ex parte etiam voluntatis ad actum Spei prærequiritur actus amoris supernaturalis objecti sperandi: ita Divus Thomas 1. 2. quæst. 66. art. 6. ad secundum, ubi sic habet: *Spes supponit amorem ejus, quod quis adipisci sperat*, & ex supra dictis clarè constat, voluntas siquidem non erigitur ad superandam difficultatem, quæ in consecutione sui objecti occurrit, nisi priùs alliciatur & determinetur ab amore talis objecti, cùm amor sit quasi pondus, ut ait Sanctus Augustinus, & prima radix, ex qua alii affectus dimanant. Quod etiam debeat esse supernaturalis probatur, quia ordinatur ad actum supernaturalem Spei, & ad illum intrinsecè præsupponitur, nullus autem actus supernaturalis potest habere connexionem necessariam cum re naturali, aut ab illâ derivari: ob quam etiam rationem amor ille, qui præsupponitur ut quis speret alteri beatitudinem supernaturalem, debet esse supernaturalis.

Ad Spem supernaturalem prærequiritur actus amoris supernaturalis objecti sperati.

Quinta conclusio: Licèt amor per se prærequisitus ad actum Spei, sit amor concupiscentiæ, quo scilicet quis diligit beatitudinem, & Deum ut bonum nostrum, simpliciter tamen sufficit amor Charitatis, seu amicitiæ, quo quis diligit Deum ut est bonus in se.

VIII. *An ad actū Spei semper prærequiratur amor concupiscentiæ.*

Prima pars probatur; tum quia per Spem tendimus in Deum & beatitudinem, ut in bonum nostrum, adeóque amor, qui ad hoc prærequiritur, est concupiscentiæ & boni illius, ut nostrum est, & ex hoc movemur ad sperandum; tum quia peccator potest habere actum Spei sine actu Charitatis, ergo amor ad Spem requisitus non necessariò est actus amicitiæ, & Charitatis, sed concupiscentiæ.

IX. *Cur ut plurimum ad actum Spei prærequiratur hujusmodi amor.*

Secunda etiam pars patet, quia ab amore Charitatis potest quis moveri ad sperandum bonum, quod sic amat, nec in hoc ulla apparet repugnantia; & desumi videtur ex Divo Thoma hîc, art. 8. ubi affert S. Ambrosium dicentem Spem esse ex Charitate: & Divus Paulus dixit: *Charitas omnia sperat*, quatenus scilicet imperat Spem, vel quatenus quis ex motivo illius sperat, sicut jejunat vel aliud opus bonum exercet.

X. *Actus Charitatis movere potest ad sperandum beatitudinem.*

SECTIO TERTIA.

An actus Spei sit certus, & unde id habeat?

Ratio dubitandi est: Primò, quia certitudo & securitas videntur opponi timori circa eandem rem, quilibet autem justus, quantumvis firmiter speret suam beatitudinem, timere nihilominus debet, nec certus esse de illius consecutione, juxta illud Proverb. *Beatus vir, qui semper est pavidus*: ergo nullus sperare debet cum certitudine, ergo hæc non competit actui Spei.

I. *Status præsentis difficultatem proponit.*

Secundò: Quia nullus consequi potest beatitudinem absque meritis, & finali gratiâ, sed nullus potest esse certus an habeat merita, & sit decessurus ex hac vitâ in finali gratiâ, ergo nullus potest cum certitudine sperare beatitudinem ut futuram, sed tantùm ut possibilem; quoties enim aliquid à duobus pendet principiis, altero infallibili, altero contingente, non potest non esse contingens, igitur actus Spei, qui in prædictis principiis niti debet, non potest habere certitudinem, & securitatem de beatitudine ut reipsa futurâ, sed solùm ut possibili, maximè cùm nos supra dixerimus Spem beatitudinem respicere etiam ut persuasione futura est, & in hoc distingui eam à desiderio, quòd hoc beatitudinem respiciat solùm ut possibilem.

II. *Exinde auferetur difficultas, quòd nullus sciat se habere gratiam, aut esse in eâ ex hac vitâ decessurum.*

Conclusio: Actus Spei Theologicæ simpliciter loquendo est omnino certus, & infallibilis, participativè ab actu Fidei: hæc videtur de Fide: & primò quidem quòd Spes sit omnino certa, constat ex illo ad Romanos 5. vers. 5. *Spes non confundit*: De hoc tamen testimonio plura dicentur infra, numero quinto: & ad Hebræos 6. vers. 13. ubi Spes appellatur anchora firmissima & tuta, quia ut ait S. Anselmus ibi: *Sicut anchora navem firmam detinet ne fluctuet, ita Spes nostra facit nos firmos in cœlestium expectatione.* Idem docet Sanctus Ambrosius in caput primum secundæ ad Titum: Sanctus Chrysostomus Homiliâ 9. in Epist.

III. *Spes Theologica ex participatione, ab actu Fidei certa est, & infallibilis.*

Docent Patres Spem Theologicam esse omnino certam.

in Epist. ad Romanos. Divus Augustinus in Psalm. 91. Ratio est, quia sicut illa Spes dicitur incerta, quæ nititur fundamento falso vel incerto, ita è contra illa dicitur certa, quæ certo nititur judicio, & ita Spes nostra certa dicitur certitudine, quæ opponitur fallaciæ Spei humanæ, quæ sanè non ex eventu pensanda est, cùm sæpè eventus non respondeat Spei prudenter de aliquo conceptæ, & è contra sæpè respondeat, licèt temerè & levi fundamento concipiatur.

Differentia inter Spem divinam & humanam.

IV. *Declaratur ulteriùs unde Spes divina firmitatem suam, & certitudinem hauriat.*

Itaque Spes divina certa dicitur, quia certo nititur fundamento, quod quantum est ex se non deficiet. Hoc constat ex D. Paulo ad Hebræos 11. dum ait *Fidem esse substantiam rerum sperandarum*, id est certitudinem, & 2. ad Timoth. 1. vers. 12. *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* & clariùs ad Hæbreos 6. vers. 18. *Interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam Spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam & firmam.*

V. *Objic. Firmitas Spei desumi potiùs videtur à Charitate.*

Objici tamen solet contra primum testimonium ad Rom. 5. illo non probari intentum, ideo enim dixit Divus Paulus Spem non confundere, non quia habemus Fidem, sed quia *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum:* quibus verbis denotare videtur Apostolus certitudinem Spei à Charitate potiùs quàm à Fide provenire. Respondeo, Spem duplicem habere certitudinem, ex parte intellectus aliam ex Fide, tanquam ex parte fundamenti, & hæc est potissima, utpote quæ per se comitatur Spem, & communis est omnibus Christianis fidelibus, etiam peccatoribus. Alia verò est certitudo orta ex Charitate tanquam ex parte formæ, quæ tantùm convenit justis, amicus enim ab amico omnia bona sperare potest, neque periculum est ne confundatur; & de hac certitudine Apostolus scribit loco citato, quæ non excludit timorem & formidinem, cùm nemo sibi conscius sit, an odio vel amore sit dignus. Quare licèt hæc certitudo Charitatis competat Spei juxta Apostolum, non tamen excludit aliam certitudinem, quæ convenit Spei ratione Fidei cui innititur tanquam fundamento.

Resp. Duplex in Spe est certitudo, & à Fide, & Charitate.

Firmitas Spei ex Fide omnibus convenit, firmitas ex Charitate Solis justis.

VI. *Spes Theologica ea tantùm sperat, quæ à Deo sunt revelata.*

Ex dictis colligitur non posse nos per Spem Theologicam sperare, nisi quod per Fidem futurum à Deo revelatum sit; cùm enim nobis tantùm sit certum per Fidem, beatitudinem, & reliqua bona ad ipsam ordinata, esse possibilia ab omnipotentiâ Dei, & futura nobis ab ipso, si tamen in gratiâ decedamus: hac tantùm ratione certò possumus sperare illa promissa nobis à Deo; at verò cum Fide nobis non constet, nos in gratiâ decessuros, non possumus seclusâ speciali revelatione Dei, habere certum judicium de futuritione absolutâ rei speratæ absque illâ conditione. Quapropter non est necessarium ad Spem, ut objectum speratum judicetur certò futurum absolutè, sed satis est judicare illud certò futurum, nisi nos gratiæ Dei defuerimus, sicque stet per nos.

VII. *Cur in divinis Literis Spes conjungatur operibus.*

Hinc provenit, ut in Scripturis sæpissimè Spes conjungatur operibus, ut nimirum denotetur Spem quoad sui omnimodam certitudinem ab operibus studiosis & honestis dependere, ut constat ex illo Ecclesiastici 2. vers. 11. *Nullus speravit in Domino; & confusus est; quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est:* quod etiam explicatur sub comparatione olivæ Psalm. 51. vers. 10. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei*, & alibi: *Spera in Deo & fac bonitatem:* videatur Canisius capite de Spe §. 2. ubi multa Sanctorum Patrum testimonia ad hoc adducit. Concilium etiam Tridentinum sess. 6. cap. 13. docet qua certitudine sit sperandum, dicens: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, etsi in Dei auxilio firmissimam Spem collocare omnes debeant, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficiet*, & Can. 26. dicit Justos debere sperare, si tamen benè agendò perseveraverint usque in finem. Unde Fide certum est quemlibet justum verè sperantem beatitudinem, etiam ut futuram, posse in ejus consecutione deficere.

Optimè explicat Concilium Tridentinum, quo pacto Spes & Fide niti debeat, & operibus.

Ex quo ulteriùs fit, non esse requisitam ad actum Spei certitudinem absolutam, quòd certò & infallibiliter quis beatitudinem consequetur, cùm ista certitudo eventus certò futuri pendeat ex mediis efficacibus, solis prædestinatis à Deo præparatis: certum etiam est reprobos vitam æternam non consecuturos, quos tamen cùm certum sit sperare eam posse, certum etiam esse debet, non esse de ratione Spei certitudinem in eo sensu, quòd scilicet certò quis absolutè speret se gloriam adepturum. Quod ut fiat clariùs

VIII. *Ad Spem non requiritur, ut quis absolutè judicet se beatitudinem certò & infallibiliter consecuturum.*

Advertendum, Fidem certò credere & Deum promissis stare, & promisisse rectè operantibus per vires à Deo acceptas media necessaria ad consequendam beatitudinem. Quando ergo quis sperat futuram sibi beatitudinem, non solùm habet in intellectu judicium probabile, aut persuasionem fore ut beatitudinem consequatur, sed etiam judicium certum, quòd Deus benè operantibus, & beatitudinem & auxilia necessaria promisit, & quòd promissis infallibiliter stabit: ex quo judicio Spes sumit suam certitudinem: licèt enim aliæ causæ sint defectibiles, per quas proinde ab illius consecutione deficere possit, non tamen ex defectu Dei, vel auxiliorum: unde ex hoc capito, seu quantum ad hoc Spes est certa, quamvis de facto aliunde deficiat.

IX. *Deus & stat promissis infallibiliter, & promisit se bene operantibus daturum beatitudinem.*

Ad primam rationem dubitandi, respondeo negando antecedens, quia certitudo Spei non est absoluta, sed conditionata, & ex parte nostræ dispositionis & cooperationis requisitæ subjecta est timori circa futuritionem actualem rei speratæ.

X. *Actus Spei respectu beatitudinis nũ est absolutus, unde patitur secum timorem.*

Ad secundam respondeo cum Divo Thoma, Spei certitudinem sumi ex omnipotentiâ, fidelitate, & aliis Dei attributis, quæ semper eadem sunt, nec fallere possunt, licèt gratia & merita in quibus etiam secundariò nititur quis, ut actualiter consequatur beatitudinem, possint deficere; hoc autem non tollit à Spe prædictam certitudinem: quod exemplo declarari potest, si quis enim acciperet à Rege pecuniam sub regiâ promissione, quod illi daret civitatem post mensem in pretium pecuniæ sibi redditæ, si tunc accipiens pecuniam eam perderet, vel in alios usus consumeret, non eum fefellit Spes in verbo Regis & pecuniâ ab eo acceptâ, sed potiùs se ipse fefellit, qui suâ negligentiâ, vel pravitate pecuniam perdidit, per quam à Rege obtenturus erat civitatem. Idem de eo dicendum, qui acceptâ à Deo gratiâ tanquam pretio futuræ beatitudinis, ab eodem dandæ, gratiam illam perdidit, ei non cooperando.

XI. *Illa in quibus primariò nititur Spes, divina scilicet et attributa, deficere non possunt, possunt illa in quibus nititur secundariò.*

Res hac declaratur exemplo ab humanis petito.

Quæres primò: Utrùm actus Spei, sit supernaturalis? Ad hoc eodem modo respondendum sicut supra Disputatione 13. dixi de Fide, actum scilicet

XII. *Actus Spei Theologica est in entitate supernaturalis.*

Tom. II. scilicet Fidei Theologicæ, *sicut oportet*, & qui necessarius est ad salutem, esse, non quoad modum tantùm, ut vult Scotus, Caietanus, & alii, sed etiam in substantiâ supernaturalem, ut loco citato fusè declaratum est. Idem ergo hîc dicendum de actu Spei Theologicæ. Potest etiam dari actus Spei acquisitus in entitate naturalis, isque honestus.

XIII. *Actus supernaturalis Spei Theologicæ vitiari potest extrinsecè.*

Quæres secundò: An actus supernaturalis Spei Theologicæ sit ita honestus, ut nullâ ratione vitiari possit? Nihil hac de re dicendum occurrit præter ea, quæ Tomo præcedente, Disputatione 92. Sect. 4. de actus supernaturalis in genere vitiatione dixi, eum nimirum extrinsecè vitiari posse. Unde illic ostendi actum aliquem supernaturalem, etiam amoris Dei, posse ab extrinseco vitiari.

DISPUTATIO TRIGESIMA PRIMA.

De habitu Spei.

DISCVSSIS iis, quæ ad objectum Spei, tum materiale, tum formale, ejusq; actus, à quibus specificatur, pertinent, in præsenti Disputatione de habitu Spei secundùm se agemus, & ex iis quæ jam dicta sunt, naturam ejus ac notionem directè investigabimus, quæq; ei peculiares ab aliis, tum Moralibus tum Theologicis virtutibus, sint proprietates inquiremus.

SECTIO PRIMA.

An ad actus Spei eliciendos infundatur nobis habitus, qui sit virtus, & An hic habitus sit unus?

I. *Ad hos actus Spei eliciendos infunditur habitus supernaturalis.*

PRima Conclusio: Ad hos actus eliciendos infunditur nobis habitus supernaturalis. Conclusio est certa, & probanda eodem modo, ac eâdem certitudine tenenda, quâ suprà, Disputatione 17. asseruimus, & probavimus dari habitum Fidei.

II. *Docet Concilium Tridentinum infundi nobis habitum supernaturalem Spei.*

Probatur ergo primò Conclusio ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi dicitur: *In justificatione hæc omnia infusa accipit homo, scilicet Fidem, Spem & Charitatem*; & hominem justificari ait per infusionem gratiæ, & donorum; neque ibi loqui potest Concilium de actibus, ut contendit Vasquez 1. 2. d. 79. cap. 1. quia jam præsupponit Concilium illos requiri tanquam dispositiones ad ipsam justificationem, quam postea docet fieri per infusionem habituum. Adde in pueris, qui per baptismum justificantur sine ullo actu, non habet locum hæc explicatio; sed de hoc argumento latiùs dictum est tum in materiâ de Fide, tum de gratiâ.

III. *Ad actus supernaturales eliciendos requiritur aliquid per modum potentiæ supernaturalis.*

Ratione probatur, voluntas siquidem non potest proportionatè elicere actus Spei, nisi habeat ad id potentiam, per quam elevetur, sed non habet potentiam naturalem; ergo supernaturalem aliquem habitum qui se habeat instar potentiæ, sine illo namque non eliceretur proportionatè actus supernaturalis. Ex quo etiam constat hunc habitum esse entitativè supernaturalem, sicut diximus de habitu Fidei, quia scilicet actus Spei sunt intrinsecè supernaturales; ergo & habitus. Notandum tamen, quod sicut ad primum actum Fidei in iis qui non receperunt habitum, non potest concurrere habitus, ut probatum est in materiâ de Fide, sed ille fit ex speciali auxilio Dei supplente concursum habitus, ita & primus actus Spei sine habitu, ex tali auxilio elicitur, quod Fidei & Spei cum omni actu supernaturali est commune. *Primus actus Spei elicitur per auxilium Dei extrinsecum*

IV. *Ex definitione virtutis propriè dicta ostenditur Spem esse virtutem.*

Secunda Conclusio: Spes est propriè & strictè virtus: ita D. Thomas hîc, art. 1. & quæst. 4. de veritate, art. 1. & 3. estque communis Theologorum sententia. Probatur primò ex definitione virtutis propriè sumptæ, quam tradit Divus Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 4. & quam in argumento *Sed contra* colligi dicit ex variis locis Divi Augustini, ut 2. de libero arbitrio, cap. 18. & 19. & 1. Retractat. cap. 4. quæ sic se habet: *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quæ definitio secundùm omnes partes convenit Spei eo sensu quo secundùm varias sententias competit reliquis virtutibus, ut patebit si discurratur per singulas. Idem est si admittatur illa definitio quam adducit D. Thomas hic ex Aristotele 2. Ethicorum, cap. 6. *Virtus est quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit:* *Definitio virtutis propriè sumpta.*

Spes

Spes enim facit hominem bonum, non quidem omnino, & absolutè in omni genere bonitatis, sed suâ propriâ, petitâ ex objecto, ut hic secundùm inclinationem ad beatitudinem. Sed de conceptu & notione virtutis fusè dictum est Tomo præcedente, Disputatione nonagesimâ-septimâ.

V. *Sperare bonũ arduum, & nobis possibile à Deo, est actus virtutis.* Secundò probatur ratione D. Thomæ hîc: Omnis actus hominis bonus respondet alicui virtuti humanæ tanquam suo principio, sed sperare bonum arduum ut possibile nobis, & à Deo obtinendum, est actus bonus & laudabilis, ergo respondet alicui virtuti humanæ tanquam principio, & ex consequenti habitus Spei, cui respondet est virtus: Majorem probat Sanctus Doctor, quia juxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 9. Virtus est *quæ bonum facit habentem, & ejus opus reddit bonum*, ergo habitus, cui tanquam principio respondet actus bonus hominis, est virtus humana, actus namque humanus, qui attingit suam regulam, & est ei conformis, est bonus, sed hic actus attingit suam regulam, scilicet Deum, quia fertur in suum objectum ut possibile per divinum auxilium, ergo. Hæc intelligenda sunt, non de Spe tantùm formatâ, seu quæ simul existit in animâ cum gratiâ habituali, sed etiam de informi, & in peccatore: qua de re nil opus plura hîc addere, cùm hoc supra probatum sit in simili de habitu Fidei.

Declaratur peculiariter quomodo Spes sit propriè virtus.

Hoc intelligendum etiam est de Spe informi.

VI. *Unus est habitus Spei diversis specie actibus respondens.* Ad tertiam quæstionis partem quod attinet, eodem modo procedendum, sicut supra diximus de Fide, Disp. 17. Sect. 2. & 3. nempe quamvis actus Fidei sint specie distincti, non tamen tot in homine esse habitus Fidei partiales, quot sunt actus, sed unicum in singulis hominibus, diversis specie actibus respondentem, ob rationes ibi allatas: idem proinde hîc dicendum existimo de habitu Spei.

SECTIO SECUNDA.

An Spes sit virtus Theologica?

I. *Quæstio procedit de Spe infusâ, & circa beatitudinem supernaturalem.* DE hoc D. Thom. art. 5. estque sermo, non de Spe acquisita, vel circa beatitudinem naturalem, qualem fortè Spem habere potuerunt antiqui Philosophi, cùm talem beatitudinem post hanc vitam, licèt non adeo certò, & cognoscere & sperare potuerint. Neque etiam est sermo de actu naturali Spei circa beatitudinem supernaturalem, licèt ea detur, ut supra concessimus, sed solùm de Spe infusâ.

II. *Durandus ait Spem, si comparetur ad objectum immediatũ, non esse virtutem Theologicam.* Durandus ergo in 3. dist. 26. quæst. 2. art. 6. consequenter ad ea quæ supra, ut vidimus de objecto Spei dixerat, scilicet non esse immediatè Deum, sed tantùm visionem Dei, & Deum solùm esse objectum Spei mediatum; consequenter inquam, asserit Spem, si comparetur ad objectum immediatum, non esse virtutem Theologicam, quamvis id ei concedat, si comparetur ad mediatum.

III. *Sequitur ex hac sententiâ Spem non esse omnino virtutem Theol.* Sed meo judicio Durandus cogitur negare Spem esse omnino virtutem Theologicam, quia juxta illius sententiam Deus non est objectum Spei aliter quàm in quantum est objectum visionis, quæ sola est immediatum & proprium ejus objectum, ergo Spes secundùm propriam rationem specificam non habet Deum propriè pro objecto, sed solam visionem, quod est dicere Deum non esse proprium objectum specificativum Spei, proprium autem ejus objectum esse solam visionem. Ex quo ulteriùs sequitur Spem non esse virtutem Theologicam, quia de naturâ cujusque virtutis judicandum est ex objecto sibi proprio.

IV. *Quo pacto probent aliqui Spem non esse virtutem Theologicam.* Sententia autem negans Spem esse vittutem Theologicam sic probatur; si enim propter ullum argumentum asserenda esset virtus Theologica, maximè ob illud, quo hoc probatur à Sancto Thoma art. 5. quod scilicet Spes attingat Deum, ut primam causam efficientem, in quantum scilicet ejus auxilio nititur, & ut ultimam causam finalem, in quantum nimirum in ejus fruitione beatitudinem expectat, ergo habet eum pro objecto, sicque est virtus Theologica. Sed hoc argumentum multas patitur impugnantiones, primò etenim utraque pars antecedentis non videtur rectè adduci ad inferendum consequens; & quoad priorem patet, Deus namque ut causa efficiens, & conferens auxilia, quibus obtinendus est finis speratus, non est objectum Spei; sed medium ad consequendum beatitudinem, quæ est objectum speratum, sicut medicina, quia causativa sanitatis, non est objectum Spei in infirmo, sed medium ad sanitatem, quam sperat, ergo ex illâ parte malè infertur Deum esse objectum Spei. Quoad posteriorem etiam partem idem ostenditur, quia fruitio Dei est aliud objectum ab ipso Deo, ergo quamvis Spes habeat pro objecto fruitionem Dei, non sequitur eam habere pro objecto Deum.

Dicũt Deum ut causam effi ientem, & conferentem auxilia non esse objectum Spei.

Fruitio Dei est alia res à Deo.

V. *Sequitur, inquiunt, Theologiam esse virtutem Theologicam.* Secunda impugnatio est; sequitur namque Theologiam nostram esse virtutem Theologicam; patet sequela, attingit enim Deum ut primam veritatem revelantem, in quantum scilicet habet ipsum pro objecto primario.

VI. *Ostenditur Spem infusam esse virtutem Theologicam.* Dicendum nihilominus Spem infusam esse virtutem Theologicam: Ita Doctores communiter cum Magistro in 1. dist. 26. ad quam sufficit ratio S. Thomæ supra posita, si hoc modo formetur: Spes habet pro objecto formali & materiali immediato Deum, ergo est virtus Theologica: consequentiam supponit Divus Thomas ex eo quòd dixerat 1. 2. quæst. 62. virtutem nempe Theologicam esse, quæ habet Deum pro objecto: ubi quamvis duas alias rationes assignet hujus denominationis, eam scilicet infundi nobis à Deo solo, & habere ejus notitiam ex divinâ revelatione, ambæ tamen reducuntur ad primam, quia illa intelligitur de Deo, ut est objectum ordinis supernaturalis. Antecedens verò probat, quia Spes nititur Deo ut primæ causæ conferenti auxilia ad consequendam beatitudinem, & respicit ipsum ut ultimam causam finalem, in cujus fruitione beatitudinem expectat: ubi cùm dicit Sanctus Doctor Spem inniti Deo ut adjuvanti, intelligit eum esse objectum formale, sive rationem objectivam sperandi, sicut supra quæst. 1. articulo primo, cùm dixit Fidem inniti primæ veritati ut revelanti, intellexit Deum ut revelantem, esse rationem formalem objectivam credendi.

Declaratur ratio S. Thomæ, qua probat Spem esse virtutem Theologicam.

Tom. II.

SECTIO TERTIA.

Objectiones contendentes Spem non esse virtutem Theologicam.

I. *Ex eo quòd Spes sit virtus Theologica, non sequitur religionem esse.*

OBJICIES primò: Ergo religio est virtus Theologica cùm feratur in cultum Dei, & hoc modo etiam in Deum. Negatur tamen consequentia; ad probationem dicendum ex Sancto Thoma 1. parte, quæst. 81. art. 5. corp. & ad primum, discrimen esse in modo, quo in duobus illis actibus includitur Deus, in objecto quippe religionis, quæ est cultus Dei, non includitur Deus ut objectum, neque ut pars constituens, aut complens objectum religionis, sed ut finis, ad quem cultus & honor, qui est completum objectum religionis, ordinatur, ut constat ex Vasquez lib. de Ador. Asorio lib. 9. cap. 1. quæst. 3. Suarez Tom. 1. de Religione, lib. 3. c. 3. & aliis. At verò in objecto Spei, quod est visio, includitur Deus ut complens & constituens objectum integrum, simul cum visione, ut in superioribus ostensum est.

II. *Differentia inter religionem, obedientiam, justitiam erga Deum, pœnitentiâ, & Spem in ratione virtutis Theologica.*

Ex his intelligitur, quare religio, obedientia, Justitia erga Deum, pœnitentia, & similes non sint virtutes Theologicæ, sed morales, sint verò Fides, Spes, & Charitas, quia scilicet religio & aliæ solùm respiciunt Deum quasi indirectè, & ut finem *cui*, religio intendendo bonum cultus ratione ipsius excellentiæ, Obedientia bonum subjectionis legislatori, Justitia divinum jus illæsum, Pœnitentia compensat injuriam factam Deo. Etsi enim negari nequeat, istas virtutes Deum respicere, non tamen illum respiciunt directè, sed aliquid creatum ad Deum pertinens, ut rectè advertit Suarez Tomo quarto de Pœnitentiâ, d. 2. Sect. 2. conclusione 1. & d. 7. sect. 1. num. 12. & Tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 3. ubi ex professo explicat quid attinet ad Religionem: at verò tres virtutes Theologicæ formaliter ac directè, atque ut objectum *quod* Deum ipsum attingunt, in quo consistit ratio virtutis Theologicæ.

III. *Vigetur difficultas supra posita ex discrepantiâ inter Latriam & Duliam.*

Dices: Latria distingui solet à dulia per hoc, quod Latria respiciat excellentiam divinam, Dulia verò excellentiam creatam, adoratio enim id sibi proprium vendicat, ut feratur in excellentiam personæ, cui defertur obsequium, ita ut propriè una persona non possit adorari propter excellentiam alterius, sed solùm propter suam: in quo est differentia inter Religionem ex unâ parte, quæ habet duos habitus ad colendum Deum & Sanctos, & Charitatem ex aliâ, quæ eadem cùm sit, amare potest Deum & proximum, intendendo illi bona propter Deum, ergo religio attingit excellentiam divinam tanquam ultimum specificativum, ergo non minùs erit virtus Theologica quàm Spes.

IV. *Diverso longè modo Spes fertur in Deum à religione.*

Respondeo tamen longè diverso modo Religionem ferri in Deum, ac fertur Spes, illa siquidem ita respicit Dei excellentiam, ut solùm Deum attingat tanquam cui exhibet cultum, & non tanquam objectum specificans, ita ut propter bonitatem excellentiæ personæ cultus ei deferatur, & ut illa excellentia integret objectum, sed solùm respicit bonum cultus tanquam objectum. Sicut enim de Spe dicebamus, non obstare quin Theologica sit, quòd respiciat aliquid creatum ut finem *cui*, quia ratio quam formaliter & directè attingit, est aliquid increatum, ita in præsenti, quia religio solum respicit divinam excellentiam tanquam cui exhibet cultum, intendendo bonum cultus, non erit virtus Theologica, ad quam nimirum non sufficit Deum ut finem cui & indirectè attingere: ut constat ex dictis. *Religio directè, tantùm respicit cultum Dei.*

V. *Spes & charitas in omni omnino actu attingunt Deum directè.*

Quæres utrùm virtus Theologica in omni actu suo attingat Deum directè. Respondeo in Charitate, licèt feratur ad aliqua creata, semper tamen rationem formalem esse Deum, propter quem intendit & amat quidquid amat. Spes similiter etiamsi plura bona nobis creata desideret ac speret, semper tamen ipsa sperat per ordinem ad beatitudinem nostram, atque adeo in omni actu Spei beatitudo nostra respicitur tanquam ratio formalis, sive objectiva sive motiva, unde istæ duæ virtutes in omni actu suo sunt Theologicæ, quia in omni actu aliquid increatum est ratio formalis finalizans.

VI. *Quamvis major difficultas sit de Fide, dicendum tamen eam in omni actu directè attingere Deum.*

Quo ad fidem non videtur hoc tam clarum, quia licèt omnia quæ cognoscit, cognoscat sub divinâ revelatione, non tamen videtur ea cognoscere sub ratione primæ veritatis, ita ut omni actu cognoscatur prima veritas, sed plures veritates creatæ cognoscuntur, quia sunt à Deo revelatæ, quod non videtur sufficere ut tales actus dicantur Theologici. Quod in illorum sententia maximè verùm habet, qui dicunt fidem in variis actibus esse discursivam. In nostrâ tamen sententiâ, qui supra Disp. 12. negavimus Fidem esse discursivam, dicendum omnem actum Fidei esse Theologicum; in omni enim actu non solùm assentimur veritati creatæ, sed etiam increatæ, ut rationi credendi aliâ. Licèt etiam in omni actu Fidei non cognoscantur veritates, quæ ad Deum pertinent, sed plures aliæ, in actu tamen Fidei cognoscimus Deum ut veracem & dicentem aliquid, & propter hoc credimus quidquid credimus; atque adeo omnis actus Fidei fertur in primam veritatem, saltem sub ratione veritatis in dicendo, tanquam in rationem formalem sub quâ alia credit, quod sufficit ad rationem actus Theologici. *Ostenditur quomodo omnis actus Fidei sit Theologicus.*

VII. *Virtus quæ bona creata propter ipsa à Deo speraret, non esset Theologica.*

Unde si daretur virtus aliqua in voluntate infusa, quæ bona creata formaliter propter ipsa nobis à Deo speraret, hanc credo non futuram Spem Theologicam, etiamsi Deum respiceret ut principium à quo, respectus enim ad Deum præcisè ut ad causam efficientem, ad hoc non sufficit, quia in ratione finalizandi debet invenire deitatem, quam attingat, alioquin non erit actus Theologicus sicut jam diximus de religione; non enim qualiscumque respectus ad Deum sufficit ut virtus dicatur Theologica, uti jam est ostensum.

VIII. *Solvitur objectio contra rationem S. Thomæ Sect. præced. n. 4. proposita.*

Secunda objectio est, quæ Sectione præcedente proponebatur contra argumentum S. Thomæ: ad cujus primam impugnationem negatur malè adduci antecedens ad inferendum consequens, & ad priorem partem dicendum, ex illâ solùm inferri consequens intellectum esse de objecto formali: neque contra hoc habet vim ullam quod objicitur, Deum scilicet ut conferentem auxilia habere rationem medii, quia non est præcisè medium respectu Spei, ut supra ostensum est, sed habet se ut objectum. Ad illud de medicinâ ejusque probationem quoad posteriorem partem dico, ex illâ inferri consequens intellectum de objecto *quod*, nam fruitio Dei & Deus quamvis sint duæ res distinctæ, possunt nihilominus *Deus, & Dei fruitio unum constituunt objectum Spei.*

nihilominus constituere unum integrum objectum Spei, ut jam est sæpiùs declaratum.

IX. *Ratio cur Theologia non sit virtus Theologica.* Ad secundam impugnationem negatur sequela, ad probationem respondetur, Theologiam neque niti formaliter & immediatè divinæ revelationi, sed mediatè & virtualiter, scilicet medio discursu ex propositionibus revelatis, neque habere immediatè Deum pro objecto materiali, sed mediatè tantùm, nempe mediis propositionibus de Fide.

SECTIO QUARTA.

An Spes à cæteris virtutibus distinguatur, & quem locum inter ipsas obtineat?

I. *Spem cum Fide, quam vocant justificantem, imo & cum Charitate identificant hæretici.* HÆRETICI hujus temporis, ut refert Bellarminus de Justificatione cap. 4. omnia confundentes docent Spem non distingui à Fide justificante, ut ipsi loquuntur, seu, quod eodem recidit, à fiducia, qua, inquiunt, certi sumus de divinâ misericordiâ condonante nobis peccata per Christum, quam quia sufficere putant ex parte nostrâ ad obtinendam à Deo Justitiam, & remissionem peccatorum, justificantem vocant, imo & dilectionem ipsam ac Charitatem cum Fide identificant, & hac ratione explicant illud Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit*, id est, inquiunt ipsi, credidit.

II. *Certum est Spem distingui realiter à virtutibus moralibus infusis.* Prima conclusio: Spes realiter distinguitur à virtutibus moralibus infusis: hæc est indubitata, & magis constabit infra. Probatur, Spes siquidem distinguitur à Charitate, & manere potest illâ destructâ in peccatore, ergo & sine virtutibus infusis, quæ pereunt juxta omnes pereunte Charitate, ergo distinguitur ab illis, cùm, illis realiter destructis, hæc etiamnum perseveret.

III. *Spes realiter etiam distinguitur à Fide & Charitate.* Secunda conclusio: Etiam realiter distinguitur à Fide & Charitate; hæc, si intelligatur quoad actus, est certa de Fide contra hæreticos, quorum tamen non est præsentis instituti errores omnes impugnare, sed solùm identitatem, quam constituunt inter Spem & alias duas virtutes Theologicas. Probatur primò ex illo 2. ad Corinthios 13. vers. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, major autem horum est Charitas:* ex quo loco Apostoli tria desumi possunt argumenta, primum ex illis verbis, *tria hæc*, ad rationem quippe numeri, præsertim cum tali designatione necessaria est distinctio realis, non enim dici potest Apostolum enumerasse hoc loco rationes formales. Secundum argumentum sumitur ex verbis *nunc manent*, quia per ea denotatur *nunc*, seu in hoc statu peregrinationis manere omnes has tres virtutes, non verò in patriâ, & quia subjungitur, major autem horum est Charitas, significatur eam manere in beatitudine; nam ut notavit Sanctus Chrysostomus, dicendum est significari Charitatem esse majorem in eo, in quo aliæ duæ virtutes sunt inferiores, nempe quia cùm illæ transeant, ipsa permanet. Tertium argumentum sumitur ex verbo *major*, idem namque ad seipsum, ut majus ad minus non comparatur.

Ex Scripturâ ostenditur Spem realiter distingui à Fide & Charitate.

Docet S. Chrysostomus Spem distingui realiter à Charitate.

IV. *Ex doctrinâ Concilii Tridentini probatur Spem* Secundò probatur conclusio ex Concilio Tridentino sess. 6. de Justificatione cap. 7. ubi sic habetur: *In ipsâ Justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM CHRISTUM cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem:* cùm enim omnia simul infundi non dicatur de eadem re, etiamsi plures habeat rationes formales, significari videtur has tres virtutes distingui inter se realiter. Quod etiam confirmatur ex verbis sequentibus: *Nam Fides, nisi ad eam Spes accedat & Charitas*, &c. idem siquidem non dicitur accedere ad se. Hoc etiam docent Patres communiter, S. Augustinus in Enchirid. cap. 8. S. Gregorius lib. 1. Moralium, cap. 28. ubi comparat has tres virtutes tribus filiabus Job: eadem quoque doctrina passim in aliis Patribus reperitur.

Spem realiter distinguitur à Fide, & Charitate.

Eadem veritas passim docetur à Patribus.

V. *Idem dicendum videtur de harum virtutum habitibus.* Si verò conclusio intelligatur quoad habitus, non est tam certa, sed eo solùm gradu, quo est certum dari habitus infusos harum virtutum, quod mihi videtur saltem esse proximum Fidei propter testimonium citatum ex Tridentino, quod latiùs expendimus in superioribus.

VI. *Hæreticorum argumenta latè solvuntur ab auctoribus citatis.* Fundamenta hæreticorum examinari solent in materiâ de Justificatione, & circa illa videri possunt Sotus lib. 2. de naturâ & gratiâ, cap. 7. conclusione 2. Bellarminus supra, Roffensis contra primum articulum Lutheri, Castro, adversus hæreticos verbo *Fides*, & verbo *Fiducia*, Hosius lib. 1. de hæresibus, prope medium, Valentia quæst. 1. de Fide, p. 1. & hîc, p. 2. apud quos latè refutantur.

VII. *Spes est imperfectior Fide, perfectior tamen virtutibus moralibus.* Tertia conclusio: Licèt Spes perfectior sit virtutibus moralibus, est tamen imperfectior tum Fide, tum Charitate. Prima pars est certa quoad virtutes morales, cùm Spes sit virtus Theologica, habens pro objecto non aliquid creatum sicut illæ, sed Deum ipsum.

VIII. *Cur Spes sit imperfectione inferior Charitate.* Secunda pars, quoad Charitatem, quod ea sit perfectior Spe non minùs videtur certa, tum ex illo primæ ad Corinthios 13. *Major autem horum est Charitas*, tum quia Charitas perfectiori modo nos conjungit Deo, scilicet perfectissimo amore amicitiæ, sine intuitu proprii commodi, quod tamen non habet Spes. Tertia verò pars, nempe quoad Fidem probata est supra, Disputatione 25.

IX. *In horum habituum infusione nullus plerumque ordo servatur, sic tamen in destructione.* Quarta conclusio: Quamvis non repugnet unum ex his habitibus infundi sine alio: si tamen consentaneè ad suam naturam, & juxta statum perfectum infunderentur, nullus est inter illos ordo quoad infusionem, nec unus est prior alio, sed omnes simul infunduntur, quamvis in destructione ordo aliquis servetur. Prior pars patet ex dictis in materiâ de Fide, ubi diximus, si catechumenus eliciat actum Fidei, & baptizetur sine debito dolore peccatorum, probabilius esse infundendam ei Fidem sine Spe & Charitate, & si eliciat actum Spei, Spem etiam infundendam, quia ad talem infusionem sufficienter disponitur per actus, quos tunc elicit, non tamen disponitur sufficienter ad Charitatem. Hi tamen habitus erunt informes, & non in statu perfecto, quia non informantur Charitate.

Habitus Fidei interdùm infunditur sine Spe & Charitate.

X. *Habitus prædicti nò sunt in statu perfecto sine aliis.* Secunda pars per se patet, quia isti habitus non sunt in statu perfecto & consentaneè ad suam naturam, nisi quando sunt cum gratiâ habituali, quæ postulat illorum infusionem. Tertia denique pars probatur, destructâ siquidem Fide, vel Spe, perit Charitas, licèt hac pereunte illæ remaneant; item pereunte Fide perit Spes, quia Fides est quæ proponit objectum Spei & Charitati, estque veluti primum fundamentum ædificii spiritualis: unde statim ac quis labitur in hæresim, Spem amittit, licèt nullum habeat actum contrarium

Pereunte Fide & Spe, perit Charitas, non è contra.

Tom. II.

Quemodo amittantur Spes & Fides.

contrarium Spei, quo casu excepto, per nullum peccatum amittitur Spes, nisi per actum sibi contrarium, desperationem scilicet, quemadmodum habitus Fidei non amittitur nisi per hæresim, Charitas autem per quodcunque peccatum mortale destruitur.

XI. *Actus aliquis Fidei naturâ prior omni actu Spei, & Charitatis.*

Quinta conclusio: Si actus ipsi inter se conferantur, aliquis actus Fidei est prior, saltem naturâ, omni actu Spei & Charitatis: Actus verò Spei, licèt non sit necessarium ut præcedat actum Charitatis, communiter tamen aliquis actus Spei prior est actu Charitatis. Prima pars ex eo constat, quod cùm objecta Spei & Charitatis sint aliquid revelatum, debent ante actus earum per Fidem proponi; ergo actus Spei debet esse prior, saltem naturâ, imo sæpè est prior tempore, quamvis id non sit necessarium.

XII.

Secunda pars probatur; non est enim cur homo, qui per actum Fidei sibi proponit Deum esse summum bonum, & summo amore dignum, non possit statim ante actum Spei eum amare, ut est bonus in se, quin recordetur beatitudinis, ut illam speret; ergo tum poterit esse actus Charitatis ante actum Spei. Tertia pars etiam probatur, ille enim qui de novo convertitur ad Fidem, postquam credit bona supernaturalia, quæ illi promittuntur, movetur ad illa amore concupiscentiæ, deinde erigitur in Spem illorum, & tandem excitatur ad perfectum amorem amicitiæ illius, qui talia bona promisit, & largitur: nam Spes, ut supra dicebamus cum D. Thoma, art. 8. excitat amorem illius à quo bonum aliquod speramus. Cum igitur homines ita proni sint ad proprium commodum, verisimile est hoc imperfecto amore concupiscentiæ communiter excitari eos, & disponi ad amorem perfectum Charitatis, tanquam ab imperfectioribus ad perfectiora procedentes.

Ostenditur dari posse actum Charitatis ante actum Spei.

Quare actus Spei plerumque præcedat actum Charitatis.

DISPUTATIO TRIGESIMA SECUNDA.

De subjecto Spei.

QVÆ ad reliquas causas pertinent communia Spei sunt cum Fide & aliis habitibus supernaturalibus; finis namque est Deus ut à nobis sperandus, cum ad hoc infundatur Spes, ut in Deum tanquam in supremam fœlicitatem tendamus: causa verò formalis intrinseca Spei, cum ipsa sit forma non potest esse alia, quam ejus essentia, extrinseca ejus forma est Charitas, quæ forma dicitur omnium virtutum: cùm etiam Spes, de qua loquimur, sit habitus per se infusus, & non acquisitus, efficiens principale est Deus eum infundens & augens sive mediis Sacramentis tanquam instrumentis, sive cum homo propriis actibus se disponit, ad quos actus concurrit nostra voluntas & habitus. De causâ etiam materiali proximâ nihil dicendum, cum constet eam esse voluntatem. Solum ergo disputandum restat de causâ remotâ, personis scilicet, in quibus reperiri potest, Angelis nimirum & hominibus, vel viatoribus, vel qui sunt in termino, beatis scilicet & damnatis.

SECTIO PRIMA.

An Spes sit, vel fuerit in omnibus viatoribus, etiam animabus Limbi, vel Purgatorii?

I. *Iusti, qui in hac vitâ degunt, habent virtutem Spei.*

VIATORES qui adhuc sunt in hac vitâ, vel sunt justi, de quibus nulla est difficultas; quidquid enim in Scripturis de Spe dicitur, vel his, vel nullis convenit, utpote quos *Deus regeneravit in spem vivam*; Primâ Petri c. 1. & qui *gloriantur in spe gloriæ filiorum Dei*: Ad Rom. c. 5. in quæ verba D. Anselmus, ait, *Magnam esse gloriam per fidem ac spem in numerum filiorum Dei adscribi*: & Origenes lib. 4. in Epist. ad Rom. ostendit Apostolum loqui de Spe gloriæ; quam, inquit, habent hi, quibus est dictum, *Beati mundi corde, quia ipsi Deum videbunt*; quod licèt de actu ab aliquibus intelligatur, illud tamen Tridentini sess. 6. c. 7. intelligendum videtur de habitu, dum dicit, in justificatione infundi simul, *Fidem, Spem, & Charitatem*. Nec obstat Beatissimam Virginem, & Apostolos certò sciviss suam beatitudinem; adhuc enim ipsis erat bonum arduum,

Varie hac ex divinis Litteris ostenditur.

Quid de viatoribus, qui in peccato sunt, existimandum quoad Spem.

arduum, & nondum possidebatur: vel viatores sunt peccatores, & hos, si Fide careant, Spe etiam carere diximus, præsertim quoad actum, deest namque illis propositio debita objecti supernaturalis, quæ per Fidem sit, nec aliter esse poterit certa, qualis esse debet actus Fidei infusæ. Fortè tamen habere poterunt actum Spei acquisitæ, qui à Fide infusâ, non pendeat juxta supra dicta, at habitum etiam acquisitum per quem sè faciles sentiant ad eadem speranda, quæ antequam in hæresim prolaberentur, sperabant.

II. *Fideles omnes, quantumvis in mortali existant, dummodo actum Spei contrarium non eliciant, habent virtutem Spei.*

Prima Conclusio: In viatoribus fidelibus in mortali existentibus reperitur Spes, dummodo actum illi contrarium desperationis non habuerint: ita Theologi communiter; imò ex iis nonnulli affirmant erroneum esse illud negare, eo quòd Tridentinum supra, actum Spei in peccatore constituat dum se disponit ad justificationem, & capite 8. definit metu gehennæ hominem confugere ad Dei misericordiam; nemo autem potest confugere sine Spe: Colligitur etiam ex Ecclesiastici c. 31. *Fili peccasti, non adjicias ultra, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur*; ergo peccator habere potest actum Spei, quo veniam peccatorum speret.

III. *Ratio cur in peccatoribus non desperantibus sit Spes*

Ratiò est, quia cum beatitudo consequenda à viatoribus, sit bonum arduum, & ad illam etiam necessaria sit peccatorum remissio, necesse est ut peccator fidelis erigatur per actum Spei ad consecutionem tanti boni, & consequenter ad sperandam peccatorum veniam, tum ut medium, tum ut per hunc actum unà cum aliis se disponat ad justificationem.

IV. *Datur etiam habitus Spei in peccatoribus fidelibus*

Quod verò attinet ad habitum Spei, licèt non sit ita certum esse in iis habitum Spei, Vega tamen lib. 9. c. 38 dicit esse communem omnium Theologorum sententiam, & videtur D. Thomæ hîc, art. 3. & Durandi Dist. 26. q. 3. & aliorum, qui absolutè aiunt Spem esse in peccatoribus fidelibus, intellige etiam dum actum Spei non eliciunt.

V. *Unde probetur dari habitum Spei in peccatore fideli.*

Probari communiter solet, nam in peccatore fideli potest esse actus Spei; ergo & habitus, qui talem actum eliciat: consequentia patet, quamdiu namque non amittit objectum formale Spei, non amittitur habitus, sicut non amittitur habitus Fidei. Quemadmodum ergo habitus Fidei semel infusus non amittitur, nisi per hæresim, ita habitus Spei, etiam in peccatore, nisi per desperationem.

VI. *Declaratur mens S. Augustini, dum dicere videtur, peccatorem non posse sperare.*

Objicies primò, Auctoritatem S. August. in Psalm. 31. post medium dicentis, *Quomodò mala conscientia tota in desperatione est, sic bona tota in spe*; ergo peccator ob malam conscientiam non potest elicere actum Spei. Respondetur primò, loqui ibi sanctum Doctorem de Spe formatâ, quæ non manet in peccatore. Resp. secundò, solum illic significare, desperationem sæpè effectum esse malæ conscientiæ, juxta illud Sapient. c. 17. v. 10. *Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.*

VII. *Quamvis virtutes morales destructâ Charitate destruantur, non tamen destruitur habitus Spei.*

Objicies secundò: Destructâ Charitate per peccatum, simul etiam corrumpuntur omnes virtutes morales infusæ; ergo etiam Spes, quæ nobilior est illis, & residet in voluntate, sicut illæ. Respondeo negando consequentiam, disparitas est primò incompossibilitas habitus Charitatis cum peccato mortali, non autem habitus Spei. Secundò quoad virtutes morales infusas, quia actus illarum non sunt dispositiones per se necessariæ ad justificationem, & ideo ut peccator possit eos habere, sufficit quòd habeat paratum supernaturale Dei auxilium ad illos eliciendos, at verò cùm actus Spei sit dispositio per se requisita, hinc fit quò connaturaliùs eam habere possit peccator, tanquam quid necessarium ad salutem ut principium illius relinquatur, habitus scilicet Spei, sicut & Fidei, ut per utriusque habitum faciliùs disponatur, maximè cum peccatum mortale illis non opponatur, unde manere possunt quantumvis corrumpantur virtutes morales infusæ.

Differentia inter Spem & virtutes morales.

VIII. *Quid de animabus Purgatorii censendum quoad actū & habitum Spei.*

Restat ut de animabus Purgatorii, & in Limbo aliquid dicatur: De quibus ratio dubitandi esse potest: primò, quia in Purgatorio sunt omnino certæ & securæ de suâ beatitudine, ut definitum est à Leone X. contra Lutherum, qui antequam negaret Purgatorium, animas in illo dicebat posse mereri & demereri, quia nondum erant in termino, nec securæ de suâ salute. Igitur cum omnimoda certitudine videtur stare non posse Spes. Secundò quia animabus Purgatorii debita est gloria, utpote habentibus illam in radice & semine, quod est gratia, quam inamissibiliter possident. Confirmatur primò, quia sicut Beati non possunt propriè habere Spem respectu gloriæ corporis, quia debita est beatitudini animæ, quam possident, ita similiter neque existentes in Purgatorio habere poterunt propriè Spem respectu beatitudinis, quia debetur gratiæ, quæ est semen gloriæ. Confirmatur secundò ex illo Isaiæ cap. 38. v. 18. *Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.*

Rationes variæ contendentes in animabus Purgatorii non dari Spem.

IX. *Spes in animabus in Purgatorio detentis reperitur.*

Secunda conclusio: In animabus Purgatorii reperitur Spes, tum quoad actum, tum etiam quoad habitum: ita D. Thomas articulo tertio, & ejus interpretes. Bellarm. lib. 2. de Purg. c. 4. & sufficienter probatur unicâ ratione D. Thomæ, quòd nimirum adhuc beatitudo sit ipsis futura à Deo. Nec certitudo tollit motivum sperandi, ut dictum est de Beatissima Virgine & Apostolis, ergo. Confirmatur, quia est in illis virtus Fidei, ut supra Disputatione 19. sect. 1. dixi, tum quoad actum, tum quoad habitum; ergo & Spes, cum non sit unde tollatur, ut magis constabit ex solutione rationum dubitandi. Hinc etiam infertur, in Patribus Limbi fuisse Spem, ut docet Magister dist. 26. Non tamen datur Spes in pueris decedentibus sine baptismo, quia hi absolutè numerandi sunt inter damnatos, quibus impossibilis est beatitudo supernaturalis.

Quomodo in iis spes exerceat.

In Patribus in Limbo olim fuit Spes: non tamen jam est in pueris sine baptismo decedentibus.

X. *Solvuntur argumenta contrà Spem in animabus Purgatorii repertam.*

Ad primam rationem dubitandi, constat ex dictis supra, certitudinem & securitatem non tollere rationem spei. Ad secundam concessio antecedente, negatur consequentia: disparitas est, quia gloria corporis diverso modo est debita beatitudini essentiali, quàm gratiæ debetur beatitudo; illi enim ita est debita ex naturâ rei, ut nisi per potentiam Dei absolutam impediatur, ab illâ non secus quàm à Sole lux, vel ab animâ intellectus, per naturalem resultantiam sit emanatura: at verò beatitudo essentialis, licèt per modum præmii debita sit justis & habentibus, gratiam, utpotè filiis adoptivis, non tamen iis ita confertur, nec procedit à gratia sicut gloria corporis à beatitudine animæ, sed potiùs ex fidelitate & promissione, quæ ideo adhibita est à Deo, ac nostris operibus adjuncta: & per hæc etiam patet ad primam confirmationem.

Disparitas inter gloriæ corporis, & essentialem.

XI. *Explicatur dictum illud*

Ad secundam respondeo locum illum intelligi posse vel de inferno, ubi nulla est Spes, vel de Limbo,

Tom. II. de Limbo, tum verò dicendum sermonem ibi esse de Spe habendi Messiam pro filio, quæ jam non poterat esse in illis, licèt habere potuerint Spem beatitudinis, ut suprà dixi.

Isaïs circa Spem Patrũ in Limbo.

SECTIO SECUNDA.

An in damnatis sit, vel esse possit Spes beatitudinis?

I. *In damnatis nec reperitur actus, nec habitus Spei infusa.*

QUOAD priorem partem, ut certum tenendum est cum D. Thoma hîc, art. 3. & communi Theologorum: in damnatis neque esse actum neque habitum Spei infusæ; & quidem quoad habitum patet, cùm enim sit propter actum, & hic in illo statu sit omnino impossibilis, ut modo probabo, non est cur talis habitus in iis à Deo conservetur. De actu itaque probatur, tum quia in illis non manet, ut supra Disputatione 19. dixi, Fides infusa, sine qua stare non potest Spes: tum quia ut ait D. Thom. Corp. artic. cum damnati certi sint de perpetuitate suæ pœnæ; hoc enim pertinet ad maximum complementum miseriæ, quod nimirum sciant se ab ea nunquam liberandos (sicut certitudo felicitatis nunquam amittendæ est magna illius pars, & sine qua non est perfecta) hinc fit ut Spes non possit esse in illis, cùm bonum futurum respiciat, quod in illis est impossibile, saltem secundùm legem ordinariam à Deo stabilitam, in ordine ad quam desumenda est possibilitas & futuritio boni, quod est objectum Spei. Adde Deum iis denegare omnem concursum supernaturalem, sine quo actus Spei elici non potest.

Cur in damnatis dari nequeat Spes,

Beatitudo ipsis est de lege ordinariâ impossibilis.

II. *Cur magis esse possit Fides in damnatis, quàm Spes.*

Quæres: Quo sensu Divus Thomas art 3. ad 2. dixerit magis posse esse Fidem in damnatis, quàm Spem: ratio dubitandi est, quia Fides & Spes supernaturalis non manent in damnatis, ut vidimus: Spes autem acquisita non est cur manere non possit, sicut & Fides acquisita perseverat. Quod majorem vim habet in eorum opinione, qui putant esse actum Spei, si quis alteri speret beatitudinem, nam licèt eam sibi sperare non possit, nulla tamen apparet repugnantia, quin alteri viatori eam speret, sicut dives ille epulo, qui ex Spe videbatur præcavere fratribus, ne damnarentur.

III. *Declaratur quare Spes magis iis repugnet, quàm Fides.*

Respondetur, licèt in damnatis sit Fides acquisita, nullus tamen honestus actus Spei acquisitæ, sicut neque alius honestus in illis esse potest, eo quòd juxta communem Theologorum sententiam, nullum congruum auxilium damnatis ad benè operandum conceditur, ut cum aliis affirmat Vasquez 1. parte, quæst. 64. art. 3. d. 141. Deinde, & præcipuè, cùm sciant pœnam suam fore æternam, non possunt apprehendere bonum illud proprium futurum, neque etiam id sperare Spe acquisitâ, ex quocumque motivo. Si verò beatitudo aliorum esset objectum Spei ut aliorum, ex hac parte non deficeret Spes in damnatis, supra tamen probavimus bona aliorum non esse objectum Spei, nisi ut aliquo modo nostra, quod nihilominus in damnatis locum habere non potest.

Quid si quis, alteri sperare posset beatitudinem.

IV. *Potest habitus Spei divinitus reperiri in damnatis.*

Non tamen implicat, quin per divinam potentiam in damnatis reperiatur Spes quoad habitum; imo si Deus damnato alicui revelaret eum esse ab illo statu aliquando liberandum, elicere posset actum Spei, quo speraret suam beatitudinem, sed in hoc casu non esset propriè damnatus. Ad id quod de animâ Traiani fertur precibus Divi Gregorii ex inferno liberatâ, respondet Divus Thomas in additionibus ad quæstionem 71. art. 5. ad 5. Traianum non fuisse verè damnatum, sed ejus animam speciali privilegio propter preces Divi Gregorii prævisas, fuisse post mortem in loco aliquo detentam, donec precibus fusis ad vitam revocaretur, ut pœnitentiam ageret. Quod etiam de aliis, quorum animæ à nonnullis liberatæ dicuntur ex inferno, asserendum.

Quid de animâ Traiani sentiat S. Thomas.

V. *Alii hanc de Traiani animâ historiam, ut commentitiam rejiciunt.*

Multò tamen verior est eorum sententia, qui hujus rei difficultatem disquirentes, hanc de Traiano historiam non modò ut commentum rejiciunt, & falsitatis clarè arguunt, sed ut errorem etiam damnant: ita Canus 11. de locis, c. 2. Soto in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. Medina 3. parte, quæst. 52. art. 6. Bellarminus tom. 2. controvert. 3. de purg. lib. 2. cap. 8. Suarez 3. parte, Tom. 2. dis. 43. Sect. 3. §. *Ad alia verò exempla*: Valentia 3. parte, d. 11. quæst. 1. p. 2. & 2. 2. d. 3. quæst. 2. p. 8. Victoria relect. 1. qui eam dicit esse fabulam, fide indignam: Denique illam refutat Baronius Tomo. 2. Annalium, in fine imperii Traiani, & latiùs Tomo 8. anno Christi 604. & Gregorii, decimo quarto: apud quos, qui hanc historiam curiosiùs addiscere cupiunt, fusè relatam & rejectam videre possunt.

Eam clarè refutat Baronius.

SECTIO TERTIA.

An Deus alicui revelare possit suam damnationem?

I. *Prima sententia dicit, non posse Deum cuiquam suam revelare damnationem.*

DIvus Bonaventura in 1. dist. 48. disp. 1. circa literam, & Altisio. apud Valentiam hîc, quæst. 4. punct. 1. negant: quibus favere videntur D. Thomas in 1. dist. 48. q. 1. a. 2. ad 2. ubi ait id esse quasi impossibile: Gregorius ibidem, & Gabriel quæst. 68. hac de re sunt dubii. Denique Valentia quæst. de Spe, p. 4. ad 3. tunc saltem ait implicare prædictam revelationem, quando simul revelaretur damnationem esse futuram propter ultimum peccatum desperationis. Alios refert Bannez infra quæst. 22. ubi pro utrâque parte plures rationes congerit

II. *Ratio est primò, quia hinc teneretur quis ad contradictoria.*

Probatur primò: Quia Deus non potest revelare alicui peccatum futurum, ab ipso committendum; ergo nec suam damnationem, quæ futura est propter peccatum: Antecedens probatur, si enim alicui revelaret peccatum furti exempli gratia, sequeretur hæc implicatio, quòd teneretur ille non furari, quia est peccatum, & teneretur furari, ne scientia Dei redderetur fallibilis; & quilibet tenetur ad id, quod est necessarium ut scientia Dei impleatur.

III. *Praterea sequeretur, inquiunt, homini illum non posse non peccare.*

Confirmatur primò: Deus siquidem non potest hominem in eum statum adducere, ut nequeat non peccare, sed hoc faceret per talem revelationem, ergo: Patet minor, si enim credat revelationem esse certam, ut debet, oppositum apprehendet ut impossibile; ergo non poterit ad id ita apprehensum, actu efficaci media applicare, quod tamen requiritur, ut peccatum illud ultimum evitet, propter quod revelatur futura damnatio. Dices poterit obliviscì hujus revelationis, & hoc modo liberè peccare. Respondeo, verum quidem id esse, sed hoc est per accidens,

accidens, cùm jam appoſita fuerit cauſa per ſe ſufficiens ad neceſſitatem, licèt per accidens non habeat effectum, quod videtur cum divinâ bonitate pugnare.

IV. *Dicunt præterea ejuſmodi revelationem, illum cui ſit actum in deſperationem.*

Confirmatur ſecundò: Talis namque licèt in ſenſu diviſo revelationis poſſet beatitudinem obtinere, hîc & nunc tamen certò ſcit eam non eſſe futuram, ergo circa illam non poteſt habere actum efficacem deſiderii vel Spei; nec enim ſperare quis poteſt, quod certò ſcit ſe non obtenturum, ergo circa ipſam cadet de Spe ſuâ neceſſariò, ac deſperabit, & conſequenter deſperatione non liberâ, cùm tamen revelatio ſit propter ipſam deſperationem, ut propter peccatum finale. Deinde, talis revelatio eſſet actus otioſus, cùm nullus finis honeſtus eſſe poſſit ad eam faciendam. Confirmatur: Deus quippe nulli ſuadere poteſt ut deſperet, ergo nec illi revelare ſuam damnationem, conſequentia patet, multo enim magis inclinaret ad deſperationem illa revelatio quàm conſilium, cùm ex eâ certò ſciret omnes ſuos conatus eſſe fruſtraneos.

Aiunt inſuper nullum honeſtum eſſe hujus revelationis finem.

V. *Poſſe Deum alicui ſuam damnationem revelare, communior eſt inter Theologos ſententia,*

Oppoſita tamen ſententia communior eſt inter Theologos, quam expreſsè tenet D. Thomas quæſt. 23. de voluntate, art. 8. ad 2. ubi ait, quamvis de potentiâ abſolutâ Deus poſſit alicui revelare ſuam condemnationem, non tamen de potentiâ ordinariâ, juxta quæ intelligendus eſt loco citato pro priore ſententiâ, quòd ſcilicet nemini de facto, & juxta potentiam ordinariam reveletur. Idem docet Suarez hîc, tractatu 2. Diſp. 2. Sectione ſecundâ, Coninck hîc, Diſputatione 20. dub. 12. num. 93. de peccatore, non de juſto.

VI. *Poteſt abſolutè alicui ſuâ revelari damnatio.*

Concluſio: Non implicat de potentiâ abſolutâ revelari alicui ſuam damnationem, & peccatum ſpeciale, etiam deſperationis, propter quod damnandus ſit, idque revelatione abſolutâ, & non tantùm comminatoriâ.

VII. *Nulla eſt implicatio cur non poſſit Deus hanc veritatem, ſicut alias, revelare.*

Probatur primò: Nulla enim hac in re eſt implicatio, nam quòd homo ille commiſſurus ſit tale peccatum, propter quod ſit damnandus, eſt quædam veritas, quam Deus novit, ergo non eſt cur nequeat eam revelare, ſicut alias veritates revelat, vel etiam cur non poſſit hoc ipſi damnando, ſicut aliis revelare. Secundò: Non repugnat revelari actum meritorium futurum ſalvâ illius libertate, nec repugnat alicui revelari quòd ſit confirmatus in gratiâ, aut prædeſtinatus, ſicut revelatum fuit Beatiſſimæ Virgini, & ex multorum ſententiâ, Apoſtolis, ergo nec repugnat revelari peccatum futurum, & propter illud damnationem. Confirmant hoc aliqui, quia exiſtimant Antichriſtum certò præſciturum ſuam damnationem, in ſacris literis revelatam, & peccata, quæ commiſſurus eſt, ex iiſdem intellecturum.

Poteſt ſalvâ libertate revelari actus meritorius, ergo & peccatum.

VIII. *Solvitur primum argumentum num. 2. poſitum.*

Ad primam rationem in contrarium reſpondeo rectè poſſe revelari condemnationem, quamvis non revelatur particulare peccatum. Deinde adhuc revelato in particulari furto verbi gratia tenetur id non committere, nec enim tenetur quis ad omne id quod eſt neceſſarium, ut impleatur ſcientia Dei, quando id quod eſt neceſſarium antecedit ipſam ſcientiam, quale eſt peccatum, quod eſt priùs quàm ſcientia, imo ut impleatur ſcientia peccati futuri liberè à me committendi, neceſſarium eſt, ut poſſim & tenear illud vitare, quia ſcientia Dei eſt cognitio peccati liberè à me committendi, & cum poteſtate illud vitandi.

Vt quis peccet, debet poſſe vitare peccatum.

IX. Ad primam confirmationem nego minorem; non enim Deus, ſed ille ſe in ſtatu tali ponit, ponens liberè objectum talis præcognitionis, & illud peccatum non eſt abſolutè vitatu impoſſibile, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quam tollere in ejus fuit poteſtate, quod ſufficit ad peccatum. Ad ſecundam confirmationem conceſſis omnibus uſque ad ultimam conſequentiam, ea negatur, adhuc enim homo ille maneret abſolutè liber in ordine ad deſperationem, & teneretur præcepto negativo Spei; nam quod quis ſciat ſe aliquid non adepturum, & fruſtrandos conatus ſuos, non infert neceſſitatem abſolutam deſperandi, imo nec moralem, quia poteſt ſuſpendere actum, licèt hæc revelatio præbeat aliquam occaſionem; ſuppoſitâ hominis fragilitate.

Deus per hanc revelationem non adducit hominem in eum ſtatum, in quo nequeat non peccare.

Nec ex hoc ſequitur ulla in Deo injuſtitia, Deus namque juſtè conſtituere poteſt hominem in circumſtantiis, in quibus ſcit illum ex ſuâ malitiâ vel fragilitate peccaturum infallibiliter, ad hoc etiam inducentibus eum dictis circumſtantiis, ergo ſimiliter ſuam poterit damnationem alicui revelare, quamvis prævideat eum inde ſumpturum occaſionem deſperandi: ſicut damnatos æternis ignibus addicit, quos novit occaſionem eis futuros Deum blaſphemandi.

X. *Alia multa iſtiuſmodi facere poteſt Deus, ergo & revelare damnationem.*

Ad id quod addebatur, revelationem ſcilicet illam fore otioſam, nego antecedens, poſſet namque Deus illius revelationis plures fines habere, ut ad oſtendendum ſuum dominium, vel præſcientiam futurorum, vel ad puniendum aliquem, & timorem aliis incutiendum, &c. Ad confirmationem negatur conſequentia, qui enim conſulit deſperationem, determinatè inclinat ad peccatum, intendendo & ſuadendo ut fiat, quod eſt intrinſecè malum, at verò qui damnationem revelat, ſolùm enuntiat veritatem illam, non tamen ullo modo intendit, neque determinat ad deſperationem.

XI. *Varii ſunt fines honeſti, ob quos poteſt Deus alicui ſuam damnationem revelare.*

SECTIO QUARTA.

An cui facta eſſet revelatio damnationis poſſet ac teneretur ſperare Beatitudinem?

PARTEM negantem, quòd ſcilicet talis homo nec teneretur, nec poſſet elicere actum Spei, tenet Major in 3. diſt. 36. quæſt. 3. Vega lib. 9. in Trident. cap. 38. & Aragon ſupra, §. *His non obſtantibus*, concluſione primâ, Valentia quæſt. 4. de Spe, punct. 1. fine. Coninck hîc, Diſp. 20. dub. 13. Suarez verò tract. 2. d. 2. ſ. 2. dicit cum non teneri ad ſperandum, non tamen poſſe deſperare, & multi ex recentioribus, qui omnes in eo convenire videntur, quòd licèt talis non obligetur præcepto affirmativo, ob ſtatim dicenda, teneri tamen negativo, quia deſperatio ſecundùm ſe eſt actus intrinſecè malus, & poteſt quis actum illum ſuſpendere, ergo tenetur, & præceptum negativum ſemper obligabit, non affirmativum.

I. *Prima ſententia ait hominem illum nec poſſe, nec teneri elicere actum Spei.*

Probatur primò: Talis namque apprehendit beatitudinem ut ſibi impoſſibilem, ergo non poteſt in illam tendere per actum Spei, qui non verſatur niſi circa bonum, ſaltem æſtimatum poſſibile, conatus enim efficax, cujuſmodi eſt Spes, tendere nequit in impoſſibile cognitum ut impoſſibile. Confirmatur: quia maximè cadit animus ſperantis, quando certò ſcit conatus ſuos fruſtrandos, quod hic certò ſciret, ergo.

II. *Probatur hæc ſententia, quia ille beatitudinem apprehendit ut ſibi impoſſibilem.*

Tom. II.

III. *Nullus licitè velle potest contrarium voluntati divinæ.*

Secundò probatur: Quia nemo potest licitè velle oppositum ejus, quod Deus vult, sed in casu posito Deus vult illius damnationem, ergo ipse non potest per actum Spei efficaciter velle oppositum.

IV. *Secunda sententia docet hominem illum, & posse, & teneri sperare.*

Secunda tamen sententia, quòd scilicet possit, & teneatur sperare, sicque obligetur præcepto Spei, tum affirmativo, tum negativo tenet victoria, Azor. lib. 2. cap. 21. quæst. 3. Lorca d. 28. quando condemnatio facienda esset ordinario modo, nempe propter culpas hominum, non autem si Deus exercere vellet potentiam absolutam, & substrahere auxilia, etiam sufficientia, sicut posset, cùm liberè ea det, idque alicui revelaret.

V. *Ratio horum auctorum est, quia adhuc beatitudo est huic homini per auxilia supernaturalia possibilis.*

Fundamentum est primò: Quia adhuc homo ille est liber, & per auxilia sufficientia, quæ Deus illi non denegabit (ut ipse etiam credere tenetur) consequi potest beatitudinem, & in gratiâ decedere: neque enim Deus vult absolutè illius damnationem, sed tantùm supposito peccato finali, imo vult absolutè eum salvare, si per ipsum non steterit, ergo potest sperare finalem gratiam, & futuram beatitudinem, siquidem hæc omnia possibilia sunt per auxilia sufficientia, & sperare etiam poterit, si faciat quod in se est, ea de facto futura.

VI. *Secundò probant quia revelatio non tollit libertatem, nec indifferentiam ad sperandum.*

Secundò probatur: Etiamsi enim alicui fiat revelatio de violatione alicujus præcepti, ut facta est Divo Petro à Christo, adhuc tenetur eo præcepto, Divus Petrus, verbi gratia tenebatur Christum non negare, ergo similiter supposità revelatione de æternâ damnatione, adhuc vim suam habebit præceptum de sperandâ beatitudine, & aliis donis per se ad eam requisitis, cognitio enim futuritionis objecti non tollit, ut dixi, libertatem & indifferentiam ad oppositum.

VII. *Tertia sententia docet hominem illum post revelatam damnationem posse, non tamen teneri sperare.*

Tertia denique sententia quasi media est, hujusmodi hominem posse sperare suam beatitudinem, non tamen ad id teneri, imo non peccaturum, etiamsi desperaret, intellige non per actum positivum, quo sentiat Deum non habere misericordiam ad eum salvandum, vel nolle ad id præbere auxilia, hic enim actus est intrinsecè malus, Deóque summè injuriosus, nec potest non esse peccatum, sed negativè, pro cessatione scilicet ab actu sperandi, quod est desistere à prosecutione beatitudinis, quamvis etiam habeat actum positivum volendi desistere.

SECTIO QUINTA.

Resolvitur quæstio circa Spem, vel desperationem in eo cui facta esset revelatio damnationis?

I. *Cui facta esset sua damnationis revelatio, ab omni actu Spei non eximeretur.*

PRIMA conclusio: Factâ tali revelatione, adhuc is cui fieret non deobligaretur omnino à præcepto affirmativo Spei, saltem in ordine ad auxilia sufficientia ad rectè vivendum usque ad finem vitæ. Probatur ex communi & verâ doctrinâ, quam latè probat Vasquez supra, n. 15. videlicet posse talem hominem velle impedire suam damnationem usque ad finem vitæ, imo non minùs, ad hoc teneri, quàm teneatur ad finem usque vitæ benè vivere, ad quod certum est eum teneri. Ex quo satis constare potest conclusio, nam ut quis teneatur rectè vivere usque ad finem vitæ, necessaria sunt auxilia gratiæ sufficientia non modò possibilia, sed etiam futura à Deo, cùm sine his benè vivere non posset, ergo saltem respectu illorum auxiliorum, potest esse actus Spei, sicut & circa vitationem peccati. *Auxiliorum sufficientium.*

II. *Memor ejusmodi revelationis absolutè factæ, non tenetur positivè sperare beatitudinem.*

Secunda Conclusio: Cui facta est ejusmodi revelatio certa & absoluta, si sit memor revelationis, non tenetur ampliùs præcepto affirmativo, quoad actum sperandi beatitudinem, aut finalem gratiam, vel auxilium efficax ad ista, imo neque potest ea sperare: ita Valentia q. 4. punct. 1. Suarez 4. p. 1. & Coninck citatus, & alii.

III. *Ratio est, quia talis revelatio tollit objectum formale Spei respectu beatitudinis.*

Probatur: tali enim factâ revelatione non potest quis sperare beatitudinem, vel finalem gratiam; ergo non tenetur: consequentia est manifesta: Antecedens probatur, per illam namque revelationem tollitur objectum formale Spei respectu beatitudinis, & consequenter circa finalem gratiam, & auxilium efficax ad ipsam, quæ necessariò connexa sunt cum beatitudine. Hoc etiam antecedens patet ex supra dictis, ubi ostendimus objectum Spei non solùm esse quid possibile (quod contendunt adversarii sufficere ad Spem, licèt sciatur de facto non futurum) sed etiam futurum à Deo, seu quod prudenter creditur futurum, positâ autem tali revelatione, neque est futura, neque potest prudenter credi futura, cùm sciatur certò non futura, ergo. *Positâ tali revelatione, beatitudo non est, nec prudenter credi potest futura.*

Confirmatur: Actus quippe Spei de se est actus efficax, & fertur in objectum prout hic & nunc sub his conditionibus futurum, sed actus efficax non potest tendere in id quod solùm judicatur possibile, nisi etiam prudenter judicetur futurum; ergo actus Spei verfari non potest circa beatitudinem, factâ revelatione futuræ damnationis, & negationis beatitudinis. *Actus efficax non fertur nisi in id quod creditur futurum.*

IV. *Nos reprobi sperare non possumus beatitudinem, ergo nec ille homo sperare eam potest sibi.*

Tandem quia conscius suæ reprobationis, eodem modo se habet ad suam Beatitudinem, quo nos nunc ad reprobos in confuso, seu in communi: sed nos non possumus sperare vel efficaciter desiderare reprobis Beatitudinem; ut enim ait D. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei, cap. 23. si certò sciremus qui essent reprobi, non possemus pro æternâ eorum salute orare, & lib. 11. de Genesi ad Literam, cap. 11. & 18. propter hanc causam dixit Angelum non præsciviſse suam reprobationem futuram, quia alioquin non potuisset perseverantiam sperare: & idem docuit de primo homine: Divus etiam Anselmus de casu diaboli, cap. 21. eandem rationem reddit; ergo talis homo circa illam habere nequit actum Spei efficacem.

V. *Quamvis factâ illâ revelatione beatitudo huic homini sit possibilis, non tamen potest prudenter judicari futura.*

Ad argumenta secundæ sententiæ, Sectione præcedenti posita, quæ sola contra nos faciunt: Ad primum respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia quicquid sit de possibilitate simpliciter Beatitudinis factâ revelatione, jam probatum est illâ supposità non posse eam judicari probabiliter futuram, quod tamen requiritur ad objectum Spei, ut nimirum saltem tale existimetur, licèt de facto non sit futurum, nec potest quis sperare se in hoc casu facturum quod in se est, cùm certò sciat se liberè illud nolle, & quod per ipsum stabit; atque ita quamvis Beatitudo sit possibilis, & consequenter possit obtineri, & efficaciter intendi, nisi ipse vellet non intendere, de facto tamen non poterit, in sensu enim composito quod nolit & ipse certò sciat se nolle, consequenter est impossibile ut simul velit. *Scit se nolle intendere beatitudinem.*

Cùm

VI. *Cum possibilitate antecedente reperiri potest impossibilitas consequens.*

Cùm ergo facta hac suppositione, sit impossibile ut re ipsa hoc obtineat, est etiam impossibile ut in intentione & spe efficaci perseveret; ea enim perseverante obtineret, & vellet quod scit fore ut non velit, quod est implicatorium; ergo cum possibilitate obtinendi in sensu diviso, stat impossibilitas de futuritione re ipsa, & consequenter in actu sperandi, præsertim cum qui est aliquid obtenturus, ipsemet liberè quidem, certò tamen sit positurus contradictorium, & hoc ipse sciat.

VII. *Hæc impossibilitas liberè ab ejus voluntate dependet.*

Ad hoc verò ut simpliciter aliquid dicatur possibile ab illo obtineri, sufficit quòd impossibilitas quæ illic reperitur, liberè ab ejus voluntate dependeat, quam simpliciter posset retractare, licèt certò sciat se non retractaturum; scientia enim de futuritione objecti non tolleret libertatem circa illud, & ita possibilitas simpliciter non præsupponit, sed potius præcedit sensum compositum, nam supposito quod nolit non potest velle, actus autem sperandi in tali casu præsupponit revelationem, & hæc sensum compositum quod nolit tanquam objectum quod enunciat, & consequenter repugnat revelationi, non sic autem possibilitas simpliciter. Et per hæc cessant quæ à quibusdam Recentioribus contra hanc conclusionem objiciuntur.

Possibilitas simpliciter nō supponit, sed præcedit sensum compositū quod nolit intendere beatitudinem, & quod ipse hoc certò sciat.

VIII. *Inter revelationem violationis aliorum præceptorum, & revelationem damnationis lata est disparitas.*

Ad secundum concesso antecedente negatur consequentia; adhuc enim suppositâ revelatione violationis aliorum præceptorum non tollitur possibilitas implendi illa, quia neque tolluntur eorum objecta, neque auxilia sufficientia ad illa exequenda, quæ tantùm requirit præceptum ut obliget: at verò per revelationem futuræ damnationis tollitur objectum formale Spei circa Beatitudinem, quod speciale est virtutis Spei, & præceptorum ejus.

IX. *Cui omnes violationis præcepti alicujus circumstantiæ revelantur, si recordetur revelationis, videtur non posse sperare.*

Secundò fortassis dici posset, & magis conformiter ad præcedentia, si omnes circumstantiæ violationis illius præcepti, temporis præsertim, seu instantis in quo violandum est præceptum, revelentur, dici, inquam, fortassis posset, si is cui facta est illa revelatio, sit illius tunc memor, non posse eum sperare fore ut tentationem illam superet, cùm certissimè sciat se illam tunc non superaturum: Sanctus Petrus verò dum peccaret, non recordabatur revelationis, unde post negationem de eo dicit Evangelista, *& recordatus est Petrus*, &c. ratio est, quo pacto enim ad illud faciendum conari efficaciter quis potest, cum certò ei constet, imo fide divinâ credere debeat omnes suos conatus hac in parte fore irritos.

Revelationis hujus non recordabatur D. Petrus.

X. *Quamvis habeat aliâ cognitionem, in his tamen circumstantiis dirigere eum non potest ad actū Spei eliciendum.*

Dices: Habet simul aliam cognitionem, nempe de impletione præcepti, hæc ergo ipsum dirigere potest ad illud implendum. Distingo consequens, dirigere eum ad hoc potest in sensu diviso revelationis, concedo consequentiam, ex vi enim hujus cognitionis nil in eo ponitur eum impediens aut retardans ab impletione præcepti, dirigere eum potest ad implendum præceptum in sensu composito memoriæ revelationis; nego consequentiam, ob rationem jam sæpiùs positam. Sicut si quis haberet cognitionem, ex se indifferentem ad aliquid faciendum aut vitandum, & simul prædeterminationem physicam, cognitio illa in sensu diviso prædeterminationis esset indifferens non tamen in sensu composito. Idem ergo esse videtur in præsenti, nulla enim prædeterminatio magis rei alicujus effectionem impedire videtur, quàm hæc revelatio impedit impletionem liberam præcepti. Nec refert quod prædeterminatio sit quid physicum, memoria autem revelationis quid intentionale; non enim est dubium quin aliquid intentionale efficacissimè ad aliud determinate possit, ut visio beatifica efficacissimè determinat ad amorem Dei beatificum.

SECTIO SEXTA.

An Spes in beatis esse possit quoad actum?

I. *Varia in hac quæstione distinguenda sunt objecta.*

Ante omnia distinguere in hac materiâ oportet objecta, in ordine ad quæ dicuntur versari posse actus Spei: Primò circa beatitudinem ipsam essentialem animæ: Secundò circa ejusdem continuationem: Tertiò circa gloriam corporum: Quartò circa beatitudinem & bona aliorum.

II. *Beati respectu Beatitudinis suæ essentialis non habent proprium actum Spei.*

Prima conclusio: Non est in Beatis proprius actus Spei circa beatitudinem suam essentialem: hæc communis est D. Thomæ, omniumque ejus interpretum sententia, quam de Fide putat Bannez propter illud ad Romanos c. 8. v. 24. *Quæ enim videt quis quid sperat, & Spes quæ videtur non est spes*: circa quem locum Patres communiter docent intendere Apostolum Spem versari circa bonum nondum possessum à sperante.

III. *Ratio est quia Spes versari debet circa bonum arduum.*

Probatur primò ratione ejusdem Apostoli, de conceptu enim actus sperandi est, ut versetur circa Deum bonum nostrum possibile, & arduum, ac proinde ut objectum illius sit futurum, & nondum possessum; unde actus Spei præsupponit actum desiderii, imo est aliquo modo desiderium, ut supra dictum est, ergo eo ipso, quòd beatus jam possideat tale bonum, sicut non potest illud desiderare, ita neque sperare.

IV. *De conceptu beatitudinis est, ut in eâ animus quiescat.*

Secundò probatur ex Divo Thoma: de ratione siquidem beatitudinis est, saltem velut quoddam illius complementum, ut per ipsam quiescat appetitus, at circa bonum speratum non quiescit, ergo in tali bono non consistit beatitudo, cùm sit contra ejus naturam, ut non sit de bono certo, & inamissibiliter possesso, ergo si beatus haberet actum Spei circa beatitudinem, non esset planè beatus, cùm nondum esset quietus ejus animus, sed cum aliquâ adhuc solicitudine. Quæ rationes probare videntur, etiam de potentiâ absolutâ quoad actum stare non posse actum Spei simul cum visione beatâ, quandoquidem hæc petat bonum præsens ac satians, sicque possessum, Spes verò bonum futurum, & movens ad sui desiderium.

V. *In visione beatâ videt Sanctus Deum non usurum potentiâ absolutâ ad destruendam beatitudinem.*

Dices: Beati sciunt beatitudinem sibi de potentiâ absolutâ posse auferri, ergo sperare possunt, de bonitate divinâ, & ex ipsorum meritis sibi esse restituendam. Respondeo negando consequentiam, in ipsa enim visione beatâ vident decretum Dei, quo statuit so non usurum tali potentiâ absolutâ, atque adeo non possunt elicere actus Spei circa illius recuperationem.

VI. *Beati actum Spei non eliciunt circa continuationem suæ beatitudinis.*

Secunda conclusio: Non est etiam in beatis, nec esse potest actus proprius Spei circa continuationem suæ beatitudinis: ita Divus Thomas hic, art. 2. ad 2. & cum eo interpretes communiter, cujus rationem hanc ipse assignat, quia beati eo ipso quòd Deo fruantur, efficiuntur quodammodo participes æternitatis, quæ excedit omne tempus, atque adeo continuatio beatitudinis non diversificatur per præsens, præteritum, & futurum, & consequenter neque de illâ

Tom. II.

possunt beati habere Spem. Confirmatur ab aliquibus, de ratione quippe beatitudinis, est perpetua duratio, ut docet Divus Thomas 1. 2. q. 5. art. 4. & hoc sciunt beati, ergo, inquiunt, continuatio illius, seu perpetua duratio non potest esse objectum Spei.

VII. *Dicit multi dari jam in Beatis proprium actū Spei circa gloriam corporis futuram.*

Circa beatitudinem verò corporum, Utrum ante resurrectionem sit in illis Spes talis resurrectionis ad gloriam: Affirmant aliqui esse in iis veram & propriam Spem: ita Suarez Tomo 1. in 3. parte, quæst. 7. art. 4. qui idem sentit de Christo quoad gloriam sui corporis, & Vasquez ibidem, Disp. 43 cap. 2. quoad actum Spei, de quo hîc est sermo. Ratio potissima est, quia gloria corpotis ante resurrectionem est bonum beatorum futurum à Deo, ergo est verè objectum Spei, cùm non appareat quid præterea desit, ergo circa hujusmodi objectum rectè versari poterit Spes.

VIII. *Nec certitudō futuritionis illius obstat inquiunt, proprio actui Spei.*

Si dicas, ideo non posse esse in beatis hujusmodi actum Spei circa dictum objectum, quia respectu beatorum deficit in illo ratio ardui, eo quòd certi sint de eâ gloriâ futurâ, cum supposità beatitudine animæ, hæc necessariò sequatur, ut supra dicebamus, utpote ex naturâ rei illi debitâ. Contra est, tum quia non obstat certitudo, ut de confirmatis in gratiâ diximus, unde neque Christo ex hoc capito certitudinis, etiam evidentis, negandus est actus Spei, sicut nec negatur animabus purgatorii, ut benè Vasquez tertiâ parte, quæst. 43. tum etiam quia positâ beatitudine animæ posset Deus negare eam corpori, & suspendere concursum particularem, quo liberè ad ejus resurrectionem concurrit, ergo non est ita necessariò connexa, ut nequeat separari. Quæ sententia quamvis videatur probabilis, dici tamen debet hos actus procedere à virtute Charitatis propriæ, ut postea latiùs declarabitur.

Ratione certitudinis nec confirmatis in gratiâ, nec animabus in Purgatorio negatur Spes.

IX. *Actus quo Beati cupiūt aliis beatitudinem, non est proprie actus Spei.*

Circa beatitudinem aliorum, supra probatum est Sectione primâ, non posse esse propriè actum Spei, eo quòd objectum hujus virtutis esse necessariò debeat bonum proprium: actus ergo, quibus aliis desideramus beatitudinem sunt actus Charitatis: & idem dicendum de actu, quo beati sibi cupiunt continuationem beatitudinis, si habeant hujusmodi actum, esse scilicet actum charitatis erga seipsos propter honorem Dei, ex quo motivo omnia in patriâ amantur. Idem etiam de his omnibus dicendum existimo de Christo.

Operationes hujusmodi sunt actus Charitatis.

SECTIO SEPTIMA.

An in Beatis sit habitus Spei?

I. *In Beatis evacuatur planè habitus Spei.*

Quamvis nonnullos ex Theologis asserentes videam habitum Spei manere in patriâ, ob auctoritatem tamen Sanctorum Patrum id, ut videbimus, passim negantium, dicendum non manere, sed evacuari omnino Spem in beatis etiam quoad habitum: ita Divus Thomas hîc, art. 2. ad 3. ubi ait beatos in patriâ non sperare gloriam viatorum per virtutem Spei, sed magis ex amore Charitatis: & ad quartum reddit rationem, cur non habeant virtutem Spei ad sperandum gloriam corporis. Illum sequuntur Bannez, Aragon, & Lorca hîc, d. 7. num. 2. & Caietanus 3. parte, quæst. 7. art. 4. ubi negat Christo habitum Spei (eadem verò, imo major est ratio de cæteris beatis) ad gloriam corporis sperandam, tenet Albertus Magnus, Divus Bonaventura, quæst. 2. art. 2. & alii.

Hæc sententia est S. Thomæ, & aliorum.

II. *Auctoritate Patrum ostenditur non dari habitum Spei in Beatis.*

Probatur conclusio primò, & præcipuè testimoniis Sanctorum Patrum, inprimis S. Augustini Tomo 3. lib. 1. de Doctrinâ Christianâ, cap. 29. ubi docet in patriâ non manere Fidem & Spem: ex quo Beda in illa verba capitis 13. primæ ad Corinthios: *Nunc manent Fides, Spes,* &c. *Quid*, inquit, *Spes erit ibi* (in patriâ scilicet) *non erit jam Spes, quando erit res, etenim ipsa spes peregrinationi necessaria est, cùm venerimus in patriam, tenebimus etiam rem, & spes non erit.* Sanctus Chrysostomus Homiliâ 34. in eundem locum: *Cessat*, inquit, *Fides & Spes, quando advenerint bona credita & sperata.* Divus Anselmus ibidem: *Fides cessabit, & Spes finem habebit, sola verò Charitas perseverabit.* Quibus testimoniis constat Patres hos idem ferre judicium de Fide ac de Spe, quod scilicet sicut illius habitus non manet, ita nec maneat habitus Spei. Unde hæc conclusio eisdem rationibus probari poterit, quibus hoc idem de Fide à nobis probatum est supra, Disp. 19. Sectione secundâ.

Idem docent sancti Patres de habitu Spei in patriâ, quod de habitu Fidei.

III. *Hoc ipsum quoad habitum Spei ex sacris Literis ostenditur.*

Deinde probatur ex illo primæ ad Corinth. 13. vers. 13. *Nunc*, id est in hac vitâ, ut communiter intelligitur, *manent Fides, Spes, Charitas*: hæc verò major ibi dicitur, quia nunquam excidit, etiamsi alia evacuentur, ut docent Patres citati cum Glosâ ibidem, & S. Augustino Sermone 53 de Tempore, ubi sic ait: *Ideo Charitas major Fide & Spe, ab Apostolo dicitur, quia illis recedentibus, ipsa sola manebit.*

IV. *Respondent aliqui Apostolum, non de habitibus loqui, sed de actibus.*

Dices D. Paulum & Patres non de habitibus loqui, sed de actibus harum virtutum, & speciatim de actu sperandi gloriam animæ, hæc enim est, quæ habetur & videtur, & ita non speratur, quæ autem non habentur, sperari possunt. Propter hoc rectè advertit Vasquez excessisse in censurâ Carthusianum, dum ex locis citatis dicit nostram sententiam esse omnino certam, & de Fide.

V. *Sed contra, hoc enim in parvulis saltem intelligendum est de habitibus.*

Contra tamen hanc solutionem est primò, quia absolutè & universaliter illud asserit Apostolus, si autem de actu tantùm hoc intelligendum sit, verificari non posset respectu parvulorum, qui susceptis per baptismum habitibus, ante usum rationis translati sunt ad beatitudinem: ut igitur universale sit illud dictum Divi Pauli, in parvulis saltem intelligendum erit de habitibus, cùm non fuerint capaces actuum, ergo in adultis etiam, quia eadem est in utrisque ratio. Secundò, quia verbum *manet*, propriè significat donum habituale per modum permanentis, non verò per modum actus transeuntis. Deinde dicit illas tres virtutes nunc manere, Charitatem verò nunquam excidere. Quod si de actibus sit sermo, verificari in rigore propriè non potest, cùm actus illarum virtutum in hac vitâ non semper maneant, atque adeo nec de Charitate verificari poterit, quod nunquam excidat, cùm illius actus sæpè non existat, sed interrumpatur ac corrumpatur.

Aliunde ostenditur dictum illud D. Pauli non esse accipiendum de actibus.

VI. *Dices, harum etiam virtutum habitus sæpè in hac vitâ corrumpuntur.*

Urgebis: Habitus etiam harum virtutum in hac vita sæpè corrumpi in peccatoribus, & infidelibus, & tamen dicuntur manere, ergo hoc non obstante intelligendum illud est de actibus. Contra: Prædicti namque habitus in justis, qui nunquam in Ecclesiâ deerunt, semper manent, & in eis nunquam excidit Charitas, neque in hac vitâ, neque sequente, atque ita absolutè in rigore verificantur verba Divi Pauli, de habitibus in hominibus justis, eo sensu, quo in omnium sententiâ

sententiâ verificari debet, quòd *charitas nunquam excidit*, nempe in omnibus, sed in beatis tantùm, at verò si de actibus sit sermo, non possunt in rigore verba illa verificari, quòd scilicet in aliquibus maneant tres illæ virtutes, & nunquam excidat Charitas.

VII. *Ulteriùs declaratur quomodo, non de habitibus loquatur Apostolus.*

Tertiò probatur, quia cùm certum non sit utrùm idem omnino actus Charitatis specie maneat in viâ & in patriâ, & tamen certum esse debeat juxta Divi Pauli sententiam, illam eandem Charitatem, quæ in hac vitâ manet, in patriâ etiam manere, dicendum necessariò est non loqui Apostolum de actibus tantùm, sed etiam de habitibus, eo vel maximè quòd nomen virtutis, per se positum, habitum potiùs significet, quàm actum. Si qui autem Patres, ut Irenæus & Tertullianus innuant interdum Spem manere in beatis, cùm idem de Fide doceant, interpretandi eodem modo sunt quo de Fide, quòd scilicet vel loquantur de Spe objectivâ, vel juxta vulgarem & impropriam significationem Spei.

VIII. *Objic. Beati gloriam corporis sibi sperant, & gloriam essentialem viatoribus.*

Pro contrariâ tamen sententiâ arguitur primò: sperare etenim gloriam proprii corporis, & gloriam animæ alterius non repugnat cum statu beatitudinis; ergo Beatus elicere potest aliquos actus hujus virtutis, & consequenter habebit habitum illius qui necessarius est ad actus connaturaliter eliciendos. Respondetur ex D. Thoma artic. 3. ad tertium, posse Beatos aliquo modo sperare viatoribus beatitudinem mediâ charitate, ut dixi suprà, hæc enim versari potest circa objectum Spei ut circa quid materiale intuitu sui objecti formalis, propter bonitatem scilicet Dei in se, unde hoc actu Deum ut bonum suum amant, & in eo delectantur: desiderant etiam gloriam corporis, actu quo se suaque omnia propter Deum amant, non autem ex motivo Spei, ut patet etiam in viâ in viris perfectissimis, qui juxta concilium D. Bernardi non utuntur illo motivo concupiscentiæ, sed charitatis potiùs in amando gloriam. Unde Beati, qui à visione Dei ejusque perfecto amore nunquam desistunt, quicquid amant, in ipso & propter ipsum amant, & cupiunt, sicque non ut bonum proprium, sed ut incentivum amoris Dei.

Resp. Beatos ex charitate velle aliis beatitudinem.

Quo affectu sibi gloriam corporis desiderent.

Secundò arguitur: delectatio de Deo ut bono à nobis possesso pertinet ad virtutem Spei, sed hæc non potest haberi in viâ, cùm nondum possideatur Deus; ergo est actus proprius Beatorum; ergo non solùm non repugnat, sed quodammodo necessarium est aliquem Spei actum in Beatis remanere, & propter ipsum habitum. Respondeo: Quamvis perfecta delectatio, quæ de Deo viso habetur, esse nequeat nisi in patriâ, hic tamen aliqua haberi potest juxta illud Psalmi 83. v. 2. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*; & Psalmo 36. v. 4. *Delectare in Domino*, &c. utraque autem hæc affectio à charitate & non à spe elicitur.

IX. *Ob. secundò, Gaudium de Deo possesso in Beatis spectare ad Spem.*

Resp. Hunc affectum in Beatis procedere jà charitate erga seipsos.

Tertiò arguitur ex auctoritate D. Thomæ, tertia parte, quæst. 7. art. 4. dicentis Christum Dominum respectu aliquorum, quæ non possidebat Spem habuisse, juxta illud Psalm. 30. *In te Domine speravi*; ergo potest esse spes in Beatis. Respondeo D. Thomam ibi, & articulo 2. ad primum, cum dicit Christum in hâc vitâ sperare potuisse gloriam proprii corporis, tantum intendere discrimen respectu aliorum Beatorum, qui non, ut ipse, suis laboribus gloriam corporis jam acquirere debent; non autem vult sanctus Doctor habuisse Christum proprium actum Spei, quod expresè illo articulo quarto negat; sed solùm, inquit, ex charitate speravit gloriam proprii corporis, & beatitudinem fratrum suorum.

X. *Quo sensu dicat S. Thomas Christum respectu aliquorum, quæ actu non possidebat habuisse Spem.*

Quoad potentiam verò absolutam existimo posse Deum, si velit conservare in Beatis unà cum visione habitum Spei. Hoc non aliter probandum est, quàm quòd non implicet, neque habitus Spei in sua entitate incompossibilitatem ullam habeat cum visione; de facto tamen non datur ob rationes suprà dictas. Addo, etiamsi admitteremus Beatos jam in cœlo elicere propriè actus Spei respectu gloriæ corporis, ac Beatitudinis aliorum, non tamen dici deberet eos habere habitum Spei, ob auctoritatem Scripturæ, ac Patrum jam allatam, sed dicendum esset actus illos elici per auxilium Dei extrinsecum.

XI. *Nulla est repugnantia, quo minùs de potentiâ absolutâ reperiri in Beatis possit habitus Spei.*



DISPUTA-

DISPUTATIO TRIGESIMA TERTIA.

De Timore.

AGIT hoc loco Sanctus Thomas de Timore, ut de adjuncto Spei, eo quod illi quodammodo opponatur, quatenus scilicet aliquis timor religiosè recedit à Deo, in quem tendit Spes. Vt autem intelligatur de quo timore agendum sit: advertendum timorem universaliter sumptum nihil aliud esse, quàm fugam mali imminentis & futuri. Hic autem timor tripliciter accipi solet: primò prout est appetitus & fuga mali futuri, sensu apprehensi cui alius respondet in voluntate, quem præcedit apprehensio intellectus ejusdem mali futuri. Secundò peculiariter sumitur timor prout est speciale quoddam vitium, fortitudini oppositum, dum nimirum homo fugit malum, quod secundùm rectam rationem fugiendum non esset. Tertiò sumitur specialiter Timor pro dono quodam Spiritus Sancti, per quod malum prout futurum à Deo fugimus, ut per hoc mens humana veluti freno coërceatur, ne per Spem in præsumptionem elevetur. De hoc ergo timore præsens futurus est sermo, quamvis ad illius explicationem, de aliis etiam timoribus aliquid necessariò sit dicendum.

SECTIO PRIMA.

Quodnam sit objectum materiale & formale timoris, & peculiariter de Deo.

I. *Negant nonnulli Deum esse posse objectum timoris.*

NEGAVERUNT aliqui Deum posse esse objectum immediatum timoris: Ita Bannez, Lorca, & Aragon hic, articulo primo, Cajetanus suprà, quæst. 7. art. 5. ad tertium. Probant primò ex D. Thoma quæst. prima de veritate art. 12. ad undecimum. Deinde ratione, quia Deus in se non est malus; ergo non potest esse objectum directum & immediatum timoris: consequentia patet; nihil enim præter malum potest timeri, ut ait D. Thomas hic, art. 11. cujus rationem reddit Cajet. 3. p. q. 7. art. 6. quia timor est quædam fuga voluntatis, at hæc non fugit nisi malum, cùm à bono potiùs alliciatur; ergo Deus solum timetur indirectè, tamquam is à quo timetur malum. Confirmatur, quia circa idem immediatum objectum, circa quod versatur spes & gaudium, versari etiam possunt timor & tristitia, sed Deus esse non potest objectum immediatum tristitiæ, ergo neque timoris.

Cùm, inquiunt, timor sit quædam fuga voluntatis, non potest versari nisi circa malum.

II. *Quorundam de objecto formali timoris opinio.*

Quoad objectum formale existimant nonnulli illud semper esse in timore aliquod bonum oppositum malo quod timemus, ut si quis timet malum culpæ, ideo est quia movetur ad hunc timorem, vel ab amore illius boni honesti, cui opponitur talis culpa, vel ab amore bonitatis divinæ, quæ per illam offenditur; & si timet malum pœnæ, movetur, inquiunt, ab amore sui proprii commodi, quia enim seipsum quis diligit, & suum commodum, ideo timet malum pœnæ, quod illi opponitur.

III. *Dicunt objectum adæquatum voluntatis esse bonum, sicut objectum intellectus verum.*

Ratio eorum est, quia objectum formale adæquatum voluntatis, etiam respectu actuum aversionis & fugæ, est bonum sicut intellectus verum; neque enim voluntas odit vel timet malum aliquod, nisi quia amat aliquod bonum, nec quisquam timet mortem, nisi quia diligit vitam, juxta commune illud axioma: *Nemo intendens ad malum operatur.* Confirmatur: Quia juxta Divum Thomam 1. 2. quæst. 43. art. 1. Amor est causa timoris;

timoris; qui enim honorem non amat, non timet contemptum, ergo bonum erit causa determinans ad timorem & fugam mali.

IV. *Voluntas non ideo universaliter fugit malum, quia amat bonum.*

Hoc tamen ita universaliter sumptum non placet; licèt namque ut plurimum fortè voluntas fugiat malum, quia amat bonum, aliquando tamen malum, etiam ut malum est objectum aversionis, tum terminativum, tum etiam motivum, juxta Divum Thomam 1. 2. quæst. 8. artic. 1. ubi ait aversionem circa malum versari sicut versatur conversio circa bonum. Ratio hujus à priori est, quia malitia ex se non minùs est potens ad avertendam, quàm bonitas ad alliciendam voluntatem, quæ ordinatur non solùm ut bona subjecti quærat, sed etiam ut mala fugiat, potest autem aliquid esse disconveniens, & malum, quamvis nullum commodum formaliter pellat, sed ut sit malum sufficit quòd sit improportionatum, ut latè Suarez Tomo 1. met. d. 11. unde experimur nos moveri motibus primò primis fugientes aliquid nocivum, dedecus exem. gratia licèt tunc non apprehendamus bonum, cui opponitur: quod idem suo modo constat in appetitu brutorum, quæ se avertunt à nocivis, & tamen non apprehendunt rationem boni, cui illa opponuntur. Et sanè alioqui sequi videtur, odium & displicentiam, ab amore non distingui, cùm habeant semper eandem rationem formalem.

Malitia non minùs apta est ad avertendam voluntatem, quàm bonitas ad alliciendam.

Hoc idem probatur ex appetitu sensitivo.

V. *Quo sensu dicat Divus Thomas voluntatem in malum ferri per accidens.*

Dum ergo Divus Thomas & alii dicunt voluntatem per accidens, & ex consequenti ferri in malum, intelligendi sunt, quod feratur per distinctum actum ab eo, per quem fertur in bonum: Dicitur autem actus per accidens, eo quod fundetur, & quasi consurgat ex priori actu amoris, licèt respectu illius ultima ratio formalis specificans sit malum ut tale.

VI. *Quam ob causam amor dicatur causa timoris.*

Ad confirmationem respondeo, non ideo dici bonum causam timoris, quòd sit necessarium tanquam objectum, quod per se moveat ad amorem, & consequenter ad timorem, esto enim aliquando id contingat, non tamen semper est necessarium, sed ideo amor dicitur causa timoris, quia per amorem boni, quem voluntas habet connaturalem, rectè disponitur ut timeat malum, ab eadem quippe radice proveniunt amor boni & fuga mali, & eo ipso quòd voluntas ordinatur ad amandum bonum, ordinari similiter debet ad fugiendum malum: non tamen est necessarium ut ab ipso bono formaliter & actualiter determinetur voluntas ad fugam mali, sed malum vitari potest propter se, ut quando repræsentato malo nulla occurrit memoria boni oppositi.

Aliquando, licèt non semper, fuga mali oritur ex amore boni.

VII. *Aliqui actus fugæ ex eodem motivo proceduntcum actu amoris.*

Dixi, hoc sæpè contingere in actu fugæ, aliqui etenim sunt actus, qui ex sua ratione petunt ab eodem motivo procedere, à quo amor boni oppositi. Contritio exem. gra. quæ est odium peccati propter Deum summè dilectum, eandem cum Charitate habet rationem formalem motivam, bonitatem scilicet Dei, ex cujus amore provenit quòd peccatum detestemur.

VIII. *Quidà prædictam sententiam admittendam aiunt, saltè in actibus supernaturalibus timoris & fugæ.*

Omissâ ergo hac sententiâ in istâ universalitate, alii eam veram saltem esse contendunt in actibus supernaturalibus fugæ vel timoris, aut etiam cujuscunque aversionis, tum quia actus, quo odio haberetur malum sub ratione mali, non posset esse supernaturalis, cùm non haberet aliquod objectum formale supernaturale, quia nullum malum potest dari, quod sit ens supernaturale, ergo objectum formale timoris supernaturalis non potest esse aliquod malum, sed semper bonum, tum quia si objectum formale timoris non esset bonum, quod diligitur per habitus virtutum, sequeretur præter habitus virtutum, quibus diligimus objecta bona, multiplicandos esse alios totidem habitus, quot sunt objecta mala, quæ timentur, vel odio habentur, quòd certè fictitium videtur.

IX. *Qua ratione Deus esse possit materiale objectum proximum timoris.*

Sit itaque conclusio: Deus potest esse objectum proximum & immediatum materiale timoris, ut is, à quo timetur malum, & cujus etiam privatio timetur: Ita Divus Thomas art. 1. & 5. ad 2. & tertiâ parte, quæst. 7. art. 6. Valentia hìc, p. 1. & recentiores communiter. Probatur primò auctoritate Scripturæ, quæ passim Deum proponit uti objectum timoris: sic Psalmo 33. vers. 19. *Timete Dominum omnes Sancti ejus.* Ecclesiastici 15. vers. 20 *Oculi Domini ad timentes eum.* Matthæi 10. vers. 28. *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Huc etiam pertinet illud Divi Augustini lib. 1. contra advers. legis & proph. cap. 16. Salubriter non solùm bonitatem, sed etiam severitatem Dei Scriptura commendat, quoniam amatur Deus utiliter, & timetur. Ratio est, objectum siquidem timoris est malum futurum imminens, non est autem possibile aut futurum formaliter, nisi per potentiam à qua timemus venturum illud malum, ergo talis potentia est immediatum objectum timoris: sic pœnæ inferni, & similes per Fidem propositæ, tantùm proveniunt à Deo tanquam à principio, & causa speciali illarum, sicut è contra Deus est Spei objectum, quia ab eo fœlicitatem speramus. Ad rationem contratiæ sententiæ abundè constat ex dictis.

Deum esse objectum timoris sacra litera testantur.

X. *Malum omne, quod ex Dei voluntate accidere nobis potest, est objectum secundarium timoris Dei.*

Secunda conclusio: Insuper omne malum, quod de lege ordinariâ evenire potest creaturæ, sive Deo volente, sive permittente, dummodo sit difficulter vitabile, est objectum materiale timoris Dei, saltem secundarium, quia voluntas suppositâ cognitione talis mali contingenter eventuri, potest illud timere & fugere propter suam rationem formalem, & hoc modo multi viatores timent offensam Dei, & pœnas inferni. Hic autem timor est per modum actus efficacis, quia supposito quòd malum sit possibile, & contingenter eventurum, non est cur voluntas non possit illud efficaciter timere & fugere.

XI. *Quid si malum illud de lege ordinariâ evenire nequeat.*

Si verò malum sit quidem secundùm se possibile, & difficulter vitabile, de lege tamen ordinariâ evenire non possit, actus efficax timoris circa ipsum versari nequit, sed tantum inefficax. Per talem autem actum inefficacem timoris voluntas per modum displicentiæ, & nolitionis inefficacis fugit & recedit ab illo malo, ut difficulter vitabili. Hoc timore posset beatus timere peccatum, & viator confirmatus in gratiâ, licèt certò sciat se ex privilegio non posse peccare. Angelus etiam timere posset suam annihilationem, utpote quam scit de potentiâ absolutâ Dei evenire posse, etsi noverit eam de facto nunquam eventuram. Dixi autem hunc timorem esse actum inefficacem: quia sicut intentio efficax versari nequit circa bonum impossibile, ita actus timoris, qui sit fuga efficax non potest versari circa malum, quod de lege ordinariâ est impossibile. vide Caietanum 3. parte, quæst. 7. art. 6. & Suarez tomo primo in 3. part. Disp. 20. sect. 2. fine.

Quanam hoc genere timoris inefficacis possint timeri.

XII. *Objicitur, videri ex dictis timo-*

Dices: Hic timor inefficax non videtur distingui à simplici odio, seu displicentiâ objecti mali; nam etiam simplex odium versari potest circa malum

Tom. II.

malum impossibile; ergo timor non potest distingui à simplici odio per hoc quod versetur circa malum futurum. Objectio hæc petit sectionem sequentem.

rem inefficacem non distingui à simplici odio.

SECTIO SECUNDA.

An timor sit distinctus ab odio mali, & an sit Spei contrarius?

I. *Contrario modo timor in objectum fertur, quàm feratur Spes.*

AD præsentis difficultatis resolutionem ea sunt breviter recolenda, quæ de Spe dicta sunt suprà; quòd scilicet sicut bonum amamus, desideramus, & speramus, ita malum odio habemus, fugimus, timemus, & si sit præsens, de eo tristamur. De objecto ergo bono excitatur amor, de objecto autem malo odium, & si illud sit possibile desiderium, si hoc fuga, & actus desiderio oppositus. Item sicut ex desiderio sequuntur media & eorum applicatio, quibus bonum assequamur, ita ex fugâ sequuntur media quibus malum evitetur: & quemadmodum si bonum arduum sit & apprehendatur ut futurum, sequitur Spes, ita si malum sit arduum, & quod vitare non sit in nostrâ potestate, apprehendatúrque ut futurum & imminens, consurgit timor. Denique quicquid de actibus prosecutionis dictum fuerit, idem de actibus fugæ suo modo dicendum.

Per desiderium & fugam diversa adhibentur media.

II. *Timor differt ab odio, sicut Spes ab amore.*

Ex quibus patet timorem ab odio & fuga mali differre sicut diximus Spem distingui ab amore & desiderio boni. Hoc de timore efficaci satis constat, sed quia etiam inefficacem admisimus, de eo major est difficultas, propter objectionem positam in fine Sectionis præcedentis: de quo tamen timore dicimus satis etiam ab odio distingui; licèt enim simplex odium versari possit circa malum possibile, adhuc tamen timor inefficax ab eo distinguitur circa idem malum, quia odium non respicit illud ut difficulter vitabile, sed tantùm displicendo in illo, vel secundùm se, vel ut est malum possibile, consideratâ potentiâ Dei, non secundùm id, quod de lege ordinariâ decrevit, sed secundùm id quod absolutè potest, & consideratâ naturâ creaturæ, quæ illi nequit resistere.

Odium malum illud respicit ut possibile, timor ulteriùs ut difficulter vitabile.

III. *Dicunt aliqui timorem non esse contrarium Spei.*

Quoad secundum in titulo propositum, Salas tractatu 9. sect. 6. num. 91. cum aliis ait, timorem non esse contrarium Spei, sed audaciæ, imo docet timorem & Spem de eâdem re simul posse consistere. Fundamentum est, quia uni unum est contrarium, & Spei contrariatur desperatio, ergo non timor, qui potiùs oppositionem habet cum audaciâ.

IV. *Quomodo hi affectus differant, Spes, desperatio, timor, & audacia.*

Notandum: Quemadmodum Spei, quæ bonum respicit, opponitur desperatio, quæ etiam respicit bonum, & circa illud versatur, non animo erecto illud prosequendo, sicut facit Spes, sed relinquendo, ac deficiendo in prosecutione illius, ita timori, qui malum respicit, opponitur audacia, quæ etiam idem malum respicit, non illud fugiendo sicut facit timor, & media ad illud vitandum adhibendo, sed spretis periculis mala omnia audacter subeundo. His positis sit

V. *Spes & timor sibi invicem circa eandem rem opponuntur.*

Conclusio: Sicut odium & fuga sunt actus contrarii amori ac desiderio, nec possunt de eadem re simul consistere, ita Spes & timor non minùs inter se circa eandem rem opponuntur, & repugnant. Probatur: Spes siquidem vel non est actus à desiderio distinctus, vel supponit desiderium efficax, & est prosecutio objecti: Timor verò licèt sit actus distinctus à fugâ, quia supponit ex parte intellectus persuasionem, quòd eveniet malum, & petit necessariò arduitatem, quam fuga & odium non petunt, est tamen recessus à re, quæ timetur, ergo quemadmodum accessus & recessus ab eodem termino simul esse nequeunt, ita nec odium efficax & amor, etiam in ordine ad divinam potentiam, ut ait Suarez Tom. 2. Met. d. 45. Sect. 4. fine, & Tom. 1. in 3. parte, d. 38. Sect. 3. Idem dicendum de Spe respectu ejusdem rei simul cum timore.

Timor & Spes differùnt sicut accessus & recessus.

Quare falsum est quod dixit Salas supra, posse scilicet respectu mortis simul esse Spem & timorem propter diversas rationes: non enim alio sensu mors timeri simul & sperari potest, quàm potest simul odio haberi & amari, & sicut hi affectus sunt contrarii, & efficaces simul esse non possunt, ita nec timor & Spes, si loquamur de actibus voluntatis, fortè enim poterit Spes esse in voluntate, & timor in appetitu sensitivo, in quo insurgit horror mali, ex apprehensione ipsius ut futuri, etiamsi illud à voluntate ut bonum animi speretur. Confirmatur: Voluntas siquidem non potest simul efficaciter velle ut res sit futura, quod habetur per Spem, & ut non sit futura, quod habetur per timorem, repugnat quippe idem simul esse & non esse, etiam propter diversas rationes: ob quam etiam causam nequit intellectus assentiri simul & dissentire eidem propositioni, judicando scilicet esse & non esse, etiam per actus distinctos, & ob diversa motiva.

VI. *Non aliter modo potest de eâdem re esse simul Spes & timor, quàm amor & odium.*

Timor & Spes efficaces oppositum habent modum tendendi.

Ad fundamentum contrarium respondeo, sicut amori duo actus opponuntur, ex quorum positione desinit, odium scilicet, & voluntas non amandi, similiter Spes desinere potest tum ex timore ejusdem rei, tum ex voluntate & proposito non sperandi, & hic actus communiter dicitur desperatio, quæ cùm non versetur cica malum, non potest esse fuga, sed volitio determinata non sperandi. Eodem modo in timore contingit, de ruinâ domus verbi gratia, qui timor destruitur, vel per actum contrarium Spei, quo talis res jam non solùm non timetur, sed etiam speratur, ut bonum animi, ad patientiam exercendam, aut aliâ de causâ, vel etiam per actum voluntatis, qui sit propositum efficax timorem à se pellendi: hic verò actus est audacia, quæ circa malum versatur, sicut desperatio circa bonum.

VII. *Sicut amori, ita & Spei duo actus opponuntur.*

Timor per duos actus destruitur, Spem scilicet & audaciam.

SECTIO TERTIA.

Quid, & quotuplex sit timor?

SI de timore in communi sit sermo, est fuga, vel recessus ab aliquo malo nobis imminente, & consequenter ab auctore talis mali; nec enim minùs de ratione timoris est is, à quo imminet malum, quàm de ratione Spei is, à quo speratur bonum, quicquid dicat Lorca hic, art. 1. illud autem malum debet esse aliquo modo difficulter evitabile, quia nullus timet id quod facilè vitare potest. Quando autem malum quod timetur per aliquem sensum cognoscitur, timor pertinet ad appetitum sensitivum, ut illius passio, si autem cognoscatur ab intellectu, est actus voluntatis, & opponi-

I. *Timor universim est fuga mali imminentis, & recessus aliquo modo à tali mali auctore.*

& opponitur Spei: consideratio verò timoris in hac latitudine pertinet ad Philosophum.

II. *Quid sit timor Theologicè sumptus.*

Si autem sermo sit de timore Dei, & prout pertinet ad Theologum, proportionaliter etiam definiendus erit, quòd sit quidam quasi recessus à Deo, suppositâ consideratione suæ eminentiæ, aut est fuga alicujus mali, quæ fuga specialem aliquem respectum habet ad Deum, vel quia tale malum nobis infligere potest, vel quia aliquid prohibet. Quæ definitio in hunc modum explicatur: cùm enim quis consideratâ Dei eminentiâ, & excellentiâ tantæ majestatis, se quasi deprimit coram illâ, séque illi subjicit, tunc illa subjectio dicitur actus timoris, & quidam veluti recessus, quo homo retrahit se, quasi indignus, qui ad tantam majestatem accedat, aut coram illâ appareat. Similiter cùm quis timet sibi pœnas inferri, quia sunt illi aliquod malum, quod voluntas fugit, consequenter dicitur timere Deum, & quasi ab illo recedere, in quantum est auctor talis mali: ac denique cùm quis timet incidere in malum culpæ, quia Deus illud suo præcepto prohibet, dicitur consequenter timere Deum, in quantum ille per tale peccatum offenditur.

Explicatio timoris prout pertinet ad Theologum.

Timor culpæ & pœnæ.

III. *Maximè varia est timoris multiplicitas.*

Quoad multiplicitatem timoris, ex dictis in hac & præcedente Sectione constare poterit tot posse multiplicari timores, quot multiplicantur bona virtutum, & vitiorum: sicut enim ad quamlibet virtutem spectat suum bonum sub propriâ ratione formali appetere, & ut eveniat media adhibere, ac demum suo modo sperare, ita ad eandem pertinet odio habere malum illi oppositum, atque adhibere media, ut non eveniat, ac denique illud timere.

Ad virtutē spectat, ut bonum amare, ita odio habere malum.

IV. *In particulari declaratur quo pacto ad virtutem pertineat, & bonum velle, & malum ei oppositum amoliri.*

Quod ut clarius fiat, statuamus exemplum in virtute Theologicâ Charitatis; Charitas enim amat Deum, & odio habet peccatum, divinæ bonitati oppositum, intendit illius gloriam, & fugit ipsius contemptum, adhibet media, ut Deus honorificetur, & ut peccatum contra eum non fiat, sperat illius honorem, gaudet de exaltatione nominis Dei, & dolet de peccatis commissis, tum propriis, tum alienis, quibus inhonoratur, ergo ad Charitatem spectat actus tum sperandi, tum etiam timendi: imo cùm non consecutio rerum, quæ intenduntur, malum quoddam sit, timeri potest, & dum adest timor, non fore rem aliquam, potest esse Spes eam fore, nec ille timor est contrarius Spei, sed potiùs est quædam virtualis prosecutio, & amor illius boni, quod Spes desiderat, ut Disputatione præcedente dixi, dum de certitudine Spei.

Simul esse potest Spes, fore ut res aliqua fiat, & timor ne non eveniat.

V. *Idem à contrario ostenditur exemplo vitiorū.*

Idem est in aliis virtutibus, imo & vitiis, servatâ proportione. Luxuria exempli gratia non tantùm elicit actum amoris delectationis venereæ, sed etiam odium boni moralis Castitatis, & rerum impedientium talem delectationem, adhibet media, ut finem consequatur, sperat se consecuturum quod optat, & timet ne impediatur, atque ut verbo dicam, quot sunt amores efficaces alicujus boni, & odia efficacia mali, tot esse possunt in hoc sensu timores. Verum non est in præsenti quæstio de hac multiplicitate, sed de aliâ magis generali, quæ reducitur ad quatuor membra, eáquo ex Divo Augustino, præcipuè tractatu 43. in Joannem, & Serm. 18 de verbis Apostoli, & Epist. 120. & ex Divo Bernardo Serm. 4. de modo benè vivendi, colligit Magister in 3. d. 34.

Quot amores efficaces alicujus rei, tot etiam sunt timores.

VI. *Quatuor in præsenti timores declarandi, mundanus, servilis, filialis, & timor qui sit speciale donum Spiritus sancti.*

Dividitur ergo timor in quatuor species: Prima est, quæ *mundanus* timor dicitur: Secunda *servilis*: Tertia *filialis*, cujus aliqua est initialis & imperfecta, alia verò consummata & perfecta: Quartus denique timor est *speciale donum Spiritus Sancti*. Nota divisum hoc loco non esse propriè timorem Theologicum, qui scilicet habeat pro objecto formali Deum ipsum, cùm unum ex membris dividentibus sit timor mundanus, qui juxta Divum Thomam & omnes ille dicitur, quo metu mali temporalis, honoris, verbi gratia, vel vitæ, à Deo recedimus, ut illud fugiamus. Timor ergo hic in ampliori significatione sumitur, quatenus scilicet versatur circa malum prout quovis modo respicit Deum, vel tanquam terminum, à quo per timorem quis recedit, vel tanquam terminum, ad quem per mali timorem accedit, juxta statim dicenda.

Divisum hoc loco non est tantùm timor Theologicus.

VII. *Ex rerum temporalitā timore homines sæpè in peccata prolabuntur.*

Mala itaque pœnæ, vel sunt temporanea, vel æterna; & quidem ex timore temporalium sæpè peccant homines: verbi gratia, nimium quis amat vitam, & sese offert occasio, ut vel ea sit perdenda, vel committenda Dei offensa, quam etiam timet, vincit tamen prior timor, & pro vitâ servandâ peccat. Contra, timor pœnæ & cruciatuum æternorum sæpè à peccato retrahit: exempli gratia, amat quis corpus & animam suam, oblatâ vero occasione peccati ab eo abstinet, ne pœnas æternas incurrat, quod etiam interdum faciunt pœnæ temporales, ut si quis propter eas à peccato recedat, furto verbi gratia, ne suspendatur, vel hæresi, ne in infamiam, aut bonorum jacturam incidat.

Timor pœnæ frequenter à peccato retrahit.

VIII. *Declaratur timor mundanus, seu humanus, & servilis.*

Duo ergo hîc diversi sunt timores, prior peccare facit, & dicitur *mundanus*, seu humanus; secundus à peccato quidem retrahit, & ad observantiam mandatorum inducit, sed more servorum, qui sæpissimè metu pœnarum in officio continentur, & ideo à Patribus vocatur timor *servilis*. Ulteriùs potest quis ex affectu Charitatis Dei, odio habere peccatum, media ad illud avertendum adhibere, & ut imminens timere: ob quem timorem seu reverentiam ex amore ortam, Deo se ad impletionem mandatorum ipsius subjicit, ut filius parenti summè dilecto, & est tertius timor, qui quatenus imitatur timorem, quo filii moventur ad præcepta parentum implenda, ne quos summè diligunt, ac colunt, ullâ in re offendant, *filialis* dici solet.

Natura & notio timoris filialis explicatur.

IX. *Timor ex malo culpæ proveniens ob fœditatem peccati.*

Alius insuper est timor, qui non ex malo pœnæ provenit, sed culpæ, non quidem in quantum hoc malum est contra Deum dilectum, sed vel quia in se fœdum est, ac turpe, vel quia contra honestatem & pulchritudinem alicujus virtutis amatæ: sicut enim dolor attritionis datur vel propter fœditatem peccati, vel ex motivo speciali alicujus virtutis, ita & timor, ne peccatum illud admittatur. Hic timor licèt diversis nominibus significetur, & aliquando *castus* appelletur, aliquando *filialis*, sæpiùs tamen *initialis* dicitur, fortè quia, etsi ad filialem & perfectum disponat, nondum tamen ad illius perfectionem pertingit. Et sanè cùm reperiri possit in peccatore sine unione illâ, quæ est inter Deum & animam per Charitatem, sicut inter patrem & filium, vel inter sponsum & sponsam, non satis commodè vel castus, vel filialis nuncuparetur.

Quis sit timor initialis, & unde hoc nomen sortiatur.

Tom. II.

SECTIO QUARTA.

An detur aliquis timor, qui sit circa bonum.

I. *Negant aliqui posse dari timorem circa bonum.*

PARTEM negantem sequitur Caïetanus, Bannez, Aragon & Lorca citati Sectione primâ, quorum sententia præter argumenta ibi posita & soluta, sic probari potest: Si enim donum timoris non versatur circa malum, quod fugiat, solùm versari potest circa bonitatem Dei, atque ita erit virtus Theologica, quod est falsum, & contra Divum Thomam, qui omnia dona distinguit à virtutibus. Deinde timor est fuga voluntatis, quæ non est nisi mali, sicut prosecutio tantùm est boni allicientis.

Probant, quia alioqui hic timor esset virtus Theologica.

II. *Dicendum, non circa malum tantùm, sed etiam circa bonum versari posse timorem.*

Communis tamen & vera sententia affirmat, posse timorem aliquem versari circa bonum: ita Divus Thomas hic, art. 2. & quæst. 81. art. 2. ad 1. ubi ait ad timorem pertinere, revereri Deum. Reverentia autem non tendit ad malum, sed ad bonum, & 3. parte, quæst. 7. art. 6. & 1. 2. quæst. 67. art. 4. ad 2. ait in patriâ non manere timorem circa malum, sed manere timorem, qui est revereri Deum. Eadem ferè sunt verba Divi Bonaventuræ, in 3. d. 34. parte 2. art. 3. quæst. ultimâ, Gabriël. quæst. unicâ, art. 3. d. 2. & Richard. art. 2. quæst. 3. qui ait hunc timorem esse conformem communi opinioni, Halensis 2. parte, quæst. 118. membro 3. art. 6. ubi alios pro eâ refert, Suarez Tom. 1. in 3. parte, d. 2. Sect. 2.

III. *In quo consistat, & unde oriatur timor reverentialis.*

Consistit autem hic timor in quodam affectu reverentiæ ad Deum propter ejus eminentiam, quem affectum præcedit in intellectu magna æstimatio divinæ excellentiæ, & omnipotentiæ, quâ res omnes in nihilum redigere potest, & vilissima ipsius hominis æstimatio, cui respondet in voluntate subjectio quædam, quâ homo seipsum coram tantâ majestate dejicit ac despicit, vultúque illi perpetuò subesse.

IV. *Timor reverentialis magis in particulari declaratur.*

Hic ergo affectus, quo voluntas vult se subdere Deo, præferendo in omnibus honorem divinum proprio, appellatur timor *reverentialis*, non quidem ita rigorosè, sicut ille quo timetur malum, sed quia hic affectus solet esse effectus illius timoris rigorosi, & quia per illum reveremur Deum propter eminentiam & potentiam quam habet ad infligendum illud malum, quod solet esse objectum timoris, ut declarat S. Thomas loco illo 3. partis citato.

V. *Hic affectus, ut ex sacris Literis constat, vocatur simpliciter timor.*

Hunc verò affectum reverentiæ appellari absolutè timorem constat ex Scripturâ; sic enim habetur Jerem. c. 10. v. 7. *Quis non timebit te, ô Rex gentium, tuum est enim decus*, &c. id est tibi debetur honor, ut explicat Lira, ubi ratio propter quam Deus dicitur timendus, est quia est dignus honore, propter suam excellentiam, non verò propter malum, quod infligere potest. Deinde Lucæ c. 7. v. 16. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum*: ubi timor non videtur accipi pro fugâ mali, sed pro reverentiâ conceptâ erga Christum Dominum, quia videbant eum miracula patrantem, unde cap. 5. v. 26. dicitur, *Repleti sunt timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodie*: ad Rom. c. 13. v. 7. *Reddite omnibus debita, cui timorem, timorem*, &c. ubi timor accipitur pro reverentiâ ut explicant S. Chrysostomus, & Theophilactus. Lucæ etiam primo, v. 65. loquens Evangelista de mirabilibus, quæ in nativitate Joannis Baptistæ contigerant, ait, *Factus est timor super omnes vicinos eorum*: ubi causa timoris non fuit aliquod malum quod fugerent, sed potiùs multa bona, de quibus gauderent, timor ergo illic vocatur reverentia erga Deum propter excellentiam bonitatis, & potentiæ ipsius, quæ in tot tamque præclaris operibus elucebat, ut benè Salmeron tom. 3. tractatu 16. & Maldonatus in caput primum Lucæ. Hoc idem non semel indicant sancti Patres, D. Dionysius, Chrysostomus, Gregorius, & Augustinus, quorum verba adfert Suarez suprà.

Hoc variis, tum novi, tum veteris Testamenti testimoniis ostenditur.

Hic timor, non ex malo, sed ex admiratione excellentiæ & potentiæ Dei oriebatur.

Idem docent Patres.

Ad argumentum in contrarium Respondeo, timorem hunc reverentialem, qui versatur circa Dei excellentiam, non esse virtutem Theologicam, quia non versatur circa Dei excellentiam tendendo ad illam ut tendunt virtutes Theologicæ, sed deprimendo hominem coram illâ. Neque omnis fuga respicit malum, sed illa tantùm qua voluntas fugit objectum, quasi nolens illud habere, illa verò fuga qua voluntas recedit ab objecto propter illius reverentiam, qua se illi vult submittere, & quasi non audens ad illud accedere, non respicit objectum malum, sed eminentiam boni; nam ab objecto bono, & valde excellenti non solum oritur amor, sed etiam hic modus fugæ, & reverentiæ, propter ipsius dignitatem.

VI. *Timor reverentialis non tendit in Deum sicut in eum tendunt virtutes Theologicæ.*

Non omnis fuga respicit malum.

SECTIO QUINTA.

Quis sit timor mundanus, & an semper sit malus?

I. *Quid Patres sæpè intelligant per timorem mundanum.*

TIMOR mundanus accipi non rarò solet præcipuè apud Patres, pro timore malorum temporalium, quæ revera sunt digna timore: quo sensu præcisè sumptus hic timor, malus non est, nec continet quidquam contra gloriam Dei sicut neque amor earumdem rerum, si propter illa vel acquirenda vel fugienda non sit homo paratus, propter nimium in ea amorem vel timorem, ad peccatum committendum. Timet quis exempli gratia morbum, vel amissionem bonorum, sed propter hunc timorem non movetur ad aliquod peccatum, hic timor non est malus ex se; imò opus est homini naturalissimum timere mortem, & alia damna temporalia, potest etiam hic timor esse bonus, si ex debitis circumstantiis fiat; sic enim Christus mortem timebat, & quilibet timere potest jacturam bonorum temporalium, ut illis servatis, melius servire possit Deo.

Ostenditur omnem timorem mundanum non esse malum.

II. *Hic tamen timor plerumque in malam partem accipitur.*

Communiter tamen timor mundanus accipi in malam partem solet, uti hic describitur à D. Thoma art. 3. pro eo scilicet quo quis ita timet aliquod incommodum seu amissionem boni temporalis, ut propter illud effugiendum offendat Deum. Unde meritò D. Thomas absolutè eum affirmat semper esse malum, & peccatum, sive mortale sive veniale, juxta qualitatem culpæ, quam quis vult committere, ut malum illud temporale effugiat, & hoc modo prohibetur à Christo Matth. c. 10. vers. 28. & Lucæ c. 12. vers. 4. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. in quæ verba D. Augustinus, apud Valentiam hîc, p. 2. ait: *Hoc dixit Christus Dominus ne illo timore negaremus eum*; quo turbatus est Petrus, quando scilicet Christum negavit.

Hic timor quo sensu prohibeatur à Deo.

Ratio

III. *Cur timor mundanus hoc sensu sit semper malus.*

Ratio verò est, quia per hunc timorem illud malum seu incommodum temporale timetur ut majus malum quàm offensa Dei, quod constat esse perversionem debiti ordinis, cùm malum culpæ longè majus sit, quàm quodcumque malum temporale, & consequenter magis fugiendum ac timendum.

IV. *Magis declaratur quomodo timor mundanus hoc modo acceptus, sit malus.*

Confirmatur: Ille enim qui ita timet amittere commodum temporale, ut ne illud amittat velit potiùs Deum offendere, plus commodum illud temporale diligit, quàm fugam peccati, & quàm illud bonum honestum cui tale peccatum opponitur, imò plus quàm ipsum Deum, siquidem hæc omnia postponit huic commodo temporali, juxta illud Joannis c. 12. v. 42. *Multi principes crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagogâ non ejicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.*

V. Amicitia hujus sæculi inimica est Deo.

Hæc itaque est magna deordinatio amoris; ergo timor, qui ex tali amore nascitur, non potest esse honestus, sed semper est peccatum, sicut est ipse amor mundanus, de quo proinde dicit D. Jacobus cap. 4. v. 4. *Amicitia hujus sæculi inimica est Deo*: unde infert, *Quicumque ergo voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

VI. *Hic timor mundanus ab habitu vitioso procedit.*

Hic ergo timor, vitiosus cum sit, ab habitu vitioso semper procedit: existimat tamen Valen. hic, p. 3. eum non procedere à speciali aliquo habitu, sicut neque constituit distinctum peccatum ab eo, quod quis propter illum committit. Aliquis ex. gra. ad evitandam infamiam, quam timet, mentitur, ille timor, inquit, ab illo pravo habitu procedit, nec est distinctum peccatum à mendacio, quod propter illum committitur. Hæc ille, quod tamen non caret difficultate: ut ergo explicetur

VII. *Duobus modis contingere potest timor mundanus.*

Sciendum, dupliciter haberi posse timorem mundanum: Primò, si ita pravè quis ac vehementer sit erga bona temporalia affectus, ut jam apud se explicitè decreverit potiùs præceptum aliquod transgredi, de non pejerando, verbi causa, quàm bonum temporale, honores scilicet, vel vitam amittere, ubi talis sese offerret occasio, quod si contingeret existimant aliqui oblatâ tali occasione, & secuto postea illo peccato, fore duo peccata, quod nimirum antequam fiat perjurium, non sit dubium quin commissum sit peccatum.

VIII. *Secundus modus timoris mundani, in quo unum tantùm peccatum juxta nonnullos committitur.*

Secundo modo potest quis habere timorem mundanum, ita scilicet ut taliter sit affectus ad bona temporalia, ut licèt nihil adhuc decreverit, oblata tamen necessitate, vel amittendi bona ista, vel violandi præceptum, velit hoc potiùs, quàm illa amittere: in quo casu dicunt aliqui non esse nisi unum peccatum, quòd nimirum ante actualem transgressionem perjurii solùm esset habitualiter dispositus erga peccatum, ergo solùm est peccatum perjurii.

IX. *Probabilius nihilominus est duo hic committi peccata.*

Verius tamen videtur esse duplex peccatum, & perjurii oblatâ occasione, & priùs nimii amoris erga temporalia, & timoris ea amittendi, qui fuit causa perjurii: unde talis non solùm fuit malè dispositus habitualiter, sed etiam actualiter per actum illicitum nimii amoris erga ista, qui amor etsi malitiam perjurii minuat, quia facit illam minùs voluntariam, est tamen peccatum distinctæ malitiæ, & speciei, juxta diversitatem virtutis, quæ medium ponit in amore boni, cujus amissio timetur: licèt autem amor iste, vel timor, esse possit nimius, non tamen censetur peccatum grave, nec propriè dicitur mundanus, donec major sit appretiativè, quàm amor mandatorum, vel timor trangressionis illorum. Ex quo sit timorem mundanum semper esse peccatum, ut supra dicebamus, & distinctum ab eo, ad quod inducit.

SECTIO SEXTA.

Quid sit timor servilis, & an semper sit honestus?

I. *In quo timor servilis à mundano differat.*

POST mundanum timorem sequitur servilis, qui in eo conveniunt, quòd uterque pœnam respiciat, licèt in eo differant, quòd mundanus solummodo spectet pœnam temporalem, servilis verò tum hanc, tum æternam: item mundanus trahit ad peccatum, à quo retrahit sæpè servilis; ille semper est peccatum, vel cum peccato conjunctus, hic sæpè actus bonus & honestus. Timorem ergo servilem ex Divo Augustino & aliis Patribus benè explicat Valentia hîc, quæst. 2. quòd sit ille, quo quis timet pœnas à Deo constitutas pro peccatis, aut timet ipsa peccata ratione pœnarum, ac proinde movetur ad rectè operandum, ut eas effugiat.

II. *Dupliciter contingere potest hic timor.*

Duobus ergo modis hoc potest contingere, primò si, qui habet hunc timorem, ita sit ad peccatum affectus, ut licèt propter pœnam nolit eam exteriùs committere, interiùs tamen semper maneat ad illud affectus. Hic ergo timor semper est cum peccato conjunctus, cùm semper maneat voluntas peccandi, atque ita malus est, non quidem in eo, quòd pœna timeatur simpliciter, sed quòd inordinatè, & plus quam culpa, oritur enim ex inordinato amore, quo quis plus suam commoditatem diligit, quàm vitare Dei offensam, & consequenter reipsa plus se quàm Deum diligit, siquidem ita est animo comparatus, ut Deum offenderet, nisi timeret pœnam, quam proinde magis timet.

III. *Quo sensu dicat S. Thomas timorem servilem, qua servilem semper esse malum.*

Hoc fortè sensu intelligendus est D. Thomas hîc, dum ait timorem servilem Dei, quatenus servilis est, malum esse, quòd scilicet per illum aliquis ita timeat culpam ratione pœnæ, ut sit paratus non fugere culpam, nisi propter pœnam, tunc enim maximè est servilis, cùm servi ut plurimum plus pœnam quàm offensam Dominorum timeant, plúsque suam indemnitatem, quàm dominos ament. Hinc ad Romanos 8. vers. 15. *Non accepistis*, inquit Apostolus, *spiritum servitutis iterum in timore*: ubi spiritum agendi ex timore pœnarum quarumcumque, etiam damni, vocat spiritum servitutis, ficque malus est ille timor, eo quòd conjunctus sit cum voluntate peccandi.

IV. *Quomodo acceptus timor servilis sit bonus.*

Alio modo contingit timor servilis, quando quis propter hunc timorem pœnæ, sive temporalis, sive æternæ retrahitur, non solùm ab actu exteriori peccandi, sed etiam à voluntate, & hic actus est bonus, cùm non solùm faciat ut peccatum non committatur, sed etiam ut de commisso habeatur dolor, qui attritio dici solet.

V. *Timor pœnarum à Deo infligendarum non est vitiosus, sed honestus.*

Quoad secundum in titulo quæsitum, Respondetur cum Catholicorum omnium sententiâ contra Lutherum, timorem pœnarum infligendarum à Deo, maximè gehennæ, non esse peccatum, nec reddere homines hypocritas, sed esse utilem ad vitam honestè traducendam. Hæc conclusio est

Tom. II.

de Fide, & ita manifesta, ut recentiores hæretici, Kemnitius, Calvinus, & alii eam negare non audeant. Definita proinde est tum in Bullâ Leonis decimi contra Lutherum, tum etiam in Tridentino Sess. 6. cap. 6. ubi de hoc timore servili, per quem homo ante baptismum disponitur ad justificationem, explicat illud Ecclesiasticí: *Timor Domini expellit peccatum.* Idem definitur Canone 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, & à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Idem habetur Sess. 14. cap. 4. & 5.

Hæc à Leone X. definitur.

Idem expressè traditur à Concilio Tridentino.

VI.

Probatur primò ex innumeris locis Scripturæ, in quibus hic timor laudatur, consulitur, & præcipitur: sic Exodi 20. *Ut probaret vos venit Deus, & ut timor illius esset in vobis, & non peccaretis.* Matthæi 10. vers. 28. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Apocalyp. 14. vers. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.* Alia hujusmodi loca videri poterunt apud Valentiam & Suarez Tomo 4. in 3. partem, d. 5. Sect. 2. & Bellarminum Tomo 2. lib. 1. de Pœnitentiâ, c. 6. & Tomo 3. tractatu de Justificatione, qui plurima Sanctorum Patrum testimonia adducunt, quæ nobis timorem hunc valdè commendant, eúmque custodiam animæ, & introductionem ad pietatem appellant.

Hanc etiam veritatem non semel directè tradunt sacræ Litera.

Hunc timorem maximè cẽmendant Sancti Patres.

VII.

Dices: Concilium addere, si metus ille excludat voluntatem peccandi, & fiat cum spe veniæ; à quibus extrinsecè, tanquam ab effectu hic timor habere potest bonitatem, & reliqua, quæ à Concilio dicuntur. Contra: Voluntas quippe non peccandi, & Spes veniæ ex hoc metu oriuntur ut à motivo: unde Scriptura & Concilium dicit Ninivitas hoc metu correptos pœnitentiam egisse. Docet insuper Concilium, attritionem esse dolorem imperfectum, quia concipitur ex metu gehennæ, non solùm ut ex occasione, nam ut benè argumentatur Suarez supra, etiam contritio, quæ est dolor perfectus sæpè ex metu gehennæ tanquam ex occasione concipitur, particulæ enim *ex & propter* in rigore motivum, seu causam formalem important. Item Concilium assignat ut bonum & sufficiens motivum pœnitentiæ metum suppliciorum, & turpitudinem peccati, ergo ex se & suo objecto intrinsecè, & non solùm extrinsecè ab effectu est bonus talis timor.

Ulteriùs declaratur quomodo hic timor sit honestus, & utilis.

Quare juxta Concilium hic metus sit imperfectus.

VIII.

Ratio à priori est, quia timor alicujus mali suam speciem & honestatem sumit ex bono, cui malum illud opponitur, & ex cujus amore oritur, sed bonum, cui opponitur malum gehennæ, est per se honestum & amabile, utpote ipsa beatitudo animæ & corporis, quæ per se est diligibilis, ergo. Licèt enim multis assignatu difficile videatur cujus virtutis sit hic timor pœnæ æternæ, probabile tamen est nasci cum ex amore sui, quo nimirum quis amat incolumitatem suam, & commoditatem propriæ naturæ, ex quo amore provenit ut timeat malum pœnæ, rectæ suæ constitutioni contrarium. Rationi ergo maximè consonum videtur amare bonam consistentiam naturæ rationalis in ordine ad supernaturalia, cui opponitur pœna damni & sensus, ac propterea actus Spei bonus est, ut supra diximus, ergo etiam & timor gehennæ, seu amittendi beatitudinem erit bonus.

Ratione ostenditur timorem ex metu gehennæ esse bonum & honestum.

Timor pœnæ æternæ, & amittendæ beatitudinis provenit ex honesto amore sui.

IX.

Hinc sequitur timorem hunc vocari imperfectum, quia quamvis cum Charitate existere possit in justo, qui sæpè ex hac consideratione moveatur ad peccata detestanda, potest tamen sine illâ esse in peccatore: imo crescente Charitate & fervore ipsius decrescit & foras mittitur timor, non quidem absolutè, sed quoad quandam anxietatem, & etiam frequentiam actus, esto namque virtus hæc remaneat in viro perfecto, nec illi repugnet in hac vitâ timor pœnarum, si non sit certus de suâ salute, parum tamen movetur hoc timore, ideóque rarò ejusmodi actum elicit, nec propter timorem pœnæ, sed potiùs ob amorem Dei peccatum detestatur.

Quare hic

mor servilis vocetur imperfectus.

Crescente Charitate, decrescit timor.

X.

Objicit Lutherus, hunc actum esse malum, quia magis fugit pœnam quàm culpam. Negatur tamen antecedens, licèt enim homo per illum actum magis actualiter fugiat pœnam quàm culpam, saltem in quantum pœna est ratio fugiendi culpam, quia tamen ipsam pœnam fugit propter bonum cui opponitur, quod est honestum, & ultimò in Deum refertur, ideo totus actus est honestus, quamvis non ita perfectus, ac si esset propter ipsam culpam: nec tamen idcirco est turpis, quia homo non tenetur operari quod perfectius, sed quod bonum est.

Quamvis homo per hunc timorem fugiat culpam propter pœnam, hoc tamen non obstat quo minùs actus ille sit honestus.

XI.

Deinde ordinare fugam culpæ ad fugam pœnæ non est in se malum, ut contendit Lutherus, nec malum reddit talem timorem culpæ, tum quia hoc medium revera est proportionatum ad illum finem, quia sicut pœna non debetur nisi propter culpam, ita nullum medium est aptius ad vitandum pœnam, quàm vitare culpam, ideóque apponitur pœna transgressori peccanti, ut timore saltem hujus ad vitandam transgressionem moveatur. Præterea etiamsi culpa sit majus malum quàm pœna, fuga tamen culpæ non ordinatur ad fugam pœnæ tanquam ad finem ultimum, sed tanquam ad finem proximum, qui non excludit ultimum, scilicet Deum, ad cujus gloriam tota hæc operatio virtualiter refertur: sic enim ipse Deus ordinat aliquando bonum altioris ordinis ad bonum inferioris, Incarnationem verbi gratia, & passionem Christi ad salutem nostram, tanquam ad finem proximum, quia utrumque tandem cedit in gloriam Dei, atque ita nulla est in eo actu inordinatio, quamvis in objecto sit minor perfectio.

Ulteriùs ostenditur timorem hunc, quo quis ob pœnam fugit culpam, non esse malum.

Quod est ita se perfectus ordinari potest ad aliquid imperfectius.

XII.

Negatur etiam id quod objicit, hunc scilicet timorem habere conditionem istam in se inclusam, committerem peccatum si non esset pœna ei imposita; tunc enim non averteret efficaciter à peccato, imo nec à pœnâ, ut constat, cùm peccatum, ut ait, admitteret, & consequenter pœnam ei debitam incurreret.

Non habet hanc conditionem inclusam, committerem peccatum si non esset ei pœna imposita.

XIII.

Tandem hic timor non est indifferens, sed per se honestus, timere scilicet culpam propter metum gehennæ, quia motivum hujus timoris non est commoditas naturalis præcisè, sed commoditas naturæ rationalis in ordine ad finem supernaturalem, seu dona ipsa supernaturalia, quibus anima & corpus privantur per pœnam damni & sensus.

Ex motivo hujus timoris ostenditur eum non esse solùm indifferentem, sed honestum.

XIV.

Secunda Conclusio: Timor hic servilis non solum est honestus, sed & potest esse supernaturalis. Probatur, nam objectum formale hujus timoris est quid supernaturale, bona scilicet consistentia naturæ rationalis in ordine ad finem supernaturalem, quam consistentiam & ab animâ & corpore aufert pœna damni & sensus: sicut namque beatitudo supernaturalis importat visionem supernaturalem Dei in animâ, & dona etiam supernaturalia, in corpore quæ sperantur Spe supernaturali,

Timor servilis potest esse supernaturalis.

Objectum formale hujus timoris est quid supernaturale.

supernaturali, ita qui timet peccatum propter pœnas quibus privatur his donis, habet pro objecto formali aliquid supernaturale, ipsa scilicet dona supernaturalia. Confirmatur, quia attritio seu dolor ille imperfectus peccatorum, qui concipitur est metu gehennæ, est supernaturalis, ut dici solet in materiâ de pœnitentiâ, quia simul cum Sacramento est dispositio ad justificationem, ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 4. ergo & timor hic servilis culpæ propter gehennam potest esse supernaturalis, cùm non minùs habeat objectum supernaturale.

Dolor imperfectus, seu attritio est supernaturalis, ergo & hic timor talis esse potest.

SECTIO SEPTIMA.

De timore filiali, *&* initiali.

I. *Timor filialis duplex est, perfectus & imperfectus.*

TIMOR filialis duplex à S. Thoma, & cæteris Doctoribus constitui communiter solet, alter imperfectus seu initialis, alter vero perfectus: quorum natura non facilè explicari poterit nisi priùs à servili distinguatur, quod hic faciemus, & primò filialem perfectum.

II. *Quo pacto timor filialis distinguatur à timore servili.*

Timor ergo servilis Dei juxta dicta est ille, quo timentur pœnæ, quæ possunt nobis à Deo infligi, & quo Deum timemus ut judicem, & principium illorum malorum, quorum potest esse auctor, juxta illud, *Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus*; & Isai. c. 45. v. 7. *Faciens pacem, & creans malum.* Ita Doctores communiter cum S. Augustino, qui tamen non semper eisdem verbis timorem castum seu filialem describit; interdum enim dicit esse timorem amittendi justitiam, interdum quo quis timet ne à Deo deseratur.

III. *Optima D. Augustini timoris servilis & filialis descriptio.*

Illa verò optima & clara videtur descriptio qua Sermone 18. de verbis Apostoli, utrumque timorem sic definit: *Servilis timor est, quo timemus cum damnatis ardere; castus verò quo quis timet Deo displicere.* Timor siquidem ex displicentiâ peccati, ut est offensa Dei summè dilecti, vel summè boni, est proprius timor filialis, qui supponit hominem timentem esse filium Dei, nam supponit eum diligere Deum quatenus bonus est, & inde timet illi displicere, ne incidat in pœnam, seu ut D. Augustinus loquitur, *Ne offendat gaudium paternum, & ne displiceat oculus amantis.* Quo sensu intelligendæ sunt aliæ ipsius definitiones, ut quòd sit timor deserendi justitiam, &c.

IV. *Quid sit Deum à nobis propter peccata nostra recedere.*

Notandum verò, quando timemus ne Deus à nobis recedat propter nostra peccata, considerari posse Deum ut principium illius recessus, id est non diligendi nos ratione malitiæ in nobis præsuppositæ, sub quo respectu etiam timetur Deus ut principium à nobis recedens, non tamen absque præsuppositâ malitiâ in nobis, & separatio etiam hoc modo timeri potest à filiis, non præcisè quia est pœna, sed quia à culpâ provenit, ita ut magis hic vel doleamus, vel timeamus causam, quàm effectum. Unde S. Aug. in Psalmum 127. dixit, timorem castum timere ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, & ne sponsus tardet; sensit ergo pœnam seperationis à filiis timeri posse, non præcisè ut pœnam, sed quia est provenieus à culpa.

Separatio hæc à Deo per pœnam non timetur præcisè quia est pœna, sed quia procedit à culpâ.

V. *Timor pœnæ damni, & ad timorem servilem pertinet.*

Secundò, quamvis timor pœnæ damni ob præcisam privationem visionis, quatenus est malum nostrum, & à Deo justo Judice, pertineat ad timorem servilem, timor tamen ejusdem pœnæ, quatenus est separatio à Deo patre nostro, quem diligimus, & contraria beatitudini, quam quis diligit ut optimum medium ad Deum perfectiùs amandum, quæ est optima dilectio beatitudinis: ejusmodi inquam timor pœnæ damni est filialis, & ortus ex charitate, per quam diligitur Deus, & unio cum illo ut summè dilecto.

nere potest, & ad filialem.

VI. *Timor filialis & servilis inter se essentialiter differunt.*

Dicendum ulteriùs, timorem servilem & filialem essentialiter inter se differre: hoc expresè docet D. Thomas art. 5. estque communis Theologorum sententia. Probatur; timor quippe servilis, pertinet ad amorem concupiscentiæ, & respicit malum pœnæ futuræ à Deo: filialis verò pertinet ad amorem benevolentiæ Dei, & in ejus nititur amicitiâ. Unde licèt hic timor non respiciat immediatè Deum ut principium mali, quod timemus, semper tamen respicit illum tanquam personam ex cujus complacentia fugimus malum: quapropter ipsum respicit ut rationem formalem displicentiæ mali, seu peccati, quia amor quo volumus Deo bonum ipsius, immediatè respicit bonum ut finem *cujus gratia*, & simul etiam respicit finem *cui*, id est personam ex cujus benevolentiâ illud bonum amamus: similiter in displicentiâ vel timore peccati, quatenus est offensa Dei, & odio habetur, non tantùm respicit malum quod fugimus, sed simul etiam personam ex cujus amore illud fugimus ut hic respicit Deum.

Timor filialis respicit Deum ut personam, ex cujus complacentiâ fugimus malum.

Vi amor, ita etiam timor, & sinè cujus gratia respicit, & sinè cui.

VII. *Timor* initialis *in quo consistat ostenditur.*

Quoad amorem filialem imperfectum seu *initialem*, dicendum non esse actum essentialiter distinctum à timore vel servili, vel filiali, ut expresè D. Thomas quæst. 19. articulo 8. dicens, Timor initialis aut est timor servilis quatenus introducit charitatem, vel potiùs est timor filialis imperfectus, qui non differt in substantiâ à perfecto, sicut nec charitas imperfecta à perfectâ; est autem filialis timor imperfectus, & remissus, quando nondum omnino expulsus est timor servilis.

VIII. *Falsò asserit Durandus timorem initialem essentialiter distingui à timore servili & filiali.*

Falsa proinde est sententia Durandi in 3. d. 34. q. 3. qui dicit, timorem initialem distingui essentialiter & à timore servili & filiali, quia operatur ex motivo formali utriusque simul per eundem actum, qui proinde à quolibet specie differt. Hoc, inquam, est falsum, & impossibile, ut ex dictis constat. Nec ob hoc dicitur timor initialis medius inter servilem & filialem perfectum, sed quia ita habet pro objecto malum culpæ ex amore filiali, ut simul etiam habeat adjunctum & compatibilem in eodem subjecto timorem servilem pœnæ, etiam quoad actum.

IX. *Quis timor minuatur, crescente charitate.*

Quæres, quis ex his timoribus minuatur quoad frequentiam actuum, crescente charitate, nam quoad habitum suppono utrumque augeri in homine justo, dum augetur charitas, quia cum gratiâ augentur omnes virtutes, & habitus supernaturales, qui ab illâ emanant. Respondet D. Thomas art. 11. filialem augeri, minui servilem, quod satis ex dictis constat: & ratio est, quia quò magis quis diligit patrem aut amicum, eò magis cupit non separari ab ejus amicitiâ, & plus timet illum offendere, ne amicitiam lædat, vel amittat, non verò ita frequenter timet offendere propter supplicium, quia hoc est magis proprium servorum. In hoc itaque sensu intelligendum est quod dicitur primæ Joannis c. 4. v. 18. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*, servilem scilicet quoad frequentiam actuum, de quo optimè D. Aug. in Psal. 18. & 127. & alibi.

Resp. Timorem servilem minui, augeri filialem.

SECTIO OCTAVA.

Ad quam virtutem spectet, & quos habeat actus timor hic filialis?

I. *Timor filialis perfectus procedit à charitate.*

PRIMA Conclusio: Timor filialis, seu culpæ, prout contra Deum & ejus bonitatem, provenit à virtute Charitatis: ita D. Thomas hîc, art. 6. & 3. parte, quæst. 85. art. 2. ad secundum, ubi docet complacentiam divini boni, & displicentiam peccatorum, quatenus sunt offensa Dei, elici à virtute Charitatis: quem sequuntur ejus discipuli Caietanus hîc, art. 2. Sotus in 4. dist. 14. art. 2. Canus relectione de pœnitentiâ p. 2. timor autem & fuga peccati quatenus est offensa Dei, & contra bonitatem ipsius, est quædam displicentia peccati sub eâdem ratione; ergo juxta beatum Thomam elicitur à virtute Charitatis.

Hoc ex eo ostenditur, quia fugere peccatum quatenus est offensa Dei, oritur à charitate.

II. *Sanctorum Patrum auctoritate idem declaratur.*

Hinc D. Gregorius 34. Moral. cap. 17. ait hunc timorem castum gigni à Charitate, non timorem servilem. Idem docet D. August. Serm. 18. de verbis Apostoli, & Sermone 214. *Cum cavet anima ne Deus desertus illam deserat, timor est castus,* & Psalm. 118. Serm. 3. *Absit ut timore pereat amor, ubi castus est timor: sic patres à filiis pius & timentur & amantur; sic pudica conjux virum timet ne ab illo deseratur, & amat ut fruatur,* &c. Sanctus etiam Bernardus Serm. 4. de modo vivendi ad sororem ait esse timorem offendendi Deum, & contra eum peccandi, & oriri ex amore Dei.

III. *Ratio est, quia objectum formale hujus timoris est bonitas Dei.*

Ratio autem conclusionis satis ex dictis constare potest, quia in tali timore invenitur objectum formale Charitatis; tota enim ratio timendi per hunt timorem est bonitas divina, cui placere desideramus, est enim odium, quo ex complacentiâ Dei detestamur malum culpæ imminens, seu possibile & futurum, qui actus est amicitiæ per respectum quem necessariò includit ad personam, ex cujus benevolentiâ malum illud fugit, & propter hunc respectum juxta communem sententiam dolor de peccatis propter Deum, sive ex complacentiâ bonitatis Dei, est contritio, quæ à Charitate etiam procedit.

Qui sic timet, fugit malum ex benevolentiâ erga Deum.

IV. *Aliunde ostenditur timorem filialem perfectum procedere à charitate.*

Secundò probatur à posteriori, hic namque actus casti amoris non potest ab alio habitu elici, ergo: Antecedens probatur, est enim actus perfectissimus, quia in subjecto, in quo est exigit perfectam Charitatem, ut Patres omnes ac Theologi fatentur, & consequenter respicere debet rationem aliquam perfectissimam.

V. *Cùm hic actus sit perfectissimus, necessarium est, ut relationem aliquam habeat ad charitatem.*

Si dicas respicere malum quod fugiat, peto quod malum, pœnæ an culpæ, & cùm certum sit cum culpam fugere, peto rursus sub qua ratione: si enim solùm quia contra bonum honestum, erit actus alicujus virtutis specialis, quæ bonum illud honestum respicit cui peccatum contrariatur; sin autem quia est contra divinam bonitatem, cum ille actus odii peccati, ut diximus, sit perfectissimus, erit actus Charitatis, ad quam pertinet, ut amare bonum, ita odisse malum illi oppositum, ut hoc modo timendo amet, & amando timeat.

VI. *Quos, & quinam sint hujus timoris actus, non levis est inter antiquos difficultas.*

Quoad secundam verò partem, de actibus scilicet hujus timoris, major est difficultas; licèt enim conveniant omnes timorem illum actualem, qui est fuga mali culpæ, in quantum est contra Dei bonitatem, esse actum hujus virtutis, aliqui tamen contendunt hunc solùm esse actum hujus timoris: illum verò qui est reverentialis subjectionis & submissionis Deo, quo se illi justi submittunt, & quo præcepta ipsius servantes, illi obediunt, ad donum potius timoris revocant, quod à Charitate distingunt, & ab habitu humilitatis elicitum esse putant. Alii contra & donum ipsum timoris à Charitate non distingunt, ut dicam Sectione sequente, & hunc actum, licèt ad donum pertineat, non minùs à Charitate elici quàm alium, & utrumque nomine timoris filialis comprehendi existimant. Res hæc commodiùs discutietur Sectione sequente, modò

Tit. rem reverentialem nonnulli ab humilitatis habitu procedere affirmant.

Dicendum, utramque sententiam ex parte verum attingere: Primam, in quantum dicit nomine timoris filialis, utrumque illum actum comprehendi: Secundam, quatenus affirmat duos illos actus distingui, & ad diversas virtutes pertinere. Hanc conclusionem idcirco statuo, quia vix aliter intelligi poterunt, & inter se conciliari, quæ D. Thomas, & Doctores communiter docent de donis Spiritus sancti, ea scilicet à virtutibus distingui, & quia omnes in Christo & Beatis, ut postea dicetur, admittunt timorem filialem quoad actum, non tamen illum quo ex Charitate timetur malum culpæ ut imminens, quod illi statui, ut postea ostendam, repugnat; ergo alium, nempe subjectionis, ac proinde nomen timoris filialis utrique est commune.

VII. *Verius videtur duos illos actus distingui, & ad diversas virtutes pertinere.*

Quis timor filialis in Christo & Beatis sit admittendus.

SECTIO NONA.

An sit speciale aliquod donum timoris, quid sit, & quos actus habeat?

QUOAD primum, communis est Sanctorum Patrum ac Theologorum sententia, sacrarum etiam Literarum auctoritate firmata, septem dona Spiritus sancti hominibus justis infundi. Quæ etsi Scotus & Gabriël in 3. d. 34. sentiant non differre essentialiter à virtutibus, contraria tamen sententia probabilio multo est, & Sanctis Patribus conformior, tum quoad actus tum habitus, non quidem ex eo quòd semper respiciant objectum diversum, cum frequenter circa idem versentur, nam donum pietatis tendit ad motivum, ad quod tendit virtus religionis, & donum fortitudinis ad idem ad quod fortitudinis virtus. Distinguntur ergo dona à virtutibus propter præstantiorem modum tendendi in idem objectum; habitus namque virtutum infunduntur ad eliciendos actus juxta communes & ordinarias regulas prudentiæ, quæ attentis circumstantiis dictat illos esse hic & nunc eliciendos; at verò habitus donorum infunduntur ad eliciendos actus ex speciali instinctu, seu impulsu Spiritus Sancti supra communes leges, & quando illæ dictarent potiùs contrarium: v. g. virtus fortitudinis inclinat ad aggredienda pericula, & mortem ipsam quando prudentia secundùm communes leges dictat id esse necessarium; at verò donum fortitudinis inclinat ad aggredienda pericula ex speciali motione Spiritus Sancti, etiam quando lex prudentiæ dictaret oppositum, ut cum Martyres aliqui se suâ sponte in ignem conjecerunt. Inter hæc autem dona constat numerari donum timoris.

I. *Septem dona Spiritus S. hominibus justis infundantur.*

Spiritus sancti dona non semper ad diversum objectum tendunt à virtutibus.

Assignatur quodnam sit verum discrimen inter dona & virtutes.

Inter alia Spiritus S. dona numerandum est donum timoris.

II. *Donum timoris non-*

Quoad secundum, quid nimirum sit donum timoris, aliqui ad charitatem illud reducunt maximè

nulli reducit ad charitatem.

maximè ob Sanctorum Patrum auctoritatem: primò D. Ambrosii ad caput 4. Apocalypsis: ubi cum Christum ex obedientiâ mortuum fuisse dixisset, subdit: *Illa obedientia non fuit timoris, sed amoris, de quo timore Psalmista dicit, Timor Domini sanctus, permanens in saculum saculi, non autem timor sed charitas Dei in saculum permanet*; quasi diceret ille actus ratione cujus dicuntur Beati timere Deum est actus charitatis. Secundò,

Patres donum timoris asserere videntur pertinere ad charitatem.

D. Augustini Homilia 9. *Si dicat tibi Deus fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam*, &c. *non te in gehennam mittam, faciem tamen meam non videbis, si ad istam sententiam expavisti, amasti: si ad hoc quod dictum est, faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, & in non videndo Deum magnam pœnam putasti, gratis amasti.* Tertiò, D. Bernardi de modo bene vivendi, Serm. 40. *Timor*, inquit, *ille castus est, quia non recipit adulterum amorem, quia Deum super omnia diligit, & nihil amori ejus præponit.*

III. *Donum timoris ad virtutem humilitatis reducendum alii arbitrantur.*

Alii existimant timorem versari circa objectum humilitatis, atque adeo virtuti humilitatis respondere: ita Divus Thomas hîc, art. 12. ex Divo Augustino, Scotus d. 34. §. *de donis dico*, Gabriel ibidem quæstione unicâ, Suarez in 3. parte, Tomo 1. d. 2. Sect. 2. §. *Quocirca*, qui etiam auctoritate Patrum nituntur: Nam Divus Gregorius lib. 2. mor. cap. 26. ait timorem nobis esse datum contra superbiam: & Divus Augustinus Tomo 4. lib. 1. de Serm. Domini in monte, inter alia multa, cap. 4 sic habet: *Timor Domini congruit humilibus, de quibus Apostolus dixit, noli altum sapere, sed time*, quasi hæc sint opposita, cùm tamen superbia humilitati, non Charitati propriè opponatur. Citati etiam solet Divus Ambrosius, & Divus Bernardus.

IV. *Ratio cur nonnulli dicant donum timoris spectare ad humilitatem.*

Ratione probatur: Timor quippe reverentialis Dei consistit in illo affectu reverentiæ & submissionis ad Deum propter suam excellentiam, & nostram imbecillitatem, ex quibus motivis creatura se Deo subjicit, ergo versatur circa objectum humilitatis, & ob motivum & honestatem, quæ in tali subjectione cernitur, quæ est motivum & honestas humilitatis.

V. *Utraque hæc sententia suam habet probabilitatem.*

Utraque sententia est probabilis, & ut certum in utrâque supponendum actum Doni timoris imperari posse ex motivo Charitatis, imo & ita sæpè in viris perfectis contingere: quo modo fortè intelligendi sunt Patres illi, dum timorem Charitati tribuunt, ex quo tamen non sequitur quod elicitivè, & quantum est ex suâ naturâ non pertineat ad humilitatem, petátque elici ob honestatem creatam, quæ in hoc reperitur quod est subjicere se Deo, estque motivum sufficiens ad inducendam voluntatem ut fugiat à peccato, in quantum est contra debitam subjectionem erga Deum, & si fiat ex speciali motione Spiritus Sancti pertinebit ad donum timoris: Secundùm quam rationem constat non posse pertinere ad virtutem Theologicam, quæ semper habet quid increatum pro objecto.

Timor pronus est donum Spiritus S. & ad charitatem pertinet, & humilitatem.

VI. *Magis tamen propriè Donum timoris ad humilitatem reducitur, quàm ad Charitatem.*

Mihi dicendum videtur, posteriorem sententiam simpliciter probabiliorem esse, utpote quæ magis est conformis communi Theologorum sententiæ distinguenti dona à virtutibus, & præcipuè Theologicis. Unde Divus Thomas 1. 2. quæst 68. art. 4. ad 3. dicit dona supponere animam conjunctam Spiritui Sancto mediis virtutibus Theologicis, ut deinceps ab illo mediis donis moveatur. Quare in solis justis reperiuntur juxta illud Divi Pauli: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Idem S. Thomas hîc, articulo 9. ad tertium, ait donum timoris non pertinere ad Charitatem, sed esse quid minùs virtute Theologicâ.

Quoad tertiam partem de actibus: verius est primò ad hoc donum pertinere actum reverendi, & submittendi se Deo, timeréque peccatum, in quantum est contra bonum hujus reverentiæ, & submissionis Deo debitæ, privátque bonitate illius: ita Divus Thomas art. 9. ad 4. ubi ait superbiam opponi timori filiali, quo Deum reveremur: & in corpore ait, per timorem castum & filialem, qui est donum Spiritus Sancti, nos revereri Deum, & refugere illi nos subducere: & expressiùs 3. parte, quæst 7. art. 5. dicit timorem culpæ non fuisse in Christo, fuisse tamen in eo donum timoris filialis, id est reverentiæ erga Deum.

VII. *Primus actus hujus timoris est actus reverentiæ & submissionis erga Deum.*

Sed objiciunt, qui hunc actum soli Charitati tribuunt, quia scilicet donum timoris ab eâ non distinguunt: hic actus esse debet perfectissimus, utpote qui petit perfectissimam unionem cum Deo, & subjectionem respectu illius, ergo oriri debet ex Charitate, ergo vel quia ab eâ elicitur, vel quia imperatur, si primum, habetur intentum, si secundum quærunt utrum illa subjectio ad Deum habeat esse donum timoris ex eo quòd imperatur à Charitate, an ex se; non secundum, qua ut sic est actus minùs perfectus, quàm qui petat tam perfectam unionem, ergo id habet ex actu Charitatis, ergo actus Charitatis à fortiori id habebit.

VIII. *Dices: Hic timor est actus perfectissimus, ergo oriri debet à Charitate.*

At hæc objectio parvi est momenti, & ex dictis constat illius solutio; licèt enim hic actus sit perfectus, tum ob perfectum modum tendendi, utpote ex speciali motione Spiritus Sancti, tum etiam ob perfectam unionem, quam non tam ipse actus facit, quàm factam supponit per Charitatem, & cæteras virtutes Theologicales, quas, ut supra dixi, supponit; & quamvis possit ab ipsis imperari, non tamen est necessarium, neque ab ipsarum imperio habet quod sit donum, sed quia specialiter infunditur à Spiritu Sancto, & sit ex speciali ejus motione.

IX. *Respondetur, actum hunc timoris reverentialis, non tam facere perfectam illam unionem, quàm à charitate, & cæteris virtutibus Theologicis factam supponere.*

Porro alius actus, quo timetur peccatum in quantum est offensa Dei, & quatenus nos separat à Deo summè amato, ut certum suppono ad Charitatem pertinere. Dixi summè amato, quia proprium est veri filii potiùs peccatum timere quia injuriosum Deo, & quia filiationem dissolvit, quàm quia pœnam, etiam damni adducit: atque ita hic actus ad donum speciale timoris non pertinet, tum quia est actus virtutis Theologicæ Charitatis, quæ à donis distinguitur, tum quia Divus Thomas hîc, art. 9. docet actum doni timoris non esse ab habitu Charitatis, sed ab alio habitu imperfectiori.

X. *Quis actus timoris pertineat ad charitatem.*

SECTIO DECIMA.

Vtrùm in Beatis sit timor?

DIvus Bernardus Epist. 196. ad Innocentium: refert inter errores Abailardi, quòd nullâ distinctione adhibitâ dixerit in beatis non esse timorem. Idem refert Castro verbo Timor hæresi 2. Sanderus & alii; quem errorem damnavit Innocentius, cúmque absolutè errorem vocat Valentia hîc, p. 5.

I. *Error cujusdam circa timorem in Beatis.*

Tom. II.

II. *Timorem aliquem esse in Christo, omnino certum est.*

Quoad Christum verò Suarez Tomo primo in 3. partem, d. 20. sect. 2. docet esse de Fide esse in eo aliquem timorem. Hoc ergo ut indubitatum statuatur ex Scripturâ sacrâ, & Patribus, nam Isaiæ 11. de Christo dicitur: *Replevit eum Dominus spiritu timoris Domini*: & si Christo non repugnet ratione status beatifici, nec aliis beatis repugnabit: undo Job 2. 6. *Columna cœli*, id est Angeli juxta Sanctum Gregorium, *contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*: hinc etiam est illud Ecclesiæ: *Tremunt potestates.* Item Psalm. 18. dicitur: *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.* quibus verbis juxta Divum Cyprianum, significatur timorem Domini in sæculo futuro reipsa mansurum, & non tantùm secundùm effectum, id est, præmium, quod assequitur, quâ ratione Psal. 9. dicitur: *Patientia pauperum non peribit in finem*: quâ etiam ratione priora illa verba exponi possent, nisi aliter Patres ea explicarent futurum timorem Domini in sæculum: Primò enim tradunt hoc discrimen inter timorem servilem & filialem, quòd hic duret in futuro sæculo, ille verò non, cùm tamen quoad effectum ille etiam duret, sicut pœnitentia & Fides: Deinde Sancti Patres explicantes illud Joannis, Timorem scilicet non esse in Charitate, cùm aliàs scriptum sit, timorem Domini manere in æternum, respondent, intelligendum illud esse de timore pœnæ, non verò de casto.

Hinc constat, necaliis sanctis, ratione status beatifici, repugnare omnem timorem.

Ex Patribus ostenditur timorem aliquem manere in Beatis.

Quo sensu intelligendū sit, timorem non esse in charitate.

III. *In Christo & Beatis non potest esse timor servilis.*

Difficultas ergo est. quis sit hic timor, qui in Christo reperitur; primò enim constat non posse esse servilem, ut optimè Divus Thomas hîc, art. 11. tum quia imperfectus est, & statum illum dedecens, tum quia consistere non potest cum securitate beatitudinis, omne malum à se excludentis. Hinc etiam infertur in patriâ nullum esse timorem culpæ; nec enim minorem habent securitatem de non offendendo Deo, cùm hoc illi statui maximè repugnet. Imo neque Timor filialis in cælo manet quoad hunc actum, etiam in quantum à Charitate procedit.

In patriâ etiam nullus esse potest timor culpæ.

IV. *Non rectè quidam de timore in cœlo remanente opinantur.*

Falsa proinde est duplex illa expositio, quæ de timore perseverante in patriâ ab aliquibus adhiberi solet: Prima est quorundam, quòd nihil aliud sit hic timor, quàm fuga & detestatio mali culpæ, secundùm se possibilis naturæ, propter ipsius imbecillitatem, quæ culpa secluso illo statu potest ipsis evenire, de quâ proinde habent actum displicentiæ, quamvis culpa impossibilis sit beatitudini.

Secunda expositio est aliorum, qui sequuntur Caietanum 3. parte, quæst. 7. art. 6. ut sit de malo, quod Deus de potentiâ absolutâ possit inferre creaturæ, quamvis beati cognoscant nullum sibi malum unquam futurum, nec Deum eâ potentiâ usurum. Neutra tamen explicatio videtur admittenda, cùm contraria sit sententiæ Patrum, & Sancti Thomæ, qui asserunt in patriâ non esse timorem pœnæ, sed castum, at verò in patriâ non solùm est detestatio mali culpæ, sed pœnarum etiam inferni, ergo ea non est timor.

V. *Malè alii volunt consistere in timore mali generatim sumpti.*

Quoad secundam explicationem idem constat; objectum siquidem timoris est malum sub aliquâ ratione futuri apprehensum, sicut objectum Spei est bonum, ergo solum malum possibile secundùm se, impossibile verò ratione beatitudinis, non est objectum proprii timoris, licèt possint beati habere tale odium peccati ex Charitate ortum, ut constat & D. August. lib. 5. de Civitate Dei, cap. 9. dicente: *Timor ille castus non erit timor proveniens à malo, quod accidere potest, sed tendens in bonum, quod amitti non potest.*

VI. *Objectum timoris debet esse malum aliquo modo futurum.*

Dicendum ergo, timorem hunc non esse fugam alicujus mali imminentis, sed affectum reverentiæ erga Deum, qui in beatis excitatur, ex contemplatione divinæ Majestatis: unde etiam oritur quædam detestatio omnis elationis contra Deum: Ita Divus Thomas art. 15. & clariùs 3. p. quæst. 7. art. 6. ubi in Christo Timorem esse docet, non qui respiciat aliquod malum, aut separationem à Deo, sed qui respicit eminentiam divinæ Majestatis. Eodem modo hunc timorem explicant Magist. 3. d. 34. & D. Bonaven. ibid. art. 2. quæst. 3. Gabriel quæst. unicâ, artic. 3. Durandus, & alii.

VII. *Timor in Beatis est reverentialis, ortus ex contemplatione divinæ Majestatis.*

Ratio conclusionis est: Timor siquidem reverentialis non importat imperfectionem aliquam repugnantem statui beatifico, sed potiùs magnam affert perfectionem: sicut enim beati perfectiùs longè cognoscunt infinitam Majestatem, & excellentiam Dei, quàm viatores, ita majori jure revereri illam debent, & se illi subjicere: negandum proinde non est in illis reperiri timorem filialem, & reverentialem.

VIII. *Timor reverentialis nihil in se continet statui beatitudinis repugnans.*



DISPUTA-

DISPUTATIO TRIGESIMA QUARTA.

De desperatione, & præsumptione.

VT secundum quis tot inter vitæ hujus fluctus ac tempestates cursum teneat, atque ad cælestis Beatitudinis portum pertingat, hi duo scopuli vitandi, ad quos allisi non pauci naufragium fecerunt, aternáque felicitate, quò vela omnes ac vota dirigere debent, exciderunt. Multi namque dum innumeris se flagitiis & sceleribus implicant, magisq; ac magis quotidie in voluptatum cœno volutantur, sibi nihilominus in mediis periculis securitatem pollicentur, divinaq; misericordiâ velut arreptâ tabulâ à naufragio tutos se fore confidunt. Alii è contra ubi in graviora quædam crimina sunt prolapsi, animum illico despondent, alitérque de Deo, quàm summa ejus bonitas & clementia postulant existimantes, de peccatorum veniâ desperant, sicq; scelera sceleribus addendo, ad cœlestem felicitatem ultro sibi viam occludunt, & in interitum ruunt voluntarium. Hæc ergo duo opposita Spei vitia hic declaranda, eorúmque natura & proprietates investiganda.

SECTIO PRIMA.

Quid sit desperatio, & an sit actus intellectus vel voluntatis.

I. *Volunt aliqui desperationem in solo actu intellectus consistere.*

TRIPLEX hac in re est dicendi modus: Primus quorundam asserentium desperationem formaliter consistere, & consummari in judicio imprudenti, quo quis judicat se non fore salvandum, dicuntque non semper esse per se necessarium actum voluntatis, ad desperationem. Primùm probant, tale namque judicium aufert objectum Spei, & rationem illius formalem, adeóque contrarium est prudenti, ac debito judicio, quod quilibet habere debet de futurâ Beatitudinis consecutione ex gratiâ Dei: unde & qui sic judicat, impotens manet ad sperandum; ergo habet peccatum contra Spem, & non tantùm omissionem, sed per judicium contrarium.

II. *Neque id, inquiunt, qui habet hoc judicium*

Si opponas, supposito illo judicio non posse quidem illum hominem sperare, non tamen eo ipso positivè desperare, hæc enim duo sunt diversissima, nec se mutuò aut necessariò sequuntur, saltem quoad exercitium, quicquid sit quoad specificationem. Contra, inquiunt, quia per tale judicium non solùm peccat is omissione actus Spei, sed potiùs tanquam per aliquid contrarium objecto Spei, ergo non solùm est peccatum omissionis, sed etiam commissionis, atque adeo desperationis positivæ. Secundum verò, quòd scilicet desperatio non includat per se actum voluntatis, sic probant, ejusmodi namque actus voluntatis vel esset recessus à malo ut sic, & ita malus esse non potest, sicut nec timor est malus, quia est fuga mali: vel actus ille esset recessus à bono, & hic actus est impossibilis, voluntas enim potest quidem non prosequi bonum, desperatio autem ut constat, si esset actus voluntatis, foret recessus à bono, ergo.

peccat solùm peccato omissionis Spei, sed positivo desperationis.

Deinde ostendere conantur desperationem non includere actum voluntatis.

III. *Secundò volunt alii desperationem perfici per actum voluntatis.*

Secunda sententia affirmat ad desperationem sufficere prædictum judicium intellectus, perfici tamen quandoque per actum voluntatis. Quoad primam partem, idem est utriusque sententiæ fundamentum: quoad secundam constabit ex dicendis pro verâ sententiâ.

IV. *Tertiò dicunt nonnulli desperationem in solo actu*

Tertia demum sententia docet desperationem formaliter consistere, & consummari in solo actu voluntatis contrario Spei, neque formaliter consummari per actum intellectus; sicut enim Spes est erectio

Tom. II. *voluntatis sitam esse.*

est erectio animi circa bonum arduum possibile ad superandas difficultates, quæ in ejus assecutione occurrunt, ita desperatio est dejectio animi à consecutione ejusdem, dum ab ejus arduitate se superari patitur voluntas. Unde ait hæc sententia, sicut Spes Theologica est erectio animi in Deum ut bonum nostrum arduum, auxiliis gratiæ consequendum, & in media ad id necessaria, ita desperatio illi opposita, est dejectio animi à consecutione veniæ peccatorum, & aliorum mediorum, quasi nequeat homo ea, etiam divinâ ope adipisci.

Hoc è contrario declaratur exemplo actus Spei.

V. *In nullo actu intellectus consistit formaliter desperatio.*

Prima conclusio: Desperatio non potest consistere formaliter in aliquo judicio, vel actu intellectus: ita Divus Thomas art. 1. & 2. ubi ait desperationem ad vim appetitivam pertinere. Hanc conclusionem probant aliqui, si enim desperatio non esset actus voluntatis, non posset expellere habitum Spei, qui est in voluntate, formæ enim mutuò se expellentes in eâdem esse debent potentiâ, & immediato subjecto. Hæc tamen ratio non videtur efficax, cùm gratia in ipsâ animæ substantiâ residens expellatur formaliter, & ex naturâ rei per quodvis peccatum residens in voluntate. Deinde hæc ratio solùm procedit in sententiâ potentias distinguente ab animâ.

Inefficax quorundam conclusionis hujus probatio.

VI. *Exemplo Spei ostenditur desperationem non consistere in actu intellectus.*

Probatur ergo conclusio: Oppositorum namque eadem est ratio, sicut ergo actus Spei non consistit formaliter, sed tantùm præsuppositivè in illo præcedenti judicio intellectus, quo prudenter judicatur futura beatitudo à Deo, ita ex opposito desperatio non consistit formaliter, sed tantùm præsuppositivè in illo imprudenti judicio intellectus, quo judicatur non futura beatitudo.

VII. *Desperatio radicaliter tantùm & præsuppositivè sita est in actu intellectus.*

Ut autem solvatur fundamentum primæ sententiæ, & nostra ampliùs confirmetur, addendum est ex fundamento illius solùm convinci, in illo judicio radicaliter & præsuppositivè sitam esse desperationem, quemadmodum & alia vitia moralia, tametsi formaliter sint in voluntate, radicaliter tamen sunt in intellectu. Illud ergo peculiare est in prædicto imprudente judicio contra Spem, quòd per illud præhabitum imprudens judicium jam sit determinata voluntas quoad specificationem ad desperationem, seu ad vitium positivè oppositum Spei, atque adeo est quasi radicalis, etsi non formalis desperatio sine actu voluntatis. Imo multi probabiliter asserunt, antequam quis judicet se esse de numero reproborum, præcedere ferè semper desperationem in voluntate; quando enim ex luxuriâ vel acediâ procedit desperatio ex inclinatione ad voluptates, vel tædio ad res divinas, elicit, inquiunt, quis hunc actum. *Nolo deinceps curare de meâ salute, sed ludere & me voluptatibus tradere*: qui actus pugnat cum Spe: ex hoc verò actu sequitur actus, quo se intuetur, & judicat tanquam de numero reproborum.

Per judicium illud voluntas est quoad specificationem determinata ad desperandum.

Quis actus ut plurimùm præcedat desperationem.

VIII. *Desperatio formaliter consistit in actu voluntatis.*

Secunda conclusio: Desperatio, de quâ hîc loquimur, formaliter consistit in actu voluntatis, per quem absolutè quis statuit non ampliùs prosequi, aut sperare beatitudinem. Ratio est, hîc namque actus unicus videtur, in quo desperatio possit reperiri, ut videbimus: cùm ergo actui Spei ita opponatur, ut in eodem subjecto cum eo simul nequeat consistere, non apparet in quo actu convenientiùs collocari possit.

IX. *Non potest consistere desperatio in actu, quo requiritur, ut quis rationem aliquam mali apprehendat in beatitudine, quod tamen fieri nequit, cùm hæc sit bonorum omnium complexio, & omne malum à se essentialiter excludat.* Cùm ergo constet plurimos desperare, non videtur in hoc situm esse conceptum desperationis. *quis directè oderit beatitudinem.*

Dices: Actus ille, in quo nos supra statuimus desperationem, quo nimirum quis absolutè decrevit eam non prosequi, non opponitur directè Spei, cùm hic actus, & actus Spei non versentur circa idem objectum, quod tamen necessarium videtur, ut actus aliqui opponantur; sequela probatur, Spes quippe est volitio beatitudinis, actus autem ille, in quo nos statuimus desperationem, non est nolitio seu odium beatitudinis, utpote quam omnes, etiam damnati, ac dæmones amant & desiderant, sed est nolitio prosecutionis beatitudinis, sicque est de alio objecto. X. *Objic. Hic actus desperationis non opponitur actui Spei.*

Respondetur negando hos duos actus sibi invicem non opponi; per actum enim Spei sperat quis se consecuturum beatitudinem; & hic actus, ut jam sæpiùs diximus, non in finem tantùm, seu Deum visum, sed in media etiam fertur, à Deo ad hujus finis adeptionem conferenda. Hinc constat hos duos actus, Spei scilicet & Desperationis, versari circa idem objectum, prosecutionem nimirum beatitudinis, quam sperans vult, desperans non vult prosequi. XI. *Ostenditur Spem & desperationem versari circa eadem objectum.*

SECTIO SECUNDA.

Quædam annotantur circa Præsumptionem.

Præsumptio, ut ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 21. art. 4. habetur, est vitium desperationi è diametro oppositum, Speique contrarium per excessum. In hoc verò consistit ejus malitia, quòd quis divinæ benignitati ac clementiæ nimium confisus, firmiter sibi persuadeat se aliquid præter legem ordinariam à Deo obtenturum, idque temerè & sine fundamento. Hoc proinde vitium, non ex superbiâ tantùm, quod asserit S. Thomas loco citato, sed ex inconsiderantiâ, & stultâ quadam fiduciâ ortum ducere videtur. I. *In quo sita sit præsumptionis natura.* *Unde nascatur præsumptio.*

Præsumptio autem, de quâ in præsenti loquimur, nempe circa beatitudinem, duobus modis contingit, & utraque præsumptio est gravissimum peccatum, quia supponit judicium hæreticum. Prima præsumptio est, quâ quis propriis viribus, & sine gratiâ Dei sperat se cælestem gloriam adepturum, quæ fuit hæresis Pelagii. Altera præsumptio est hæreticorum nostri temporis, qui absque pœnitentiâ, & ullis omnino meritis, solâ Dei misericordiâ ad cælum se perventuros confidunt, & hac de causâ bona opera ac merita contemnunt. Hæc secunda hæresis multò est periculosior præcedente, viam enim omni flagitiorum generi aperit, dum hominibus persuadet, quot se cunque sceleribus contaminent, Dei tamen benignitate & misericordia se è damnationis periculo ereptum iri, cælestique gloriâ potituros. II. *Duplex præsumptio circa beatitudinem.* *Pelagianorum & Lutheranorum præsumptio.*

Est ergo præsumptio peccatum ex genere suo gravissimum, tum quia est contra perfectissimam virtutem, tum quia damnum longè maximum mortalibus infert, dum inani eos Spe lactans, in infernum agit præcipites. Quamvis autem hæ III. *Ostenditur præsumptionem esse peccatum ex genere suo gravissimum.*

duæ

duæ præsumptiones circa beatitudinem, eo modo quo eas jam declaravimus, haberi nequeant sine infidelitate, si tamen quis, retentâ fide judicaret fore ut Deus peculiari cum ipso utatur misericordiâ, & quantumvis peccatis se ac vitiis tota vita immergat, actum tamen contritionis, aut quid simile in fine vitæ concedat, quo infernum vitet, in hoc, inquam, casu in præsumptionem incideret, non in hæresim.

IV. *Verùm omnis præsumptio tollat habitum Spei.*

Quæres, Utrùm præsumptio tollat habitum Spei? Certum est præsumptiones illas Pelagii & Lutheranorum eum tollere, cùm supponant actum infidelitatis, per quem tollitur Fides, & consequenter Spes. Quoad tertium autem præsumptionis actum, quem numero præcedente declaravimus, quo nimirum quis in peccatis diu permanens, sperat Deum in fine vitæ gratiam concessurum, qua de offensis doleat, & consequatur salutem, probabilius inquam videtur per hunc actum non amitti habitum Spei, cùm nullum prædicatum habeat actui Spei repugnans. Sicut ergo non pugnat cum actu Spei, ita nec cum habitu.

V. *Quando obliget præceptum vel affirmativum, vel negativum Spei.*

Quæres secundò, quando obliget præceptum Spei? Respondetur præceptum negativum Spei, seu de non desperando aut præsumendo, semper obligare. Præceptum verò affirmativum Spei inprimis tunc obligat, quando quis gravi tentatione desperationis impetitur. Nonnulli etiam probabiliter existimant, quando aliquis primò in vitâ de Spe, ejúsque necessitate cogitat, teneri cum ad actum Spei eliciendum. Nulla tamen ratione admittendum quod affirmat Bannez, teneri scilicet unumquemque primo instanti rationis actum Spei elicere, hoc inquam, nullo modo est admittendum, & iisdem rationibus improbatur, quibus Tomo præcedente, Disp. 105. Sect. 2. num. 10. ostendimus neminem primo usus rationis instanti teneri ad actum amoris Dei super omnia eliciendum. Per peccata autem præceptis affirmativis contraria non destruitur Spes, sed solùm per peccata opposita præceptis negativis.

Nullus primo rationis instanti tenetur elicere actum Spei.

VI. *Quando teneatur quis elicere actum timoris.*

Idem dicendum de præcepto timoris, tunc nimirum affirmativum timoris obligare, quando quis vehemente præsumptionis rentatione urgetur, aut etiam quando ad aliquod peccatum vitandum necessarius est actus timoris vel filialis, vel servilis, quo quis se Deo submittat, ejúsque præceptis, vel ex amore erga Patrem, vel metu pœnæ ab æquissimo judice infligendæ, obtemperet, ut Disputatione præcedente, dum de diversis generibus timoris, est declaratum.

Finis Tractatus de Spe.



DISPUTA-

DISPUTATIO TRIGESIMA QUINTA.

De tertiâ & perfectissimâ Theologicarum virtutum, scilicet CHARITATE.

FACTO spiritualis ædificii fundamento, Fidei inquam naturâ ac proprietatibus declaratis, Spei, Theologicarum Virtutum aliâ ei adjunctâ, nunc de Charitate agendum. Hæc nimirum est gemma Virtutum, quæque inter reliquas, velut Sol inter sidera splendescit, eximiique fulgoris ac pulchritudinis radios expandit, & cæteris virtutibus ornatum singularem ac venustatem ex sui consortio impertit. Hæc est vinculum illud perfectionis, quod felicissimo nexu, & homines Deo, & inter se propter Deum, ejúsque dilectionem conjungit. Hæc denique thesaurus est pretiosissimus, animíque opes, quas proinde quisquis possidet, locupletior multo est, quàm si quotquot in mundo sunt divitiæ ac facultates, in unum congestas, sub suâ haberet potestate. Nobilissima ergo hujus virtutis dignitas & præstantia, sublimísque ejus perfectio isthic explicanda.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Charitas, & an sit aliquid creatum.

I. *Cur brevior esse possit hic de Charitate tractatus.*

SUMMA inter tres Theologicas Virtutes in variis est affinitas. Cum ergo multa, quæ ad virtutum Theologicarum cognitionem generatim spectant, in duobus præcedentibus de Fide & Spe tractatibus discussa ac declarata sint, hic denuo non sunt repetenda, eaque de causâ hunc de Charitate tractatum paucioribus expediemus.

II. *Charitas est affectus benevolentiæ, quo Deum diligimus propter seipsum.*

Dico primò: Charitas est virtus illa, per quam ad Deum propter se amandum disponimur, sicut Spes est virtus, qua ad eum diligendum nobis, seu ut bonum nostrum inclinamur. Est proinde affectus benevolentiæ, quo in Deum ex toto corde tendimus, eumque super omnia ob summam ejus excellentiam & perfectionem diligimus, non amore concupiscentiæ, & ut est bonus nobis. Quare dum S. Thomas hîc, quæst. 23. art. 4. dicit objectum Charitatis esse *bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum*; hoc inquam intelligendum est Deum scilicet esse objectum Charitatis, non secundùm unum vel alterum solummodo attributum, misericordiam nimirum aut justitiam, sed secundùm omnia, totámque suam bonitatem & perfectionem intrinsecam. Et hoc conforme est illi sententiæ Theologorum, qui dicunt, si quis unum aliquod vel duo attributa divina videret intuitivè, non visis reliquis; dicunt inquam visionem illam, quamvis intuitivam, non fore beatificam, ad hanc enim aiunt necessarium esse, ut non unum tantùm vel alterum, sed omnia Dei attributa videantur intuitivè. *Quo sensu Deus ut est objectum beatitudinis, sit objectum Charitatis.*

III. *Charitas est quid creatum, hominum animis à Deo infusum.*

Dico secundò: Charitas est donum aliquod creatum, à Deo hominum animis infusum, & instar habitus iis permanenter inhærens: ita cum S. Thoma 2. 2. quæst. 23. art. 2. communis habet Theologorum consensus contra Magistrum in 1. Dist. 17. dicentem, Charitatem non esse quid creatum, sed ipsum Spiritum Sanctum, actus amoris Dei in nobis per se immediatè efficientem.

In hanc

In hanc verò sententiam incidit ex quibusdam D. Augustini locis malè intellectis: quam etiam Magistri sententiam Scotus, & alii nonnulli putant esse probabilem.

IV. *Ostenditur Charitatem esse quid creatum.* Nostra tamen conclusio, Charitatem scilicet esse quid creatum, certa adeo est, ut multi eam putent esse de Fide, vel ita proximam Fidei, ut contraria jure censeatur erronea. Probatur ex variis Scripturæ & Conciliorum testimoniis, quibus hæc veritas ita apertè traditur, ut dubitari de eâ omninò non possit. Primæ ergo ad Corinth. *Fides & Spes sunt quid creatum, ergo & Charitas.* c. 13. v. 13. ait Apostolus, *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc*, &c. cùm ergò hoc loco ab Apostolo Charitas annumeretur Fidei & Spei, quas esse habitus creatos & qualitates Magister ipsemet non negat, nullo fundamento hoc negatur de Charitate.

V. *Hoc ipsum ulteriùs declaratur.* Clariùs hoc ostenditur ex illo ad Romanos: c. 5. v. 5. ubi sic loquitur D. Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, &c. ubi apertè distinguitur Charitas, à Spiritu Sancto eam infundente, sicut causatum à causâ. Deinde idem Apostolus 1. ad Corinth. cap. 12. Charitatem & alias virtutes vocat charismata & *Apostolus, & Conc. Tridentinum docent Charitatem esse quid creatum.* dona Spiritus Sancti, per hoc apertè indicans, tam illas quàm Charitatem esse aliquid à Deo distinctum. Concilium etiam Tridentinum sess. 6. cap. 7. docet Charitatem diffundi in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhærere: unde addit: *In ipsâ justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, Spem & Charitatem.* Idem etiam habetur Can. 11. his verbis: *Si quis dixerit, homines justificari, vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat*, &c. *anathema sit.* Eandem denique doctrinam tradunt sancti Patres, S. Augustinus, S. Hieronymus, & alii.

VI. *Quædam Magistri responsio rejicitur.* Nec satisfacit quod respondet Magister, diffundi scilicet in nobis à Spiritu Sancto charitatem, dum in nobis actum Charitatis producit: contra enim hoc est, Concilium siquidem, non de actu Charitatis loquitur, sed de principio permanente actuum elicitivo. Deinde, ut suprà diximus, Concilium eodem modo de Charitate *In baptismo homines accipiunt principia habitualia actuum.* loquitur ac de Fide, hanc verò non negat Magister esse donum permanens, à Spiritu Sancto distinctum. Tertiò, docet Concilium nos Charitatem & reliqua dona recipere in baptismo, ibi autem non actus accipiunt homines, sed principia habitualia, & permanentia ad actus, ubi opus fuerit, eliciendos.

VII. *Dices: Deus in Scripturâ vocatur Charitas.* Objicies: 1. Joan. cap. 4. v. 8. Deus dicitur esse Charitas: in quam rem S. Augustinus libro 15. de Trinit. cap. 17. ait non eâ ratione dici Charitatem sicut dicitur Spes nostra, sed *Ita*, inquit, *dictum est, Deus est charitas, sicut dictum est, Deus est spiritus.* Respondetur, Deum verè & propriè esse charitatem, quia per seipsum & se & creaturas *Deus propriissimè dicitur Charitas.* diligit, sicut etiam est justitia, quemadmodum tamen non est justitia qua nos justi sumus, sed qua ipse est justus, ita neque est charitas qua nos eum diligimus, sed qua ipse diligit nos. Ideo verò S. Joannes loco citato dicit Charitatem esse Deum, ut eò efficaciùs nos hortetur ad Charitatem cum omnibus habendam, cùm nimirum tantæ dignitatis & excellentiæ sit, ut etiam in *Quare S. Joannes dicat charitatem esse Deum.* Deo reperiatur, imo sit ipse Deus; non tamen dicit S. Joannes, Charitatem in Deo esse illam, qua nos diligimus Deum, sed qua Deus diligit nos, quæ nimirum Charitas est increata, & ipse Deus, nostra autem creata, & animæ à Deo infusa, eique inhærens. Propterea autem Charitas & gratia delent peccata mortalia, non quia sunt virtutis simpliciter infinitæ, sed quia dant denominationes, peccati denominationibus oppositas, ut latè ostensum est Tomo præcedente, Disputatione centesimâ vigesimâ tertiâ. *Charitas non habet virtutem simpliciter infinitam.*

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam circa naturam & notionem Charitatis.

I. *Charitas est vera amicitia erga Deum.* Dico tertiò: Charitas est vera amicitia erga Deum, seu amor reciprocus inter amicos, nam, ut ait S. Thomas hic, quæst. 23. a. 1. Corpore, *ad rationem amicitiæ requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus.* Hanc proinde conclusionem cum Doctore Angelico tenet communis Theologorum sententia. Probatur verò assertio variis Scripturæ locis; sic enim Joan. 15. vers. 14. dicit Christus: *Vos amici mei estis, si feceritis ea, quæ præcipio vobis*: & versu sequente: *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Item Psal. 138. vers. 17. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*: idémque passim in aliis Scripturæ locis habetur.

II. *Declaratur quo pacto Charitas sit vera cum Deo amicitia.* Ratio optima est, quam assignat S. Thomas loco proximè citato; ad amicitiam namque requiritur, & sufficit, ut inter amicos sit bonorum communicatio, sed inter Deum & hominem maxima est communicatio, primò naturæ, homines namque per Charitatem & gratiam participes redduntur divinæ naturæ: deinde voluntatum, Deus enim *voluntatem timentium se faciet, & exaudiet eos*: præterea cujusdam beneficentiæ. Undo Apostolus ad Romanos 8. vers. 32. *Quomodo*, inquit, *non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Ad Corinthios etiam 1. cap. 3. vers. 22. *Omnia vestra sunt, &c. sive præsentia, sive futura*: 1. etiam ad Corinthios, cap. 2. vers. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* *Variis modis Deus se justis cõmunicat.*

III. *Quo sensu neget Aristoteles dari inter Deum & hominem amicitiam.* Ex quibus constat summam inter Deum & homines justos esse bonorum communicationem, & consequenter veram amicitiam. Quare dum Aristoteles 8. Ethic. cap. 7. negare videtur inter Deum & hominem, Regem & mancipium dari amicitiam, ob summam inter eos inæqualitatem, & distantiam, de homine loquitur considerato præcisè secundùm id quod ex naturâ suâ habet, non verò in quantum per gratiam fit particeps divinæ naturæ, sub qua ratione Aristoteles hominem non cognovit. Quamvis ergo nec sub hac etiam consideratione sit omnimoda æqualitas, hæc tamen conditio non obstat, quin vera amicitia inter Deum & hominem intercedat, ut ex locis Scripturæ num. 1. citatis convincitur: quæ quidem non est amicitia æqualitatis, sed supereminentiæ, qualem etiam inter Regem & subditum dari posse fatetur Aristoteles.

IV. *Charitas est virtutum præstantissima.* Dico quartò: Charitas est virtutum omnium excellentissima. Hoc apertè ostenditur ex illo 1. ad Corinthios, cap 13. vers. 13. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: *Major autem horum est Charitas.* Ratione hoc idem probatur: & quidem quoad virtutes morales minor est difficultas, illæ etenim in particulari

Tom. II.

tantùm materiâ voluntatem nostram huic vel illi honestati, quam unaquæque peculiariter respicit, conformant, Charitas verò voluntatem Deo, omnique honestati propter Deum perfectissimè, ratione scilicet præstantissimi motivi, & universalissimè conformat. Unde multo etiam perfectiùs procedit quàm Spes, hæc enim, quamvis universaliter aliquo modo tendat, in motivo tamen multis gradibus cedit Charitati, Spes namque inclinat ad voluntatem nostram divinæ subjiciendam ob bonum & commodum proprium, quia nimirum inde quis præmium expectat, Charitas verò purissimo nobilissimóque modo procedit, & omnia ad Dei honorem faceret, etiamsi nullum sequeretur præmium, aut quidquam commodi inde proveniret operanti: unde Charitas eminenter continet omnes virtutes. Confirmatur; illa siquidem virtus est perfectior, quæ est conformis regulæ perfectissimæ, hoc autem absque omni controversiâ convenit Charitati, perfectissima enim regula est voluntas divina, cui in omnibus, ut dictum est, operantem conformat Charitas.

Quâ ratione Spes sit inferior Charitati.

Perfectissimus in Charitate procedendi modus.

Charitas conformat operantem regulæ perfectissimæ.

V. *Ostenditur Charitatem esse perfectiorem Fide.*

Hinc à fortiori sequitur actum Charitatis, & consequenter habitum, esse perfectiorem Fide; inprimis enim actus Fidei nullam habet libertatem, nisi ab aliquo actu voluntatis sibi communicatam: deinde habet ingenitam obscuritatem, sicque naturaliter imperfectum in se involvit procedendi modum: Charitas verò, ut jam ostensum est, modo longè perfectissimo procedit, Deóque animam intimè conjungit, ejúsque in omnibus honorem spectat, non commodum operantis; de qua proinde 1. ad Corinth. c. 13. vers. quinto, ait Apostolus: *Non quærit quæ sua sunt.*

VI. *Charitatis actus remissus superari potest ab intenso actu alterius virtutis.*

Quæ tamen hac in parte de Charitate dixi, intelligenda sunt, *per se loquendo, & cæteris paribus*; non enim negandum videtur, quin actus aliquis intentissimus alterius virtutis exæquare, imo & excedere in perfectione possit remissum aliquem actum Charitatis. Solùm ergo dicimus Charitatem ex genere suo esse Virtutum perfectissimam, hoc est dari actus aliquos Charitatis perfectiores ullis actibus aliarum virtutum, ut clarè constat ex jam dictis. Imo nonnulli existimant, actum amoris Dei super omnia hîc in viâ omnibus aliarum virtutum esse, etiam in entitate physicâ perfectiorem.

VII. *Virtutes aliæ quoad statū non sunt perfectæ sine Charitate.*

Ex hac Charitatis summâ inter virtutes præstantiâ passim à Theologis appellatur regina Virtutum. Deinde, esto virtutes aliæ quoad entitatem suam, seu substantiam perfectæ esse possint sine Charitate, cùm hæc nihil iis addat perfectionis intrinsecæ, quoad statum tamen absque Charitate perfectæ esse non possunt: ita cum S. Thoma hîc communis habet Theologorum sententia. Hinc Apostolus 1. ad Corinthios 13. v. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ratio est, ille enim censetur statu perfectus virtutum, dum ita in hominis animâ existunt, ut ei prosint ad beatitudinem, quantumcunque verò aliis virtutibus homo sit instructus, si tamen desit Charitas, cælestem beatitudinem nunquam assequetur. In quam rem appositissimè S. Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 18. *Ipsam Fidem*, inquit, *non facit utilem nisi Charitas: sine Charitate quippe Fides potest esse, sed non prodesse.*

Alia virtutes sine Charitate homini non prosunt ad beatitudinem.

Hac de causâ Charitas à Theologis appellari solet *Forma virtutum*, quòd nimirum novam iis vim ac dignitatem moralem conferat, nempe rationem meriti; sine Charitate siquidem Fides & aliæ virtutes non sunt meritoriæ. Hinc, ut supra in materiâ de Fide notavimus, desumpta est illa distinctio *Fidei informis & formatæ, mortuæ & vivæ*, secundùm scilicet diversum statum ejusdem etiam numero habitus Fidei, sine Charitate enim nec Fides, nec ulla alia virtus reddit hominem vivum, nec æternæ vitæ fructum confert.

VIII. *Charitatum Fidei, tum aliarum virtutum jure appellatur forma.*

Dices, hinc sequi nullam omnino virtutem, præter Charitatem, esse veram virtutem, cùm nulla secundùm se reddat hominem bonum, seu vivum, sed eum in peccato mortali relinquat. Negatur tamen consequentia; ad hoc enim ut aliquid sit vera virtus, non est necessarium ut, qui actum illum elicit, reddatur absolutè bonus, seu sine gravi peccato, sequeretur namque, si Deus statuisset alicui peccatori actum contritionis seu Charitatis elicienti non remittere peccata, sequeretur inquam, actum etiam Charitatis non esse veram virtutem. Ut ergo actus aliquis sit vera virtus, sufficit eum esse honestum & laudabilem, quódque illum exercens censeatur per eum benè vivere, & mereatur commendationem.

IX. *Ad hoc ut aliquid sit vera virtus non requiritur ut homo reddat justum.*

Quid ad conceptum veræ virtutis sufficiat.

SECTIO TERTIA.

De unitate & simplicitate Charitatis.

Diximus Sectione primâ Charitatem esse virtutem, est enim *bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus malè utitur*, quo pacto, ut Tomo præcedente, Disp. 97. vidimus, Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 4. definit virtutem, approbátque tota Theologorum schola, ac desumptum hoc videtur ex Aristotele 2. Ethic. cap. 6. ubi virtutem esse ait, *quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Deinde versatur Charitas circa objectum longè honestissimum, Deum scilicet, ad quem super omnia diligendum inclinat ac disponit, quo nihil esse potest honestius, aut perfectius.

I. *Varièostenditur Charitatem esse Virtutem.*

Dices: Virtus juxta Philosophos in hominibus efficit, ut facilè operentur, séque circa objectum, quod virtus aliqua peculiariter respicit, delectabiliter exerceant; secus verò res se habet in Charitate, sæpè enim accidit, ut dum bonum aliquod creatum occurrit, homo in illud feratur, & Deo præferat, quod non faceret si Charitas, amoris circa Deum exercitium ita facilem redderet. Respondetur, hoc nihil facere contra Charitatem infusam, de qua hîc loquimur, habitus quippe infusi non dant facilè posse, sed simpliciter, ut frequenter in superioribus ostensum est. Si autem sermo sit de charitate naturali, & habitu acquisito, solùm dat operari facilè & delectabiliter, quando est habitus intensus, & diu quis in actibus amoris Dei se exercuit, tunc enim bonum quodcunque creatum præ Dei amore facilè contemnet. Et hoc argumentum perinde probaret nullam omnino dari virtutem, cùm nulla sit, quæ difficultatibus occurrentibus aliquando non cedat, & à vitio contrario interdum non vincatur: eò tamen dat plus vel minùs facilè operari, quò est perfectior, & per plures actus in animo firmata ac radicata.

II. *Objectiones tendès Charitatem non esse virtutem.*

Quando habitus virtutis acquisitus det operari facilè, ac delectabiliter.

Quamvis

III. *Habitus Charitatis censeri potest una virtus.*

Quamvis autem habitus Charitatis circa objecta diversissima versetur, ut circa Deum & proximum, résque omnes ad salutem spectantes, & consequenter actus etiam diversissimos eliciat, cùm, ut supra diximus, objectum etiam materiale diversum sufficiat ad reddendum actus specie distinctos, potest nihilominus censeri una virtus ratione objecti formalis, quod respicit, & in quod principaliter fertur. Habitus tamen infusus Charitatis specie distinguitur ab habitu acquisito, tum quia est supernaturalis, hic verò naturalis, tum quia habet se per modum potentiæ, & dat simpliciter posse, habitus autem acquisitus hoc non facit, sed tantùm dat operari facilè: quæ abundè sufficiunt ad distinctionem specificam. *Habitus infusus & acquisitus Charitatis distinguuntur specie.*

IV. *Non unum tantùm, sed varia eidem virtuti opponi possunt vitia.*

Quod verò dicunt aliqui, uni virtuti unum solummodo vitium opponi, & exinde ostendere conentur Charitatem non posse censeri unam virtutem, utpote cui tot opponuntur vitia, quot sunt peccata mortalia, quorum singula illam expellunt, in aliis autem vitiis, ira exempli gratia expellit patientiam, luxuria castitatem, gula temperantiam, & sic de cæteris: hoc inquam, non subsistit; inprimis enim eidem virtuti diversa vitia opponuntur, ut liberalitati avaritia & prodigalitas, & sic de aliis.

V. *Æquè habitus infusi aliarũ virtutum moralium per quodvis peccatum grave expelluntur, ac habitus infusus Charitatis.*

Deinde vel est sermo de habitu infuso Charitatis, vel acquisito: si primum, æquè habitus infusus patientiæ, & castitatis, aut alterius cujuscunque virtutis moralis per quodvis peccatum mortale expellitur ac habitus infusus Charitatis, utpote qui unà cum Charitate omnes semper intercidunt. Si verò sermo sit de habitu acquisito Charitatis, non expellitur per quodvis peccatum mortale, sed per vitium sibi oppositum, instar virtutum moralium, quarum singulæ contrario sibi peccato minuuntur, & corrumpuntur.

VI. *Habitus infusus Charitatis est una simplex qualitas, non composita ex partibus extensivis.*

Addo ulteriùs, habitum infusum Charitatis, quamvis ex diversis partibus intensivis componatur, intensior siquidem in uno est, quàm in alio, ex diversis tamen partibus extensivis, per quas ad alia & alia objecta extendatur, non constat, sed est una simplex qualitas, quæ per modum potentiæ dat vim & virtutem ad actus quoscunque infusos Charitatis eliciendos, & in hoc similis est intellectui & voluntati, quæ sunt potentiæ naturales, habentes vim & facultatem actus circa quæcunque, etiam diversissima objecta exercendi. *Probabilius est habitum acquisitum Charitatis esse tam intensivè, quàm extensivè divisibilem.* Quoad habitum verò acquisitum Charitatis probabilius videtur eum instar aliorum habituum naturalium ex diversis partibus extensivis componi, per quas difficultatem tollat, quæ in diversorum actuum exercitio occurrit, ac proinde diversa facilitas diversum requirere videtur principium, seu partem in habitu sibi respondentem: etsi existimem sustineri haud difficulter posse, habitum etiam acquisitum Charitatis esse extensivè indivisibilem, & diversam illam facilitatem in diversitatem apprehensionum bonitatis in objecto, vel actuum eliciendorum refundi posse.

SECTIO QUARTA.

Vtrùm Charitas eadem sit in viâ, & in patriâ.

DUOBUS modis intelligi potest hæc quæstio, primò quoad entitatem, seu utrum idem numero habitus Charitatis, qui fuit in viâ, in patriâ conservetur. Secundò quoad intensionem, an scilicet habitus Charitatis in viâ æqualis sit intensionis cum Charitate in patriâ: qua in re non levis est inter Theologos controversia. Primum hac Sectione discutiemus, secundum sequente. I. *Status præsentis quæstionis proponitur.*

Quoad primum itaque: Idem non specie tantùm, sed etiam numero Charitatis habitus in patriâ manet, qui fuit in viâ. Hæc est communis Theologorum sententia, probaríque apertè videtur ex illo Apostoli 1. ad Corinthios 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*, quod, ut rectè advertit Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 3. de eâdem specie & numero Charitate intelligendum est, alioquí scientia & cognitio non destruerentur, quas tamen illic destructum iri docet Apostolus; sequela probatur, loco enim scientiæ, quam hîc habemus, alia longè diversæ rationis in patriâ succedet. II. *Idem habitus Charitatis, qui fuit in viâ manet in patriâ.*

Quoad actus verò Charitatis, utrùm scilicet iidem specie eliciantur in cœlo, atque hîc in viâ, dissident inter se Theologi: negat Scotus, Capreolus, Caïetanus, Dionysius Carthusianus in 1. Dist. 17. quæst. 8. & alii. Communis tamen Theologorum sententia affirmat, non solùm habitum, sed etiam actus Charitatis ejusdem esse speciei in viâ & in patriâ: ita Magister in 3. Dist. 31. & S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 2. quos alii sequuntur. Ratio est: tota enim horum actuum differentia est accidentalis, objectum siquidem formale, à quo præcipuè desumitur essentia cujúsque actus, est idem, divina scilicet bonitas supernaturalis, cognitio autem solùm est diversa illius applicatio, unde non facit mutationem essentialem seu intrinsecam in actu, sed accidentalem tantùm & extrinsecam. Quod verò objectum amoris in patriâ sit præsens, Deus scilicet visus & intimè conjunctus beato, non facit diversitatem in amore; amor enim, ut sæpiùs ex communi doctorum sententiâ dictum est, abstrahit à præsentiâ & absentiâ rei amatæ, & in hoc differt à gaudio & desiderio, quorum primum exigit præsentiam, secundùm absentiam objecti, & præterea desiderium & Spes, ut jam ostendimus non manent in patriâ, eo quòd hanc in se involvant imperfectionem, exigentiam scilicet absentiæ objecti. Unde Patres dum dicunt eandem Charitatem manere in patriâ & viâ, de actibus præcipuè loqui videntur: quòd etiam dici potest de loco D. Pauli suprà, num. 2. citato. Quare probabilissimum mihi videtur, quod affirmat Suarez citatus, Beatissimam scilicet Virginem actum amoris Dei, quem in hac vitâ circa illius finem habuit, non interrupisse, sed eundem numero in patriâ continuasse, licèt quoad aliquas circumstantias extrinsecas, ut libertatis, &c. & perfectionem quandam accidentalem fuerit mutatus; in quo autem perfectio hæc sita sit, dicetur postea. III. *Actus etiam Charitatis ejusdem speciei sunt in viâ & in patriâ.* *Amor abstrahit à præsentiâ & absentiâ objecti.* *Beatissima Virgo actum amoris Dei in morte non interrupit.*

Objiciunt aliqui, actum Charitatis in viâ & patriâ habere diversa objecta, in viâ enim Deus IV. *Deus in viâ*

Tom. II.

non quoad unum tantùm vel alterum attributum cognosci & amari uno actu potest, sed quoad omnia.

non plenè & perfectè, sed secundùm unum tantùm vel alterum attributum cognoscitur, & consequenter amatur, in patriâ autem Deus per visionem beatificam, omnisque ejus perfectio uno actu cognoscitur, & amatur, cùm ergo maxima in horum actuum objectis sit diversitas, eadem erit diversitas in actibus. Respondetur Deum in viâ & cognosci & amari uno actu posse, non solùm inadæquatè secundùm unum vel alterum attributum, sed quia summum bonum est, omnémque in se perfectionem continet, sicque in actibus amoris Dei in viâ & in patriâ potest frequenter ex parte objecti nulla esse differentia. Addo, etiam in patriâ, sicut juxta sententiam quam Tomo præced. Disp. 19. sect. 3. secutus sum, cùm possit non tantùm una Persona intuitivè videri sine aliâ, sed Essentia sine Relationibus, & unum Attributum sine alio, posse summam esse varietatem in actibus amoris, secundùm diversitatem objectorum. Nec est cur actus amoris ortus ex cognitione abstractivâ non habeat idem objectum formale quod habet amor ortus ex cognitione intuitivâ. Denique quòd actus amoris in patriâ sit necessarius, in viâ liber, non arguit distinctionem specificam; libertas enim & necessitas sunt circumstantiæ tantùm accidentales; unde, ut ostendi Disputatione 24. de animâ, sect. 5. idem numero actus de libero in necessarium transire potest, & è contra.

Tanta dari potest diversitas actuum amoris Dei in patriâ, ac in viâ.

SECTIO QUINTA.

Vtrùm Charitas ejusdem intensionis sit in viâ, & in patriâ.

I. *Circa intensionem Charitatis in viâ & in patriâ dupliciter procedere potest quæstio.*

PROCEDERE potest quæstio vel de eodem subjecto, utrùm nimirum quis intensiorem habeat habitum Charitatis in patriâ, quàm habuerit in viâ, vel de diversis subjectis, an scilicet in aliquo viatore inventa sit, aut inveniri possit Charitas intensior, quàm in beato. Quia verò nonnulli quæstionem hanc confundunt cum perfectione Charitatis, notandum perfectionem Charitatis, esse posse duplicem, intrinsecam quæ in intensione consistit, & extrinsecam, ratione scilicet status beatitudinis, per quam habet Charitas quòd amitti non possit, sed Deus semper Beatis sine intermissione ametur. De hac perfectione hîc in præsenti non loquimur, sed de præcedente.

Duplex perfectio Charitatis.

II. *Prima sententia est Charitatem in patriâ esse simpliciter perfectiorem Charitate viæ.*

Quoad intensionem ergo existimant nonnulli Charitatem in patriâ esse absolutè intensiorem Charitate viæ: ita Azor tomo primo, lib. 9. c. 3. quæst. 8. dicens esse communem Theologorum sententiam. Idem docet Lorca 2. 2. Disp. 18. sect. 3. num. 7. ubi ait quemlibet Sanctum primo instanti beatitudinis tot gradus intensionis Charitatis accipere, ut Charitas minimi Sancti excedat in intensione Charitatem cujuscunque viatoris, illâ tantùm Charitate exceptâ, quam in viâ habuit Beatissima Virgo, hujus enim Charitas ob maximam quam habuit dignitatem & excellentiam, etiam in viâ longè fuit perfectissima, utpote quam à primo conceptionis instanti ad ultimum vitæ instans tam in somnis, quàm in vigiliâ sine ullâ interruptione auxit, & novis semper incrementis in omni perfectione sanctitatis, gratiæ & Charitatis progressa est, sicut Aurora usque ad perfectum diem.

Summa Beatissimæ Virginis fuit in hac vitâ Charitas.

Nec ab horum auctorum sententiâ discrepare videtur Cajetanus, quamvis obscurè hac in re loquendo ita mentem suam tenebris quibusdam involvat, ut ægrè percipi possit quid velit. Dicit itaque statum viæ & patriæ esse quasi ætatem puerilem & virilem: unde, inquit, Charitas patriæ perfectiones omnes Charitatis viæ altiore & eminentiore modo continet, ergo illam multis gradibus superat. Sed hæc Cajetani ratio solùm probat id quod numero primo notavi, nempe Charitatem patriæ superare Charitatem viæ in perfectione extrinsecâ, ratione scilicet status beatitudinis, à quo statu habet quòd amitti nequeat, sed beatus affectu amoris in Deum semper tendat, nec eum unquam valeat intermittere; nil tamen probat de perfectione Charitatis intrinsecâ, seu intensione graduum.

III. *Quid de Charitatis in viâ & patriâ differentiâ sentiat Cajet. tanni.*

Alio ergo modo hanc majorem perfectionem explicat Cajetanus, ex parte scilicet *objecti*, majore scilicet illius approximatione, & ex parte *subjecti*, nempe secundùm majorem attentionem, seu conatum ipsius, qui actum amoris elicit; quantumcunque verò, inquit, quis hujusmodi conatum adhibeat, qui est modus Charitatem eliciendi in viâ, nunquam tamen pertinget ad charitatem patriæ, ubi, ut loquitur ipse: *Anima expedita à visione ænigmaticâ, & posita in faciali visione Dei, in ipsum totaliter actualiter fertur; quod impossibile est convenire viatori. Quo fit, ut quantumcunque aliquis proficiendo in hac vitâ appropinquet ad Deum; magis ac magis in charitate crescendo, nunquam pervenire possit ad hoc, ut totaliter actualiter amet Deum, sicut videns illum facie ad faciem:* hæc ille. Sed contra: hæc enim faciliorem quidem & feliciorem ostendunt esse amorem Dei in patriâ, quàm in viâ, non tamen intensiorem; *faciliorem*, quia minore labore ac difficultate elicitur, imo ex infinitis Dei perfectionibus clarè visis rapitur voluntas, & in Deum necessariò fertur; *feliciorem*, quia ut jam dictum est, in illo statu elicitur ubi bonorum omnium habet concomitantiam, & nunquam potest intercidere.

IV. *Non subsistit Cajetani distinctio de diversitate Charitatis ex parte objecti & subjecti.*

Facilior & felicior est actus Charitatis in patriâ, quàm in viâ, non tamen intensior.

Prima Conclusio: Charitas quoad perfectionem intrinsecam, seu intensionem, perfectior esse potest in aliquo viatore, quàm in aliquo beato, idque non quoad habitum tantùm, sed etiam quoad actum. Hoc inde clarè ostenditur; quis enim dicet habitum Charitatis, quem in cœlo habet infans aliquis statim post baptismum è vitâ decedens, & in cœlum receptus, esse æqualis intensionis cum habitu Charitatis eximii alicujus Sancti, etiamnum in hac vitâ degentis, qui se per multos annos in ferventissimis amoris Dei actibus exercuit, & habitum miris incrementis auxit, atque ad summam perfectionem perduxit. Quod à fortiori de habitu Charitatis Beatissimæ Virginis, dum adhuc in terris degeret, asserendum.

V. *Charitas intensivè perfectior esse potest in aliquo in viâ, quàm in patriâ.*

Hoc etiam facilè probatur de intensione actuum Charitatis, seu amoris Dei, qui in hac vitâ per habitum Charitatis à viatore eliciuntur, posse scilicet eos, actibus alicujus beati in intensione esse perfectiores. Quid enim obstat, ut quis in hac vitâ degens actum Charitatis eliciat habitui, quem hîc habet, in intensione æqualem, cùm principium sufficiens habeat ad hujusmodi actum eliciendum, unde non est cur eum, si velit, ad agendum non applicet: cùm ergo, ut proximè ostensum est, aliquis in hac vitâ habeat Charitatis habitum intensiorem habitu Charitatis alicujus beati,

VI. *Idem ostenditur de actibus Charitatis in hac vitâ ex vi habitus Charitatis elicitis.*

beati, actus etiam Charitatis habere poterit actibus Charitatis illius beati intensiores. Ex quibus constat, non subsistere quod ait Caietanus citatus, minimam scilicet Charitatem patriæ includere omnem perfectionem Charitatis, quam quis habet in viâ; jam enim ostendimus non semper includere omnem intensionem Charitatis viæ, intensio autem est aliqua perfectio.

VII. *Sanctus in cœlo non habet habitum charitatis intensiorem eo quem habuit in viâ.*

Secunda conclusio: Si sermo sit de eodem subjecto, probabilius mihi videtur, habitum Charitatis, quem beatus habet in patriâ, non excedere intensionem habitus, quem habuit in viâ. In aliâ tamen perfectione, tam habitus, quàm actus, etiam minùs intensi in beatis excedunt habitus & actus, etiam intensissimos viatoris: est contra auctores num. 2. citatos.

VIII. *Ostenditur non esse intensiorem habitum Charitatis ejusdem justi in patriâ, quàm fuit in viâ.*

Ratio primæ partis est, nullum enim est fundamentum, ut postea ostendetur, quare gratia omnis, quæ bonis actibus hîc elicitis, vel quæ Sacramentorum susceptioni debetur, non statim conferatur, sed ad ingressum patriæ differatur, nullâ autem ratione dicendum gloriam in patriâ esse in quoquam majorem gratiâ, cùm gratia, ut docent passim Theologi, sit radix gloriæ, & hæc ipsi in gradibus respondeat. Multo verò minùs est probabile, gradus aliquos gratiæ aut gloriæ initio beatitudinis cuiquam merè gratis conferri, tunc enim post hanc vitam non reciperemus prout gessimus, contra illud Apostoli 2. ad Corinthios, cap. 5. vers. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Secundùm verò hunc dicendi modum, non prout gessimus, sed sine comparatione plus quàm gessimus, reciperemus. Quoad actus quidem Charitatis, remissiores plerumque sunt in viâ, quàm in patriâ, nil tamen obstat, ut ostensum est, quo minùs in viâ per habitum Charitatis eliciatur actus aliquis æquè intensus, atque est ullus actus Charitatis in patriâ. Hanc proinde sententiam tenet Suarez de Reviviscentiâ meritorum, Disp. 2. Sect. 3. num. 50. & Tomo 4. in 3. partem, Disp. 47. Sect. 2. n. 5. Malderus 2. 2. quæst. 24. artic. 2. Tannerus quoad habitum, hîc, Disp. 2. quæst 2. dub. 3. Coninck, & alii.

Non dantur liberaliter initio beatitudinis gradus aliqui gratiæ & gloriæ.

IX. *Qua ratione Charitas in patriâ sit perfectior Charitate viæ.*

Secunda conclusionis pars, quòd scilicet, quamvis habitus Charitatis in viâ & in patriâ sint in intensione æquales, in aliâ tamen perfectione Charitas patriæ excedat Charitatem viæ, præter dicta probatur; Charitas namque in patriâ est firma, constans, perpetua, necessaria & indefectibilis, & omnis, etiam minimæ maculæ perfectissimè expers ratione status beatifici, qui, ut est bonorum omnium complexio, ita & malorum exclusio. Deinde in viâ ratione tentationum, aliarúmque identidem occurrentium molestiarum, retardatur homo ab amore Dei eliciendo, & non nisi ægrè interdum hunc actum elicit: at verò in patriâ nihil est quod eum hac in parte retardet, sed omni ablato impedimento, in Deum toto affectu voluntas rapitur, æternúmque rapietur, nullam unquam, vel intermissionem habitura, vel remissionem. Nec parum ad Charitatis in patriâ commendationem facit, quod multò perfectiùs rationem amicitiæ sortiatur, quàm in viâ, ob perfectissimam scilicet conjunctionem cum Deo, bonorúmque communicationem: propter quæ Scriptura & Patres Charitatem viæ pueritiæ comparant, Charitatem verò patriæ ætati virili.

In viâ multa ab amore Dei retardant, in cœlo nihil.

Charitas in patriâ est perfectior in ratione amicitiæ.

SECTIO SEXTA.

Argumenta contendentia Charitatem patriæ superare in intensione Charitatem viæ.

OBJICIES primò: Christus Matthæi 11. cùm dixisset: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista*, statim subjungit: *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.* Confirmatur: Scriptura siquidem, ut proximè diximus, Charitatem patriæ ætati virili comparat, Charitatem autem viæ pueritiæ: hinc Apostolus 1. ad Corinthios 13. sic habet: *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Quo loco etiam alia habet, quibus Charitatem patriæ longè præferendam censet Charitati viæ. Deinde sacræ literæ Charitatem viæ conferunt cum aurorâ, Charitatem verò patriæ cum meridie, seu luce claræ diei, ergo hæc Charitas est illâ in intensione multò perfectior. I. *Obj. Sacras Literas docere Charitatem patriæ esse semper intensiorem Charitate viæ.*

Ad argumentum respondetur; non aliud eo loco velle Christum, quàm minimum Sanctum in cœlo, seu beatum esse D. Joanne Baptistâ majorem, tum ob perfectiorem Dei notitiam, rerúmque aliarum cognitionem, quam clara illa & beatifica visio confert, quæ haud dubio præstantior longè est omni cognitione, quæ in hoc mundo habetur, tum ob gratiam & Charitatem, non quoad intensionem, quoad hanc enim, ut ostensum est, gratia & Charitas justi alicujus in hac vitâ sæpè excedit Charitatem multorum in patriâ, sed ob firmitatem, constantiam, indefectibilitatem, & alia, quæ Sectione præcedente, num. 9. sunt posita. II. *Quo sensu minimus in cœlo major tunc fuerit S. Ioanne Baptista.*

Ad confirmationem eodem modo respondetur, Charitatem scilicet viæ ideo comparari auroræ & pueritiæ, Charitatem verò patriæ claræ luci & ætati virili, non ob majorem intensionem gradualem, ut jam declaratum est, sed ob alias perfectiones, quæ Charitati in statu beatitudinis peculiariter competunt, & habentur loco proximè citato. Deinde Apostolus loco illo 1. ad Corinthios 13. solùm agit de Scientiâ, quæ absque omni dubio præstantior multo erit in patriâ, quàm sit illa, quam habemus in hac vitâ. III. *Cur Charitas patriæ comparetur ætati virili, Charitas autem viæ pueritiæ.*

Objicies secundò: Actus voluntatis sequuntur actus intellectus, ergo quo perfectiùs Deus cognoscitur, eo perfectiores circa eum excitantur actus amoris; cùm ergo per visionem beatam clariùs longè repræsentetur Deus, quàm per ullam cognitionem viæ, perfectiùs etiam amabitur in patriâ, quàm in viâ. Sed contra: hoc enim probaret, non intensiorem tantùm, sed alterius etiam speciei esse Charitatem patriæ à Charitate viæ, quod tamen falsum esse ostendimus supra, Sectione quartâ; diversa siquidem cognitio sola non variat speciem actus amoris, cùm, ut ibidem diximus, sit solùm diversa objecti applicatio. Contra secundò, hinc namque sequeretur Charitatem minimi Beati esse intensiorem Charitate, quam ipsa Beatissima Virgo in hac vitâ habuit, quod tamen nec ipsi auctores contrariæ sententiæ affirmant. Dico itaque tantùm probare hoc argumentum, Charitatem in patriâ esse perfectiorem Charitate in via perfectione extrinsecâ & accidentariâ, firmitatis, constantiæ, IV. *Clarior cognitio Dei in patriâ arguit perfectiorem Dei amorem, non intensiorem.* *Sola diversitas cognitionis non variat speciem amoris in viâ & in patriâ.*

Tom. II.

constantiæ, indefectibilitatis, &c. juxta jam sæpiùs dicta, non tamen perfectione intrinsecâ, seu intensivâ.

V. *Docet S. Thomas Charitatem patriæ superare Charitatem viæ in perfectione tantùm extrinsecâ.*

Hæc solutio confirmatur ex S. Thoma, qui hîc, quæst. 24. art. 7. ad tertium, ubi objectioni factæ quòd si Charitas in viâ augeri possit in infinitum, sequatur posse eam adæquare Charitatem patriæ, cùm hæc non sit infinita, finitum autem per continuum augmentum per partes æquales pertingere potest ad quantitatem alterius finiti, etsi maximus sit in quantitate excessus; negat sequi posse Charitatem viæ, quantumcunque augeatur, æquare Charitatem patriæ. Ad probationem ait, *Rationem illam procedere in his, quæ habent quantitatem ejusdem rationis; non autem de his, quæ habent diversam rationem quantitatis: sicut linea, quantumcunque crescat, non attingit quantitatem superficiei.* Ex quibus constat, juxta S. Doctorem, quantumvis augeatur Charitas viæ, & in gradibus intensionis exæquet, imò superet Charitatem patriæ, nunquam tamen æquare in perfectione Charitatem patriæ; ergo de aliâ perfectione loquitur, quàm intensivâ, nempe extrinsecâ illâ, quam hactenus declaravimus. Et per hæc solvuntur varia quæ in contrarium ex S. Thoma à Lorca contra doctrinam à nobis stabilitam opponuntur.

Cur Charitas viæ pervenire nequeat ad perfectionem Charitatis patriæ.

VI. *Quo sensu doceat S. Augustinus minimum inter beatos Angelos majorem esse quolibet justo in hac vitâ.*

Objicitur tertiò S. Augustinus libro secundo contra adversarium Legis & Proph. ubi de beatis Angelis loquens, sic habet: *Quilibet in eis minor, major est utique quolibet Sancto & justo portante corpus, quod corrumpitur, & aggravat animam.* His similia habet libro de perfectione justitiæ, ratiocinatione 17. & in Enchirid. cap. 121. idémque tradit aliis locis. Respondetur S. Augustinum locis citatis excessum Charitatis patriæ supra Charitatem viæ non in intensione statuere, sed quòd in patriâ seclusis omnibus impedimentis toto mentis affectu beatus in Deum feratur, nihilque sit quod hunc ejus in Deum amorem dividat, cúmve distrahat, efficiátque ut non integrè Deum amet, ut isthic contingit, ubi, quæ hujus vitæ est miseria, multa identidem occurrunt, quæ hominem ad se rapiunt, & in causâ sunt quo minùs toto animo Deum diligat, eíque firmiter adhæreat: unde de actu amoris loquitur S. Augustinus, magis quàm de habitu: & libro de perfectione just. ratiocinat. 17. docet nos in cœlo amaturos Deum ex totâ mente, & affectu, quamvis in hac vitâ eâ integritate & puritate id præstare non possimus. *Nam*, inquit, *cum est adhuc aliquid concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodè ex totâ animâ diligitur Deus.* In Enchiridio etiam, loco suprà citato, hac de re loquens: *Ibi*, inquit, *quis explicet, quanta Charitas erit, ubi cupiditas, quam vel coërcendo superet, nulla erit: quando summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.* Et ut S. Doctor excellentiam & magnitudinem Charitatis patriæ præ Charitate viæ, non in intensione statuit, sed in eo quod firmiter, constanter, & indefectibiliter quis Deo per affectum inhæreat, nullumque sit impedimentum, quo minùs eum perfectè semper diligat.

Quare non in hac vitâ, sed in cœlo tantùm, Deum ex totâ animâ diligere possimus.

S. Augustinus majorem charitatis in cœlo perfectionem non statuit in majore intensione.

Concludo itaque, habitum Charitatis in quibusdam viatoribus intensiorem subinde esse habitu Charitatis multorum comprehensorum, seu eorum qui in cœlo visione Dei, æternáque beatitudine fruuntur. Quoad idem verò subjectum sine fundamento diceretur intensiorem esse habitum Charitatis in aliquo beato, quàm is habuit in hac vitâ. Hæc jam in præcedentibus Sectionibus sunt fusè probata. Quoad actus verò Charitatis, quamvis, ut dixi, intensiores plerumque sint in patriâ quàm in viâ, nil tamen obstat, quo minùs Sanctus aliquis in hac vitâ intensiores amoris Dei actus eliciat, quàm multi beati, quod de Virgine, dum adhuc in hac vitâ degeret, negari nullo modo debet, quæ non est dubium, quin dum in terrâ moraretur, actus Charitatis longè intensissimos elicuerit.

VII. *Conclusio hujus difficultatis circa majorem perfectionem habitum, tum actus Charitatis in patriâ, quàm in viâ.*

VIII. *Quivis actus amoris Dei in Beato est appretiativè perfectior omni actu amoris Dei in viatore.*

Quivis tamen actus beati, quamvis in intensione inferior actu alicujus viatoris, appretiativè tamen est illo longè perfectior. Hoc inprimis probatur ex iis conditionibus firmitatis, indefectibilitatis, &c. quæ suprà non semel sunt recensitæ. Deinde, cum clariùs per visionem beatificam absque omni comparatione divinam bonitatem, infinitásque ejus perfectiones cognoscat, magis eas æstimat, & rebus omnibus creatis perfectiùs præfert, iisque constantiùs adhæret, unde & Deum appretiativè magis diligit, omniáque bona creata præ eo perfectissimè contemnit.

IX. *Inter appretiativum amorem Dei super omnia magna est potest diversitas.*

Quòd si objicias, homines etiam in hac vitâ, Deum diligere appretiativè super omnia, ergo non potest beatus eum appretiativè magis diligere, cùm perfectiùs amare Deum nullus possit, quàm super omnia. Respondetur, etsi quisquis perfectè Deum amat, eum amet super omnia, magna tamen est differentia inter amorem Dei super omnia, qui solùm fundatur in cognitione Dei obscurâ & abstractivâ, & amorem, qui oritur ex clarâ & intuitivâ divinarum perfectionum visione: unde videmus homines, etiam sanctissimos, interdum in hac vitâ post amorem Dei super omnia eum relinquere, & alia omnia amplecti, illíque res peccando præferre, ut in primo parente contigit, qui cognitionem Dei, quæ in hoc mundo concedi hominibus solet, habuit perfectissimam, & amorem ei respondentem.

Hominet etiam sanctissimi amorem Dei in hac vitâ interdum amittunt.

X. *Quid de Charitate viæ censendum cum aliis quibusdam perfectionibus conjunctâ.*

Dices cum Durando in 1. Distinct. 17. q. 9. ad primum, non repugnare ut detur in aliquo viatore Charitas tanta, cum confirmatione in gratiâ, præservatione à peccato, & aliis perfectionibus conjuncta, ut censeri possit æqualis æstimationis cum Charitate in patriâ: quod si ita sit, inquit Suarez hîc, Disp. 3. Sect. 4. num. 7. planè ita existimandum est de Charitate Virginis Matris, quam in hac vitâ habuit. Veriùs tamen videtur amorem Dei in patriâ esse appretiativè perfectiorem ullo amore in viâ, ex conjunctione scilicet cum visione beatificâ, unde summum haurit pretium & æstimabilitatem.

DISPUTA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISPUTATIO TRIGESIMA SEXTA.

De objecto Charitatis.

DIGNITAS & præstantia cujusque virtutis ex objecto circa quod versatur, tanquam ex certissimâ regulâ mensuráque desumitur: ut ergo Charitatis, quæ Patrum omnium ac Theologorum consensu virtutes, non Morales tantùm, sed etiam Theologicas multis gradibus excedit, excellentia præ aliis, & perfectio dignoscatur, quodnam illius sit objectum, & qua ratione in illud feratur inquirendum.

SECTIO PRIMA.

Quidnam sit objectum materiale Charitatis.

I. *Præcipuum Charitatis Theologicæ objectum est Deus.*

PRIMA Conclusio: Primarium Charitatis Theologicæ objectum est Deus, secundarium proximus, quem propter Deum diligimus: ita Divus Thomas hic, quæst. 25. art. 1. & 4. & cum eo Theologi. Prima pars probatur ex illo Matthæi c. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tua, & in totâ mente tuâ*: & immediatè subditur, *Hoc est maximum & primum mandatum.* Ratio est, amare enim est bonum alicui velle, nullus autem aptior est aut capacior, cui bonum velimus, seu in cujus perfectionibus complaceamus, quàm Deus, seu bonum illud infinitum, quod omnem in se excellentiam completissimè, & sine ullâ limitatione complectitur.

II. *Ostenditur proximum etiam esse objectum materiale Charitatis.*

Secunda Conclusionis pars, de proximo, eodem modo probatur: in testimonio enim illo Matthæi jam citato additur versu 39. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum*; ergo proximus etiam est objectum capax amoris benevolentiæ, & ad quem Charitas terminetur. Ratio verò est; proximus enim est creatura rationalis, & quid peculiariter pertinens ad Deum, quisquis ergo perfecto amore amicitiæ primariò diligit Deum, eos etiam omnes diligat necesse est, quos speciali modo ad Deum spectare intelligit. Nec quoad animam tantùm, sed etiam quoad corpus homo esse potest objectum materiale Charitatis, cùm pars proximi sit, & bonorum etiam supernaturalium aliquo modo particeps, & sicut visio beata animæ, ita dotes supernaturales, *Claritas* scilicet, *Agilitas*, *Subtilitas*, & *Impassibilitas* communicantur corpori. Deinde corpus est instrumentum animæ ad multa bona opera exercenda, unde quamvis anima proximi affectu Charitatis diligatur primariò, corpus tamen diligi eodem affectu potest secundariò. Addo, res etiam quasque irrationales, sive animatas, sive inanimatas, quatenus ad Dei honorem, & proximi salutem conferunt, diligi posse affectu Charitatis, tanquam bona amicorum: ita cum S. Thoma hîc, quæst. 25. articulo 3. docent passim Theologi; Sanctus tamen Bonaventura in 3. Distinct. 28. articulo 1. contrarium sentire videtur, & ait res quidem irrationales actu à Charitate imperato amari posse, non tamen actu Charitatis elicito.

Proximus, non quoad animam tantùm, sed etiam quoad corpus diligi potest affectu Charitatis.

Res insuper inanimatæ diligi possunt affectu Charitatis.

III. *Creatura omnis rationalis hîc nomine proximi intelligitur.*

Quæres, quis hac in re nomine proximi intelligatur? Respondetur tum homines tum Angelos, omnémque adeo creaturam rationalem, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 10. & Theologi in 3. Distinct. 28. Probatur ex Parabolâ Samaritani, Lucæ c. 10. à Christo allati: ex quo etiam constat, Christum Dominum, ut hominem, nomine proximi similiter esse intelligendum. Proximi insuper hac in parte sunt etiam inimici, ut patet ex illo Matthæi c. 5. vers. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Nec obstat illud quod habetur loco proximè citato: *Audistis quia dictum est: Odio habebis inimicum tuum*; hoc namque vel ad falsam interpretationem Pharisæorum referendum est, vel intelligendum de gentibus illis Chananæorum, quibus jussu Dei bellum inferre debebant Israëlitæ, & usque ad internecionem eas delere. Cùm hoc tamen amore stat odium sanctum in peccatores, ut peccatores sunt: hoc tamen odium non tam contra ipsos est, quàm eorum peccata. Hinc Propheta Regius Psal. 138. v. 20. *Nonne qui oderunt te Domine oderam: & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos.*

Proximi nomine intelliguntur etiam inimici.

Datur odium sanctum contra peccatores.

Tom. II.

IV. *Homo seipsum diligere potest amore Charitatis.*

Quæres secundò, utrum quis diligere seipsum possit affectu Charitatis, & hac ratione censeri inter proximos. Respondetur affirmativè: ut tamen amor, quo se homo diligit sit actus Charitatis, amare seipsum debet propter Deum; si enim hic affectus ex amore proprii commodi oriatur, pertinet ad amorem concupiscentiæ. Hinc Sanctus Augustinus lib. 1. de Doctrinâ Christianâ cap. 23. & 26. quatuor statuit objecta Charitatis, *Deum, nosipsos, proximum, & corpus proprium.* Primum, inquit, est supra nos, secundum nos sumus, tertium juxta nos est, quartum infra nos.

Quatuor objecta Charitatis statuit S. Augustinus.

V. *Castigatio corporis interdum ad illius amorem pertinet.*

Huic nihilominus amori corporis non obstat moderata illius castigatio, imo ad verum illius amorem pertinet, sicut Pater, quem diligit filium castigat. Quare Apostolus 1. ad Corinth. 9. vers. 27. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hæc tamen de carnis castigatione doctrina, molli hæreticorum nostri temporis sectæ mirum in modum displicet, plenámque & perfectam cum proprio corpore Charitatem servandam prædicant, illudque fovendum semper ac delicatè tractandum, nec quidquam ei molestiæ citra gravem præcepti Charitatis violationem inferri posse pronunciant. Quod verò dari possit affectus Charitatis hominis ad seipsum, non est contrarium dicto illi Divi Gregorii homiliâ 17. in Evangel. ubi ait Charitatem in alium tendere debere, ut esse Charitas possit; non enim negat S. Doctor Charitatem ejusdem ad seipsum sub conceptu amoris præcisè, sed sub conceptu amicitiæ, quæ propriè loquendo semper est ad alterum.

Doctrina de carnis castigatione displicet sectariis.

Explicatur dictum quoddam D. Gregorii.

VI. *Possintne reprobi in hac vita diligi vero actu Charitatis.*

Quæres tertiò, utrum inter proximos hac in re censeri possint reprobi, & an vero actu amoris, seu charitatis diligi possint. Respondetur, si clarè per revelationem absolutam constaret aliquem esse reprobum, non posse quemquam ita eum per Charitatem amare, ut absolutè velit ipsi beatitudinem, utpote quæ jam cognoscitur ei ex suppositione impossibilis. Non tamen repugnat, ut per actum Charitatis alia ei quis bona velit, quæ non habent oppositionem cum reprobatione, ut desiderare & petere ei gratiam, qua varia peccata vitet, & hos vel illos virtutum actus eliciat. Quare S. Thomas 1. parte, quæst. 113. a. 4. ad tertium ait reprobos, ipsúmque Antichristum habituros Angelos custodes, per quos, inquit, *Etsi non juventur, quantum ad hoc quòd vitam æternam bonis operibus mereantur: juvantur tamen quantum ad hoc, quòd ab aliquibus malis retrahuntur: quibus & sibiipsis, & alii nocere possunt.*

Antichristus habebit Angelum Custodem.

VII. *Quid dicat S. Augustinus circa orationem pro reprobis.*

Hoc ergo modo intelligendus est S. Augustinus, dum lib. 21. de Civitate Dei, cap. 24. affirmat, si Ecclesiæ certò constaret, quinam inter eos, qui etiamnum in hac vitâ degunt, sint reprobi, & ad æternam mortem destinati, non magis oraret pro illis, quàm pro diabolo. Intelligi, inquam, debet de oratione, qua ipsis petatur cælestis beatitudo; alia enim bona, ut gratia ad quædam peccata vitanda ipsis petere possumus juxta dicta numero præcedente. Quo etiam sensu capi debet quod docet Vasquez 1. 2. Disp. 72. num. 17. ubi ait quamvis reprobis cognitis ut talibus impendi fraterna correctio ex charitate possit, neminem tamen ad id teneri, cùm non sit spes emendationis. Sed contra, Spes enim est ut varia peccata per admonitiones & reprehensiones vitent, & hoc modo leviùs in inferno puniantur; unde & beneficium fraternæ correctionis non est ipsis penitus denegandum.

Fraterna correctio in quibusdam rebus impendi reprobis debet.

SECTIO SECUNDA.

De objecto formali Charitatis.

I. *Quo sensu divina bonitas sit objectum formale Charitatis.*

Dico primò: Objectum formale principale Charitatis Theologicæ esse bonitatem divinam, non quatenus constituit peculiare prædicatum à reliquis ratione nostrâ distinctum, sed prout dicit summam perfectionem & excellentiam in omni genere entis; sicut enim secundùm unum tantùm vel alterum attributum non est ratio adæquatè beatificans hominem, ita nec est adæquata ratio dilectionis Dei. Hæc est expressa mens S. Thomæ 2. 2. quæst. 23. a. 5. ad secundum: *Una*, inquit, *sola ratio diligendi* (Deum) *attenditur principaliter à Charitate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia:* quasi diceret, ut est infinitè perfectus in omni genere entis, & hoc sensu *summum bonum.* Idem tenet Scotus in 3. Dist. 23. quæst. unicâ, Gabriël ibidem, artic. 3. dub. 3. Conclusione primâ.

Deus ut infinitè perfectus est objectum Charitatis.

II. *Ostenditur Deum, ut infinitè perfectum amari.*

Probatur Conclusio: Deus enim secundùm se, & suas perfectiones intrinsecas est dignus qui ametur, & cui bonum velimus, sicque Beati hæc ejus attributa & infinitam in omni genere excellentiam intuitivè cernentes in illius amorem rapiuntur. Ratio autem est, sicut namque res alias, non ob majorem tantùm utilitatem, sed etiam quo præstantiores sunt, eo magis amamus, magisque in earum perfectione complacemus, idem est de Deo infinitè in omni genere entis perfecto.

III. *Quodcunque attributum Dei sufficit ad actum Charitatis Theologicæ eliciendum.*

Addo tamen, bonitatem solam, aliúdve quodcunque attributum in Deo, esse sufficiens objectum formale actus Charitatis Theologicæ, posséque Deum ob quamcunque ex suis perfectionibus intrinsecis vero actu amoris amicitiæ diligi. Hoc clarè constare videtur; nullum enim est attributum divinum, quod non sit infinitè perfectum, & consequenter amabile, aptúmque ad actum amoris terminandum: si enim, ut proximè dictum est, singularis aliqua perfectio in creaturâ rationali sufficiat ad eam ratione hujus excellentiæ amandam, quanto magis infinita aliqua perfectio in Deo. Confirmatur; si namque (quod non est cur fieri nequeat) Sanctus aliquis in cœlo unum tantùm Dei attributum per claram & intuitivam visionem cerneret, Deum propter hoc attributum amare posset actu dilectionis huic visioni respondente, ergo unum Dei attributum est sufficiens ad actum Charitatis.

IV. *Quo sensu Deus esse possit objectum Charitatis ut est auctor bonorum supernaturalium.*

Hinc infertur quid de illorum sententiâ existimandum sit, qui asserunt Deum esse objectum Charitatis in quantum est auctor bonorum supernaturalium. Si enim ideo Deum amandum esse dicant, ut nobis dona supernaturalia conferat, hic est amor concupiscentiæ, Deum enim non propter se, sed nobis hoc affectu amamus. Longè autem alio modo se habent Sancti & Beati dum Deum amant, nempe quatenus in se bonus est, gaudentque ipsum in se esse beatum, & inter alias, hanc etiam perfectionem continere, quod & possit, & velit hujuscemodi beneficia in creaturas suas conferre. Si autem quis Deum amet, non quia cupit eum nobis esse principium bonorum supernaturalium, aut etiam aliorum quorumcunque,

quorumcunque, sed quia jam ea contulit, existimo hunc actum, non gratitudinis tantùm, sed etiam Charitatis in se rationem habere posse.

V. *Deus in actibus Charitatis est finis cui, bona creata finis cujus gratia.*

Dico secundò: Quamvis Deus, ut diximus, sit objectum formale principale, & finis *cui* in actibus Charitatis, bona verò creata, quæ Deo ex affectu benevolentiæ volumus, sint finis *qui*, seu *cujus gratia*, aliquo tamen modo dici hæc possunt objectum formale Charitatis. Prima pars constat ex dictis, omnis namque actus, quo Deo bonum aliquod creatum volumus, habet Deum pro fine *cui*, ad ipsum quippe ultimò refertur ac desideratur, unde est objectum formale principale & primarium, hoc enim, ut in Logicâ, Disp. 2. Sect. 1. diximus, est illud, quod primò & per se attingitur, & propter illud cætera.

VI. *Ostenditur bona creata, quæ Deo volumus, dici posse finem cujus gratia.*

Secunda verò conclusionis pars, quòd scilicet bona creata, quæ Deo volumus, dici etiam aliquo modo possint objectum formalo actus Charitatis, probatur; hæc enim bona non sunt merè utilia, sed aliquid in se habent, ratione cujus amari possint, unde non sunt purè media, quicquid autem sufficientem in se bonitatem habet in ratione honesti vel jucundi, & non merè utilis, dici potest aliquo modo objectum formale, & finis *cujus gratia*, cùm verè propter bonitatem, quam in se habet, ametur, quamvis vel sibi quis vel alteri illud amet ut fini *cui*. Unde & Sancti ac Beati hac ratione Deo tanquam fini *cui* volunt suas perfectiones intrinsecas. Deinde inter homines vult aliquis amico sanitatem, ubi ratio movens ad ei optandum est bonitas in sanitate contenta, sicque licèt expetatur amico ut fini *cui*, expetitur tamen ob bonitatem, quam in se habet, sicque est objectum formale, & finis *cujus gratia*, ut dixi Disp. 2. Logicæ, Sect. 1. & Disp. 23. Phys. Sectione primâ.

VII. *Duplex bonitas ad unum integrum finem constituendum concurrit.*

Quando ergo quis sibiipsi aliquid optat, puta sanitatem aut quid simile, duplex bonitas, finis scilicet *cui*, & *cujus gratia* ad unum finem totalem constituendum, bonitas nimirum propria, & bonitas rei desideratæ, utraque in suo genere concurrit, bonitas enim propria est ratio cur hoc sibi optat, id siquidem facit quia se diligit, omnis autem amor terminatur ad bonitatem: altera autem bonitas est rei optatæ, ut jam declaratum est. Verum est quidem, dum quis alterum diligit, & vult ei bonum, peculiare quiddam, in eo ut plurimum, ab ejus personâ distinctum, ut naturæ suavitatem aut sympathiam, virtutem, vel aliud hujusmodi requirit, non ut finem *cui*, hic enim semper est sola persona, cui volumus bonum, sed ut rationem formalem in fine *cui* repertam, moventémque ad ejus personam per modum finis *cui* amandam, quamvis hæc etiam ratio ametur in obliquo, dum amatur persona illam habens, ut optimè observat Vasquez 1.2. Tomo 2. Disp. 205. num. 6.

VIII. *Inter fines cujus gratia præcipui sunt perfectiones Dei intrinsecæ.*

Quæres, inter fines *cujus gratia* quisnam primarium locum obtineat? Respondetur, quando, ut num. 6. dixi, Deo ut fini *cui* vult aliquis perfectiones suas intrinsecas, dubium esse non potest, quin hæ inter omnes, quæ excogitari possunt fines *cujus gratia* multis, imo infinitis gradibus excellant. In illo ergo casu idem est objectum *cui* & *cujus gratia*. Non tamen placet quod affirmant recentiores aliqui, eundem scilicet esse specie actum amoris, dum quis Deo vult unum tantùm attributum intrinsecum, & dum vult illi omnia attributa, semper enim, inquiunt, in omni tali actu amoris includuntur omnia attributa, & consequenter idem semper est objectum. Hæc, inquam, doctrina mihi nullo modo placet; cùm enim probabilior sit sententia asserens dari præcisiones objectivas, tum in creatis, tum divinis, ut ostendi Disp. 24. & 25. Logicæ, & Tomo præcedente, Disp. 18. & 19. sicut cognosci potest unum attributum sine alio, ita & amari; hi autem actus, tum intellectus, tum voluntatis non habent idem objectum cum illis, quibus cognoscuntur & amantur omnia attributa & perfectiones divinæ, & consequenter specie ab illis distinguuntur. *Finis actus supernaturalis, quo quis vult Deo perfectiones suas intrinsecas potest esse specie distinctus ab alio.*

IX. *Ulterius ostenditur hujusmodi actus amoris inter se distingui specie.*

Dices, probare quidem hoc argumentum actum amoris, quo quis complacet in uno attributo, aliis non amatis, distingui specie ab actu, quo quis complacet in alio attributo, ut in misericordiâ non in justitiâ, & multo magis distingui specie ab actu, quo quis complacet in aliis omnibus præter hoc, quod est objectum prioris actus, & habere objectum diversissimum: secus verò res se habet in actibus Charitatis, de quibus loquimur, etsi enim actus, quo volo Deo omnipotentiam, non velit ipsi æternitatem, nec alia attributa, utpote quæ ab actu illo præscindente non concipiuntur, nihil autem volitum quin præcognitum, in fine tamen *cui*, nempe Deo repræsentantur & amantur, cùm Deus illa omnia in se contineat, unde in omnibus hisce actibus idem semper est objectum, & consequenter per objectum distingui nequeunt specie.

X. *Deus realiter, non tamen formaliter includit omnia divina attributa.*

Respondetur, licèt Deus perfectiones illas omnes & attributa contineat realiter, non tamen formaliter, Deus enim præcisè in suo conceptu, ut in primâ parte declaratum est, aliud non dicit præter naturam divinam subsistentem, vel per subsistentiam absolutam, ut aliqui volunt, vel per tres relativas, ut alii, vel denique per subsistentiam aliquam indeterminatè conceptam; in nullo autem horum conceptuum includuntur formaliter attributa, unde hoc non obstante possunt nec cognosci, nec amari, sicque nil vetat hos actus distingui specie.

XI. *Aliud quoad diversitatè specificam est de habitu acquisito Charitatis, aliud de infuso.*

Sed contra dicta in conclusione secundâ objiciet aliquis: si, uti diximus, Charitas pro objecto formali habeat bona creata, tot erunt habitus Charitatis specie distinctæ, quot sunt objecta creata, quæ Deo volumus specie distincta, cùm ab objectis formalibus habitus specificentur. Respondetur, probare quidem hoc argumentum actus Charitatis, etiam supernaturalis seu infusæ, distingui specie ab objectis formalibus creatis *cujus gratia*, nempe diverso bono divino, ut loquuntur Theologi; & idem dicendum videtur de habitibus acquisitis Charitatis: at verò hoc nullo modo sequitur de habitu infuso charitatis. Dicendum itaque videtur hac in re, quod supra, Disp. 17. Sect. 2. dixi de habitu infuso Fidei, esse scilicet unam simplicem qualitatem, extensivè scilicet indivisibilem, & omnia omnino objecta creata respicere, quæ quamvis modo supra posito dici possint objecta formalia, seu *cujus gratia*, respectu tamen objecti formalis primarii, Dei scilicet finis *cui*, & in ordine ad quem amantur, censeri possunt objecta materialia: intensivè tamen est divisibilis, & homines, quò plures actus charitatis supernaturalis eliciunt, eò magis in charitate crescunt, & habitum habent intensiorem. Videatur Sectio illa secunda Disputationis decimæ septimæ, eadem enim quoad hoc est ratio de habitu Fidei & Charitatis. Videatur, etiam *Habitus infusus Charitatis est extensivè indivisibilis, divisibilis intensivè.*

Sancti quotidie in Charitate crescunt.

Tom. II. etiam Sectio tertia Disputationis præcedentis, in cujus fine hæc obiter sunt proposita.

SECTIO TERTIA.

Varia discutiuntur circa amorem proximi.

I. *Variis modis diligi potest proximus.*

NOTANDUM, proximum variis modis diligi posse: primò secundùm bonitatem naturalem & intrinsecam, quam nimirum habet sibi à naturâ insitam: hoc modo autem amari potest, & actu naturali, si reguletur ab actu intellectus naturali bonitatem illam proponente, vel amore etiam supernaturali, si ab actu supernaturali intellectus eandem bonitatem repræsentante reguletur.

II. *Amari potest & ob bonitatē intrinsecam naturalem & supernaturalem.*

Secundò amari potest proximus ob perfectionem supernaturalem intrinsecam, hac ratione verò diligi similiter potest & supernaturali amore, objecto illi proportionato, & naturali; sicut enim, ut supra, Disp. 13. Sect. 2. & 3. ostendi, objecta supernaturalia cognosci possunt actu naturali, dæmones enim Trinitatem, & alia quædam mysteria supernaturalia, quæ dum erant in statu gratiæ, & elevatione supernaturali cognoscebant actibus supernaturalibus, etiamnum cognoscunt, quamvis modò nullum habeant auxilium supernaturale. Sicut autem objecta supernaturalia cognosci possunt actu naturali, ita & amari: Unde si quis in purâ naturâ constitutus audiret aliquem de gratiâ & visione beatificâ disserentem, earúmque naturam & præstantiam declarantem, posset eas amare, quamvis nullius actus supernaturalis sit capax.

III. *Amari potest proximus ob bonitatem increatam Dei.*

Tertiò amari potest proximus ob bonitatem increatam Dei, hæc enim est sufficiens ratio eum amandi, nullâ consideratâ bonitate illius intrinsecâ; imo quantumvis malus sit, hoc modo diligi potest: & hic est perfectissimus actus Charitatis respectu proximi, boníque juxta ac mali hac ratione purè propter Deum amantur, utpote cujus bonitas est sola causa cur diligantur, non quòd hæc Dei bonitas eos reddat bonos, cùm sit ipsis planè extrinseca, sicut nec bonitas finis, mediis extrinseca, quidquam bonitatis in ea refundit, propter quem nihilominus amantur; etsi paritas in omnibus non teneat, cùm proximus non sit medium ad consequendum Deum. Hoc non inscitè declarari potest exemplo, quo ad hoc ipsum utuntur aliqui, dignitas quippe & excellentia Christi est sufficiens ratio cur ejus imagini cultum & reverentiam exhibeamus.

IV. *Satè amatur proximus ut est res quædam Dei.*

Quartò amatur sæpenumero proximus quatenus est res quædam Dei, bonúmque illius extrinsecum, & ad eum multis nominibus pertinens, ad cujus proinde gloriam quicquid in homine est, sive naturale, sive supernaturale cedit, atque hoc pacto ad Dei honorem promovendum, summámque illius perfectionem & excellentiam manifestandam conferunt. Amari ulteriùs potest proximus, quia à Deo amatur, non spectando an bonus sit is, qui sic à Deo diligitur, an malus, Deus enim vult omnes homines salvos fieri, hoc enim proprium est amicitiæ, ut quicquid aliquis ab amico amari cernit, id etiam ipse in amici gratiam amet, ut in hoc cum amico concordet.

V. *Actus quo amatur proximus propter increatam bonitatem Dei est Charitas Theologica.*

Prima Conclusio: Tertius modus amandi proximum est virtus verè Theologica: hanc conclusionem existimo à nullo Theologorum negatum iri, bonitas enim Dei hic tanquam objectum formale, & ratio movens ad dilectionem proximi ingreditur, & actum amoris hujus propriissimè terminat. Sicut ergo actus Fidei, quo articulum aliquem Fidei credo propter auctoritatem divinam est actus Fidei Theologicæ, eo quòd terminetur intrinsecè ad auctoritatem & veracitatem divinam, idem hîc dici debet de hoc actu Charitatis, qui proinde ab eodem habitu Charitatis, quo diligimus Deum, elici potest.

VI. *Quando amamus proximum ut rem Dei, est actus Charitatis Theologica.*

Secunda conclusio: Quarto etiam modo amatur proximus vero actu Charitatis Theologicæ: ratio est, sola etenim causa amandi proximum in hoc casu est, quia est bonum divinum, seu res Dei, unde ratio motiva hujus amoris proximi est Deus, qui magis etiam hoc actu amatur, quàm proximus, nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. Deinde, ut dictum est, proximus conferre aliquo modo potest ad gloriam Dei promovendam, unde dum quis eum hoc modo amat, Deo amat, magísque Dei gloriam, quàm proximum diligit, solùm namque illum diligit quia aptus est ad Dei bonitatem & excellentiam manifestandam.

VII. *Amor Dei duobus modis movere nos potest ad amandum proximum.*

Circa illud verò quod ibidem addebatur, posse scilicet amari proximum quia à Deo amatur, duobus modis potest intelligi, primò remotè, ita scilicet ut amor, quo Deus amat homines, moveat nos extrinsecè & consecutivè ad eosdem amandos, ita tamen ut neque hic amor Dei, nec ullum aliud ejus attributum hunc nostrum amorem proximi ingrediatur, tunc autem non videtur hic actus esse Charitatis Theologicæ. Secundò amare possumus proximum ob amorem, quo illum amat Deus, ita ut hic Dei in illum amor nostrum erga proximum amorem intrinsecè ingrediatur, eúmque immediatè terminet, quod si fiat, amor hic noster erit Charitas theologica, & ab habitu Charitatis Theologicæ elici potest.

VIII. *Quare tum ob novam difficultatem requiratur novus habitus.*

Sed contra ea quæ diximus, eodem scilicet actu amari Deum & proximum, & eundem habitum Charitatis Theologicæ posse amoris tam Dei, quàm proximi esse principium. Objicitur primò: nova difficultas novum requirit habitum, vel adæquatum, vel saltem partialem, ergo falsum est quod hactenus asseruimus, per eundem scilicet indivisibilem habitum Charitatis produci actus amoris Dei & proximi, experientiâ enim constat, eos etiam, qui sunt in Charitate, & Deum amant, magnam frequenter sentire difficultatem in diligendo proximo, à quo nimirum gravem interdum experti sunt injuriam, ergo hic amoris actus elici debet, vel per diversum habitum, vel saltem per diversam partem heterogeneam ejusdem. Respondetur, hoc tantùm probare debere dari diversas partes heterogeneas in habitibus acquisitis, hi enim soli facilitant, non verò in habitibus infusis, hi siquidem non dant facilè posse, sed simpliciter. Quamvis, ut supra diximus, hoc ne quidem in habitibus acquisitis arguat novas & distinctas partes, sed victoria difficultatis refundi potest in diversas apprehensiones prævias.

Homines difficulter interdum amant proximum.

Soli habitus acquisiti facilitant.

IX. *Vnde unus majorem habeat facilitatem in*

Objicies secundò: Ponamus duos, quorum alter se in amando Deum in se frequenter exerceat, alter in amando proximum propter Deum, hic in hisce actibus eliciendis facilitatem acquiret, ille

amando Deum in se, alius in amando proximum propter Deum.

ille in aliis, ergo singuli diversum habitum comparabunt diversæ hujus facilitatis principium. Ad hoc eodem modo respondetur, diversitatem facilitatis in his actibus exercendis, non ab habitibus infusis procedere, sed ab acquisitis, qui usu & exercitatione paulatim comparantur, vel integri, & adæquatè inter se distincti, vel saltem extensione quadam ad diversas partes heterogeneas diversis actibus respondentes.

X. *Quamvis habitus infusus Charitatis sit unus, actus tamen sunt specie distincti.*

Quæres, licèt habitus infusus respectu horum actuum sit unus & idem, utrum saltem actus sint specie distincti? Respondetur esse: nam ut sæpiùs dictum est, ut actus multiplicentur specie, sufficit diversitas ex parte objecti materialis; hoc enim habent actus intentionales, ut in ipsis reluceant objecta, & consequenter quæ diversitas apparet in objectis, eadem cernitur in actibus, sicque hi ex specificâ distinctione objectorum similiter distinguentur specie. Quando ergo Sanctus Thomas dicere videtur actus infusos Charitatis Theologicæ esse ejusdem speciei, intelligendus est quoad objectum formale, ex hoc nimirum diversitatem specificam vult his actibus non provenire; hinc tamen non sequitur id non posse procedere aliunde.

XI. *Amare proximum merè ob bonitatem illius intrinsecam non est actus Charitatis Theologicæ.*

Tertia conclusio: Amare proximum primo & secundo modo, supra numero primo explicato, quamvis sit actus Charitatis & amicitiæ erga proximum, non tamen est Charitas Theologica: ita Lessius de Just. cap. 36. num 23. Vasquez tomo 1. in 3. partem; Disp. 98. cap. 2. Turrianus 2. 2. Disput. 73. dub. 2. Ratio est; hic enim amor tendit in proximum merè ob bonitatem ei intrinsecam, sive naturalem sive supernaturalem, & præcisè quia per hæc ei benè est, illic sistendo: cùm ergo, ut rectè Lessius citatus, objectum adæquatum hujus amoris sit bonum creatum, non potest esse actus Charitatis Theologicæ, sed virtutis moralis, seu benevolentiæ erga proximum.

XII. *Ex S. Thoma ostenditur hunc amorem non esse Theologicum.*

Hæc etiam est clara mens Divi Thomæ 2. 2. quæst. 103. ubi ait: Quemadmodum Sancti ob propriam excellentiam non coluntur latriâ, sed alio & inferiore cultu, ita proximus dum ob creatas, sibique proprias & intrinsecas perfectiones amatur, non amatur actu Charitatis Theologicæ, sed per aliam virtutem ab hac distinctam, eique inferiorem: hæc Sanctus Doctor.

XIII. *Conceptus essentialis amicitiæ non requirit ut amor sit mutuus.*

Dixi supra actum, quo amo proximum ob bonitatem ei intrinsecam, seu quo volo ipsi has perfectiones tum naturales, tum supernaturales, esse amorem amicitiæ respectu illius, quod intelligendum est quantum ad conceptum essentialem amicitiæ, qui in eo situs est, ut velit quis alicui bonum quia ei bonum est, quamvis alter eum non redamet; ad veram namque amicitiam non requiritur ut amor sit mutuus: & hoc pacto etiam inimicos diligere possumus amore amicitiæ, quamvis ipsi amorem vicissim non rependant, imo nos oderint, & mala reddant pro bonis. Hinc ergo constat Deum & proximum, quamvis diversis actibus frequenter amentur, posse nihilominus amari eodem, idque Charitate Theologicâ. Deus tamen actu amoris Theologici amari potest sine proximo, proximus sine Deo non potest.

Deus & proximus eodè actu Charitatis amari possunt.

SECTIO QUARTA.

Varia inquiruntur circa dilectionem Dei.

I. *Omnia ad Deum tanquam ad finem Cui sunt per affectum amoris referenda.*

DIXIMUS suprà Deum esse ultimum finem *Cui*, ad quem scilicet reliqua omnia vel formaliter vel virtualiter referuntur: erga ipsum proinde quisque ita voluntate ferri debet, ut quicquid amat, in ordine ad ipsum amet, séque & alia universa ad eum sincero affectu positivè dirigat. Hinc à fortiori sequitur negativum illud quod in amore Dei includitur, nihil scilicet non solùm supra Deum, sed nec æquè diligi debere; Deus siquidem, uti est, ita amari debet ut summum bonum, & usquequaque infinitum, cui proinde appretiativè & in æstimatione æquari nihil debet, multo minùs præferri, sed amari ipsum oportet super omnia.

II. *Amare Deū super omnia non consistit in actus intensione.*

Ad hæc tamen meliùs intelligenda, inquirendum quid sit amare Deum super omnia. Inprimis certum videtur hoc non consistere in intensione actus, ita scilicet ut vel Deum summâ actus intensione diligamus qua possumus, vel etiam ut nullam aliam rem æquè intensè diligamus ac Deum. Non primum, tunc enim sequeretur eum, qui minora habet auxilia, diligendo Deum ut unum amare Deum super omnia, & eum, qui majora habet auxilia, diligendo Deum ut decem, eum nihilominus non amare super omnia, si eum intensiùs diligere possit, quod nullo modo debet admitti. Nec etiam subsistit secundum; quamvis enim quis intensiore rem aliquam actu amet quàm Deum, si tamen eâm Deo non præferat, sed ubi res postulat paratus sit eam pro Deo relinquere, negari non potest hunc vero actu amoris super omnia Deum diligere.

Varia genera intensionis actus Charitatis.

III. *Amor Dei super omnia in ipso modo tendendi actus consistit.*

Dicendum itaque, amare Deum super omnia, in ipso modo tendendi actus consistere, ita nimirum ut tali in eum affectu quis feratur, ut Deum aliis omnibus præferat; unde & mallet res omnes perdere, quàm Deum, estque amor quem Theologi vocant appretiativum. Hic verò amor, ut rectè observat Vasquez 1. 2. Disp. 194. n. 14. & 19. quamvis comparationem aliquam Dei cum rebus omnibus importet, non tamen actualem seu formalem, sed solùm virtualem. Non ergo est necessarium ut quis Deum rebus omnibus sigillatim præferat, neque etiam ut expressè id præstet rebus confusè conceptis, sed sufficit ut velit Deo in omnibus placere, & quicquid eum graviter offendit vitare, unde hoc actu persistente nullum potest peccatum mortale admittere, ostenditque se Deum pluris facere, eumque anteponere rebus aliis omnibus, quantamcunque vel voluptatem vel utilitatem afferant.

Qua comparatio Dei cum rebus creatis ad hunc actum amoris requiratur.

IV. *Quid præcipiatur illis verbis, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.*

Hic actus, ut ulteriùs non differam, est ille qui Deuter. c. 6. illis verbis præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ*: quamvis enim nonnulli per singula verba singulas præcipi velint circumstantias, & per *Cor* intelligi voluntatem, quæ ut *Cor* vitæ, ita operationum liberarum est principium, per *Animam*, appetitum inferiorem, per *Fortitudinem* autem vim executivam, seu virtutem exteriùs operativam, sicque præcipi nobis his verbis asserunt, ut tam quoad animam quàm corpus, potentias interiores & exteriores, adeóque

Tom. II.

adeoque ut toti Deo subdamur : quam horum verborum explicationem tradit S. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 5. & in eundem sensum conspirare videntur alii Patres. Hæc proinde explicatio ob tantorum virorum auctoritatem est absque dubio probabilissima : multi tamen volunt per illa verba aliud non præcipi, quàm actum illum amoris Dei, quem proximè declaravimus. Verum est quidem, quisquis hunc actum habet, alia omnia quæ illic intimantur habebit, quisquis enim Deum appretiativè rebus omnibus præfert, vires omnes tam corporis quàm animæ, séque totum in ejus obsequio impendet.

Quanta vis sit hujus actus amoris Dei super omnia.

V. *Alius modus actum amoris Dei super omnia explicandi.*

Alio adhuc modo actum amoris Dei super omnia explicant nonnulli: dicunt itaque in eo situm esse ejus conceptum, ut quis Deo velit bonum purè quia ei est bonum ; hic enim actus, inquiunt, cum sit actus veræ amicitiæ, nihil secum grave compatitur, quod possit amicum offendere. Sed contra ; sic enim quisquis amico vult bonum aliquod quia illi bonum, amaret eum super omnia: cum tamen possit quis alicui bonum, etiam quia ipsi bonum, optare, & tamen majus bonum vel suum vel alienum ei, si occasio ferat anteponere. Deinde in hac sententia omnis actus amicitiæ respectu cujuscunque esset amor super omnia, cùm tamen hic affectus soli Deo sit debitus.

VI. *Peccatum veniale amori Dei super omnia non repugnat.*

Peccatum autem veniale, licèt obstet perfectioni cuidam accidentali amoris Dei super omnia, ejus tamen essentiali conceptui non repugnat. Hæc communis est Theologorum sententia: ratio primæ partis est ; quisquis enim peccatum veniale admittit, indicio est eum non ad summam amoris Dei perfectionem attigisse cùm perfectiùs ille amaret Deum, qui ita eum amaret, ut nec leviter offenderet. Hoc tamen amori Dei essentiali non obstat, peccatum namque veniale non constituit ultimum finem in creaturâ, unde quantumvis quis illud admittat, potest nihilominus Deum ut ultimum finem velle ac retinere, sicque sanctissimos etiam viros, & in amore Dei exercitatissimos videmus identidem labi in peccata venialia. Deinde Tomo præcedente, disput. 92. Sect. 4. num. 5. ostendi actum aliquem amoris Dei super omnia posse extrinsecè vitiari, & reddi venialiter malum.

VII. *Amor appretiativus remissior, est alio actu amoris intensiore perfectior.*

Actus ergo amoris appretiativus est simpliciter perfectissimus, & absolutè magis amatur id quod hoc modo amatur, quàm quod actu alio amoris gradualiter longè perfectiore seu intensiore diligitur.* Sic in obvio & familiari exemplo, parentes filios natu minores intensiùs plerumque diligunt, quàm majores natu, hos tamen æstimativè illis anteponunt. Sic in intellectu per actum scientiæ minùs intensum clariùs nobis res constat, firmiúsque illi adhæremus, quàm per actum opinionis, etiam intensissimum: major ergo amor alicujus objecti non ex intensione metiendus est, sed ex ipsâ actus substantiâ, & intrinseco ejus tendendi modo, penes hunc enim desumenda est major illius perfectio.

VIII. *Appretiativè amandus est Deus super omnia, non tamen tenemur hoc facere intensivè.*

Ex his ergo infero, quamvis appretiativè seu æstimativè amare debeamus Deum super omnia, nullam tamen esse obligationem amandi eum super omnia intensivè : ita communis Theologorum sententia, quam tenet Vega lib. 17. in Tridentinum, cap. 24. Suarez Tomo 4. in 3. partem, Disp. 4. Sect. 4. Vasquez 1. 2. Disp. 194. cap. 3. Valentia 2. 2. Disp. 3. quæst. 4. punct. 1. Turrianus 2. 2. Disp. 74. dubio primo, Henriquez lib. 4. de Sacramentis, cap. 27. num. 2. & alii. Hanc conclusionem probavi supra, numero secundo, ubi Petri Soti placitum lect. 14. de Pœnitentiâ contrarium docentis refutavi.

SECTIO QUINTA.

De præcepto diligendi Deum.

I. *Datur præceptum diligendi Deum super omnia.*

QUÆRES primò, Utrùm detur speciale præceptum diligendi Deum actu interno Charitatis ? Respondetur affirmativè : ita cum S. Thoma 2. 2. quæst. 44. art. 1. communis habet Theologorum sententia. Idem tenet Scotus in 3. Dist. 27 quæst. unicâ, art. 3. §. *Quantum ad secundum.* In hoc proinde utraque hæc nobilissima schola convenit, & tanquam rem indubitatam tradit. Hanc etiam doctrinam veluti certam amplectendam esse asserunt nostri omnes, Valentia 2. 2. Disp. 3. quæst. 19. punct. 1. Turrianus 2. 2. Disp. 97. dub. 1. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 35. & alii.

II. *Non recte negant aliqui dari peculiare præceptum interni actus Charitatis,*

Malè ergo nonnulli apud Lorcam 2. 2. sect. 3. Disp. 35. negant dari ullum peculiare præceptum de diligendo Deo directè & immediatè actu ullo interno, sed id solùm præcipi asserentes, ut nimirum Dei mandata in decalogo contenta servemus, quod, inquiunt, quisquis præstat, etiamsi nullum internum amoris actum in Deum eliciat, omnia tamen Dei mandata impleviisse censetur. Neque his auctoribus favet illud Christi dictum Joannis 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me* : hoc, inquam, huic sententiæ non favet, Christus enim non loquitur hoc loco de Charitate formaliter, quasi in observatione mandatorum consisteret formaliter amor Dei, sed quòd siquis omnia Dei mandata servet, optimè inferatur eum verè diligere Deum ; si enim Deum verè non amaret, in varia frequenter peccata incideret, & Dei mandata violaret.

Quo sensu diligat Deum, qui ejus mandata servat.

III. *Præceptum de diligendo Deo non ponitur in Decalogo, sed est omnium præceptorum Decalogi fundamentum.*

Hinc, ut ex S. Thoma 2. 2. quæst. 44. art. 1. ad 3. & 1. 2. quæst. 100. art. 4. ad primum & aliis, optimè observat P. Sanchez citatus, hoc præceptum de diligendo Deo non ponitur in Decalogo, sicut nec formalis dilectio proximi, sed sunt omnium præceptorum Decalogi fundamentum, utpote ad quæ cuncta Decalogi præcepta, quæ habentur Exodi 20. reducuntur. Sicut juxta eundem S. Thomam nec præceptum Fidei ponitur in Decalogo, sed omnibus præceptis præsupponitur ; cum *accedentem ad Deum oporteat credere.* Actus ergo amoris Dei non est formalis observatio mandatorum, sicut nec dilectio proximi, sed tantùm radicalis, sumque observationis præceptorum Decalogi principia.

IV. *Ostenditur dari peculiare præceptum diligendi Deum.*

Quòd verò detur speciale præceptum diligendi Deum, constat ex verbis illis Deuteron. c. 6. Sectione præcedente relatis : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. De quo Matth. c. 22. v. 38. dicitur, *Hoc est maximum & primum mandatum* : quæ verba apertè indicant hoc præceptum esse distinctum ab aliis, alioqui nec primum esset, nec maximum. Ideo autem dicitur primum mandatum, quia hoc præcipuè & primariò est præceptum, reliqua verò omnia dantur in ordine ad hoc, & ad perfectam illius impletionem ordinantur. Itaque præceptum de diligendo Deo est aliorum omnium præceptorum finis, juxta illud 1. ad Timotheum 1. versu 5. *Finis autem præcepti est Charitas de corde puro*, &c.

Ratio

V. *Ratione probatur dari præceptum amandi Deum.*

Ratio autem est; lumen quippe naturale dictat amandum esse eum, à quo bona aliqua accepimus, quanto ergo magis Deum, à quo accepimus omnia. Deinde lex naturæ filios obligat ad diligendos parentes, à fortiori ergo eâdem lege naturæ obstringimur ad diligendum Deum, à quo, non vita tantùm, ut filius à parentibus, sed beneficia plurima cumulatissimè in nos conferuntur.

VI. *Ad satisfaciendum præcepto diligendi Deũ, non sufficit amor concupiscentiæ.*

Dices, hinc probari, diligi quidem debere Deum, ad hanc verò obligationem implendam sufficere amorem concupiscentiæ, & non requiri dilectionem Dei propter se, seu amorem amicitiæ. Sed contra: Recta enim ratio dictat, summum bonum esse summè diligibile, Deus autem, ut ipso naturæ lumine evidentissimè constat, est summum bonum, ergo Deus eâdem naturâ duce est summè, seu perfectissimè diligendus, ergo amore amicitiæ, seu propter se, cùm hic amor amorem concupiscentiæ multis gradibus antecedat. Confirmatur, summum bonum namque est diligendum super omne aliud diligibile, ergo & supra ipsummet diligentem, si autem Deus solo amore concupiscentiæ amaretur, non diligeretur supra diligentem, cùm per hunc actum diligeretur Deus propter diligentem, homo enim amaret Deum sibi, seu propter suum commodum.

Summum bonum est summè diligendum.

VII. *Dices, non potest Deus perfectè diligi in hac vitâ, ergo non datur tale præceptum.*

Objiciunt contrariæ sententiæ auctores; id præceptum imponi non potest, quod non potest observari, Deus enim præcipere nequit impossibilia, sed præceptum de perfectè diligendo Deo impleri non potest in hac vitâ, ergo: Minor probatur ex S. Augustino, qui libro de perfectione Justitiæ, Ratioc. 17. hoc præceptum ait ab hominibus in mortali corpore existentibus impleri non posse: sic enim scribit: *In qua plenitudine Charitatis* (loquitur de Charitate in patriâ) *præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ. Nam cùm adhuc aliquid est carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnino ex totâ animâ diligitur Deus.* Idem docere videtur S. Bernardus Sermone 50. in Cantica: ubi postquam multa de Charitate, ejúsque præcepto dixisset, tandem sic loquitur: *Quomodo ergo jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat.*

VIII. *Quanam Charitas haberi nequeat in hac vitâ.*

Respondetur, S. Augustinum & S. Bernardum solùm velle Charitatem perfectissimo planè modo, ita scilicet ut excludat omne etiam veniale peccatum, haberi in hoc mundo non posse; sine speciali enim privilegio, quod nulli præterquam Virgini concessum est, nemo peccata omnia venialia evitare potest. Hoc tamen non obstante perfectus actus Charitatis, seu amor Dei appretiativus haberi hîc potest, hujusmodi enim actus, ut Sectione præcedente ostensum est, non repugnat peccato veniali.

IX. *An præceptũ amoris Dei procedat de amore supernaturali, an naturali.*

Quæres, utrum hoc præceptum de diligendo Deo procedat tam de amore naturali, quam supernaturali? In nostrâ sententiâ, qui amorem Dei naturalem & supernaturalem diximus non distingui ex parte objecti, sed & res naturales amari posse amore supernaturali, & res supernaturales naturali, nulla est difficultas. Existimo ergo hoc præceptum dari generatim, & in habente principia actus amoris supernaturalis impleri per actum Charitatis supernaturalem, si quis autem hæc principia non haberet, satisfaceret huic præcepto per actum amoris Dei naturalem: Unde & in statu puræ naturæ præceptum de diligendo Deo obligaret, est namque præceptum hoc juris divini naturalis, ac proinde omnes in quocunque statu eo tenerentur. Confirmatur: in statu siquidem puræ naturæ haberent homines obligationem colendi Deum cultu naturali per actum religionis naturalem, ergo & eum per actum amoris naturalis amandi, cùm non minûs amore dignus sit, quàm cultu.

In statu puræ naturæ obligaret præceptum amandi Deum.

X. *Licèt non sit specialis difficultas in diligendo Deum, potest tamen esse obligatio eum amandi.*

Dices, nulla est specialis difficultas in Deo summo bono, summéque diligibili amando, ergo sicut non datur specialis virtus ad hos amoris actus eliciendos, utpote quæ solùm datur ad difficultatem aliquam superandam, ita nec dabitur speciale præceptum. Respondetur, quamvis non sit specialis difficultas in amando Deo amore simplicis complacentiæ, in Deo tamen amore efficaci, quique juxta dicta sit radix & fundamentum observationis omnium mandatorum, diligendo non exigua est difficultas, ut in dies videmus, dum homines per mandatorum Dei violationem in varia, gravissimáque peccata prolabuntur. Hic tamen actus & habitus naturalis amoris erga Deum non esset propria amicitia hominis ad Deum finem naturalem, stare enim posset cum peccato mortali, quod omnem veram amicitiam inter nos & Deum rescindit: quare soli Charitati infusæ Theologi veram rationem amicitiæ erga Deum assignant, modo tamen supra, Disputatione præcedente, Sectione secundâ declarato.

Duplex Dei amor, complacentia, & obedientialis.

XI. *Actus & habitus acquisitus amicitiæ humanæ sunt specialis virtus.*

Quæres, utrum habitus acquisitus amicitiæ humanæ sit virtus specialis? Respondetur affirmativè: actus quippe, quo quis amore honesto naturali amat proximum, habet peculiarem honestatem, unde non est cur à ratione specialis virtutis excludatur: imo inter præcipuas virtutes, quæ ad proximum spectant, meritò recensetur. Nec obstat, eum, qui alterum amat, ab eo frequenter non redamari, hæc enim solùm est circumstantia extrinseca amicitiæ, quæ ut sit in statu omnino completo requirit, ut amor sit mutuus, ut in superioribus est ostensum.

XII. *Habitus amoris naturalis erga proximos est idem specie.*

Eodem verò specie habitu amoris naturalis omnes proximi amantur, idem namque omnium actuum amoris hujus seu amicitiæ est objectum formale, communis scilicet participatio naturæ rationalis. Amor ergo quem filii habent erga parentes, non est amicitia, sed pietas, & sic de aliis affectibus, qui peculiares habent rationes, & diversas constituunt virtutes.

SECTIO SEXTA.

Quando obligetur quis ad actum amoris Dei eliciendum, & peculiariter an primo instanti usus rationis.

I. *Quando obliget præceptum diligendi Deũ.*

QUANDO obliget hoc præceptum diligendi Deum, non levis est inter auctores controversia, sententiarúmque varietas, ut patebit. Nonnulla hac de re dicta sunt Tomo præcedente, Disputatione centesimâ quintâ, numero nono & decimo: plena tamen quæstionis hujus discussio ad hunc locum pertinet.

II. *Prima sententia est obligare hoc*

Prima sententia affirmat obligare hoc præceptum primo instanti usus rationis, ita ut puer, si quamprimùm ad rationis usum pervenerit, actum amoris Dei non eliciat, peccet mortaliter.

Tom. II.

praeceptum primo instanti usus rationis.

Hanc sententiam tenet tota ferè Thomistarum schola cum S. Thoma 1. 2. quæst 89. art. 6. & in 2. Distinctione 42. quæst. 1. art. 5. ad 7. & de veritate, quæst. 28. art. 3. ad tertium. Idem docet Navar. in Summa, cap. 11. Toletus in Summa, libro 4. cap. 9. num. 7. & alii non pauci.

Dicunt hujus omissionem esse in confessione aperiendam.

Dicunt ergo hi auctores debere puerum primo rationis instanti se ad Deum per actum dilectionis convertere: unde Caietanus & Navarrus aiunt, omnes in dubio utrum hunc actum tunc omiserint, debere hoc confiteri, cùm, inquiunt, sit peccatum mortale, ac proinde in confessione aperiendum.

III.

Non datur praeceptum diligendi Deum primo instanti usus rationis.

Dicendum nihilominus, non incumbere hominibus obligationem amandi Deum primo instanti usus rationis: ita Valentia 1. 2. quæst. 6. Disp. 19. punct. 3. Azor Tomo primo Moralium, libro 4. cap. 10. quæst. 6. Vasquez 1. 2. Disp. 146. cap. 2. Suarez Tomo 4. in 3. partem, Disp. 11. Sect. 2. Sanchez libro secundo in Decalogum, cap. 35. Turrianus 2. 2. Disput. 97. dub. 2. Coninck Disp. 24. dub. 3. & recentiores communiter.

IV.

Ostenditur non dari hujusmodi praeceptum.

Probatur primò, nullum enim præceptum obligat, nisi cognoscatur, hoc autem à Christianis passim ignoratur, nec de eo quisquam cogitat, præter eos, qui disputationibus scholasticis interfunt, ibique illud proponi ac discuti audiunt; cùm tamen, ut benè advertit Coninck citatus, si revera esset talis obligatio, pastores subditis, & parentes liberis eam identidem inculcare deberent, ut quamprimum ad rationis usum pervenerint, huic obligationi satisfaciant, séque ad Deum per actum amoris convertant: hoc tamen secundùm praxim Ecclesiæ non fit, imo nec fieri potest; pueri enim ante usum rationis hoc addiscere nequeunt, utpote necdum capaces, qui de hujuscemodi rebus instruantur, præsertim cùm nonita facile sit apprehendere quid sit Deum præcisè propter se, & suam bonitatem intrinsecam diligere, imo ad hoc plenè addiscendum, aliquot saltem dierum spatium est necessarium, sæpissimè tamen non adsunt, etiam post diuturnum tempus, qui multos ex iis hac de re instituant.

Praxis Ecclesiæ arguit non dari hoc praeceptum tunc diligendi Deum.

Non semper adsunt qui pueros hac de re instituant.

V.

Haec obligatio est contra Dei cum hominibus procedendi modum.

Secundò probatur: Nam, ut rectè Sanchez loco citato, suavis Dei procedendi modus exigere videtur, ut tam gravis obligatio pueris in eâ tenerâ ætate non imponatur, præsertim cùm in pueris invincibilis sit ejusmodi præcepti ignorantia, nec unquam talis præcepti iis in mentem veniat. Tertiò, quia puero constare nequit, quodnam sit primum instans rationis. Quartò, nullus enim recordatur se hujuscemodi actum amoris primo rationis instanti vel elicuisse, vel deliberatè omisisse, quod tamen proculdubio multi facerent, si frequenter vel unum, vel alterum contingeret. Quintò, nam, ut Tomo præcedente, Disp. 105. Sect. 1. num. 6. ostendi, datur tempus aliquod, in quo pueri peccare possunt venialiter, antequam possint peccare mortaliter, ut ibi latiùs probatum est, ergo saltem non est peccatum mortale, si hunc actum omittat. Videatur Sectio secunda Disputationis illius 105. num. 10. ubi quædam dicta sunt de hoc præcepto, dum ostendi posse aliquem peccare venialiter dum est in peccato originali, antequam peccet mortaliter.

Nullus recordatur se hoc unquam fecisse, aut deliberatè omisisse.

VI.

Alio modo res necessaria

Dices: Insitum unicuique rei est à naturâ, ut statim tendat ad centrum, hoc enim in lapide, hoc in aliis rebus perspicimus, quæ statim ac sunt, ad centrum suum feruntur. Cùm ergo Deus sit centrum animæ, & finis illius ultimus, tenetur quis primo rationis instanti se ad eum convertere. Negatur tamen consequentia, alioqui deberet homo singulis momentis, dum non habet impedimentum, Deum amare, & per hujusmodi actum se ad eum convertere, res quippe omnes necessariæ, semper quando non impediuntur, tendunt ad centrum. Addo, licèt esset obligatio convertendi se ad Deum primo rationis instanti, non tamen sequitur elicere eum tunc debere actum Charitatis, sed ad hoc sufficeret actus Spei.

ad suum finem tendit, alio libera ad suum.

VII.

Varia tempora quibus tenetur actum amoris Dei.

Primum ergo tempus, quo tenetur quis actum amoris Dei elicere, est dum gravibus odii Dei tentationibus vexatur, ita ut, nisi actus amoris Dei eliciat, periculum sit ne succumbat. Secundum tempus est articulus mortis, quando nimirum quis conscius sibi est peccati mortalis, & non habet copiam confessarii, tunc enim, si actum contritionis, qui sine actu amoris Dei haberi nequit, est namque contritio dolor supernaturalis de peccatis propter Deum super omnia dilectum; si inquam hunc actum non eliciat, æternam beatitudinem amittet. Imo Valentia 2. 2. Disp. 3. quæst. 19. puncto 1. casu 7. & Coninck Disp. 24. dub. 3. num. 51. ad hoc teneri omnes dicunt, etiamsi sint in gratiâ; tunc enim gravissimis urgeri homines solent dæmonum tentationibus, unde nisi perfectissimo modo, quod per actum Charitatis fit, se contra eas muniant, periculum est, inquiunt, ne tot támque vehementibus humani generis hostis vexationibus infestatus det manus tandem, & in grave peccatum incidat. Existimo tamen cum Azor Tomo primo, lib. 9. Instit. Moral. cap. 4. quæst. 1. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 35. num. 9. circa finem, hoc non esse necessarium, aliis enim modis potest quis se contra illas diaboli molestias defendere, divinam scilicet opem ferventiùs implorando, aliáque virtutum opera exercendo. Tenetur insuper aliquis tunc actum amoris Dei vel contritionis elicere, ut Sacerdos quando in mortali existens, & non est copia Confessarii, Sacramentum aliquod est administraturus: vel, ut ait Toletus libro 4. Summæ, cap. 9. num. 8. *Cum quis aliquid est facturus, quod non debet fieri absque gratia, ut cantare Evangelium vel Epistolam in sacro.*

Verùm circa articulum mortis ut. geat hoc præceptum.

Aliud tempus quando eliciendus est actus amoris Dei.

VIII.

Non tenetur quis singulis diebus festis elicere actum amoris Dei.

Non placet ergo quod cum Scoto affirmant nonnulli, quolibet scilicet die festo actum dilectionis Dei à singulis fidelibus esse eliciendum; præcepto namque sanctificandi festa abundè satisfit à servilibus operibus abstinendo, & sacrum audiendo: si quis verò cultum etiam aliquem internum requiri velit, alii multi sunt actus pii variarum virtutum, qui ad hoc sufficiunt, unde non est cur quis ad hoc determinatè exigat actum Charitatis. Nec etiam probo quod docet Sotus libro 2. de Justitia & jure, quæst. 3. art. 10. Toletus citatus, & Valentia, teneri scilicet unumquemque actum dilectionis Dei elicere, cùm vel à gravi malo liberatur, vel singulare aliquod beneficium à Deo recipit, & si beneficium sit supernaturale, obligat, inquit Valentia, præceptum dilectionis Dei supernaturalis, si verò sit beneficium naturale, obligare ait præceptum dilectionis naturalis, vel supernaturalis. Sed, ut benè Navarrus, Azor, & alii, nullum est sufficiens hujus rei fundamentum; jure enim naturæ hac in re aliud non exigitur, quàm ut gratias agendo,

Nec quoties singulare aliquod beneficium à Deo recipit.

agendo, Dei in nos liberalitatem ac munificentiam agnoscamus. Nec etiam est obligatio actum Charitatis eliciendi dum quis opus aliquod præclarum & arduum aggreditur, sed sufficit vires tunc à Deo ad illud perficiendum humiliter exposcere. Tandem contra Sotum & Navarrum non obligatur quis, ad actum amoris Dei eliciendum, dum aliquem audit in Deum blasphemantem, nec eum sine gravi periculo potest reprehendere.

Neque dum opus aliquod arduum est suscipiendum.

IX. Præter tempora verò supra num. 7. assignata, communis ferè Theologorum sententia est, per se teneri aliquem, si diu vivat, aliquoties actum Charitatis seu amoris Dei elicere, ita ut si per diuturnum tempus hoc sciens omittat, peccet mortaliter. Quamvis autem certum temporis spatium ad hoc assignari vix possit, si tamen per tres aut quatuor annos quispiam hoc facere negligat, videtur graviter peccaturus. Ratio est, hoc namque videtur tempus notabile, intra quod si quis infinitam illam bonitatem, à quâ tantopere amatur, tótque ab illâ in eum profecta sunt beneficia, non redamet, à divinæ amicitiæ contemptu excusari non potest: nam, ut pulchrè ad rem hanc S. Augustinus: *Nimis durus est animus, qui si amorem nolebat impendere, nolit rependere.*

Siquis diu vivat, tenetur aliquoties actum amoris Dei elicere.

Tres vel quatuor anni in hoc sunt tempus diuturnum.

DISPUTATIO TRIGESIMA SEPTIMA.

De amore proximi.

ORDINEM aliquem in Charitate dari, post S. Augustinum libro primo de Doctrinâ Christianâ cap. 27. & 28. & Doctorem Angelicum hîc, quæst. 26. art. 1. communis est Theologorum sententia, dicente Scripturâ Cant. 2. v. 4. Ordinavit in me charitatem. *Ratio est, ubi quamque reperitur unum aliquod caterorum omnium principium & causa (qualis vel ipsâ naturâ dictante est Deus) illud primariò ac per se, reliqua in ordine ad illud, à quo scilicet omnem quam habent bonitatem & amabilitatem velut à fonte derivatam hauriunt, sunt, diligenda. Cum ergo de Deo, primo diligibili, quique catera diligibilia infinitis gradibus excedit, ejúsque amore dictum sit, nunc de proximi, qui propter & post Deum diligendus est, instituenda disputatio.*

SECTIO PRIMA.

Sitne obligatio diligendi proximum actu interno: ubi etiam de præcepto diligendi seipsum.

I. QUI, ut Disputatione præcedente, sectione quinta retuli, negabant dari speciale præceptum diligendi Deum ullo actu interno, sed sufficere aiebant ut quisque mandata ejus observet, idem respectu proximi dicunt in præsenti, nullo scilicet actu interno teneri nos eum diligere, sed solùm ne eum odio habeamus, & ut debita illi officia præstemus, quamvis non ex proprio actu Charitatis, sed ex aliis affectibus, misericordiæ, pietatis & similibus hoc faciamus. Hujusmodi ergo affectibus non videtur dubium quin interdum teneamur proximos vero actu interno diligere: sic filii parentes vel ipsâ naturâ duce affectu pietatis prosequi tenentur: obligatio etiam omnibus incumbit, ut erga eos à quibus beneficia acceperunt, gratum animum gerant: item ut inferiores superioribus, superiores inferioribus, & sic de aliis, debitum affectum exhibeant.

Negant nonnulli dari præceptum diligendi proximum actu interno.

Affectus pietatis erga parentes, gratitudinis erga benefactores.

II. Conclusio: Præter dictos affectus his vel illis particularibus personis juxta propriam cujusque conditionem debitos, tenemur vero actu Charitatis proximum diligere. Hoc, quicquid nonnulli censeant, efficaciter mihi probari videtur ex illo Matthæi c. 22. v. 38. ubi cum Christus primum illud & maximum mandatum de diligendo Deo

Datur præceptum diligendi proximum actu interno Charitatis.

Tom. II.

Deo retulisset, statim subdit, *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum:* sicut ergo Disputatione præcedente, sectione 5. num. 4. ex prioribus verbis de maximo mandato probavimus dari præceptum diligendi Deum, ita ex his colligere apertè possumus, dari simile præceptum diligendi proximum. Hinc S. Joannes Epist. 1. cap. 4. v. 21. sic scribit: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Idemque ex aliis Scripturæ locis clarè constat, præcipuè ex illo Joannis c. 13. v. 34. *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

Hoc variis Scriptura locis ostenditur.

III. *Qui speciale præceptum ponunt diligendi Deum, agrè hoc negare possunt de amore proximi.*

Hanc itaque sententiam tenet Valentia hîc, Disp. 3. quæst. 19. p. 2. Turrianus Disp. 98. dub. 2. Bannez 2. 2. quæst. 44. art. 2. dub. 2. Sylvius quæst. 44. art. 7. §. *Quæritur secundò*, & alii: tum quia conformius hoc est dictis suprà, ubi ob similia Scripturæ loca asseruimus dari speciale præceptum diligendi Deum: tum etiam quia ut proximè vidimus, Christus jubet nos diligere invicem sicut ipse dilexit nos, Christus autem, non solùm varia in nos beneficia contulit, sed ex verâ Charitate id præstitit, proprióque actu interno amoris nos est prosecutus: tandem, cùm in confesso sit apud omnes debere nos interdum proximo bona aliqua procurare, hoc connaturaliter fieri universim non potest, nisi per verum aliquem actum Charitatis hæc ei bona velimus, ut videtur manifestum.

Ratione idem declaratur.

IV. *Quo pacto quidam præceptum diligendi proximum intelligant.*

Contrarium nihilominus tenet Scotus in 3. Dist. 30. quæst. unicâ, §. *Quantum ad hoc*: Lorca 2. 2. Sect. 3. Disp. 58. Suarez Disp. 5. de præcepto Charitatis, Sect. 4. Coninck Disp. 24. dub. 4. & alii: hi inquam negant teneri nos ullo præcepto proximum actu interno diligendi, nec ad aliud obligari quemquam volunt, quàm ut occasione datâ bona ei quædam necessaria procuret. Existimo tamen, dum dico requiri ut proximum actu aliquo interno diligamus; existimo inquam non esse necessarium actum, quo quis proximum per se & immediatè propter ipsum amore amicitiæ diligat, sed sufficere actum quo eum propter Deum amamus, ita ut hic actus respectu Dei sit amor amicitiæ, respectu verò proximi amor concupiscentiæ.

Qualis actus amoris ad implendum hoc præceptū requiratur.

V. *Objic. Non est præceptū diligendi nosipsos, ergo nec proximum.*

Verùm contra dicta non levis ab adversariis proponitur objectio: Non aliter, inquiunt, ex præcepto obligamur diligere proximum, quàm nosipsos, præcipua namque ratio nostra astruendi præceptum diligendi proximum fundatur in illo 22. Matthæi vers. 38. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum*, ergo non magis ex præcepto tenetur quis proximum diligere, quàm seipsum, sed nullus tenetur actu interno Charitatis diligere seipsum, ut docere videtur S. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 3. inquirens enim in titulo articuli utrùm sufficiant duo præcepta Charitatis, Dei scilicet & proximi, respondet affirmativè, & in responsione ad primum citat S. Augustinum, qui libro primo de Doctrinâ Christianâ, cap. 23. negare similiter videtur dari aliud præceptum Charitatis præter hæc duo, ergo juxta Sanctos hos Doctores non datur tertium præceptum diligendi seipsum.

Docere vitur S. Thomas neminem teneri diligere seipsum.

VI. *Non datur præceptum diligendi seipsum lege positivâ sanctum.*

Ad solutionem notandum, præceptum esse duplex, alterum positivâ lege præscriptum, alterum naturali. Quamvis ergo nullum detur præceptum diligendi seipsum sanctum lege positivâ, quod concedo objectioni proximè factæ, datur tamen præceptum hujus rei à naturâ insitum, idque tam amore naturali, & in purâ naturâ, quàm in statu gratiæ, & amore supernaturali. Hæc est expressa sententia S. Bernardi Tractatu de diligendo Deo, ubi hac de re loquens, seu de hominis amore respectu suiipsius: *Præcepto*, inquit, *non indicitur, sed naturæ inseritur.* Ratio est, si enim proximum amare debemus ob unionem illam, quam cum eo habemus in eâdem naturâ rationali, ob eandem rationem amare debemus nosipsos, nihil enim magis unitum, quàm idem sibi: imo ut ait Aristoteles 9. Ethicorum, c. 8. Amicabilia ad alterum sunt ex amicabilibus ad seipsum.

Datur tamen præceptum naturale.

VII. *Affirmat S. Thomas, & fusè probat teneri hominem diligere seipsum.*

Hanc doctrinam clarissimè tradit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 4. ubi in titulo articuli quærens *Utrum homo debeat seipsum ex Charitate diligere*, in argumento *sed contra* expresè docet, sicut amicum ex Charitate diligimus, ita & nosipsos ex Charitate debemus diligere. In corpore verò articuli ac deinceps ait, quamvis non detur hominis ad seipsum Charitas secundùm rationem & conceptum amicitiæ, sub hoc enim conceptu requiritur distinctio diligentis à dilecto, quo sensu ait S. Gregorius ab ipso citatus: *Charitas minùs quàm inter duos haberi non potest*; affirmat nihilominus Charitatem ad seipsum esse aliquid majus amicitiâ, amicitia enim unionem importat, unicuique autem ad seipsum, inquit, est unitas, quæ est potior unione ad alium. Plurima in hanc rem habet ibidem Sanctus Doctor per totum articulum, nec video quo pacto clarioribus verbis tradere potuisset nostram sententiam. Sanctus Augustinus supra loquitur de præcepto amoris respectu suiipsius lege positivâ lato, non de præcepto à naturâ insito: sicque nihil facit contra nos.

Ejusdem ad seipsum datur Charitas, non amicitia.

Explicatur mens D. Augustini.

VIII. *Quomodo peccetur ultra præceptum amandi seipsum.*

Contra hoc ergo præceptum peccat, quisquis se mortis animæ periculo exponit, imo & corporis, etiam in purâ naturâ, si id sine justâ causâ præstet. Ex vi etiam hujus præcepti incumbit unicuique obligatio in hoc statu elevationis ad finem supernaturalem, se in gratiâ finali conservandi, ne sine eâ ex hac vitâ decedens, æternam beatitudinem amittat. Sicut autem supra, numero quarto dixi de amore proximi, nempe ad illud præceptum implendum sufficere, si quis proximum diligat propter Deum, ita ut actus ille sit amicitiæ respectu Dei, concupiscentiæ respectu proximi, proximum namque Deo in quantum bonum aliquod Dei est optat, quatenus scilicet aliquid honoris ab eo accedere Deo possit: idem hîc dico de amore suiipsius.

IX. *Magis diligere ex Charitate debemus nosipsos, quàm proximum.*

Addo ulteriùs, debere nos magis ex Charitate diligere nosmetipsos, quàm proximum: hæc est expressa sententia Sancti Thomæ, qui cùm hîc, quæst. 25. art. 4. ut vidimus, docuisset debere hominem ex Charitate diligere seipsum, postea quæst. 26. art. 4. ait debere nos magis per Charitatem diligere nosipsos, quàm proximum. Hoc inprimis ostendi videtur ex illo Matthæi 22. v. 38. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: ubi, ut cum Sancto Thoma citato docent Theologi, dilectio nostri statuitur veluti regula & exemplar dilectionis respectu proximi, *sed exemplar*, verba sunt Sancti Thomæ, *potiùs est quàm exemplatum: ergo homo ex Charitate magis debet diligere seipsum, quàm proximum*: rectitudo quippe regulæ priùs semper & perfectiùs convenit ipsi regulæ, quàm iis, quæ ad exemplum regulæ efficiuntur, juxta commune illud dictum: *Primum in unoquoque genere mensura est reliquorum.* Ad hoc etiam facit dictum

Regula perfectior est iis quæ ad exemplum regulæ efficiuntur.

dictum illud Aristotelis 9. Ethicorum, cap. 8. supra citatum: *Amicabile ad alterum est ex amicabilibus ad se.* Quænam verò sit, & in quibus rebus consistat major hæc dilectio suipsius, quàm proximi, dicetur Sectione sequente.

SECTIO SECUNDA.

Quo pacto amare nosmetipsos magis debeamus, quàm proximum.

I. *Triplex perfectio amoris, intensiva, objectiva, & appretiativa*

QUOAD ordinem Charitatis, post Deum, qui primas sibi hac in parte absque omni controversiâ vendicat, diximus hominem amare magis debere seipsum, quàm proximum. Ad clariorem verò hujus intelligentiam notandum, perfectionem amoris esse triplicem, *intensivam*, quæ in pluribus intensionis gradibus in actu sita est; *objectivam*, seu ut plura & perfectiora quis objecta alicui velit; & *appretiativam*, hæc verò nec in intensione amoris, nec objectorum perfectione, sed in ipsâ substantiâ actus, ejúsque tendendi modo consistit, per illum namque ita amans in aliquem fertur, ut eum alteri præferat, talique modo circa illum afficitur, ut si bonum aliquod dandum, vel optandum esset, ei potiùs illud daret & optaret, quàm alteri.

II. *Pro salute totius mundi non est vel minimum peccatum veniale admittendum.*

Dico primò cum S. Thoma hic, quæst. 26. a. 4. Corpore, in iis quæ spectant ad peccatum tenetur homo plus seipsum appretiativè amare quàm proximum, imo quàm totam aliquam communitatem: unde non ob particularis tantùm hominis, sed nec pro totius mundi salute vel minimum peccatum veniale licet admittere. Hoc etiam cum S. Augustino in Psalmum 5. communis docet Theologorum sententia. Præterea idem Sanctus Doctor libro de mendacio, cap. 20. ait nec pro pudicitiâ defendendâ, nec pro aliâ re quacunque licitum esse dicere mendacium.

III. *Implicat peccatum in ullis unquam circumstantiis esse licitum.*

Ratio conclusionis est, implicat namque in terminis peccatum in ullis unquam circumstantiis esse licitum, peccatum siquidem, quantumcunque illud fingat quis ob bonum finem fieri, semper displicet Deo: Charitas etiam inclinare nequit ad aliquid, quod ullo modo tendit ad destructionem Charitatis, quod sit ab omni peccato. Hinc S. Paulus ad Romanos, c. 3. v. 8. blasphemos censet eos, qui dicebant, *Faciamus mala ut eveniant bona.* Dixi peccatum in nullis circumstantiis esse licitum; si enim aliquid, quod aliàs esset peccatum, à quibusdam circumstantiis honestetur, ut surreptio alieni in extremâ necessitate, nil vetat illud licitè fieri posse.

IV. *Non licet cuiquam velle carere gratiâ.*

Communis etiam Theologorum sententia affirmat contra Capreolum in 3. Dist. 27. q. 1. a. 3. nunquam ob quemcunque etiam finem esse licitum velle absolutè carere gratiâ; quantumcunque id ad tempus tantummodo quis velit, nec etiam posse velle perpetuò ab æternâ beatitudine excludi, quantumvis hæc tum gratiæ, tum beatitudinis carentia, absque omni culpâ contingeret: ita Valentia hic, Disput. 3. quæst. 4. puncto 3. Cajetanus, Bannez & alii communiter. Ratio hæc assignatur; id enim ad nullum finem potest conducere, nec ad Dei gloriam & honorem cedere, & Charitas, ut dici solet, domi incipit, sicque ut sit ordinata, se quoad bona spiritualia ad vitam æternam conducentia, aliis præferre debet. Dixi, quoad bona ad vitam æternam conducentia; in aliis namque bonis spiritualibus, ut scientiis & similibus potest, imo tenetur homo varias ob causas proximum sæpiùs sibi anteferre. Confirmatur: privatio enim illa gratiæ est malum gravissimum, & mors animæ, sicut ergo, ut dici solet, homicidium etiam involuntarium alicujus hominis, quodque omni culpâ vacat, velle non licet, ita à fortioro velle quis nequit mortem animæ.

Nec perpetuò excludi à beatitudine.

Procedit conclusio de bonis spiritualibus ad vitâ æternam conducentibus.

Objicies illud Moysis Exodi c. 32. v. 31. & 32. ubi Deum alloquens sic habet: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Simile etiam fecisse videtur S. Paulus ad Romanos nono dum dicit, *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Variæ horum Scripturæ locorum sunt explicationes, quas fusè recensèt Cornelius à Lapide in caput 32. Exodi, & in caput nonum Epistolæ ad Romanos.

V. *Virum Moyses & S. Paulus optaverint excidere beatitudine.*

VI. *Divi Augustini circa dictum Moysis interpretatio.*

Ad primum itaque de Moyse, optima videtur interpretatio S. Augustini quæst. 147. ubi ait Moysen ex vehemente desiderio ut Deus gravissimam illam culpam populo Israelitico condonaret, usum esse locutione hyperbolicâ, ut hunc suum affectum ostenderet, non tamen absolutè voluisse deleri de libro vitæ. Moyses itaque, inquit S. Augustinus, hoc dixit securè, cùm sciret Deum illum non deleturum. Sicut, inquit Cornelius, si filius videns servum aliquem sibi charum è domo justè ejiciendum dicat Patri, aut eum non ejicias, aut si id facis me quoque ejice. Hanc itaque expositionem amplectuntur Liranus, Abulensis, Lipom. & alii.

VII. *Qua ratione S. Paulus optabat esse anathema à Christo pro fratribus suis.*

S. Paulus etiam non habuit absolutum desiderium ut esset anathema, seu excluderetur à beatitudine, sed tantùm conditionatum, nempe si ad salutem Judæorum omnium conduceret, & sine suo peccato fieri posset. Quod etiam fortassis Moysi quis suo modo applicaverit. Quamvis ergo absolutum desiderium exclusionis à beatitudine ob salutem proximorum non permittatur, conditionatum tamen, quatenus scilicet tot animarum salus, innumerorumque peccatorum & blasphemiarum quæ à damnatis in inferno contra Deum proferrentur impeditio, ex mei unius exclusione è cœlo sequeretur, & ad majorem Dei gloriam faceret, licitum esse dicitur, & laudabile. Hoc modo ait S. Chrysostomus Divum Paulum optasse in æternum perire, imo, ut nonnulli dicunt, æternis pœnis addici.

Desiderium conditionatum separationis à beatitudine dicitur licitum.

VIII. *Liceátne alicui velle proximo majorem sanctitatem, quàm sibi.*

Ex dictis inferunt aliqui, sicut non licet cuiquam optare carere omni gratiâ & gloriâ ob salutem proximi, ita nec posse nos ob quemcunque finem proximo majorem sanctitatem velle, imo nec similem intensiùs velle quàm nobis. Hoc tamen mihi non videtur admittendum; cui enim pio non placet Beatissimam Virginem plures gradus gratiæ, consecutam esse, & ad altiorem excellentioremque sanctitatis perfectionem, quàm ipse habet pertigisse? Sicut enim de aliis ipsius privilegiis, singularibúsque ei præ nobis collatis à Deo beneficiis gaudere & lætari possumus, ita & quod nos virtute & gratiâ excedat: imo sanctissimi viri, & in Virginem, ad quod omnes conari & collineare debent, teneriimè affecti, gaudent, non solùm quòd ipsos, sed quòd omnem Sanctorum & Angelorum multitudinem in sanctitate, omniúque virtutis genere superet. Quod etiam de Apostolis existimo, suo modo dicendum. Et sanè in cœlo videntur Sancti aliis Sanctis de singularibus quibusdam beneficiis, quæ præ ipsis à Deo obtinuerunt, ut de martyrio &

Pii omnes gaudent Virginem Matrem cunctos in sanctitate excedere.

Sancti in cœlo gaudent quòd alii quidam Sancti eos in gloriâ superent.

Tom. II.

similibus gratulari, imo & quod ipsos gloriâ superent, ergo non est cur idem in hac vitâ nequeat fieri de sanctitate & gratiâ, saltem in quibusdam particularibus casibus.

IX. *Bona quadam nostra, etiam spiritualia possunt interdum, imo debent bonis spiritualibus proximi postponi.*

Dico secundò: Bona spiritualia proximi, quæ ad ejus animæ salutem necessaria sunt, bonis nostris etiam spiritualibus, ad quæ nec præcepto obstringimur, nec ad animæ nostræ salutem sunt necessaria, possunt, imo interdum debent anteferri: ita Valentia citatus, & communis Theologorum sententia. Ponamus exempli gratia concionatorem aliquem, qui dum vacat divini verbi prædicationi, séque hac in re sedulò aliorum saluti impendit, ponamus inquam, eum advertere minorem se in privatis pietatis exercitiis fervorem sentire, quàm dum sibi vacaret, vitæque contemplativæ se totum addiceret, hic non solùm potest (cùm spiritualia hæc exercitia non sint sub præcepto, sicque eorum omissio sit licita) sed etiam tenetur in concionandi adhuc munere persistere, cùm fructuosissimi, ut suppono, sint ejus labores, plurimúmque ad Dei gloriam & honorem faciant. Nec dubitari potest quin Deus hanc ejus jacturam postea ex suâ munificentiâ uberrimè sit compensaturus.

X. *Vitam suam quisque tenetur interdum pro salute proximi exponere.*

Hinc à fortiori sequitur, debere quemque bona sua temporalia animæ proximi, bonisque ad illius salutem pertinentibus posthabere: imo, si proximus in extremâ sit necessitate, Spésque certa sit fore ut ei queat succurrere, nec alius sit eum juvandi modus, sequitur inquam, teneri unumquemque, etiam cum vitæ periculo illi suppetias ferre: ita S. Thomas quæst. 26. artic. 6. ad 3. Valentia hîc, Disp. 3. quæst. 4. punct. 3. & alii communiter. Hinc S. Augustinus de Mendacio, cap. 6. sic habet: *Temporalem vitam suam pro æternâ vitâ proximi non dubitabit Christianus amittere.* Desumitur verò hæc doctrina ex illo Joannis 3. vers. 16. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

XI. *Quinam cum probabili tantùm spe teneantur proximo succurrere in extremâ necessitate.*

Dixi, si sit certa Spes fore ut ei succurrat, si enim sit dubia subventio, ægrè tenebitur quis id tentare, nisi ii, quibus ex officio incumbit aliorum salutem curare, ut sunt parochi, & alii nonnulli, hi enim, si probabile sit, fore ut se hoc modo exponendo, proximum sibi subditum in extremâ necessitate constitutum, in certo scilicet periculo æternæ damnationis, juvent, & ex illo periculo eximant; hi, inquam, teneri videntur hoc attētare, & cum vitæ propriæ periculo illi subvenire.

XII. *Ad quid in periculo gravi proximi teneātur ii, qui habent curam animarum.*

Si verò periculum damni prædicti spiritualis proximi non sit extremum, tenetur quidem unusquisque cum aliquâ bonorum temporalium jacturâ ei succurrere, non tamen se vitæ periculo exponere. At si periculum spiritualis hujus damni in proximo sit grave, quamvis non extremum, ii qui curam animarum habent teneri videntur ei, etiam cum vitæ periculo succurrere, si Spes certa sit subventionis; ex justitiâ namque ad hoc obligantur. Quare pastores ovibus suis prospicere tenentur, & quæ ad salutem iis necessaria sunt providere: unde nec fugere tempore pestis citra peccatum possunt, nec officium relinquere, nisi alios loco suo curent, qui hoc munus congruè obeant, & in gravi necessitate constitutis subsidia spiritualia suppeditent. Tandem, si quis necessitati spirituali proximi, sine gravi suo incommodo subvenire possit, tenetur, idque ex obligatione gravi, si necessitas sit gravis, ex levi, si levis. Ex his particulares casus, qui occurrunt, facilè decidentur.

Non licet Pastoribus tempore pestis fugere.

SECTIO TERTIA.

Comparatio nostri cum proximo circa bona temporalia.

QUOAD primum, omnino amplectendum videtur, quod cum S. Thoma hîc, q. 26. art. 3. Corpore, docent passim Theologi, quemlibet scilicet privatum teneri Rempublicam sibi bonisque suis anteferre: unde in gravi illius necessitate, non milites tantùm, qui ex justitiâ obligantur, utpote stipendio ad hoc conducti, sed quivis alius qui est illius membrum, vitam pro illius incolumitate debet ex charitate exponere. Nonnulli tamen, ut Richardus in 4. Dist. 45. art. 2. q. 5. & Sylvester verbo *Ecclesia* aiunt hoc solùm esse consilii. I. *Pro conservatione Reipublicæ privatus quisque debet vitam pro fundere.*

Deinde in bonis corporalibus, quæ ad vitæ sustentationem non sunt necessaria, possumus proximum nobis anteponere, & bona nostra illi in æquali nobiscum necessitate constituto largiri; nullo enim jure obligamur ad hæc bona nobis conservanda. Cùm tamen, ut ait S. Thomas citatus art. 4. quisque sibi propior sit quàm alteri, posset is hæc bona in dictis circumstantiis honestissimè, & salvâ Charitatis lege sibi retinere. II. *Bona nostra externa possumus proximo in eadem nobiscum necessitate postio interdum largiri.*

Addo ulteriùs, quamvis magis inclinationi Charitatis sit conformis, uti diximus, amor respectu suiipsius quàm proximi, ubi nulla est obligatio eum peculiariter diligendi, cùm honestus amor suiipsius juxta S. Thomam supra citatum sit regula amoris proximorum: existimo nihilominus, quando quis peculiarem obligationem non habet vitam suam conservandi, sed vita solummodo cum vitâ comparatur; existimo, inquam, posse aliquem, non licitè tantùm, sed laudabiliter vitam suam pro amici, aut alterius proximi vitâ servandâ exponere, & pro eo mortem oppetere: ita post Bannem citatum, & Aragonium docet Valentia Disp 3. quæst. 4. punct. 3. Victoria Relect. de homicidio num. 27. Toletus lib. 5. summæ cap. 6. Azor tomo 2. lib. 12. cap. 4. quæst. 2. Lessius de Justitiâ, cap. 6. dub. 6. n. 30. videturque communis Theologorum sententia cum S. Thoma in 3. Dist. 29. quæst. unicâ, art. 5. ad 3. estque expressa mens S. Antonini 4. part. tit. 6. cap. 3. §. 8. & aliorum. Idem tradit Aristoteles lib. 9. Ethic. cap. 8. ubi sic habet: *Verum est quod de studioso dicitur, complura inquam ipsum agere amicorum & patriæ gratiâ, & si opus fuerit, mortem obire.* III. *Honestè potest quis vitam suam pro alterius vitâ conservandâ exponere.* *Hæc communis est Theologorum sententia.* *Dictū quidam Aristotelis.*

Probatur primò ex illo Joannis cap. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; ergo hoc honestum est, & in quibusdam casibus laudabile. Et sanè, si, quod communiter omnes docent, possit aliquis pro status sui defensione vitam periculo exponere, quidni idem præstare possit pro vitâ amici aut proximi conservandâ. Hinc S. Paulinus pro alio à servitute liberando, se tradidit servituti. Plus adhuc de Sanctulo præsbytero refertur, qui ut diaconum quendam à morte servaret, ipse capitis abscissione mortem oppetiit. IV. *Ostenditur posse aliquis vitam suam pro servandâ vitâ proximi profundere.*

Secundò probatur: In confesso est apud omnes posse filium pro parentis vitâ conservandâ suam amittere, idem ergo præstare poterit pro amico, imo & pro quocunque proximo; si enim semel liceat, semper licebit, eadem enim ratio virtutis ubique relucet, nempe honestas amicitiæ aut V. *Qui mortem pro alio oppetit, id ex motivo honestatis in illo actu tenetur præstat.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aut gratitudinis, cujus honestatis intuitu vitam exponit, & pro alio moritur. Quare S. Thomas citatus, illum qui hoc modo pro alio mortem oppetit, ait non ideo hoc facere, quòd vitam corporalem proximi præferat suæ, sed quod bonum virtutis in hoc actu repertum magis diligat quàm suam vitam corporalem, unde hac ratione moriendo, servatur ordo Charitatis, & plus in hoc se diligit quàm proximum, volendo scilicet sibi hanc honestatem. Hæc etiam est doctrina Aristotelis.

VI. *Quamvis non simus vitæ nostræ domini, eam tamen licitè possumus interdum non conservare.*

Dicunt aliqui, hoc modo vitam pro altero profundere non esse actum virtutis, sed prodigalitatem. Confirmatur: non enim sumus vitæ nostræ domini; ergo tam diu eam conservare debemus, quamdiu id licitè & honestè possumus, sed certum est vitæ propriæ conservationem hic esse licitam; ergo ad illam conservandam obligamur. Ad objectionem Respondetur, honestatem illam quæ relucet in hac expositione vitæ, hunc actum abundè excusare à prodigalitate: sicut si quis bona sua largissimè ex occasione profunderet, id citra vitium prodigalitatis præstaret; idem ergo est in præsenti, cùm enim hoc præstet ad tuendam virtutem, motivum hoc vitæ amissionem hîc & nunc honestam reddit, quæ in sensu divisо hujus intentionis non esset honesta.

Hæc vitæ propriæ amissio non est prodigalitas.

VII. *Dum vitam conservare potes, licitè eam aliquando amittu.*

Ad confirmationem dico, quantumvis non simus vitæ nostræ domini, in variis tamen casibus eam possumus honestè non conservare, quando nihilominus integrum nobis est illam non amittere, & licitè, ac sine ullâ notâ possemus conservare. Sic, ut affirmat Lessius libro 4. cap. 3. dub. 2. num. 12. Carthusianus in extremo vitæ periculo, quamvis possit vesci carnibus, potest tamen ab iis abstinere, etiamsi mors inde sequatur: idem ergo est in præsenti, ac proinde licèt possit quis vitam hîc honestè conservare, potest tamen eam honestè pro amico profundere. Deinde, quamvis ut vitam suam servet, furiosum se invadentem licitè quis possit occidere, potest nihilominus, ut passim docent omnes, se ab eo occidi permittere, sicque vitam suam amittere, ut illius vitam conservet, ergo idem præstare potest pro amici aut proximi vitâ tuendâ. Hinc aureum illud amicorum par Damon & Pithias à Sanctis Patribus, Divo Augustino, Divo Hieronymo, Divo Ambrosio, & aliis laudantur, quod unus pro altero ad mortem se obtulerit, quod honestissimè feciſſe, disertè affirmant.

Damon & Pithias in hoc genere à SS. Patribus laudantur.

SECTIO QUARTA.

De ordine Charitatis servando in diligendis proximis.

I. *Ordo Charitatis circa proximos non solùm effectu sed affectu est servandus.*

ORDINEM aliquem in dilectione proximorum, non solùm quoad effectum, sed etiam affectum servandum esse, id est non tantùm ut externa in eos beneficia, ubi opus fuerit, & officia exhibeamus, sed etiam ut majorem erga hos quàm illos amorem interiùs geramus docet S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 6. & contrariam nonnullorum assertionem irrationabilem appellat. Sanctum Thomam sequuntur Theologi: Divum verò Augustinum, dum libro primo de Doctrinâ Christianâ, cap. 28. & in expositione capitis sexti ad Galatas ait omnes æquè & pari affectu esse amandos, interpretantur quòd tantùm velit omnes, nemine dempto, esse amandos, non tamen amandos æqualiter, seu non majorem erga hos quàm illos habendum esse Charitatis affectum.

II. *Probatur internum amoris affectum erga proximos debere esse inæqualem.*

Probatur assertio ex illo ad Galatas c. 6. v. 10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos Fidei.* Ubi quamvis sermo præcipuè sit de externis operibus, ipsis exhibendis, cùm tamen hæc ex interno amoris affectu procedant, rectè infertur hunc debere esse inæqualem, officia quippe hæc & beneficia, ut in se majora sunt, ita majoris internæ dilectionis sunt indicia; pari enim hæc passu, ne ficta ac simulata sit illa amoris testificatio, debent procedere. Pulchrè D. Thomas loco proximè citato hanc doctrinam tradit; ipsa proinde sancti Doctoris verba non abs re erit hic referre: *Oportet ergo,* inquit, *quòd etiam inclinatio gratiæ, quæ est affectus charitatis, proportionetur his, quæ sunt exterius agenda: ita scilicet ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis beneficos esse. Et ideo dicendum est, quòd etiam secundùm affectum, oportet magis unum proximorum, quàm alium diligere.*

III. *Quo quis est magis nobis conjunctus, eo magis est ei succurrendum.*

Hoc posito, Dicendum primò: cæteris paribus, quo quis est nobis conjunctior, eo magis ei est subveniendum, & consequenter juxta dicta numero præcedente, major etiam charitatis affectus (qui ut ex S. Thoma proximè vidimus, externis operibus alteri exhibitis esse debet proportionatus) erga eum est habendus. Hoc clarè docere videtur S. Augustinus libro primo de Doctrinâ Christianâ, cap. 28. supra citato, his verbis: *Omnes homines æquè diligendi sunt, sed cùm omnibus prodesse non possis, his potiùs consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur.* Ratio est: cùm enim, ut supra probatum est, post Deum, magis diligere quisque debeat seipsum, consequenter magis eos ex charitate amare debet, qui illi magis sunt conjuncti; quò enim propiùs ad eum accedunt, eò sunt magis ipse, & hoc titulo magis sunt diligendi, nam uti dictum est, regula amandi proximum est amor suiipsius.

IV. *Magis in particulari declaratur qui quibus sint in ordine Charitatis præferendi.*

Magis ergo, per se loquendo diligendi sunt parentes, filii, fratres, maritus, uxor, & consanguinei, & universim illi, qui nobis carnis cognatione sunt conjuncti, ut colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 26. art. 7. & 8. Qui ejusdem civitatis aut collegii sunt, cæteris, benefactoros non benefactoribus, illi qui curæ nostræ sunt commissi aliis ad nos nullo modo pertinentibus sunt anteponendi, & sic de cæteris, qui vel amicitiæ, vel alio vinculo nobis peculiariter sunt astricti. Inter amicos verò fidelior & antiquior, inter benefactores major est præferendus. Hæc autem de bonis ejusdem generis sunt intelligenda, spirituale scilicet bonum cum spirituali, corporale cum corporali comparando; extremæ enim & etiam gravi necessitati spirituali alicujus extranei subvenire quis potiùs tenetur, quàm extremæ vel gravi necessitati corporali propinqui; quod etiam de aliis est asserendum.

V. *Quisnam inter ipsos consanguineos servandus sit ordo Charitatis.*

Ut verò rem hanc magis in particulari discutiamus: in extremâ necessitate, loquendo de consanguineis, primo loco patri, deinde matri, mox filiis, postea marito & uxori quisque succurrere tenetur. De filio tamen & parente non levis est inter Theologos controversia; quidam enim affirmant si uterque in eadem gravi necessitate sit

Tom. II.

constitutus, filio subveniendum potiùs esse; quàm parenti, quòd nimirum filius sit magis conjunctus, ac veluti pars patris, eáque de causâ magis diligendus. Hanc sententiam tenere videtur Divus Bonaventura, & Gabriël in 3. distinct. 27. & 29. Altisiodorensis libro 3. Sum. tractatu tertio, capite quinto, & alii.

VI. *Pater in extremâ necessitate est simpliciter præferendus filio.*

Dicendum nihilominus, in extremâ necessitate patrem absolutè esse præferendum filio, & ei esse potiùs subveniendum: hæc longè communior est inter Theologos sententia, eam tenet Bannez, Valentia hic, Disp. 3. quæst. 4. punct. 5. Suarez Disp. 9. de Charitate Sect. 4. Coninck Disp. 25. & alii, secuti S. Thomam hîc, quæst. 26. art. 4. ubi ad tertium sic habet: *In necessitatis articulo obligatus est filius ex beneficiis susceptis, ut parentibus maximè provideat.* Ex hoc Angelici Doctoris pronunciato desumitur prima ratio assertionis, quòd nimirum filius, & vitam, & alia plurima beneficia à patre acceperit: unde in Decalogo post præcepta, quæ ad Deum spectant, immediatè statuitur præceptum circa parentes. Deinde graviùs multo ab omnibus peccatum censetur patrem occidere, quàm filium. Quare etsi affectus & propensio naturæ, ut ex nonnullis refert Sanctus Thomas, magis inclinet ad filium quàm ad patrem, Charitas tamen hunc naturæ defectum corrigit, & rectè hominem ordinat, efficiendo ut magis diligat patrem.

Afferuntur rationes cur Pater sit præponendus filio.

Charitas inclinationem naturæ corrigit.

VII. *Patrem filio esse præferendum docent Sancti Patres.*

Huic veritati subscribunt Sancti Patres: *Primò*, inquit S. Ambrosius, *Deus diligendus est; secundò parentes; inde filii; post domestici.* Sanctus etiam Hieronymus cap. 44. in Ezech. sic habet: *Post omnium Patrem Deum, carnis quoque pater diligatur, & mater, & filius, & filia.* Primo ergo loco in extremâ necessitate subveniendum est patri, secundo matri, ut docet S. Thomas quæst. 26. art. 10. quamvis namque mater in filiorum educatione plus laboris & molestiæ patiatur, ad patrem tamen præcipua cura liberorum spectat, eósque suis laboribus sustentat, unde est matri præferendus. Hic tamen ordo non obligat sub mortali. Quotidiana etiam experientia docet conjugem magis alterius conjugis bonum curare, quàm filii: unde filius videtur ei in extremâ vel gravi necessitate posthabendus. Non tamen censendum est hoc obligare sub mortali.

Comparatio inter patrem & matrem.

Quid de filio respectu uxoris in extremâ necessitate opinandum.

VIII. *Extra necessitatem filius parenti anteferri solet.*

Hactenus de extremâ vel gravi necessitate locuti sumus: si enim de minore tam in rebus spiritualibus, quàm corporalibus sit sermo, & ubi de omnibus necessariis est provisum, filius præferendus videtur parentibus; sic enim docet Apostolus 2. ad Corinthios 12. vers. 14. *Nec enim*, inquit, *debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Hinc S. Thomas hîc, quæst. 26. a. 9. *Parentibus*, inquit, *à filiis magis debetur honor: filiis autem magis debetur cura provisionis.*

IX. *Uxor quoad mutuam cohabitationem præfertur omnibus.*

Uxor quoad mutuam cohabitationem omnibus est præferenda; quo modo illud Genesis 2. ver. 24. *Relinquet homo Patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ*, explicat S. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 11. ad primum. Illud verò quod ad probandum uxorem omnibus, etiam parentibus, debere absolutè & simpliciter anteferri, ex Epist. ad Ephesios, cap. 5. fine afferri solet: *Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat*, non intelligitur quoad æqualitatem, sed solùm sicut diligit se, ita etiam debere diligere uxorem, utpote sibi matrimonii vinculo conjunctam. Magis verò in particulari mentem suam hac de re declarat Apostolus paulo ante, vers. 28. dum jubet viros uxores suas diligere ut corpora sua, amor autem corporis, ut supra ex Sancto Augustino vidimus, est omnium infimus. Non ergo loquitur Divus Paulus de amore appretiativo, sed de alio inferiore, seu ut ita viri uxores diligant, ut nullæ inter eos simultates aut jurgia interveniant, sed pacatè, maximéque concordes vitam transigant, mutuisque se invicem sibi officiis devincant.

Quo sensu viri diligere debeat uxores ut seipsos

Quem affectum hic intelligat Apostolus.

X. *Quid si contingat Patrem carnalis cum spirituali, sive cum filio, & fratrem cum fratre.*

Tandem in extremâ necessitate pater carnalis præferendus est spirituali, idque sub mortali, ut ait Suarez hîc, Disp. 9. Sect. 4. num. 11. & idem, inquit, est comparando filium carnalem cum spirituali, & fratrem cum fratre, etsi non sub tam gravi obligatione. Innumeræ aliæ comparationes in ordine Charitatis fieri possunt, sed hæ sunt præcipuæ, & existimo alias omnes ex his facilè solvi posse. Qui tamen rem hanc enucleatiùs discussam videre cupit, legat Suarez loco proximè citato, & S. Thomam hîc, quæst. 26. art. 6. & sequentibus, ubi hæc omnia doctissimè & exactissimè resolvit.

XI. *Quid sentiendum de affectu complacentiæ.*

Quoad affectum complacentiæ, meliores semper plus amantur; hic enim affectus propriè loquendo est de bono jam obtento: cùm ergo nonnulli plus gratiæ & gloriæ adepti sint, quàm alii, affectus objectivè major erga illos sit oportet, utpote qui hac in parte rebus semper est proportionatus.

XII. *Ordo Charitatis quomodo & respectu quorum remaneat in patriâ.*

Quæres: Utrùm ordo Charitatis maneat in patriâ? Resp. cum S. Thoma hîc, quæst. 26. a. 13. in quibusdam rebus certum esse manere; Deus enim ibi est super omnia diligendus, & hoc modo à Sanctis omnibus diligitur: hoc enim, inquit sanctus Doctor tunc simpliciter erit, quando homo perfectè eo fruetur. Quoad seipsum verò, plus objectivè diliget meliores, quàm seipsum & minùs bonos, volent enim Sancti, utpotè divinæ voluntati maximè conformes, ut quisque beatus eum gloriæ gradum habeat, qui illi ex divinâ misericordiâ & justitiâ confertur. Ex parte verò subjecti magis appretiativè diligit seipsum. Tandem quoad proximos, seu alios beatos, diverso modo se res habet in patriâ quàm in viâ; hic enim, uti suprà dictum est, plus conjunctiores nobis diligimus, secus vero res se habet in patriâ, ibi siquidem, cùm omnia purè ex amore Dei metiamur, ab unoquoque spectatur, non quis sibi, sed quis Deo sit conjunctior, cùm ergo quò quis est sanctior, & in gloriâ excellentior, eò sit magis unitus Deo, magis etiam amatur à beatis.

Diversus amoris in patriâ respectu objecti, & subjecti.

In patriâ spectatur, non quis nobis, sed quis Deo sit conjunctior.

SECTIO QUINTA.

An, & quomodo teneamur diligere inimicos.

I. *Inimicorum nemo licèt odio habere.*

INIMICORUM nomine intelliguntur illi, qui vel odio nos prosequuntur, vel aliquâ injuriâ affecerunt. Dico itaque primò, non esse licitum odisse inimicos. Ratio est, sunt namque verè proximi, proximos autem non licet odio habere, ut apud omnes est in confesso: & hoc peccatum gravius est vel levius pro diversitate mali, quod ei ex odio volumus.

II. *An in veteri Lege licitum fuerit odisse inimicos.*

Dices: In lege vetere habetur, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: ergo & modò, in quibusdam saltem casibus, non est cur idem nequeat fieri. Negant nonnulli verba illa:

illa: *Et odio habebis inimicum tuum*, reperiri in vetere testamento, sed esse falsam glossam Scribarum, qui perversis suis dictis & interpretationibus, vim interdum Scripturæ intulerunt: unde non dixit Christus Matth. 5. vers. 43. *Scriptum est*, sed *Dictum est*, à Scribis nimirum Scripturæ sensum glossis suis corrumpentibus: ita Scotus, Liranus, & Lorca, quod quidam præterea existimant esse probabile.

III. *Quinam fuerint inimici illi, quos jubebantur Iudæi odisse.*

Alii, quamvis fateantur hæc verba explicitè in Scripturâ vetere non contineri, aiunt nihilominus contineri in eâ implicitè. Hanc explicationem approbant, & latè declarant Salmeron & Maldonatus in cap. 5. Matth. num. 21. Inimici verò illi non erant quicunque, ita ut iis licuerit omnes, qui injuriam ipsis fecissent, odisse, sed intelligebatur de quibusdam gentibus in particulari, cum quibus Israëlitis ex mandato Dei bellum intercedebat, jussúque ejus debebant ab iis deleri, & ob horrenda scelera extirpari.

IV. *Verũ odium internum inimicorum Israëlitis nec præceptum unquã fuit, nec permissum.*

Ego hac in re existimo, nunquam in lege vetere permissum, multo minùs præceptum Judæis fuisse, vel respectu ullius particularis personæ, vel integræ gentis verum internum odium, sed solùm externum erga quasdam nationes, cum quibus prohibebantur ullum fœdus inire, imo, ut dixi, jubebantur eas delere. Hoc verò Christus in novo testamento non instituit, imo noluit hujusmodi inimicitias cum ullâ natione ex præcepto Evangelii suscipi, nec distinctionem fieri Judæi & Græci, sed omnes, quantumcunque quoad civiles discordias inter se dissidentes jubet fideles amore summo ac benevolentiâ complecti, nec prohiberi quo minùs ingrediantur Ecclesiam Domini, ut Deuter. 23. vers. 3. prohibebantur Ammonitæ & Moabitæ: *Ammonites & Moabites, etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini, in æternum.*

V. *Datur præceptum divinum positivè diligendi inimicos.*

Dico secundò: Tenemur ex præcepto Christi positivè diligere inimicos; sic enim habetur Matthæi 5. vers. 44. *Diligite inimicos vestros*: quibus verbis præceptum contineri docent Sancti Patres, imo hoc idem affirmat Concilium quartum Carthaginense, capite nonagesimo tertio; Christúsque ipse hoc insinuat, paulo post subjiciens: *Ut sitis filii Patris vestri*, quibus verbis innuit, nos filiationem Dei, seu gratiam non habituros, sed peccatum grave admissuros, si inimicos diligere noluerimus, quod in prædictis verbis præceptum hujus rei contineri apertè indicat.

VI. *In lege etiam vetere, & naturæ fuit præceptum diligendi inimicos.*

Nec in lege tantùm Evangelicâ, sed etiam vetere, imo & naturali extitit hoc præceptum diligendi inimicos; unde non est solummodo præceptum divinum positivum, sed etiam naturale, quod proinde Gentiles ipsi Philosophi agnoverunt, observandúmque ab omnibus docuerunt. Quamvis autem hoc præceptum sit difficile, sicut & alia multa, quæ in lege naturæ observanda præscribebantur, in ordine tamen ad finem naturalem quadantenus per naturæ vires observari potest, etsi ut constanter servetur, speciale auxilium requiratur: quod non ad hujus tantùm, sed aliorum etiam præceptorum impletionem necessarium esse ostendi Tomo præcedente, Disputatione centesimâ decimâ quintâ.

VII. *Ostenditur fuisse in lege scriptâ præceptum dilectionem inimicorum.*

Quòd verò etiam in lege scriptâ præcepta fuerit dilectio inimicorum, exinde primò constat, quod Christus, ut primâ secundæ, quæst. 108. dici solet, nulla præcepta moralia positiva addiderit, nisi circa Sacramenta. Deinde Proverbiorum 25. vers. 21. dicitur: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. & Exodi 23. præcipitur, ut si quis bovem aut asinum inimici errantem viderit, eum ad inimicum reducat, ergo similiter præcipitur voluntas, qua hoc ei bonum volumus. Hinc ergo clarè deducitur, quod supra diximus, non fuisse scilicet in lege vetere præceptum odio habendi inimicos, cùm etiam ibi lex præceperit illorum amorem, Deus autem nequit præcipere contraria. *Deus præcipere nequit contraria.*

Ex vi ergo hujus præcepti inprimis tenetur quisque semper interiùs in eum conceptum odium deponere, juxta illud Matthæi 6. vers. 15. *Si non dimiseritis hominibus* (peccata) *nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Hoc verò multo magis obligat, si inimicus veniam offensæ petat, tunc enim non solùm tenetur alter odium deponere, sed signa etiam externa hujus depositionis ostendere, ut innuit S. Thomas 2. 2. quæst. 83. Ad amandum verò inimicum, in iis tantùm circumstantiis obligamur, in quibus id præstare tenemur erga alios homines, & ad signa amicitiæ iis exhibenda, in necessitate nimirum, juxta dicta superiùs de dilectione proximi, nulla enim lex obligat ad inimicum plus quàm alios diligendum. Istud autem intelligitur per se loquendo, & secluso scandalo; ad hoc enim vitandum tenetur quis interdum in aliis circumstantiis præter dictas signa reconciliationis erga inimicum ostendere.

VIII. *Ad quid ex vi præcepti dilectionis inimici teneamur.* *In quibus circumstantiis teneatur quis signa amicitiæ erga inimicũ ostendere.*

Quamvis etiam non teneatur quis per se loquendo inimicum, sicut nec alios homines salutare, tenetur tamen ut plurimum eum resalutare, idque quando alios homines salutandi non esset obligatio, hoc enim omittere, odium in ipso generaret, darétque occasionem scandali, essétque indicium, pristini illum odii quasdam adhuc scintillas in pectore fovere. Signa etiam aversi ab eo animi non licet exteriùs ostendere. Satisfactionem nihilominus, in illis, in quibus læsus est, potest quis ab inimico citra offensam exigere, ut exemplo virorum maximè proborum in dies constat, qui postquam condonaverint injuriam, læsæ tamen famæ reparationem, & bonorum, si quæ ablata sint restitutionem civili actione ab inimico coram legitimo Judice solent exposcere, nec ullus cuiquam hoc vertit vitio. Quoad actionem verò criminalem, qua scilicet satisfactio pœnalis ab inimico, à quo læsi sumus exigatur, quamvis, si debito modo fiat, nimirum non ex affectu vindictæ, sed zelo justitiæ, & ut homines deinceps deterreantur ab injuriâ aliis inferendâ, quamvis inquam, hoc fieri possit, spectatâ tamen communi hominum conditione, id non nisi à paucis purè ex affectu justitiæ, & boni publici causâ fit, unde existimo hoc à personâ læsâ rarò esse præstandum, ut benè advertit Valentia hîc, quæst. 3. puncto secundo.

IX. *Salutantem inimicum tenetur quis resalutare.* *Quid de actione criminali contra inimicũ instituendâ censendum.*

Quando autem supra diximus non esse licitum odisse inimicum, hoc intelligendum est de inimico specificativè sumpto, si enim formaliter, seu reduplicativè sumatur, nempe quà est inimicus, licet eum odisse, hoc enim non est ipsius personam odio habere, sed inimicitiam: sicut etiam peccatores quà tales odimus, ut sic enim ipsorum culpam aversamur, quamvis eos ut proximos amore summo ac benevolentiâ prosequamur, paratique simus omnia iis Charitatis officia exhibere. Ex honesto tamen fine possumus proximo optare malum temporale, nempe ut per illud corrigatur, & ad meliorem se frugem recipiat; pœnam verò æternam nulli viatori

X. *Inimicum formaliter sumptum licitum est odisse.*

desiderare

Tom. II.

desiderare licet. Morbum etiam interdum licet proximo desiderare, nempe vel ad ipsius, vel aliorum bonum: sic Apostolus ad Galatas quinto, vers. 12. *Vtinam*, inquit, *abscindantur, qui vos conturbant*, id est utinam à vestro consortio & ab Ecclesiâ ad tempus removeantur, ut hoc pacto vos turbare desinant: sicut 1. ad Corinthios 5. fornicarium illum, qui tale scandalum præbuerat, jussit ab Ecclesiâ abscindi, ne pravo illius exemplo fidelium mores corrumperentur.

XI. *Vter ex duobus actibus sit melior, dilectio amici an inimici.*

Quæres, quando & amicus & inimicus diligitur propter Deum, uter ex his duobus actibus sit melior. Respondetur cum S. Thoma 2. 2. quæst 27. art. 7. amorem amici ex parte objecti, proximi scilicet, qui diligitur, esse meliorem, amicus siquidem, inquit, est melior magísque nobis conjunctus, quàm inimicus. Aliunde tamen ait Sanctus Doctor amorem inimici præeminere amori amici, cùm enim nihil sit ex parte objecti, quod illum ad actum amoris alliciat, sicut in actu amoris respectu amici, sed potiùs ad actum odii, animíque aversionem, actus hic amoris respectu inimici est merè propter Deum, isque videtur esse objectum ejus adæquatum. Hic proinde actus altero videtur præstantior, magisque heroicus, generosiorisque animi indicium.

Generosior est actus quo diligitur inimicus, quàm quo amicus.

XII. *Ostenditur amorem inimici esse multo fortiorem amore amici.*

Deinde multo fortior est amor, quo inimicus diligitur propter Deum, & consequenter dilectio Dei; sicut enim, ut loco citato ait S. Thomas, vis ignis eò arguirur esse major, quò ad remotiora calorem diffundit, ita & vis amoris; cùm ergo inimicus sit à nobis remotus, amicus verò conjunctus, fortior est amor, qui ad inimicum calorem suum, ut ita dicam, diffundit, quàm qui ad amicum, utpote qui est intra sphæram longè minorem. Nec refert quòd odisse amicum sit multo pejus, quàm odisse inimicum, id enim est, quia ex gratitudine, multisque aliis nominibus amico obstringimur, unde perversæ admodum naturæ, summéque inhumanum foille ostenderet, qui personam sibi charissimam odio haberet, si namque, ut ait S. Augustinus supra citatus: *Si*, inquam, *nimis durus est animus, qui si amorem nolebat impendere, nolit rependere*, quanto magis, si loco amoris rependat odium.

Ignis & amor, quò in remotiora agunt, eò probantur esse fortiores.

SECTIO SEXTA.

Varia inquiruntur circa dilectionem Dei & proximi: ubi etiam de odio Dei.

I. *Dicunt quidam magis inclinari nos à naturâ ad amandum nosipsos.*

Quæres primò: Utrùm natura magis nos inclinet ad diligendum Deum, an nosipsos. Prima sententia affirmat nos secundùm propensionem naturalem inclinari magis ad diligendum nosipsos: ita Halensis 3. parte, quæst 30. membro primo; Albertus Magnus, S. Bonaventura in 3. Dist. 29. art. 1. quæst. 2. ad primum, Gabriël ibidem, & alii.

II. *Ex natura inclinatione magis propendet homo in dilectionẽ Dei, quàm suipsius.*

Dicendum nihilominus cum S. Thoma 2. 2. quæst. 26. art. 3. quem Caietanus, & alii Thomistæ ibidem sequuntur, Scoto in 3. Dist. 27. Richardo & Durando ibidem, Dist. 29. Soto lib. 1. de Naturâ & Gratiâ cap. 6. & 22. Vasquez 1. 2. Disp. 194 Valentia hìc, puncto secundo, idémque affirmant Lorca, Turrianus, & alii, & est longè communior inter Theologos sententia: dicendum inquam, nos ex naturæ ductu & propensione magis inclinari ad diligendum Deum naturæ finem, quàm nosipsos. Ratio est: Charitas siquidem & gratia non destruit naturam, sed perficit, cùm ergo Charitas supernaturalis magis hominem inclinet ad Deum supernaturaliter diligendum, natura magis inclinabit ad diligendum Deum naturaliter. Confirmatur: Ratio enim naturalis dictat esse Deum diligendum super omnia, ergo super nosipsos. Præterea, unaquæque res magis propendet ad suum finem, Deus autem, ut lumine naturæ constat, est rerum omnium creatarum finis, ac centrum; ad quem proinde omnia suis veluti ponderibus, & innatâ inclinatione feruntur. Addeafectum, quo quis magis seipsum amaret, quàm Deum, fore malum & inordinatum, imo & peccaminosum, natura verò, cùm sit à Deo, & quicquid habet, à Deo habeat, ad malum per se inclinare non potest.

Gratia non destruit, sed perficit naturam.

Ad Deum veluti ad finem omnia summâ propensione feruntur.

III. *Satisfit quibusdam objectis contra inclinationem naturæ ad magis amandum Deum.*

Neque huic doctrinæ obstat dictum illud Aristotelis 9. Ethicorum, cap. 9. *Amicabilia ad alterum sunt ex amicabilibus ad se*: Respondetur enim cum S. Thoma citato ad primum, solùm loqui Philosophum de bonis particularibus, non de bono totius boni fonte, cùm hoc siquidem nullum bonum creatum, nec proprium, nec alienum in competentiam venire potest. Deinde esto daremus appetitum sensitivum inclinare interdum ad mala, hoc tamen nunquam præstat appetitus rationalis, de quo procedit præsens quæstio. Addo tamen appetitum sensitivum non inclinare nisi ad ea, quæ secundùm se bona sunt, quamvis per accidens, ex circumstantiis extrinsecis subinde vitientur.

IV. *Actus quo quis diligit proximum propter Deum specie distinctus ab actu quo diligit solum Deum.*

Quæres secundò: Utrùm amor Dei & proximi propter Deum sint ejusdem speciei? Ad hoc dictum est suprà hos actus differre specie, cùm etiam ex objecto materiali reddantur actus specie diversi, unus autem horum actuum, ut constat, habet objectum specie distinctum ab alio; dicendum, inquam, actum quo diligo proximum propter Deum distingui specie ab actu quo diligo Deum. Idem tamen habitus utrúmque actum indivisibiliter respicit; hic enim speciem desumit ab objecto formali.

V. *Detúrne etiam habitus acquisitus amoris erga Deum vel proximum.*

Quæres tertiò: An præter virtutem Theologicam Charitatis detur habitus acquisitus amoris erga Deum vel proximum? Quæstio hæc eadem est cum eâ qua quæritur an detur habitus acquisitus Fidei: sicut ergo ibi respondi affirmativè de hujuscemodi habitu Fidei, idem hic dico de habitu acquisito amoris, tam respectu Dei quàm proximi, nec major hìc est difficultas, quàm de habitu Fidei.

VI. *Potest quis actum amoris Dei elicere propter aliud.*

Quæres quartò: Possitne Deus diligi propter aliud? Ad resolutionem notandum, aliud esse ut quis actum suum ad aliquem finem referat, aliud ut in eum finem referat objectum actus, ut ex communi exemplo constat: cupiens exempli gratia aliquis peccatorum veniam obtinere, ad hoc adipiscendum imperat sibi actum contritionis, vel amoris Dei super omnia; in hoc exemplo clarè constat actum Charitatis ob alium finem elici. Dico itaque posse hoc sensu Deum diligi propter aliud, hoc est posse actum amoris Dei seu Charitatis propter aliquid aliud elici. Hinc tamen non sequitur objectum hujus actus, seu Deum amari propter aliud, sed amatur propter se, & purissimo actu amoris super omnia, hic tamen actus, uti dictum est, ob alium finem elicitur. Hæc meo judicio satis clara sunt: utrùm

Quo sensu possit Deus diligi propter aliud.

Possitne Deus propriè propter aliud diligi.

utrùm autem possit propriè in se Deus propter aliud amari, dicetur, Deo dante, in materiâ de Incarnatione; Deus enim sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ergo nobis eum voluit, & ad nostram salutem ordinavit: de quo plura ibi.

VII. *Notantur quædam circa odium Dei, actui Charitatis oppositum.*

Quæres quintò, quod & quale peccatum sit odium Dei? Odium, ut ex communi ejus notione constat, est velle alteri malum, quia illi malum est, sicut amare est eodem modo velle bonum, unde quemadmodum amor nos rei amatæ conjungit, ita odium disjungit & separat. Existimo itaque cum S. Thoma 2. 2. quæst. 34. a. 1. Si solùm consideretur id præcisè quod in Deo est, neminem posse eum odisse, cùm usquequaque bonus sit, omníque amore dignissimus. Tantùm ergo apprehendi alicui potest malus per relationem ad effectum aliquem externum, ut punitionis, &c. Sub hac ergo ratione odio habere is Deum poterit, vel scilicet volendo eum puniendi potestatem non habere, vel etiam optando, ut Deus omnino non sit, quod est malum omnium maximum.

Quo pacto possibile sit ut quis Deum odio habeat.

VIII. *Odium Dei est peccatum ex genere suo gravissimum.*

Est verò odium Dei peccatum ex se, & genere suo gravissimum, per accidens tamen, & ex adjunctis circumstantiis potest ab aliis peccatis excedi, præsertim cùm nullum sit mortale peccatum, quod odium aliquo modo, seu aversionem à Deo non includat. Dices, ergo quodvis peccatum mortale erit gravius quàm odium Dei, cùm duplicem malitiam in se contineat, conversionis scilicet, & aversionis. Respondetur, directam illam aversionem, quæ in odio Dei continetur, graviorem ex genere suo esse hac aversione indirectâ à Deo simul cum conversione ad creaturas. Adde etiam odium habere in se aliquo modo malitiam conversionis, ad illud scilicet bonum creatum, ex quo odium hoc, seu aversio à Deo procedit: unde non minùs duplicem habet malitiam, quàm alia peccata mortalia.

Duplex in odio Dei est malitia.

Dices: Gravius peccatum videri infidelitatem, quàm odium Dei, cùm sit radix peccatorum. Respondetur, quicquid sit de rebus physicis, in quibus causa semper vel adæquat, vel superat effectum, in moralibus aliter se res habet, effectus enim frequenter est gravius peccatum illo ex quo oritur, ut cùm quis occidit ut furetur, gravius quippe peccatum est homicidium, quàm furtum, ex quo oritur. Idem ergo in præsenti est de odio & infidelitate. Deinde Sanctus Thomas hîc, quæst. 34. art. 2. ad primum, odium vocat peccatum in Spiritum Sanctum, quod nimirum cum peculiari malitiâ feratur in Deum, ejúsque repugnet bonitati, quæ speciali modo appropriatur Spiritui Sancto.

IX. *In moralibus effectus sæpè est gravius peccatum, quàm sit causa.*

Odium Dei S. Thomas vocat peccatum in Spiritum Sanctum.

Odium duplex est, *abominationis*, & *inimicitiæ*. Odium *abominationis* illud est, quo aliquid aversamur tanquam nobis inconveniens & malum, quod proinde vel omnino non esse cupimus, vel à nobis, vel re, quam amamus remotissimum. Odium *inimicitiæ* illud appellatur, quo, ut supra num. 7. diximus, quis vult alteri malum, quà illi malum est, qua etiam de causâ vocatur malevolentia: hoc in solas personas, odium verò abominationis tam in res, quàm personas fertur, quatenus aliquod nobis incommodum afferunt.

X. *Odium abominationis & inimicitiæ.*

Disputant hîc aliqui de eleëmosynâ, bello, misericordiâ, beneficentiâ, duello, & similibus, sed hæc, merè moralia cùm sint, in unum per se tomum commodiùs congerentur, ne series disputationum scholasticarum interrumpatur. Videatur Sanchez lib. 1. in Decalogum, cap. 9. & libro secundo, cap. 31. & cap. 39. Layman, Bonacina, Filiucius, & alii rerum moralium Scriptores.

XI. *Rerum Scholasticarum series non interrumpenda.*



DISPUTA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISPUTATIO TRIGESIMA OCTAVA.

De augmento Charitatis.

DIXIMVS suprà Charitatem inter virtutes velut Solem inter sidera lucere, miróque fulgore & claritate animam cui inest perfundere. Hoc quidem Solis habet Charitas, non tamen eandem servat cum Sole firmitatem & constantiam, Sol quippe simili semper tenore, & in se lucem continet, & mundo eam communicat, Charitas verò paulatim oritur, novísque & novis incrementis augetur, ac denique momento nonnunquam intercidit. Has ergo varietates ejus ac vicissitudines præsenti Disputatione declarandas suscepi, ut hoc pacto & illius & aliarum virtutum, quæ unà cum eâ nascuntur & pereunt, natura clariùs innotescat.

SECTIO PRIMA.

An, & quo pacto augeatur Charitas.

I. *Fide certum est posse charitatem augeri.*

CHARITATEM & justitiam in hac vitâ augeri posse certum est, esseque justos in iis inæquales. Hæc est communis Orthodoxorum sententia, inprimis contra Joviniamum, qui teste sancto Hieronymo eum hac in re confutante, quemadmodum peccata omnia ejusdem malitiæ, ita actus bonos æqualis in omnibus asserebat esse bonitatis, sicque omnes in perfectione & justitiâ statuebat æquales. Hunc Joviniani errorem ex parte sequuntur nostri temporis hæretici; omnes enim aiunt esse æqualiter justos, non per justitiam intrinsecam, omnem enim gratiam ac justitiam nobis inhærentem negant, sicut & habitus infusos: aiunt itaque homines tantùm esse justos extrinsecè, per justitiam scilicet Christi illis imputatam, actúsque etiam ipsos, ut Fidei, Spei, Charitatis, &c. nihil ad justitiam conferre dictitant, omnes namque asserunt esse peccata.

Joviniani, & nostri temporis hæreticorum error.

Actus omnes bonos aiunt esse peccata.

II. *Ostenditur posse Charitatem & justitiam augeri.*

Contrarium tamen est fide certum, nos nimirum per justitiam nobis inhærentem & intrinsecam justos esse, & hanc justitiam, quæ est præsens quæstio, posse augeri, ac proinde alios aliis esse justiores, & sanctiores. Hoc inprimis constat ex illo Apostoli ad Philippenses cap. 1. vers. 9. *Vt charitas vestra magis ac magis abundet*: & ad Ephesios c. 4. v. 15. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in eo per omnia.* Unde & Ecclesia petit à Deo Fidei, Spei, & Charitatis augmentum. Sic etiam Apocal. cap. ultimo, v. 11. dicitur: *Qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.* Item 2. ad Corinth. c. 9. v. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quod aliis etiam Scripturæ locis ita clarè ostenditur, ut nullus relictus sit de eo ambigendi locus.

Passim docent divina Litera Charitatem augeri posse.

III. *Ex Concilio Tridentino probatur non in justitiâ & charitate crescere.*

Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 10. expresè docet homines in hac vitâ per observationem mandatorum, aliáque bona opera crescere in justitiâ, magísque justificari. Eâdem etiam Sessione, can. 24. hanc veritatem clarissimè tradit his verbis: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.*

IV. *Charitatis & justitiæ augmentum fit per additionem gradus ad gradum.*

Hoc proinde Charitatis ac justitiæ augmentum fit per gratiæ & habitus Charitatis in nobis gradus ad gradum additionem, Deo solo hos gradus, saltem extra Sacramenta, producente; nec enim alius hujus augmenti modus excogitari potest, hac verò ratione commodissimè fit, sicut in aliis qualitatibus quæ augentur, in dies contingere videmus: unde sicut aër novis & novis ei additis lucis gradibus redditur splendidior, ita novis internæ hujus lucis ac pulchritudinis incrementis anima in venustate ac luce spirituali crescit, juxta illud Proverbiorum c. 4. v. 18. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem.* Fit ergo hæc intensio Charitatis, uti dixi,

Lucis externa & interna inter se comparatio.

uti dixi, per additionem gradus ad gradum; nec enim fieri eam posse per majorem radicationem in subjecto, qua id cunque ratione explicetur, fusè contra Thomistas ostendi Disputatione nonâ de Generatione per totam. Quæ verò hac in parte mens fuerit S. Thomæ, non satis constat; quare Cajetanus affirmat ejus mentem esse valdè dubiam.

Non fit hæc intensio per majorem radicationem in subjecto.

V. *Habitus Charitatis causa effectiva est solus Deus.*

Habitus ergo Charitatis, ut diximus, saltem extra Sacramenta, quæ secundùm multorum sententiam physicè producunt gratiam, à solo Deo effectivè procedit, juxta illud ad Romanos 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Hoc etiam à Concilio Milevitano, Arausicano ac Tridentino sess. 6. cap. 6. & 7. satis clarè traditur. Unde actus nostri, quantumlibet supernaturales & perfecti, non in alio genere causæ ad habitus Charitatis productionem vel augmentum concurrunt, quàm in genere causæ moralis ac meritoriæ. Hoc verò non est singulare in Charitate, omnes namque habitus supernaturales hoc habent, ut nimirum, non à causâ ullâ creatâ, sed à solo Deo effectivè producantur. Non tamen est improbabile quod affirmant aliqui, actus scilicet supernaturales augere suum habitum supernaturalem physicè, quamvis alios augeant tantùm meritoriè.

Idem est de aliis habitibus supernaturalibus.

VI. *Possitne habitus Charitatis in hac vitâ augeri in infinitum.*

Quæres, utrùm habitus Charitatis in hac vitâ augeri ulteriùs & ulteriùs possit in infinitum, an certos intensionis limites sibi præscriptos habeat ab intrinseco? Negat hoc modo augeri posse Scotus in 3. Dist. 13. ad primam quæstionem, Durandus ibidem, & alii. Dicendum tamen cum S. Thoma hîc, quæst. 24. art. 7. & communi Theologorum sententiâ, posse gratiam in quacunque creaturâ rationali augeri in infinitum, sicut etiam passim hoc docent Theologi de Visione beatificâ, & consequenter idem dicendum videtur de Gratiâ & Charitate, quæ sunt dispositiones ad visionem: ac denique, cùm nullum sit fundamentum dicendi hominem, quamdiu in hac vitâ & viâ degit, non posse majora ac majora semper habere merita, quo fundamento dicet quispiam non posse eum novos & novos gradus gratiæ accipere? cùm gratia in hac vitâ sit præmium meritorum.

Variè ostenditur posse Charitatem semper in hac vitâ augeri.

VII. *Omne illud augeri in infinitum potest, in cujus augmento ulteriore nō est repugnantia.*

Optima etiam hujus ratio est, quam assignat Sanctus Thomas hîc, quæst. 24. art. 7. Corpore: si enim, inquit, gratia ulteriùs sine termino augeri nequeat, repugnantia se tenet vel ex parte causæ efficientis, hoc autem dici nullo modo potest, causa namque efficiens Charitatis, ut proximè vidimus, est Deus, cujus virtus est infinita: vel tenet se hæc repugnantia ex parte Charitatis, hoc verò gratis diceretur, Charitas siquidem in se terminum augmenti non habet, cùm sit participatio infinitæ Charitatis, nempe Spiritus Sancti, quæ Charitas semper sine termino ulteriùs & ulteriùs est participabilis. Vel denique repugnantia se tenet ex parte subjecti, hoc autem dici nequit, cùm sit anima hominis, vel Angeli substantia, quæ obedientialiter, seu ut substant omnipotentiæ Dei ulteriùs in infinitum recipere formas possunt. In materialibus quidem compositis, seu mixtis, certus graduum numerus ad rerum sublunarium constitutionem in qualitatibus requiritur; at ne quidem in rebus materialibus quoad omnes qualitates est certa limitatio, existimo enim, si fortius & fortius luminosum successivè adhiberetur, posse cœlum & aërem plus & plus lucis semper sine termino recipere, nec ullos habere capacitatis limites intrinsecos. Ab extrinseco tamen quisque limitatur, nec ad quemcunque perfectionis gradum pertinget, Deus enim, ut vitæ, ita & meriti certum unicuique terminum præfixit.

Lux respectu aëris nullos habet intensionis limites.

Objicies primò cum Scoto supra: Si anima recipere majorem & majorem gratiam & Charitatem possit in infinitum, ergo habet potentiam infinitam, quod nullo modo est dicendum. Sed huic objectioni responderi ab omnibus in variis exemplis debet. Sic materia prima recipere plures & plures potest formas in infinitum, & tamen nullus eam propterea dicit habere virtutem receptivam infinitam, ut Tomo præcedente, Disputatione decimâ, de hoc & aliis exemplis ostendi. Sic etiam intellectus cum novis & novis speciebus plures & plures actus circa alia & alia objecta elicere potest in infinitum, hæc tamen infinitas, non intellectui tribuitur, sed speciebus, quæ aliæ & aliæ in infinitum infunduntur, nihil autem mirum, si ex pluribus principiis in infinitum, plures similiter in infinitum producantur actus. Eâdem similiter ratione dum intellectus creatus actus supernaturales, non Charitatis tantùm, sed aliarum etiam virtutum elicit, vis hæc actus supernaturalis productiva, non intellectui tribuitur, quamvis hic etiam supernaturalitatem in illo actu verè & physicè producat, sed Deo, vel alii principio supernaturali; nec propterea fortior in se censetur intellectus, quòd alterius adminiculo hoc præstare possit, sicut nec puer habens vires tantùm ut duo, ex eo fortior habetur, quòd cum viro aliquo robusto possit centum librarum pondus à terra levare. Quod ergo hîc dicitur de supernaturalitate, idem dici potest de infinitate.

VIII. *Ex eo quod anima majorem & majorem gratiam recipere possit in infinitum, non sequitur eam habere potentiam infinitam.*

Vade proveniat intellectum plures & plures posse actus producere in infinitum.

Exemplo supernaturalitatis arguitur ad infinitatem.

Objicies secundò cum eodem: Si plures & plures gradus Gratiæ & Charitatis in infinitum sint possibiles, ergo Deus simul eos producere posset, & animæ infundere, ergo dari potest infinitum actu. Respondetur primò, nullum hac in re esse incommodum, unde Disputatione 46. Physic. fusè ostendi, dari divinitus posse infinitum. Deinde dico, hoc non sequi, sed solùm posse Deum plures & plures gradus successivè producere, ita ut in nullo sistatur, quin alius adhuc produci, & animæ infundi queat: quod affirmat Scotus de virgâ possibili, quæ in nullâ longitudine ita produci juxta ipsum potest, ut alius & alius ei palmus nequeat addi in infinitum, cùm nihilominus neget Scotus posse produci virgam, quæ in infinitum protendatur. Quod hîc dicitur de extensione, idem in Gratiâ & Charitate dici potest de intensione; sicut verò, quantumvis alius & alius addi potest palmus sine termino, non sequitur dari simul posse palmos infinitos, ita neque hic simul infinitos gradus. Tandem quæro, si non possint plures & plures gradus infundi successivè sine termino, quæro inquam, in quo demum numero sit sistendum? Si certus ullus gradus assignari nequeat, ut nequit, cui alius non possit addi, clarum est posse plures & plures infundi successivè in infinitum.

IX. *Nullum in hoc est incommodum, quod detur à parte rei per divinam potentiam infinitum.*

Ex hac argumentatione non sequitur dari posse infinitum vel in extensione, vel intensione.

Tom. II.

SECTIO SECUNDA.

Per quos actus bonos augeatur gratia & Charitas.

I. *Præcipua difficultas est de actibus minùs habitu intensis.*

DIFFICULTAS hæc præcipuè procedit de actibus minùs intensis, utrùm scilicet habitus Charitatis in animâ præexistens augeatur; per actus enim habitu intensiores augeri habitum nulli dubium est, cùm hoc commune sit omnibus aliis habitibus, & qualitatibus, tum naturalibus, tum supernaturalibus. Videndum etiam quid dicendum sit de actibus æqualis intensionis cum habitu Charitatis in animâ, utrùm scilicet eum augeant.

II. *Primus dicendi modus est, actus habitu remissiores mereri tantùm præmium aliquod accidentale.*

Tres hac in re diversæ sunt sententiæ: Prima docet, actus omnes bonos supernaturales æquè aut magis intensos habitu Charitatis in animâ præexistente, eum augere, qui vero habitu remissiores sunt, merentur, inquiunt hujus sententiæ auctores, præmium tantummodo accidentale, speciale scilicet gaudium in cœlo, quo Sancti gaudebunt, se dum in hac vitâ degerent, Deum hujuscemodi actibus honorasse. Addunt præterea hi Doctores, actus habitu remissiores disponere ad actum intensiorem: augmentum verò Charitatis, aut gratiæ, vel gloriæ, seu præmium essentiale, inquiunt, omnino non merentur: ita Divus Bonaventura in 2. Dist. 40. art. 2. q. 3. Halensis apud Aragonium hîc, art. 6. Durandus in 1. Dist. 17. q. 8. Richardus in 1. Dist. 17. art 2. q. 3. qui tamen addit, ubi quis tot actus remissiores elicuerit, ut æquivaleant actui intensiori habitu, tunc eorum intuitu Deum augere habitum Charitatis.

III. *Secundus procedendi modus est, actum remissiorem mereri quidem augmentū habitus sed hoc non esse statim dandum.*

Secunda aliorum sententia affirmat, omnem actum Charitatis, quamvis habitu præexistente remissiorem mereri augmentum Charitatis, hoc tamen, inquiunt, non statim dabitur, sed tunc solùm, quando actus elicitur habitu illo Charitatis intensior, vel æqualis cum eo intensionis. Aliqui nihilominus dicunt ad hoc augmentum conferendum sufficere si plures, tot scilicet actus remissiores eliciantur, quot actui illi intensiori vel æquè intenso in ratione merendi sunt pares, ut proximè dixit Richardus.

IV. *Asserunt hi auctores idē numero præmium dandum duplici titulo, intuitu scilicet utriusque actus.*

Addunt tamen, quando postea elicitur actus intensior, vel æquè intensus, ac est habitus, dandum quidem augmentum seu præmium actui illi remisso priùs elicito debitum; hoc tamen præmium, seu gratiæ & Charitatis augmentum dicunt esse illud idem quod datur pro actu intenso jam elicito, unde augmentum illud asserunt dari duplici titulo, intuitu scilicet & actus illius remissi, & hujus intensi, ita tamen ut non plus pro utroque detur, quàm pro hoc actu intenso datum fuisset, etiamsi actus ille remissus omnino non præcessisset; ad eum modum, inquiunt, quo Christus meruit gloriam corporis, aliis titulis debitam: ita Conradus 1. 2. quæst. 114. articulo 8. Cajetanus, Valentia quæst. 2. puncto tertio, Azor tomo primo, lib. 9 cap. 3. quæst. 7. & omnium acerrimè Vannez 2. 2. q. 24. art. 6.

V. *Dicunt aliqui præmiū actus remissiori in alterâ vitâ esse conferendū.*

Scotus verò, si in hac vitâ non eliciatur actus intensior habitu, ait actui illi remisso non hic, sed in alterâ vitâ dandum præmium, & augmentum; Bannez & alii, si actus intensior aut æquè intensus ac habitus postea non eliciatur, affirmant, actui illi remissiori, nullum unquam dandum præmium, nec in hac vitâ, nec sequente. Victoria & Arragonius quolibet actu meritorio, etiam remissiore, gratiam statim augeri asserunt, non tamen Charitatem. Denique nonnulli ex recentioribus Thomistis volunt gratiam & Charitatem, per actum, etiam habitu remissiorem statim augeri in Esse gratiæ & amicitiæ, non tamen in esse qualitatis, ac proinde non augeri per additionem alicujus intrinseci, sed solùm secundùm acceptationem extrinsecam Dei, actum illum acceptantis ad majorem gloriam ejus intuitu conferendam.

VI. *Certum est omnia opera bona supernaturalia, quantumvis remissa, mereri gratiam & gloriam.*

Dicendum nihilominus, justos per omnia opera bona supernaturalia, quamvis sint habitu remissiora, mereri augmentum gratiæ & gloriæ. Hæc est communis Theologorum sententia, & ita certa, ut Zumel Disp. 2. dicat, contrarium sine magnâ temeritate sustineri non posse: Arragonius verò ait id esse plus quàm temerarium, & â fide alienum. Hanc itaque sententiam tenet Suarez de Revivíscentiâ meritorum, Disp. 2. sect. 3. num. 33. & libro 9. de Gratiâ, c. 3. Vasquez 1. 2. Disp. 220. cap. 3. Turrianus Disp. 68. dub. 4. Vega libro 15. in Tridentinum, c. 19. Moncæus Disp. 8. cap. 9. Becanus cap. 22. q. 3. Mæratius Disp. 45. sect 2. Coninck Disp. 8. de Merito, dubio 9. Tannerus hîc, Disp. 2. quæst. 2. dub. 5. Idem docet Gabriël in 1. Dist. 17. q. 4. art. 3. & alii.

VII. *Verè ostenditur opera bona, quantumvis remissa, mereri augmentum gratiæ.*

Hoc non semel apertissimè tradunt divinæ literæ, dum operibus quibusque minimis dandum esse præmium testantur, ut Matthæi 10. v. 42. *Si quis in nomine Christi calicem aquæ frigidæ tribuat eam pos.enti.* Secundæ etiam ad Corinthios, c. 4. ait Apostolus: *Quod in præsenti est momentaneum, &c. æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Matthæi etiam 6. Christus mercedem promittit orationi, jejunio, & eleëmosynæ ex piâ intentione factis: deinde Matthæi 25. universim propter opera omnia misericordiæ regnum cœlorum promittitur: *Esurivi enim*, &c. nullâ factâ distinctione actuum magis vel minùs remissorum, sed tantùm requiritur, ut fiant ex Fide vivâ in Christum. Præterea, per opera etiam remissiora habitu, verè implentur Dei præcepta, aliud autem ad meritum & justitiæ augmentum divinæ literæ non requirunt: hinc Propheta regius Psalm. 118. vers. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

VIII. *Nec Scriptura, nec Patres excessum hujus supra habitum faciunt mentionem.*

Deinde passim dicunt Patres, homines per opera facta in Deo, seu ex gratiâ per Christum mereri gratiæ & gloriæ augmentum, nec vel Scriptura, vel Patres hujus conditionis, majoris scilicet intensionis quàm sit habitus, unquam fecêre mentionem, quod tamen haud dubiè fecissent, sicut aliarum conditionum meminerunt, si hunc excessum in intensione existimassent ad meritum esse necessarium, sed universim asserunt omnibus omnino operibus in gratiâ factis reddendam esse mercedem. Nec per mercedem intelligi potest, quod ut vidimus, affirmant aliqui, præmium accidentale; primò quia eodem modo loquitur Scriptura, Concilia, & Patres de mercede omnibus bonis operibus reddendâ, sine distinctione majoris & minoris intensionis, ut dictum est: deinde expresè dicunt augeri gratiam & gloriam.

IX. *Deus nequit augmentum actui illi remisso debitū dari solùm novo titulo.*

Hinc, ut ulteriùs non differam, non subsistit, quod, ut supra diximus, affirmabant nonnulli, nempe non plus gratiæ dari propter utrumque actum, remissum scilicet & intensum, quàm daretur

daretur ob solum intensum, sed eandem gratiam duplici titulo conferri. Hoc, inquam, non subsistit, Scriptura enim & Patres, ut ostensum est, & mox fusiùs ostendetur ex Concilio Tridentino, aiunt singulis operibus bonis deberi præmium, augmentum scilicet gratiæ & gloriæ, & ex spe hujus præmii moventur homines & alliciuntur ad exercitium virtutum, & bona opera crebriùs exercenda, quòd nimirum persuasum habeant sese operibus hisce gratiam in hac vitâ semper augere, & ampliorem in cœlo, huic nempe gratiæ respondentem, gloriam adepturos; exiguum autem iis esset solatium si gratiam auctiorem, & à priore distinctam non reciperent, sed eandem variis titulis: sicut, ut bene Coninck citatus, si quis ubi sex diebus laborasset in vineâ, sexto die acciperet denarium primæ diei debitum, sed novo titulo, ob laborem scilicet quinque ultimis diebus in excolendâ vineâ impensum, hic certè haud æquè secum actum existimaret, & sine dubio duos denarios mallet uno titulo, quàm unum duobus accipere; peinde siquidem cum hoc homine agitur ac si quinque postremis diebus non laborasset.

Fidelet omnes sperant ob singula bona opera augmentum gratia sibi conferendum.

X. *Nil vetat nos rem aliquam, alio titulo debitam, mereri.*

Non nego posse nos rem uno titulo debitam, alio seu per merita denuo obtinere; sic enim Christus gloriam corporis, aliunde ipsi, nempe ex unione hypostaticâ & visione beatificâ debitam, per opera sua merebatur: hujus autem ratio est, quia alia gloria corporis proponi convenienter Christi humanitati non potuit, unde quamvis prædictis titulis Christo gloria illa gratis debebatur, nil tamen obstabat quo minùs per sua opera eandem mereretur. Secus verò res se habet, ut rectè Coninck, quando quis per meritum seu titulo oneroso præmium aliquod habet sibi debitum, & secundo operi aliud præmium potest convenienter proponi, ut hic potest, novum scilicet gratiæ & gloriæ augmentum, & hoc, ut dixi, omnium animis insedit, se ob singula merita novum præmium, seu prioris augmentum accepturos, nec existimandum est omnes passim in tam gravi errore versari.

Aliud est de merito gloriæ corporis in Christo.

XI. *Actus remissus in minùs justo augeret gratiam, ergo & in magis justo.*

Deinde actus ille remissus in minùs justo, seu qui habitum Charitatis & gratiæ haberet minùs intensum quàm sit hic actus, augeret gratiam & charitatem, ut fatentur contrariæ sententiæ auctores; ergo & in magis justo, cum in isto opus hoc non sit minùs laudabile, & ex Christi gratiâ factum quàm in illo, nec major in hoc homine justitia illius actus præstantiam ac valorem tollit, aut minuit. Confirmatur: Nullum est peccatum, quod hominem non reddat magis injustum, majoréque pœnâ dignum, ergo nullum etiam est opus bonum supernaturale, quod hominem non reddat magis justum, nec ulla apparet hujus rei diversitas, præsertim cùm sicut Apocal. ultimo, vers. 11. dicitur: *Qui sordidus est, sordescat adhuc*, ita eodem loco addatur, *& qui justus est, justificetur adhuc*, eodémque verborum tenore Scriptura utrumque exprimat. Deinde capite illo 25. Matthæi supra citato, eâdem planè formâ, verbisque omnino similibus de bonis & malis profertur judicis sententia, & nec circa merita nec demerita, ulla sit majoris vel minoris intensionis mentio in actibus.

Omne peccatum auget injustitiam, ergo & omne opus bonum justitiam.

SECTIO TERTIA.

Ulteriùs ostenditur per actus etiam habitu remissiores augeri Charitatem & gratiam.

I. *Concil. auctoritas hic subjicienda.*

SACRARUM literarum auctoritate & ratione probavimus, nullum esse actum bonum supernaturalem, in Deo factum, quantumvis remissum, qui præmium aliquod, seu augmentum gratiæ & gloriæ non mereatur, & hanc communem esse ostendimus Theologorum sententiam, eámque tam certam haberi, ut nonnulli oppositæ sententiæ temeritatis notam inurant. Nunc ergo eadem veritas Concilii Tridentini auctoritate est firmanda.

II. *Variis locis Concilii Tridentini ostenditur per omnia bona opera gratiam, & consequenter Charitatem augeri.*

Concilium itaque Sess. 6. Can. 24. sic habet: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, &c. anathema sit.* Idem adhuc clariùs docet Concilium Can. 32. his verbis: *Si quis dixerit hominem justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & JESU CHRISTI meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, &c. anathema sit*: quod autem de Gratiâ asseritur, idem asserendum est de Charitate. Hæc verò Concilii verba, cùm sine ullâ restrictione dicta sint, immeritò quisquam ad opera tantùm habitu intensiora restrinxerit, dogmata enim fidei universaliter prolata, universaliter debent intelligi, alioqui nihil certi habebimus, & omnia revocari possent in dubium, & in simili, quando dicitur justificatio fieri per gratiam inhærentem, posset eodem modo quis asserere hoc de aliquâ justificatione intelligendum esse, non de omni.

III. *Indicat Concilium Tridentinum propter opera, etiam minima, ex Christi gratia facta præmium esse conferendum.*

Deinde idem Concilium Sess. 16. ex illo Matthæi 10. vers. 42. & Marci 9. vers. 40. ubi Christus ob calicem aquæ frigidæ alicui quia Christi est, seu in nomine discipuli datum, ait reddendam esse mercedem, ex hoc, inquam, ait Tridentinum indicare Christum nos ob minima etiam opera præmium recepturos, ergo non propter opera tantùm habitu Charitatis intensiora, sed etiam ob remississima quæque, modò in Deo, seu Fide vivâ fiant, & ex gratiâ per Christum (quod, & nihil aliud ad meritum requirit Concilium) asserit præmium, seu gratiæ & gloriæ augmentum esse conferendum. Præterea c. 10. peculiariter de incremento justificationis, ut capitis titulus præ se fert, agens, docet homines per carnis mortificationem, & observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ *ire de virtute in virtutem*, & renovari *de die in diem*, quis autem dicet mandata Dei per opera habitu Charitatis remissiora non observari, imo, ut rectè observant nonnulli, homines ut plurimum majore fervore & conatu in initio agunt, quàm postea, cùm tamen insinuet Concilium homines per singulos actus in justitiâ proficere, & augmentum gratiæ mereri.

Alius Concilii locus pro augmento Charitatis ex operibus remissis.

IV. *Non requirit Cœcilium intensum actum ut dispositionem ad meritum remissi conferendum.*

Nec aliam dispositionem requirit Concilium, ut actus remissus mereatur gratiæ augmentum, ut sæpè dixi, quàm ut fiat in Fide vivâ, & gratiâ per Christum. Quod de augmento gratiæ diximus, idem dicendum est de augmento Charitatis, nam vel gratia & Charitas, ut multi cum Scoto existimant, non distinguuntur, vel, ut communis

Tom. II.

munis habet sententia, sibi invicem ex Dei ordinatione commensurantur, & pares semper habent intensionis gradus, maximè cùm Charitas sit passio naturaliter inseparabilis à gratiâ. Distinguere autem, inter gratiam & charitatem in esse gratiæ & amicitiæ, & in esse qualitatis, vanum est ut affirmant Zumel & Aragonius; in tantum enim gratia & charitas sunt amicitia erga Deum, in quantum sunt tales qualitates homini inhærentes, ipsáque suâ entitate gratos & amicos Dei illos, in quibus sunt, constituunt. Quod de actu remissiore quàm sit habitus diximus, à fortiore dicendum est de actu æqualis cum habitu intensionis; quod enim minus potest, clarum videtur posse majus.

Gratia in esse amicitiæ & qualitatis vana distinctio.

Actus æqualis auget habitum Charitatis.

V. *Obj. in viâ Dei non progreditur agens remissè, ergo regreditur.*

Objicies primò: In viâ Dei non progredi, est regredi, sed qui actus elicit remissiores habitu non progreditur, ergo. Hinc D. Gregorius 3. p. Pastoral. adm. 35. acriter in eos invehitur, qui remissè se ac tepidè gerunt in Dei servitio, & exercitio virtutis, cosque navigantibus adverso flumine comparat, ubi nisi validè contra ictum aquæ decurrentis conentur, retrocedunt, & undarum vi rapiuntur deorsum, laborisque priùs impensi fructum amittunt, ut constat experientiâ.

VI. *Hoc argumentum probaret eum, qui actus remissiores habitu elicit, peccaturum.*

Sed contra: Hoc namque probaret eum, qui actus hujusmodi remissiores eliceret, peccare, & non solùm non præmium, seu gratiæ & gloriæ augmentum, sed etiam pœnam mereri, quod tamen dici nullo modo potest; cùm enim non peccaret is, si nullum omnino actum Charitatis eliceret, utpotè qui, ut suppono, nullam habet obligationem actum Charitatis eliciendi, multo minùs peccaret actum remissum eliciendo, plus namque facit, quàm si omnem actum omitteret, & manifestum est melius esse Deum remissè, quàm non omnino amare.

VII. *Qui actus remissos elicit, pregreditur, quamvis lentè.*

Ad argumentum itaque respondeo, eum, qui actus Charitatis habitu remissiores elicit, progredi, quamvis lentè, & non eo passu quo ferventiores procedunt, & currunt in viâ mandatorum Dei; nullo autem modo dici hic potest propriè retrogredi, aut in Charitate deficere; nullam enim habitus Charitatis partem aut gradum amittit, cùm actus remissus habitum non minuat, imo ut ostendimus, augeat. Qui ergo non progreditur retrogreditur, non formaliter, sed dispositivè; dum enim non progreditur, sed virtutis exercitationem negligit, torpor quidam obrepit, sicque paulatim irruentibus tentationibus in peccatum aliquod grave incidit, & quam longo tempore acquisivit virtutem, momento amittit. Eodem modo respondeo ad dictum illud D. Gregorii; meritò enim eos reprehendit, qui priore fervore relicto, tepidè se habent, & gravi patent ruinæ. Hos etiam non malè navigantibus adverso flumine comparat; hi namque sicut dum languidè decurrentibus undarum fluctibus resistunt, tandem victi difficultate cedunt, omnémque laborem & conatum intermittunt, & hoc pacto aquæ impetu rapiuntur, ita qui in irruentibus tentationibus vincendis frigidè se gerunt, sæpè earum vehementiâ devicti dant manus, & præcipites in peccata, omnémque turpitudinem corruunt.

Exponitur dictum illud S. Gregorii de navigantibus in flumine.

VIII. *Aliud quoad augmentum per actus est de habitibus naturalibus aliud de supernaturalibus.*

Objicies secundo: Habitus naturales non augentur per actus habitu remissiores, sed ad eorum augmentum major intensio requiritur in actu, quàm est in habitu; ergo idem dicendum de habitibus supernaturalibus. Negatur tamen consequentia, augmentum siquidem habitus naturalis physicè producitur ab actu, cum ergo gradus in qualitatibus sint heterogenei, saltem in quibusdam qualitatibus, & sequens gradus perfectior semper sit præcedente, ut ostendi Disputatione decimâ de Generatione, non potest actus remissior habitu producere gradum novum quo intendatur habitus, cùm effectus produci nequeat à causâ se imperfectiore; aliud verò est de habitibus supernaturalibus, hi siquidem nullo modo effectivè producuntur ab actibus, sed tantùm moraliter.

supernaturalibus.

Nullus effectus superat potestatem virtutem sua causæ.

IX. *Dices, Actus intensus ut unum in justo ut sex non potest mereri septimum gradum gratiæ.*

Urgebis, sicut causa physica non potest producere seu causare effectum se perfectiorem, ita nec causa moralis; nec enim siquis alteri leve aliquod obsequium præstet, pileum exempli gratia honoris causâ deponat, meretur prædium ab eo aliquod vel palatium accipere, aut si det obolum meretur equum; ergo si justus ut sex eliciat actum intensum tantùm ut unum, non potest mereri septimum gradum gratiæ, hic enim, heterogeneus cum sit, perfectior est omnibus aliis, utpote qui in intensione illi sunt inferiores.

X. *Dici potest gratiam, & charitatem componi ex gradibus homogeneis.*

Respondetur primò: Negando gratiam componi ex gradibus heterogeneis, sed homogeneis, ut dixi Disp. illâ decimâ de Generatione, sect. 2. num. 6. illas enim solummodo qualitates ibi dixi ex gradibus heterogeneis componi, quæ sunt operativæ, idque univocè, quæ namque vel non sunt omnino operativæ, ut gratia, vel operativæ æquivocè, ut est actus & habitus Charitatis, dixi loco citato posse componi ex gradibus homogeneis.

XI. *Actus remissus meretur de condigno aliquid gratiæ in quocunque subjecto.*

Hinc ergo haud difficulter solvitur objectio; dico enim gradum septimum gratiæ esse ejusdem rationis cum cæteris gradibus, qui antecedunt, unde cùm actus remissus mereatur aliquid, unum scilicet gradum, vel saltem medium, aut quid simile, & sit æqualis cum eo valoris, in quocunque subjecto, sive habeat gratiam intensam sive remissam, augmentum illud merebitur, & gratiam præhabitam intendet. Idem est de actu remisso Charitatis respectu habitus Charitatis, cùm hic, ut jam dictum est, constet similiter gradibus homogeneis.

XII. *Quid dicendum si gradus gratiæ sint heterogenei.*

Secundò dico, etiamsi gratia & charitas componantur ex gradibus heterogeneis, posse nihilominus actum remissum in habente gratiam & Charitatem ut sex, illas aliquantulum augere, non ex valore illius actus præcisè, sed ut est à sex illis gradibus præcedentibus dignificatus; de quo plura mox dicentur. Et per hæc patet qua ratione secundùm Concilium Tridentinum detur gratia juxta cujusque *dispositionem, & cooperationem*; sive enim gradus sint homogenei, sive heterogenei, cùm is, qui habet decem gradus gratiæ melius sit dispositus, quàm qui solùm habet tres, plus etiam gratiæ ob actum ejusdem vel intensionis, vel remissionis accipiet. Quando autem Scriptura tepidos reprehendit, eos intelligit, qui Charitatis opera, ad quæ ex præcepto tenebantur, negligunt, vel qui languidè ac frigidè tentationibus resistendo, peccandi se periculo exponunt, juxta dicta superiùs, numero septimo.

Quo sensu detur gratia juxta dispositionem subjecti.

Quos tepidos reprehendat Scriptura.

SECTIO

SECTIO QUARTA.

Quando, & qua ratione detur augmentum gratiæ.

I. *Quæstio hæc de omnium virtutum infusarum augmento procedit.*

QUOD de augmento Gratiæ hîc dicimus, idem de augmento Charitatis, imo & aliarum Virtutum infusarum dicendum, omnes enim cum gratiâ connectuntur, pariqúe cum eâ passu procedunt; dum namque homo justus per actum supernaturalem, seu in Deo, & ex gratiâ per Christum elicitum meretur, cujuscunque demum virtutis sit actus ille, omnes habitus supernaturales, seu virtutum infusarum, etiam Fidei & Spei augentur, & idem cum gratiâ incrementum accipiunt, omnes siquidem ad interioris hominis renovationem, quam Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. & 10. ait per merita augeri, spectant, nec enim per unum tantùm virtutis habitum, sed per omnes internus animi decor & pulchritudo constituitur.

II. *Statim confertur augmentum gratiæ, actui etiam remisso debitum.*

Hoc verò Gratiæ & Charitatis augmentum, ob quemcunque actum bonum, etiam remissum, statim à Deo confertur: ita Gabriël in 1. Dist. 17. quæst. 4. & in 4. Dist. 14. quæst. 3. dub. 3. Vega lib. 15. in Trid. cap. 19. Suarez de Revivisc. 2 meritorum Disp. 2. Sect. 3. Coninck disputat. 8. de Merito, dubio decimo, num 171. Tannerus hîc, & alii passim. Ratio est: Nullum namque assignari potest tempus commodius, non in hac vitâ, contingere enim potest, ut nullus per totam vitam actus habitu intensior ab illo homine eliciatur, tunc autem secundùm contrariæ sententiæ auctores, hoc augmentum, & actus remissi præmium penitus amitteretur. Nec etiam differri hoc præmium potest ad alteram vitam, terminato siquidem viatoris statu, non potest id commodè dari, quod competit viatori, maximè cùm gloria in alterâ vitâ correspondeat gratiæ, quam quisque in hac vitâ habuit, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. Unde omnino gratis diceretur hoc augmentum post præsentem vitam differri.

Commodius assignari tempus nullum potest, nec in hac vitâ, nec futurâ.

III. *Volunt aliqui præmii illud, seu augmentum dari solùm instanti sequente.*

Tandem non est admittendum quod affirmant aliqui, augmentum scilicet gratiæ pro quocunque actu, etiam intensiore quàm sit habitus, non statim, seu eodem instanti quo elicitur actus dari, sed instanti sequente; sicut enim Sol primo instanti quo fuit produxit lucem, ita non est cur & actus boni meritorii, & Sacramenta ex opere operato, primo instanti quo sunt causa moralis completa, non producant gratiam: alioqui contingere posset, ut actus ultimo vitæ instanti elicitus careret omni præmio, imo si Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ ultimo tantùm instanti vitæ esset completum, sequeretur hominem illum non recipere gratiam, sed mori in peccato.

IV. *Argumentum calculatorum contendens ex nostrâ sententiâ sequi meritum gratiæ infinitæ.*

Hinc verò non levis oritur difficultas, & in qua contrariæ sententiæ auctores suam præcipuè fundant sententiam, non posse scilicet actum remissum mereri augmentum gratiæ; si enim, inquiunt, actui remisso meritorio, primo instanti quo est, debeatur certus gradus augmenti gratiæ, isúque statim sit dandus, si actus ille aliquo tempore duret, merebitur gratiam infinitam; in omni enim tempore determinato, secundùm communem sententiam, includuntur infinita instantia, sicut ergo in primo instanti datur determinatum præmium, seu augmentum gratiæ, ita & in singulis sequentibus, sed hæc, ut dixi, sunt infinita; ergo merebitur gratiam infinitam, cùm singulis instantibus mereatur determinatum gradum.

V. *Hoc argumentum nimium probat, sicque nihil probat. Singulis instantibus singuli respondent gradus.*

Sed contra primò: Hoc namque argumentum probaret, neque actui habitu intensiori dari statim augmentum gratiæ; si enim ex actu remisso sequitur augmentum gratiæ infinitum, à fortiori hoc sequitur ex actu intenso, ut per se videtur manifestum. Deinde ab ipso Vanne, qui illud proponit, solvi hoc argumentum debet in præmio accidentali, quod fatetur merito remisso correspondere; idem ergo hic fieri potest argumentum, actum scilicet meritorium remissum, si per aliquod tempus duret, mereri præmium accidentale infinitum, cùm singulis instantibus mereatur certum gradum accidentalis præmii sicut contendit ipse mereri singulis instantibus in contrariâ sententiâ augmentum præmii essentialis. Tertiò: simili argumento quis probaret, quodvis peccatum mortale, imo & fortassis veniale, si per tempus aliquod, quadrantem nimirum vel horam duret, mereri pœnam infinitam, quod tamen nec ipsi adversarii concedunt.

Variis instantibus ostenditur argumentum illud actui meritorium nimis probare.

VI. *Res spirituales & indivisibiles incipere possût extrinsecè, & desinere intrinsecè.*

Varia à nonnullis hoc loco discuti video de inceptione ac desitione rerum, quæ hîc omitto, quòd ea latè tractaverim in Philosophiâ, disp. 6. de Generatione, ubi ostendi res etiam indivisibiles, ut Angelum, aut rem aliam spiritualem incipere posse *extrinsecè*, seu per *ultimum non esse*, & in tempore, & desinere *intrinsecè*, seu per ultimum esse, & similiter in tempore. Unde hoc nomine nil vetat meritum, seu actum voluntatis, quantumvis spirituale, & extensivè indivisibilem, ad unum tantùm instans persistere, quod tamen fieri non posse contendit P. Vasquez 1. 2. Disp. 54. capite tertio, ubi ait, sicut non potest actus meritorius produci nisi in instanti, ita non posse eum nisi in instanti desinere; unde, inquit, necessariò durare debet per tempus aliquod divisibile, donec scilicet adveniat aliud instans, in quo destruatur. Tempore tamen illo intermedio asserit actum illum durare liberè, cùm priùs & priùs in infinitum ab eo cessare possit voluntas.

Actus meritorius non durat necessariò per ullum tempus.

VII. *Modus philosophandi Patris Vasquez præsentem difficultatem non solvit.*

Sed hæc parum ad præsentis difficultatis solutionem conferunt, tota enim vis argumenti remanet, cùm doceat ipse manere actum per breve saltem tempus, nullum autem est tempus tam breve, in quo juxta hunc philosophandi modum non includantur infinita instantia, & omnes concedunt posse actum meritorium ad aliquod tempus persistere, si ergo in primo instanti mereatur actus præmium certum ac determinatum, quidni idem faciet in sequentibus, cùm, ut diximus, liberè in eo perstet voluntas, & sicut eum continuat, ita ab illo posset cessare. Prædictus ergo Patris Vasquez discursus vim difficultatis non enervat.

SECTIO QUINTA.

Ostenditur primo instanti, non reliquis, dari certam partem gratiæ.

I. VT ergo quid hac in re verisimilius mihi videtur aperiam, existimo cum Suarez lib. 12. de Gratiâ, cap. 21. num. 17. & de Reviviscentiâ meritorum

Tom. II.

meritorum, Sect. 3. Coninck. Disp. 8. de Merito, dub. 10. & aliis actui omni meritorio, etiam remissiori quàm sit habitus, deberi, & statim conferri certum ac determinatum præmium, seu augmentum gratiæ, tempore verò quo post primum instans continuatur, non meretur ullus actus determinatum gratiæ augmentum in quocunque instanti, nisi novus quasi impetus, seu conatus à voluntate circa actum illum adhibeatur, sed solùm unum præmium divisibile accipit, majus aut minus pro tempore quo durat actus continuatio.

Actus meritorius primo instanti pro ductionis meretur determinatum augmentum gratiæ, non sequentibus.

II. Quatuor partes habet assertio: prima, nempe actui omni meritorio deberi & conferri primo instanti quo est, præmium seu augmentum gratiæ, præter dicta supra, numero secundo, sic probatur, nam ut benè Coninck citatus, si quis in peccato mortali existens actum Charitatis, vel contritionis eliciat, gratiam eodem instanti accipiet ex merito de congruo, ergo & justus ut quatuor exempli gratia, si eliciat actum Charitatis, saltem intensiorem habitu, recipiet illo instanti certam partem gratiæ, alioqui justus pejori loco erit quàm peccator, quod nullo modo dici potest. Hinc idem infertur de actu minùs intenso, quàm sit habitus, si quis namque Sanctus ut quatuor eliciat actum ut sex, secundùm adversarios recipiet determinatum gratiæ augmentum, ergo si justus ut 10. eliciat actum ut sex, determinatum etiam gradum gratiæ accipiet, alioqui, ut jam dixi de peccatore, pejore loco erit magis quàm minùs justus, cùm hic certam partem gratiæ recipiat, illi pro actu ejusdem intensionis nihil conferatur.

Ulteriùs ostenditur augmentum gratiæ dari primo instanti existentiæ actus.

III. Idem ostenditur è contrario de actu peccati respectu pœnæ; primo namque instanti, quo quis grave aliquod peccatum admittit, meretur certam partem pœnæ, non damni tantùm, sed sensus, saltem quoad dolorem, qui in adultis semper pœnam damni consequitur: nulla ergo est ratio cur actui meritorio, in primo instanti non debeatur certum præmium, & determinata pars gratiæ statim in hac vitâ conferenda, & gloriæ in futurâ.

Ex merito pœnæ ob peccatum rectè arguitur ad meritum præmii in justo.

IV. Nunc ergo probanda secunda pars conclusionis, in nullo scilicet instanti continuationis, per se loquendo deberi actui meritorio determinatum præmium, seu augmentum gratiæ: primò ergo ostenditur quia id videtur impossibile; si enim quis habens sex gradus gratiæ eliceret actum meritorium, assignari quidem posset quando septimum gradum gratiæ acciperet, in primo scilicet instanti quo hic actus producitur, at verò nullum assignari potest instans in continuatione, in quo producatur gradus octavus; quocunque enim assignato, inter illud instans & primum infinita secundùm hanc temporis constitutionem, ex partibus scilicet in infinitum divisibilibus & punctis, interponuntur instantia, & idem est de nono gradu, & sequentibus; ergo in nullo ex instantibus continuationis mereri hic actus potest augmentum determinatum.

Declaratur quo pacto in nullis ex sequentibus instantibus dari possit determinatum augmentum gratiæ.

V. Secundò ostenditur peculiarem esse rationem cur actui primo instanti quo elicitur potiùs detur determinatum gratiæ augmentum, quàm sequentibus, quia nimirum in primâ ejus productione peculiaris est difficultas, quæ tanta non est in actus continuatione, ut quotidiná constat experientiâ; ergo tunc peculiariter exigit præmium, quod non meretur in instantibus sequentibus.

Peculiaris in primâ actus positione difficultas, peculiariter exigit præmium.

VI. Tertiò, nam ut rectè observat Coninck loco suprà citato, in actibus ad alterius vel honorem vel injuriam spectantibus longè aliter se res habet in primâ illorum productione, ac in eorumdem continuatione, prout à primâ productione distinguitur. Si enim, inquit, duo coram suo principe stent tecto capite, & hanc ei irreverentiam exhibeant, per quadrantem alter, alter paullò diutiùs, puta per mediam horam, hic quamvis duplo diutiùs in illius irreverentiæ exhibitione persistat, nullus tamen censet eum duplo majorem principi injuriam fecisse, sed tantùm paullò majorem, quàm fecerat alter; ergo communi & morali hominum æstimatione multo pluris sit actus alicujus prima productio, quàm ejusdem continuatio, quamvis physicè nihil aliud sit actus continuatio, quàm continua ejus productio.

Moralis hominum æstimatio magis fertur ad primâ actus productionem, quàm ad continuationem.

VII. Tertia pars assertionis, nempe si novus conatus actui addatur, actum meritorium omni instanti determinato, quo hic conatus de novo adhibetur, mereri novum determinatum præmium, & augmentum gratiæ proportionaliter ad conatus majoris vel minoris intensionem, probatur; quolibet enim instanti quo novus hic conatus adjicitur, seu quo voluntas de novo in actum illum meritorium influit, censetur moraliter, imo aliquo modo physicè novus actus, est namque hic influxus productio novi vel restauratio gradus alicujus intensionis jam in actu illo amissi; voluntas siquidem ferventiùs agit in initio, & paulatim languescit, ac primum fervorem intermittit; quocunque ergo instanti hic fervor augetur, & vel gradus aliquis amissus in actu reparatur, vel alius præexistentibus adjicitur, actui illi novum determinatum debetur præmium juxta intensionem hujus novi conatus.

Novus conatus actui additus novum exigit præmium.

Hic conatus vel novum gradum addit, vel amissum restituit.

VIII. Quarta denique conclusionis pars, quòd scilicet pro tempore quo post primam productionem actus durat, respondeat ei unum præmium divisibile, facilè ostenditur; hoc enim merito & gratiæ in ratione causæ & effectus moralis commune est cum causis physicis respectu qualitatum naturalium lucis, caloris, &c. non enim singulis instantibus temporis illius divisibilis, quo operantur, producunt certam & determinatam partem illarum qualitatum, sic namque cùm hæc instantia sint infinita, producerent qualitates hasce infinitè intensas, cujus tamen contrarium manifestâ constat experientiâ. Idem ergo pari ratione dicere in præsenti possumus de actu meritorio, mereri scilicet successivè tempore illo divisibili præmium, seu augmentum gratiæ divisibile. Hoc tamen argumentum solùm habet difficultatem in constitutione temporis ex partibus in infinitum divisibilibus, & instantibus interpositis; si enim tempus alio modo constituatur, facilè hujus objectionis vis eliditur.

Declaratur quo pacto pro tempore continuationis respondeat actui præmium divisibile.

Idem quoad hoc est de gratiâ & qualitatibus naturalibus.

SECTIO SEXTA.

Solvuntur argumenta contra hunc modum explicandi augmentum Charitatis, & alia quædam deducuntur.

I. Objicies primò, ex hac augmenti gratiæ constitutione sequi videtur, melius esse ut quis actus pios & meritorios sæpè interrumpat, & non in eodem actu diu persistat, cùm secundùm nos in primo instanti, quo actus producitur peculiaris semper gratia conferatur, & plus quàm

Dices hinc sequi, melius esse actus interrumpere, quàm continuare.

quàm in instantibus omnibus totius continuationis. Hoc tamen videtur contra Sanctos Patres, qui semper hortantur, ut omnes in bonis operibus, & virtutum exercitio perseverent.

II. *In actuum interruptione periculum est, ne ab iis penitus cessetur.*

Respondetur, si præcisè majus gratiæ & Charitatis augmentum spectemus, melius esse loco actus unius Charitatis, religionis, aut alterius virtutis ut sex per quadrantem continuati, quatuor aut quinque actus ejusdem intensionis successivè elicere: aliunde tamen satius videtur in actu aliquo diu persistere, si enim quis ab actu desistat, periculum est ne alium illius loco non eliciat, & sic ab omni actu cessot, & in otium ac torporem incidat: & hoc tantùm volunt Sancti Patres, dum ad perseverantiam in bonis operibus hortantur.

III. *Quid si duo homines actum meritorium per horam continuent, alter intrinsecè, alter extrinsecè.*

Objicies secundò: Ponamus duos homines, quorum unus actum aliquem meritorium per horam continuat intrinsecè, includendo scilicet etiam ultimum instans, alter verò similem actum per horam continuat extrinsecè, ita nimirum ut actus ultimo illius horæ instanti desinat, sequi videtur hunc secundum æquale præmium mereri cum primo. Aliqui negant casum, dicuntque nec actum illum voluntatis, nec aliam quamcunque rem spiritualem & indivisibilem vel incipere, vel desinere posse in tempore. Cùm tamen supra, Sect. 4. num. 6. dixerim, indivisibilitatem rerum non obstare quo minùs producantur & desinant in tempore, hùc consequenter assero illum, qui uno instanti diutiùs, quàm alter actum meritorium continuat, plus mereri, saltem quoad indivisibile terminativum præmii; unde non malè fortassis philosopharetur qui diceret, actum illum per aliquod tempus continuatum, in partibus temporis mereri novas partes gratiæ, in instantibus verò tantùm puncta illarum partium tam copulativa, quàm terminativum, in quo differunt ab instanti productionis, in quo actus meretur certum ac determinatum præmium ob rationes Sectione præcedente, numero quarto, & sequentibus positas.

Quale præmium debeatur actui in instanti illius terminativo.

IV. *Ad gratiam justâ proportione dandam varia in actu meritorio sunt consideranda.*

Quæres, quâ mensurâ, seu quantitate detur gratia actui meritorio, utrum nimirum secundùm totam illius latitudinem, ita scilicet ut actui meritorio ut sex detur gratia ut sex, an in minore quantitate, & quænam hac in re proportio servetur? Ad resolutionem notandum valorem meriti, non præcisè ab intensione actus boni, sed ex variis aliis capitibus desumi, nempe ex meliori advertentiâ, ex majore sanctitate seu dignitate personæ, ex præstantiori objecto materiali & formali, unde actus voluntatis ut sex dandi parvam aliquam eleëmosynam pauperi ob amorem Dei, non est tanti valoris, nec tantum meretur præmium ac meretur actus ut sex dandi vitam ex eodem Dei amore. Spectanda etiam est difficultas, & aliæ circumstantiæ, quæ in actus meritorii productione identidem contingunt, ob quas fieri potest ut actus inferioris virtutis, patientiæ exempli gratia, in ratione meriti excedat subinde actum virtutis superioris, & plus gratiæ mereatur.

Diversæ circumstantiæ actus augent vel minuunt illius meritum.

V. *Non semper contingit, ut singuli gradus actus meritorii poscant singulos gradus gratiæ.*

Dico itaque non esse necessarium ut in actu meritorio singuli gradus actus mereantur singulos gradus gratiæ, ita ut actui meritorio intenso ut sex dentur sex gradus gratiæ, sed aliquid minus, servatâ proportione bonitatis & præstantiæ actus. Quare ut rectè Suarez de Revivisc. meritorum, ne quidem in omni actu Charitatis hoc reperitur, ut scilicet actus intensus ut quatuor mereatur semper augmentum gratiæ ut quatuor, sed fortè duos tantùm gradus gratiæ merebitur. Quòd si hoc in actu Charitatis contingat, à fortiori dici debet de aliis virtutibus Charitate inferioribus, in quibus quò minor est actus perfectio, eò magis decrescit meritum, & consequenter præmium seu augmentum gratiæ illi respondens: unde cùm gradus gratiæ sint divisibiles in infinitum, actibus minoris & minoris perfectionis & intensionis nunquam deeric præmium competens, minus tamen & minus secundùm proportionem minoris perfectionis & intensionis in actu, sicque actus etiam imperfectissimus non carebit præmio.

Gradus gratiæ, seu præmii sunt in infinitum divisibiles.

Hinc clarè constat, non sequi ex nostrâ sententiâ de augmento gratiæ statim dando, quod aliqui ex eâ tanquam absurdum inferunt, justos scilicet brevi tempore in gratiâ & habitibus supernaturalibus crescere in immensum. Ponamus enim, inquit Victoria Relectione de augmento Charitatis, ponamus inquam, justum ut decem elicere actum meritorium intensum ut decem, jam gratia ipsius & habitus Charitatis (idem est de aliis habitibus supernaturalibus) intendentur ut viginti: eliciat deinde actum ut viginti, habitus supernaturales intensos reddet ut quadraginta, sicque si pergat consequenter, gratiam & Charitatem, aliosque habitus supernaturales in immensum brevissimo tempore augebit.

VI. *Non sequitur ex nostrâ sententia justos in gratiâ & habitibus supernaturalibus crescere in infinitum.*

Sed præterquam quòd nonnullis haud ita videatur inconveniens, justos scilicet, si cum tanto fervore operarentur, in immensum hoc modo crescere, quod in Beatissimâ Virgine de facto contigisse docet Suarez Disp. 2. de Revivisc. meritorum 3. Sect. 3. num. 48. & Tomo secundo in tertiam partem, Disp. 18. Sect. 4. §. *Dico secundò*, verisimile esse affirmat, eam plures gradus gratiæ adeptam esse, quàm in Sanctis omnibus tam hominibus, quàm Angelis simul sumptis reperiantur, ita ut, si ex omnibus eorum gratiis unam intensissimam gratiam conflatam conciperemus, ad intensionem tamen gratiæ Virginis non pertingeret. Præterquam ergo quòd quibusdam hoc non videatur incommodum, ex nostrâ tamen sententiâ nullo modo sequitur, ut num. 5. ostendi, ubi dixi præmium, non arithmeticè, sed in minore proportione respondere intensioni actus, maximè in aliis virtutibus à charitate, actibus enim Charitatis appretiativè perfectissimis dicunt aliqui præmium secundùm totam latitudinem intensionis conferri, hos tamen justi in hac vitâ rarissimè eliciunt.

VII. *Quibusdam non videtur incommodum quod justi aliqui hoc modo crescant in Charitate.*

Beatissima Virgo ad immensum penè gradum gratiæ infrà Christum pervenit.

Urgebis, hæc quidem probant actui secundùm se, & sua prædicata essentialia seu substantialia sumpto non deberi præmium arithmeticè æquale, ita nimirum ut actui intenso ut sex detur præmium, seu gratia ut sex, idque ut videtur ob excellentiam gratiæ habitualis, quæ est prima radix habituum infusorum, & veluti natura in ordine supernaturali, ad quam sequuntur habitus supernaturales sicut potentiæ sequuntur ad animam: imo Lugo Disp. 8. de Incarn. sect. 3. n. 28. prope finem, ait gratiam habitualem esse meliorem visione ipsâ beatificâ, utpote ex quâ gratia sicut ex radice oritur. Hæc itaque esto ita se habeant, si tamen actus hi supernaturales informentur, ut ita dicam, gratiâ, hoc est eliciantur à subjecto habente gratiam habitualem, actus aliquis supernaturalis procedens à subjecto grato ut sex mereri poterit gratiam ut sex, cùm æqualis gratia teneat se ex parte meriti & præmii: hinc autem, ut

VIII. *Quid si actus sit in subjecto habente sex gradus gratiæ, quale præmium merebitur.*

Videri posset actus meritorius in habente gratiâ ut sex, mereri præmium ut sex.

Tom. II. discurrenti patebit, sequitur justos brevi tempore in gratiâ crescere in immensum. Hæc difficultas petit duas Sectiones sequentes.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrùm ex majore gratiâ habituali crescat boni operis meritum.

I. *Negant aliqui ex gratiâ habituali crescere meritum.*

PRIMA sententia negat majorem gratiam habitualem, seu hanc personæ dignitatem quidquam meriti in opus refundere, sed si duo inæqualem habentes gratiam, æqualiter operentur, hoc est, actum ejusdem virtutis, puta obedientiæ, vel patientiæ eliciant, & æqualis intensionis, æquale eos præmium, seu augmentum gratiæ & gloriæ dicunt hi auctores recepturos: ita Medina 1. 2. quæst. 114. art. 8. ubi Cano & alios sui ordinis citat Pro eâdem etiam opinione citari solet Gerson tractatu de Merito Idem tenet Vasquez Tomo primo in tertiam partem, Disp. 6. cap. 4. & alii. Suarez etiam, quamvis sit in contrariâ sententiâ, hanc nihilominus ait esse satis probabilem.

Hæc sententia nec ratione nec auctoritate destituitur.

II. *Major gratia habitualis reddit actum præmio majore dignum.*

Secunda, quam longè probabiliorem existimo, sententia affirmat majorem gratiam habitualem influere moraliter in actum, eumque reddere præmio ampliore, gratiâ scilicet & gloriâ majore dignum. Hanc sententiam expresè tenere videtur Doctor Angelicus in 2. Distinct. 29. q. 1. art. 4. ubi dicit actus meritorii valorem tum ex objecto & voluntate, tum ex gratiâ mensurari posse: Quare, inquit, *quanto majori gratiâ actus informatur, tanto magis est meritorius.* Citari etiam aliis locis pro eâdem opinione solet S. Doctor, ut 1. parte, quæst. 95. art. 4. & 1. ad Corinthios, lect. 2. & alibi; sed cum illis locis incertum sit, utrum de gratiâ habituali intelligenda sint, an de actuali Charitate, ex qua actus procedit, eorum relatione supersedeo. Eadem sententia tribuitur Almaino, Cordubæ, Victoriæ, Pennæ, & aliis cum Gabriele in 2. Distinct. 29. quæst. unicâ, art. 1. & art. 2. Concl. 4. Idem docet Suarez Tomo 1. in 3. partem, Disputat. 4. Sect. 4. §. *ad primum*, Valentia Tomo 2. Disp. 8. quæst. 6. punct. 3. Henriquez de fine hominis, cap. 20. §. 1. Granado in 2. 2. tract. 11. de Gratiâ, Disput. 2. Sect. 2. multique ex recentioribus.

Theologi tum novi, tum antiqui docent gratiam habitualem influere in actus meritorios.

III. *Dignitas personæ moraliter in opera omnia meritoriâ influit.*

Ratio est; dignitas quippe personæ plurimùm ad operis valorem & meritum conducit, & moraliter in omnes bonas illius operationes influit. Sic in humanis videmus, quò quis est in altiori gradu constitutus, eò cæteris paribus ejus opera majoris valoris ac meriti censeri, majoréque præmio digna. Hinc in militiâ, æquales viri alicujus illustris ac nobilis labores ab omnibus pluris fiunt, quàm gregarii militis, magisque remuneranda. Jam verò gratiam conferre ad dignitatem personæ, luce clarius est, cùm hominem reddat amicum Dei, dignumque ad aliquid ab eo merendum, ut apud omnes est in confesso; facit quippe ut opus illud sit personæ eximiæ & excellentis in ordine supernaturali, sicut dignitas temporalis in ordine naturali; ex quo sequitur, sicut præmium naturale hujus operibus debitum esse debet in hoc genere eximium, ita præmium alterius eximium esse debere in genere supernaturali, ut sit operibus à tam excellente personâ procedentibus proportionatum. Si ergo gratia reddat personam in qua est, excellentem, major gratia reddet excellentiorem, & ampliore præmio dignam, juxta commune illud, & ab omnibus admissum axioma: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

Gratia hominem eximium reddit in ordine supernaturali, sicut honor temporalis in naturali.

IV. *Gratiam habitualem augere meritum ostenditur exemplo gratis unionis.*

Secundò hoc idem probatur exemplo operum Christi, quæ ex dignitate personæ, & gratiâ increatâ Verbi hauriunt valorem infinitum, ergo & gratia creata personæ eam habenti dignitatem conferet, ejusque opera, quamvis in inferiore longè genere præmio digniora efficiet, quàm forent eadem opera, si persona illa exercens gratiam habitualem non haberet, & consequenter juxta doctrinam præcedente numero traditam, major gratia habitualis dignitatem personæ augebit, reddétque operationes ejus omnes præmio majore dignas.

V. *Quantumcunque gratia habitualis sit quid accidentale, potest nihilominus addere valorem operibus.*

Dices: Gratia increata Christi est substantialis, sicque in alio genere significat opera humanitatis, eáque reddit valoris infiniti: at verò gratia nostra est accidentalis, ac proinde dignificabit opera solùm juxta mensuram ipsorum operum; unde quantumcunque augeatur, non videtur posse novum valorem addere operibus. Sed contra: Gratia increata Verbi ideo opera Christi elevat ad tam eximiam rationem meriti, quia personam reddit tantæ dignitatis & excellentiæ, sed gratia habitualis peculiarem etiam dignitatem addit personæ, hominem quippe reddit filium Dei adoptivum, & divinæ naturæ aliquo modo participem; quidni ergo & novum valorem indere poterit ejus operibus, cùm jam ea exerceat ut filius Dei, omnésque ejus actiones ad vitam æternam, quæ est hæreditas filiorum Dei, consequendam ordinentur. Quare licèt opera in se non augeantur intrinsecè, novus tamen iis accrescit valor ab extrinseco, ad quam rem non parum facit illud Genesis 4. vers. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*, ergo dignitas personæ aliquid ejus muneribus addidit, ex quo Deo placuerunt. Nec refert gratiam nostram esse accidentalem, sicut enim hoc non impedit quo minùs personam in qua est reddat excellentiorem, ita ejus opera facere similiter potest excellentiora, & præmio majore digna: quemadmodum etiam dignitas regia est quid personæ accidentale, ejus opera nihilominus apud omnes æquos rerum æstimatores in majore pretio ponit, longéque reddit laudabiliora.

Gratia hominem reddit filium Dei adoptivum, & jus confert ad hæreditatem vitæ æternæ.

Novus meritis exigentiâ accrescit valor.

Declaratur exemplo ab humanis desumpto.

SECTIO OCTAVA.

Argumenta contendentia ex majore gratiâ habituali actibus meritoriis valorem non accrescere.

I. *Objic. Ergo actus remissus magis justi plus meretur, quàm intensius minùs justi.*

VASQUEZ, qui Tomo primo in tertiam partem, Disp. 6. cap. 4. ut diximus Sectione præcedente, est in contrariâ sententiâ, objicit primò: Si, inquit, major gratia habitualis majorem valorem addat actui meritorio, sequitur opus quantumcunque remissum viri alicujus sancti, qui habet gratiam habitualem valdè intensam, plus mereri, quàm mereatur ferventissimus actus justi, qui minùs habet gratiæ; quod tamen falsum videtur, Deus quippe non respicit personas, sed opera; unde in sacris literis dicitur unusquisque recepturus *secundùm opera sua.*

Respondetur,

II. *Deus præmia reddit operibus, non physicè, sed moraliter sumptis.*

Respondetur, Deum reddere unicuique secundùm opera, non physicè, sed moraliter sumpta, & cum omnibus circumstantiis; si autem hoc modo sumantur opera, seu secundùm moralem æstimationem, major gratia, ut Sectione præcedente ostensum est, reddit ea digna majore præmio, cùm dignitatem personæ augeat, & consequenter præstantiam aliquam in illius actiones refundat, & hoc pacto eas in genere moris elevet, influendo scilicet in illas, non physicè, physicus siquidem influxus nihil facit ad meritum, sed moraliter.

III. *Ostenditur opus remissum magis justi plus mereri, quàm intensum minùs justi.*

Per se ergo loquendo opus remissum justi, qui multo plus habet gratiæ, plus meretur quàm opus fervidum minùs justi, quique gratiam habitualem non ita habet intensam; & hoc, ut dixi, est respicere opera, cùm opus hoc in genere moris verè sit præstantius, majoréque æstimatione & præmio dignum, & melior dispositio perfecti ad optimum. Dixi, *per se loquendo*, si enim exigua esset in gratiâ diversitas, & opus minùs justi valdè aut secundùm intensionem aut substantiam superaret opus alterius, ut si esset actus Charitatis, & magis justus solùm eliceret actum temperantiæ, posset is mereri majus præmium.

IV. *Dicunt aliqui sequi ex hac sententiâ incredibile augmentum gratiæ.*

Objicit secundò Vasquez id, quod in fine Sectionis sextæ proposui, sequi scilicet ex hac sententiâ incredibile augmentum gratiæ; ponamus enim hominem habentem gratiam ut centum, hic eliciendo vel minimum actum meritorium merebitur alios centum gradus gratiæ, cum actus ille sit meritorius ut centum, gratia siquidem præexistens secundùm nos infundit ei valorem, si ergo major gratia reddat opus magis meritorium, cùm gratia ut unum reddat illud meritorium ut unum, gratia ut centum reddet meritorium ut centum, suum quippe in illud valorem refundet, & hac ratione brevissimo tempore in immensum crescet ejus gratia, & augmentum penè incredibile recipiet. Hoc argumentum sicut calculatoria omnia, haud parum secum affert molestiæ.

Argumentum calculatorium.

V. *Tota gratia habitualis personæ operantis auget valorem actus meritorii, non tamen ad æqualitatem.*

Ad hoc tamen argumentum eodem modo respondeo sicut supra, Sect. 6. num. 5. 6. & 7. respondi de intensione actus meritorii. Dico itaque totam gratiam personæ actum meritorium exercentis ad valorem actus & meritum augendum conducere, non tamen ita ut gratia ut sex conferat actui valorem ut sex, seu ad æqualitatem, sed tantummodo secundùm quandam proportionem, ita nimirum ut quò quis plus habet gratiæ, eò ob majorem personæ dignitatem, actus ejus, cæteris paribus, magis sit meritorius, & plus gratiæ obtineat, non tamen ad æqualitatem gratiæ in operante, sed aliquid, imo multo minus, ut loco citato de actus intensione est declaratum.

VI. *Idem de singulis gratiæ partibus est respectu partium præmii, ac totius gratia respectu præmii totius.*

Quod de totâ gratiâ diximus respectu totius præmii, dicendum (si quis ita minutim velit procedere) de singulis gratiæ partibus respectu singularum partium ejusdem præmii; sicut ergo gratia ut sex personæ operantis non meretur præmium, seu augmentum gratiæ ut sex juxta jam dicta, sed in longè inferiore mensurâ, ita singulæ partes gratiæ singulas partes præmii, ex quibus totum præmium componitur, merentur, sed unaquæque pars gratiæ partem præmii, seu augmenti gratiæ meretur sibi in quantitate multo minorem, cúmque partes gratiæ sint in infinitum in minores & minores divisibiles, nunquam partibus gratiæ tenentibus se ex parte valoris actus meritorii, suum deesse potest præmium.

VII. *Cur gratia secundùm totam suam Latitudinem dignificet personam, non tamen ejus actus.*

Dices: Gratia illa dignificat personam secundùm totam suam latitudinem, ita ut gratia ut quatuor hominem eam habentem reddat sanctum ut quatuor, cur ergo non eodem modo dignificat ejus actus, & valorem ut quatuor in eos non refundit? Respondetur, gratiam sanctificare & dignificare personam, eam informando, eíque inhærendo: unde sicut ob hoc calor ut sex reddit subjectum cui inest, calidum ut sex, & frigus ut sex in eodem gradu frigidum, ita gratia secundùm gradus quos habet, reddet subjectum suum gratum. At verò gratia actus meritorios non informat, sed tantùm per moralem respectum iis extrinsecè quodammodo conjungitur, sicque nil mirum si non eâ excellentiâ actus dignificet, ac dignificat subjectum.

VIII. *Alia solutio argumenti numero quarto propositi.*

Solutio supra, numero quinto & sexto data procedit in sententiâ gradus intensionis gratiæ constituente homogeneos, qui namque eos dicunt esse heterogeneos, asserunt justum, qui haberet gratiam ut centum, mereri novum gradum gratiæ, qui est præstantior cæteris, sicque actus aliquo modo est meritorius ut centum, non quod centum novos gradus mereatur, sed unum qui centesimum, & consequenter inferiores omnes, qui à centesimo quasi absorbentur, in valore superat. Notandum verò non à solâ gratiâ valorem actus desumi, sed semper habendum esse respectum ad substantiam & circumstantias actus. Multo tamen faciliùs meo judicio solvitur argumentum, si gradus gratiæ juxta jam dicta statuantur homogenei. Nonnemini tamen fortè haud ita inconveniens videbitur, gratiam hoc modo in immensum per merita augeri, sed maximè ad liberalitatis ac munificentiæ divinæ commendationem spectare.

Facilius solvitur difficultas si gradus gratiæ statuantur homogenei.

IX. *Volunt nonnulli non dari intensionem gratiam habitualem, sed aliam in substantiâ perfectiorem*

Tandem dicunt aliqui, augmentum gratiæ ob hujusmodi actum meritorium in magis justo, non fieri addendo novum gradum gratiæ, vel homogeneum, vel heterogeneum, sed dando gradum non in intensione, sed in substantiâ, seu individuali ratione perfectiorem. Ut verum fatear, non video cur hoc absolutè fieri nequeat, nullam enim convincentem causam video cur hujusmodi gratia non sit possibilis, nullum tamen inconveniens vitatur per hunc modum respondendi, quod non æquè facilè vitatur addendo vel unum vel plures gradus gratiæ sive homogeneos, sive heterogeneos, ut jam est declaratum.

X. *Declaratur ulteriùs, quo pacto gratia habitualis concurrat ad augendum meritum in actu.*

Objicies tertiò: Non meremur habitibus, sed actibus, sicut nec per habitus demeremur, ergo habitus gratiæ ad meritum non conducit, sed hoc adæquatè consistit in actibus, & penes horum intensionem & perfectionem substantialem mensura meriti est desumenda, gratia proinde materialiter tantùm & concomitanter se habet ad meritum. Respondetur, quamvis gratia directè non concurrat ad actum, concurrit tamen ad eum in ratione meritorii, quatenus scilicet augendo dignitatem personæ, in omnes ejus operationes influit moraliter, majoréque eas reddit præmio dignas, ut hac & præcedente Sectione ostensum est: cùm ergo gratia sit circumstantia personæ, cujus major excellentia plurimum conducit ad valorem in actus refundendum, dici nequit habere se materialiter vel concomitanter.

Gratia moraliter influit in actus, non physicè.

XI. *Objic. Sequitur in primo instanti actū*

Objicies quartò: Non solùm sequitur ex nostrâ sententiâ incredibile augmentum gratiæ, ut contendebat secunda objectio, numero quarto posita, sed ulteriùs sequi videtur gratiam in eodem instanti,

Tom. II.

bonum mereri gratiam infinitam.

instanti, primo scilicet, quo actus aliquis bonus producitur, augeri in infinitum. Ponamus exempli gratia habentem gratiam habitualem ut tria, actum aliquem meritorium in instanti A. elicere, acquiret eodem instanti adhuc unum gradum, ergo illo instanti habebit gratiam ut quatuor, ergo actus est adhuc meritorius, ergo intuitu hujus quarti gradus addi subjecto debet alius gradus, sicque erit meritorius ut quinque, & sic in infinitum, ergo justus quovis instanti quo operatur, merebitur gratiam infinitam.

XII.

Qua dignitas personæ spectetur ad meritum, & majorem gratiam obtinendam.

Respondetur, ad meritum spectari solùm debere dignitatem, quam habet persona independenter à suo opere, ut in humanis constat, estque aptissimum exemplum quod afferunt nonnulli de Rege aliquo, qui præmia militibus decerneret, uniuscujusque dignitati accommodata, verbi gratia, ut qui primarium hostilis exercitus ducem occideret, si esset plebeius, fieret nobilis, si nobilis, Comes, si Comes, unus ex magnatibus, &c. Petrus gregarius miles ducem illum occidit, non propterea fit statim unus ex Magnatibus, & tamen idem hic fieri posset argumentum; si enim ad dignitatem hujus operis sufficiat dignitas personæ in posteriori signo illius instantis acquisita, Petrus uno instanti ascenderet ad omnes illos honorum gradus. Idem ergo suo modo dicendum est de gratiâ, quæ in præmium hujus operis conceditur.

XIII.

Quamvis actus dignificari interdum possit à gratiâ illum subsequente, non tamen quæ eidem datur per modum præmii.

Ratio verò est, actus namque esto dignificari interdum possit à gratiâ, quæ in instanti aliquo est in subjecto pro signo posteriori, ut cùm justus ut quatuor jam proximè potens ad peccatum aliquod mortale admittendum, tentationem illam vincit per actum supernaturalem, & hoc pacto gratiam conservat, gratia illa ut quatuor sic conservata, & consequenter huic actui, per quem conservatur posterior, hunc ipsum actum dignificat ad novum præmium, quintum scilicet gradum gratiæ: quod ergo dicimus est, non posse actum dignificari à gratiâ, quæ ei datur in præmium, hoc enim lumine naturæ constare videtur, & ostensum est exemplo militis numero præcedente adducto; præmians siquidem ex iis movetur, quæ merens de suo affert independenter à præmio, ut per se videtur manifestum. Deinde, si aliud non esset, ex eo tamen hoc sufficienter ostenderetur, quòd hac ratione vitetur illud incommodum, processus scilicet in infinitum, quod contrariæ sententiæ auctores inferre ex nostrâ doctrinâ conabantur. Conservatio autem illa gratiæ, de quâ proximè dictum est, non datur à Deo per modum præmii, sed quòd Deus punire nolit innocentem, nec gratiam ab eo auferre, qui hujus pœnæ privativæ causam non dedit.

Lumine naturæ constare videtur, præmium non posse ingredi rationem meriti.

XIV.

Dices circumstantia personæ nondignificat actū, nisi cognoscatur.

Objicies quintò: In tantùm dignitas personæ conducit ad majus meritum, in quantum reddit actum meliorem, & magis laudabilem, sed major dignitas personæ non facit actum magis laudabilem, ergo: probatur minor, in tantum circumstantia aliqua actum reddit magis laudabilem, in quantum est voluntaria, sed circumstantia personæ sæpè non est voluntaria, frequenter siquidem non cognoscitur, *nihil autem volitum quin præcognitum*; quòd autem frequenter personæ dignitas non cognoscatur, clarum est, tum quia dum quis benè operatur, ad hanc sæpissimè non reflectit, tum etiam quia interdum contingit, ut aliquis credat se non esse in gratiâ, & tamen benè operando mereatur, ergo, &c.

XV.

Circumstantia personæ ignoratæ potest refundere bonitatē in actum.

Respondetur, circumstantiam personæ, etiam ignoratam refundere posse dignitatem in actum, & conferre ad eum reddendum meliorem moraliter, & honestiorem; quod negare etiam non possunt adversarii, cùm dicant gratiam habitualem, quantumcunque ignoratam spectare ad rationem meriti. Ad quod facit illud Aristotelis 8. Ethicorum, ad hanc ipsam rem allatum à Sancto Thoma 2. 2. quæst. 23. art. 7. Corpore: *Virtus est dispositio perfecti ad optimum*; cùm ergo per gratiam habitualem ordinentur opera ad finem ultimum & gloriam, actus qui conjungitur cum gratiâ, simpliciter dicendus est melior alio, qui cum gratiâ non conjungitur, eò namque actus est melior juxta Aristotelem & Sanctum Thomam, quò est in ordine meliore ad finem ultimum. Quod dico de gratiâ habituali, à fortiori dicendum est de unione hypostaticâ.

XVI.

Quæ circūstantia cognosci debeāt, ut refundāt vel bonitatem vel malitiam in actum.

Dices: Sacerdos nesciens se esse Sacerdotem, fornicando non committeret sacrilegium, ergo nulla circumstantia refundit vel malitiam, vel laudabilitatem in actum, nisi cognoscatur. Negatur tamen consequentia, multæ etenim sunt circumstantiæ non cognitæ in actibus, quæ augent vel minuunt eorum bonitatem & malitiam, quales sunt major vel minor intensio aut remissio, major vel minor libertas, &c. Illæ ergo tantummodo circumstantiæ cognosci debent, quæ aliquo modo tenent se ex parte objecti, hujusmodi autem est circumstantia sacri ordinis, quæ ideo constituit sacrilegium, quia opus illud est peculiariter prohibitum sub illâ circumstantiâ, seu ut connotans sacrum ordinem.

XVII.

Cur ex majore gratiâ bonitas actûs accrescat, & non malitia ex pluribus peccatis.

Objicies sextò: Ex pluribus & majoribus peccatis antecedentibus non refunditur major malitia in actum, ergo nec ex majore gratiâ quidquam actui accrescit bonitatis, neque ex eâ erit melior, magisve meritorius. Respondetur, latam hîc esse disparitatem; gratia siquidem, ut jam dictum est, simpliciter requiritur ad meritum de condigno, unde & major gratia majorem in hoc genere actui conferet dignitatem. *Sicut* enim *se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*: peccatum verò, seu vilitas personæ non requiritur ad peccandum, cùm etiam justi peccent. Quemadmodum ergo peccatum, seu vilitas antecedens personæ non est simpliciter necessaria ad peccandum, ita nec major vilitas confert directè & formaliter ad peccandum graviùs.

XVIII.

Primū peccatum mortale meretur pœnam æternam, non tamen quivis actus bonus, de condigno gratiam & gloriam.

Addo ulteriùs, etsi quodvis peccatum mortale, etiam primum, mereatur pœnam æternam, quivis tamen, seu primus actus bonus, etiam supernaturalis, non meretur de condigno gratiam & gloriam, plura namque requiruntur ad bonum quàm ad malum, unde actus etiam indeliberatus, & pura omissio sufficiunt ad peccatum, non tamen ad meritum. Hinc actus attritionis, etiam supernaturalis in peccatore non expellit peccatum mortale secundùm omnes, sed ad hoc requiritur contritio, vel amor Dei super omnia, qui tamen actus peccatum ex naturâ suâ non expellunt, quod de aliis plurimis actibus supernaturalibus à fortiori dici posset, cùm nihilominus quodvis vel minimum peccatum mortale expellat gratiam: unde diversissima ratio est peccati respectu pœnæ, & actus boni respectu præmii.

DISPUTA-

DISPUTATIO TRIGESIMA NONA.

De diminutione Charitatis.

CHARITATEM via corrumpi ac destrui posse, idq; non per infidelitatem tantùm, ut perperam cum Luthero asserunt novatores, sed per omne omnino peccatum grave, constans esse Theologorum doctrina, divini etiam verbi calculo firmata. Hoc proinde sectariorum pronunciatum Tridentina Synodus reprobat, ac veluti sacris Literis contrarium damnat, nec infideles solùm, sed fideles etiam, si se lethali peccato obstrinxerint, quodcunque demum illud sit, & à Christi gratiâ excidere, & si in hujuscemodi delicto ad finem usque vitæ persistant, à regno Dei excludi affirmat. In præsenti ergo Disputatione inquirendum, utrùm sicut per peccata mortalia gratia & Charitas, quæ pari semper passu cum gratiâ procedit, corrumpuntur, ita per venialia minuantur, & gradus aliquos intensionis amittat.

SECTIO PRIMA.

Possitne habitus Charitatis per peccata venialia minui.

I. *Dicunt aliqui minui Charitatem per peccata venialia,*

PRIMA sententia affirmat habitum Charitatis aliquid de suâ intensione per peccata venialia amittere: ita Dionysius Carthusianus in primò, Dist. 17. quæst. 9. Altisiodorensis 3. part. tract. 5. cap. 5. Hoc etiam probabile censet Victoria Relectione de augmento Charitatis parte secundâ: favere item videtur Richardus in primo, Distinct. 17. quæstione ultimâ & alii nonnulli. Quæstio autem procedit de lege ordinariâ, per potentiam namque absolutam posse Deum, ubi quis venialiter peccat, aliquid ei habitus Charitatis auferre, seu ultimum intensionis gradum, vel partem gradus auferre, nulli dubium esse potest, sivé tunc diceretur Deus partem illam gratiæ auferre propter peccatum veniale, sive non; saltem hoc peccatum in eo casu esset conditio, quâ positâ Deus gratiam illam auferret, sicut positâ aliâ quacunque conditione, posset si vellet, aut gratiam, aut aliud quidvis vel dare vel auferre.

Controversia tantùm est de lege ordinaria.

II. *Intensio gradum Charitatis non minuitur per peccata venialia.*

Dicendum primò: peccata venialia habitum Charitatis quoad intensionem non minuunt: ita S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 10. estque communis Theologorum sententia: imo Bannez, Valentia, & alii opinionem contrariam ut falsam improbabilem, ac fere temerariam rejiciunt, utpote Theologis propè omnibus sine ullâ urgente ratione contrariam.

Ratio conclusionis est, nam ut optimè advertit S. Thomas citatus, peccata venialia habitui Charitatis nec physicè nec meritoriè opponuntur: non physicè; actus enim habitibus non sunt contrarii, nisi ratione habituum quos producunt, habitus autem naturales seu acquisiti habitibus infusis non opponuntur, sed cum iis stant, etiam in gradibus intensis, ut constat in illo, qui diu se in virtutum actibus exercendo, copiosam gratiam & intensos habitus supernaturales sibi unâ cum gratiâ infusos accepisset, hic namque si gravibus se postea sceleribus contaminaret, intensissimósque vitiorum habitus acquireret, ac deinde resipisceret, gratiam totam amissam, per reviviscentiam meritorum recuperaret; ergo habitus vitiosi, etiam intensissimi cum intensissimis habitibus infusis virtutum simul in eodem subjecto consistunt cùm per hoc nihil vitiosorum habituum amittat; ergo peccata venialia gratiæ & habitibus infusis physicè non opponuntur.

III. *Peccata venialia nec physicè nec demeritoriè opponuntur habitui Charitatis.*

Habitus etiâ intensissimi vitiorum stant in eodem subjecto cum habitibus infusis.

Jam verò quòd nec opponantur meritoriè, ex eodem sancto Doctore apertè ostenditur: *Cum enim, inquit, aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori*; nec Deus tam gravi pœnâ punit levia peccata. Quod autem hæc esset gravissima pœna inde constat, si namque ob peccatum veniale auferatur ab aliquo pars gratiæ habitualis, eâdem operâ pars æternæ beatitudinis huic

IV. *Declaratur quo pacto peccata venialia habitui Charitatis non contrarientur demeritoriè.*

Tom. II.

Sequitur justum propter peccatum veniale in æternum puniri.

huic gratiæ respondens illi aufertur, sicque ob leve peccatum erit in æternum minùs beatus, quod haud dubiè est pœna longè gravissima, æternùm duratura, quamvis namque per actus bonos quos postea elicit, novos gradus gratiæ acquirat, hi tamen gradus actibus istis tanquam præmium dantur, sicque in perpetuum minus gratiæ habebit, quàm si priorem gratiam non amisisset, atque ita parte aliquâ beatitudinis propter peccatum veniale semper carebit, & pœnâ hac privativâ in æternum plectetur.

V. *Sequeretur posse justum ob sola peccata venialia totâ gratiâ spoliari.*

Probatur conclusio secundò: Si enim per unum peccatum veniale pars aliqua gratiæ & Charitatis in justo ut sex exempli causa tollatur, per secundum tolletur alia pars, sicque demum ita multiplicari possent peccata venialia, ut per illa sola quis totâ gratiâ habituali spoliaretur.

VI. *Variè refellitur eorum responsio, qui aiunt ultimum ex his peccatis venialibus transire in mortale.*

Respondent aliqui, peccatum illud per quod tollitur ultima pars Charitatis & gratiæ, fore mortale. Sed contra: fieri enim potest ut non sit gravius, imò potest esse levius præcedentibus, gratis ergo dicitur esse mortale. Dices ideo erit mortale quia tantum damnum infert homini. Contra primò, non infert majus damnum quàm peccatum præcedens, imo fortasse minus, & minore parte gratiæ eum privat; saltem constat minus damnum ei inferre, quàm intulerunt omnia venialia præcedentia simul sumpta, & tamen, etiam secundùm adversarios sunt tantùm venialia, ergo ratione hujus damni illati præcisè peccatum ex se veniale non redditur mortale.

VII. *Ex eo quòd ultimùm hoc peccatum privet animam omni gratiâ non transit in mortale.*

Dices, in eo consistit peculiaris gravitas ultimi peccati præ reliquis, quòd animam spoliet omni charitate & gratiâ. Contra primò, committens hoc peccatum veniale non novit se non habere nisi tantum gratiæ, quantum per unum veniale peccatum auferri potest. Contra secundò, hinc quippe sequitur omnia hominis alicujus peccata venialia esse mortalia; cùm enim nemini notum sit quantum habeat gratiæ, exponet se periculo totam gratiam amittendi, & hac ratione secundùm hos auctores peccatum quodcunque veniale deliberatè committendo, peccabit mortaliter, cùm nesciat utrum eam solummodo portionem gratiæ habeat, quæ ab uno peccato veniali possit auferri.

VIII. *Gratis dicitur ultimam gratiæ partem auferri non posse.*

Victoria, ut hujus vim argumenti declinet, ait ultimam charitatis & gratiæ partem per nulla omnino peccata venialia, quantumvis multiplicentur, tolli posse. Sed hoc omnino gratis dicitur, quo enim fundamento asseruerit quisquam, cùm priores partes gratiæ per peccata venialia minora, ut contingere potest, sint ablatæ, quo inquam, vel probabili fundamento dicetur ultimam per peccatum vel æquale, vel etiam majus præcedentibus, imo quotcunque postea homo ille admiserit venialia peccata, auferri non posse.

IX. *Nullum est fundamentum dicendi non posse tot peccata venialia sine actus boni interpositione committi, ut ultima pars gratiæ tollatur.*

Tertiò dicunt nonnulli, justum aliquem nunquam tot peccata venialia simul committere, quin actus aliquos bonos interponat, per quos gratia, quæ per peccata illa venialia diminuta est, reparatur, sicque ad ultimum gradum gratiæ nunquam pervenitur, nec ullum est periculum illum amittendi. Sed contra; quæ enim in hoc vel apparens repugnantia, ut quis, præsertim qui remissam valdè habet gratiam, tot sine interpositione actus ullius meritorii peccata venialia committat, quæ sufficiant ad exiguam gratiam demeritoriè auferendam. Eodem modo refellitur quod respondent alii, peccata scilicet venialia disponere ad mortale, & hoc pacto antequam ad eum numerum peccatorum venialium quis perveniat, quibus tota gratia amittatur, peccatum aliquod mortale ab ipso committendum, per quod gratia omnis deperdatur, sicque nunquam perdetur per venialia. Sed hoc merè est divinare, quid enim vetat aliquem tot peccata venialia sine mortalis peccati interpositione committere, quæ juxta hujus sententiæ principia ad gratiæ, saltem remissæ, destructionem sufficiant, nullam certè ullius momenti hujus rei rationem existimo reddi posse.

Neque etiam est necesse, ut inter multa venialia quis committat mortale.

X. *Quid ad dictum argumentum respondeat Altisiodorensis.*

Tandem itaque Altisiodorensis ait, ob æqualia etiam peccata venialia non semper tolli æqualem partem gratiæ, sed majorem in eo qui habet plus gratiæ, minorem in habente minus; cùm ergo, inquit, gratia secundùm partes intensionis sit divisibilis in infinitum, nunquam, quotcunque justus aliquis peccata venialia commiserit, totam gratiam, seu omnes ejus partes destruet. Sed contra, si enim tanta, vel etiam majoris gravitatis peccata venialia committat qui minus habet gratiæ, quàm qui habet plus, non est cur non æquè, aut etiam magis puniatur, sicut nullus negat quin puniendus sit majore pœnâ in purgatorio, ergo & majore parte gratiæ privabitur si hæc sit pœna peccato veniali debita, nec ulla est ratio cur minùs justus, si æquale peccatum committat cum justiore, non æqualem cum eo pœnam subeat.

Nulla est ratio cur æquale peccatum in minùs justo non mereatur æqualem pœnam.

XI. *Habitus Charitatis quoad fervorem in agendo minuitur per peccata venialia.*

Dicendum secundò: Quamvis intrinsecè, seu quoad substantiam, habitus Charitatis non minuatur, extrinsecè tamen, quoad fervorem scilicet & constantiam in operando, seu in actu secundo dici potest per peccata venialia minui. Ratio est; experientiâ quippe constat, dum quis in res creatas non propter Deum tendit, languorem quendam paulatim ejus mentem occupare, unde postea se non ita expeditum sentit ad Deum propter se, & super omnia amandum. Hoc expressè docet Sanctus Augustinus libro 10 Confessionum, cap. 29. his verbis: *Minùs*, inquit, *te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Quantumvis namque Charitatis habitus quoad prædicata intrinseca & essentialia integer adhuc perseveret, ex affectu tamen, etiam venialiter tantùm malo ad alia præter Deum crebriùs iterato, nescio quis situs animo obducitur, per quem Charitatis vigor obtunditur, nec homo ille ita promptè, ferventer ac firmiter in amoris Dei actibus se exercet, sed & majore cum difficultate eos elicit, & illarum, quibus jam assuevit, rerum affectu ab iisdem citiùs avocatur.

Minùs te (Deus) amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.

XII. *Crebrò peccantibus venialiter Deus peculiaria gratia subsidia identidem dene-gat.*

Adde, Deum ubi hominem in peccata venialia sæpiùs labentem videt, peculiaria subinde ipsi actualis gratiæ, sanctarúmque cogitationum auxilia subtrahere, unde non nisi ægrè ad sublimes illos amoris actus assurgit: pravas etiam inordinatásque inclinationes contrahit, quæ non mediocri ipsi impedimento sunt, quo minùs purè Deum diligat, suúmque in eo syncerè & integrè affectum figat. Hoc sensu S. Thomas supra citatus dicit Charitatem per peccata venialia minui: *Potest tamen*, inquit, *indirectè dici diminutio charitatis, dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis.* Hæc ille.

S. Thomas.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Solvuntur objectiones, quibus nonnulli probare conantur peccata venialia minuere Charitatem.

I. *Quo pacto intelligēdus sit locus ille Scripturæ: Qui spernit modica, paulatim decidet.*

OBJICIUNT primò illud Ecclesiastici 19. vers. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet*, hoc est, inquiunt, totam gratiam successivè per partes à singulis peccatis venialibus ablatas amittet. Respondetur, alium longè esse hujus loci sensum; per hæc enim verba monitos nos voluit Spiritus Sanctus, ne quis parvi faciat peccata venialia, & in ea crebrò, ac sine scrupulo labatur, frequens siquidem eorum admissio gradus est ad peccatum mortale, tum quia, ut in fine Sectionis prædedentis dictum est in simili, Deus homini, qui tam facilè has contra eum offensas committit, specialia illa subsidia sanctarum quarundam cogitationum, gratiæque peculiariter auxiliatricis jure denegaret, ex quo fieret, ut in peccatum tandem mortale laberetur, sicque è sublimi illo statu gratiæ, divinæque amicitiæ decideret, & Charitatis habitum, non per peccata venialia immediatè, sed mediatè, ob peccatum scilicet mortale, ad cujus commissionem frequentia peccata venialia disponunt, amitteret.

Multiplicata venialia peccata ad peccati mortis commissionem disponunt.

II. *Quomodo leviores culpæ ad gravē disponant, optimè declarat S. Gregorius.*

Hanc doctrinam clarissimè tradunt Sancti Patres, & inprimis S. Gregorius in illum Ecclesiastici locum sic habet: *Unde fit plerumque, ut mens assueta malis levioribus, nec graviora perhorrescat, atque ad quandam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat*, &c. Hoc idem clariùs adhuc docet libro 10. Moralium, cap. 9. his verbis: *Ex vanitate ergo, ut superiùs dictum est, ad iniquitatem ducimur, cùm priùs per levia delicta diffluimus, ut usu cuncta levigante, nequaquam pòst committere etiam graviora timeamus.* Sanctus etiam Isidorus de Normâ benè vivendi pulchrè rem hanc declarat: *Qui*, inquit, *verba mala non reprimit, ad noxia sæpè transit: & qui minima non respuit, in maxima valdè prorumpit: minorum namque culpa majorem generat. Particulatim crescunt vitia, & dum parva non cavemus, in magnis prolabimur. Minora itaque devita, & ad majora non devenies.* Videatur P. Cornelius à Lapide in caput decimum nonum Ecclesiastici, ubi plurima circa hoc congerit Sanctorum Patrum testimonia.

Communis est SS. Patrū sententia peccata venialia dispositivè tollere gratiam, dum viam sternunt ad mortale.

III. *Quo sensu quidam ex Sanctis Patribus dicāt multa venialia peccata æquivalere uni mortali,*

Quando ergo interdum nonnulli ex Sanctis Patribus, ut S. Augustinus, S. Gregorius, & Sanctus Bernardus dicere videntur plura peccata venialia æquivalere uni mortali, & dum aiunt plures aquæ guttas æquales esse grandi alicui fluctui, & perinde esse ad submersionem navis, utrum ingenti aliquo fluctu obruatur, an latenter subrepens aqua eam paulatim repleat & submergat, intelligi sine dubio debent multa peccata venialia submergere animam, non formaliter, sed dispositivè, viam scilicet ad peccati mortalis commissionem sternendo, mentem enim ad rerum terrenarum amorem paulatim deprimunt, & pravos habitus generando, hominem proclivem reddunt ad grave aliquod peccatum committendum, quod ubi fuerit commissum, gratiam omnem ex animâ tollit.

IV. *Hæc Sanctorum Patrum dicta nō mi-*

Quòd verò hoc modo intelligi debeant Patres, videtur manifestum, alioqui ob sola peccata venialia gratiâ quis & divinâ amicitiâ excideret, quod expresè negat Concilium Tridentinum, & è cœlo excluderetur, hoc autem est contra ipsos adversarios, qui nunquam concedunt per peccata venialia, quantumcunque multiplicentur, posse omnem gratiam destrui. Adde, aquam per rimas in navem sensim irrepentem, non eam submergero quamdiu manet exigua, sed tunc solùm quando hoc modo paulatim succrescens, tandem fit magna; hoc autem similiter contingit in quibusdam peccatis parvis, furtis exempli gratia, in quibus post varia antecedentia, ultimum tandem, quamvis in se non magnum, in sensu tamen compositio antecedentium complet materiam gravem, & infert damnum notabile, sicque est peccatum mortale, & animam spoliat gratia. Idem est de ultimo haustu in ebrietate, qui in his circumstantiis unà corpus & animam submergit. De his ergo fortasse peccatis, ex se parvis & venialibus intelligi possunt Patres.

nàs ab adversariis explicari debent, quàm à nobis.

Aqua paulatim per rimas succrescēs non submergit navem, donec evadat magna.

V. *Objic. Per peccata venialia minuitur Dei erga justum amor, ergo & Charitas.*

Objiciunt secundò: Quò justus aliquis plura peccata venialia committit, eò minùs à Deo diligitur, & dum hujuscemodi peccata crescunt, amor Dei erga eum decrescit, ergo & decrescit causa amoris, gratia scilicet & charitas, hæ proinde per peccata venialia paulatim minuuntur. Respondetur, cùm amare sit benè alicui velle, amorem Dei erga nos esse duplicem, unum quo nobis vult gloriam, seu cælestem beatitudinem, hic autem amor, quotcunque venialia peccata quis committat, non minuitur, sed pari semper passu cum gratiâ procedit: alius amor est, quo Deus alicui plures & majores dare vult gratias prævenientes, hic verò amor juxta jam dicta, minor est erga eum, qui plura venialia peccata committit, cùm hic, ut diximus, hujuscemodi specialibus gratiæ subsidiis se reddat indignum.

Resp. amorem Dei erga justos esse duplicem, & unum minui, non alterum.

VI. *Objic. Actus Charitatis sunt minùs intensi, ergo & habitus.*

Objiciunt tertiò: Experientiâ quotidianâ constat, eum qui crebra venialia committit, minùs intensos Charitatis, seu amoris actus erga Deum exercere, ergo signum est amoris hujus principium, habitum scilicet Charitatis in eo esse minùs intensum, hoc namque in omnibus aliis videmus; ubi enim agens aliquod, minùs caloris aut lucis in subjecto applicato producere cernimus, principium ipsum, seu agens colligimus minus in se virtutis continere. Respondetur, ubi quis per varia peccata venialia pravas erga res terrenas & objecta creata inclinationes acquisivit, minùs expeditus est, ut Sectione præcedente ostendimus, ad puros & perfectos amoris Dei actus eliciendos, sed languor quidam animo obrepit, quo fervor Charitatis in actu secundo hebetatur, nec nisi cum magnâ difficultate intensos Charitatis actus exercet, quamvis de habitu in actu primo nihil remittatur, sed post plurima etiam peccata venialia eosdem intensionis gradus retineat.

Resp. habitumper pravas inclinationes abactuali exercitio ex parte impediri.

VII. *Fieri potest ut justus non nisi difficillimè actus Charitatis interdum eliciat.*

Objiciunt quartò: Secundùm nos fervor habitus Charitatis per peccata venialia minuitur, ergo tot ex illis committi possunt, ut ejus fervor penitus tollatur, ergo & ipse habitus Charitatis, hic enim omni orbatus fervore subsistere non potest. Sed contra, si enim per orbari omni fervore intelligatur habitum Charitatis ratione alicujus extrinseci actum nullum elicere posse, non sequitur eum propterea debere destrui; Fides namque, Spes, & alii habitus virtutum supernaturalium infantibus in Baptismo infusi nullum actum exercere possunt, & tamen in iis hi habitus perseverant. Deinde, nunquam in eo statu per peccata venialia constituitur justus, quotcunque

Tom. II.

quotcunque contrahat habitus ad res terrenas illam inclinantes, ut divinâ ei illucescente gratiâ, quæ ex ejus in nos benignitate nunquam deest, actum amoris Dei absolutè elicere non possit, quamvis per crebras hujusmodi offensas hic actus ei reddi interdum possit difficillimus.

VIII. *Cur actus peccatorum venialium minuant intensionem actuum Charitatis, & habitus non minuant habitum.*

Quæres, cùm actus peccatorum venialium minuant juxta nos intensionem actuum Charitatis, quod, ut diximus, est minuere Charitatem in actu secundo; quæres inquam, cur eodem modo habitus peccatorum venialium non minuant intensionem habitus Charitatis. Respondetur, actus peccatorum venialium paulatim generare pravos habitus, qui mentem rerum terrenarum pondere degravant, unde non nisi ægrè ad actus illos excellentes Charitatis elevare se potest, habitus autem vitiosi, etiam intensissimi consistere simul possunt cum intensissimo habitu Charitatis, ut Sectione præcedente, num. 3. ostendi in eo qui postquam frequentibus virtutum actibus copiosam gratiam, & intensos habitus supernaturales sibi comparasset, postea in gravia scelera incidendo gratiam illam omnem & habitus infusos perdidisset, ac postea resipiscendo recuperasset; hic enim simul cum intensissimis habitibus infusis intensissimos habèret habitus vitiosos; ex quo clarè constat, inter hos & illos habitus nullam esse repugnantiam. Et hæc de Charitate sufficiant.

Non pugnat inter se habitus intensi vitiosi & supernaturales.

Tractatûs de Charitate Finis.

De Iure & Iustitiâ à multis hoc loco disputari video: De Iustitiâ tamen tum in genere, tum de ejus partibus, Iustitiâ scilicet Distributivâ, Vindicativâ & Legali, Tomo præcedente tractavi Disp. 34. & 35. De Iure etiam & dominio varia ibidem dicta sunt, præsertim de dominio in solidum, & in instanti donationis: de his proinde nihil hîc adjiciam. Reliqua verò ad hanc materiam spectantia, merè moralia, cùm sint, in tractatu de quæstionibus moralibus commodiùs discutientur.



DISPUTA-

DISPUTATIO QUADRAGESIMA.

De Divini Verbi cum nostrâ naturâ nexu: sive de INCARNATIONE.

IN hac tertiâ parte de Christo sive de Deo homine agit Doctor Angelicus, in quo mysterio tot in unum veluti nodum colliguntur mira, ut non immeritò, illud Patres & Concilia, Sacramentum miraculorum, primum opus Trinitatis, & ænigma sacratissimum vocitent. *Contendisse siquidem inter se quodammodo hic videntur Sapientia Divina & amor, utrùm illa in excogitando potentior fuerit, an hic in exequendo, bonúmque illud infinitum, quod naturâ est diffusivum sui, hic non se diffudisse solum videtur, sed effudisse. Duplici priùs communicatione, aternâ illâ quidem & necessariâ ad intra se diffuderat, per intellectum Filio, Spiritui Sancto per voluntatem, nunc verò novo quodam, ut ita dicam artificio, nobis se ad extra communicat, naturámque nostram divino planè & admirabili vinculo, atque ad cujus vel umbram omnis caligabat antiquitas, nobis se ad extra communicat.*

SECTIO PRIMA.

Quædam breviter circa nomen Incarnationis.

VARIIS olim nominibus appellabatur hoc mysterium, à quibusdam enim *Incorporatio*, ab aliis, ut à sancto Joan. Damasc. lib. 3. de Fide. cap. 6. ἐνανθρώπησις dicitur, seu *Inhumatio*: usus tamen hodie obtinuit ut græcè σάρκωσις, latinè *Incarnatio* nuncupetur, quæ vox miram illam divini Verbi cum naturâ humanâ communicationem significat, vel quod caro idem subinde sonet quod homo, ut *Omnis caro corruperat viam suam*; Gen. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*; Lucæ 3. vel quod summam Dei in nos benignitatem commendet, dum abjectiorem hominis partem sibi eum conjunxisse denotat, vel denique, ut Manichæorum, aliorúmque hæreticorum retundatur audacia, qui Christum non veram, nostræque similem, sed phantasticam tantùm & imaginariam assumpsisse carnem dictitabant, quos tamen conficit & vox ista ab Ecclesia passim in hoc mysterio usurpata, & Joannis fulmen illud: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Quare rejiciendi planè sunt hac in parte Grammatici quidam, qui *Incarnationis* vocem ut novam minúsque elegantem respuunt, quod apud primæ Latinitatis auctores non reperiatur. Contra quos ne cœptam semel de hoc Mysterio disputationem interturbent, quibus alioqui sæpius occurrendum foret, valeat vox illa viri omnibus numeris absolutissimi, superiorisque sæculi gloriæ Patris Edmundi Campiani, in libro de Præceptis eloquentiæ, ab eo conscripto, qui, cum quibusdam vox *passio* minus saperet, nec Christi *passionem*, sed *perpessionem* dici vellent, quod ea vox apud Ciceronem nusquam extaret: *Per me quidem*, inquit, *potiùs in Tiberim omnia Ciceronis opera projiciantur, quàm hujus unius dictiunculæ jactura fiat*: quod sanè de istorum libris longè æquiore jure dixisset. Sed de his satis.

De sacratissimo itaque Incarnationis Verbi ænigmate in præsenti nobis agendum, divinúsque hic pro viribus solvendus nodus, quod nunc duce Divo Thoma & auspice aggrediemur.

SECTIO SECUNDA.

Objectiones variæ contra Incarnationis posßibilitatem dissolvuntur.

I. *Incarnationem factam esse certum est, & variis Scripturæ locis probatum.*

SITNE possibilis Incarnatio in præsenti non quærimus, cùm enim ab actu ad potentiam valeat consequentia, & factam eam esse fide certum sit; possitne fieri non est cur quisquàm in dubium vocet: quæ tamen contra eam fieri solent objectiones, hìc solvemus. Porro factum jam esse hoc mysterium, variis Scripturæ sacræ testimoniis probari solet, quæ videri possunt in Suarez hìc Disputatione primâ, dub. 1. Valentia Disp. 1. quæst. 1. puncto 3. & aliis, qui fusè hoc probant contra Judæos obstinatè id negantes, quos hac in parte confutare ad sacrarum Literarum interpretes pertinet.

II. *Quæstio hæc quoad præsens non dependet à Mysterio Trinitatis.*

Ut verò aditus hic præcludatur difficultati illi, quæ ex Sanctissimâ Trinitate à quibusdam ducitur, quod scilicet uni tantùm personæ natura nostra uniatur, non aliis, etsi omnes in eâdem essentiâ identificentur: huic, inquam, objectioni, ut locus præcludatur, cùm hoc ad materiam de Trinitate spectet, & latè discussa sit Tomo præcedente; quod in præsenti quærimus est, utrùm si ut existimabant communiter Judæi, in Deo non esset Trinitas Personarum, posset nihilominus incarnari, & naturam aliquam creatam, eo modo quo jam assumpsit nostram, sibi unire. Infra tamen quæstio illa prout ad hanc materiam pertinet, tractabitur.

III. *Objicies, non magis potest natura per alienam personalitatem subsistere, quàm existere per alienam existentiam.*

Prima itaque difficultas est, quia hoc mysterium fit uniendo naturam humanam subsistentiæ divinæ, ita ut propriam amittat, & subsistat per divinam, hoc autem fieri non potest; nec enim magis potest res aliqua subsistere per alienam subsistentiam, quàm per alienam existentiam existere: cùm ergo secundum præstare non possit humana natura, nec poterit primum. Respondeo negando minorem: Ad probationem dico latam esse disparitatem inter subsistentiam & existentiam, existentia enim rei non distinguitur ab ejus essentiâ, ut in Metaphysicâ ostensum est, subsistentia verò ex conceptu suo est ultimus terminus naturæ, sicut inhærentia est modus accidentis, & illi connaturaliter debitus; unde sicut ab accidente separari potest inhærentia, & suppleri per aliquid perfectius, nempe creationem, ita & subsistentia creata separari poterit à naturâ, & per perfectiorem subsistentiam suppleri.

IV. *Objic. Inter creatum & increatum nulla est proportio.*

Secunda difficultas est, nam ut aliqua duo uniantur inter se, debet esse aliqua inter utrumque extremum proportio, quæ tamen hìc nulla est, cùm infinita inter res hìc unitas sit distantia, altera enim est creata, altera increata. Confirmatur, ideo qualitas & substantia non possunt coalescere ad faciendum unum per se, quia tanta inter illa intercedit distantia, & genero differunt, sed hìc longè major est difficultas, ergo.

V. *Respondetur, Inter creatum & increatum est proportio in ratione unibilium.*

Ad argumentum distinguo majorem, debet esse proportio in ratione entis nego majorem, in ratione unibilium concedo, nec distantia entitativa obest unioni, sæpè enim videmus res, quæ entitativè magis distant, aptiores esse, quæ inter se uniantur; sic materia & anima rationalis inter se uniri possunt ad constituendum unum compositum, cùm tamen duæ animæ rationales, vel duo Angeli id præstare nequeant, esto numerica tantùm inter has substantias intercedat distinctio, inter illas verò generica, cùm altera corpus sit, altera spiritus. Ad confirmationem respondeo non ob distantiam non posse coalescere substantiam & accidens ad faciendum unum per se, sed quia cùm qualitas ex conceptu suo non metaphysicè solùm, seu logicè, sed physicè accidat substantiæ, ita scilicet ut non spectet ad primarium rei simpliciter dictæ conceptum constituendum, non potest facere unum per se cum illa, sed unum tantùm per accidens. Proportio verò inter humanam naturam & Verbum est, quod natura hæc sit substantia, & consequenter capacitatem habet ad subsistendum, in Verbo autem est vera ratio subsistentiæ, ac proinde nihil vetat quominus inter se uniantur ad unum totum constituendum. *Latissima quoad rationem unibilitatis est disparitas inter substantiam & accidens ad faciendum unum per se, & inter Verbum & humanitatem.*

VI. *Objic. Limitatio naturæ humanæ non est capax subsistentiæ infinitæ.*

Dices, & est tertia difficultas, licèt sit capacitas ex parte naturæ humanæ respectu alicujus subsistentiæ, non tamen respectu infinitæ, non magis, imo multo minùs, quàm exigua fossa capax est totius maris, quicquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur. Respondeo, licèt subsistentia verbi sit infinita, finito tamen modo communicatur humanitati, nempe per unionem creatam, sicque recipitur ad modum recipientis, res enim finita esse potest capax perfectionis infinitæ finito modo applicatæ, sicut res quæque vilissima, materia prima verbi gratia, habet omnipotentiam divinam sibi limitato modo, nempe per actionem finitam, applicatam: sicut ergo Deus ut causa prima habet virtutem supplendi defectus & absentiam causarum secundarum, ita & subsistentiarum. Nec materiali illo modo concipiendum est Verbum unitum humanitati quasi ab illâ circumscribatur, & coarctetur, sicut aqua in vase, cùm in infinitum diffusum sit, & adhuc liberrimum ad alias & alias naturas in infinitum sustentandas. *Resp. Esse capacem infinitæ subsistentiæ finito modo applicatæ.*

SECTIO TERTIA.

Objectiones aliæ contendentes Incarnationem esse impossibilem.

I. *Deus & creatura juxta communem sententiam sunt quid extensivè perfectius Deo solo.*

QUARTA difficultas est, ex hac enim unione Verbi divini cum naturâ humanâ, seu Incarnatione sequitur totum inde consurgens, seu Christum esse quid perfectius alterâ parte, seu Deo, hoc autem non videtur admittendum. Respondetur, esse illud totum perfectius secundùm quid, & extensivè, non verò simpliciter, & intensivè: sic docent communiter Theologi Deum & creaturas esse quid extensivè perfectius Deo solo, & tres Relationes divinæ dicuntur perfectiores unâ. Ratio verò est, quia quamvis natura humana non sit in Deo formaliter, est tamen in eo eminenter, Deus namque rerum omnium creatarum perfectiones hoc modo in se complectitur.

II. *Objic. Hinc sequi videtur confusio naturarum, quæ nullo modo est concedenda.*

Quinta difficultas oritur circa confusionem naturarum, quæ hinc videtur sequi, tunc enim dicuntur confundi, quando constituunt principium quoddam actionum alterius ordinis, quæ nulli sigillatim sumptæ possunt competere, ut in homine cernitur, cujus nec anima, nec materia per se videret, audiret, & reliquas operationes sensuum eliceret, sed idem contingit in præsenti,

præsenti, natura enim divina & humana inter se unitæ in Christo, sunt principium peculiaris generis actionum, nempe theandricarum, quæ à neutrâ naturâ per se sigillatim sumptâ elici possent. Respondeo negando hinc sequi illam confusionem naturarum, ad probationem dico, nullas operationes elici ab his naturis in Christo, quæ ab alterâ naturâ sigillatim sumptâ elici non possint, quod enim operationes sint theandricæ, solùm arguit accrescere iis dignitatem quandam ex consortio Verbi, cæterum eædem numero elici possent à puro homine: unde actus Charitatis quo Sanctus Petrus amavit Christum, & fuit solùm humanus, si fuisset elicitus à naturâ unitâ Deo, fuisset theandricus. Quod optimè declarat Sanctus Leo his verbis: *Agit utraque forma cum alterius communicatione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis est.*

Ostenditur nullam hinc sequi naturarum confusionem.

Quid sit operationes Christi esse Theandricas.

III. Dices, humanam naturam ex conjunctione ad verbum reddi impeccabilem, imo tolli ab eâ per hanc unionem etiam potentiam physicam peccandi, ergo constituit diversum principium operationum. Respondeo, hoc solùm arguere esse naturam humanam in Christo homine sanctificatam, & ut loquuntur Patres, deificatam per conjunctionem cum divinâ. Quòd autem reddatur impeccabilis solùm inde sequitur perfici humanitatem, cùm juxta Sanctum Augustinum, *Fœlix sit necessitas, quæ cogit ad melius.* Non autem tollitur remota potentia peccandi, quæ est ipsa substantia animæ, sed solùm proxima & completa, quæ multa alia includit, nempe negationem unionis hypostaticæ, prædeterminationis physicæ, & actus absoluti voluntatis divinæ independenter à prævisione auxilii indifferentis: unde æquè sequeretur ex ejusmodi voluntate efficaci Dei destrui humanitatem, atque ex unione hypostaticâ, cùm æquè per eam tollatur potentia peccandi.

Ex eo quòd per Verbum divinum humanitas reddatur impeccabilis, non sequitur constitui diversum principium operationum.

IV. Sexta difficultas est; hinc enim sequi videtur Deum debere esse formam & informare naturam humanam, quod valdè absonum videtur, & nullâ ratione admittendum. Respondeo non omnem compositionem necessariò requirere subjectum & formam; esto enim in creatis id semper fere contingat, non tamen repugnat quin verbum, quod est actus purissimus actuet & perficiat humanitatem, & hoc genere compositionis unum per se cum illâ constituat, tanquam terminus unionis hypostaticæ; nec enim est de conceptu subsistentiæ, ut sit forma, sed ut sit terminus, imo notio nominis nil aliud innuit, subsistentia siquidem dici communiter solet ultimus terminus naturæ.

Ex eo quòd Verbum divinùm uniatur natura humana non sequitur ullo modo Deum esse formam.

V. Septima difficultas ex duobus entibus in actu, duobus Angelis, exempli gratia, non fit unum per se, cujus ratio est, quia quicquid enti in actu constituto & completo advenit, accidentaliter advenit. Pater Valentia hîc, Disp. 1. quæst. 1. puncto 2. respondet, licèt ex duobus entibus in actu seu completis fieri nequeat unum per se, sic tamen ex uno completo, & alio incompleto. Sed contra: Ratio enim allata æquè urgere videtur in altero completo, atque in utroque, unde ex Angelo & animâ non magis fit unum per se, quàm ex duobus Angelis, sicut nec cœlum, si sit corpus simplex facere potest unum per se cum quavis formâ substantiali.

Objic. Ex duobus entibus in actu fieri nequit unum per se.

VI. Pater Vasquez hîc, Disputatione 17. cap. 4. absolutè negat antecedens, si universaliter sumatur, nec alio modo accipiendum est axiomâ istud, quàm de compositione physicâ partium in composito naturali, quæ limitatæ sunt entitatis: unde hujusmodi composita, ubi perfectionem sibi debitam adepta semel fuerint, petunt naturaliter, ut quicquid ipsis advenit, accidentaliter adveniat, nec alienam spectant perfectionem, sed suam: unde quando sunt in actu completo, non petunt ulteriùs compleri, cum accipere ulteriorem perfectionem non possint eo modo quo sunt completa; sic enim completa non essent: Deus autem est infinitæ perfectionis, & consequenter sine ullo sui detrimento hanc suam virtutem aliis communicare potest.

Absolutè negari potest. ex uno ente completo & alio incompleto non posse fieri unum per se.

Imo divinitus etiam in rebus creatis ex duobus entibus in actu fieri subinde potest unum per se; potest enim Deus penetrare inter se ignem & ferrum, & efficere ut forma ignis retinendo unionem ad suam materiam, simul uniatur materiæ ferri, & similiter de formâ ferri; non tamen accedit vel una vel altera ad totum ut totum, sed solum ad alteram ejus partem, & idem est de materiis illis respectu formarum in quo differunt ab Angelis, qui ex se & essentialiter sunt completi, sicut & corpus simplex.

VII. *Ex duobus entibus completis quomodo divinitus fieri possit unum ens completum.*

SECTIO QUARTA.

Non obstat Incarnationi immutabilitas Dei.

PRÆCIPUA difficultas in hac materiâ est, quòd sequi inde videatur Deum mutari; jam enim est homo, antea non erat, hoc verò non apparet quomodo sine verâ aliquâ mutatione fieri possit: cum namque mutari sit aliter se habere, aliter se habere videtur Deus modò quàm antea, utpote de novo unitus humanitati.

I. *Objic. Sequi videri Deum per unionem hypostaticæ mutari.*

Hæc verò difficultas inde augetur, quia ut Tomo præcedente, Disp. 9. sect. 1. cum Theologis omnibus, & præcipuè sancto Thoma 1. part. quæst. 9. art. 1. ostendi, Deus est immutabilis: sic enim Malachiæ cap. 1. vers. 6. dicit Deus *Ego Dominus & non mutor*; & Jacob. c. 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio.* Hoc ex illo Exodi tertio: *Ego sum qui sum*; optimè deducit S. Augustinus libro tertio de Trinitate, capite secundo. Tandem definita est hæc veritas in Concilio Lateranensi, cap. *Firmiter* de summâ Trinitate. Ratio autem est, nam sicut immutabilitas perfectionem, ita mutabilitas imperfectionem sonat ac defectum, dicente sancto Bernardo, *Omnis mutatio est quædam mortis imitatio*; & gradus ad interitum. Difficultates nonnullas, quæ contra Dei immutabilitatem proponi solent, primâ parte discussi: Illam verò, quæ ex mysterio Incarnationis oritur, quæque fortasse omnium est gravissima, huc, qui proprius illius locus est, discutiendam reliqui. Ad ejus itaque solutionem.

II. *Fide certum est Deum esse immutabilem.*

Hæc veritas ratione etiâ declaratur.

Notandum, diversis modis dici posse rem aliquam mutari: primò quoad esse & non esse, ut cùm producitur, vel destruitur, quæ omnium maxima videtur mutatio, licèt Aristoteles communiter non de aliâ loquatur mutatione nisi subjecti præjacentis. Secundò auferendo aliquid vel addendo, nec enim minùs mutatur aer, & aliter se habet quando de lucido fit tenebrosus, quàm è contra. Tertiò extrinsecè, ut in denomina-

III. *Res aliqua variis modis dici potest mutari.*

Tom. II.

denominationibus cogniti, visi, honorati, agentis transeunter, &c. vel intrinsecè, ut in calido, frigido, &c.

IV. *Deus cum sit ens necessarium, nullam in suo esse patitur mutationē.*

Primo modo non procedit difficultas, cùm enim Deus sit ens omnino necessarium, sicut ab æterno fuerit necesse est, ita & ut in æternum duret. Nihil etiam auferri à Deo potest, cùm quicquid est in Deo sit cum illo identificatum, ac proinde, auferri nequeat, vel destrui, cùm non minùs sit ens necessarium, quàm ipse Deus. De extrinsecâ mutatione non est quod multum laboremus, cùm enim nullam arguat mutationem in Deo, sed in rebus creatis (honor enim est in honorante, visio & cognitio in vidente & cognoscente, actio transiens in termino, &c.) nil mirum si hujusmodi nova denominatio Deo accedat in tempore.

V. *Difficultas in eo sita est, quòd unio hypostatica sit Verbo intrinseca.*

Quæstio ergo in præsenti procedit de mutatione intrinsecâ per additionem scilicet intrinsecam alicujus entitatis novæ; unio enim hypostatica est Verbo intrinseca, ipsum intrinsecè afficiens & connectens cum humanitate, ergo aliter se habere intrinsecè per illam videtur, quàm antea, ergo mutatur sicut propterea mutatur humanitas per unionem, quia eam sibi habet intrinsecam. Variè varii solvunt hanc difficultatem, & faciliùs est singulorum responsiones refellere, quàm certi aliquid statuere, per quod clarè solvatur nodus, quem Pater Suarez hîc, Disp. 8. Sect. 4. ait esse maximè implexum, & vix posse humano ingenio extricari.

VI. *Respondent aliqui hanc unionem esse Verbo tantùm extrinsecam.*

Primò ergo dicunt nonnulli unionem hanc non esse Verbo intrinsecam, sed extrinsecam tantùm, ac proinde per illius adventum nullam fieri in Deo mutationem intrinsecam. Hujus opinionis videtur esse S. Bonaventura in 3. Dist. 1. quæst. 1. citatur pro eadem Vasquez, apud quem tamen reperire hoc non potui. Sed contra, nam Verbum facit unum per se cum humanitate, quod tamen per denominationem extrinsecam fieri non potest, major enim, magisque intrinseca est unio, per quam fit unum per se, quàm sit unio inter visionem & objectum, hominem & columnam, aut inter duo alba in ratione similis; quæ tamen sunt exempla, quæ afferunt auctores hujus sententiæ. Deinde esset solùm quædam coaptatio & coagmentatio inter verbum & humanam naturam, sicut inter hominem & vestes, quæ tamen vox à Patribus in hoc mysterio rejicitur.

Contra, tùc enim non fieret unum per se inter Verbum & humanitatem.

VII. *Dicunt alii uniri aliqua intrinsecè esse tantùm indistantiam eorū quoad locum.*

Secundò dicunt alii uniri intrinsecè aliqua duo aliud nihil esse, quàm conjungi invicem in ordine ad inseparabilitatem, ita ut dum manet hic nexus, necessariò sint res illæ inter se indistantes quoad locum, nec ad unionem intrinsecam aiunt requiri, ut extrema per unionem quovis modo afficiantur, hoc enim, inquiunt, si in Verbo contingeret mutaretur. Sed contra, creatura quævis necessariò conjungitur Deo quoad hujusmodi inseparabilitatem & indistantiam localem, & tamen creatura non est unita Deo intrinsecè. Confirmatur: Sic enim res omnes unirentur Deo hypostaticè, cùm illius subsistentiæ necessariò sint intimè præsentes.

VIII. *Aliud est duo sibi invicem adstringi, aliud conjungi quoad locum.*

Dices, licèt creaturæ sint Deo intimè præsentes, non tamen ei alligantur, quod nihilominus ad unionem hypostaticam requiritur. Contra, ergo uniri aliqua duo intrinsecè, non est conjungi solùm inseparabiliter quoad locum, sed uniri quasi & constringi, quod sine affectione aliquâ intelligi vix potest. Contra secundò, visio beatifica, quâ Beatus aliquis clarè videt Deum existere ubique, petit necessariò ut Deus sit in eodem spatio, in quo est visio, sicque conjungit beatum cum Deo quoad inseparabilitatem loci, & tamen Deus non est terminus intrinsecus illius visionis; & idem est respectu ubicationis unius Angeli in spatio, si Deus eam elevaret ad producendum ubicationem alterius in eodem spatio.

Tertiò Valentia hîc, Disp. 1. quæst. 1. p. 2. §. *Igitur ad argumenti formam*, ait mutationem non in eo consistere, ut res de novo sit, vel acquirat aliquid intrinsecè, quod priùs aliquo modo non habebat, sed ut sit vel requirat aliquid, quod simpliciter & in omni modo priùs non habebat, alioquin, inquit, non simpliciter & absolutè aliter se habet, quàm priùs. Contra tamen est, quia quantumvis eminenter aliquid contineat aliud, si tamen jam illud acquirat formaliter, aliter se habebit formaliter, quàm antè, & consequenter mutabitur nisi aliud obsit præter continentiam eminentialem. Sic ignis continet eminenter calorem, & tamen mutatur per illum intrinsecè. Imo in hac sententiâ non mutaretur Deus, licèt quævis forma substantialis, vel accidentalis ipsum informaret, cùm omnes contineat eminenter, quod tamen nemo concedet. IX. *Alius modus est, debere rem, quæ de novo acquiritur, nullo modo fuisse antea in re cui unitur.* *Continentia eminentialis non obstat mutationi formali.*

Quartò, aliqui negant Verbum mutari ex unione ad humanitatem, esto intrinsecè illud afficiat, quia unio non est in Verbo ut in subjecto inhæsionis, seu sustentationis, cùm non sustentet eam in genere causæ materialis: ita Pater Hurtado Disp. 5. Physicorum, quem multi sequuntur ex recentioribus. Sed contra: Non enim à formâ solùm materiali, sed ab animâ etiam rationali perficitur & actuatur materia, quod patet, nam ab eo perficitur, à quo completur, & accipit suam perfectionem, sed æquè completur per animam rationalem, ac per quamvis formam materialem, ergo. X. *Nonnulli ad mutationem intrinsecam requirunt ut sit in eo tanquam in subjecto inhæsionis.*

Dices, licèt materia non sustentet animam rationalem, sustentat tamen unionem, quod sufficit ad mutationem, Verbum autem nec sustentat in genere causæ materialis humanitatem, nec unionem. Contra primò, materia namque non solùm perficitur intrinsecè & completur per unionem, sed etiam per animam, imo longè perfectiùs per hanc, cùm sit incompleta non respectu unionis tantùm, sed etiam animæ, hanc enim respicit ut compartem, cum quâ nimirum ordinatur ad unum totum constituendum. Contra secundò, si unio inter animam & corpus crearetur, non minùs perficeretur intrinsecè per illam & animam materia, quàm modò, nec minùs perfectus esset ille homo substantialiter, quàm homines jam sunt; sicut non minùs perfectè esset aër lucidus, si lux in eo crearetur. XI. *Dices, saltē unio inhæret materiæ.*

Ratio à priori est; in eo quippe sita est perfectio substantialis materiæ, quod habeat formam sibi unitam, æquè autem perfectè conjungeret formam materiæ unio creata ac generata, ad hunc enim effectum parum interest quâ actione producatur unio, generatione an creatione, supernaturali actione an naturali, unâ an duabus, ullâ vel nulla, si enim unio esset à se, non minùs perficeretur per illam & formam materia, quàm modò. XII. *Ad mutationem parum refert qua actione unio vel forma producatur.*

SECTIO

SECTIO QUINTA.

Tres aliæ viæ declarandi quo pacto Deus per unionem hypostaticam non mutetur.

I. *Alii Deum ideo negant mutari per unionem, quia eodem semper modo apparet.*

QUINTÒ recentiores aliqui, ut hunc nodum solvant, ideo Deum asserunt per unionem hypostaticam non mutari, quia quod eâdem semper facie apparet, nec pulchrius, aut fœdius ullius rei additione vel detractione, eodem semper modo se habet, nec censetur mutari; cùm ergo hoc Deo competat, quantumvis unio hæc sit illi intrinseca, per eam tamen non mutatur.

II. *Non satis ostendunt hi Auctores quomodo Deus non alio modo appareat per unionem.*

Hæc sententia propiùs accedit, ad veritatem; & ex parte convenit cum nostrâ, in fine hujus Sectionis explicandâ, ægrè tamen ostendunt ejus Auctores quo pacto Verbum Divinũ per unionem hypostaticam non aliâ facie appareat, & pulchritudinem inde aliquam, saltem extensivè non accipiat, hoc proinde existimo ad aliquid à mutatione eximendum non requiri.

III. *Non etiam declarant quo pacto sola Dei infinitas obstet mutationi.*

Deinde, quòd dicunt infinitam Dei perfectionem obstare mutationi, non videtur subsistere, nam secundùm communem Theologorum sententiam, si Deus intelligeret per actus creatos, mutaretur, quantumvis habeat perfectionem infinitam; ergo & hoc non obstante si aliud non dicatur mutabitur per unionem, ut Sectione præcedente in simili dixi contra Valentiam. In nostrâ autem sententia repugnantiam ad mutationem in Deo statuente, non in perfectione Dei præcisè, sed in completione, res est facilis; actus enim intellectus creatus, si Deum redderet intelligentem, esse in eo deberet per modum accidentis, Deúmque informare, & consequenter incompletionem aliquam in ipso argueret, cùm ut habet commune dictum Philosophorum, *accidentis esse sit inesse.* Cum verò, ut dixi, hæc sententia magnam cùm nostrâ habeat affinitatem, ulteriore ejus impugnatione supersedeo.

IV. *Alii ideo negãt hic mutari Deum, quia nulla in eo per unionem exhauritur capacitas.*

Sextò tandem dicunt alii, propterea Verbum non mutari, quia licèt intrinsecè ipsum afficiat unio, non tamen limitatur per eam, nec exhauritur aliqua in eo capacitas, sed eodem modo manet, & quoad esse, & quoad omnes functiones divinæ naturæ, ac ante unionem. Hanc solutionem tradere videtur Pater Suarez hîc, Disput. 8. sect. 4. §. *ad quartam.* Sed neque hic modus satisfacit, & impugnatur primò, quia sequeretur rem aliquam conservatam duplici actione non mutari per secundam, cum non limitetur quoad ullam functionem, nec aliter se habeat quàm per primam. Dices, mutari, & aliter se habere quoad esse; sic enim jam disposita est res illa, ut si prior actio cesset, conservari possit per secundam. Sed contra: Saltem, si idem elevaretur ad producendum se secundò, quod concedit P. Suarez, & Auctores hujus sententiæ, non mutaretur per secundam actionem; nec enim posset destructâ primâ conservari per secundam, cùm illâ cessante necessariò cesset hæc, alioqui res illa vel produceret, vel conservaret se primò. Sed nec limitatur in operationibus, cum ex eo quod se secundò conservet, non impediantur ullæ ipsius functiones, ergo.

Nulla rei ullius functiones per secundam actionem impediuntur.

Impugnatur secundò: Hinc enim sequitur, si Deus concipiatur intelligere & velle, per actus distinctos non mutatum iri, quod nullus concederet. Sequela probatur, non enim limitatur, nec coarctatur per illos actus quo minùs alios & alios habere possit in infinitum.

V. *Inde sequitur non mutandum Deum, licèt intelligeret per actus distinctos.*

Dices primò: Limitari Deum in hoc casu, quia non posset simul habere duos actus numero tantùm distinctos; hi enim esse simul nequeunt in eodem subjecto. Contra primò: Supernaturaliter possunt duo actus numero solum diversi esse in eodem subjecto; ergo si concipiatur Deus habere hos actus supernaturaliter, cessat solutio, nec mutaretur per illos Deus. Contra secundò: Ergo jam mutatur Deus per unionem hypostaticam; si enim non posset in eo casu habere duos actus intellectus numero tantùm distinctos, ergo nec modo uniri poterit hypostaticè duabus naturis numero tantum distinctis, vel saltem non per duas uniones eidem; ergo limitatur per illam, & mutatur si in hoc sita sit mutatio: si verò dicant, ut dicunt, esse adhuc indifferentem ad alias naturas & uniones numero tantùm distinctas, idem dicant de actibus intellectus & voluntatis.

VI. *Dicti argumenti vim non enervat quòd duo actus numero tantùm distincti non possint esse simul in eodem subjecto.*

Dices secundò: saltem limitaretur per actus distinctos amoris & odii, sicut etiam per assensum & dissensum, cum hi actus nec divinitus esse simul possint in eodem intellectu & voluntate. Contra primò hoc ad summum arguit mutatum iri per hos actus, & consequenter non posse eum illos habere, quidni autem habere poterit reliquos. Contra secundò non magis limitaretur tunc per actus illos realiter distinctos, quàm jam per eos quos habet in se distinctos virtualiter; ergo in hac limitatione non consistit mutatio.

VII. *Nec ad præsentem difficultatẽ pertinet, quòd in eo casu nõ posset habere simul assensum & dissensum, amorem & odium.*

Impugnatur tertiò: Si albedo etiam creata informaret Angelum, aut gratia lapidem, verè ipsos mutarent, & tamen æquè expeditus maneret tum lapis tum Angelus ad functiones omnes & munera ac antea. Et idem est de gratia respectu animæ & Angeli, per cujus informationem nulla accedit eis limitatio. Dices unum gradum gratiæ impedire informationem alterius omnino similis. Contra: omnes enim gradus gratiæ fortè sunt homogenei. Contra secundò, supernaturaliter saltem potest Deus infundere in animam duos gradus gratiæ omnino similes; ergo per gradum illum gratiæ nullam patitur limitationem cum naturaliter habere non possit duos heterogeneos.

VIII. *Albedo informãs Angelum, & gratia lapidem, illos mutarent, & tamen nullam eorum functionem impedirent.*

Dicendum ergo, tunc solùm & semper fieri mutationem intrinsecam quando potentialitas aliqua, & quasi incompletio actuatur, sic nimirum ut res illa priùs verè fuerit aliquo modo in potentia ad actuationem illam, ita ut semper præcedat incompletio aliqua ex parte extremi mutati, quod proinde mutabitur, sive exhauriatur capacitas illa sive non. Unde dico non minùs mutatum iri materiam per formam aquæ vel ignis, ipsam hac ratione actuantem, si posset simul cum illâ habere naturaliter aliam numero tantùm distinctam, ac modo; sive enim ita actuetur ut omnino exhauriatur ejus capacitas sive non, parum refert ad mutationem. Sicut verè fieret mutatio aliqua in spatio per hoc quod poneretur in eo corpus: licèt Deus tolleret ab eo impenetrabilitatem cum aliis. Imo si Deus crearet Angelum, in spatiis imaginariis supra cœlum, verè ibi diceretur facta mutatio, etsi non excludat Angelum ab eodem loco.

IX. *Ad mutationem itaque requiritur & sufficit ut potentialitas aliqua, seu incompletio actuatur.*

Res hæc per diversa exempla declaratur à rebus aliis desumptis.

Tom. II.

X. *Modus explicandi mutationem per potentialitatem & incompletionem desumitur ex Aristotele.*

Hic modus explicandi mutationem desumitur ex Aristotele 3. Physicorum, textu 16. qui motum definiens ait eum esse *actum entis in potentiâ prout in potentiâ*, motus autem apud ipsum idem est quod mutatio, & mobile idem quod mutabile, ut rectè notat Suarez Disp. 49. Met. s. 2. unde objectum physicè dicitur *ens mobile*. Ad hoc ergo ut aliquid mutetur requiritur & sufficit juxta Aristotelem, ut sit in potentiâ ad id per quod mutetur, hoc est, ut habeat aliquam potentialitatem, seu incompletionem respectu illius, certum autem est, nec potentialitatem, nec incompletionem cadere in Deum.

XI. *Per motum illo loco intelligit Aristoteles, non passionem tantùm, seu causalitatè, sed etiam formam.*

Notandum verò cum multis ex interpretibus per motum seu mutationem intelligi hoc loco, non causalem solùm, seu passionem, sed etiam formalem, unde dicunt formam ipsam vocari ab Aristotele motum seu mutationem, cùm non minùs per illam mutetur materia, quàm per passionem, & seclusâ etiam passione, seu causalitate materiali tali modo est in potentiâ ad formam, quali nullus concedet Verbum divinum esse in potentiâ respectu humanitatis, vel unionis hypostaticæ.

XII. *Dictus respondendi modus ulteriùs declaratur exemplo generationis in rebus naturalibus passim reperto.*

Hinc infero primò contra quintum modum respondendi, licèt in omni mutatione naturali inveniatur limitatio, & exhauriatur capacitas aliqua, id tamen non esse de conceptu formali mutationis, sicut licèt jam in omni generatione inveniatur mutatio, non tamen est de conceptu illius essentiali, nec de conceptu mutationis formalis actio, licèt necessariò eam comitetur, cujus tamen tria tantùm sunt principia juxta Aristotelem, materia, forma, & privatio.

XIII. *Omnis unio non sufficit ad mutationem, sed illa sola quæ rem efficit ut est in potentiâ.*

Infero secundò, ad hoc ut unum mutetur per aliud, non sufficere ut id cui unitur sit in potentiâ respectu illius, sed requiritur ut uniatur ei prout est in potentiâ, sic enim in probabili sententiâ ponente actionem alligativam specierum Sacramentalium cum corpore Christi, non mutatur corpus Christi ab iis, esto sit in potentiâ respectu illarum, quia scilicet non uniuntur illi prout est in potentiâ, nempe per unionem informationis.

XIV. *Ostenditur ex dictis cur Verbum Divinum non mutetur per unionem hypostaticam.*

Infero tertiò, non mutari verbum per unionem hypostaticam; licèt namque afficiatur per illam, non tamen actuatur, nec aliter se habet verbum simpliciter, sed solùm secundùm quid; cùm enim sit actus purissimus, non est in potentiâ respectu unionis vel humanitatis, nec habet ullam incompletionem, vel potentialitatem per eas complendam. Verbum itaque est purus terminus respectu unionis, quæ quidem est illi intrinseca, cùm ipsum intimè afficiat, non tamen eodem modo ei intrinseca ac humanitati, quæ per illam actuatur, & completur. Qua de causa Suarez hîc, Disp. 8. Sect. 4. ait unionem hanc verbo nec esse strictè intrinsecam, nec extrinsecam, sed veluti mediam, appellandam tamen simpliciter intrinsecam.

XV. *Clarè docet S. Thomas ad mutationem requiri potentialitatem.*

Tota hæc doctrina est de mente S. Thomæ primâ parte, quæst. 9. art. 1. Corp. ubi probans Deum esse immutabilem, ait ideo hoc contingere, quia est purus actus absque permixtione alicujus potentiæ, omne autem, inquit, quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentiâ: & eodem argumento utitur quæst. 3. art. 2. & 7. ut probet non cadere compositionem in Deum.

DISPUTA-

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

De Incarnationis cognoscibilitate.

NON posse solis naturæ viribus hoc mysterium intuitivè ab Angelo videri, est manifestum, Verbum quippe in eo includitur, quod certum est ab homine vel Angelo naturali visione cerni clarè non posse. Sed nec unionem ipsam intueri clarè potest Angelus naturaliter; cum enim supernaturalis sit in substantia, non est Angelo connaturalis ejus visio, utpote cui non nisi rerum naturalium species debentur.

SECTIO PRIMA.

Possitne lumine naturali cognosci Incarnationem esse possibilem.

I. *Certissimum est Divini Verbi Incarnationem non esse impossibilem.*

VT certa ab incertis separemus, absque omni dubitatione asserendum est, probari ratione aliquâ verâ non posse Incarnationem esse impossibilem. De hac veritate dubitare Catholicus nemo potest: cùm enim Fide constet factum jam esse hoc mysterium naturámque nostram divino Verbo ineffabili illo nexu esse conjunctam, certissimum est, contrarium, seu illius impossibilitatem demonstrari non posse, nam ut rectè sanctus Thomas libro primo contra Gentes, cap. 7. Mysteria Fidei nostræ, quamvis sint supra rationem, non tamen sunt contra rationem. Nulla ergo ratio ostendere potest ea falsa esse, nedum impossibilia. Adde juxta principia à Philosopho, & omnibus in Logicâ admissa, Demonstratio constare debet ex veris, cum ergo certum sit quicquid contra hoc mysterium affertur, esse falsum, certum similiter est nullam contra illud confici demonstrationem posse.

Mysteria Fidei nostræ sunt supra, non contra naturam.

II. *Quamvis ad Incarnationis executionem aliquid supernaturale requiratur, cognosci tamen illa potest actu in entitate naturali.*

Asserendum secundò, quamvis, ut conclusione sequente dicemus, nullo supernaturali præsupposito, cognosci nequeat Incarnatio, ex eo tamen quod supernaturale aliquid ad illam exequendam requiratur, nil obstat quo minus actu in entitate naturali cognoscatur: Imo etiamsi objectum esset usquequaque in entitate simpliciter supernaturale cognosci nihilominus posset actu entitativè naturali, ut sæpiùs ostensum est.

III. *Variè ostenditur aliquid supra naturæ vires factum posse actu in entitate naturali.*

Prima pars, præter alibi dicta, probatur: Varii namque sunt actus in entitate merè naturales, qui tamen aliquid supra naturales vires supponunt, actu enim in se planè naturali vident homines miracula, quæ nihilominus sine aliquo supra naturam patrari nequeunt. Secunda etiam pars ostenditur, Dæmones enim memoriam retinent gratiæ amissæ, dolent etiam de beatitudine seu visione beatificâ amissâ, quam homines multi jam assequuntur, quámque ipsi assequi potuissent, nisi suâ culpâ viam sibi ad illius adeptionem præclusissent. Quod ergo in præsenti quærimus est, Utrùm hoc mysterium solâ naturali vi intellectus humani vel Angelici, nulláque ipsis factâ illius revelatione investigari queat.

tate plane naturali cognosci.

IV. *Sine revelatione aliquâ nequit intellectus creatus comparare notitiam Incarnationis.*

Asserendum tertiò, non potest intellectus creatus citra revelationem divinam comparare notitiam abstractivam hujus mysterii: ità Doctores communiter in 3. dist. 1. qui videri poterunt in Suarez citato, & Valentia, Disp. 1. q. 1. p. 2 Tannero Tomo 4. Disp. 1. quæst. 1. d. 1. & aliis, qui ad hanc veritatem confirmandam varia afferunt Scripturæ, Conciliorum, & Patrum testimonia, ut illud Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* quod ad hoc mysterium applicat Sanctus Leo, & Sanctus Chrysostomus: undè S. Paulus ad Ephesios 3. id vocat *Ininvestigabiles divitias Christi, Sacramentum etiam absconditum à sæculo in Deo*, & alibi: *Mysterium absconditum, sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*: huc accedunt locutiones illæ Conciliorum, ac Patrum, quæ supra retulimus, dum mysterium Incarnationis vocant *Miraculum miraculorum, primum opus Trinitatis, ænigma sacratissimum*, &c. vocatur etiam ab iisdem *ineffabile mysterium, inenarrabile, incomprehensibile*, & in Concilio Ephesino, Canone 3. dicitur quod *Filius Dei incomprehensibiliter factus sit homo.*

V. *In rebus naturalibus nullum est principium ex quo Incarnationis notitia possit deduci.*

Ratio est, quia nullum est principium evidens in naturâ unde possit hujusmodi notitiam acquirere, cùm ex principiis, causis, & effectibus naturalibus, intra quorum limites continetur scientia naturalis, deduci non possit, nec in scriptis Philosophorum vestigium ullum hujus mysterii reperimus. Imo laboramus potiùs quomodo sistendo in principiis naturalibus salvemus illius possibilitatem, ob varias, quæ in eo inveniuntur difficultates, ut quomodo uniatur Verbum intrinsecè humanitati, & non mutetur, quomodo

cùm

Tom. II. cùm sit ens omnino completum, & actus purus, faciat unum per se cum illâ, qua ratione elevari possit creatura ut sit Deus, &c. ergo sistendo merè in naturâ cognosci & investigari hoc mysterium non potest.

SECTIO SECUNDA.

Objectiones contendentes posse Incarnationis Mysterium solâ naturæ vi investigari.

I. *Objic. Dæmon videt negationem propriæ subsistentiæ in humanitate Christi.*

OBJICIES primò, debetur Angelo cognitio rerum naturalium, quæ non dependent à libertate, imo & negationum, ergo vidit dæmon negationem subsistentiæ propriæ in humanitate Christi, ergo novit eam subsistere per divinam, patet consequentia, evidenter enim novit nec posse omni carere, nec subsistere alienâ creatâ.

II. *Nec potuit dæmon inde dicere humanitatem illam subsistisse per aliâ subsistentiam creatam.*

Respondent aliqui, licèt viderit dæmon in humanitate negationem propriæ subsistentiæ, non tamen potuisse cognoscere subsistisse per divinam, quia potuit divinitus subsistere per aliam creatam, Angelicam verbi gratia, sed quicquid sit de illâ sententiâ, quæ est probabilis, refellitur responsio, vidit dæmon negationem propriæ subsistentiæ quia ibi fuit negatio illius, sed non minùs fuit in humanitate illa negatio alterius suppositi creati, ergo non minùs debebatur ipsi visio hujus negationis, ergo vidit non subsistere per aliam subsistentiam creatam.

III. *Volunt nonnulli dæmonem illic non vidisse subsistentiam humanitatis, non tamen vidisse illius negationem.*

Dicunt alii non vidisse dæmonem in illâ humanitate negationem subsistentiæ propriæ, sed solùm non vidisse ibi subsistentiam propriam, nec vidit, inquiunt, hanc ibi non esse, sed solùm non vidit esse, ac proinde suspicatus est aliquid illic latuisse mysterii, quid autem in particulari fuerit ignorasse. Sed admittimus pro præsenti vidisse illic dæmonem negationem subsistentiæ propriæ, & ad objectionem respondemus gratis in eâ assumi non posse naturam de potentiâ absolutâ existere orbatam omni subsistentiâ, saltem posset de hoc Angelus dubitare.

IV. *Possibilitas resurrectionis, cum hæc solùm supernaturalis sit quoad modum, non est ita cognitu difficilis.*

Objicies secundò: Potest Angelus naturali lumine cognoscere resurrectionem esse possibilem, & accidens posse conservari sine subjecto. Quoad primum non est ita cognitu difficile, cùm resurrectio solùm sit supernaturalis quoad modum; sicut licèt calor ut octo inducatur in subjectum successivè ratione contrarii, Angelus tamen cognoscit posse induci totum simul, nec esset hoc mirabile nisi quoad modum. Secundum de accidente est difficilius, cùm debeat Deus supplere causalitatem materialem, sitque modus operandi intrinsecè diversus: sed esto illud posset cognoscere Angelus, non tamen inde sequitur cognoscere posse hoc mysterium, quod ab altero in difficultate immane quantum discrepat.

V. *Ex miraculis à Christo factis non poterat dæmon cognoscere incarnationem.*

Objicies tertiò, ex miraculis potuisse dæmonem cognoscere hoc mysterium. Sed contra, vel enim hoc cognosceret ex magnitudine miraculorum, vel ex eo quòd in illius confirmationem fuerint patrata: Si secundum, nihil ad præsentem difficultatem, cùm jam supponatur revelatio. Si primum, non rectè concluditur, nam ut ait Christus Joannis 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Nec ex iis colligere potuit dæmon aliud, quàm fuisse Christum eximiæ sanctitatis virum.

VI. *Objic. Novit dæmon negationem unionis hypostaticæ esse tollibilem, ergo & hanc unionem esse possibilem.*

Objicies quartò, negatio rei supernaturalis est naturalis, sicut negatio rei indivisibilis est divisibilis, rei successivæ permanens, &c. ergo Angelus naturaliter videre potest hanc negationem, ergo & cognoscere illius naturam, nempe esse unam ex negationibus tollibilibus, cùm prædicata illius intrinseca percipiat, ergo cognoscit unionem hypostaticam esse possibilem, cognoscere enim negationem Incarnationis posse tolli, est cognoscere posse poni formam Respondeo, privationem & habitum, licèt in essendo sint diversæ rationis, quoad cognoscibilitatem tamen esse ejusdem, hoc patet in gratiâ, & ejus privatione, nec enim dæmones sciunt quando homines sunt in gratiâ, quando non. Ratio est, quia licèt existere possint negationes sine formâ, non tamen sine eâ cognosci, cùm ergo cognitio harum formarum non debeatur Angelo, nec debetur cognitio privationum iis oppositarum. Videatur Vasquez primâ parte, Tomo 2. Disp. 214. capite quarto.

Resp. privationem & habitum quoad cognoscibilitatem esse ejusdem rationis.

VII. *Objic. Angelus cognoscit Deum posse facere quicquid non implicat, & hoc mysterium non implicare.*

Objicies quintò: Angelus solo naturali lumine novit potentiam Dei esse infinitam, imo & omnipotentem, ergo novit evidenter posse eum facere quicquid non repugnat, sed evidenter etiam novit hoc mysterium non repugnare, potest enim solvere omnia argumenta, quæ contra illud proponuntur, ergo. Ad hujus & similium argumentorum solutionem notandum ex Patre Suarez, lib. 2. de Angelis, cap. 29. n. 27. aliud esse non esse evidens aliquid repugnare, aliud esse evidens illud non repugnare, alterum enim est positiva evidentia non repugnantiæ, alterum carentia solùm evidentiæ de repugnantiâ. Respondeo ergo, Angelum ad summum non cognoscere esse hoc mysterium impossibile, sicque habere notitiam negativam, quæ solùm est imperfecta, & secundùm quid, præcisè enim solvendo argumenta contra possibilitatem illius solùm non convincitur esse illud impossibile, non tamen propterea novit evidenter esse possibile, tum quia non ostendit Angelus argumenta illa esse evidenter falsa, tum etiam quia multæ aliæ difficultates proponi contra hoc mysterium possunt, quæ ipsi nunquam in mentem venerunt, nec scit evidenter non esse repugnantiam ex parte Verbi, sed ad summum probabilitate quadam, maximâ ex parte negativâ; unde non potest Angelus absolutè & sine ullâ trepidatione dicere, hoc mysterium est possibile, sed solùm, quantum scio est possibile, nec enim scit evidenter posse fieri, sed non scit evidenter non posse.

Ex eo quòd Angelus non convincitur Incarnationem esse impossibilem, non inde novit evidenter illam esse possibilem.

VIII. *Suppositâ fide, potest homo vel Angelus variis exemplis hoc mysterium reddere verisimile.*

Potest tamen homo vel Angelus, saltem suppositâ Fide mysterium hoc conjecturis quibusdam & congruentiis verisimile reddere, & exemplis illustrare, nempe verisimile esse sicut natura divina una est in tribus suppositis, ita posse duas naturas esse in uno, & sicut potest Deus efficere ut accidens existat sine subjecto, ita & ut natura aliqua substantialis existat in alieno supposito. Denique sicut anima rationalis & materia, res tam diversæ faciunt unum per se, ita, &c. Item facere hoc ad commendationem sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, & omnipotentiæ Dei.

IX. *Objic. Angelus videt potentiam obedientialem naturæ humanæ, ergo illius terminū cognoscit esse possibile.*

Objicies sextò: Angelus videns humanam naturam videt clarè illius potentiam obedientialem, utpote quæ est rei illi intrinseca, & cum eâ identificata, ergo cognoscit possibilem esse unionem hypostaticam, cognoscere enim causam esse potentem producere effectum, est cognoscere effectum

effectum posse produci, ergo. Ad solutionem nota, visâ causâ non semper videri omnes ejus effectus; sic enim beati, licèt videant omnipotentiam divinam sub conceptu omnipotentiæ, non tamen inde cognoscunt omnes res possibiles, nisi quasi in confuso; quamvis enim clarè videant illam dicere ordinem ad res omnes sigillatim, & in particulari, non tamen ipsi vident res illas sigillatim, & in particulari: sicut qui dicit *omnis homo existens conservatur à Deo*, cognoscit quidem Deum in particulari respicere distinctè, & applicare concursum ad omnes homes in particulari, ipse tamen omnes in particulari distinctè non cognoscit.

Respondetur, Visâ causâ non necessariò cognosci clarè omnes ejus effectus.

X. Hinc ergo respondetur ad argumentum, non enim est necessarium, ut visâ causâ videantur omnes effectus ad quos dicit ordinem, sed plures vel pauciores prout visio fuerit magis vel minùs universalis, & latè patens; cùm ergo omnis visio debita Angelo naturaliter, sit naturalis, non videt causam ullam prout potest ad effectum supernaturalem, nisi ad summum generali quadam & confusâ ratione, ut nimirum cognoscat verosimile esse posse Deum, qui habet infinitam vim agendi, elevaro causas naturales ad effectus aliquos supra naturales earum vires & exigentiam, hoc autem potiùs provenit ex cognitione Dei, quàm rerum creatarum. Ac proinde ut Angelus etiam comprehendat naturam humanam, saltem comprehensione vulgari, non requiritur ut cognoscat unionem hypostaticam, & effectus ordinis supernaturalis.

Omnis visio Angelo naturaliter debita est naturalis, sicut non cognoscit causas clarè in ordine ad effectus supernaturales.

Confusè tantùm noscuntur hujusmodi effectus

DISPUTATIO QVADRAGESIMA SECVNDA.

De convenientia & necessitate Incarnationis ex parte Dei.

VARIIS modis se Deus creaturis communicat, primò esse singulis, naturalésque perfectiones veluti scintillas quasdam infinitarum, quas in se continet, perfectionum per creationem tribuens. Deinde gratiam nobis in hac vitâ, cœlestémque beatitudinem in sequente conferens. Præterea miro hoc & ineffabili nexu nostræ se naturæ univit, Deusq; in se immortalis, in eâ quam assumpsit carne mortalis fieri voluit, nostrarúmque miseriarum particeps. Tandem corpus suum ac sanguinem in sacro-sancta Eucharistiâ velut perpetuam summi sui in nos amoris tesseram reliquit. Ad hæc proinde alludit Ecclesia dum dicit: Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. *In hac ergo Disputatione quam tum Deo, tum nobis, tum universo conveniens fuerit hæc ejus per Incarnationem communicatio sui declarabimus.*

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quædam circa convenientiam, & necessitatem Incarnationis.

I. MAXIME Deo convenientem fuisse Divini Verbi Incarnationem affirmat Doctor Angelicus hic, q. 1. art. primo: Cùm enim bonum sit communicativum sui, summum bonum est summè sui communicativum, ac proinde conveniens fuit ut summo modo se communicaret, qui ex omnibus modis quibus se ad extra liberè communicat est Incarnatio. Deinde quia convenientissimum est ut per visibilia monstrentur invisibilia Dei, sed teste sancto Damasceno libro 3. Orthod. Fidei, cap. 1. in Incarnatione maximè elucent divinæ attributa. Potentia Dei, ergo.

Ex variis titulis divini Verbi Incarnatio fuit Deo convenientissima.

Per Incarnationem maximè elucent divina attributa.

Non Deo autem tantùm, sed naturæ etiam assumptæ conveniens fuit hæc Verbi Incarnatio, diverso tamen modo; dicitur enim conveniens aliquid dupliciter, vel quia est alteri commodum, vel consentaneum virtuti ejus & propensioni:

II. *Humanæ etiam naturæ conveniens fuit Incarnatio.*

Primo

Tom. II. Primo modo est conveniens hoc mysterium humanitati, cui, quot & quanta inde provenerint commoda tractatus hujus decursu videbimus: Secundo solum modo conveniens fuit Deo cui nihil esse commodum potest, vel incommodum.

III. *Non est peculiaris convenientia, ut plures Personæ divinæ incarnantur.*

Non tamen fuit peculiaris convenientia (licèt nulla in eo esset inconvenientia) ut duæ vel tres personæ hypostaticè unirentur variis naturis, tum quia non magis simpliciter ostenderentur perfectiones divinæ, & quasi intensivè, sed solùm materialiter, & extensivè, tum etiam quia ad æstimationem & admirationem hujus mysterii conveniens fuit ut esset singulare & unicum.

IV. *Universo etiam longè convenientissima fuit Incarnatio.*

Tandem convenientissimum etiam fuit hoc mysterium ex parte totius Universi, tum ob peculiarem illam cum creatore suo communicationem, quam per hanc unionem accepit, unde ait Sanctus Augustinus: *Ut familiarius diligeretur ab homine Deus, in similitudinem hominis Deus apparuit*, tum etiam quia honorificum fuit humano generi ut homo aliquis esset fons totius sanctitatis & gratiæ, donorúmque omnium cœlestium, tum denique & præcipuè ut Universum hoc haberet caput aliquod, quod cùm fuerit homo potiùs, quàm Angelus, magis inde commendatur amor Dei in Universum; cùm enim Angeli per hoc subdantur homini, constat istud non naturâ fieri, sed gratiâ, quæ & alia optimè declarat S. Thomas hîc, quæst. 1. art. 2. corpore.

V. *Fueritne hoc mysterium humani generis reparationi necessarium.*

Hoc ergo posito, inquirimus utrum ita conveniens fuerit hoc mysterium, ut etiam fuerit necessarium, ita nimirum ut sine eo restaurari humanum genus non posset. Sanctus Thomas loco proximè citato negat ita fuisse simpliciter necessariam Incarnationem ad humani generis reparationem, ut alio modo fieri non potuerit: quæ etiam est communis sententia Theologorum; tenet Magister in 3. Disp. 20. Sanctus Bonaventura, Scotus, Halensis, Durandus, & alii, qui videri poterunt in Suario hîc, disp. 4. Sect. 2. qui ita certam ait esse hanc sententiam, ut sine temeritate, & Fidei incommodo negari non possit.

VI. *Aliis modis potuisset Deus reparare humanum genus.*

Ratio est: Potuit namque Deus vel gratis condonare offensam illam, cùm sit supremus omnium Dominus, vel levem aliquam, & improportionatam acceptare satisfactionem alicujus puræ creaturæ. Unde, ut alios Patres omittam, Sanctus Augustinus lib. de Agone Christi, c. 11. *Sunt*, inquit, *stulti, qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem.*

VII. *Malè aliqui affirmant Incarnationem Deo fuisse simpliciter necessariam.*

Quare à fortiori rejiciendus est Raymundus Lullius, qui necessariam omnino esse aiebat Incarnationem Filii Dei, alioqui, inquit, Deus non fuisset perfectus artifex, ad quem spectat ut illius opera sint perfecta. At sanè quamvis verissimum sit Deum esse perfectissimum artificem, non tamen hinc infertur ipsi ulla necessitas simpliciter in operationibus ad extra: unde licèt conveniens fuit, &, ut loquitur Sanctus Thomas, necessarium secundùm quid, Deum assumere naturam humanam ob pulchritudinem Universi, & alias rationes, non tamen fuit necessarium simpliciter, alioqui mysterium Incarnationis non fuisset opus misericordiæ, quod tamen passim testantur Scripturæ: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Joannis 3. & Sanctus Paulus ad Ephes. 2. *Deus, qui dives in misericordiâ propter nimiam suam charitatem, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo*, &c.

Sequeretur Verbi Incarnationem non fuisse opus misericordiæ.

Dum ergo nonnulli ex Sanctis Patribus, ut Sanctus Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo?* & Sanctus Athanasius lib. 1. de Incarnatione Verbi, dicere videntur, non potuisse Deum non redimere hominem, neque hoc sine justâ satisfactione præstare, ad quam requiritur Incarnatio, intelligi possunt primò de necessitate immutabilitatis, nempe supposito quòd Deus ita ordinaverit, quo modo Sanctum Anselmum explicant Sanctus Bonaventura, & Halensis. Imo ipsemet S. Anselmus hoc videtur insinuare loco citato, dum ait in Deum non cadere alium necessitatis modum, quàm ordinationis suæ: unde etiam explicans locum illum ad Romanos 5. v. 8. *Commendat Deus Charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, ait innumerabiles alias vias habuisse Deum hominem redimendi. Vel secundò dici potest vocasse ipsum hunc modum necessarium ad melius esse, id est, convenientissimum, vel tertiò necessariam fuisse Incarnationem ad perfectam satisfactionem.

VIII. *Quo sensu nonnulli ex Sanctis Patribus asserere videantur Incarnationem fuisse Deo necessariam.*

Sanctus verò Athanasius dum dicit indecens fore, si Deus hominem non redimeret, dicit fore indecens non simpliciter, sed solùm secundùm quid & respectivè, nempe respectu redemptionis, in quâ tanta apparet decentia respectu tum Dei, tum hominum, ut contrarium nobis videatur respectu hujus aliquo modo indecorum quasi, & indecens. His ergo omissis inquirendum de necessitate Incarnationis absolutè & sine respectu ad lapsum hominis.

IX. *Qua ratione S. Athanasius asserat indecens fore, si Deus hominem non redimeret.*

SECTIO SECUNDA.

Sitne necessaria Deo Incarnatio.

I. *Ratio dubitandi est, quia bonum est communicativum sui.*

Difficultas præcipuè desumitur ex Sancto Dionysio cap. 4. de divinis nominibus, dum ait: *Bonum est communicativum sui*, ergo infinitum bonum infinitè communicativum, ergo debuit Deus summo modo se communicare, sed hic modus est per Incarnationem, ergo. Respondeo cum Vasquez in expositione articuli primi, sensum hujus dicti non esse ipso facto quod aliquid bonum seu perfectum sit, statim esse communicativum sui, Angelus enim ens perfectum est, & tamen non se hoc modo communicat, nec alium Angelum producit, sicut nec aurum producit aurum, aut ferrum ferrum.

Angelus, quamvis quid bonum, non est communicativus sui.

II. *Quo sensu illud intelligendum sit, bonum est communicativum sui.*

Sensus itaque illius dicti est, quando res aliqua se communicat, hoc fieri ratione bonitatis & perfectionis, quicum communicatio habet peculiarem proportionem. Licèt ergo omne bonum non sit communicativum sui, ubi tamen aliquid se communicat, hoc sit ratione bonitatis & perfectionis, bonitas ergo non arguit communicabilitatem, sed communicabilitas bonitatem, ac proinde licèt conveniens fuerit bonitati Dei, quando se communicavit, non tamen hoc facit necessariò ad extra, sed liberè.

III. *Dices, quò major inclinatio ad aliquid, eò minor indifferentia.*

Urgebis: Ex bonitate sequitur inclinatio, sed quò major est inclinatio ad aliquid, eò minor est indifferentia, ergo ubi inclinatio infinita, nulla indifferentia, nec libertas, ergo cùm Deus habuerit infinitam inclinationem ad Incarnationem, nullam habuit libertatem ad oppositum.

Ad solutionem

IV. *Inclinatio duplex est, innata & elicita.*

Ad solutionem notandum, inclinationem duplicem esse, innatam & elicitam: Inclinatio elicita vel est actus voluntatis, quo quis aliquid appetit, vel, ut alii volunt, cognitio, quæ proponendo objectum inclinat voluntatem ad illius prosecutionem. Inclinatio verò innata aliud nihil est, quàm ipsa cujusque rei entitas, seu potentia rem aliquam efficiendi. Hæc verò inclinatio considerari potest vel formaliter, vel materialiter: habet exempli gratia ignis inclinationem innatam ad suam sphæram, habet Angelus ad eandem sphæram, cùm utrique insit vis se illic collocandi, inclinatio Angeli est materialiter major & perfectior, ignis formaliter, utpote qui ad suam perfectionem naturalem indiget præsentiâ in suâ sphærâ tanquam re sibi necessaria, sicut lapis indiget centro; Angelus autem sphærâ illâ non indiget.

Inclinatio innata materialiter major, sæpe est minor formaliter.

V. *Declaratur quo sensu inclinatio innata Dei ad Incarnationem fuerit infinita.*

Ad argumentum itaque dico, licèt inclinatio Dei ad Incarnationem sit materialiter infinita, utpote ipsa entitas Dei, & potentiâ mysterium hoc efficiendi, formaliter tamen non est infinita, imo formaliter dici aliquo modo potest major inclinatio innata ignis ad suam sphæram, quàm Dei ad Incarnationem; cùm enim ut diximus, formalis inclinatio non penes naturalem entitatem rei, sed indigentiam præcipuè desumenda sit, & Deus Incarnatione, aut aliâ quavis re ad perfectionem suam non indigeat, consequenter non erit Dei inclinatio ad illam infinita formaliter.

VI. *Deus nullâ re creatâ indiget ad suâ gloriam obtinendam.*

Idem dicendum de inclinatione elicitâ, nempe cognitione, quâ Deus sibi repræsentat Incarnationem; licèt enim entitativè & materialiter sit infinita, non tamen in ratione inclinationis, & formaliter, quia non est hoc objectum Deo ad suam gloriam obtinendam necessarium, imo ad nullum omnino objectum externum habet Deus inclinationem efficacem infinitam quoad illius existentiam (quicquid sit de inefficaci complacentiâ quoad rem in se) imo sub hac ratione magis rapit cognitio finita boni infiniti, quàm infinita finiti.

VII. *Amor Dei respectu creaturarum triplicitèr distingui potest entitativè, naturaliter, & appretiativè.*

Ad quod notandum, tripliciter distingui posse amorem rerum creatarum in Deo, primò entitativè, & hoc modo amor omnium objectorum est infinitus & æqualis, sicut & odium, æqualitate se tenente ex parte actus, non objectorum, cùm amor & odium Dei sint ipsa ejus entitas. Secundò naturaliter, seu quoad complacentiam, & hic distinguitur secundùm diversitatem objectorum. Tertiò appretiativè, seu ex parte modi amandi objecta, præferendo scilicet unum alteri, & hac ratione ad nullum objectum creatum habet Deus inclinationem necessariam & infinitam, estque æqualis hoc sensu amor ipsius & odium respectu diversorum objectorum, imo probabile est aliquando majorem habere Deum inclinationem ad objecta in se minùs perfecta, ut Oseæ 6. & Matthæi 9. *Misericordiam volo & non sacrificium:* & magis spectat ad Deum, ut posito hoc rerum statu, det hominibus usum liberi arbitrii, ac pœnas iis decernat & præmia, quàm ut uniat se hypostaticè humanæ naturæ, primum enim, exigitur aliquo modo ab ipso, non secundum debita autem præferri debent gratuitis, & justitia liberalitati, neutrum tamen facit necessariò, quia simpliciter carere potest utroque: & declaratur ulteriùs, quia cùm amor appretiativus sit amor præferens unum alteri, licèt inclinetur Deus in hæc objecta, suam tamen libertatem appretiativè præfert omnibus.

Major interdum videtur aliquo modo amor Dei ad objecta in se minùs perfecta.

VIII. *Deus extera omnia vult propter seipsum.*

Ratio demum à priori est, quia Deus externa hæc vult & amat propter seipsum, tanquam propter finem, in tantum autem amatur efficaciter, & intenditur medium, in quantum ad finem est necessarium, cùm ergo Deus sit omnino independens à rebus omnibus creatis, nullam necessariò produxit. Præterea, quòd Incarnationem in particulari non necessariò velit, reddi ulteriùs causa potest, quia tunc necessitat bonum aliquod ad efficacem sui prosecutionem, quando nulla in eo apparet ratio mali, quæ est ratio cur Deus rapiat voluntates beatorum ad se necessariò amandum, quia nimirum est bonum sine ullâ ratione mali, & in creatis motus primò primi, & indeliberati actus etiam efficaces circa bonum creatum in hominibus sunt necessarii, quia nullam in objecto advertunt rationem mali, Deus autem perfectissimè res cognoscens ita videt esse bonam Incarnationem, ut aliqua ratio mali eam comitetur, nempe peccata hominum, quæ inde occasionem essent habitura, & id genus alia, quæ ratio in omni aliâ re creatâ à fortiori urget.

Peculiaris alia ratio cur Deus non velit necessariò Incarnationem.



DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

De necessitate Incarnationis ad satisfaciendum ex Iustitia.

CHRISTVM propter nos, & nostram salutem de cœlo descendisse, humanámque assumpsisse naturam, Fide certum est, ut nimirum nos à peccato liberaret, cœlique portam per primi parentis delictum nobis clausam aperiret, quod quamvis aliis modis, ut Disputatione præcedente vidimus, præstare potuisset, quò tamen incredibilem illam suam in nos benignitatem testaretur, hanc præ cæteris id faciendi viam elegit, ut scilicet pro tam gravis culpæ reatu satisfaceret, plenúmque redemptionis pretium persolveret, quod quo pacto præstiterit, ex sequentibus constabit. Priùs verò quàm de satisfactione decernamus, videndum de culpa.

SECTIO PRIMA.

An per peccatum contrahatur debitum justitiæ ad satisfaciendum Deo?

I. *Iustitia variè ab auctoribus sumitur.*

IUSTITIA variè ab auctoribus sumitur: primò latè pro collectione omnium virtutum, quo sensu Sancti dicuntur justi. Secundò quælibet virtus vocatur justitia, quòd virtus æqualitatem quandam & debitum rationis servet. Tertiò strictiùs, licèt non ita propriè pro quavis virtute ad alterum, ut pro religione quæ Deo, gratitudine quæ benè meritis, pietate quæ parentibus debita præstant obsequia. Justitia verò propriè dicta est virtus qua habitualiter inclinatur voluntas ad servandum illæsum jus strictum alterius, ortum ex dominio proprietatis, quæ proinde definiri ex Ulpiano solet, *Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Videatur Molina de Justitia & Jure, & Lessius ibidem libri 2. cap. 1. num. secundo.

Quanam sit propriissima justitiæ acceptio.

II. *Iustitiam inter homines reperiri posse certum est.*

Hanc virtutem inter homines erga se invicem reperiri certum est, cùm unus alteri vim & injuriam inferre, & illius jus in famâ ac bonis violare possit, ut in dies constat. Ad Angelos etiam in purâ naturâ consideratos spectat hæc virtus, nec enim liberum est ipsis se invicem infamare, sed si qua sint bona spiritualia, quorum sunt domini, ut honor, libertas à coactione, & violentiâ, &c. tenentur non se invicem in his lædere, & idem est si ratione officii, vel dignitatis sibi invicem debeant. Angelis etiam respectu hominum, & è contra competit justitia, licèt quoad secundam partem Suarez neget, quia, inquit, nihil nocumenti potest Angelis ab hominibus inferri; at licèt homines ipsos decipere, aut vim iis inferre non possint, quidni tamen infamare eos poterunt. Angeli verò cùm homines variis modis in bonis tum corporis, tum animi lædere possint, tenentur ex justitiâ nobis in istis non nocere.

Angelis inter respectu hominum, & è contra, competit justitia.

III. *Quæritur utrùm peccatum sit injustitia stricta citra Deum.*

Quæstio ergo in præsenti est, utrum homo peccando lædat jus Dei, injuriámque ei inferat, & injustitiam propriè dictam committat, sicque Deo ex justitiâ teneatur satisfacere, ac proinde utrum Christi satisfactio, qui fidejussoris munus pro hominibus in se susceptit, fuerit hoc sensu actus justitiæ propriè dictæ, seu tendens ad resarciendam injuriam strictam, quam homines in Deum peccando incurrerant.

IV. *Prima sententia negat per peccatum commissi injuriam strictam citra Deum.*

Prima sententia negat peccatum esse injuriam propriè dictam, sicque asserit homines peccando non committere injuriam contra Deum, & consequenter actum satisfaciendi non esse actum justitiæ, sed solùm Charitatis, aut alterius virtutis. Ita Vasquez hic, Disp. 7. & primâ parte, Disp. 85. cap. 4. num. 24. qui alios citat, & hanc opinionem multi sequuntur ex recentioribus, licèt non omnes eodem illam modo defendant.

V. *Nolunt aliqui peccatū esse injustitiam strictam contra Deum,*

Vasquez hac incedit viâ, tunc enim, inquit, committitur injustitia, quando læditur aliquis in bonis, & damnum ei aliquod infertur, Deo autem inferri damnum non potest, utpote cui commodum nihil est, aut incommodum, & sicut utilitatem nullam ex rebus creatis percipit, ita

quia ipsi ex nostris peccatis nullum damnum infertur.

ita nec nocumentum, unde Job 35. dicitur: *Si peccaveris quid ei nocebis, porro si justè egeris quid donabis ei, aut quid de manu tuâ accipiet:* & cap. 22. *Quid prodest Deo si justè feceris, aut quid ei confers si immaculata fuerit vita tua.* Deinde peccata, inquit, blasphemiæ, sacrilegii, & odii; quæ sunt directè contra Deum, opponuntur aliis virtutibus, blasphemia Fidei, sacrilegium religioni, odium Charitati, hæ autem virtutes diversissimæ sunt à justitiâ.

VI. *Qua ratione Aristoteles materiam justitiæ assignet res utiles.*

At licèt Aristoteles quinto Ethicorum cap. 4. & 9. materiam justitiæ assignet res utiles, seu in quibus damni aliquid reperitur aut lucri, non tamen illam assignavit ut materiam adæquatam, sic enim quarto Ethicorum cap. 1. ait idem Aristoteles, Liberalitatem versari circa pecuniæ largitionem, & tamen in Deo est liberalitas respectu donorum spiritualium & supernaturalium. In his ergo libris, cùm eos scripserit in ordine ad vitam humanam rectè instituendam, de illâ solùm justitia tractat, quæ in contractibus humanis ut plurimum reperitur.

VII. *Non in diminutione rei propriè utilis consistit adæquatè injuria.*

Non ergo consistit adæquatè injuria in diminutione boni propriè utilis, sed in læsione boni alicujus, æstimatione digni, cujus habet quis verum dominium, seu ad quod habet jus, hoc enim fit Domino rationabiliter invito, cùm unusquisque rationabiliter sit invitus ut alius qui nullum jus habet, ipsum re suâ privet, cujus est dominus, sive ex eâ utilitatem capiat, sive voluptatem, sive honorem tantùm extrinsecum, ut rectè Suarez loco supra citato.

VIII. *Idem numero actus opponi potest diversis virtutibus.*

Quod verò addit Vasquez, propterea blasphemiam non esse peccatum contra justitiam, quia est opposita Fidei, quid vetat eundem actum diverso respectu opponi diversis virtutibus, ut sacrilegium justitiæ & religioni, si sit rei Deo sacratæ, adulterium temperantiæ & justitiæ, &c.

IX. *Alii idcirco dicunt peccatum non esse injustitiam contra Deum, quia homo non potest ad æqualitatem pro eo satisfacere.*

Secundò itaque, propterea dicunt aliqui peccatum non esse injuriam strictam contra Deum, nec teneri offendentem satisfacere Deo ex justitiâ pro peccato, quia justitia est virtus ex naturâ suâ ordinata ad servandam æqualitatem, sed homo non potest Deo reddere æquale pro peccato, ergo nec tenetur ex justitiâ pro eo satisfacere. Et si dicas in creatis eum, qui injustè abstulit magnam vim pecuniæ, & jam restituere totum nequit, saltem teneri ad restituendum quantum potest. Respondent, aliam esse rationem respectu Dei, in creatis enim per accidens est, quod non possit quis restituere, & sic tenetur, hic autem per se & essentialiter est impar satisfactioni, sicque liber est ab obligatione hujus virtutis, utpote cujus ratio formalis in eo deficit.

X. *Contra, in aliquibus servari potest æqualitas inter Deum & hominem.*

Sed contra primò, nam in aliquibus servari potest æqualitas inter Deum & hominem, ut si Deus ut Dominus proprietatis alicui præcipiat ut hoc vel illud faciat in ejus obsequium, quod facere potest, tenetur illud facere ex justitiâ, & idem est si aliquid simili modo prohibeat, particulari enim juri Dei hîc & nunc satisfacere possumus ad æqualitatem, licèt ei in totâ latitudine fortè non possimus, tot namque titulis Deo obstringimur, ut satisfacere omnibus nequeamus.

XI. *Satisfacere ad æqualitatem non est de conceptu essentiali justitiæ.*

Contra secundò, ratio enim formalis justitiæ non est ut absolutè satisfaciat quis quoad æqualitatem, sed solùm quantum potest, quæ conditio tacitè in hac justitiæ descriptione intelligitur, alioqui pauper, qui non est solvendo, partem tamen ablati restituit, non id faceret ex affectu hujus virtutis, nec actus ille esset actus justitiæ, quod nullus concedet; sequela probatur, non enim dicit *volo satisfacere ad æqualitatem*, cùm moraliter videat id sibi esse impossibile, sed solùm *quantum possum.* Nec refert hoc fieri per accidens, si enim desit conceptus formalis virtutis, sive per accidens desit, sive per se, non est actus illius virtutis, sicut in quo non est albedo, sive per accidens absit, sive per se, verè illud non est album, unde tam non est alba nix, vel lac, quod casu colorem amitteret, quàm corvus, & tam non videt Petrus cæcus, quàm talpa. *Si ratio formalis justitiæ absit, etiam per accidens, non est in illo actu injustitia.*

SECTIO SECUNDA.

Aliæ viæ quibus contendunt nonnulli excludere peccatum à ratione injuriæ strictè sumptæ?

I. *Volunt alii peccatorem non posse satisfacere ex justitiâ, quia tenetur idem numero reddere.*

TERTIUS dicendi modus aliorum est, propterea non teneri peccatorem ad satisfaciendum ex justitiâ, quia tenetur reddere idem in individuo, cùm tamen non possit, nec æquivalens, tunc enim solùm debitor tenetur reddere æquivalens, quando creditor per injustam actionem habet minus in bonis, Deus autem per peccatum, omissionem videlicet actus alicujus præcepti, non habet moraliter minus in bonis suis extrinsecis, potest namque pro libito gloriam illam recuperare; cùm enim habeat in potestate suâ Deus voluntatem hominis meliùs, quàm ipse homo, potest eam ubi placuerit ad actus quoque excellentissimos movere per cogitationes congruas, quibus honor amissus abundè compensetur.

II. *Refellitur dicta sententia.*

Sed contra primò, nam tunc nec ex Charitate pœnitere tenetur, & se Deo iterum conjungere, cùm Deus pro libito efficere possit ut se convertat.

III. *Quòd læsus possit facilè honorem recuperare, non liberatur lædens ab obligatione eum restituendi.*

Contra secundò; Cùm enim quis hominem quempiam in famâ læsit, esto possit læsus facilè famam suam recuperare, sicque moraliter hoc sit in ejus potestate, non tamen propterea liberatur offendens ab obligatione famam illi restituendi, nec tenetur læsus ipsum orare vel invitare, aut dare concilium ut famam restituat: sic licèt Deus auxilio congruo possit honorem recuperare, peccator tamen non liberatur ab obligatione eum restituendi.

IV. *Peccat fur contra justitiam auferendo rem alienam, quamvis domino inspectante id præstet.*

Contra tertiò: Ponamus aliquos secretò furem spectare rem, quæ ad ipsos pertinet auferentem, res hæc est moraliter adhuc in bonis ipsorum, quia possunt impedire ipsum si velint, vel etiam ab eo facilè illam auferre, & tamen peccat fur peccato injustitiæ auferendo rem alienam, & eam retinendo: unde lege, *si quis* ff. *de furtis* dicitur potentem prohibere furem, & non prohibentem, adhuc agere contra furem posse actione furti.

V. *Deus ab homine pro satisfactione actus omissi non requirit ut actum pollea similem eliciat.*

Contra quartò: Satisfactio enim, quam Deus requirit pro injuriâ illatâ non est ut ob actum omissum restituamus alium similem, ut si quis actum humilitatis vel obedientiæ pro tali instanti præceptum omitteret, postea alium actum humilitatis & obedientiæ intuitu illius omissionis eliciat, ut ex communi praxi constat, sed solùm postulat, ut ipsi per pœnitentiam satisfaciat, dolendo scilicet de peccato, & emendationem in futurum promittendo, hanc enim satisfactionem significavit Deus se requirere, non aliam.

Tom. II.

Quartò itaque dicunt alii: Quamvis non repugnet, ut in quibusdam intercedat stricta obligatio hominis ad Deum, peccatum tamen non esse injuriam propriè dictam, & consequenter satisfactionem, seu pœnitentiam de peccato non esse actum justitiæ, quia, inquiunt, jus Dei ut non offendatur peccatis hominum est ejusmodi, ut non possit cedere jure, & consequenter non est liberum Deo exigere, vel non exigere ab hominibus, ut ipsum per peccata non offendant, nec obligatur ex liberâ Dei voluntate, sed naturali quadam necessitate ex parte Dei, qui nimirum ita habet jus ut homines in ipsum non peccent, ut non possit hoc non velle. Ita videntur sentire ii, qui asserunt jus proprietatis esse potestatem moralem obligantem ex voluntate liberâ Domini, cujus opinionis videtur esse Rebellius parte primâ, lib. 1. quæst. 4. num. 14. & alii nonnulli, citatur etiam Lessius lib. 2. de Jure & Justitiâ, cap. 2. num. 2. qui tamen eam non vocat potestatem moralem, sed legitimam, seu à lege aliquâ collatam, unde manifestè loquitur solùm de jure contracto ad creatum, non de divino, quod nullâ lege confertur, sed oritur essentialiter ex ipsâ naturâ Dei.

VI. *Ideo dicunt quidam Peccatum non esse iniustitiam strictâ cõtra Deum, quia Deus non potest cedere jure suo, ut ab hominibus non offendatur.*

Dicunt hi Auctores jus esse potestatẽ moralem, seu liberam, non necessariam.

Sed contra primò: Nam quisquis peccat, id præstat Deo invito, eúmque ut Dominum proprietatis offendit, ut infra videbimus, ergo irrogat ei injuriam, quod enim sit essentialiter invitus non minuit, sed auget potiùs offensæ gravitatem, imo si posset Deus hac in parte cedere jure suo, non videtur injuria futura tanta. Confirmatur: Dominium proprietatis quod habet Deus in homines, & eorum operationes, ac res omnes creatas, est perfectissimum, ergo & jus, quod habet ne violetur hoc dominium est perfectissimum, sed violatio juris & dominii etiam in creatis est injuria strictè sumpta, ergo & violatio juris & dominii divini, quod est perfectissimum, erit stricta injuria. *Summum enim jus, summa injuria.*

VII. *Quod Deus hac in parte cedere nequeat jure suo, arguit peccati gravitatem esse majorem.*

Contra secundò: Si homo aliquis esset ex naturâ suâ Rex alicujus loci, ita ut non posset cedere jure suo, nec dominium illud abdicare, aut velle ut alter hoc eum privaret, si quis illi regnum illud eriperet, censeretur ab omnibus injusta actio illa, & teneretur ex justitiâ ad restitutionem, cùm verè teneret rem alienam invito domino, & puniri posset juxta leges contra injustè accipientes rem alienam statutas, ergo.

VIII. *Quisquis hominem naturâ suâ loci alicujus regem regno illo privaret, gravi eum afficeret injuriâ.*

Contra tertiò: Non potest homo, secundùm probabilem sententiam cedere jure suo in vitâ, ac membris, ut occidatur, mutiletur, &c. permittere enim se occidi, ut fecerunt Martyres, non est cedere jure suo, sicut nec cedit jure suo Deus, quod habet ne homines ipsum offendant, permittendo peccata, & tamen peccaret contra justitiam quisquis hominem ipso invito mutilaret. Idem est in adulterio, quod est peccatum contra justitiam, licèt conjux cui fit injuria cedere jure suo hac in parte non possit.

IX. *Martyres à tyrannis gravissimam patiuntur injuriam dum mutilantur & occiduntur, quamvis in vitâ & membris cedere jure suo non possint.*

Contra quartò: In actu peccaminoso contra Deum varii sunt respectus; ut Deus est persona veneratione digna, peccatum est irreverentia, ut est dignus cultu, peccatum est contra religionem, sed ulteriùs Deus etiam est Dominus proprietatis, ergo est alius adhuc peculiaris respectus in peccato, sed hic non est nisi injustitiæ, secundùm omnes namquo tunc est injuria propriè dicta, quando est contra jus strictum alterius, quod habet, ut Dominus est proprietatis, ergo, &c.

X. *In actu peccaminoso contra Deũ, varii sunt respectus.*

SECTIO TERTIA.

Rationes quædam cur peccatum juxta nonnullos non sit stricta injuria, quod scilicet Deus sit essentialiter invitus ne offendatur.

DICES primò: Secundùm Aristotelem nemo patitur injuriam nisi nolens, & invitus. Esto, hoc tamen facit potiùs contra hos auctores, nam Deus hîc ita essentialiter est nolens, & invitus, ut non possit non esse invitus, nec interpretativè solùm, seu præsumptivè, sed apertè, quod testantur tot prohibitiones, & præcepta, quibus suam hac in parte voluntatem indicat. Et sicut in hoc constituunt Theologi perfectissimum dominium Dei, quod non possit illud à se abdicare, sed sit necessariò & essentialiter dominus, ita perfectissimè nolens & invitus est is, qui non potest non esse nolens & invitus. I. *Si nullus patiatur injuriam nisi nolens, Deus per peccata hominũ gravissimam patitur, utpote qui est essentialiter nolens.*

Dices secundò: Jus proprietatis vocari ab auctoribus, potestatem moralem, ergo est potestas obligans ex liberâ voluntate domini; jus autem, quod Deus habet ut non offendatur per peccata, non obligat ex liberâ voluntate Dei, cùm, ut diximus, non possit in hoc cedere jure suo. Contra, hoc enim argumentum probaret Dei jus non esse propriè jus, quod tamen est falsum, habet enim Deus jus strictissimum ne homines ipsum offendant, & utantur rebus ipsius ipso invito, quod tamen faciunt per peccatum. Contra secundò: Nam eodem modo loquuntur auctores de dominio proprietatis, quod definiunt per jus, & tamen certum est Deum habere dominium perfectissimum, ut dictum est, licèt non possit illud abdicare. II. *Objic. Jus Dei vocatur potestas moralis, ergo est quid liberum.*

Respondeo ergo jus proprietatis vocari potestatem moralem, prout morale distinguitur contra physicum, nam licèt physicè res ab aliquo auferatur, & consequenter is non habeat potestatem physicam illâ utendi, retinet tamen adhuc potestatem moralem, & potest secundùm leges sibi rem illam vindicare tanquam suam. Secundò dicitur potestas moralis, id est fundata in naturâ rationali, seu quæ possit sentire & cognoscere hanc injuriam, unde brutis non competit jus hoc nec dominium, utpote quæ ex naturâ suâ non possunt illius cognitionem ullam habere, nec eo ad rem ullam uti. Tertiò dici potest *moralis* tanquam spectans ad mores. Tandem quia licèt non sit formaliter libera in Deo, est tamen radicaliter, seu radix diversarum operationum liberarum. Deinde quamvis Deus non possit cedere jure suo, & velle ut homines ipsum per peccata offendant, potest tamen id permittere. III. *Quibus de causis jus proprietatis in Deo, etiamsi non sit liberum, vocetur potestas moralis.*

Dices tertiò: Ergo confundimus peccata. Nego consequentiam, sed in eodem actu distinguimus varios respectus, ut Deus est Dominus jurisdictionis, actus ille est inobedientia, ut est benè de nobis meritus ingratitudo, ut dominus proprietatis injustitia. IV. *Varia sunt peccata juxta varios respectus.*

Dices quartò: Est specialis quædam difficultas, & honestas operari intuitu voluntatis alterius te compellentis ex vi potestatis moralis, diversa ab eâ, quæ obligat ex merâ honestate naturali, ergo constituenda erit diversa virtus ad hanc difficultatem superandam. Respondeo potestatem moralem, ut jam explicata est, non pugnare V. *Objicies: Peculiaris in eo relucet honestas ut quis operetur ex vi potestatis liberæ alterius.*

pugnare cum naturali honestate, unde ob naturalem honestatem requiri possunt variæ virtutes, intra quas una est justitia, quæ obligat ad servandum illæsum jus alterius, sive ex naturâ, & necessariò jus illud ei competat, sive non; unde si violetur invito Domino erit injustitia, sive Dominus ita sit invitus ut possit non esse, sed cedere jure suo, sive non, hoc enim merè materiale est in ratione justitiæ, sicut enim non efficit quò minùs verè sit Dominus, ita nec quo minùs verè committatur contra eum injustitia.

Resp. Ob honestatem potestatis non liberæ varias exerceri posse virtutes, & inter alias justitiam.

VI. *Ex actu obedientiæ nullum deducitur argumentum ad actum justitiæ respectu Dei.*

Dices quintò: Obedientia erga Deum respicit voluntatem liberam illius, ergo & justitia. Omisso antecedente negatur consequentia, disparitas est, quia obedientiæ objectum juxta Sanctum Thomam 2. 2. quæst. 104. art. 2. est præceptum superioris, seu voluntas ejus intimata, cui refragari esset inobedientia, præceptum autem liberè intimatur, objectum verò justitiæ, est jus, quod si violetur invito Domino fit ei injuria. Sed quicquid sit de hoc

VII. *Deus non minùs essentialiter est dominus jurisdictionis, quàm proprietatis.*

Respondetur secundò, eandem videri rationem de justitiâ, ac de obedientiâ; sicut enim Deus non potest cedere jure suo ut dominus proprietatis, seu ne homines ipsum offendant, ita nec cedere potest jure suo, ut dominus jurisdictionis, ne homines ipsi sint inobedientes, æquè enim essentialiter ipsi competit jus unum atque alterum. Unde sicut negatio libertatis in Deo quoad hoc secundum non obstat peccato inobedientiæ strictæ, ita, &c. Imo si Deus homini, vel Angelo conferret jurisdictionem in alios, & superiorem ita constitueret, ut non relinqueret ei potestatem cedendi jure suo, certè non videtur minùs propriè actum, quo quis contemneret ipsius mandatum futurum inobedientiam, quàm modò.

VIII. *Præceptum superioris, etiamsi esset necessarium, obligaret.*

Declaratur hoc idem ex Sancto Thoma articulo illo secundo, in corpore, & ad secundum, ubi ait objectum obedientiæ esse præceptum superioris, vel expressum, vel tacitum, ergo potest esse inobedientia etiam in iis, quæ sunt intrinsecè mala, licèt nullum sit de iis expressum mandatum, sed Deus non minùs potest cedere jure jurisdictionis in his, seu ut non offendant ipsum homines ut supremum legislatorem, quàm cedere jure suo proprietatis, & ut non ipsum offendant ut Dominum proprietatis, ergo: si quis verò aliquid præstet non reflectens ad præceptum, excusabitur ab inobedientiâ formali, sicut etiam à formali injustitiâ.

IX. *Dices: Explicari conceptus juris non potest, nisi in ordine ad voluntatem liberam.*

Dices sextò stare non posse hanc doctrinam cum conceptu essentiali juris, utpote quod nisi in ordine ad hujusmodi voluntatem liberam definiri nequit: definire enim justitiam cum Molinâ, tomo 1. de Justitiâ & Jure tract. 2. dub. 1. quod sit facultas aliquid faciendi, obtinendi, &c. cui si contraveniatur sine legitimâ causâ fit injuria, quam etiam definitionem amplectitur Lessius ibidem lib. 2. Disp. 1. num. 2. & alii plurimi, est committere circulum. Postea enim interroganti quid sit injuria, hanc explicant per ordinem ad jus, nempe ut sit id, quo violatur hoc jus, sicque jus per injuriam, & injuriam per jus declarant.

X. *Cum natura faciat circulos in essendo, quidni Philosophus eos faciat in definiendo.*

Respondetur primò cum Suarez Disput. 43. Metaphy. Sectione ultimâ, & Hurtado 15. Metaphy. Sect. 7. §. 64. in simili, non omnem circulum esse vitiosum, præsertim in correlativis, cùm enim res à parte rei mutuò se respiciant, & efficiant quasi circulum in essendo, ut materia respicit formam, & hæc vicissim materiam, potentia actum, actus potentiam, &c. quidni per hunc ad se respectum definiri & explicari poterunt. Sic Aristoteles materiam definit per formam, & formam per materiam, Porphyrius genus per speciem, & hanc per genus. Sicut etiam in moralibus creditor explicatur per debitorem, & è contra. Hujusmodi ergo circuli non semper improbantur, sed ii solùm, qui planè idem dicunt per idem, ut videri potest quod est visibile, visibile est quod potest videri, quod solùm videtur ludere in verbis.

XI. *Quid sit injuria strictè dicta.*

Ne tamen nos huic modo respondendi astringamus, dico injuriam propriè dictam esse eam, quæ infertur Domino proprietatis ut Dominus proprietatis est, utendo scilicet, vel aliquo modo disponendo de re ipsius, illo invito; proprietas autem est, qua res dicitur nostra, nostra verò dicuntur illa omnia, quæ physicè nobis aut moraliter uniuntur, aut à nobis aliquo modo causantur. Jus tandem proprietatis dici potest facultas moralis, qua licet mihi pro libito uti re aliquâ tanquam meâ. Addo adversarios non effugere hoc inconveniens, dicendo jus esse potestatem moralem fundatam in liberâ voluntate alterius, non enim in quavis voluntate liberâ illam possunt constituere, sed in voluntate habentis dominium proprietatis, non jurisdictionis formaliter. Dominium verò proprietatis explicant per injuriam, qua violatur; si autem ulteriùs quæras quid sit injuria, recurrunt ad dominium proprietatis, & concluduntur in circulo.

Adversarii in suâ explicatione juris & injuriæ non effugiùs circulum.

SECTIO QUARTA.

Peccatum est injuria stricta contra Deum.

I. *Peccatum est injuria stricta contra Deum.*

ITA Suarez opusculo de Justitiâ Dei, Sect. 2. num. 9. & hîc Disp. 4. Sect. 5. & Tomo 4. Disp. 2. de Pœnitentiâ, Sect. 3. Tannerus de Pœnitentiâ: quæst. 2. dub. 2. & alii recentiores, videturque mens Sancti Thomæ, tum alibi, tum tertiâ parte, quæst. 85. art. 3. ubi Pœnitentiam ait esse speciem justitiæ.

II. *Ratio est, quia Deus in creaturas rationales habet jus proprietatis perfectissimum.*

Ratio conclusionis à priori est, quia Deus titulo creationis & conservationis habet in creaturas rationales in ordine ad officia ab eis debita præstanda jus quoddam proprietatis excellentissimum, multóque strictiùs, quàm Dominus quivis creatus ad servum, ut exigat ab eo obsequia, vel herus in mercenarium, sed hi tenentur ex justitiâ imperata sibi ab hero & domino peragere, ergo à fortiori homo tenebitur ex justitiâ ad ea præstanda, quæ Deus ab eo ut Dominus proprietatis exigit, ergo è contra si ea non præstet peccabit peccato injustitiæ, utitur namque re alienâ invito Domino, vel saltem id, ad quod ex justitiâ tenetur, omittit. Confirmatur: Homo verè & propriè est servus Dei, ergo obligatur ei ex justitiâ.

III. *Peccata in Scripturâ passim appellantur injustitia.*

Secundò probatur: Peccata in Scripturis passim vocantur injustitiæ, iniquitates, offensæ, & aliis hujusmodi nominibus, quæ veram injuriam contra Deum in iis repertam sonant: *Dixi confitebor adversùm me injustitiam meam Domino.* Psalmo 31. ubi peculiariter notandum, cum voce injustitiâ conjungi dominium, ut insinuet se servum, Deum tanquam Dominum offendisse:

TOM. II. & Psalmo 50. dicit Deo Propheta, *tibi soli peccavi*, ut significet, licèt duobus peccatis gravissimis injustitiæ, adulterio scilicet, & homicidio homines offendisset, tanta tamen erat injuria in his contra Deum, ut *soli Deo* injuriam intulisse videretur, ut ex Theodoreto notat Suarez lib. 7. de Gratiâ, cap. 14. num. 50. Imo toties peccatum in Scripturâ vocatur injuria, iniquitas, & offensa Dei, ut nonnulli apud Suarium putent esse de Fide peccatum esse injuriam propriam contra Deum, nec posse ullo sensu metaphorico loca illa Scripturæ explicari, licèt ipse pro suâ modestiâ id affirmare nolit. Ita tamen ratio injuriæ & offensæ in Deum apparet in peccato, ut Halensis quartâ parte, quæst. 54. in 2. art. 2. §. 6. dicat ipsam rationem informatam legibus æternis dictare pœnitentem debere punire in se offensam, sive injuriam Dei.

Non pauci existimant fidei certum esse in peccato contineri rationem injuriæ strictæ contra Deum.

IV. Tertiò: Nihil frequentius in Scripturâ, quàm Deum vocari Dominum, homines servos, Isaiæ 45. *Ego Dominus, & non est alius, Ego Dominus, & non est alter, ego Dominus faciens omnia hæc.* & Apocalyp. 19. dicitur: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* unde fit, ut homo teneatur Deo tanquam Domino parere, utpote cujus actiones omnes sub vero illius dominio existant. Quod ut clarè significaret Deus, cùm jam esset laturus legem, non solùm sæpè priùs repetiit verba illa: *Ego Dominus Deus tuus*, sed post singula ferè præcepta repetit: *Ego Dominus*, ut constat ex Levitici 18. & ut omittam infinita alia, dicit Christus Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Quare putant aliqui Deum semper præcipere ut dominum proprietatis, quia quandocumque aliquid præcipit, id facit ad gloriam suam, quam exigit ab hominibus, ergo præcipit ut dominus proprietatis, qui obsequia debita à servis suis exigit. Ignorantia verò potest excusare à formali injustitiâ, sicut à quavis aliâ ratione malitiæ in actu repertâ.

Deus in sacris Literis frequentissimè appellatur Dominus.

Dum legem ferret Deus, post singula fere præcepta se vocavit Dominum.

V. Quartò: Clariùs hoc constat in peccatis iis, quæ sunt directè contra honorem Dei, Deus enim non minùs est Dominus honoris sui, & famæ, quàm homo, si ergo homini infertur injuria stricta, dum quis ipsum infamat, aut contumeliâ afficit, quidni erit etiam injuria, si quis idem præstet Deo, ut si quis detrahat bonitati, aut alteri ejus attributo, dicendo Deum esse crudelem, injustum, mendacem, non habere providentiam & curam Universi. Item per idololatriam, quæ proinde est respectu Dei, ac si quis in creatis vellet honorem regium alteri conferre, quod sicut hîc esset injuria gravissima, & crimen læsæ majestatis, ita Idololatria est gravissima injuria contra Deum summum Regem, eóque gravior, quò majestas major, & eo honore dignior.

Quædam peccata sunt directè contra Deum, & cònsequenter singulariter injuria.

Cur per idolatriam gravissima Deo infertur injuria.

SECTIO QUINTA.

Objectiones contendentes peccatum non esse injuriam strictè dictam contra Deum.

I. OBJICIES primò: Justitia ex conceptu suo ordinatur ad æqualitatem inter personam lædentem & læsam constituendam, homo verò pro peccato admisso reddere Deo æquale non potest, cùm peccatum mortale vel sit malitiæ simpliciter infinitæ, ut multi autumant, vel saltem superioris ordinis ad omnem satisfactionem puræ creaturæ, ut postea videbimus, ergo non tenetur quis Deo pro illo satisfacere, cùm nemo teneatur ad impossibile, ergo nec peccatum est injuria stricta, ex hac enim oritur obligatio satisfaciendi.

Dicet: Non potest homo reddere æquale pro peccato mortali; ergo non tenetur, ex justitiâ.

Sed contra primò: Pro peccato siquidem veniali potest homo satisfacere, ergo non est cur hoc excludatur à ratione injuriæ, & in illud admittente non oriatur stricta obligatio pro eo satisfaciendi. Contra secundò: Justitia, ut dictum est in objectione, ordinatur ad servandum æqualitatem; ergo inclinat ut quis non peccet mortaliter, per hoc enim constituitur inæqualitas inter hominem & Deum; ergo committitur injustitia, sicque peccatum hoc est injuria stricta, & actus injustitiæ contra Deum. Contra tertiò: In quibusdam namque casibus clarum videtur ex nonnullis actionibus strictam in peccante oriri obligationem justitiæ ad satisfaciendum Deo ut si quis notabiliter Dei existimationem læserit, dicendo scilicet eum esse injustum, crudelem, mendacem, &c. absque dubio enim damnum hoc reparare, honorémque ablatum restituere tenetur.

II. *Contra: pro peccato saltem veniali potest homo satisfacere.*

Per peccatum constituitur inæqualitas, ergo est injustitia.

Respondetur itaque, licèt qui peccatum mortale commisit, nequeat ita ad æqualitatem pro eo satisfacere, ut illius remissionem obtineat; hoc enim vires puræ creaturæ excedit, aliquam tamen satisfactionem exhibere potest, & tenetur, dolendo scilicet de peccato commisso, veniámque petendo, &c. quod nisi præstet tempore quo hoc exigitur, novam offensam incurrit, ut in fine hujus Sectionis ostenditur. Quemadmodum si quis, postquam grave æs alienum contraxerat, bonis sit spoliatus, si eo inopiæ sit redactus ut nihil planè solvere possit ad nihil tenetur, si verò ex parte sit solvendo, reddere debet quod potest. Eodem modo res se habet in præsenti; quamvis enim ex toto satisfacere peccator nequeat, & perfectam constituere æqualitatem, facere tamen in hoc genere tenetur quod potest, si verò statim post admissum peccatum reddatur impotens ad ullam omnino satisfactionem exhibendam, ut si incidat in amentiam, ad nullam tenebitur magis quam is in altero casu, qui bonis omnibus esset exutus.

III. *Aliquam pro peccato mortali satisfactionem exhibere homo potest.*

Quid si homo statim post peccatum incidat in amentiam.

Objicies secundò; Confundi in hac sententiâ virtutes & vitia. Confirmatur, nam si peccatum sit injustitia, deberet hæc circumstantia in confessione aperiri, cum variet speciem peccati. Ad argumentum nego ullam esse hic confusionem, sed idem actus secundùm varios respectus constituit diversas virtutes & vitia: unde actus dans cultum debitum Deo, in quantum dat cultum est actus religionis, in quantum cultus est debitus ei hic & nunc, ut domino, est justitia. Ad confirmationem, dico generales circumstantias non esse necessariò in confessione aperiendas, qua etiam de causa non aperitur circumstantia inobedientiæ contra Deum, quia in quovis peccato intelligitur; si tamen in particulari aliquâ materiâ justitiæ Deum quis offendisset, ipsum infamando, aut blasphemando, deberet circumstantiam illam fateri.

IV. *Idem actus secundùm diversos respectus, varias constituit virtutes & vitia.*

Generales peccatorum circumstantiæ non sunt necessariò in confessione aperiendæ.

Objicitur tertiò: Qui ergo equum alteri injustè abstulit, injustus erit, non solùm contra dominum equi, sed contra Deum, sicque deficiente domino equi, teneretur eum restituere Deo. Concessâ priori consequentiâ, negatur secunda;

V. *Dices: Ergo qui equum alterius abstulit injustè, tenebitur*

deficiente Domino, illum restituere Deo.

secunda; primò quia dominium est potestas utendi re aliquâ, quicumque autem habet equum illum tam est in potestate morali Dei quàm ante, nec potest quis auferre equum Deo. Deinde quia ostendit Deus se non eo modo velle satisfactionem sibi fieri, quo hominibus, quibus bona ablata restitui debent, Deus autem solum petit satisfieri sibi per dolorem & petitionem veniæ, & propositum emendationis in posterum. Semper peccata infamiæ excipio in quibus est peculiaris ratio injustitiæ.

Resp. Deum non eo modo restitutionē sibi fieri postulare, quo fit hominibus.

VI. *Dices: Ius Dei ladi ab hominibus non potest, ergo nec cōmitti contra eum injustitia.*

Objicies quartò: In tantum peccat quis contra justitiam, in quantum jus alicujus vel dominium per actionem illam læditur, jus autem & dominium Dei lædi à creaturis non potest; ergo non magis dari potest virtus ad hoc jus illæsum servandum quàm castitas in Angelo. Respondetur non affectu solum conditionato lædi posse jus Dei à creaturâ rationali, sicut affectus conditionatus reprimendi motus intemperantiæ esse potest in Angelo, sed etiam effectu, ut quando utitur rebus Dei, Deo invito, sicque constituit quandam inæqualitatem, hoc verò materialiter saltem fit in omni peccato, in multis autem formaliter, præsertim in iis, quibus læditur Deus in bonis extrinsecis, ut famâ, &c. in quibus non minùs tenetur quis ad restitutionem, quàm si infamaret hominem, imo multo magis.

Resp. Non affectu tantum, sed etiā effectu ladi posse jus Dei à creaturis.

VII. *Dices, scienti & volēti, imo & non impedienti fieri non potest injuria, ergo nec Deo.*

Objicitur quintò: Scienti & volenti non fit injuria, utpote quam nullus patitur nisi invitus; ergo nec scienti & non impedienti cùm possit: hoc enim interpretativè & moraliter est consentire in actionem illam, Deo autem nolente efficaciter nihil fit, quippe qui in potestate sua perfectiùs habet voluntatem nostram quàm nos ipsi. Respondetur: Licèt scienti & directè volenti injuria fieri non possit, sic tamen permittenti, præsertim cum justâ de causâ id fit; hoc enim non est moraliter consentire, cum voluntate quippe permittendi stare potest jus ut actio illa non fiat: sicut cum quis videns furem auferentem rem suam non prohibet, patitur injuriam, & datur ei juxta leges actio in furem, eúmque de injuriâ postulare poterit; sicut etiam dum quis patienter fert alterum, qui eum convitiis lacerat, & infamat, quem tamen corripere & impedire posset, non propterea liberatur is à peccato injustitiæ, nec ab obligatione satisfaciendi, & famam restituendi, sicut similiter injuriam maximam intulere Martyribus tyranni, esto illi libenti animo passi sint se torqueri & occidi.

Resp. Scienti & permittenti fieri posse injuriam.

VIII. *Contra quā domini voluntatem nascitur in precante obligatio justitiæ.*

Quæres, cui voluntati domini contraveniatur, cum inducitur obligatio justitiæ. Hæc quæstio est alterius loci, nec ad præsentis difficultatis resolutionem necessaria; nobis enim sufficit esse in Deo hujusmodi voluntatem præcipiendi, tum ut dominus est jurisdictionis, tum proprietatis; de utraque enim voluntate par est difficultas, quæ verò sit, nostrâ in præsenti parum interest: aliquid nihilominus strictim adjungemus.

IX. *Voluntas unde oritur obligatio justitiæ non est ea quā vult quis re timere rem illam physicè.*

Inprimis ergo non est voluntas physicè habendi vel retinendi rem illam; judex enim videns furem aliquid auferentem, & non impedit cum possit, ut habeat occasionem eum puniendi, non habet voluntatem physicè rem retinendi, cùm sit contentus physicè illâ carere, præsertim si eam auferendo fur consumat. Dominus item quando exigit operam servi, non potest absolutè velle ut servus id præstet, quod imperatur; nullus enim prudens potest hoc modo aliquid contingens velle cum sit incertum utrum servus id præstare velit nec ne; sicut nec effodiens terram animo inveniendi thesaurum, potest absolutè velle invenire thesaurum. Quod multò clariùs videtur in Deo, qui sciens homines non facturos quod imperatur, adhuc eos ad diversa obligat. Idem in simili est de dominio jurisdictionis, ubi voluntas, quæ obligat subditum non est voluntas rei præceptæ, potest enim subinde prælatus ex malo erga subditum affectu præcipere aliquid, & tamen maximè cupere, ut id non faciat. Nec etiam voluntas præcepti, vel exigentiæ obsequii à servo est solùm voluntas inefficax illius rei, seu conditionatus, hoc enim præcipere, videtur planè inane quiddam, quasi diceret dominus servo, fac hoc vel illud si velis, manifestum est autem aliam obligationem quàm hanc oriri ex præcepto, ex vi enim hujus liber omnino videtur tam subditus, quàm servus ab omni obligatione, cùm relinquatur ipsis integrum, stante etiam mandato, facere illud & non facere.

Idem ostenditur in voluntate quā dominus alicui quis exigit operam à servo.

Eadem ratio quoad hoc est de dominio jurisdictionis.

X. *Declaratur cōtra quam voluntatem peccet fur auferens rem spectante domino.*

Dico itaque voluntatem, contra quam peccat fur auferens rem spectante domino, esse voluntatem, qua vult dominus retinere adhuc jus ad rem illam, & omnes illius usus, qua voluntate stante (stat autem donec innotescat contrarium, tamdiu enim præsumitur non cedere jure suo) facit ei alter injuriam, dum utitur re illâ ipso invito, dictat enim recta ratio non esse utendum re alienâ, nisi de illius licentiâ, seu illo permittente, non physicè, sed moraliter, id est volente quantum est de se ut alter utens re illâ non censeatur feciſse contra regulam rectæ rationis, & moralem titulum domini, quæ voluntas non solùm stat cum voluntate physicè non impediendi etiam cum commodè posset, sed & cum desiderio & gaudio de furto, ut constat in exemplo spectantis furem, imo aliquando & cum physicâ traditione rei suæ, ut patet in solvente usuras, cui in hoc fit injuria, & usurarius tenetur ad restitutionem.

Hæc voluntas optimè stat cum voluntate physicè non impediendi furem.

Alia verò voluntas, qua superior obedientiam à subdito, dominus operam à servo exigit, non est voluntas absoluta rei, ut dictum est, sic enim Deo aliquid ab homine exigente non posset homo non reddere, quod quotidianâ experientiâ constat esse falsum. Est ergo voluntas movendi moraliter alium ex titulo dominii proprietatis, vel jurisdictionis ad reddendum id quod petitur, simul volendo retinere jus ad illud obsequium, quâ voluntate stante committitur actus inobedientiæ, vel injustitiæ, si negetur obsequium, sive physicè velit rem sive non. Motio autem illa moralis consistit vel in verbis, vel signo aliquo, quod ubi subdito, aut servo innotescit, norunt se citra inobedientiam & injustitiam refragari non posse; & licèt physicè adhuc possint opus illud non facere, cùm habeant dominium libertatis physicæ supra suos actus, moraliter tamen non possunt, sicque non habent libertatem moralem suarum operationum, id est, talem, ut citra injuriam alterius possint de iis ut lubet disponere.

XI. *Ostenditur quanam sit volūtas quā superior obedientiam à subdito, dominus operam vel obsequium à servo exigit.*

Deus ergo, quamvis physicè permittat peccata, cùm ut auctor naturæ gubernare hominem debeat juxta suam naturam, & consequenter indemnem servare illius libertatem, cùm tamen retineat jus proprietatis ad obsequia hominum, & ea exigat movendo eorum voluntates ut reddant, peccant non reddendo, sicut injuria illata est Martyribus, licèt physice permiserint se torqueri, mutilari & occidi. Tandem concludo hanc objectionem eodem modo procedere de obedientiâ,

XII. *Declaratur ulteriùs quo pacto Deus, licèt permittat peccata, retineat nihilominus jus ad hominū obsequia.*

Tom. II.

ac de injustitiâ unius hominis erga alterum, præcipuè ex præceptis negativis, in quibus possunt sæpè physicè impedire: ac proinde solvi debet ab omnibus.

XIII. *Etsi in humanis statim fieri debeat satisfactio parti læsæ, Deus tamen hoc à nobis non exigit.*

Objicitur ultimò: Si peccatum sit injuria stricta contra Deum, ergo tenetur creatura rationalis statim post peccatum admissum Deo pro illatâ injuriâ satisfacere, cui tamen communis hodie Theologorum sententia adversatur. Respondeo cum Suarez Disp. 15. de Pœnitentiâ, Sect. 5. num. 5. Tannero, Disp. 6. quæst. 6. dub. 3. num. 47. & aliis, in humanis quidem per se loquendo requiri, ut statim post injuriam commissâm fiat compensatio, quia alioqui cedit dilatio in damnum aliquod personæ læsæ, cui per se loquendo nocumentum aliquod provenit ex eo quod vel res ablata non statim restituatur, vel satisfactio non fiat, quia alioqui contemnetur ab aliis, & vilipendetur: respectu Dei autem per se loquendo hoc non evenit; quod si in casu aliquo particulari contingeret, ut si quis de ipso falsam doctrinam sparsisset, & esset periculum ne latiùs serperet, statim deberet revocare, & errorem illum ex eorum mentibus, quibus ipsum inseverat, tollere.

Assignatur hac in re disparitas inter injuriam factam hominibus & Deo.

Neque hinc inferas, ergo omne peccatum non est injuria propriè dicta contra Deum, nec vera injustitia, cùm non inferat damnum peccator Deo per actionem peccaminosam: ad injuriam enim propriè dictam sufficit esse aliquod mandatum Dei tanquam domini proprietatis, cui contravenire Deo invito est actus injustitiæ, at non tenebitur propterea peccator præcisè satisfacere, & consequenter nec censetur peccare contra justitiam, si hoc non præstet, nisi aliunde probetur esse aliquod mandatum Dei ut Domini proprietatis, per quod exigat satisfactionem; si verò sit hujusmodi mandatum, ut multi dicunt esse, tunc tenetur quidem satisfacere, sed pro eo solùm tempore, pro quo obligat mandatum, quod cùm affirmativum sit, non negativum, non obligat per se loquendo semper & pro semper: pro quo autem tempore obliget differunt auctores, & latè tractari solet in materiâ de Pœnitentiâ. Perinde autem ferè est quoad hoc, si teneatur quis pœnitentiam agere ex solâ charitate, vel erga Deum, vel propria. Sed fusiùs hæc discutere non est hujus loci, sed ad tractatum de Pœnitentiâ, ubi pleniùs hac de re agetur.

XIV. *Ad hoc ut peccatum sit injustitia contra Deum, non est opus ut per illud damnum aliquod Deo inferatur.*

Pro eo solùm tempore tenetur quis satisfacere, pro quo obligat præceptum.

DISPUTATIO QVADRAGESIMA QUARTA.

De satisfactione Christi.

DVO hic inprimis sunt discutienda: Primum, utrùm operationes Christi habuerint valorem sufficientem, ut pro peccatis hominum ad æqualitatem satisfacerent: Secundum, utrùm in Christi satisfactione servatæ fuerint conditiones omnes ad rigorosam justitiam requisitæ, & consequenter utrùm Christus satisfecerit de rigore justitiæ: in quibus utrisque gravis est inter Thomistas & Scotistas controversia, negantibus his, illis affirmantibus. Vtramque difficultatem discutiemus Sectionibus sequentibus.

SECTIO PRIMA.

Fueritne Christi satisfactio condigna & æqualis, pro peccatis generis humani.

I. *Triplici de causâ volùit aliqui opera Christi non esse sufficientia ad satisfaciendum pro peccato mortali.*

PRimus dicendi modus est, Christi satisfactionem ad hoc non esse sufficientem, sed peccatum mortale esse altioris ordinis, ad satisfactionem etiam Christi, idque triplici ex capite, nempe ratione *Damni*, *Malitiæ* & *Pœnalitatis*: ratione *Damni*, peccatum siquidem, inquit hæc via procedendi, esse ex se & suo conceptu formali destructivum Dei, est namque contristativum ipsius, & consequenter aptum ad eum propria felicitate orbandum: cum ergo felicitas essentialis Dei sit ejus esse, id quod est aptum privare Deum fælicitate, est aptum privare illum esse; Christi verò satisfactio non est apta ad dandum Deo esse, ergo majus est peccatum in ratione damni, quàm Christi satisfactio in ratione compensationis.

II. *Asserunt nonnulli Christi satisfactionem in ratione bonitatis esse imparem peccato mortali in ratione malitiæ.*

Secundò: Peccatum mortale in ratione malitiæ superare Christi satisfactionem in ratione bonitatis, inde constare videtur, peccatum etenim est immediatè contra ipsam Dei majestatem, satisfactio autem Christi non est immediatè à Dei perfectione & excellentiâ, sed à naturâ humanâ, hæc enim sola est capax satisfactionis ac meriti. Tertiò demum mortale peccatum in ratione pœnalitatis

pœnalitatis esse altioris ordinis inde deduci videtur, pœna quippe peccato mortali debita est in ratione tum intensionis, tum extensionis infinita, nulla autem pœnalitas in Christo vel intensivè, vel extensivè fuit infinita. Ita Joannes Medina Cod. de Satisfactione, quæst. primâ.

III. *Affirmant alii Christi opera habuisse maiorem congruitatem ad satisfaciendum pro nobis, non tamen plenam condignitatem.*

Secundus aliorum dicendi modus est, licèt quidem major longè fuerit convenientia in Christo, quàm in puro homine, cur Deus illius opera acceptaret ad satisfaciendum pro humano genere. Cæterùm dicunt non habuisse illa ex se, & citra acceptationem divinam, condignitatem, & valorem sufficientem, sed solùm congruitatem quandam ut à Deo acceptarentur, ideóque solùm satisfeciisse, quod Deus iis sit contentus, & ulteriorem exigere satisfactionem nolit. Ita Scotus in primo, dist. 17. quæst. 1. quem sequuntur Scotistæ. Faber in tertio, Disp. 20. dist. 45. & 47. & alii. Item Durandus, & Gabriël ibidem, quæst 2. In hoc tamen differunt, quod Scotus cum aliis asserat opera meritoria per acceptationem divinam fieri condigna, Durandus verò etiam positâ acceptatione solùm admittit meritum congruum apud Deum.

IV. *Tenendum est opera Christi plenam, imo supereminêtem habuisse condignitatem ad satisfaciendum pro hominũ peccatis.*

Conclusio: Omnino tenendum est opera Christi ex se & independenter ab acceptatione divinâ habuisse valorem sufficientem & condignitatem ad satisfaciendum pro peccatis hominum, adeóque infinitum: ita Doctores communiter, quos citat & sequitur Suarez hîc, Disp. 4. Sectione 3. & 4. qui contrarium opinari nec pium esse ait, nec probabile, nec Fidei consentaneum, Vasquez citatus, Valentia hîc, p. 5. Tannerus Disp. 1. quæst. 2. dub. 2. & 3. qui alios citant.

V. *Ex sacris Literis ostenditur Christi merita fuisse condignè pro peccatis nostris satisfactoria.*

Probatur primò ex Scripturâ, in quâ passim dicuntur homines empti pretio magno, nempe sanguine Christi, & satisfactio Christi vocatur redemptio, quibus significatur Deum, non gratis remisisse peccata, sed exegisse justum pretium, ut in emptione & redemptione fieri solet. Item ad Hebræos 7. sic habetur: *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: idèo ingrediens mundum dixit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*: ubi apertè declarat Apostolus nullam aliam hostiam inveniri potuisse æqualem pro peccatis, donec pro iis Christus satisfaceret, at per acceptationem Dei sufficere potuissent sacrificia legalia. Deinde ad Romanos 15. *Non sicut delictum, ita & donum, si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratiâ unius hominis* JESU CHRISTI *in plures abundavit.* Alia testimonia videri poterunt apud auctores citatos.

VI. *Constanter affirmant Patres nullam satisfactionem, nisi hominis qui simul esset Deus, condignã fuisse pro peccatis nostris dilucidi.*

Suffragantur Patres, & inprimis illi omnes, qui propterea Incarnationem divini Verbi necessariam fuisse asserunt, ut Deo ex perfectâ justitiâ pro peccatis hominum satisfieret, quod nisi ab homine, qui simul esset Deus fieri non potuisse affirmant, inter quos sunt Sanctus Athanasius, Irenæus, uterque Cyrillus, Alexandrinus & Hierosolymitanus, Justinus Martyr, & alii apud Suarez hîc, Disp. 4. Sect. 2. clarissimè etiam Sanctus Basilius in Psalmum 28. ubi ad rẽm præsentem ãdfert verba illa: *Qui confidunt in virtute suâ, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur: frater non redimit, redimet homo*: Non, inquit, homo nudus, sed homo Deus JESUS CHRISTUS, quia nullus alius poterat condignum offerre pretium, & tamen si per acceptationem divinam facta est satisfactio Christi pretium condignum, quidni potuit homo purus per similem acceptationem illud offerre. Quare non omnino satisfaceret qui diceret cum Fabro citato, hoc evenire operibus Christi per acceptationem solùm divinam. Idem expresè ait Sanctus Damascenus lib. 3. de Fide, cap. 17. *Caro Domini*, inquit, *divinarum actionum operibus circumfluxit ob purissimam illam, hoc est, personalem cum Verbo unionem:* & infra: *Eadem caro mortalis est, & ob hypostaticam cum Verbo unionem, vitam asserebat.* Unde Sanctus Leo Sermone 12. de Passione sic habet: *Effusio sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium.* Videatur Vasquez Disputatione illâ 5. cap. 3. ubi plurima congerit in hanc rem Sanctorum Patrum testimonia, hæc nostro instituto sufficiunt.

Dici nequit Christi satisfactionem fuisse pretium condignum per meram acceptationem Dei.

VII. *Ratio cur Christi opera ad hoc sint sufficientia, est infinita dignitas operantis.*

Omissis variis veritatem hanc probandi modis, qui videri possunt in Suarez Disput. 4. Sect. 4. & Vasquez Disp. 6. Ratio præcipua hujus conclusionis desumenda mihi videtur ex infinitâ dignitate personæ operantis; ut enim in creatis dignitas personæ, ut si quis sit in regiâ dignitate constitutus, refundit præsertim in operationibus honoris & obsequii, quæ si à personâ vili exhibeantur, parvi fiunt, si verò à Rege, & personâ aliquâ in dignitate constitutâ plurimum, ita cùm humanitas Christi ex unione ad Verbum fuerit infinitè sanctificata, ut videbimus infra cùm de Gratiâ Christi, & ut loquuntur Patres, deificata, hausit inde dignitatem quandam infinitam, & consequenter omnes ejus actus trahunt ex eâdem unione dignitatem & valorem moralem infinitum: quæ videtur esse mens Sanctorum Patrum, qui ex dignitate infinitâ Verbi inferunt ipsum ad æqualitatem pro peccatis hominum satisfeciisse, & condignum pretium redemptionis persolvisse. Confirmatur: Opera nostra bona, licèt ex se non mererentur quidquam condignè, conjuncta tamen cum gratiâ habituali elevantur ad merendum gloriam & præmium supernaturale, quia cùm subjectum informetur gratiâ, opera etiam quæ ab eo procedunt, eâdem gratiâ moraliter informari censentur, & ab eadem venustatem quandam moralem, ac valorem trahunt, ergo cùm humanitas operans sit infinitè sancta, grata & digna per unionem hypostaticam connectentem illi sanctitatem infinitam, omnia ipsius opera ex eâdem valorem quendam infinitum & dignitatem haurient, quippe quæ moraliter dignitatem illam sibi unitam habere censentur, sicut eorum subjectum physicè.

Nostra opera ex conjunctione cum gratiâ valorem maiorem accipiunt.

VIII. *Ex dignitate & excellentiâ Christi infert Apostolus ipsum exauditum fuisse pro suâ reverentiâ.*

Colligi hoc videtur ex illo ad Hebreos 7. versu 26. ubi de Christo ait Apostolus: *Excelsior cœlis factus*, & cap. 5. versu 7. *Exauditus est pro suâ reverentiâ:* ubi ex dignitate & excellentiâ personæ infert Sanctus Paulus dignitatem & valorem operum, quorum exhibitione meruerit jure quasi quodam à Deo exaudiri, ergo personæ dignitas dignitatem suam in operationes transfudit, & sicut ipsa in se infinitè excedit in dignitate omnem personam creatam, ita moraliter operationibus humanitatis unita efficit ut infinitè etiam in valore excedant operationes cujusvis naturæ creatæ. Multa contra hanc doctrinam objicit Scotus, quæ solvemus Sectione sequente.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contra infinitum valorem operum Christi.

I. *Quamvis Verbum per unionem tantùm finitam sanctificet humanitatem, eam tamen quoad rem sanctificat infinitè.*

OBJICIES primò: Verbum finito tantùm modo sanctificat humanitatem, nempe per unionem finitam, ergo dignitatem tantùm finitam in ejus opera refundit, ergo non sunt valoris infiniti. Respondetur: Quamvis Verbum per unionem creatam & finitam communicet se humanitati, eam nihilominus infinitè sanctificat, quoad rem & deificat, ut postea, Disp. 51. ex communi Patrum sententiâ videbimus, ad hoc enim spectandum est illud quod, non *ut quo*, sed *ut quod* illam sanctificat: unde ut loco proximè citato, dicetur, humanitas quoad rem est æquè sancta ac ipsum Verbum, cùm sit sancta per sanctitatem increatam, quamvis modus quo hanc sanctitatem participat, sit finitus.

II. *Etiamsi actus meritorii Christi fuerint quid creatum & finitum, valor tamen iis ex Personâ Verbi accrescens est infinitus.*

Objicitur secundò: Meritum in operibus Christi est quid creatum, ergo finitum. Ad solutionem distinguenda duo in actibus Christi reperta, meritum ipsum in libertate, & physicâ entitate actus situm, & valor, seu condignitas orta ex personâ operantis, quæ moraliter informat quasi actus Christi, & infinitè eos dignificat. Hoc posito distinguo antecedens, meritum illud est quid creatum secundùm physicam entitatem actus, concedo antecedens, secundùm valorem nego, & nego consequentiam: sicut ut Christus sit infinitè perfectus sufficit alterum ipsius constitutivum, nempe personalitatem divinam esse simpliciter perfectionis infinitæ. Refunditur verò hic valor infinitus in opera Christi, non ex eo quòd Verbum peculiari modo in illa influat efficienter, hoc enim non ita se habet, cùm hic modus concurrendi merè extrinsecus sit valori operum Christi, & communis Patri, ac Spiritui Sancto, cùm opera omnia ad extra sint toti Trinitati communia, sed ex eo quòd proveniant ab humanitate infinitè sanctificatâ, ut diximus, & moraliter à personâ Verbi informentur.

III. *Opera Christi quoad formam ipsam vel quasi formam sanctificantem tantùm placent Deo, quantum placet Verbum, non tamè quoad modum sanctificandi.*

Objicitur tertiò: Sequi tam digna esse opera Christi, & tantùm placere Deo, atque placet, & digna est ipsa personalitas & sanctitas increata Verbi, hoc autem videtur absurdum, cùm opera illa sint limitatæ perfectionis & bonitatis. Distinguo antecedens: Tantùm placent Deo quoad formam ipsam dantem valorem, concedo antecedens, quoad modum nego; sic enim communiter dici solet humanitatem Christi fuisse æquè sanctam, atque est Sanctus ipse Deus quoad formam, vel quasi formam sanctificantem, cùm sit ipsa sanctitas Dei, non tamen quoad modum, quia habet sanctitatem illam, non necessariò & inseparabiliter, sed contingenter, & per unionem creatam, quæ divinitus potest destrui, & sanctitas illa auferri.

IV. *Hic valor infinitus inde Christi operibus advenit, quòd mediatè habuerint unionem intrinsecam cum sanctitate infinitâ.*

Dicimus ergo valorem operum Christi fuisse infinitum, eo quòd mediatè habuerint intrinsecam unionem cum sanctitate infinitâ, sicut Theologi dicunt ex gratiâ habituali refundi valorem in opera meritoria, & hoc meritum non consistere in nudâ actus entitate, ut definitum est in Bulla Pii 5. & Gregorii 13. contra Michaëlem Baium, cujus decima octava propositio hoc affirmare videbatur. Et retorqueri potest hoc argumentum, nam dicit Scotus opera Christi Domini fuisse ex acceptatione divina infiniti valoris, cur ergo non tantùm complacet sibi in iis Deus, atque in suis perfectionibus intrinsecis.

V. *Dices: Hinc sequi eundè numero esse valorè omnium Christi operum.*

Objicitur quartò: Opera Christi sunt diversa, saltem numero in ratione meriti & satisfactionis, ergo eorum valor non desumitur à personalitate Verbi moraliter illa informante, hæc enim una numero est, & consequenter unus esset valor omnium Christi operum, ergo non constitueret diversos actus meritorios. Respondetur, eandem numero formam tribuere posse diversas numero denominationes: sic extrinsecè eadem visio denominat plura objecta visa, sic intrinsecè eadem unio diversa extrema denominat unita, & si eadem numero albedo esset in diversis subjectis, illa omnia denominaret alba, sic similiter in moralibus, plura opera bona hominis justi denominantur condignè meritoria vitæ æternæ ab eâdem numero gratiâ habituali. Simili ergo ratione opera Christi ab eâdem sanctitate, infinitate, & valore denominari possunt diversa sancta, infinita, & valida.

VI. *Objic. Hinc sequi omnia opera Christi fuisse in bonitate & valore æqualia.*

Objicitur quintò: Hinc sequi unum opus Christi non fuisse melius alio, cùm omnia fuerint infiniti, & consequenter æqualis valoris & meriti, consequens autem est falsum, nam sicut in aliis hominibus, ita & in Christo actus nobilioris virtutis, ut Charitatis, erant meliores actibus virtutis inferioris perfectionis. Respondetur, nihil obstare quo minùs quid infinitum sit sub unâ ratione, & sub aliâ finitum, ut si quantitas latitudinis unius palmi protendatur in infinitum, tunc enim quoad longitudinem esset quantitas illa infinita, quoad latitudinem finita. Sicut ergo aurum & argentum, & æs unius palmi sunt æqualis dimensionis, & si protendantur in infinitum, sunt sub hac ratione æqualia, differunt tamen secundùm rationes suas particulares, ita ut aurum semper maneat perfectius argento, argentum ære, &c. Sic opus Charitatis in Christo, esto secundùm dignitatem, quam trahit à personâ Verbi sit æqualis valoris cum actu humilitatis, vel obedientiæ, secundùm suum tamen valorem, & perfectionem particularem est illis, secundùm has rationes præcisè consideratas, perfectius, licèt in operibus Christi uterque valor simul integret unum valorem totalem; nec enim major tollit seu delet minorem, sed perficit & elevat ad unum totalem constituendum.

Duplex esse valor in operibus Christi unum integrat valorem totalem.

VII. *Unum opus Christi fuit tanti valoris intensivè ac omnia.*

Objicitur sextò: Ergo unum opus Christi est intensivè tanti valoris & meriti, atque omnia simul, ergo per unum opus, etiam primo nativitatis instanti elicitum redemit mundum. Concedo primam sequelam de valore intensivo operum Christi à Verbo desumpto, nempe & inter se in hoc esse intensivè æqualia, & unum æquè intensivè dignum ac omnia: sicut sex calida ut octo sunt intensivè in calore æqualia, & unum æquè intensivè calidum ac omnia. Ratio est clara, quia hic valor nihil est aliud, quàm persona Verbi moraliter conjuncta cum operationibus, quæ cùm eadem semper sit, valor etiam inde proveniens erit ejusdem planè intensionis, imo idem numero.

VIII. *Quodvis opus Christi in actu primo sufficiens fuit ad mille mundos redimendos.*

Ad secundam sequelam dico: Licèt quodvis opus Christi fuerit in actu primo sufficientis valoris ad mille mundos redimendos, ut tamen sit efficax in actu secundo, requiri vel acceptationem Dei, vel applicationem aliquam ex parte Christi, cùm ergo ita applicata vel acceptata fuerint opera Christi, ut non complererur opus redemptionis,

redemptionis, nisi dependenter à morte ipsius, non sumus redempti per singulos ejus actus, sed per mortem consummata est nostra redemptio, nec enim sigillatim obtulit Christus sua opera pro salute nostrâ, ita ut per unumquemque actum in particulari consequi eam voluerit, sed totam collectionem obtulit in hunc finem: quæ etiam est causa, cur non meruerit Christus infinita alia possibilia, quia scilicet nec ex ordinatione Dei, nec humanæ Christi voluntatis designatione, ad illa applicabantur ipsius merita.

Vt tamen in actu secundo redemptionem mundi mereretur, requirebatur vel acceptatio Dei, vel Christi applicatio.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur aliæ objectiones contra valorem infinitum operum Christi.

I. *Dices: Humanitas dignitatè personæ cognovit solùm finitè, ergo opera non erant valoris infiniti.*

OBJICIES septimò: Circumstantia, ut honestatem refundat in actum, debet esse cognita, ergo eo modo honestatem refundit quo cognoscitur, sed hæc dignitas Verbi ab humanitate cognoscitur solùm cognitione finitâ, ergo finitam tantùm honestatem ac valorem in Christi actiones refundit. Respondetur: Ad honestatem moralem refundendam in actum, non requiri ut circumstantiæ ex parte personæ cognoscantur, sed solùm ex parte objecti, ut Tomo præcedente, in tractatu de actibus humanis ostendi: Quare etsi Christus personæ suæ dignitatem omnino non cognovisset, adhuc ejus opera fuissent valoris infiniti, sicut qui est in gratiâ habituali, quantumvis hoc ipse nesciret, imo putaret se esse in peccato, si tamen actum bonum supernaturalem eliceret, per actum illum mereretur: à fortiori ergo actus Christi erunt infinitè meritorii, licèt humanitas dignitatem personæ cognoverit solùm finitè.

Resp. Ad valorem in opera refundendum non requiri ut dignitas personæ omnino cognoscatur.

II. *Dices: Implicat præmium infinitum, ergo & infinitum meritum.*

Objicitur octavò: Inter meritum actu, & præmium actu est proportio, ergo & inter meritum & præmium possibile, cùm meritum dicat ordinem ad præmium, ergo Christi merita non fuerunt infiniti valoris, ubi enim implicat præmium infinitum, implicat etiam infinitum meritum. Sed contra: Hoc enim argumentum probaret nec omnipotentiam Dei esse simpliciter infinitam, si implicet infinitus effectus producendus. Respondetur itaque primò negando secundam consequentiam, sicut enim in eo casu ad omnipotentiam Dei simpliciter infinitam, sufficeret infinitum syncategorematicè, seu quòd quocumque effectu posito plures & plures producere posset in infinitum, ita & in meritis Christi, cùm meritum sit causa effectiva moralis, seu movens Deum ad præmium efficiendum, & dandum merenti. Respondetur secundò negando non esse possibile præmium infinitum, possibilis enim est alia unio hypostatica, quæ licèt entitativè sit quid creatum, & finitum, sicut actus meritorius, est tamen infinitæ dignitatis & valoris ratione personalitatis, quam afficit.

Resp. primò, Ad meritū infinitum sufficere præmium syncategorematicè infinitum.

Secundò dico possibile esse præmium infinitum.

III. *Dices: Meritum operis Christi potest exhauriri, ergo non est infinitum.*

Objicitur nonò, & difficiliùs: Ponamus ergo Deum pro præmio unius operis Christi conferre ipsi unionem hypostaticam Patris, vel Spiritus Sancti cum aliâ humanitate, jam confertur huic operi præmium æquale, ergo exhauritur ejus valor, ergo non erat infinitus, infinitum siquidem exhauriri non potest. Respondetur, nihil esse contra infinitatem illius operis, quòd exhauriatur à præmio infinito, infinitum enim ab infinito exhauriri quid vetat, ut si infiniti Angeli, quorum singuli haberent unum lapidem, conjicerent eos in unum cumulum, possent singuli lapidem resumendo cumulum illum denuò exhaurire, infinitum enim est illud, quod à nullo finito potest exhauriri, sed respectu illius semper aliquid est extra, quia infinitum est illi inæquale: at quod à pari exhauriatur, quæ contradictio?

Resp. Nil obstare quominùs infinitum exhauriatur ab infinito.

IV. *Vrgebis, una unio hypostatica adæquatè compensaret omnia Christi merita.*

Urgebis: Unus actus Christi est intensivè æquè perfectus atque omnes, ergo unio hypostatica esset præmium sufficiens pro omnibus, & consequenter si Deus omnibus operibus Christi meritoriis assignaret in præmium unam unionem hypostaticam, exhaurirentur ab eâ omnia ejus opera. Distinguo consequens, ergo una unio hypostatica esset præmium sufficiens intensivè, concedo consequentiam, extensivè nego, sicut enim duo ejus opera, licèt intensivè æqualia, sunt tamen extensivè plus quàm unum, ita extensivè mereburtur majus præmium.

Resp Compensaret intensivè, non extensivè.

V. *Alia nonnullorum ad prædictam objectionem responsio.*

Secundò aliter ad hanc difficultatem respondeti potest cum Suarez disp. 4. sect. 4. & aliis, quodvis opus Christi esset meritorium omnis præmii possibilis, & hoc ex eo procedere, quòd sicut Deus in se essentialiter est dignus omni bono, ita Christus per unionem hypostaticam, cùm sit filius naturalis Dei, est hæres omnis boni, sicque ob hanc rationem quivis ejus actus meretur omne bonum. Ad quod notandum, non semper præmium servare debere proportionem arithmeticam cum merito in omnibus, dicunt enim Theologi actum bonum unius momenti non præmiari sufficienter præmio momentaneo. Deinde non debet nudè spectari æqualitas meriti & præmii, sed proportio cum personâ merente; sicut ergo justus per singula opera condignè meritoria meretur gloriam, ita Christus, cùm sit persona simpliciter infinita, merebitur per singula opera in actu primo omne præmium possibile, cùm minor sit improportio inter meritum hominis justi & gloriam, quàm inter meritum Christi, & omne bonum possibile, cujus nimirum excellentia tanta est, ut dignus sit quovis præmio.

Inter præmium & meritum non est semper servanda proportio arithmetica.

VI. *Dices: Ergo nostra merita nobis ad obtinendum cœlum non sunt necessaria.*

Objicitur decimò: Sequi nostra merita non esse necessaria ad cœlum nobis obtinendum; si enim merita Christi sint simpliciter infinita, abundè sufficiunt, nec opus est ex parte nostrâ quidquam iis adjicere. Respondetur: Merita quidem abundantissima fuisse in actu primo ad cœlum & quodvis præmium nobis obtinendum, sed sicut non meruit in actu secundo omne præmium possibile, quia ad omnia promerenda non erant, vel ordinata à Deo, vel ab humanâ Christi voluntate applicata, ita cùm non sint applicata nobis nisi mediis quibusdam conditionibus, id est, cooperatione nostrâ, necesse est ut nos etiam opera bona exerceamus, & temporalem pœnam pro peccatis nostris sustineamus.

VII. *Dices: Potuit Christus habere actū nullius præmii meritorium.*

Objicitur undecimò: Potuit Christus habere actum nullius præmii meritorium, ergo omnis actus illius non fuit infinitè meritorius. Antecedens probatur: Potest enim dari actus in Christo essentialiter supponens decretum Dei de nullo præmio ob illum actum conferendo. Respondetur: Quicquid sit utrum talis actus sit possibilis nec ne, quem aliqui putant implicare, & dedecere infinitam dignitatem unionis, quæ petero videtur ut ex naturâ rei nullus in Christo detur actus, ob quem non possit Deus conferre præmium:

Tom. II.

præmium : Respondetur, inquam, quando asseritur omnes Christi actiones esse infinitè dignas præmio, sensum esse, nisi præmium illud vel ex naturâ rei, vel Dei voluntate reddatur impossibile.

VIII. *Objic. Christus pro peccatorum humani generis remissione Patrem oravit.*

Objicies duodecimò: Christus oravit Patrem pro peccatorum humani generis remissione, ergo ipsius opera non erant condignè remissionis illorum meritoria, sicque peccata in ratione injuriæ actiones Christi theandricas superabant, ac proinde hæ non erant valoris infiniti. Respondetur, Christum non ideo Patrem ut hominum peccata condonaret orasse, quòd illius opera pro humani generis redemptione non sufficerent, sed ut infinitam illam Dei, quem rogabat, excellentiam agnosceret. Sic etiam tot támque eximia pro peccatorum nostrorum remissione opera æterno Patri obtulit, acerbissimáque tormenta ac mortem crudelissimam pertulit, non quod hæc omnia essent ad hunc finem necessaria, cùm quæcumque Christi actio, vel una scilicet lachryma, in cunis fusa ad mille mundos redimendos sufficeret, sed tum ut suum in nos amorem testaretur, tum ut homines peccati mortalis gravitatem clariùs apprehenderent, indéque ad illud evitandum excitarentur; quò alludit Sanctus Bernardus dum peccatorem alloquens, sic ait: *Vide quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est vulnerari Dominum Christum*, &c.

Cur etiam Christus tot tamq; eximia pro peccatorum nostrorum remissione æterno Patri merita obtulit.

IX. *Duæ aliæ objectiones solutæ sunt suprà, Disp. 38.*

Ad duas alias objectiones huc spectantes, quæ à gratiâ habituali, valorem actibus meritoriis conferente deducuntur, respondi supra in tractatu de Charitate, disputatione trigesimâ octavâ, sectione septimâ & octavâ.

SECTIO QUARTA.

Vtrùm Christi satisfactio fuerit de rigore justitiæ.

I. *Suppositis iis quæ de Christi satisfactione diximus, quæstio præsens est utrùm omnes rigorosæ justitiæ conditiones impleverit.*

IN disputationis hujus decursu vidimus satisfactionem Christi æquivalentem pro redemptione generis humani fuisse, & consequenter ex hac parte nihil illi deesse quo minùs sit de rigore justitiæ. Tomo etiam priore Disp. 35. & hîc, disputatione præcedente ostendimus, nihil obstare quo minùs & hominis ad Deum, & Dei ad hominem dari possit justitia. In præsenti ergo quærimus, Utrum satisfactio Christi pro humano genere ejusmodi fuerit, ut omnes rigorosæ justitiæ conditiones impleverit.

II. *Sex ut plurimum assignari solent rigorosæ justitiæ conditiones.*

Conditiones ad rigorosam justitiam requisitæ communiter recensentur hæ sex. Prima, ut sit ad alterum. Secunda, ut non sit ex bonis acceptis à creditore. Tertia, ut nequeat non acceptari. Quarta, ut fiat ab ipso debitore personaliter. Quinta, ut non fiat ex bonis, quæ sunt sub dominio creditoris. Sexta, ut fiat ex aliàs indebitis: de quibus conditionibus fusè Suarez hîc, Disp. 4. Sect. 5. & 6. Vasquez, Disp. 8. & 9. Tannerus hîc, Disp. 1. quæst. 2. dub. 5. & 6.

III. *Christi satisfactio non videtur fuisse ad alterum.*

Prima itaque conditio justitiæ est, ut sit ad alterum, quæ desumitur ex Aristotele quinto Ethicorum, cap. 1. & 2. quam etiam statuit S. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 2. & auctores communiter. Videtur itaque hæc conditio deesse in satisfactione Christi, actiones enim sunt suppositorum, in Christo autem non sunt diversa suppositа. Nec dicas Christum fuisse diversam personam à Patre, & Spiritu Sancto, primò, quia Verbum non satisfecit Patri solùm, sed Deo, imo toti Trinitati, & consequenter sibi, cùm filius etiam offensus fuerit per peccatum.

IV. *Obedientia similiter est ad alterum, hanc tamen Christum exercuisse certum est.*

Respondeo tamen, hanc conditionem quoad hoc non defuisse in satisfactione Christi, nec enim minùs obedientia est ad alterum, sicut & religio, & ejusmodi aliæ virtutes, quàm justitia, & tamen nullus negat Christum has virtutes exercuisse, ergo & quantum ad hoc exercere potuit justitiam. Dicimus ergo ad justitiam in Christo, sicut & ad alias virtutes, quæ sunt ad alterum, sufficere distinctionem naturarum, quam si sciviſſet Aristoteles in eodem supposito, non exegisset distinctionem suppositorum ad justitiam.

V. *Quam ob causam Aristoteles ad justitiam exegerit distinctionem suppositorum.*

Sicut ergo, licèt nullam in rebus creatis subsistentiam agnoverit Aristoteles, cùm mysterium Incarnationis non noverit, omnes tamen hodie subsistentiam statuunt; sic licèt non agnoverit ille duas naturas in eodem supposito, cùm tamen nobis innotescant, non est cur non æquè agnoscamus justitiam in Christo, atque obedientiam, & alias virtutes, quæ sunt ad alterum. Quo etiam sensu capiendus est Sanctus Thomas loco citato, dum distinctionem suppositorum requirit ad justitiam, loquitur enim regulariter, nam ex naturâ rei non possunt esse duæ naturæ in eodem supposito: ubi verò sunt duæ naturæ rationales, sufficit ad justitiam, seu contractum unius cum alterâ, cum subjectum juris sit natura rationalis, sicque in præsenti sunt duæ naturæ juris capaces. Sicut si naturæ Petri & Pauli juxta probabilem sententiam unirentur in eodem supposito creato, posset Petrus contradicere Paulo, calumniari eum, detrahere, & veram illi injuriam inferre, ergo & posset ei pro injuriâ illatâ ex justitiâ satisfacere: & licèt aliquæ injuriæ illatæ fuerint ipsi humanitati Christi, non tamen pro iis satisfacit Christus humanitati, sicut nec aliis hominibus pro injuriis iis illatis, sed pro injuriis omnibus satisfecit Deo.

S. Thomas tantùm de lege ordinariâ ad justitiam requirit distinctionem suppositorum.

VI. *Objic. Personalitas Verbi non distinguitur realiter à naturâ divinâ.*

Dices: Valor operum Christi fuit ipsa personalitas Verbi, hæc autem non distinguitur à Deo, ergo principium morale satisfactionis non distinguitur adæquatè à Deo, ergo non fuit satisfactio sufficienter ad alterum. Sed contra; hoc enim probaret Christum non solùm non satisfeciſſe ex justitiâ, sed nec meritum fuisse redemptionem humani generis à Deo, cùm meritum similiter debeat esse ad alterum, valor autem operum meritoriorum non distinguntur adæquatè à Deo, cùm tamen non minùs requiratur ut valor meriti distinguatur à personâ apud quam meretur, quàm valor pretii à personâ, quam obligamus ex justitiâ. Dicimus ergo sufficere, naturam, & opus, modúmque habendi valorem illum distingui à Deo, sicut sufficit ut operationes & natura per hunc valorem reddantur Deo gratæ.

Resp. Hoc non magis obstare satisfactioni, quàm merito Christi.

VII. *De secundâ conditione nempe ut satisfactio non sit ex bonis acceptis à creditore.*

Secunda conditio est, ut non fiat satisfactio ex bonis acceptis à creditore, quæ tamen conditio defuisse videtur in satisfactione Christi, utpote qui omnia à Deo accepit, qui tamen est creditor, cui exhibenda erat satisfactio. Respondetur, non omnem acceptationem à creditore obstare perfectæ satisfactioni, & ablationi debiti; si enim Petro, qui debet Paulo centum nummos, Paulus gratuitò det centum, poterit Petrus ex his centum gratuitò ab eo acceptis debitum illud delere. Quando ergo ita aliquid accipitur à creditore, ut det accipienti dominium illius,

illius, potest per illud satisfacere eidem creditori. Si etiam non intercedat pactum, vel expressum, vel tacitum de satisfactione per ea faciendâ, quæ accepit, quantacumque solutionem antecedat liberalitas, poterit debitor creditori per bona illa ab eo accepta satisfacere. Imo licèt detur ipsi eo animo, ut satisfaciat, poterit per fructus, quos inde acquisivit satisfacere. Ut si Rex alicui, qui magnam vim pecuniæ illi deberet, concederet officium aliquod in Republicâ, vel facultatem cudendi monetam, posset is ex hac monetâ, vel pecuniâ, quam ex officio illo comparat, Regi satisfacere.

Quid si creditor eo animo det aliquid, ut debitor satisfaciat.

VIII. Et per hæc etiam respondetur ad aliam conditionem, quam requirunt aliqui ad rigorosam justitiam, nempe ut non misceatur gratia creditoris: dico enim hoc solùm intelligi debere de gratiâ, qua condonatur aliqua pars debiti, non de eâ, quæ solutionem antecedit. Nec obstat satisfactioni Christi, quod Deus cum eo ad omnes actiones concurrat, sicut si Petrus, qui Paulum verbo læsit, vellet scripto illi satisfacere, ac retractare quod dixerat, & sine auxilio alterius formare characteres non possit, ac Paulus illum in scribendo juvet, literas unà cum illo partialiter formando, nullus tamen censet non satisfeciisse Petrum Paulo per scriptum illud. Assero proinde nihil obstare quo minùs in satisfactione Christi hæ conditiones intervenerint.

Quomodo ad rigorosam justitiam requiratur, ut non misceatur gratia creditoris.

Quod Deus ad omnes Christi actiones concurrerit, non obstat perfecta ejus satisfactioni.

IX. Tertia conditio est, ut non possit non acceptari satisfactio à creditore. Ad hanc dico, fuisse repertam in satisfactione Christi, quam, esto sine pacto & promissione non tenebatur Deus acceptare, cùm tamen ex pacto & contractu exhibita fuerit, non eam potuit Deus recusare, & hoc sufficit ad satisfactionem quæ offertur, non à propriâ personâ, sed à fidejussore, præsertim ubi non est pura restitutio ablati, sed commutatio voluntaria in datis & acceptis, quod in satisfactione Christi suo modo intervenit. Imo, ut notat Suarez, opusculo de Justitiâ Dei, sect. 2. num. 52. in variis rebus cernitur non teneri creditorem sine novo pacto acceptare vel restitutionem æqualem, vel satisfactionem; si tamen accedat novum pactum, teneri, & esse rigorosam justitiam: ut qui librum Petro abstulit & offert æquale pretium in pecuniâ, non tenetur Petrus acceptare; si tamen acceptet, est verus actus justitiæ in debitore pecuniam reddente loco libri. Nec propterea licèt liberè & sine obligatione justitiæ, imo rogatu alterius in pactum illud consentiat, gratia illa diminuit quidquam de rigore justitiæ, quia non est de re distincto pretio, aut valore æstimabili. Quotiescumque ergo pro re aliquâ redditur alia æqualis valoris, secundùm moralem æstimationem servatur perfecta justitia, esto subinde, secluso pacto potuisset non acceptari.

Tertia conditio, ut non possit satisfactio à creditore non acceptari.

Ostenditur hanc conditionem in Christi satisfactione intervenisse.

Omnis gratia creditoris non obstat rigorosæ satisfactioni.

X. Quarta conditio est, ut satisfactio fiat ab offendente personaliter, quod tamen satisfactioni Christi non competit, utpote qui non offendit ipse, sed pro aliorum peccatis satisfecit. Nihilominus de hac conditione idem dicendum est quod de præcedente; esto enim regulariter non possit, seu sine pacto fieri satisfactio nisi à personâ lædente, cùm debitum satisfaciendi pro offensâ per se primò personale sit, & læsus jus habeat, ut qui injuriam intulit, pro eâdem satisfaciat, si tamen velit acceptare satisfactionem alterius, abundè compensabitur injuria, & ex justitiâ eidem satisfiet. Dices, hoc quod est esse contentum ut alius satisfaciat, est cedere jure suo. Distinguo, est cedere jure suo, ob aliquid æquale, concedo, gratis nego, nihil autem derogatur perfectæ rationi justitiæ ex hoc, quod quis cedat jure suo ad aliquid ob aliud æquale, hoc enim pacto nihil remittit debiti, sed mutat illud in aliud æquale, sicque intervenit actus strictæ justitiæ. Multi etiam cum Patre Suarez disp. 4. Sect. 6. in principio, dicunt gratis requiri hanc conditionem ad satisfaciendum ex perfectâ justitiâ, quæ tamen, inquit, si velit quis eam dicere fuisse necessariam, non fuit omnino prætermissa in satisfactione Christi, sicut enim genus humanum offendit in uno individuo naturæ suæ, ita satisfacit per aliud, sicque, saltem ratione naturæ, reperta fuit in satisfactione Christi hæc conditio.

Cedere jure suo pro aliquo æquali non obstat rigorosæ justitiæ.

SECTIO QUINTA.

Examinantur duæ ultimæ conditiones rigorosæ Justitiæ.

I. QUINTA conditio rigorosæ justitiæ est, ut non fiat ex bonis, quæ sunt sub dominio creditoris, cui affinis est sexta, nempe ut sit ex aliàs indebitis, quas conditiones in satisfactione Christi non fuisse repertas videtur clarum, omnia enim opera humanitatis jure creationis erant perfectissimè sub dominio Dei, & consequenter ex hoc titulo illi debita, sicque non potuit per illa obligari Deus ex justitiâ ad salutem humani generis ei concedendam. Multo enim magis ratione creationis debentur opera humanitatis Deo, quàm opera servi in creatis suo domino, sed in creatis non potest intercedere contractus justitiæ inter servum & Dominum, cùm servus ei nihil dare possit non suum, ergo nec ob eandem rationem potuit obligari Deus strictè per opera humanitatis Christi.

Quinta & sexta conditio justitiæ sunt, ut non fiat satisfactio ex bonis sub dominio creditoris, aut ex aliàs debitis.

II. Huic objectioni latè respondimus Tomo præcedenti, Disp. 35. Sect. 3. ubi diximus sufficere quod offeramus Deo aliquid verè nostrum, & cujus verum habemus dominium, quod satis est, ut Deus ex libero contractu obligetur ad nobis aliquid rependendum, quod dum habemus adhuc manet ipsius. Unde longè diversa ratio est servitutis respectu dominii creati, & respectu Dei, ut ibidem diximus, cum servitute enim Dei stat verum dominium nostrarum rerum, & meritum etiam ob opera servilia, quod ibi non contingit. Imo contractu incipiente à domino & Patre, potest esse contractus justitiæ inter Patrem & filium, & Dominum & servum ex naturâ rei, quicquid sit de ordinatione & fictione legum. Nec refert Petrum, qui furto abstulit equum Pauli non satisfacere reddendo centum aureos, quos habebat Pauli, nam illorum dominium non habuit, Deo autem damus, quæ verè nostra sunt, & quorum habemus dominium. Unde aliter ab aliis proponi solet hæc conditio, nempe non utrùm satisfecerit ex iis, quæ sunt sub dominio Dei creditoris, sed utrum satisfecerit ex propriis, quod certum est hîc intervenisse.

Ad satisfactionem sufficit quòd fiat ex aliquo, quod est verè nostrum.

Aliud est de servitute in creatis, aliud respectu Dei.

Non satisfacit quisquis per id quod non est ipsius.

III. Quantumcumque ergo satisfactio Christi, fuerit sub dominio Dei, cùm tamen sit etiam bonum Christi, dans illi jus ad omne bonum possibile, & constituat veram rationem meriti apud Deum, nil obstat quo minùs etiam constituat veram rationem justitiæ. Et hinc constat clara

Declaratur ulterius has conditiones non obstare satisfactioni Christi,

Tom. II.

disparitas inter hujusmodi bona & merè corporalia, hæc enim cùm offeruntur pro uno titulo, ut centum aurei pro equo, qui eis æquivaleat, nihil ampliùs merentur: at in actibus bonis ultra hoc quod est satisfacere titulo creationis, & dominio Dei, certum est illos adhuc habere veram rationem meriti, iisque deberi præmium supernaturale. Quod à fortiori verum habet de operibus Christi, quorum singula, cùm fuerint valoris simpliciter infiniti, & meruerint omne præmium possibile, ut communiter asserunt Theologi, imo unum æquè intensivè meritorium fuerit ac omnia, sicut unum sufficit pro omni præmio possibili, licèt infinito, ita & ad satisfaciendum pro omni titulo, etiam infinito, idque in sensu compositio satisfactionis pro peccato.

Diversissima ratio est de bonis corporalibus & spiritualibus in ratione satisfactionis & meriti.

IV. Confirmatur hoc idem ex doctrinâ communi Theologorum, qui dicunt posse purum hominem justum per actum contritionis, vel amoris Dei super omnia condignè satisfacere pro suo veniali peccato, ita ut per hunc actum faciat satis, ut Deus ipsi ampliùs non irascatur, & ex justitiâ mereatur illius condonationem, non solùm ex liberalitate, & tamen hic actus est sub dominio Dei, & ipsi ex justitiâ, titulo creationis debitus, ergo non exhaurit titulus creationis hunc actum, sed licèt aliàs sit debitus titulo justitiæ, habet tamen adhuc valorem sufficientem ad aliquid aliud condignè, & ex justitiâ obtinendum.

Potest homo ex justitiâ satisfacere pro peccato suo veniali, quamvis actus quo satisfacit, sit sub dominio Dei.

V. Et hinc solvitur id, quod tantâ contentione urget Vasquez, & alii, nempe quòd ancilla si pariat, domino suo pariat, ac proinde injustè ageret, quisquis eum ad pretium pro prole solvendum cogeret, ergo anima si actus aliquos bonos eliciat, eos Deo tantùm Domino suo elicit, cùm non minùs sit anima ancilla respectu Dei, quàm mancipium respectu domini creati, sicque obligari non potest ad præmium aliquod pro iis dandum. Solvitur, inquam, hoc argumentum, hìc enim parit anima, & tamen, quantumcunque Domino suo pariat, adhuc ex communi consensu Theologorum potest ob hunc partum & prolem mercedem à Deo exigere, remissionem scilicet peccati venialis. Dispar ergo est ratio de rebus illis externis, ac de actibus meritoriis, vel quod ibi omnia fiant secundùm fictionem legum, vel quod non habeat quis earum dominium, ut communiter dici solet de servo respectu Domini, & de privatis personis respectu Reipublicæ in quibusdam casibus.

Dices: Sicut quicquid est mancipii, est domini, ita quicquid est hominis, est Dei.

Ostenditur latam esse disparitatem inter bona servi respectu domini creati, & respectu Dei.

VI. Quando ergo tria hæc in re aliquâ reperiuntur, nempe ut quis verè sit Dominus illius, ut valeat quantum valet res ab alio conferenda, & ut haberi non possit nisi pro libito offerentis, ut contingit in operibus Christi, & in omni operante liberè, haberi enim hæc opera non possunt, nisi operanti libuerit illa dare: ubi, inquam, hæc concurrerint, apta est res illa ad contractum justitiæ, etiam cum supremo illius Domino. Et si dicas, hæc in operibus servi reperiri respectu Domini creati: Primò respondeo, Dominum creatum non habere directè & per se dominium in actus internos servi: Secundò ob hanc rationem dixisse me supra cum Suarez, posse ex naturâ rei intercedere obligationem justitiæ Domini ad servum, contractu à Domino incipiente: Tertiò disparem esse rationem inter Dominum creatum respectu servi, ubi cùm omnia agantur ex fictione legum, censetur servus persona indistincta à Domino, & informatus eâdem cum illo animâ, ut supra dictum est.

Tria in opere aliquo requisita ad hoc ut sit aptum ad contractum justitiæ.

Diversissima ratio est de servo Dei, & domini creati.

Addo postremò, posse frequenter eâdem re satisfieri diversis titulis, ut si quis, ubi furto abstulisset rem alterius, voviisset se illam restituturum, unicâ restitutione voto satisfacit & justitiæ: qua etiam ratione solvendo debitum justitiæ satisfacere quis posset præcepto obedientiæ, sicut & obligationi misericordiæ, aut charitatis, si necessitas urgeret. Imo duobus subinde titulis justitiæ, ut si quis justum stipendium ab aliquo accepisset ut iret Romam, & postea pro eodem labore alter simili eum stipendio ad idem iter obstringeret, hic unicâ profectione utrique justitiæ titulo satisfaceret: Quod etiam contingit, cùm quis equum conductum aufert, illum enim restituendo satisfacit domino simul & conductori, quibus utrisque titulo injustæ acceptionis erat obnoxius. Deinde etiam in humanis si Princeps tributum aliquod debitum non exigat, possunt subditi pecuniâ illâ cum Principe verum justitiæ contractum inire, unde & cum Deo idem posset contingere, præsertim cùm præmium, quod confert Deus, adhuc maneat illius: & hoc à fortiori verum est in Christo, cujus opera omnia erant valoris simpliciter infiniti.

VII. *Duobus aut etiam pluribus titulis potest quis eâdem re satisfacere.*

Ulteriùs ostenditur posse eâdem re duplici justitiæ titulo satisfieri.

SECTIO SEXTA.

Resolvitur quæstio circa satisfactionem Christi.

I. *Omnes rigorosa justitiæ conditiones in Christi satisfactione fuisse repertas.*

DICENDUM itaque in satisfactione Christi servatas fuisse conditiones rigorosæ justitiæ, ipsúmque proinde perfectissimo modo hominem lapsum redemisse. Hanc opinionem ut Christo digniorem amplectuntur Suarez hìc, disp. 4. sectione 5. & 6. Albertinus Tomo primo Prin. 1. corol. 18. num. 36. Tannerus hìc, disput. 1. quæst. 2. dub. 5. num. 191. Ragusa de Incarnatione, disp. 23. qui pro eâdem sententiâ citant Halensem, Divum Bonaventuram, Capreolum, Soto, Bannes, Abulensem, Vegam, & alios, & videtur secundùm mentem Sancti Thomæ hìc, quæstione primâ, art. 1. & 2. Præcipua hujus conclusionis probatio desumitur ex dictis, ubi ostendimus quomodo conditiones omnes justitiæ in hac Christi satisfactione fuerunt repertæ.

II. *Variis Scripturæ locis ostenditur Christi satisfactionem fuisse de rigore justitiæ.*

Ulteriùs tamen probatur ex Scripturâ, & Patribus, nam ad Romanos tertio de Christo dicit Apostolus: *Quem proposuit Deus ad ostensionem justitiæ suæ*, & ad Colossenses secundo, *delens quod adversus nos erat chirographum decreti*: & primæ ad Corinthios primo dicitur Christus *nobis factus justitia & redemptio*, quæ voces abstractè sumptæ in Scripturâ vim habent significandi perfectionem ejus rei, quæ alicui tribuitur. Unde in Concilio Ephesino cap. 7. dicit Proclus Episcopus: *Necessarium erat ut ejusmodi pretium penderetur, quod ad amussim justitiam exæquaret.* Quod adeo verum visum est Salviano libro 4. de Providentiâ, ut de mysterio satisfactionis Christi dixerit: *In illo injustitiæ speciem magnitudo justitiæ habere videtur.* Frequentes etiam sunt hac in re alii Patres: unus pro reliquis sufficiat Sanctus Augustinus, qui in Enchiridio, cap. 49. ait diabolum non violentiâ potestatis oppressum fuisse per Christum, sed veritate justitiæ, & justissimè superatum. Idem repetit lib. 13. de Trinitate cap. 13. & cap. sequente sic habet: *Quæ est igitur justitia, qua victus est diabolus: quæ nisi justitia* JESU CHRISTI.

Hoc idem de satisfactione Christi docent Sancti Patres.

Unde

III. *Nihil obstat quòd hæ voces, rigorosa justitia, in Patribus non reperiantur.*

Unde licèt hæc vox *rigorosa justitia* à Scripturâ, & Patribus directè non usurpetur, sicut nec negatur, ex modo tamen, quo Christi satisfactionem prædicant, & extollunt, quoad rem ipsam satis eam indicant, sicut multa, quæ ab Ecclesiâ traduntur, eo nomine in Scripturis non traduntur, ut *transsubstantiatio*, & similia. Quàm autem æquum sit tot Scripturæ testimonia, ubi & Dei ad hominem, & hominis ad Deum justitia disertis verbis astruitur, ob unum vel alterum Aristotelis locum, ad sensus metaphoricos detorquere, quivis judicet. Mihi certè quovis potiùs modo explicandus videretur Aristoteles, quàm ut vel uni Scripturæ apici vis minima inferatur.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

De aptitudine puræ creaturæ ad reparandum hominem lapsum.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm pura creatura possit alteri mereri gratiam de condigno?

I. *Quid hic per puram creaturam intelligatur.*

PER puram creaturam non intelligimus eam, quæ est in purâ naturâ, seu quæ omnibus auxiliis gratiæ est destituta, sed eam, quæ ita est creatura, ut non sit Deus. Quærimus itaque, Utrum homo, vel Angelus, qui non esset unitus hypostaticè personæ alicui divinæ, instructus tamen gratiâ tum habituali, tum etiam excitante, & adjuvante, possit vel primam gratiam habitualem alicui in purâ naturâ, vel augmentum gratiæ existenti in gratiâ mereri de condigno, ita ut Deus, intuitu meritorum hujus Angeli vel hominis, teneatur ei pro quo merita sua offert, gratiam conferre.

II. *Ratio aut quidam negant posse puram creaturam mereri alteri gratiam.*

Pater Vasquez hîc, disp. 4. cap. 5. disputans utrum pura creatura reparare possit genus humanum, ideo id repugnare affirmat, quia non potest pura creatura mereri aliquid alteri de condigno, sed solùm sibi, gratia enim habitualis, inquit, quæ est radix meriti de condigno, ordinatur tantùm ad perficiendum proprium subjectum, & consequenter per illam mereri nemo quidquam potest, nisi sibi: Hanc etiam rationem aliqui amplectuntur ex recentioribus.

III. *Gratia, alia justificationis, alia sanctificationis.*

Notandum primò, gratiæ collationem in diversis circumstantiis diversam rationem præmii constituere, collata enim peccatori, quæ vocatur gratia justificationis, majus beneficium est, cùm includat etiam remissionem peccati, quam, vel augmentum gratiæ collatum justo, vel prima gratia homini in purâ naturâ existenti concessa, quæ vocatur gratia sanctificationis. Quæstio autem in præsenti procedit de gratiâ in hoc secundo sensu accepta.

IV. *Non est adæquatè idem actum esse*

Notandum secundò, ex Patre Suarez lib. 12. de Gratiâ, cap. 16. num. 4. esto omnis actus meritorius sit laudabilis, non tamen esse idem, adæquatè actum esse laudabilem & meritorium. *Laudabilem, & esse meritorium.*

Primò, quia tunc præmium illius adæquatum esset laus, cum dignitati laudis laus correspondeat pro præmio, meritis tamen aliquid aliud communiter datur à laude distinctum: Secundò, quia laudabilitas non est respectu hujus vel illius personæ in particulari, sed cujusvis secundùm rectam rationem judicantis, meritum verò est respectu determinatæ alicujus personæ, apud quam quis meretur. Unde Sanctus Thomas 1. 2. q. 21. art. 2. & 3. distinguit in actu bono esse meritorium, & esse laudabilem, & ubi definivit esse laudabilem, ulteriùs quærit utrum sit meritorius. *Laudabilitas operis est respectu cujuscunque, non sic meritum.*

V. *Quid sit meritum in actu primo.*

Notandum tertiò, Quid sit meritum in actu primo, nempe opus aptum ad obtinendum aliquod præmium, quod proindè vim habet movendi eum cui exhibetur ad aliquid retribuendum. Meritum verò aliud est *de condigno*, quod meritum simpliciter vocatur, seu ex justitiâ, cùm illius præmium in Scripturis vocetur merces, corona, stipendium, &c. Aliud *de congruo*, quod meritum dicitur secundùm quid, & ex quâdam tantùm decentiâ. Ut actus sit meritorius gratiæ de condigno variæ requiruntur conditiones, nempe ut sit positivus, bonus, supernaturalis, æqualis præmio, quibus additur alia à nonnullis, ut scilicet ex constitutione præmiantis ordinetur ad præmium. In quibusdam ex his conditionibus convenit meritum congruum cum condigno, nempe in eo quod requirat entitatem positivam, libertatem & bonitatem, deficit verò à condignitate, si vel non sit æqualis valoris cum præmio, vel remunerantem non obliget ad retribuendum. *Meritum, aliud est de condigno, seu simpliciter, aliud de congruo, seu secundùm quid.*

VI. *Potest homo purus mereri gratiam alteri divinitus.*

Probabiliùs ergo mihi videtur cum Patre Suarez lib. 12. de Gratiâ, cap. 16. posse per divinam potentiam hominem purum, saltem in termino suæ sanctitatis & gratiæ constitutum mereri vel augmentum gratiæ alteri in gratiâ existenti, vel primam gratiam homini in purâ naturâ constituto. Ratio est, quia nulla in hoc apparet implicantiâ. Primò enim si habeat omnem sanctitatem & gratiam sibi debitam, non est contra Charitatem propriam, ut merita sua alteri applicet, hoc namque faciendo, nullâ parte perfectionis

Tom. II.

& beatitudinis propriæ privatur, tunc enim non potest augere suam gratiam de potentiâ ordinariâ, sicut nec Christus auxit suam, quem tamen dicunt auctores, si non habuisset omnem plenitudinem gratiæ, potuisse mereri augmentum gratiæ sibi.

VII. *Ulteriùs ostenditur posse aliquem mereri gratiam alteri.*

Secundò: Quidni potest Deus excellentem aliquem gradum gratiæ, ad quem hominem, vel Angelum prædestinavit, conferre eidem in primo instanti creationis, & cum eo pacisci, ut opera sua omnia ad bonum aliorum applicet. Dices: Gratia non est semen gloriæ, nec præmii, nisi in ordine ad proprium subjectum. Respondeo, esse semen gloriæ sub disjunctione, hoc est vel sibi, vel aliis; licèt enim magis connaturaliter fortè petat perficere proprium subjectum, non tamen est cur, saltem ubi proprium subjectum est plenum, non possit divinitus mereri perfectionem alterius, sicut Sol si privaretur lumine, primò per emanationem produceret lucem in se, deinde in aliis subjectis. Quod argumentum magis urget, si statuatur homo ille comprehensor quoad animam, sicut fuit Christus, & viator solùm quoad corpus.

Gratia, quamvis connaturaliùs perficiat proprium subjectum, divinitus tamen perficere potest alienum.

VIII. *Dices: Hæc est inordinata & imprudens Charitas, meritoq; à Deo rejicienda.*

Tertiò: Potest gratia habitualis esse radix, ut homo purus satisfaciat pro pœnâ temporali alterius, ergo & ad merendum ei grâtiam, si ad hunc effectum applicetur. Dices: Per satisfactionem nihil deperdere hominem gratiæ, & consequenter nec gloriæ essentialis, imo majorem acquirit, at si mereatur alteri gratiam, debet aliquid illius, quam meretur illi dare, & quasi cum altero præmium illud partiri, quæ tamen est inordinata charitas, & ut imprudens meritò à Deo rejicienda. Sed contra: Nam subjectum, ut supponimus, habet totam plenitudinem gratiæ sibi de potentiâ ordinariâ debitam, ergo nihil hìc inordinatum. Deinde, si gratia potest esse radix satisfactionis alteri, quidni & meriti respectu gratiæ, cùm opera sint æqualis valoris cum illo præmio, & jam expedita ad merendum alteri; hæc enim est natura gratiæ, ut primò sit radix meriti respectu sui subjecti, quamdiu subjectum non habet plenitudinem gtatiæ, deinde respectu aliorum, si applicentur ad eum finem merita.

Ostenditur Charitatem hanc non esse inordinatam.

IX. *Peccatum unius potuit aliis nocere, ergo & gratia prodesse.*

Quartò: Sicut gratia est semen gloriæ proprio subjecto, ita peccatum est semen pœnæ proprio subjecto, & tamen divinitùs fieri potuit, ut per demeritum unius hominis omnes perderemus gratiam, ita ut condignè illius privationem nobis meruerit, ergo poterit etiam divinitus fieri, ut homo purus alteri gratiam condignè mereatur; cur enim sicut purus homo potuit nobis nocere, non poterit similiter prodesse. Dices, Adamum non propriè meruisse nobis privationem gratiæ, sed solùm exegisse Deum illius perseverantiam ut conditionem, quâ positâ transfudisset in ejus posteros gratiam. Sed contra: Non enim exigebat Deus illam ut conditionem disparatam, quasi diceret, si Sol cras oriatur, aut aliud ejusmodi, transfundam gratiam, sed ut conditionem habentem connexionem & proportionem cum illo effectu, ergo gratia divinitus potest esse principium merendi alteri.

Adami peccatum respectu amissionis gratiæ in posteris non fuit conditio merè disparata.

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contendentia non posse puram creaturam mereri alteri gratiam de condigno.

I. *Objic. Gratia semper meretur connaturaliter præmium proprio subjecto.*

Dices, gratia petit connaturaliter præmium proprio subjecto, & hic ordo est ab illâ inseparabilis, ergo semper merebitur augmentum gratiæ & gloriæ proprio subjecto. Sed contra: Hoc namque argumentum probaret etiam Christum meruisse sibi augmentum gratiæ & gloriæ, quod tamen falsum est. Respondetur itaque, gratiam habitualem tunc connaturaliter petere augmentum gratiæ proprio subjecto, quando non habet omnem plenitudinem gratiæ sibi debitam, quando autem habet, non petit, ut probat exemplum Christi Domini.

II. *In omnibus æquiparari nequeunt moralia cũ physicis.*

Dices secundò: Cur non potest in moralibus reperiri forma, quæ connaturaliter exigat aliud, seu præmium, sicut reperitur in physicis, calor enim ut octo petit ignem, &c. Contra: Quidni ergo in moralibus dari poterit forma, quæ essentialiter exigat præmium, sicut in physicis cernitur essentialis hæc exigentiæ in modis, quod tamen non admittunt auctores hujus sententiæ. Admitto itaque pro præsente actus meritorios petere connaturaliter præmium suo subjecto, quamdiu non habet plenitudinem gratiæ, ubi autem subjectum est plenum, tunc possunt à Deo ordinari & applicari à merente ad gratiam merendam alteri, ad hoc enim sufficit esse æqualis valoris & dignitatis cum præmio dando, esto non sit peculiaris illa inclinatio, & habitudo, quæ fortè est ad beatitudinem proprii subjecti. Unde licèt gratiâ respectu præmii & gloriæ proprii subjecti, habeat peculiarem habitudinem intrinsecam, hæc tamen non est de conceptu meriti de condigno.

Ubi propriũ subjectum est plenum, potest gratia à Deo ordinari ad merendam gratiam alteri.

III. *Ad meritum de condigno sufficit, quòd præmium meritis alicujus proponatur.*

Ad meritum itaque condignum præmii sufficit, quòd res illa proponatur ut præmium meritis alicujus, sicut ut currentes in stadio mereantur bravium, satis est rem illam à supremo gubernatore propositam esse ut præmium vincentibus, sive cursus ex se habeat peculiarem cum illo connexionem, sive non. Et sicut in multis, etiam juxta adversarios non sufficit entitas operis, vel meriti, sed ulteriùs requiritur applicatio operantis, ut constat in meritis Christi, & etiam justorum respectu diversorum præmiorum possibilium, ita quidni, in quibusdam saltem, requiri poterit ordinatio divina. Quod autem in meritis sit æqualitas valoris cum præmio patet, nam sunt æqualis valoris cum præmio merentis sibi, sed præmium illius, & præmium alterius, sive illud gratia sit, sive gloria, est ejusdem valoris, ergo; quod enim est æquale uni ex æqualibus est æquale alteri. Nec urget ratio, quâ utitur Vasquez, nempe opera unius justi de facto non merentur gratiam alteri, ergo nec possunt divinitùs, nulla est consequentia, sicut opera pœnalia unius justi habent valorem condignum ad satisfaciendum pro pœnâ temporali alterius, & tamen potest Deus non acceptare satisfactionem unius pro altero.

Quod est æquale uni ex æqualibus, est æquale alteri.

IV. *Ad meritum de condigno requiritur ordinatio aliqua divina.*

Addo ulteriùs, videri ad meritum de condigno etiam respectu proprii subjecti requiri, ordinationem divinam. Primò, quia præmium nostrorum meritorum passim vocatur, merces, stipendium,

stipendium, bravium, &c. quæ voces significant contractum justitiæ, & promissionem, sicque meritum condignum est meritum justitiæ. Unde Deus in retributione vocatur justus Judex, quod si per vocem *justus* intellexisset Apostolus idem quod fidelis, certè usus illâ voce fuisset, ut notat optimè Pater Suarez, & non impropriissimè sine ullâ necessitate locutus fuisset, cùm potuisset loqui propriè: & quæro, si voluisset Spiritus Sanctus in Scripturis significare propriam justitiam Dei erga hominem, quibus verbis id clariùs exprimere potuisset, quàm sint illa, quæ hîc & superiùs attulimus.

Per vocem justus, non nisi impropriissimè intelligitur. fidelis.

V. *Ex Concilio Tridentino ostenditur vitam æternam reddi benè operantibus tanquam mercedem.*

Unde Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. sic habet: *Benè operantibus usque in finem proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum IESVM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis eorum operibus & meritis fideliter reddenda:* ubi vox fideliter non excludit justitiam, sed accipitur prout generalis est omni promissioni, ut advertit Suarez relect. de liber. Dei, disputat. 1. num. 49. Unde statim subdit Concilium: *Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi aiebat Apostolus à justo judice sibi reddendam.* & alibi addit idem Concilium: *Tanta est Dei erga homines bonitas, ut nostra merita velit esse dona sua,* ergo potuisset hoc non velle, cùm juxta Concilium ex merâ suâ bonitate id velit, sicque meritum dicit contractum, & consequenter obligationem justitiæ.

Est etiam juxta Concilium corona justitiæ post certamen danda.

VI. *Hæc exigentia meriti respectu gloriæ non est merè ex quadam tantùm connaturalitate.*

Dices, vocari justitiam, quia servat Deus proportionem meriti cum præmio ex debito quodam & exigentiâ connaturalitatis, sicut homo exigit duos oculos, ignis calorem, aqua frigus, &c. Sed contra primò: Nam durum videtur asserere non alio modo deberi homini mercedem ex contractu laboris & meriti æqualis pactam, quàm duos oculos, cùm omnia hîc ad verum contractum justitiæ intercedant. Contra secundò: Ita debetur merces operibus justorum, ut esset injustus Deus si eam non conferret, & tamen injustus non esset si negaret homini duos oculos. Deinde non est hîc sola fidelitas, quia quod ex eâ datur, est gratuitum, nec enim non gratuitò nobis dedit filium suum, licèt eum antea promisisset, & ex fidelitate dare tenebatur. Tandem non est gratitudo, tum quia non cadit in Deum, tum quia quod debetur ex gratitudine, non debetur ex pacto, quod tamen hîc contingit.

VII. *Ulteriùs ostenditur ad meritum in actu secundo requiri necessariò promissionem aliquam vel ordinationem.*

Quòd verò ad meritum requiratur promissio aliqua, vel ordinatio ostenditur, quia merita Christi ex se erant abundè sufficientia ad merendam gratiam & gloriam Angelis, quod ergo eam Christus non meruerit in actu secundo sola reddi ratio potest proxima, quòd pro iis opera sua non obtulerit; remota & radicalis, quòd non missus fuerit ad eos redimendos, sed solos homines, sicque horum & non illorum salutem proposuerit Deus Christo ut præmium, & mercedem operum.

VIII. *Idem declaratur exemplo Enoch & Elia, & animarum in Purgatorio.*

Deinde, quod Enoch & Elias, & animæ in purgatorio non mereantur, quæ potest alia assignari causa nisi quòd Deus ipsis præmium non proposuerit. Dices, ratio est, quia non sunt viatores, sed in termino. Contra: Hoc ipsum esse vel non esse viatores est ordinatio Dei, cur enim ulteriùs protraxisse non potuit eorum vitam, vel naturalem vivendi modum, quare etiam animæ in purgatorio mereri non possunt, cùm non videatur dubium quin anima separata à corpore mereri possit, sicut & Angelus, nisi Deus contrarium statuisset, ergo totum pendet ab ordinatione divinâ. Quæ videtur expressa mens Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 114. art. 1. 2. & 3. ubi ad meritum de condigno (quod vocat meritum justitiæ, & passim ait inniti justitiæ) duo ait requiri, nempe æqualitatem operis cum præmio, & ordinationem divinam, seu propositionem præmii. Quod confirmatur exemplo humano, quantumcunque enim currant aliqui in stadio, & cursus sit æqualis alicui præmio, non tamen merebuntur illud in actu secundo, nisi proponatur à gubernatore, vel judice, ergo ad meritum condignum requiritur ordinatio.

Doctor Angelicus duo ad meritum de condigno requirit, æqualitatem operis cum præmio, & ordinationē divinam.

IX. *Dices: Peccatum sine ordinatione meretur pœnam, ergo & merita præmium.*

Dices cum Vasquez loco citato, potest quis mereri pœnam sine ordinatione, vel commina-tione illius, ergo & præmium. Primò Suarez lib. 8. de Angelis negat antecedens, & ait communem esse sensum Theologorum, ideo damnatos jam nihil mereri substantialis pœnæ, quia Deus peccatis ab iis in inferno commissis pœnam non destinavit: sed quicquid sit de hoc: Respondeo secundò, transeat peccatum habere proportionem & exigentiam intrinsecam cum pœnâ, sicut & gratiam cum præmio & perfectione proprii subjecti, sicque nec ad unum nec ad alterum lato modo requiri peculiarem ordinationem vel pœnæ vel præmii, sed solùm in meritis ad strictam justitiam. Tertiò dico, licèt semper ad meritum de condigno præmii requireretur promissio & ordinatio, non tamen ad pœnam: disparitas est, quia demeritum non est activum, & per quod acquirit quis jus contra Deum, & illum sibi facit debitorem, ut contingit in merito, per quod acquirunt justi jus ad præmium, & Deus ipsis se obligat ad reddendam mercedem ac stipendium, & consequenter requirit peculiarem ordinationem & voluntatem Dei, sine qua obligari creaturæ non potest: demeritum verò est quid passivum, per quod peccator fit debitor, & pœnæ obnoxius, ac proindè potest hoc demeritum solâ suâ voluntate incurrere.

Disparitas assignatur inter bona opera & peccata in ratione meriti & demeriti.

X. *Dices, hominem per peccatum mortale mereri, ut nullum ei deinceps detur auxilium.*

Dices ulteriùs cum eodem Vasquez Disp. 2. cap. 5. hominem peccando mortaliter meruisse ut nullum ei deinceps ad bonas operationes exercendas auxilium congruum à Deo conferretur; ergo nequit homo purus vel gratiam mereri, vel pro peccato ad æqualitatem satisfacere, cùm pars hæc debiti ipsi à Deo priùs debeat gratis remitti. Sed contra; quidni enim potuisset Deus creare purum aliquem hominem in gratia; hic ergo ex Dei ordinatione potuisset Adamo, aut alteri alicui peccatori mereri auxilium congruum ad actum Charitatis, per quem quantum ad hoc, vel sui vel saltem alterius peccati mortalis remissionem mereri posset, quod est contra Patres, qui ne Angelis quidem concedebant posse pro peccato mortali alicujus hominis satisfacere. Deinde ex hac doctrinâ sequeretur neque Christum de condigno pro hominum peccatis satisfeciisse; sicut enim primus Parens peccando, sibi & nobis demeruit auxilium omne congruum ad benè operandum, ita & promeruit ne daretur redemptor; ergo hoc debitum nobis gratis fuit condonatum, ergo similiter Christus non satisfecit ad æqualitatem. Hæ ergo duæ rationes Vasquez sine dubio sunt contra Sanctos Patres, qui hanc incapacitatem in purâ creaturâ satisfaciendi pro peccato mortali, nec in naturam gratiæ habitualis reducunt, nec in demeritum auxilii

Sed contrà, hoc enim nō urget, si Deus crearet hominem purum in gratiâ.

Ex illâ objectione sequeretur, neque Christum pro peccatis nostris ad æqualitatem satisfeciisse.

Tom. II. congrui, sed merè in inæqualitatem operis puræ creaturæ respectu gravitatis peccati mortalis.

XI. *Qua in re differat meritum & satisfactio.*

Quæres, in quo differat meritum & satisfactio? Respondeo in hoc, quod meritum respiciat mercedem, satisfactio compensationem injuriæ, meritum per se primò respicit commodum merentis, satisfactio verò honorem ejus cui offertur. In multis tamen confunduntur, nam potest quis tanquam præmium mereri remissionem injuriæ per actum satisfactorium, ex quo provenit commodum merenti, unde hîc realiter non distinguitur meritum à satisfactione, sed ad summum formaliter secundùm diversos respectus in ordine ad diversa attributa divina, hic enim actus in quantum est meritum respicit justitiam Dei retribuentis, & in quantum satisfactio respicit illius mansuetudinem ut placetur, & ampliùs peccatori non irascatur, licèt hoc ipsum etiam non irasci Deum sit præmium, & consequenter cadat sub meritum. Unde quoad præsens idem est in re satisfacere pro injuriâ, & mereri de condigno illius remissionem, qui enim meretur de condigno ut Deus ipsi remittat injuriam, facit satis ut Deus illam remittat, & ampliùs ob eam non irascatur.

Quamvis in quibusdâ conveniant meritum & satisfactio, in quibusdam tamen differunt.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm pura creatura mereri de condigno posit remissionem peccati mortalis.

I. *Quæstio est, utrùm homo purus, vel Angelus mereri alteri possit gratiâ, non sanctificationis tantùm sed justificationis.*

Duabus præcedentibus Sectionibus vidimus posse puram creaturam mereri de condigno alteri gratiam sanctificantem, seu quæ hominem in purâ naturâ constitutum elevet ad statum supernaturalem, sanctúmque ac Deo gratum reddat, æternáque beatitudine dignum. Præsens ergo quæstio est, Utrùm possit homo purus, vel Angelus mereri alteri de condigno gratiam etiam justificationis, seu qua quis in mortali existens ab illo liberetur, ac Dei amicitiæ restituatur; vel etiam an peccati mortalis remissionem alteri sine gratiæ infusione mereri queat, seu ut peccatum illud tollatur per condonationem extrinsecam.

II. *Indubitatũ videtur posse hominem purum, in gratiâ existentem mereri remissionem peccati venialis.*

Difficultas ergo procedit de peccato mortali, de veniali enim constans est omnium ferè Theologorum opinio, posse hominem justum mereri de condigno illius remissionem, & pro illo satisfacere. Ratio est primò, quia hoc præmium non excedit valorem meriti, quod pro illo offertur, ergo non est cur actus Charitatis, vel contritionis non possit illius remissionem mereri, & pro eo satisfacere, quod nihil est aliud, quàm facere satis, ut Deus injuriam illam remittat. Secundò, quia justo perseveranti usque ad finem vitæ debetur gloria tanquam merces, & corona justitiæ, ergo & debuit provideri ipsi aliquod remedium, quo tollere posset peccatum veniale, si in eo decessisset, nec salvo condignitatis jure posset ei hoc negari sine eo, quod novus illi in hoc favor & liberalitas concedatur, alioqui posset justus ob solum peccatum veniale è cœlo perpetuò excludi, ac proinde nihil differret à mortali.

III. *Vlteriùs ostenditur posse purum hominem in malitiâ, cùm hoc levis tantùm sit offensa, & qualis inter amicos etiam contingit, ille verò actus perfectus & vitæ æternæ meritorius, ergo cùm ex naturâ suâ tendat in illius destructionem, non est cur non possit illud delere, & condignè mereri illius remissionem.*

Cùm ergo actus contritionis in justo sit supernaturalis, & informatus gratiâ sit sine dubio melior in bonitate, quàm peccatum veniale sit pra-

IV. *Quod justi à Deo petant remissionem peccatorum venialium, non arguit non posse eos illorum remissionem mereri de condigno.*

Nec obstat justos petere remissionem peccatorum veniallum: id enim faciunt, non quòd non possint pro iis satisfacere, sed quòd nesciant in quo statu sint: sicut ob eandem rationem idem faciunt pro peccatis remissis. Nec ex eo quòd peccata etiam venialia gratis, & ex misericordiâ Dei remittantur, sequitur non posse nos pro iis satisfacere de condigno; ideo enim dicuntur remitti ex misericordiâ, quia nisi gratiâ suâ nos Deus præveniret, satisfacere pro iis non possemus. Et ob hanc etiam causam dicitur egere nos ad condignè merendum remissionem peccati venialis gratiâ per Christum, & applicatione meritorum illius, nempe ut auxilium congruum habeamus, quo actum contritionis vel amoris Dei super omnia, (qui optimus ad hunc finem videtur, cùm fervorem Charitatis per peccatum veniale imminutum reparet, & simul pœnitentia vel formalis, vel virtualis sit) eliciamus, non ut actus semel elicitus peccatum illud deleat. Et hoc etiam sensu dicimur emundari per sanguinem Christi, nempe immediatè in Sacramentis, mediatè quando per auxilium per merita Christi nobis concessum actum elicimus, quo mundamur. In statu verò puræ naturæ dicunt omnes per actus naturales potuisse tolli peccata venialia; cùm enim meruissent beatitudinem naturalem, meruissent etiam remissionem venialium, quorum ablatio ad finem illum consequendum per se ordinatur.

Iure meritissimo emundari dicimur à peccatis venialibus per sanguinem Christi.

V. *Quæstio quæ præcedit de remissione peccati mortalis.*

Difficultas ergo procedit de peccato mortali, Utrùm scilicet purus homo pro illo satisfacere possit, vel suo, vel alieno, aut illius remissionem de condigno mereri, hic enim pro eodem sumimus satisfactionem & meritum.

VI. *Potest homo purus pro suo mortali peccato satisfacere imperfectè.*

Dico primò: Potest purus homo imperfectè pro peccato suo mortali satisfacere, satisfactione illius remissionem antecedente: ita Suarez hîc, disp. 4. sect. 10. & omnes communiter. Ratio est, quia hoc modo satisfacere nihil est aliud, quàm actum aliquem Deo offerre, per quem moveamus ipsum aliquo modo ad remissionem peccati nobis concedendam, nempe ut cùm jam videat feciſse nos quod in nobis est, excitetur, non ex condignitate operis, sed congruitate quadam & decentiâ, ut peccatum remittat: sicut etiam juxta communiorem Theologorum sententiam meremur primam gratiam quando justificamur extra Sacramentum. Unde Sanctus Augustinus Epistolâ 105. ad Sixtum sic habet: *Neque ipsa remissio peccati sine aliquo merito est: neque enim nullum est meritum Fidei, qua ille dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori, & descendit hic justificatus.*

VII. *Nulla pura creatura satisfacere potest pro ullo peccato mortali.*

Dico secundò: Non potest ulla pura creatura, nec divinitùs satisfacere de condigno pro suo vel alieno peccato mortali. In hac conclusione quantus est omnium penè auctorum consensus contra Scotistas eam negantes, tanta in ratione ejus reddenda est discrepantia.

VIII. *Dicunt aliqui ideo non posse aliquê satisfacere pro suo peccato mortali.*

Pater Vasquez ideo ait non posse purum hominem satisfacere pro peccato mortali, præsertim proprio, quia per peccatum perdidit jus ad omne auxilium supernaturale, & contrahit debitum illo in perpetuum carendi; cùm ergo actus contritionis, utpote supernaturalis, elici debeat ex auxilio

li, quia perdidit jus ad omne auxilium supernaturale.

ex auxilio gratiæ, ipso facto pars debiti videtur remissa, ac proinde pro eo perfectè non satisfacit. Ait tamen per actum contritionis satisfacere peccatorem pro totâ maculâ peccati positâ condonatione auxilii.

IX. Juxta illam tamen rationem posset homo purus pro peccato mortali satisfacere quoad aqualitatè, quod negans Patres.

Sed contra: Ergo in re conceditur secundùm hanc solutionem posse hominem purum satisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali; quod tamen negant Patres, & ut solveretur pretium condignum pro peccato Adæ dicunt necessariam fuisse Incarnationem Verbi divini. Quòd autem donetur ei auxilium ad actum contritionis nihil refert, per hoc enim non remittitur aliquid culpæ, sed solùm pœnæ, ergo hoc non obstante satisfacit perfectè pro totâ culpâ. Aliam rationem Vasquez, cur non possit pura creatura satisfacere pro culpâ mortali alterius, quia scilicet gratia non est principium satisfactionis & meriti, nisi proprio subjecto, rejecimus Sectione præcedente.

X. Quòd quis bona opera acceperit à Deo, non obstat satisfactioni.

Dicunt alii ideo non posse puram creaturam satisfacere Deo pro peccato mortali, quia non potest satisfacere nisi per bona accepta ab ipso Deo creditore. Sed contra primò: Ergo nec Christus satisfecit pro peccatis hominum. Contra secundò: Mereri possumus de condigno à Deo gratiam & gloriam per bona accepta ab eo, ergo & remissionem peccati mortalis, si nil obstet aliud, quàm hæc acceptio bonorum à Deo. Contra tertiò: Ergo nec pro veniali satisfacere possumus, vel mereri illius remissionem de condigno, quod supra rejecimus.

XI. Volunt aliqui puram creaturam ideo non posse ad æqualitatem satisfacere pro peccatis hominum, quia sunt syncategorematicè infinita.

Tertiò dicunt aliqui non posse puram creaturam satisfacere pro peccatis saltem aliorum, nec illorum remissionem mereri de condigno, quia cùm infinita syncategorematicè sint, arguerent majorem perfectionem in merito illo & satisfactione, quàm cadere possit in puram creaturam. Sed contra: Ergo pro peccatis, quæ infinita hoc modo non essent, posset homo purus ad æqualitatem & condignè satisfacere, sed peccata hominum tam commissa, quàm committenda in viâ non sunt nisi finita, & quorum numerum Deus determinatè videt, ergo ad redimendum humanum genus non erat necessaria Incarnatio, & satisfactio Christi, Christus enim pro aliis peccatis non satisfecit, quàm pro commissis in viâ. Contra secundò: Ergo duo homines vel etiam omnes potuissent se invicem redimere, quod tamen est contra omnes Patres, ut postea videbimus.

SECTIO QUARTA.

Cur non possit pura creatura satisfacere pro peccato mortali.

I. Ideo pura creatura non potest ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere, quia hujus gravitas excedit illius æstimabilitatem.

VERA igitur hujus ratio est, quia peccatum in æstimabilitate morali excedit omnem satisfactionem puræ creaturæ, & consequenter quacumque satisfactione oblatâ, nunquam tamen æquale offertur pro injuriâ illâ & offensâ, sicque in genere moris superat omnem satisfactionem puræ creaturæ: ita Suarez hîc, Disp. 4. sect. 7. Valentia quæst. primâ punct. 5. Tannerus Disp. 1. quæst. 2. dub. 8. estque communis fere Theologorum opinio.

II. In hanc rem S. Thomas

Tenet Sanctus Thomas hîc, quæst. 1. art. 2. ubi ideo ait necessariam fuisse Incarnationem Verbi divini ad redemptionem generis humani, quia nulla pura creatura potest æqualem pro peccato mortali satisfactionem Deo offerre, idque quia in peccato est quædam infinitas; quæ, inquit, ut ad æqualitatem compensetur, requirit ut actus satisfacientis habeat efficaciam infinitam: quod etiam docet in quarto, distinct. 15. art. 1. ubi notandum, non ideo dicere sanctum Thomam non posse puram creaturam satisfacere pro peccato, quia non potest aliquid mereri nisi sibi, sed merè ob gravitatem culpæ. Sanctum Thomam sequuntur Thomistæ omnes, uno excepto Cajetano, qui contra aperta verba Sancti Doctoris ipsum perperam explicat, ut per puram creaturam intelligat creaturam in puris naturalibus, seu omni auxilio gratiæ destitutam. Idem docet S. Bonaventura in tertio, Distinct. 20. quæst. 3. *Tam gravis*, inquit, *est injuria, quæ ob ejus excellentissimam dignitatem Deo infertur, quod nulla pura creatura potest recompensare aliquid ei æquale.* Tenet etiam Halensis, Gabriel: & alii.

propterea negat satisfactionem puræ creaturæ sufficere, quia in peccato mortali est quadam infinitas.

III. Hæc conclusio præcipuè nititur auctoritate Sanctorum Patrum.

Hæc conclusio præcipuè nititur auctoritate Patrum, qui adeo frequentes sunt in hac veritate astruendâ, dissentiente nullo, plurimis expresè asserentibus, ut quamvis deesset valde urgens ratio (quam certè haud facilè est à priori assignare) sufficiens fundamentum esset eorum auctoritas ad hanc sententiam defendendam.

IV. S. Basilius & S. Leo pro hac sententiâ citati sunt suprà.

Omitto hîc sanctum Basilium & S. Leonem supra citatos Disputatione præcedente, Sect. 1. quorum ille dicit neminem præter hominem-Deum potuisse condignum afferre pretium pro peccato, hic ideo Christum attulisse quia ejus Sanguinis effusio tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium seu valoris infiniti.

V. Docet Conc. Ephesinum necessarium ad humani generis redemptionem fuisse ejusmodi pretium, quod ad amussim justitiæ debitum adæquaret.

In Concilio itaque Ephesino cap. 7. de Redemptione humani generis dicitur, *Necessarium erat ut ejusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad amussim justitiæ adæquaret*; & inde deducit necessariam fuisse Incarnationem Verbi ad perfectam satisfactionem quoad æqualitatem: & eodem loco additur, *unica hæc restabat mali solutio*: In eodem etiam Concilio cap. 7. referuntur in hunc finem hæc verba S. Cyrilli Alexandrini, *Quo pacto unus pro omnibus mortuus, justum pro omnibus pretium exolvere potuit, si perpessionem illam puri cujuspiam hominis esse dicamus*; & sæpè negat sanctus Cyrillus potuisse Christum æquale & justum pretium pro peccatis nostris offerre, si non esset Deus.

VI. Clarè docet S. Athanasius & S. Chrysost. ob gravitatem culpæ necessariâ fuisse Dei hominis satisfactionem.

Sanctus item Athanasius, Sermone de Cruce & Passione Domini sic habet: *Cùm videret malitiam intolerabilem, neque humanum genus idoneum esse quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persolveret, &c. videnstq; quàm ipse idoneus esset & potens, commotus fuit suâ humanitate, & misertus est nostræ imbecillitati.* Ad quem etiam sensum Sanctus Chrysostomus Hom. 2. in Joannem, *Cecidit*, inquit, *natura nostra eo casu, ut restitui non posset, nisi ab illâ potentissimâ manu.*

VII. Eandem veritatem clarissimis verbis tradit S. Ambrosius.

Sanctus Ambrosius ad Hebræos 9. *Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando nisi Omnipotens Filius Dei mereretur pro nobis.* In quem etiam sensum cùm multa præclarè dixisset Sanctus Bernardus in Sermonibus de Nativitate Domini, tandem concludit Sermone tertio: *Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari*: & subdit: *Si non essent hæc ad mortem & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur*; Ubi ex gravitate delictorum deducit necessariam fuisse mortem Christi, & superiùs

Tom. II.

dixerat nullo alio balsamo curari potuisse nisi sanguine filii Dei, non quòd mortem illius & vulnera per se ad hunc finem necessaria fuisse velit magis, quàm alia Christi opera, cùm similia priùs dixisset de vagitu & lachrymis infantis, sicut etiam non magis necessaria ad hoc fuit Incarnatio filii, quàm Patris, aut Spiritus Sancti, sed quòd tam gravia essent, ut nullius alterius, qui Deus non esset, mors aut vulnera ad hæc curanda vim sufficientem haberent, idque quia erant mortalia.

VIII. *Aliorum Patrum eadem quoad hoc mens est, ut antiquitatis vox esse videatur, satisfactionem personæ divinæ necessariam fuisse ob gravitatem culpæ.*

Eandem sententiam inde deducunt S. Irenæus, Justinus Martyr, Theodoretus, Eusebius, Damascenus, & alii: ita ut videatur hæc fuisse antiquitatis vox: quas auctoritates eò fusiùs retuli, tum quia contra Scotum probant apertè, necessariam fuisse Incarnationem personæ divinæ ad satisfactionem pro peccatis generis humani, nempe ut condignè & ad æqualitatem pro iis satisfieret, sicut juxta Scripturam satisfactum est, in quâ passio Christi dicitur emptio & redemptio, tum quia contra recentiores aliquos ostendunt peccatum in æstimatione morali injuriæ esse in altiore quodam ordine ad omne opus quantumvis perfectum puræ creaturæ, cui juxta communem sensum Patrum nullum æquale pretium reperiri potest, nisi personæ alicujus divinæ, & ex eo quòd æquale pretium obtulerit Christus, inferunt illum fuisse Deum, qui ut ait Sanctus Leo Sermone de Nativitate: *Nisi verus esset Deus, non afferret remedium.*

IX. *Magis in particulari declaratur mens sancti Thomæ circa satisfactionem Christi.*

Clarissimè autem hac in re loquitur S. Thomas articulo secundo citato, qui propterea necessariam fuisse ait satisfactionem Christi, quia, ut dictum est, in peccato est quædam infinitas, quæ, inquit, ut ad æqualitatem compensetur requirit ut actus satisfacientis habeat efficaciam infinitam: quod etiam docet in 4. dist. 5. art. 1. ubi notandum, quod supra etiam adverti, non ideo affirmare Sanctum Thomam non posse puram creaturam satisfacere pro peccato mortali, quia non potest aliquid mereri nisi sibi, ut vult Vasquez, & recentiores aliqui, sed merè ob gravitatem culpæ.

X. *Ex prædictis Patrum testimoniis deducitur à posteriore ratio cur pura creatura non possit satisfacere pro peccato mortali.*

Hinc ergo deducitur à posteriore probatio rationis supra initio Sectionis positæ; si enim peccatum in ratione injuriæ non excederet in æstimatione morali satisfactionem puræ creaturæ, quantumcumque sanctæ, & perfectæ, sequeretur posse puram creaturam solvere pretium æquale pro illo, sed secundùm Patres nemine dissentiente, non potest pura creatura offerre ejusmodi pretium, sed ad hoc absolutè juxta illos necessaria fuit Incarnatio personæ divinæ, ergo. Et hæc est præcipua probatio hujus sententiæ.

XI. *Res ordinis simpliciter inferioris nunquam æquivalent rebus ordinis superioris.*

Confirmatur: Nam in multis aliis hoc videmus contingere, in iis nimirum, quæ simpliciter censentur diversorum ordinum, in quibus quamtuncunque multiplicentur ea quæ sunt inferioris, ordinis nunquam æquivalent rebus ordinis simpliciter superioris. Sic communiter docent Theologi injuriam factam in bonis superioris ordinis, ut vitâ & famâ non posse compensari ad æqualitatem per bona inferioris ordinis, ut pecuniis, quantumcunque multiplicentur. Sic etiam multa peccata venialia quantumcunque multiplicentur, non æquabunt uni mortali, & merita naturalia, quantumcunque magno numero, nunquam accedunt ad valorem meriti & præmii supernaturalis, quia hæc sunt ordinis simpliciter superioris.

XII. *Bona corporalia non accedunt ad spiritualia.*

Confirmatur secundò: Bona temporalia quantumvis copiosa, non accedunt ad spiritualia, sicque non Philosophi solùm Christiani hæc omnia contemnunt præ virtute, sed gentiles quoque præ rerum etiam naturalium scientiâ. Unde Sapiens in Scripturâ, æquus rerum æstimator de Sapientiâ dicit Sapien. 7. *Præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*, &c. Sicut ergo aliqua ita sunt in ratione boni superioris ordinis ad alia, ut exæquari per hæc nullo modo possint, quidni idem dicemus de peccato in ratione injuriæ, cui Patres unâ voce affirmant nullam à purâ creaturâ satisfactionem afferri æqualem posse.

XIII. *Aurum in æstimatione morali non est ordinis simpliciter superioris ad argentum.*

Dices: Aurum est argento perfectius, & tamen ita multiplicari hoc potest, ut ipsi sit in æstimatione morali æquivalens. Respondeo, propterea non censeri aurum in æstimatione morali ordinis simpliciter superioris, sed solùm in entitate physicâ: at peccatum tale est, ut judicio omnium nulla possit in æstimatione morali offerri à creaturâ par illi compensatio.

XIV. *Dices: Homo purus habet infinitam gratiâ posset pro peccato mortali satisfacere.*

Dices secundò: Ponamus puram creaturam informatam gratiâ in intensione simpliciter infinitâ, hæc saltem eliceret actum in satisfactione æqualem peccato in ratione injuriæ, cùm esset actus infinitè dignus, utpote personæ infinitæ dignitatis. Negatur tamen consequentia, sicut actus opinionis quantumcumque intensus etiam si velis infinitè, non accederet ad perfectionem scientiæ intensæ ut sex circa idem objectum, nec in æstimatione morali esset ei æquiparandus, sicut nec actus Fidei aut scientiæ circa Deum, quantæcumque intensionis, conferendus esset cum visione beatâ minoris longè intensionis gradualis. Idem ergo dici potest de peccato respectu satisfactionis omnis & meriti cujusvis puræ creaturæ.

XV. *Ex offensâ & satisfactione principis creati nullum deducitur argumentum ad offensam & satisfactionem Dei.*

Dices tertiò: Si quis ex infimâ plebe offendisset Regem, posset tamen per multa exhibita obsequia, illi satisfacere, præsertim si periculo capitis pro eo se exponat, ergo & idem contingere poterit in peccatore respectu Dei offensi. Nego consequentiam: In offensâ enim & satisfactione respectu Principis creati est excessus solùm specificus, ut aiunt, non excessus ordinis, & consequenter aliunde compensari poterit, qui tamen inter creaturam & Deum statuendus est, alioqui contra Patres omnes, ut vidimus, posset compensatio æqualis pro mortali peccato à purâ creaturâ Deo offerri.

XVI. *Ratio à S. Thomâ hujus conclusionis à priori assignata deducitur ex dignitate personæ offensæ & vilitate offendentis.*

Rationem à priori assignat Sanctus Thomas hîc, art. 2. Corp. & ad secundum: offensa siquidem eò est gravior, quò major est dignitas personæ, in quam committitur; è contra verò satisfactio est minor, quò est major dignitas personæ, cui offertur, minor personæ offerentis: cùm ergo persona, quæ per peccatum offenditur, sit infinita, nempe Deus, persona verò offendens homo, inter quem & Deum infinita est distantia, peccatum erit saltem ordinis superioris ad omnem satisfactionem puræ creaturæ. Hæc est communis ratio, intuitu cujus cum Sancto Thoma conclusionem hanc communiter defendunt Theologi: contra quam conclusionem licèt multa objici possint, hoc tamen habemus, quod quisquis eam impugnat, eâdem operâ impugnet Sanctum Thomam.

Explicatur

XVII. *Ulteriùs declaratur ratio à D. Thoma proximè assignata.*

Explicatur ulteriùs hæc ratio: Peccatum mortale censetur ab omnibus gravis offensa contra Deum, omnis autem compensatio, & obsequium à purâ creaturâ Deo exhibitum, est leve respectu summæ illius majestatis, quæ obsequia longè excellentiora meretur: unde dum plebeius Principem salutat, caput ei honoris causâ aperiendo, censetur ab omnibus res exigua, quia nihil penè est respectu dignitatis illius personæ, minùs autem est respectivè erga Deum honor quivis à purâ creaturâ ei oblatus, cùm infinities major sit distantia inter levem aliquem honorem Principi à plebeio oblatum, & inter quodvis obsequium Deo præstitum, cùm dignitas honoris & satisfactionis decrescat ex vilitate offerentis, & ejus cui offertur dignitate, offensa è contra crescat, infinitè autem in dignitate superat Deus quemvis Principem terrenum.

Si exiguus censeatur honor Regi à plebeio exhibitus, hoc à fortiore cernitur in honore à creaturâ præstito Deo.

SECTIO QUINTA.

Argumenta contendentia posse puram creaturam satisfacere pro peccato mortali.

I. *Quamvis remissio peccati sit quid naturale, actus verò contritionis sit supernaturalis, hic tamen non est sufficiens compensatio pro peccato mortali.*

OBJICIES primò: Remissio peccati præcisè est quid naturale, cùm etiam contingere possit hominibus in purâ naturâ, contritio autem est supernaturalis, ergo erit sufficiens compensatio pro peccato. Contra: Ergo & per actum etiam naturalem sufficienter compensari posset, quod opinor nemo concedet, cùm in valore physico sit remissioni peccati æqualis, imo melior, est enim entitas physica, hæc sola negatio. Respondeo, Ergo multa in genere physico longè inferiora, censeri in genere moris superiora, ut aurum gemmæ, & res variæ inanimatæ animatis, imo ipso homine, qui exiguâ subinde pecuniâ venit, & ut non abeam longiùs, in eo qui haberet centum gradus gloriæ heterogeneos, secundùm entitatem physicam reliqui omnes superant in perfectione & valore primum, & tamen quoad æstimationem moralem primus excedit reliquos omnes, etiam collectivè sumptos, & censeretur Deus majus beneficium conferre, homini in purâ naturâ existenti, dando illi unum gradum gloriæ, quàm ei, qui jam habet primum gradum dando reliquos nonaginta novem: quod clariùs constat in ablatione, majus enim damnum censeretur pati is, qui si unum tantùm habet gradum gloriæ, illo orbaretur, quàm qui habet centum, reliquis omnibus præterquam uno, cùm uno retento maneat adhuc simpliciter beatus, & nullius rei egens.

Multa in entitate physicâ perfectiora, cèsentur in genere moris aliis inferiora.

II. *Sic similiter remissio peccati, quamvis in genere physico sit quid merè naturale, in genere moris tamen est ejusdem ordinis cum offensâ.*

Idem ergo est in præsenti; licèt enim remissio peccati sit in genere physico quid merè naturale, & imperfectior multis rebus, etiam naturalibus, in genere tamen moris est ejusdem ordinis cum offensâ, quæ in æstimatione morali, seu judicio prudentum censetur superius, seu altioris ordinis ad omnem satisfactionem puræ creaturæ. Judicio autem prudentum censeri peccatum altioris ordinis constat ex superioribus, ubi ex communi consensu Patrum, & Sancti Thomæ id ita esse ostendimus.

III. *Dices: Per actum amoris redditur totum Deo quod per odium ei fuit ablatum.*

Objicitur secundò: Per contritionem, vel actum amoris, redditur totum Deo quod per odium ab eo fuit ablatum, ergo tam bonus est actus amoris, quàm malum odium, & consequenter æqualis compensatio. Confirmatur: Sicut in peccatum ratione dignitatis personæ offensæ, refunditur quædam infinitas, ita & in actum amoris, cùm versetur circa objectum similiter infinitum. Contra primò: Hoc enim argumentum probaret, etiam per actum amoris Dei naturalem in purâ naturâ satisfieri posse pro peccato odii Dei, cùm reddat illud, quod odium abstulit. Contra secundò: Ergo si quis Principem vulnerasset, sufficienter ei satisfaceret vulnus iterum curando, cùm sanitatem ablatam restituat, quod tamen negant omnes, sed quantumcumque sit quoad restitutionem ablati constituta æqualitas, pro injuriâ tamen illatâ, aiunt gravissima ei deberi supplicia, & mortem ipsam. Unde Aristoteles 5. Ethic. cap. 5. assignans medium justitiæ in commutationibus involuntariis sic habet: Si è Magistratu aliquis vilem personam injustè percuteret, eum repercutiendum non esse, parva enim censetur injuria vili homini percuti à Principe, aut Magistratum gerente: at si plebeius Magistratum percusserit, is non solùm repercutiendus, sed supplicio etiam afficiendus esset, quod nimirum sine cumparatione ullâ ex dignitate personæ percussæ crescit injuria.

Sola restitutio ablati non sufficit ad satisfactionem, sed fieri debet compensatio pro injuriâ.

IV. *Differentia inter restitutionem, & satisfactionem.*

Respondetur itaque, diversa esse hæc duo, restituere ablatum, & satisfacere pro injuriâ: primum fit constituendo æqualitatem in bonis ablatis, vel imminutis, sive illa materialia sint, sive spiritualia, ut honor, fama, &c. Quod ut intelligatur, notanda differentia inter famam & honorem, fama enim est existimatio, seu opinio alienæ bonitatis & excellentiæ, &c. honor verò ulteriùs dicit testificationem hujus opinionis de alienâ excellentiâ: detractio itaque lædit famam, quod si ii, apud quos malè quis de altero loquitur, non credant, vel aliunde rectam iterum de eo opinionem conceperint, non tenebitur detrahens ad famæ restitutionem: honorem verò lædit contumelia, seu convitium, utpote qua tollit testificationem nostram externam de alienâ excellentiâ, unde licèt nemo adfuerit, vel licèt ii, qui adfuerint, non mutaverint opinionem, adhuc tenebitur qui contumeliam intulit satisfacere, idque secundùm proportionem injuriæ spectatis circumstantiis offendentis & offensi. Cùm ergo injuriæ gravitas peculiari quodam modo desumatur ex dignitate personæ offensæ, & vilitate offendentis, nullæ circumstantiæ creatæ in satisfaciente efficere possunt satisfactionem, cùm quantæcumque sint perfectionis, infinitè distent à perfectione divinâ, quæ refundit quantitatem moralem in offensam, idque longè alio modo quàm dignitas objecti in actum satisfactorium, cujus valor desumitur non ex dignitate ejus cui offertur, sed offerentis, alioqui pro injuriâ illata cuivis personæ, etiam summæ dignitatis, per quamlibet satisfactionem secundùm quantitatem quasi materialem æqualem, eidem posset satisfieri, quod, inquit, Tannerus hìc, disp. 1. quæst. 2. dub. 8. num. 282. est absurdissimum, & contra sensum omnium Sapientum.

Differentia inter restitutionem, & satisfactionem.

Honor & fama quo pacto differant.

Famam lædit detractio, honorem contumelia.

Restitutio famæ non sufficit pro contumeliâ.

Nulla circumstantia creata efficere possunt satisfactionem æqualem peccato mortali.

Objicies tertiò, illud Apostoli ad Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum*, ergo donum, quod accepimus per Christum majus erat damno, quod nobis intulit Adamus. Respondetur, sicut delictum, ita & donum. sensum Apostoli esse Christum non nudè nobis remissionem peccati obtinuisse, sicut illud in nos transfudit Adamus, sed copiosam etiam gratiam, & dona supernaturalia in nos suis meritis derivasse, ut rectè P. Conzen in hunc locum, unde subdit

V. *Objicitur illud Apostoli, Non sicut delictum, ita & donum.*

Apostolus

Tom. II.

Apostolus versu 20. *Vbi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Deinde Adamus lapsu suo unum solum in posteros peccatum transtulit, idque originale, quod levius censeri solet actuali, Christus verò non pro hoc solùm satisfecit, sed etiam pro actualibus, sicque non sicut delictum, ita & donum. Quid quod Christus morte suâ, & meritis non è carcere solùm nos liberavit, sed in regnum transtulit, faciens nos hæredes Dei, & sibi cohæredes.

Longè magis nobis profuit Christus, quàm nocuit Adamus.

VI. *Quod Deus sit infinitè bonus non obstat quo minùs refundat malitiam gravem in mortale peccatum.*

Objicitur quartò: Deus est infinitè bonus, quo pacto ergo refundere potest in peccatum, ut sit quid altioris ordinis. Respondetur, vel ob hoc ipsum illud refundere, injuria enim contra magis bonum est digna majori vituperio. Et hoc argumentum probaret peccatum non esse omnino grave malum, cùm eodem modo argui posset Deum, utpote bonum, non posse omnino refundere in illud malitiam.

VII. *Dices: Ergo nec pro peccato veniali satisfieri à nobis potest ad æqualitatem.*

Objicitur quintò: Hinc sequi etiam peccatum veniale, cùm sit offensa Dei, esse ordinis etiam simpliciter superioris, & consequenter pro eo à purâ creaturâ, ad æqualitatem satisfieri non posse, contra supertùs dicta Sectione secundâ. Negatur consequentia, nam juxta Sanctum Thomam 1. 2. quæst. 88. art. 1. & alibi, peccatum veniale non est simpliciter peccatum, injuria & offensa, sed secundùm quid, & analogicè, ut ait, nec simpliciter contra, sed præter legem, quam etiam doctrinam approbat Suarez disp. 2. de peccatis, sect. 5. vel enim est actus deliberatus in levi materiâ, vel indeliberatus in quacumque, si hoc, non est, inquit, peccatum simpliciter, cùm non sit actus humanus, & rationalis simpliciter, sed solùm secundùm quid, si primum, nec etiam est peccatum & transgressio simpliciter, quia quisquis non peccat mortaliter, dicitur simpliciter servare legem & mandata, & omnis justus dicitur legis servator, unde de Sancto Zachariâ & Elizabeth dicitur Lucæ 1. *Incedentes in mandatis Domini sine querelâ*, quos tamen non videtur dubium, subinde venialiter peccasse, cùm septies in die cadat justus.

Variè declaratur quo pacto peccatum veniale sit solùm peccatum secundùm quid.

VIII. *Objic. Tantùm placent Deo opera bona, ac displicèt mala, ergo possunt illa pro his satisfacere.*

Objicitur sextò: Tantùm placent Deo opera bona justorum, quantum displicent impiorum peccata, ergo sunt ejusdem ordinis in bonitate, atque illa in injuriâ. Antecedens probatur, tantum merentur præmium, quantam hæc pœnam, ergo &c. Respondent aliqui negando antecedens, ad probationem distinguunt etiam antecedens, merentur tantum præmium, quantum hæc pœnam ex naturâ suâ, nego antecedens, ex ordinatione divinâ concedo, communis enim est Theologorum vox Deum punire citra, præmiare ultra condignum. Pater Tannerus autem hic, disp. 1. quæst. 2. dub. 10. num. 333. insinuat nullam posse tantam pœnam assignari peccato mortali, quâ nequeat gravior & gravior assignari in infinitum, atque adeo illud mereri omnem pœnam possibilem. Hoc etiam affirmare videtur Sanctus Athanasius in Evangelium de Passione & cruce Domini, ubi loquens de peccato mortali ait gravitatem malitiæ ejus excedere omne supplicium, & propter excessum hujus gravitatis requirit satisfactionem Christi, personæ infinitæ. Sed non est opus huc recurrere, ut videbimus postea.

IX. *Ex quo capite insinuat aliqui peccatum mortale mereri omnem pœnam possibilem.*

Id verò ideo insinuant nonnulli, nam alioqui, inquiunt, contingere posset, ut damnatus aliquis graviorem patiatur pœnam ob venialia peccata, quàm mortalia, imo posse aliquem ob civiles transgressiones statutorum Reipublicæ, tantam, vel etiam majorem mereri pœnam, quàm ob grave aliquod peccatum in Deum commissum. Unde, ut ait Suarez, & alii, licèt Deus de facto pœnam solùm finitam præfixerit cuivis peccato mortali, quæ etiam semper infligitur, cùm decreta Dei sint infallibilia, potuisset tamen aliam & aliam præfigere in infinitum, cui, inquiunt, in actu primo culpa est proportionata. Locum verò illum Apocalyp. 18. ubi dicitur de animâ peccatrice: *Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, ait Suarez non esse intelligendum de proportione arithmeticâ, sed geometricâ, & justitiâ quâdam distributivâ, ut quantum unus excedit alterum in culpâ, tantùm etiam excedat in pœnâ, licèt nec unus, nec alter tantum puniatur quantum ejus culpa meretur. Sed nihil isthic his de rebus statuo, postea enim ad prædictum argumentum fusè respondebitur.

Quo pacto dicant nonnulli tantùm puniri aliquem, quantum peccavit, nempe geometrich.

Addo hîc cum Suario lib. 7. de Gratiâ, c. 23. Lessio de perfectionibus divinis lib. 13. cap. 26. Si peccatum aliquod cæteroqui grave, committeretur ab homine, qui haberet invincibilem ignorantiam Dei, non mereri tantum pœnæ, nec futurum peccatum mortale, cùm sine cognitione aliquâ Dei non refundatur in actum malitia theologica, ut aiunt, sed solùm philosophica, seu deformitas merè contra regulam rationis naturalis, & consequenter merebitur tantùm pœnam illi malitiæ conformem, quam opinionem ait Lessius esse communem Doctorum nostri temporis, & latè eam probavi Tomo præcedenti, disputatione centesima nona, videturque clara mens Divi Thomæ, tum alibi, tum 2. 2. q. 20. art. 3. ubi sic habet: Quod si potest esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale: hæc ille.

X. *In peccatum commissum cum invincibili ignorantia Dei non refunditur malitia Theologica, sicque non est mortale.*

Cùm ergo in æstimatione morali non tantum sit Deum amare, eique subjici, quantum illi non obedire, non potest per actum amoris & contritionis ad æqualitatem compensari offensa. Hæc pro ratione S. Thomæ dicta sunto, & probatione conclusionis à priori: præcipua tamen illius probatio, ut dixi, est communis consensus Patrum, eique maximè insistendum.

XI. *Secundùm Theologos non est tantum amare Deum, quàtum illi non obedire.*

SECTIO SEXTA.

Vtrum peccatum mortale habeat in se malitiam infinitam.

I. *Opportunè hic est de infinitate peccati mortalis inquirere.*

Diximus peccatum mortale esse superioris ordinis ad omnem satisfactionem puræ creaturæ, quod licèt satis sit ad ostendendum Incarnationem alicujus personæ divinæ simpliciter fuisse necessariam ad æquale pro eo pretium persolvendum, ejúsque remissionem de condigno promerendam, operæ pretium tamen erit indagare ulteriùs, Utrùm peccatum mortale non in superiore tantùm gradu sit ad nostra bona opera, sed malitiæ insuper infinitæ.

II. *Prima sententia affirmat mortale peccatum esse malitia simpliciter infinita.*

Prima sententia, eáque satìs frequens tum inter antiquos auctores, tum modernos, docet malitiam peccati mortalis esse infinitam: ita Sanctus Bonaventura in 3. dist. 20. art. 1. quæst. 3. Almaynus tractatu 3. Mor. cap. 20. Richardus in 3. Dist. 20. quæst. 4. Joannes Medina de satisfactione, quæst. 1. Coninck disp. 10. de Pœnitentiâ, dub. 2. Bacon. in 3. Dist. 2. q. 1. a. 2.

Hurtado

Hurtado hîc, disp. 9. sect. 2. & alii. In hanc etiam sententiam non parum propendere videntur Halensis & Divus Thomas, ille 3. p. quæst. 1. memb. 6. art. 2. hîc 3. parte, quæst. 1. art. 2. ad secundum, favet etiam Caietanus 3. parte, q. 1. art. 2. §. *ad alteram.*

III. *Cur quidam dicant peccatum mortale esse infinitum solùm secundùm quid.*

Id verò circa modum loquendi nonnullorum ex his auctoribus notandum, qui quamvis peccatum mortale quà est offensa Dei, sicque in genere mali dicant esse infinitum, addunt nihilominus non esse infinitum simpliciter, sed tantùm secundùm quid, quod nimirum in genere entis sit aliquid finitum. Sicut, inquiunt, linea aliqua, seu virga auri vel argenti in infinitum sine termino protensa, esset quidem infinita in ratione lineæ, quia sub hac ratione nullis limitibus coërcetur, non tamen esset infinita simpliciter, quia in genere entis est res finita & limitata.

IV. *Peccatum mortale non est malitia simpliciter infinita.*

Communior tamen, & verior sententia affirmat peccatum mortale non habere malitiam infinitam: ita Scotus in 3. dist. 20. & in 4. dist. 15. quæst. 1. Argenti. quæst. unicâ, art. 1. Sotus in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 2. ad primum, Suarez hîc, disp. 4. sect. 1. Vasquez hîc, disp. 2. cap. 2. Salas Tomo 2. in 1. 2. tractatu 11. d. 15. sect. 6. Albertinus Tomo 1. Cor. 18. ex princip. 1. Philos. dub. 1. Lugo hic, disp. 5. sect. 3. Granado 1. 2. Contro. 6. tract. 3. disp. 5. Arriaga hîc, disp. 3. & alii. Pro hac etiam sententiâ meritò citari potest S. Thomas 3. p. q. 1. ad 2. ubi licèt nonnullis, ut supra diximus, favere videatur contrariæ sententiæ, multo tamen potiore jure afferre eum possumus pro istâ, loco enim proximè citato ait peccatum habere quandam infinitatem ex infinitate Dei, ubi vox *quandam* est restrictiva, & arguit infinitatem illam non esse simpliciter, sed solùm secundùm quid, seu altioris ordinis, juxta dicta sectione quartâ & quintâ.

V. *Inefficax quorundam hujus conclusionis probatio.*

Probant nonnulli hanc sententiam, si enim, inquiunt, peccatum mortale sit malitiæ simpliciter infinitæ, sequeretur omnia peccata mortalia esse in gravitate æqualia. Hæc tamen probatio nunquam mihi visa est efficax, nam, ut ostendi disp. 46. Physicæ, multi nullum esse putant inconveniens concedere posse unum infinitum esse majus alio, ut si Deus crearet infinitos homines dicunt plures fore digitos vel capillos, quàm homines. Deinde quamvis omnia opera Christi sint infiniti valoris, non tamen sunt ejusdem dignitatis & præstantiæ, ut supra vidimus, sed actus Charitatis ab eo elicitus, melior est actu humilitatis vel obedientiæ. Tandem licèt peccata mortalia ex infinitate mererentur pœnam in durationè infinitam, nihilominus prout secundùm specificas suas rationes majorem vel minorem in se continent gravitatem, magis etiam vel minùs intensam gradualiter pœnam mereri poterunt: & hoc modo salvatur quo pacto peccata mortalia sint inæqualia etiam in ratione demeriti.

VI. *Ratio à priori cur peccatum mortale non sit malitia simpliciter infinita.*

Ratio ergo præcipua & veluti à priori pro hac sententiâ est, quam insinuat Suarez citatus §. *Ultimo ex his*, non enim apparet ex quo capite peccatum mortale hauriat infinitatem; si namque spectemus actum ipsum secundùm ea, quæ tum ex parte intellectus, tum voluntatis ad hoc peccatum constituendum concurrunt, omnia sunt finita, advertentia siquidem ex parte intellectus est tum entitativè tum intensivè finita, & idem est de conatu ex parte voluntatis, ergo actus mortaliter peccaminosi malitia est usquequaque finita, cum in his duabus operationibus finitis, alterâ intellectus, alterâ voluntatis adæquatè sita sit.

VII. *Contendunt aliqui peccatum mortale à Deo haurire gravitatem infinitam.*

Dices, constitutiva malitiæ peccati mortalis non solùm sunt advertentia ex parte intellectus, & conatus voluntatis, quæ duo sunt finita, sed etiam Deus, qui est simpliciter infinitus, ergo ex hoc capite peccatum mortale erit quoad gravitatem simpliciter infinitum, odium Dei exempli gratia, ex objecto quippe infinito haurit gravitatem objecto parem. Sed contra, ergo & actus Charitatis erit bonitatis simpliciter infinitæ, cùm non minùs terminetur ad Deum, cúmque habeat pro objecto, quàm ullus actus peccaminosus, etiam odium Dei.

VIII. *Ratio cur Deus non refundat in peccatum mortale malitiam simpliciter infinitam.*

Respondetur itaque cum Suarez citato, objectum, non formaliter & intrinsecè, sed terminativè solùm & extrinsecè actui se communicare, sicque nec bonitatem, nec malitiam infinitam in eum refundere. Quamvis ergo Deus sit in se simpliciter infinitus, cùm tamen in peccatum non influat nisi mediâ cognitione, & omnis nostra cognitio tum Dei, tum divinæ offensionis sit non finita tantùm, sed valdè imperfecta, non potest Deus refundere in peccatum infinitatem, gravitas siquidem offensæ, non ex dignitate personæ, quam offendimus, præcisè crescit, sed personæ ut cognitæ.

IX. *Cognitionis imperfectio minuit gravitatem offensa.*

Confirmatur: Nam ut benè Cardinalis de Lugo citatus, nullus magni facit offensas puerorum contra se factas propter imperfectam scilicet, quam habent pueri de hisce rebus apprehensionem; ergo magnitudo offensæ non ab excellentiâ personæ offensæ utcunque, sed ab eâ secundùm majorem vel minorem cognitionis perfectionem est metienda; cùm itaque omnis nostra cognitio de Deo, quam hîc habemus, ejúsque offensione, ut supra adverti, sit admodùm imperfecta, & ut ita dicam puerilis, dignitas Dei, qui offenditur, non potest infinitatem in peccatum refundere, sed majorem vel minorem gravitatem prout cognitio est magis vel minùs perfecta.

X. *Quo gradu Rex vel Princeps cognoscitur, eodem ob injuriam sibi factam, & non majore rationabiliter offenditur.*

Confirmatur secundò: Nam juxta omnium sententiam semiplena advertentia offensionis divinæ, etiam in materiâ gravi reddit actum leviter tantùm malum, ergo cognitio imperfecta, qualis hic est nostra de offensione Dei, quamvis sit sufficiens ad peccatum mortale, valdè tamen minuit ejus malitiam, eámque licèt persona offensa sit in se infinita, reddit solummodo finitam. Quod sic ulteriùs declaratur; si enim quis Principem aliquem ignominiâ afficiat, planè ignorans eum esse Principem, sed existimans esse hominem plebeium, & si sciviſſet esse Principem, hoc nullo modo facturus, non potest Princeps rationabiliter ei irasci, nec indignari indignatione debitâ injuriæ factæ Principi, sed solùm factæ homini plebeio, & si cognitio Principis in eo sit exigua, indignatio similiter esse debet exigua, ita ut quo gradu crescit vel decrescit cognitio, eodem crescat vel decrescat indignatio; idem ergo dicendum de indignatione Dei.

XI. *Disparitas inter unionem & cognitionem quoad communicationem infinitæ bonitatis vel malitiæ in actum.*

Dices: Personalitas Verbi quamvis per unionem creatam, ac finitam uniatur humanitati, nihilominus operibus Christi tribuit valorem simpliciter infinitum, ut supra latè ostendimus, ergo quòd Deus repræsentetur, & quasi conjungatur animæ per cognitionem finitam, non obstat quo minùs in actum peccati transfundat infinitatem. Contra: Ergo tantundem dicant de actu Charitatis, & aliis operationibus, quæ immediatè respiciunt Deum. Respondetur itaque negando

Tom. II.

negando consequentiam: Disparitas est, unio namque hypostatica intrinsecè conjungit Verbum humanitati, constituitque per ejus subsistentiam ex utraque naturâ unam Personam divinam, & consequenter infinitam; cùm ergo dignitas personæ operantis, ut supra declaratum est, influat in operationes, & Verbi dignitas sit simpliciter infinita, actionésque ejus omnes reddat theandricas, & Deus per eas verè dicatur operans, erunt valoris simpliciter infiniti, fieri enim nequit, ut Dei operatio non sit infinitè digna.

XII. *Experientiâ constat ex cognitione magnam fieri in operationibus mutationem, quæ non sit ex unione.*

Quandoquidem itaque nulla sit possibilis unio hypostatica, quæ hunc effectum non habeat, constituátque juxta dicta Personam divinam, sicut nulla est possibilis unio informationis inter animam rationalem & corpus, quæ non constituat hominem, nulla similiter est unio hypostatica, quæ non reddat operationes omnes naturæ assumptæ valoris simpliciter infiniti. At verò nostra cognitio est quid Deo planè extrinsecum: deinde, ut in superioribus ostensum est, experientiâ clarè constat cognitionem circa tam bonitatem, quàm malitiam in actibus magnam efficere diversitatem, ut de semiplenâ advertentiâ, & apprehensionibus puerorum dixi numero nono & decimo.

XIII. *Quid, si per impossibile Deus non esset, mererentur peccantes, putans eum esse.*

Quæres, cùm juxta nos gravitas peccati mortalis non desumatur à Deo immediatè, sed à cognitione Dei, quæres inquam, in casu impossibili quòd non esset Deus, homo tamen quispiam existimaret eum esse, si tunc adulterium, aut homicidium committeret putans se per hæc graviter Deum offendere, Utrùm peccata illa tantam in se haberent malitiam ac modò habent, an minorem. Miror quosdam tam operosam hac de re instituere disputationem, cùm nulla major in eâ esse videatur difficultas, quàm in mille aliis exemplis, quæ in dies contingunt, vel contingere possunt, ut si quis feram occideret putans invincibiliter esse hominem, aut laicum putans esse Sacerdotem, utriusque namque peccatum tam grave foret, ac si is revera hominem occidisset, hic sacerdotem, & ille homicidium, hic sacrilegium committeret affectu, quamvis non effectu, sicque utrumque peccatum non minorem pœnam mereretur, quàm si in priori casu homo occisus fuisset, in secundo sacerdos, licèt censuram occisioni sacerdotis annexam non incurreret, hæc namque dependet ab effectu actu secuto, & ab occisione sacerdotis, non formaliter tantùm, sed etiam materialiter. Idem ergo dicendum in præsenti, unde peccata illa adulterii & homicidii dum Deus putaretur esse, quamvis per impossibile non esset, mererentur pœnam æternam; si quis verò hanc etiam in prædicto casu fingeret esse impossibilem, dicendum hæc peccata mereri pœnam æternam quantum est ex se, quamvis peccans ab eâ per accidens excusetur, cùm in eo casu non foret qui eum ad infernum detruderet.

Grave aliquod peccatum committi posset affectu, quando non committitur effectu.

Qua ratione peccata illa mererentur pœnam æternam.

XIV. *Si quis hominem plebeium percuteret existimans eum esse Regem, tam graviter peccaret ac si ipsum Regem percussisset.*

Dices: Qui percutit plebeium existimans eum esse Regem, non censetur tam graviter peccasse, ac si ipsum Regem percussisset, nec facinus istud censetur tantâ pœnâ dignum, ac vera percussio Regis, ergo quod quis existimet esse Deum, si tamen verè non esset, peccatum ejus non esset tantæ gravitatis & malitiæ, ac modò. Respondetur negando antecedens: Non minorem quippe gravitatem in se contineret scelus illud, nec minorem mereretur pœnam, quàm si ipsum Regem percussisset, isque eodem supplicio jure afficeretur. Quod si à Republicâ humanâ non tam graviter punitur ille atque hic, est quia, ut benè Lugo citatus, homines non tam actum & intentionem internam curant, quàm effectum externum, Deus verò actus internos, in quibus præcipuè sita est culpa, seu peccatum, punit; unde si quis habeat intentionem efficacem aliquid mali præstandi, occidendi patrem exempli gratia, effectus verò ab extrinseco impediatur, apud Deum reus est parricidii, nec minore pœnâ plectetur, quàm si reipsa patrem occidisset, ab actu enim interno, non externo metienda est gravitas peccati, nisi quatenus occasione hujus malitia interni augetur, in quo tamen etiam casu offensæ gravitas sumitur ab actu interno, ut dictum est tomo præcedente, disputatione 86. sectione quartâ, & sequentibus.

Humana Respublica externos, Deus internos actus in punienda, & intentionem respicit.

SECTIO SEPTIMA.

Argumenta quædam contendentia peccatum mortale esse malitiæ simpliciter infinitæ.

I. *Ex eo quòd omnes pœnæ & mala physica possint elegenda quàm peccatum mortale, non sequitur hoc ea omnia mereri.*

Objicitur primò: Potiùs debet homo pœnas omnes & mala physica amplecti, quàm unum peccatum mortale admittere, ergo cùm mala hæc & pœnæ sint syncategorematicè infinita, gravitas hujus peccati est infinita. Sed contra: Hoc enim probaret peccatum etiam veniale esse malitiæ infinitæ, cùm mala omnia & pœnas perferre homo potiùs debeat, quàm vel unum veniale peccatum committere. Addo, sequi ulteriùs peccatum unum mortale, imo & veniale gravius esse in ratione mali, quàm omnia merita Christi in ratione boni, ac proinde imparem fuisse Christi satisfactionem pro minimo peccato vel mortali, vel veniali, potiùs enim deberet homo velle carere unione hypostaticâ, & infinito, qui inde sequeretur, operum suorum valore, quàm vel leviter peccare, si sub peccati admittendi occasione hæc ei optio daretur.

II. *Quam pœnam possit quodvis peccatum tanquam sibi condignè respondentem.*

Respondetur itaque, licèt verum sit, mala omnia physica & pœnas perferendas potiùs esse, quàm peccatum etiam leviissimum perpetrandum, non tamen inde sequitur hujusmodi peccatum mala illa omnia & pœnas promereri; illam ergo solummodo pœnam condignè meretur sibi respondentem, eáque justè punitur, quæ sufficit ad homines ab hujusmodi criminum admissione deterrendos. Et sanè si quis invincibiliter ignorans Deum, octo vel decem florenos furaretur, furtum hoc juxta multos ex adversariis esset tantùm veniale, ergo nec secundùm illos haberet infinitam malitiam in ratione offensæ, & nihilominus magis vitandum esset, quàm omnia mala physica, & pœnæ, quæ infligi possunt. Malum itaque morale, utpote aliquam semper in se continens indecentiam, magis est vitandum, quàm quæcunque mala physica, in quibus nimirum nulla est moralis indecentia, quamvis alioqui gravia sint, & naturæ repugnantia.

Malum morale ob indecentiam quam in se habet, semper est vitandum.

III. *Objic. Peccatum mortale mereretur privationem unionis hypostaticæ, ergo mereretur pœnam infinitam.*

Objicitur secundò: Peccatum mortale mereri potest privationem unionis hypostaticæ, quæ unio est infinitè bona eam habenti, cùm per personalitatem & naturam divinam reddat humanitatem infinitè sanctam, ergo mereri potest pœnam infinitam, privatio siquidem boni infiniti, est malum simpliciter infinitum: antecedens probatur, si Deus homini alicui vel Angelo adhuc in viâ

in viâ existenti diceret, si me non offenderis, dabo tibi unionem hypostaticam, hic peccando privaret se unione hypostaticâ, & consequenter esset causa in seipso mali infiniti, ergo peccatum illud habet in se malitiam infinitam. Sed contra: Hoc enim argumentum eâdem ratione probaret, peccatum veniale esse malitiæ infinitæ, eadem quippe promissio fieri à Deo homini vel Angelo posset sub conditione non offendendi eum venialiter.

IV. *Quo bonum est majus, eo etiam illius privatio est majus materialiter, non formaliter.*

Respondetur itaque, gravitatem mali, quod in privatione situm est, non esse præcisè metiendam penes entitatem boni, quo quis privatur, sed penes necessitatem, quam illius quis habet ad felicitatem, ac debitum re illâ non carendi. Exempli gratia habet unus centum gradus gloriæ, alius tantùm unum, huic majus malum esset unico hoc gradu gloriæ privari, quàm alteri privari omnibus præterquam uno, is enim adhuc maneret beatus, nullóque indigens, hic verò dum unico illo gradu privatur, privatur omni, sicque manet simpliciter non beatus: & idem est si quis supponatur habuisse gradus gloriæ infinitos, & omnibus, uno excepto, orbari: imo non improbabiliter fortè dici posset majus malum esse formaliter homini vel Angelo privari omni visione beatificâ, quàm unione hypostaticâ, cùm illa sit simpliciter necessaria ad beatitudinem, non unio: materialiter tamen & in genere entis majus malum est privari unione hypostaticâ, & universim quò res, qua orbamur est perfectior, eò malum est materialiter majus, non verò completè & formaliter, hæc namque ratio malitiæ, ut dictum est, à necessitate & debito rei, qua privamur, præcipuè est desumenda.

Ex necessitate & debito rei qua privamur, formalis ratio mali præcipuè est desumenda.

V. *Privatio unionis hypostaticæ in eo casu non esset pœna peccati mortalis, sed physica indispositio.*

Secundò ad hoc argumentum cum Lugo, & aliis, responderi posset, privationem unionis hypostaticæ in eo casu non esse per modum pœnæ peccati mortalis, sed quòd per hujusmodi peccatum homo reddatur unionis illius physicè incapax, sicut supra, Disputat. 22. sect. 4. num. 6. diximus Pontificem, si in perpetuam amentiam incideret, posse deponi, quod tamen non sit in pœnam peccati, ut constat, sed quia ex illâ infirmitate planè incapax est & indispositus ad officio illo fungendum, & regendam Ecclesiam. Unde & peccatum veniale est unionis hypostaticæ impedimentum, nec eo stante posset in humanitatem illam induci unio, & nihilominus, ut supra dixi, hoc fieri nequit per modum pœnæ, nullus enim asseret peccatum veniale mereri pœnam infinitam. Sicut autem ei, qui peccaverat venialiter dari potest hujusmodi unio, ita ut per eam tollatur illud peccatum, idem dici potest de eo qui peccasset mortaliter.

VI. *Objic. Peccatum mortale mereretur privationem visionis infinitæ.*

Objicitur tertiò: Peccatum mortale meretur privationem omnis gratiæ, & visionis beatificæ possibilis, sed hæ sunt infinitæ, ergo earum privatio est malum infinitum, ergo peccatum mortale meretur hoc etiam nomine pœnam infinitam. Confirmatur: Homo namque per peccatum mortale indignus redditur omnibus Dei donis ac beneficiis, hæc autem sunt infinita, ergo, &c. Sed contra: Nullus censet esse infinitè malum aëri privari omni luce, nec homini omni cibo, & tamen sicut sunt possibiles infiniti gradus gratiæ & visionis, ita & lucis; & sicut dona & beneficia, ita possibiles sunt cibi infiniti. Quamvis itaque orbari omni gratiâ & gloriâ, omnibúsque beneficiis sit infinitum malum materialiter, ut supra dixi in simili, non tamen formaliter, cùm nec gratia omnis, nec gloria sit ei debita aut ad beatitudinem necessaria; quemadmodum etiam omnia Dei beneficia nec necessaria cuiquam sunt, nec ei unquam conferenda; unde ob peccatum non privatur omnibus beneficiis formaliter, sed iis tantùm, quæ successivè, & suo quæque tempore ei danda fuissent, idémque est de gradibus gratiæ & gloriæ, ac dicere omnes debent de cibo. Et eodem modo respondetur ad illud quod urgent nonnulli, gravius scilicet esse damnum privari duobus beneficiis, quàm uno, tribus quàm duobus, &c. Ergo privari omnibus est damnum infinitum: Dico enim, quicquid sit de damno materialiter infinito, formaliter certè non est majus damnum, nec jactura, quàm sint bona, auxilia & beneficia, quæ aliquando fuisset accepturus, & perinde est ac si omnia alia dona & beneficia redderentur impossibilia.

Omnia Dei beneficia nec ulli necessaria sunt nec unquam cuiquam cõferenda.

VII. *Quamvis peccatum mortale sit malitia tantùm finita, nequit tamen à purâ creaturâ compensari.*

Objicies quartò: Si peccatum mortale non sit malitiæ simpliciter infinitæ, nulla reddi ratio potest, cur ad condignam illius satisfactionem necessaria fuerit personæ alicujus divinæ Incarnatio, si namque illius malitia sit tantùm finita, non apparet cur per plurima, aut certè omnia bona opera à puris creaturis exercita nequeat compensari. Hæc objectio fusè soluta est supra, sectione quartâ, & quintâ, ubi dixi peccatum mortale, quamvis non sit infinitum, esse tamen altioris ordinis ad satisfactionem omnis puræ creaturæ, ut ibi declaratum est.

VIII. *Peccatum mortale nec est contristativum, nec destructivum Dei.*

Objicies quintò: Peccatum mortale est contristativum, imo destructivum Dei quantum est ex se, ergo est malitiæ infinitæ. Respondetur, peccatum mortale non esse vel destructivum vel contristativum Dei, utpote quem destruere nullus aut contristare potest, nec cujusquam malitia vel minimum damnum, aut detrimentum inferre.

IX. *Objic. Potest quis habere hunc affectum, volo Deum destruere quàntum est ex me.*

Objicies sextò: Etiamsi quis reipsa seu effectu nocere Deo nequeat, potest tamen affectu, quid enim vetat, ut quemadmodum aliquando de nonnullis audivimus, eò nimirum ipsos perversitatis & malitiæ pervenisse, ut Deum odio haberent (quod de dæmonibus & damnatis omnes fatentur) imo ut nonnulla præstent quia sciunt hæc ei displicere, quid inquam vetat, ut ad tantam etiam malitiam & animi rancorem quis perveniat, ut velit quantum est ex se Deum destruere, imo in actu odii hunc affectum includi affirmant plerumque Theologi, ergo vult Deo malum infinitum, ad gravitatem quippe & malitiam actus, ut Tomo præcedente, Disp. 96. offendi, nihil addit actio externa, sed tota illius malitia adæquatè consistit in actu interno.

X. *Actus quo quis vellet destruere Deum, non est malitiæ simpliciter infinitæ.*

Contra: Hoc enim ad summum probat peccatum istud in particulari habere infinitam malitiam, in omni siquidem peccato hic affectus non includitur, ut est manifestum. Sed esto quis interdum tam sceleratus sit ac perditus, ut abominandum illum habeat affectum, quo vellet quantum est ex se destruere Deum, quemadmodum tamen actus ille, quo quis ex affectu Charitatis vellet Deo suum esse, & perfectiones omnes intrinsecas, non est infinitè bonus, ita neque actus, quo aliquis è contrario auferre à Deo vellet esse, & perfectiones intrinsecas, non esset infinitè malus. Sic etiam, ut rectè Lugo citatus cum communi Theologorum sententiâ, si quis habeat affectum dandi eleëmosynam infinitis pauperibus, aut voluntatem occidendi infinitos homines, neque hic actus esset infinitè malus, neque ille infinitè bonus, sed uterque in bonitate & malitiâ finitus;

Actus volendi occidere infinitos homines, non etiam est malitia infinita.

Tom. II.

finitus; idem ergo dicendum de hoc actu, licèt versetur circa Deum, objectum infinitum.

XI. *Bonitas & malitia actuum non sumitur ab objectis arithmeticè, sed geometricè.*

Ratio verò hujus fundatur in principio illo à Theologis omnibus admisso, bonitatem scilicet & malitiam actuum non desumi ab objectis arithmeticè, ita nimirum ut quo gradu objectum est perfectum, in eodem semper cum illo gradu sit actus, & objecto in bonitate aut malitiâ æqualis, hoc namque est apertè falsum, quantumcunque etenim daremus peccatum mortale esse infinitè malum, non tamen esset tam malum ac Deus est bonus, nullum quippe committitur mortale peccatum, quo non possit aliud committi longè illud in malitiâ excedens, & de facto absque omni comparatione major est malitia odii Dei, aut blasphemiæ, quàm furti unius aurei, aut alterius similis peccati, ergo nullum est peccatum quod habeat in se tantam malitiam, quanta est bonitas Dei, hæc enim tanta est, ut nulla esse, vel cogitari major possit: & idem dici debet de bonitate actus Charitatis.

XII. *Declaratur in quo sita sit proportio geometrica.*

Geometricâ ergo tantùm proportione actus bonitatem aut malitiam hauriunt ab objectis, ita nimirùm, ut quò objectum est perfectius, eò cæteris paribus actus sit perfectior aliis actibus, qui non versantur circa objectum tam perfectum, non tamen ita, ut actus ille tantum superet alios actus, quantum objectum in quod tendit superat alia objecta: qua de re fusè dictum est Tomo præcedente, disputatione decimâ, sectione secundâ. Quare respectu objecti infiniti dari potest actus tum in bonitate, tum malitiâ finitus. Hæc verò non de objecto intensivè tantùm, ut ita dicam, seu entitativè perfectiore intelligenda sunt, sed etiam extensivè, quam ob causam volitio occidendi infinitos homines juxta omnes non habet malitiam infinitam. Neque hoc cuiquam mirum videri debet, objectum scilicet, quod est principium tantùm extrinsecum, æqualem sibi bonitatem non refundere in actum, cùm hoc videamus interdum in principiis quodammodo intrinsecis contingere, nam ut supra, disput. 38. sectione sextâ, dum de augmento charitatis & gratiæ vidimus, actus intensus ut quatuor in homine habente gratiam non meretur quatuor gradus gratiæ, sed fortasse duos tantùm, sicque in his etiam non servatur proportio arithmetica.

Quæ hic diximus, non de intensivâ tantùm objecti perfectione intelligêda sunt, sed etiam de extensivâ.

SECTIO OCTAVA.

Objectio pro infinitate malitiæ peccati mortalis deducta ex dignitate personæ offensæ.

I. *Argumentum calculatorium de dignitate personæ offensa.*

OBJICITUR septimò: Quò major est dignitas personæ offensæ, & vilitas offendentis, eò major est offensa, ergo si persona, quæ à vili offenditur sit infinitæ dignitatis, offensa similiter erit infinita, quo enim gradu illius dignitas, eodem hujus gravitas crescit: sic in humanis contingere videmus, longè enim gravior censetur injuria facta Duci vel Comiti, quàm plebeio, vel cuicumque inferioris ipsis ordinis, & multo adhuc gravior est injuria facta Regi, quàm alteri in quocunque dignitatis gradu infra Regem constituto.

II. *Ex hoc argumento sequeretur actum charitatis habere bonitatem infinitam.*

Sed contra: Hoc siquidem argumentum eâdem formâ probaret actum Charitatis, seu amoris Dei super omnia habere bonitatem infinitam; sicut enim offensa ex dignitate personæ offensæ, ita bonitas actus crescit ex bonitate objecti, ergo ubi objectum est infinitum, actus, qui circa illud versatur, ex eo hauriet bonitatem infinitam, quod tamen nullus dicet. Deinde sequeretur peccatum etiam veniale habere malitiam infinitam, cùm de illo eadem fieri possit gradatio, ut discurrenti patebit.

III. *Quamvis ex personâ offensa dignitate & vilitate offendentis augeatur malitia peccati, non tamen ita, ut tanta in peccato sit gravitas, quanta dignitas in personâ, quæ per illud offenditur.*

Hoc itaque argumentum, sicut calculatoria omnia, est molestum, nec nisi difficulter ab eo se quis commodè expediet. Fateor igitur crescere offensam per se loquendo ex dignitate personæ, quæ offenditur, & vilitate offendentis, ut per se videtur manifestum, idémque expressè tradit Aristoteles libro quinto Ethicorum, capite quinto, ut supra vidimus in fine Sectionis quintæ. Hæc verò esto ita se habeant, non tamen eo modo crescit injuria, ut adæquet personam offensam arithmeticè, seu quòd malitia & gravitas delicti tanta sit, quanta dignitas personæ: quare, ut rectè Suarez hîc, disp. 4. sect. 7. §. *Atque hæc sententia*, plus superat Deus angelum, quàm injuria Dei injuriam angeli. Solùm ergo probat hæc argumentatio peccatum mortale, utpote offensam Dei, esse in superiore ordine ad offensam ullius creaturæ, præcisè ut offensa creaturæ est, ob summam Dei à creaturâ distantiam, & ob hanc causam etsi inter creaturas fieri possit compensatio, ut si quis inferioris sortis homo Ducem aut Comitem graviter offenderit, tot ei obsequia offerre queat, præsertim si pro illius vitâ tuendâ vitæ se periculo exponat, ut offensæ remissionem mereatur, pro injuriâ tamen Deo factâ, æqualis nusquam fieri potest compensatio, ut latè ostensum est supra, Sectione quartâ, & quintâ.

IV. *Sicut persona superat omnes alias personas, ita ejus offensa superat omnes alias offensas.*

Hîc itaque reperitur proportio, non arithmetica, sed geometrica, de quâ fusiùs dictum est Sectione præcedente, numero 11. & 12. quòd nimirum, quemadmodum persona offensa alias omnes personas in dignitate superat, ita ejus offensa per se loquendo superet omnes alias offensas; non tamen ita, ut quo gradu persona superat personam, eodem offensa superet offensam, ut cum Suario diximus numero præcedente de injuriâ factâ Deo & angelo. Videatur sectio secunda Disputationis decimæ Tomi præcedentis, ubi ad similem argumentationem de excessu visionis objecti infiniti respectu visionis objectorum perfectionis tantùm finitæ latè respondi. Ratio autem horum omnium est, quia Deus per modum tantùm objecti ad hos actus concurrit, objectum autem cùm extrinsecè solùm concurrat, non communicat actui totam suam perfectionem, nec eum reddit sibi æqualem, sed cum proportione tantùm geometricâ, modo jam explicato.

Deus per modum tantùm objecti, & extrinsecè ad actus concurrit.

V. *Objicitur offensam Dei infinities superare offensam hominis alicui, vel Angelo factam.*

Dicet tamen aliquis, offensa Dei infinitis gradibus superat offensam angelo vel homini factam, ergo est infinita, quod enim infinities excedit finitum, est infinitum; sic enim si daretur virga aliqua, vel linea, quæ infinities in longitudine excederet lineam unius palmi, esset secundùm omnes infinita. Antecedens itaque probatur: Possibiles sunt infinitæ creaturæ rationales homine perfectiores, sicut ergo injuria facta homini habet gravitatem verbi causa ut unum, injuria facta creaturæ homini immediatè perfectiori habebit majorem gravitatem, & sic in infinitum, ergo injuria facta Deo, quæ alias omnes injurias incomparabiliter superat, erit infinita.

Sed

VI. *Ex hac & similibus argumentationibus sequitur hominem & Angelum habere perfectionem infinitam.*

Sed contra: Ex hoc siquidem argumentandi modo sequitur cedrum, hominem, & aliquem ex supremis Angelis habere perfectionem infinitam, nam inter urticam & cedrum infinitæ plantæ & arbores sese gradatim in perfectione excedentes, inter ranam & hominem infinitæ animalium species, denique inter unum ex infimis & supremis Angelis infiniti Angeli inæqualis perfectionis sunt possibiles, ergo hic Angelus est infinitæ perfectionis, quod tamen apud omnes est evidenter falsum.

VII. *Aliud est de illis rebus quæ constituunt in quantitate molis, & in quantitate virtutis.*

Quemadmodum ergo in homine & Angelo dicitur, licèt infinitas rerum tum inanimatarum, tum animatarum species superent, non tamen habere perfectionem infinitam, sed illas ideo excedere, non quòd earum perfectiones in se formaliter contineant, sed quia prædicatum aliquod heterogeneum in se continent, per quod nobile prædicatum in altiore ordine constituti, prædicata omnia rerum inferiorum excedunt, quæ etsi extensivè hominem aut Angelum superent, intensivè tamen ab iis superantur. Videatur disputatio illa decima tomi præcedentis, supra numero quarto citata, ubi hæc fusiùs discussa sunt.

VIII. *Offensa Dei creaturarũ omnium offensas per altioris ordinis prædicatum superat.*

Quod de homine & Angelo dixi respectu specierum sibi inferiorum, idem de offensâ Dei respectu aliarum offensarum, etiam infinitarum dicendum, per prædicatum scilicet altioris ordinis illas omnes superare, earum nihilominus prædicata in se formaliter non continet. Et in hoc maxima est in quantitate molis & virtutis differentiâ, quæ enim consistunt in quantitate molis, linea scilicet illa, quæ posita est numero quinto, augentur per partes, palmos exempli gratia, quos in se formaliter continent, unde nil mirum si hæc linea sit infinita, cùm formaliter constet ex palmis infinitis. At verò homo & Angelus non continent in se formaliter specierum sibi inferiorum perfectiones, sed per prædicatum altioris ordinis eas excedunt: quod etiam, ut diximus, verum est in offensâ Dei respectu aliarum offensarum, quantumvis sint infinitæ.

SECTIO NONA.

Argumentum de merito pœnæ æternæ non probat peccatum mortale habere malitiam infinitam.

I. *Argumentum ductum ex merito pœnæ æternæ, æquè probat actus bonos habere infinitam bonitatem ac peccata infinitam malitiam.*

OBJICITUR octavò: Peccatum mortale meretur pœnam simpliciter infinitam, ergo illius malitia est infinita, consequentia videtur clara, antecedens probatur, meretur enim pœnam æternam, sicut autem pœna duarum horarum est major quàm unius, trium quàm duarum, & sic deinceps, ita pœna æternùm durans erit infinita, ergo malitia peccati mortalis, quæ hanc pœnam meretur, erit similiter infinita. Sed contra: Hoc enim probaret opera nostra habere bonitatem infinitam; eodem enim planè modo formo argumentum, actus bonus supernaturalis meretur vitam æternam, seu visionem Dei semper duraturam, sed visio durans per duas horas præstantior est, quàm visio durans per unam tantùm, & durans per tres præstantior quàm per duas, ergo visio durans in æternum est quid infinitum; cùm ergo juxta Tridentinum, opus aliquod bonum supernaturale mereatur vitam æternam, hócque conformius multo sit communi Patrum, & Theologorum loquendi modo, sequeretur opera nostra esse valoris simpliciter infiniti, quod tamen nullus dicit, sed actus nostros bonos aiunt esse meriti tantummodo finiti: sicut ergo ex merito æterni præmii non arguitur in actu infinita bonitas, ita nec ex merito vel potiùs demerito pœnæ æternæ in actu malo arguitur malitia infinita.

II. *Meritum pœnæ æternæ non arguit malitiam infinitam simpliciter sed solùm secundùm quid.*

Hinc itaque clarè constat, non sequi ex eo, quòd peccatum mortale mereatur pœnam æternam, seu in duratione infinitam, illud habere malitiam infinitam simpliciter, sed secundùm quid tantùm, seu esse altioris ordinis ad omnes offensas personarum creatarum, & consequenter per nullam satisfactionem puræ creaturæ quantumcunque sanctæ posse compensari juxta communem Sanctorum Patrum doctrinam, suprà Sectione quartâ traditam; quam ob causam loco citato diximus, injuriam in bonis superioris ordinis factam, vitâ scilicet & famâ non posse per bona inferioris ordinis, pecuniâ nimirum & similibus, quantumcunque multiplicentur, compensari, sicuti nec merita, seu bona opera merè naturalia, etiam si velis infinita, æquipollere possunt uni operi meritorio supernaturali, nec præmium supernaturale mereri, propter distantiam scilicet ordinis.

III. *Dices: Sequitur peccatum mortale mereri pœnam infinitè intensam.*

Dices: Peccatum mortale, uti diximus, meretur pœnam in duratione infinitam, ergo & infinitam in intensione, in æstimatione quippe morali quid gravius est cruciatus illos ac dolores, quos damnati patiuntur, in æternum tolerare, quàm pœnam infinitè intensam per horam, sed hæc est simpliciter infinita, ergo peccatum mortale meretur pœnam simpliciter infinitam, peccatum siquidem est causa, pœna effectus, effectus autem infinitus procedere nequit à causâ finitâ, ergo peccatum mortale habet in se malitiam infinitam. Sed contra: Hoc namque argumentum eâdem ratione probaret actus nostros omnes meritorios habere bonitatem similiter infinitam, sicut enim mortale peccatum pœnam, ita quodvis opus bonum supernaturale hominis in gratiâ existentis meretur præmium, seu gloriam æternùm duraturam, ergo si hoc argumentum quidquam probet, probat etiam eos mereri gloriam infinitè intensam, quemadmodum etenim pœna quoad durationem æterna, censetur in morali æstimatione major pœnâ infinitè intensâ durante tantùm per horam, ita & gloria æternùm duratura major est gloriâ infinitè intensâ, quæ durat tantummodo per horam.

IV. *Si opera nostra merentur gloriam infinitè intensam, Deus de facto illã daret cùm non præmiat citra, sed ultra condignum.*

Hinc itaque infertur argumenti de merito pœnæ infinitè intensæ solutio; certum namque est, actum bonum supernaturalem non mereri gloriam infinitè intensam, Sancti namque in cœlo non habent gloriam intensam infinitè, quam tamen haberent, si actus eorum in gratiâ eliciti illam hîc fuissent promeriti, Deus siquidem non præmiat citra, sed ultra condignum, ergo plus dat, non minùs, quàm bona opera postulant; eodem ergo modo peccatum mortale non meretur pœnam infinitè intensam, cùm quoad hoc pari passu procedant actus mortaliter mali respectu pœnæ, & actus boni supernaturales meritorii respectu præmii.

V. *Cur peccatum mortale licèt*

Mortale itaque peccatum non meretur pœnam infinitè intensam, meretur tamen pœnam æternam, quia, ut docet Sanctus Augustinus libro primo de Fide contra Manich. cap. 19. Deus

Tom. II.

non mereatur pœnam infinitè intensam, mereatur nihilominus æternam.

sub hac pœnâ peccatum mortale prohibuit, quisquis verò rem aliquam sub certâ pœnâ interdictam præstat, eidem pœnæ se reddit obnoxium, juréque merito illi infligitur, hoc enim & inter homines in omni benè institutâ Republicâ cernimus, nec quisquam factam sibi injuriam existimat, si gravi supplicio afficiatur ob facinus admissum, quod sub ejusmodi supplicio fuit prohibitum. Sic ob furtum unius aurei, imo apud nonnullas nationes ob multo minorem summam, homines morti adjudicari, & è medio tolli videmus, longè tamen levius secundùm se videtur hoc furtum, quàm damnum personæ illi, qui rem hanc abstulit, illatum, mors namque pœnarum omnium est gravissima, utpote quæ hominem bonis omnibus privat: meritò nihilominus taxatur & infligitur hæc pœna ad rectam administrationem Reipublicæ, & alios ab hujusmodi facinoribus coërcendos.

Meritò pœna mortis infligitur pro furto.

VI.

Quare Deus omne peccatum mortale prohibet sub pœnâ æternâ.

Idem ergo in præsenti facit Deus, peccata quippe omnia mortalia sub pœnâ æternâ prohibet, utpote maximè iis proportionatâ, & ad homines ab eorum admissione compescendos aptissimâ: unde quisquis in hujusmodi peccatum prolabitur, ultro sese huic pœnæ reddit obnoxium, cùm peccando eam elegerit, utpote cum illo peccato infallibiliter connexam. Deinde, ut ait idem S. Augustinus Epistolâ 49. quæst. 4. qui mortaliter peccat, veram æternam vitam contemnit, ac proinde meritò illâ in æternum privatur. Præterea, inquit S. Thomas, quisquis peccatum mortale committit, vitæ spiritualis in se principium destruit, quam ob causam meretur æternam mortem: quâ etiam ratione ad hoc ipsum probandum utitur S. Gregorius libro 4. Dialogorum, cap. 44.

Ratio à D. Thoma & Gregorio allata.

VII.

A priori ostenditur cur peccatum mortale mereatur pœnam in æternum duraturam.

Tandem ratio à priori cur peccatum mortale non mereatur pœnam infinitè intensam determinato tempore duraturam, sed finitæ intensionis in æternum permansuram, desumitur ex ipsâ naturâ hominis, qui, utpote immortalis quoad animam, petit post hujus vitæ cursum esse in termino, vel felicitatis, si in virtutis exercitatione ad mortem usque persistat, & in gratiâ decedat, vel miseriæ, si gravi aliquo scelere se obstringens, illius remissionem ante obitum non obtineat. Pœna itaque æterna est naturæ rationali maximè proportionata, quam proinde S. Thomas vocat pœnam exterminantem: unde si poneremus quempiam ob peccatum mortale pati ad tempus pœnam infinitè intensam, quamvis hæc pœna gravior esset quàm is pro illo tempore mereretur, non tamen esset pœna naturæ ejus proportionata, seu exterminans: quemadmodum actus nostri boni non merentur de condigno visionem temporalem, nec per eam illis satisfieret, etiamsi fingamus dari visionem infinitè intensam, visio siquidem, quæ est præmium meritorum, datur per modum beatitudinis, de conceptu autem beatitudinis, ut cum Divo Thoma 1. 2. quæst. 5. a. 4. docent passim Theologi, est perpetuitas, unde nulla visio est meritis nostris propria & proportionata, si non sit perpetua.

Pœna æterna maximè est naturæ rationali ob peccatum mortale proportionata.

VIII.

Ex eo quod unum mortale quid gravius sit quàm infinita venialia non sequitur illud habere

Dices: Peccatum mortale est quid gravius, quàm infinita venialia, sed hæc merentur pœnam infinitam, ergo à fortiori eam meretur peccatum mortale, ac proinde habet malitiam infinitam. Respondetur, infinita venialia mereri quidem majorem pœnam sensibilem pro certo aliquo tempore, quàm mereatur unum mortale, hoc tamen, cùm privet gratiâ, quod non faciunt peccata venialia, punitur insuper pœnâ damni, seu privatione visionis beatificæ, & præterea pœnâ sensibili æternùm duraturâ, pœna enim æterna, uti diximus, est illi proportionata, utpote exterminans, & creaturæ immortali in termino constitutæ debita, unde nulla finiti temporis pœna, etiam si velis infinitè intensa, illud expiare potest, quamvis excedat ejus demeritum, cùm non pœnam infinitè intensam, ut sibi debitam & proportionatam poscat, sed in infinitum duraturam, ut superiùs est declaratum. Hinc nihilominus non sequitur peccatum mortale habere malitiam seu gravitatem infinitam, ex eo scilicet quòd superet infinita venialia, magis quàm hominem habere perfectionem infinitam ex eo quòd superet infinita animalia, aut actum supernaturalem, quòd in perfectione excedat infinitos actus naturales, ad hoc namque sufficit rem aliquam habere prædicatum heterogeneum altioris ordinis, per quod in superiore rerum serie constituitur, ut ostensum est Sectione præcedente, præcipuè numero sexto & septimo, & fusiùs tomo præcedente, Disputatione decimâ, Sectione secundâ.

malitiam infinitam.

Nulla finiti temporis pœna, quantumcunque intensa expiare potest peccatum mortale.

IX.

Ad hoc ut peccatum mortale mereatur pœnam semper duraturam sufficit quòd sit superioris ordinis.

Concludo itaque cum S. Thoma supra citato, peccatum mortale habere malitiam, non simpliciter, sed secundùm quid infinitam, quam ex offensione Dei, dignitatis simpliciter infinitæ contrahit, ut in superioribus ostensum est: hoc autem sufficit, ut mereatur pœnam finitam, æternùm duraturam, hæc namque similiter est pœna, non simpliciter, sed secundùm quid infinita; illam verò juxta jam dicta, peccatum mortale peculiariter exigit, quia est pœna exterminans, & propria creaturæ rationali in termino constitutæ. Addo ulteriùs, etiamsi pœna in æternum permansura, esset hoc nomine simpliciter infinita, inde tamen non sequi peccatum, quod illud meretur, habere malitiam infinitam, quemadmodum, ut initio sectionis diximus, quamvis actus nostri supernaturales mereantur visionem beatificam æternùm duraturam, non tamen sunt, ut omnes concedunt, in bonitate infiniti.

Quid sit pœna, quia æterna, sit infinita.

X.

Peccatum mortale est etiam superioris ordinis ad omnia pura creaturæ merita.

Ad hoc ergo ut peccatum mortale mereatur pœnam æternam sufficit, quod sit superioris ordinis, ut jam sæpiùs declaratum est, sicut quia fama est bonum ordinis superioris, si lædatur, nullâ mulctâ pecuniariâ compensari potest. Ex quo etiam habetur per nulla bona opera puræ creaturæ posse pro illo satisfieri; quamvis namque mereantur beatitudinem æternam, longè tamen inferiore modo eam merentur, quàm peccatum mereatur æternam pœnam, unde enim peccatum crescit, ex dignitate scilicet personæ offensæ, & vilitate offendentis, infinitè à Deo distantis, inde merita decrescunt, & inferioritatem ordinis accipiunt. Quare peccatum quodcunque mortale est superioris ordinis ad merita puræ creaturæ, & consequenter satisfacere pro illo nequeunt, magis quàm pecunia, ut proximè diximus, pro læsione famæ, aut actus naturales mereri possunt præmium supernaturale. Deinde, cùm Deus ob infinitam suam bonitatem sit summè amabilis, & infinitè etiam dignus, ut odio non habeatur, longè minus boni facere videtur is, qui eum amat, quàm mali qui illum odit. Sicut in humanis, si quis amicum aliquem, qui plurima in eum contulisset beneficia odio haberet, & gravi injuriâ afficeret, multo plus in genere mali omnium judicio faceret, quàm boni cum amando, cùm amor illi sit quodammodo debitus;

Unde peccati mortalis gravitas crescit, meritorum verò decrescit.

Res hæc declaratur exemplo ab humanis desumpto.

debitus; idem à fortiore, idque absque omni comparatione est in præsenti.

XI. *Quæ ratione hic nodus quibusdam videatur solvi posse.*

Hæc, ut existimo, satis ostendunt, non sequi peccatum mortale, ex eo quòd mereatur pœnam in æternum duraturam, habere malitiam infinitam: & præterea probant omnem satisfactionem puræ creaturæ esse illius destructioni imparem, sicque ad illud tollendum necessarium fuisse opus aliquod theandricum, ac divinæ alicujus Personæ Incarnationem. Si tamen quis diceret, quod insinuat Suarez Disp. 7. de peccatis, sect. 3. n. 11. peccatum scilicet mortale, in actu primo mereri omnem pœnam possibilem, ait enim Deum pro peccato mortali posse præfigere & imponere majorem & majorem pœnam in infinitum: idem asserere videtur Tannerus hic, Disp. 1. quæst. 2. dub. 10. num. 333. &, ut supra, sect. 5. dixi, hoc etiam docere videtur S. Athanasius in Evangelio de Passione & Cruce Domini, apud Vasquez Tomo 1. in 3. partem, Disput. 4. cap. 3. Sancti Athanasii verba citavi supra, sect. quintâ circa finem, idémque affirmarunt nonnulli recentiores: Hoc, inquam, si diceretur, multo clariùs ostendi posset cur nulla opera puræ creaturæ pro peccato mortali satisfacere possint, aut illius remissionem mereri; ad prædicti tamen argumenti solutionem non est opus huc recurrere.

Nonnulli ex Theologis insinuant peccatum mortale in actu primo mereri omnem pœnam possibilem.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEXTA.

De motivo divinæ voluntatis in opere Incarnationis.

PATRES, ut summam divini Numinis in humanum genus benignitatem & clariùs cognoscerent ipsi, & nobis manifestiorem redderent, causam qua infinita illa bonitas mota est ut tantum in nos beneficium, quale est divini Verbi Incarnatio, conferret, accuratissimè inquirunt. Nos ergo eorum vestigiis insistentes quænam in eximio hoc opere Dei fuerit intentio perscrutabimur, & cùm videamus effectum, investigabimus affectum. In hoc autem præcipuè versatur quæstio, utrùm scilicet ita dependenter à lapsu Adami decreverit Deus Incarnationem Verbi divini, ut illo deficiente, perfectum hoc mysterium non fuisset, & Deus non esset homo nisi peccasset homo. Acris est hac in parte disceptatio inter Thomistarum & Scholistarum scholam. Rem sequentibus Sectionibus definiemus.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm si Adamus non peccasset, Verbum divinum humanam carnem assumpsisset.

I. *Tres hac in parte diversi sunt procedendi modi.*

IN varias hac in re divisi sunt sententias Theologi, summáque inter se contentione decertant, ac negativam alii, alii affirmativam, mediam alii partem acerrimè propugnant: singulorum placita referam, & quid demum probabilius mihi, veróque similius in hac controversiâ videatur aperiam, rémque totam, ea quâ potero, materiæque gravitas patitur, brevitate percurram.

Quæstio autem procedit ex vi præcedentis decreti, Utrùm nimirum dependenter à lapsu hominis Incarnationem filii sui decreverit Deus, an enim ex vi alterius voluntatis fuisset venturus nec ne, nos omnino latet, ipsique soli notum est, sicut si hos cœlos, aut Angelos non creavisset, utrùm creavisset alios: tota verò hæc controversia ex Scripturâ sacrâ, & Patribus est dirimenda.

II. *Quæstio procedit de Incarnatione ex vi præsentis decreti, sicque resolutio ex divinis Literis est desumenda.*

Notandum primò: Licèt Deus unico indivisibili actu realiter res omnes velit, secundùm diversum tamen ordinem, qui inter res creatas prout à divinâ voluntate pendent, cernitur, diversa

III. *Eadé volutio Dei realiter, diversa habet signa rationis.*

Tom. II.

diversa etiam in divinis volitionibus distingui rationis signa, ut latiùs ostendi solet in materiâ de Prædestinatione, & ibidem sigillatim ea distinxi, Disp. 45. sectione tertiâ.

IV. *Modus Incarnationis, passibilitas scilicet Christi fuit dependenter à peccato.*

Notandum secundò: In confesso esse apud omnes, quicquid sit de substantiâ Incarnationis, modum tamen, nempe quòd venerit Christus passibilis, fuisse dependentem à peccato Adami, pro cujus remedio mortuus est, ut ex Scripturis constat.

V. *Prima sententia ita dependenter à peccato Christū venisse asserit, ut homine non peccāte, ex vi præsentis decreti, omnino non venisset.*

Quoad primum ergo tres sunt diversæ sententiæ. Prima S. Thomæ hîc, art. 3. quem sequuntur Thomistæ. Capreolus, Cajetanus, Ferrarius, Valentia hîc, quæst. 1. puncto 7. Albertinus Tomo 1. 6. principio physophico, corol. 1. num. 6. Vasquez hîc, Disp. 10. c. 4. & primâ parte, Tom. 1. disp. 82. & alii. Asserit hæc sententia Incarnationem Verbi divini ita dependenter à peccato Adami de facto præfinitam fuisse, ut nisi is peccasset, Deus carnem nunquam ex vi hujus decreti assumpsisset.

VI. *Secunda sententia contra docet, Deum, etsi homo nō peccasset, humanam tamē naturam fuisse assumpturum.*

Secunda sententia est Scoti cum Scotistis in 3. Dist. 7. quæst. 3. & alibi, tenet etiam Halensis tertiâ parte, quæst. 2. memb. 13. Pater Alphonsus Salmeron Tomo 15. disp. 3. ubi post longam disceptationem, tandem præfert hanc secundam sententiam. Asserunt ergo hi auctores, etiamsi homo non peccasset, Deum tamen ex vi præsentis decreti naturam nostram assumpturum fuisse, nempe ob pulchritudinem Universi, mysterii excellentiam, honorem Dei, &c.

VII. *Tertia sententia duplex in Deo circa Incarnationem statuit decretum ex duobus motivis totalibus, & ex utroque decreto dicit venturum fuisse Christum.*

Tertia sententia est Patris Suarez, qui singularis est hac in parte, quamvis præter morem obscuriùs loquatur, dicit itaque Deum in opere Incarnationis exequendo duplex habuisse motivum totale, & primò illud decrevisse ante prævisionem peccati, ex complacentiâ excellentiæ ipsius mysterii. Deinde post prævisum peccatum secundò etiam præfinivisse Christum ex intentione nostræ salutis. Duo itaque ponit in Deo decreta hujus mysterii, primum, ex vi cujus abstrahit Christus à passibilitate, vel impassibilitate; secundum, quo decernitur venturus quidem, sed ut passibilis, sicque venit, inquit Suarez, de facto propter nos & nostram salutem ex vi hujus secundi decreti, venturus nihilominus ex vi prioris, sive peccasset homo sive non.

VIII. *Hæc sententia, etsi quadam Scripturæ testimonia salvet, illis tamen non satisfacit, quibus ita dicitur Christus ob redempeionem humani generis venisse, ut aliter non venisset.*

Sed contra hanc doctrinam Suarez est, quod licèt salvet locutiones illas Scripturæ, ubi dicitur Christus absolutè venisse ut redemptor, ut salvum faceret quod perierat, &c. & consequenter contra ipsum hæc Scripturæ sacræ testimonia adduci non possint, sicut contra Scotum: cum illis tamen testimoniis non stat hæc sententia, in quibus dicitur ita ob hunc finem venisse Christus, ut hoc cessante omnino non venisset, ut Marci 2. *Non veni vocare justos, sed peccatores:* ubi ait se non nisi ad hunc finem venisse, ut scilicet peccatores redimeret. In Epistolâ etiam ad Hæbreos ideo solùm ait Apostolus filium Dei nusquam apprehendisse Angelos, sed semen Abrahæ, ut nos redimeret, & mortem destrueret. Ecclesia insuper Sabbato sancto ad benedictionem cerei canit: *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*, & in antiquo Hymno Beatæ Virginis dicitur: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna filio.*

IX. *Patres docent ita in remedium peccati venisse Christū, ut alitèr quàm omnino non venisset.*

Imo omnia alia Scripturæ loca faciunt contra Suarez, si sumantur, ut sumi debent, in sensu, quo ea Patres intelligunt, qui disertè affirmant ita ob peccata in carne venisse Deum, ut omnino nisi ob eorum remedium venturus non fuisset. Sanctus Augustinus Sermone 8. de verbis Apostoli sic habet: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset*: & Sermone sequenti, *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere*, & in Psalmo 36. Concione secundâ: *Si tamen ô homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Sanctus Irenæus lib. 5. contra hæreses, cap. 14. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Tandem ut alios omittam, Sanctus Leo Sermone 3. in Pentecosten: *Si homo*, inquit, *ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolicâ fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret.*

S. Augustini, S. Irenæi, & S. Leonis lucculenta hac de re testimonia.

X. *Verbis concessis juxta Patres Christum, nisi ad delendum peccatū, non fuisse omnino venturum.*

Quæ Patrum testimonia aperta sunt, & tam contra Suarez, quàm Scotum probant, si homo non peccasset, Deum carnem nunquam fuisse assumpturum: dicere enim solùm velle Patres non assumpturum fuisse carnem passibilem, est planè contra eorum mentem, cùm ipsi clarè dicant non fuisse omnino venturum in carne, nisi ratione peccati, cùm enim particula *non* sit malignantis naturæ, negat omnia, quibus præponitur, & dicere *non veniret*, non magis est dicere *non veniret passibilis, quàm impassibilis*, sicut cùm dicunt, si Adamus non peccasset, non fuisset ejectus è paradiso, malè quis interpretaretur, solùm non ejiciendum fuisse tam citò, vel cum tanto dedecore, cùm de substantiâ ejectionis loquantur Patres, non de circumstantiis.

XI. *Non videntur potuisse Patres hæc in re clariùs loqui, quàm sunt locuti.*

Et quæro, si vel Suarez, vel quivis nostrûm asserere vellet Christum non omnino fuisse venturum, nisi homo peccasset, quibus verbis id clariùs dicere potuisset. Deinde est contra regulam à Suarez, & omnibus Theologis admissam, nempe non esse locutiones Scripturæ, & Patrum ad improprios sensus detorquendas, nisi ubi manifesta cogit necessitas, quæ hîc nulla est; nullum enim grave incommodum sequitur, si prout jacent verba, intelligantur.

SECTIO SECUNDA.

Decidituir Quæstio circa motivum Incarnationis.

I. *Conclusio: Si homo non peccasset, Deus in carne non venisset.*

Dicendum itaque cum Sancto Thoma, & auctoribus primæ sententiæ, si homo non peccasset, Deum, saltem ex vi præsentis decreti, humanam carnem assumpturum non fuisse. Ratio est, quam assignat Sanctus Thomas hîc, art. 3. Corp. quòd ea, quæ ex solâ Dei voluntate proveniunt, non nisi ex solâ Dei revelatione innotescere nobis possint, sed in sacris literis, præsertim eo modo quo Patres ea capiunt intellectis, ratio Incarnationis ubique ex lapsu hominis assignatur, ergo quantum colligere possumus, unica vel præcipua saltem ratio, ob quam de facto Deus carnem assumpsit, fuit Adami peccatum, & humani generis redemptio.

Ratio est, quia sacræ Literæ Incarnationis Verbi causam assignāt peccatum.

II. *Referuntur alia quædam Scripturæ testimonia præter superius dicta, ad hoc probandum.*

Quòd vero hæc ratio, vel unica vel præcipua assignetur in Scripturâ, præter jam dicta, probatur ex eâdem Scripturâ, nam Lucæ 19. dicitur: *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat:* ad Romanos etiam 3. *Quem proposuit Deus propitiationem ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum:* ad Gala. 4.

At ubi

At ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus: primæ ad Timotheum 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus JESUS venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* & in Symbolo Nicæno habetur: *Propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis* &c. Concilia item Nicænum primum & Toletanum sextum expressè referunt causam adventus Christi in lapsum primorum parentum, quod & faciunt Patres omnes supra relati: solus Rupertus libro tertio de gloriâ & honore filii hominis, est contrariæ opinionis.

In Symbolo Nicæno expressè habetur Christū ad humani generis redemptionem de cœlo descendisse.

III. *Optimè ergo ex his Scripturæ & Patrum testimoniis infertur, motivum præcipuum Incarnationis fuisse hominum salutem.*

Hinc ergo constat motivum Incarnationis (etiam quoad substantiam) de facto fuisse redemptionem hominum, cùm in Scripturis simpliciter dicatur illius causâ, & quasi per antonomasiam, & consequenter necessariò dicendum fuisse conditionem ex vi præsentis decreti ad illam requisitam: mirum enim est, si alia fuisset principalis ratio motiva Dei in hoc opere, nullam vel exiguam valdè factam illius fuisse mentionem in Scripturis, hanc verò toties, támque expressis verbis significari, si vera ratio motiva non fuisset, sed sola illius circumstantia, nempe passibilitas, ut volunt adversarii, quem tamen sensum verba Scripturæ non ferunt, cùm dicatur Deus ob salutem hominum non solùm passibilis venisse, sed absolutè. Sicut si quis in regionem aliquam proficisci statuisset, deinde intelligens viam esse latronibus infestatam, arma sumeret, certè hic ob latrones non posset absolutè dici in regionem illam iviſse, sed arma solùm sumpsisse. Et hoc præcipuum est hujus sententiæ fundamentum.

Res hac exēplo ab humanis desumpto ulteriùs declaratur.

IV. *Majorem Deum nostrâ sententiâ ostendit erga nos benevolētiam.*

Secundò probatur: In hoc enim majorem ostendit erga nos amorem Deus, quod propter nos & nostram salutem naturam nostram assumpserit, quàm quòd solùm novam aliquam in gratiam nostri circumstantiam adjecerit, aliàs venturus, vel ob gloriam suam, vel completam perfectionem Universi, ut volunt adversarii, cùm hic & substantiam & circumstantiam nostri causâ velit. Deinde dignior hæc est via præfiniendi hoc mysterium, magisque illud exaltat, dum supra omnem ordinem Universi ponitur, quàm si dicatur debitum Universo fuisse. Tandem (verba sunt Sancti Bernardi) *Plus accendit amorem divinum in nobis, plus enim excitat devotionem animæ fidelis, quòd Deus sit Incarnatus ad delenda scelera nostra, quàm propter consummanda opera sua:* hæc ille.

Dignior est hæc mysterium Incarnationis præfiniendi via.

V. *Hæc etiam vera sunt, quamvis cum Suarez duplex ponatur Incarnationis motivum.*

Imò, licèt cum Suarez ponatur duplex motivum totale adventus Christi, nempe & gloria ipsius, & nostra salus, non esset ostensio tam singularis amoris, qui tamen in Scripturis ob hoc mysterium deprædicatur, si aliàs venturus salutem nostram, ut causam tantùm secundariam adventus adjunxisset, cùm jam videatur ex vi primi motivi devicta quasi difficultas hujus negotii.

VI. *Nec tantum Deus in humanum genus ostenderet amorem, etiamsi motiva illa ponerentur nō subordinata.*

Et si ulteriùs singamus, non fuisse hæc motiva subordinata, sed æqualia, non tamen ita peculiari ratione ostenderetur in eo casu amor Dei, & benevolentia erga nos, nec esset tam singulare beneficium, ac si solùm propter nos carnem assumpsisset: sicut enim idem beneficium in duos vel plures collatum, non est tantùm in ratione beneficii, nec ostendit tam singularem affectum conferentis, atque si in unum solum conferretur; ita nec tantùm ostendit amorem, si aliunde quis facturus aliquid, faciat etiam in gratiam alterius, ac si tantùm in gratiam illius feciſſet.

VII. *Respondet Suarez primum decretum terminatum fuisse ad Incarnationem optimo modo exequēdam.*

Ad argumenta posita respondet Suarez, & ait primum decretum terminatum fuisse ad Incarnationem non quomodocumque, sed optimo modo exequendam, optimus autem modus erat, ut fieret ob redemptionem hominum; posito ergo decreto de Incarnatione, & scientiâ conditionatâ, lapsus hominis si in iis circumstantiis poneretur, voluit Deus Christum venire, ut hominem redimeret. Dicit verò non fuisse decretam Incarnationem tanquam medium ad auferendum peccatum, sed Incarnationem optimo modo faciendam fuisse finem peccati, & hujus permissionem medium necessarium ad illam hoc modo exequendam, ex eo enim quod voluit Christum ut redemptorem, permisit peccatum, quod suo adventu tolleret, & hoc modo, inquit, salvantur locutiones Patrum supra positæ.

VIII. *Hæc responsio concedere videtur Christum venisse ob peccatum.*

Sed contra primò: Jam enim conceditur quod intendimus, non venturum scilicet Christum, nisi peccatum fuisset commissum, cùm alioqui venire non potuisset redemptor. Contra secundò: Patres non solùm dicunt non venturum Christum, nisi homo peccasset, sed ulteriùs aiunt hoc fuisse motivum antecedens, & decretam fuisse Incarnationem ex amore nostræ salutis, ac propterea venisse Christum. Sic in particulari loquitur Sanctus Augustinus: *Magnus*, inquit, *de cœlo venit medicus, quia magnus in terrâ jacebat ægrotus.* Cùm tamen Suarez dicat non venisse ideo medicum, quia erant morbi, sed ideo fuisse morbos, ut veniret medicus, & hos fuisse quasi medium ad illius adventum. Contra tertiò: Hoc enim non extollit, sed minuit potiùs Charitatem Dei toties in Scripturâ occasione hujus mysterii commendatam, Charitas namque summa est, ubi sunt morbi, in eorum remedium mittere medicum, at velle morbos ut medicus occasionem habeat ostendendi suam peritiam, sanè exigua videtur Charitas.

IX. *Ex prædictâ etiam solutione sequi videtur Deum debuisse indirectè velle peccata.*

Contra quartò: Nam ut optimè Vasquez hîc, disp. 11. cap. 4. si antecedenter ad prævisionem peccati prædefinitus fuerit efficacitèr Christus ut redemptor, seu medicus, ergo ex vi hujus voluntatis debebat Deus velle, ut Christus redimeret & curaret, ergo etiam debebat velle ut esset materia redemptionis & curationis, ergo indirectè saltem & implicitè velle peccata, cùm necessaria sint ad hunc finem, & si non fuisset Adam peccaturus in his circumstantiis, ut fieri potuit, tenebatur Deus ex vi prioris voluntatis ponere ipsum in aliis & aliis circumstantiis, donec tandem peccaret, quod absonum planè videtur à divinâ bonitate, esset enim aliquo modo velle mortem peccatoris, quod Deus affirmat se nolle. Si autem dicatur in illo priori signo solùm velle eum ut redemptorem conditionatè, seu casu quòd sint futura peccata, ergo non fuit absolutè præfinitus Christus ut redemptor, nec ut talis veniſset ex vi illius decreti.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur objectiones circa motivum Incarnationis.

I. *Ad infinitā Dei vir-*

OBJICITUR primò: Ad infinitam Dei virtutem & omnipotentiam ostendendam spectat, ut se per infinitum aliquem effectum

Tom. II.

autem & potentiâ ostendam non fuit necessaria Incarnatio.

Universo manifestet, ergo hoc nomine quantumvis homo non peccasset, Persona aliqua divina naturam creatam assumere debuisset, nullum enim aliud præter hoc opus est infinitum. Respondetur cum Sancto Thoma hîc, quæst. 1. art. 2. divinæ virtutis infinitatem ex ipso modo res ex nihilo producendi perfectissimè elucere, unde ad hunc finem nullo modo necessaria erat Incarnatio.

II.

Obiic Verba illa: Dominus possedit me, &c.

Objicitur secundò: Verba illa, Proverbiorum octavo: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret*, quem locum de Verbo incarnato communiter intelligunt Patres, ergo prædestinatus est Christus ante alias res omnes. Respondetur cum Vasquez, disp. 10. cap. 10. Patres quando aiunt hunc locum intelligendum de Verbo incarnato, non sequi interpretationem vulgatam, sed Septuaginta, quæ sic habet: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, pro iis autem verbis, *antequam quidquam faceret*, habent Septuaginta *in opera sua*, seu *ad opera sua*, quem proinde locum sic acceptum non de Verbo secundùm se, sed in humanâ carne intelligunt Patres disputantes contra Arianos, ne videatur Verbum dici creatura.

Ex diversâ lectione ostenditur verba illa nihil facere pro Incarnatione Verbi indepententer à peccato.

III.

Varia referuntur interpretationes, quas Sancti Patres prædictis Verbis adhibent.

Sanctus ergo Hilarius, & Sanctus Augustinus sequentes lectionem Septuaginta, sic locum hunc intelligunt, ut Christus creatus seu factus à Deo fuerit initium viarum secundùm humanitatem, id est, ut esset via & iter Ecclesiæ ad cælestem patriam, juxta illud Joannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*, & creatus dicitur ad opera, id est, ut opera Dei redimeret, & ad regnum cœlorum perduceret: hæc illi. Ad quem etiam sensum eadem verba explicat Sanctus Athanasius Sermone tertio contra Arianos: *Dominus*, inquit, *creavit me initium viarum suarum, id est inter homines me creando constituit pro hominum salute, antequam terra fieret*, temporaliter scilicet, non præfiniretur ab æterno, si sermo sit de Verbo incarnato. Si verò sequamur lectionem vulgatam, dicere possumus sermonem ibi esse nec de Sapientiâ incarnatâ, nec etiam de secundâ Personâ Trinitatis, sed de sapientiâ secundùm se, & significari eam semper cum Deo fuisse antequam quidquam faceret, quod etiam non incongruè intelligi potest de ipsâ secundâ Personâ secundùm se. Adversarii verò ab unâ lectione trâsfugiunt ad aliam, si tamen uni stent, ut debent, argumentum nullam habet vim

Peculiaris illorum verborum explicatio S. Athanasii.

IV.

Dici etiam jure potest Christus initium viarum Domini ordine dignitatis.

Alio etiam modo explicari possunt verba illa, *creavit me initium viarum suarum*, non initium ordine causalitatis, sed dignitatis, si sermo sit de Christo, quo sensu capiuntur illa verba Jacobi primo, *ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, id est inter creaturas ejus principatum teneamus, sicut Job 40. de Behemoth dicitur: *Ipse est principium viarum Dei*, id est ipse magnitudine corporis cæteris bestiis antecellit.

V.

Christus fuit dignitate primogenitus omnis creaturæ.

Objicitur tertiò illud Ecclesiastici 24. *Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*: & ad Colossenses 1. vocatur Christus *primogenitus omnis creaturæ*. Respondetur esse primogenitum dignitate, juxta illud Exodi 4. *Filius meus primogenitus Israël*. Multi tamen hæc intelligunt de Christo secundùm divinitatem, eò quòd genitus sit ab æterno ante omnem creaturam. Quædam verò ex iis, quæ addit Sanctus Paulus hoc loco intelliguntur de Christo secundùm divinitatem ut in ipso, id est per ipsum condita sunt universa, &c. quædam secundùm humanitatem, ut quod sequitur *primogenitus ex mortuis*, &c. Illud autem primæ ad Corinthios 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, non est intelligendum de creatione, sed quod tanquam servi emptitii sumus Christi, cui proinde totam vitam nostram & actiones tanquam Domino consecrare debemus: alioquì, si solùm ad gloriam Dei Christus fuisset creatus, si venisset, licèt mundus non fuisset omnino condendus. Secundò ad hoc dici potest, omnia ordinata esse ad gloriam Christi, non ex primariâ intentione, & antecedenter, sed consequenter, præfinivit enim Deus Christum in remedium peccati prævisi, deinde in posteriori signo videns filio suo ob dignitatem & merita omnem gloriam esse debitam, decrevit omnia in illius gloriam ordinare.

Quomodò intelligatur hæc verba: Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.

VI.

Dicit S. Irenæum asserere Christum ante alios homines fuisse voluntate.

Objicitur quartò Sanctus Irenæus, qui lib. 3. cap. 3. ait: *Cùm præexisteret salvans, oportebat quòd & salvaretur fieri, ut non vacuum sit salvans*, ergo juxta Sanctum Irenæum volitus fuit Christus ante alios homines. Sed contra: Hoc enim testimonium æquè urget adversarios, cùm Irenæus dicere videatur, non solùm volitum esse Christum ante alios homines, sed etiam volitum fuisse salvatorem, & consequenter passibilem, quod ipsi negant. Respondetur itaque, intelligendum esse S. Irenæum, vel de Christo ut Deo & Salvatore in actu primo, seu antecedenter ad decretum de Incarnatione, vel de præexistentiâ durationis decreti de Salvatore ad ejusdem executionem, quod proinde exigebat, ut fieret in tempore, quod salvaretur, ne vacuum foret, & frustra existeret Salvator.

VII.

Aliæ quædam Patrum locutiones quo pacto sint intelligendæ.

Aliæ etiam afferuntur Patrum auctoritates, quæ vel loquuntur de Christo ut Deo, vel comparando ipsum ut in præscientiâ ad peccatum, & certum est hoc modo posterius fuisse peccatum, non tamen si ambo considerentur ut in præscientiâ, sicque quando S. Cyrillus lib. 5. thesauri c. 8. & alii dicunt Deum præfundasse Christum ante nos, ut benedictio maledictionem præcederet, intelligunt Deum præparasse Christum redemptorem ab æterno, antequam nos essemus miseri in tempore, non antequam essemus miseri in præscientiâ Dei.

VIII.

Dices: Ergo Incarnatio Verbi fuit tantùm volita secundariò.

Objicitur quintò: Ergo hoc mysterium non est primariæ Dei intentionis, sed occasionatum solùm, & inferiori modo volitum, quàm alia multa in Universo. Respondetur, concedendo totum, ut probant Scripturæ, & Patrum testimonia supra posita. Imò videtur spectare ad excellentiam hujus mysterii, ut non ordinetur ad perficiendum Universum, sed cùm infinitis gradibus res creatas superet, dignius est ut his omnibus sit indebitum. Dices, ergo fuit volitum per accidens. Distinguo: Si per accidens intelligatur contingenter, concedo; si casu, seu non ex perfectissimâ scientiâ, nego. Dices secundò: Perfectius non potest ordinari ad imperfectius, ergo nec Incarnatio ordinari ad salutem hominum. Distinguo antecedens: Non potest ordinari intrinsecè, transeat, licèt hoc etiam subinde sit falsum, cùm Sol ordinetur ad metalla, potentia ad actus, &c. extrinsecè nego; Incarnatio autem extrinsecè solùm refertur à Deo ad redemptionem hominum, sicut etiam homines prudenter ordinare possunt actum Charitatis ad temperantiam, vel patientiam obtinendam. Unde falsum est quod ait Faber, cum, qui ordinatè vult, debere priùs velle ea, quæ sunt dignitate propinquiora

Resp. Scripturæ & Patrum dicta, quæ supra retulimus hoc videri asserere.

Quod est perfectius potest extrinsecè ordinari ad imperfectius

propinquiora fini, nempe Deo, sed solùm propinquiora causalitate, seu in ratione medii & finis, Christi autem Incarnatio in ratione finis non fuit magis propinqua Deo, cùm volita fuerit ob salutem nostram, licèt tandem omnia referrentur ad Deum: & hoc argumentum probaret, nec operationes Christi passibilis posse ad hoc opus referri.

IX. *Quo sensu Christus nobiliori modo præfinitus fuerit quàm nos.*

Objicitur sextò: Ergo Christus non fuit prædestinatus modo tam nobili, quàm nos. Respondetur primò: Non multum id referre cum Scriptura affirmet ita factum esse. Secundò dico, fuisse præfinitum modo nobiliori, ita nimirum ut omnia tandem ad illius gloriam ordinarentur. Dices: Ergo plus amavit nos Deus, quàm Christum, nam propter quod unumquodque tale & illud magis. Distinguo consequens, affectu quasi desiderii & amore antecedente transeat, hac enim ratione plus cupivit salutem nostram, quàm existentiam humanitatis Christi: amore tamen complacentiæ infinities plus amat Deus Christum, quàm res omnes creatas.

SECTIO QUARTA.

Aliæ objectiones circa motivum Incarnationis.

I. *Dices, Asserit S. Augustinus, Etsi Adamus non peccasset, futurum tamen fuisse Sacramentum Matrimonii.*

OBJICITUR septimò, Sanctum Augustinum libro primo de Nuptiis cap. 21. asserere, etiamsi primus parens non cecidisset, futurum nihilominus in mundo fuisse Sacramentum matrimonii, hoc autem, ut ait Apostolus ad Ephesios 5. est *in Christo & Ecclesiâ*, ergo Incarnationis mysterium non dependebat à lapsu Adami, sed fuisset juxta Sanctum Augustinum in statu naturæ integræ, ac proinde non est primò præfinitus Christus ob hominum salutem, seu ad humani generis reparationem. Respondetur: Quantumvis, ut ait S. Augustinus, Sacramentum matrimonii fuisset in statu innocentiæ, & verè gratiam contulisset, non tamen fuisset Incarnationis Christi significativum, ut modò est; Apostolus verò loquitur secundùm præsentem rerum statum, in quo, ut ostensum est, propter nos & nostram salutem divinum Verbum naturam humanam assumpsit; unde Sacramentum matrimonii alio modo jam est significativum, quàm tunc fuisset.

II. *Quomodo juxta Conc. Trid. gloria Christi fuerit causa finalis justificationis nostræ, nostra tamen salus potest esse causa finalis Incarnationis.*

Objicitur octavò Concilium Tridentinum sessione sextâ, capite septimo, dicens: *Causa finalis nostræ justificationis ac salutis est gloria Christi*, ergo non potest nostra salus esse causa finalis adventus Christi. Nego consequentiam: Nec enim dicit Concilium Christum esse causam finalem nostræ justificationis, sed gloriam Christi: in primo ergo signo post prævisum peccatum est decretus adventus Christi, in secundo nostra salus: in tertio accidentalis gloria Christi eidem ex salute nostrâ redundans.

III. *Objic. Sequi hinc videtur Deum quodammodo velle mala, ut inde eveniant bona.*

Objicitur nonò: Ergo & potest Deus permittere peccatum ex amore erga Christum, & gloriam ipsius, quod tamen videtur aliquo modo velle peccata, ut inde eveniant bona, & contra superiùs dicta, esset enim velle saltem indirectè vulnera, ut medicus occasionem habeat peritiam suam ostendendi, & ut gloriam sibi ex eorum curatione comparet. Respondeo distinguendo consequens: Potuit Deus ex affectu erga Christum positivè velle permissionem peccati, eligendo quasi illam ut medium utile ad gloriam, Christi. Nego consequentiam: Potuit ex affectu simplici, seu complacentiâ in Christo tanquam removente prohibens, permittere peccatum, concedo.

IV. *Deus videndo Christum, & tale se habere remedium in promptu, minùs retardare & permissionem peccati.*

Quod ut meliùs percipiatur, consideremus Deum pro illo signo ex unâ parte videntem malitiam peccati conditionatè futuri, ex aliâ Christum & illius gloriam, malitia peccati ex se retardaret Deum, ne illud permitteret, jam verò minùs retardat, cùm videat se habere tale remedium in promptu, quod illud permissum delere possit, cum tanto bono hominum, & gloriâ Christi, ac Dei. Sic dicitur Deus ex affectu erga humilitatem ac pœnitentiam hominis, permittere in eo peccatum, non quòd hanc eligat ut medium ad pœnitentiam, sed quòd affectus erga humilitatem & pœnitentiam minuat quasi vires peccati ad impediendam illius permissionem, præsertim cùm aliunde habeat occasionem illud permittendi, ut nimirum indemnem servet hominis libertatem, ipsúmque regat juxta naturæ suæ conditionem, unde cum hoc semper stat quòd ad actionem peccaminosam concurrat invitus.

V. *Christus fuit primus prædestinatus dignitate.*

Objicitur decimò: Christus fuit primus prædestinatus, & exemplar cæterorum, ergo prævisus fuit ante prævisionem peccati. Respondeo primò: Christum dignitate fuisse primum, id est, prædestinatum ad altiorem gratiam & gloriam, quàm fuerunt cæteri omnes. Secundò dico, fuisse Christum prædestinatum ante prædestinationem aliorum, non tamen ante lapsum; priùs ergo est prævisum peccatum, deinde præfinita Verbi Incarnatio, postea ex Christi meritis jam prævisis homines electi sunt ad gloriam.

VI. *Dices, Adamus in paradiso ante lapsum habuit mysterii hujus revelationem.*

Objicitur undecimò: Adamo in paradiso revelatum fuit hoc mysterium, ut colligitur ex illis ejus verbis Genesis secundo: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. quæ verba referens Apostolus cap. 5. ad Ephesios, subjungit: *Sacramentum hoc magnum, ego autem dico in Christo & Ecclesiâ*, ex quo loco deducunt Patres, S. Hieronymus, S. Leo, & alii, habuisse Adamum notitiam hujus mysterii ante lapsum, ergo non erat posterius peccato, sic enim cognoscere debebat lapsum suum futurum.

VII. *Resp. Adamum in paradiso implicitam tantùm Incarnationis cognitionem habuisse, nempe in vinculo matrimonii.*

Ad hoc responderi potest primò cum Ruperto in Genesim lib. 2. Molinâ primâ parte, q. 57. art. 5. d. 2. Lessio, Cominck, & aliis, Adamum non habuisse fidem explicitam hujus mysterii, sed tantùm implicitam & confusam. Dici ergo potest hoc solummodo tunc cognovisse Adamum mysterium Incarnationis, quatenus cognovit vinculum matrimonii, quod est conjunctio maris & fœminæ, significare magnam conjunctionem Dei cum humano genere, ut fiant unus spiritus, sicut fuerunt illi una caro, utrùm autem futurum erat hoc vinculum assumendo naturam nostram, an alio modo, nescivit Adamus: unde ait Apostolus in hunc locum, ego autem dico in Christo & Ecclesiâ, qui proinde dicit se interpretari verba Adami, non Adamum ipsum. Patres verò supra positi, ab omnibus sunt explicandi, alioqui sequeretur Adamum non solùm cognovisse explicitè Incarnationem, sed passionem Christi, & redemptionem, ac lapsum suum, quod nullus concedit; Patres enim dicunt Adamum in illo raptu fuisse typum Christi dormientis in Cruce, & Ecclesiam fuisse formatam ex ejus latere,

Apostolus Adami verba interpretatur.

Tom. II.

latere, sicut formata fuit Eva ex costâ Adami, hîc ergo omnes fateri debent ipsos locutos fuisse de cognitione confusâ, ergo & in altero.

VIII. *Etsi Adamus habuisset explicitam cognitionem Incarnationis, non tamen necessariò cognoscere debuit vel causam illius vel modum.*

Secundò responderi potest, & magis ad mentem Sancti Thomæ, habuisse Adamum in extasi illâ inditam sibi fidem explicitam Incarnationis, quæ tamen cognitio, licèt tempore fuerit prior peccato, naturâ tamen erat posterior, sicut cognitio, quam modò habemus de die Judicii. Ex quâ tamen cognitione non sequitur ipsum scire debuisse vel causam adventus Christi, vel modum.

SECTIO QUINTA.

Ordo decretorum circa mysterium Incarnationis.

I. *Plurimi, ac diversissimi hac in re sunt procedendi modi.*

MIRUM est quanta in hoc sit Theologorum dissensio, opinionúmque varietas, ita ut Pater Tannerus hîc, disputatione primâ, quæstione primâ, dubio sexto affirmet, octodecim ac plures se diversos vidisse circa hoc punctum procedendi modos. Hujus ratio est, quod de re tam abditâ ac sublimi sit sermo, Dei scilicet decretis, quis autem consiliarius ejus fuit? dum ergo quisque voluntatis ejus actus, rerúmque ad nos in hoc præsertim mysterio spectantium dispositionem pervestigat, & speculando assequi contendit, in diversas itum est sententias, & hi unam, illi aliam, nullus fortasse veram divinæ ordinationis rationem ac seriem hac in parte assignat. Aliquid etiam mihi pro instituto dicendum, quidque circa divina isthæc decreta, si non verum, vero saltem similius videtur aperiendum, si verò rem non assequar, haud tamen mihi ducam dedecori cum tantis viris errare, quod eorum aliquos, cum divinando tantùm procedant, nec certi quidquam in quo pedem figant, habeant, fecisse, est indubitatum.

Cur hæc de re tanta sit opinionum diversitas.

Quid mihi hac in parte verisimilius sit apriam.

II. *Disputationis causâ ponantur decreta realiter distincta.*

Ut autem res hæc per se obscurissima, clariùs percipiatur, ponamus decreta divina esse realiter inter se distincta, & rationis signa esse diversa instantia realia. Quærimus ergo quid priùs, quid posteriùs Deus circa Incarnationem decernat.

III. *Dicunt aliqui Deum unico simplicissimo actu, & re & ratione hac omnia decernere.*

Recentiores aliqui cum Molina parte primâ, quæst. 23. art. 4. dub. 1. memb. 7. & 8. facilè se ab hac difficultate expediunt, dicunt enim Deum per scientiam conditionatam antecedenter ad quodvis decretum scire omnes combinationes rerum possibiles, & quid in quibuscumque circumstantiis vel fiet, vel fieri possit, quâ scientiâ positâ, inquiunt, Deus unico simplicissimo actu & re & ratione elegit hunc rerum ordinem præ omnibus aliis possibilibus, sicque ex vi hujus decreti nec Incarnationem sine permissione peccati futuram fuisse dicunt, neque hanc sine illâ, cum ablatâ parte objecti necessariò mutetur actus. Dicunt tamen non esse decretam Incarnationem post prævisum peccatum, cùm enim prævisio peccati sequatur decretum de illius permissione, sequeretur manifestè contra ipsos non esse idem decretum de adventu Christi, & de permissione peccati, decretum enim Incarnationis supponeret prævisionem peccati, prævisio peccati decretum de illius permissione, ergo decretum de permissione peccati uno vel altero signo præcedit decretum de Incarnatione, ergo non sunt idem decretum formaliter.

Neque Incarnationem sine permissione peccati, neque hanc sine illâ ex vi hujus decreti futuram fuisse affirmant.

Quicquid sit de hujusmodi decreto, possibile sit, nec ne, de quo in tractatu de Prædestinatione dixi Tomo præcedente, disp. 40. in præsenti nullo modo est admittendum; primò enim juxta hanc sententiam non venisset Christus ex vi præcedentis decreti, si vel musca aliqua aut non fuisset creata, aut mortua, dicunt enim sicut omnia cognoscit Deus unico indivisibili actu cognitionis, ita unico etiam decreto omnia decernit, ergo sicut secundùm omnes esset diversa scientia, si per eam non cognosceretur una aliqua musca ex iis, quæ de facto cognoscuntur, ita nec esset idem decretum, si ipsa illud non fuisset ingressa, omnia enim tam in ordine naturæ, quàm gratiæ decerni aiunt eodem actu voluntatis divinæ.

IV. *Sive sit possibile hujusmodi decretum, sive non, in præsenti non est admittendum.*

Secundò impugnatur, nam secundùm Patres peccatum Adæ fuit causa moralis adventus Christi, ergo missio Christi & permissio peccati, non fuerunt decreta eodem indivisibili actu, quod probo, in tantum enim peccatum est causa moralis adventus Christi, in quantum est quid movens Deum ut intuitu illius velit Incarnationem, causa enim moralis est illa, quæ physicè quidem non attingit effectum, movet tamen causam physicam ad illum producendum, ergo cùm intentionaliter moveat, debet videri, ergo pro illo priori est, ergo dependenter ab aliquo decreto, sed non dependenter à decreto Incarnationis, cùm hoc necdum sit, ergo non est idem decretum formaliter Incarnationis & permissionis peccati.

V. *Peccatum Adami juxta Patres fuit causa moralis Incarnationis, ergo non putarunt decerni eodem decreto.*

VI. *Aliquid esse causam motivam respectu alicujus ostilitat voluntatem movere ad aliquid faciendum.*

Dices, Deum velle Incarnationem propter peccata, non est ita capiendum ut actus volendi Incarnationem sit ob peccata, sed solùm est velle ut peccata sint causa Incarnationis, licèt eodem indivisibili actu utraque velit. Sed contra: hoc enim videtur omnino inintelligibile, esse enim causam motivam respectu alicujus, est esse quid movens illius voluntatem ad id præstandum, sicut enim physicè efficiens est illud, quod physicè influit in effectum, ita efficiens moraliter est quod movet alterum ad physicè influendum, ob quam rationem causa moralis reducitur ab omnibus ad efficientem. Unde dicere Deum velle ut peccata sint causa moralis Incarnationis, & tamen non esse causam cur Deus velit Incarnationem, est implicatio in terminis, in tantum enim aliquid est causa moralis, in quantum est causa movens ad illius positionem, sicut est implicatio in terminis dicere Deum velle, ut medicina sit medium ad sanitatem, & tamen non velle ut physicè ad eam concurrat, ergo & velle ut aliquid sit medium morale, & non concurrat moraliter, concurrere autem moraliter, est movere voluntatem ad aliquid volendum, & efficiendum, ergo debet illud priùs videri, ergo præcessit aliquod illius decretum, ergo non est idem decretum formaliter hujus & illius.

Est implicatio in terminis peccata esse causam moralem Incarnationis, & tamen non movere Deum ut illam velit.

VII. *Cùm juxta Patres, ut videmus Incarnatio volita sit in remedium peccati, hoc pro aliquo priori permissum esse debuit, quàm decreta incarnatio.*

Tertiò, quia Incarnatio secundùm Patres est volita ut remedium peccati, ergo præsupponitur id in ordine ad quod esse debet remedium, ergo pro aliquo priori est permissum peccatum, quàm decreta Incarnatio, sicut ut gloria detur per modum præmii, requiritur ut pro aliquo priori sint merita intuitu quorum conferatur: licèt enim ex vi hujus decreti nec esset Incarnatio sine peccato, nec gloria sine meritis, neque tamen esset illa ratione peccati, neque hæc ratione meritorum, utpote quæ solùm concomitanter se habent: sicut si Deus decerneret eras creare hominem, vel Angelum in sole, non posset eum ex vi hujus decreti

decreti creare nisi in Sole, Sol tamen non esset causa creationis.

VIII. *Quòd præcesserit scientia conditionata non facit ut peccatum alio modo quàm concomitanter se habeat ad adventū Christi.*

Dices: Præcedit scientiâ conditionata per quam novit Deus, si homo ponatur in talibus circumstantiis, fore ut peccet, & egeat medico, unde eodem actu poterit velle permissionem vulnerum, & medicum. Respondeo, si velit comitanter, posse; si ut causam moralem & antecedenter, nego juxta supra dicta, nec enim vulnera conditionata egent medico, & consequenter nullus prudens potest velle absolutè & efficaciter ut medicus artem suam exerceat, nisi prævideat causam illius artis, saltem si vulnera sint causa moralis movens ad medicum mittendum, ut Patres affirmant respectu Christi fuisse.

SECTIO SEXTA.

Attexuntur quædam circa immaculatam Conceptionem.

I. *Singularis hujus, sanctissimæ Virginis privilegii declaratio hic non est omittenda.*

NON est hic animus plenum hac de re tractatum conscribere, variisque tum ab auctoritate, tum ratione ductis argumentis singulare hoc Virginis privilegium, gratiæ scilicet ipsi primo conceptionis instanti collatæ, ejusque à peccato originali immunitatem fusiùs prosequi, res namque per se volumen conficeret. Breviter ergo tantùm viam ac modum adscribam, quo eximia hæc Virgo, non ab originali solùm peccato, sed à debito etiam proximo illud contrahendi, fuerit exempta. Qui plura cupit adeat P. Salazar libro hac de re peculiariter scripto, Patrem etiam Suarez, Granado, Tannerum, & alios quosdam, apud quos rem hanc fusissimè discussam inveniet.

II. *Imprimis vocari in dubium non debet utrum B. Virgo singulare hoc privilegium habuerit.*

Supponendum, Beatissimam Virginem sine originali conceptam fuisse, cujus contrarium vel publicè, vel privatim docere, Apostolicâ auctoritate est interdictum. Fundamenta hujus opinionis videri poterunt in Suario, Tomo 2. in tertiam partem, disp. 3. sect. 5. Vasquez, Salasar, & aliis: unum idque ex præcipuis est, Beatam Virginem nunquam peccatum ullum veniale admisisse, ut docet Sanctus Augustinus lib. de Naturâ & Gratiâ cap. 36. & Concilium Tridentinum sessione sextâ, can. 23. aitque esse communem Orthodoxorum sensum, ergo nec contraxit originale: Probatur consequentia, tum quia lapsus in venialia peccata est proprius effectus originalis ob infirmitatem contractam ex defectu originalis justitiæ, unde S. Augustinus libro quinto contra Julianum cap. 9. Hanc tanquam bonam consequentiam deducit, Christus non fecit peccatum, ergo nec habuit ullum unquam peccatum, *profectò enim*, inquit, *peccatum etiam major feciſſet, si parvulus habuiſſet*, ergo idem longè potiori jure dici deberet de Virgine. Deinde si propter honorem Domini, quem peperit, ut ait idem Sanctus Augustinus, non debuit vel minimo maculari Sancta Virgo veniali, multo minùs maculari debuit peccato originali; quod est vera mors animæ, & veniali multo deterius.

Vna ex præcipuis rationibus cur B. Virgo peccatum originale non contraxerit, est quia nullū unquam peccatum, ne veniale quidem, admisit.

III. *Sicut ex festo Nativitatis B. Virginis inferūt sanctū fuisse, ita ex festo Conceptionis rectè infertur fuisse sine originali conceptam.*

Secundò hoc idem probatur ex ipso festo conceptionis ab Ecclesiâ institutō: unde sicut Sancto Thomæ, Sancto Bernardo, Sancto Ildefonso, & aliis sufficiens erat argumentum ad probandum natam Virginem fuisse sine originali, quòd Ecclesia festum de illius Nativitate instituisset, idem similiter erit de Conceptione, quod festum, inquit Sanctus Anselmus in Epistolâ ad Episcopos Angliæ, non est verus amator Virginis, qui non celebrat. Deinde Concilium Tridentinum, declaravit non esse contra fidem beatam Virginem à generalibus Scripturæ, circa hanc rem, locutionibus excipere, æquè enim generales sunt locutiones Scripturæ de peccatis actualibus, ac de originali, ut *non est homo qui non peccat.* 2. paralip. 6. *In multis offendimus omnes*, Jacobi 3. cùm ergo ab his excipiatur, non est cur excipi non possit ab aliis.

IV. *Certum est B. Virginem fuisse per Christi mēritā redemptam.*

Certum etiam est Beatissimam Virginem verè fuisse per merita Christi redemptam, quod ut aliqui defendant, dicunt ipsam, licèt originale nunquam contraxerit, sicut reliqui Adæ posteri, habuisse nihilominus debitum proximum illud contrahendi, quod nihil aliud est, quàm eam peccasse in Adamo, & consequenter, quantum ex se esse jam determinatam ad habendum privationem gratiæ, nisi Deus eam in posteriori signo liberet. Hujus opinionis est Suarez citatus, sectione secundâ, quam opinionem licet sæpè rogaretur nunquam mutare voluit, ut videre licet in tractatu de peccato originali, tum quòd non multum faceret ad honorem Virginis, & difficultatem insuper adderet maximam. Idem tenet Vasquez, & alii, qui dicunt, licèt Beata Virgo per merita Christi præservata fuerit ne contraheret peccatum originale, debuisse tamen illud contrahere, nisi à filio fuisset liberata.

V. *Alii, non à peccato tantùm originali, sed à debito etiam proximo illud contrahendi Virginē eximunt.*

Alii tamen ad laudem Virginis spectare existimantes, ut non à peccato solùm originali, sed à debito etiam proximo illius sit exempta, varios modos, quibus id explicari possit excogitaverunt, quorum hîc aliquos afferemus.

VI. *Primus modus Virginē à debito proximo contrahendi peccatum originale liberandi.*

Pater Salazar de Conceptione Virginis, c. 24. ut hoc præstet sic signa rationis instituit: in primo, inquit, signo decrevit Deus varios homines, non generatim, sed in particulari producere: in secundo, Adamum caput physicum & morale eorum constituit, pactumque cum eo iniit de gratiâ transfundendâ in posteros: in tertio ejus lapsum vidit, in quarto decrevit Christum redemptorem: hactenus nulla mentio de Virgine: in quinto ergo signo, inquit Salazar, Beatam Virginem Matrem Christo præfinivit, quæ proinde nullum debitum originalis contraxit, nec peccavit in Adamo, cùm pactum in secundo signo positum non fuerit ingressa, sed solùm incipiat in quinto.

VII. *Hæc ordinatio decretorum circa Virginis Cōceptionem, non parum videtur difficilis.*

Hæc sententia ob multa difficilis est, primò, quia pactum illud non poterat tendere ad tales homines determinatos, quos pro eo signo videbat Deus futuros, cùm multi ob merita Christi, & Sanctorum preces nascantur, qui tamen pro illo priori videri futuri non poterant, cùm pro eo signo non videretur futurus Christus. Latiùs ergo patere debebat pactum illud, ut comprehenderet omnes per naturalem propagationem futuros Adæ posteros, ac proinde omnes homines possibiles potuissent in hoc pacto includi, si futuri essent Adæ posteri.

VIII. *In illo modo statuendā decreta, ægrè salvidatur quo modo Virgo fuerit per Christum redempta.*

Secundò, & præcipuè, nam secundùm hanc doctrinam ægrè salvatur, quo modo Beatissima Virgo redempta fuerit à Christo, cùm antecedenter ad merita Christi initum fuerit pactum, & Virgo excluſa, ergo non debet filio, quòd excludatur, nec ullâ ratione per ipsum liberatur à vinculis, quæ nec habuit, nec habere unquam debuit.

Tom. II.

debuit. Sicut si sociis navigantibus Paulus amicorum rogatu navigare nolit, & illi cariosam navem sortiti naufragium fecerunt, Paulus postea suasu Joannis, à quo etiam navem accipit, navigans sospes pertingit ad portum: certè quòd naufragium non fecerit Paulus, non debet Joanni, sed amicis; Joanni verò solùm debet hanc navigationem: quod exemplum ad Beatam Virginem quivis facilè applicabit.

IX. *Dices: Ex meritis Christi dilatum fuit decretum de Virgine.*

Dices: Non solùm nata est Virgo ex meritis filii, sed ex iisdem etiam meritis dilatum est decretum de illius existentiâ, sicque ob Christum periculum evasit, quod sufficit ad redemptionem. Sed contra: Nam pro illo priori signo, quo Deus pactum iniit cum Adamo de gratiâ in posteros transfundendâ, vel extenditur pactum ad omnes, qui quovis modo essent futuri illius posteri, vel ad illos solùm, quos determinatè pro illo priori Deus significabat. Si primum, ergo Beata Virgo ingressa est pactum, & peccavit in Adamo, & consequenter debitum contraxit: si secundum, ergo pro illo priori positivè excludebatur à pacto, idque ante prævisum, vel Christum, vel illius merita, ergo non est liberata à debito per merita Christi.

X. *Probabilis via Beatissimam Virginem à debito proximo peccati originalis eximendi.*

Duæ ergo aliæ probabiles viæ sunt Virginem à debito proximo eximendi: prima est, ut in primo signo creet Deus hominem, quem constituat caput aliorum, pactum cum eodem iniens de transfundendâ, vel amittendâ gratiâ posteris, exceptâ tamen pro eodem signo illâ, quam sibi esset Deus in Matrem electurus (Lex enim universalis particulares aliquas exceptiones patitur) non tamen pro illo signo determinat quam in particulari eligeret; cùm ergo pro tunc non determinetur, non magis pro illo priori eximitur beata Virgo, quàm quævis alia, sicque intelligitur quomodo habeat remotum debitum peccati originalis, casu quo Adamus peccet. Deinde videt peccatum, decernit Christum, redemptorem, tandem ex Christi meritis Beatam Virginem ipsi in Matrem elegit, quæ ipso facto per hanc electionem excluditur ex pacto ob merita Christi, cùm enim Mater Christi quæcumque illa esset futura, ipso facto esset excludenda, Christus per sua merita illam in Matrem determinando, eo ipso eximit à debito.

Beata Virgo secundùm hanc viam habuit debitum remotum.

XI. *Res hæc aptissimè explicatur exemplo ex humanis desumpto.*

Explicant recentiores aliqui doctrinam positam hoc exemplo: ponamus Principem facultatem Paulo concedere novam urbem condendi, & cum eodem pacisci, ut si fidus Regi permanserit, omnes qui futuri sint incolæ illius urbis, sint immunes à tributo, sin infidus omnes tributum teneantur in perpetuum solvere, illo uno excepto, qui illius civitatis futurus est prætor: fit postea infidelis Paulus, Princeps verò rogatu Petri Joannem, qui animi aut valetudinis gratiâ civitatem illam cogitat, prætorem ejusdem urbis constituit, hic ergo ut præturam, ita liberationem à tributo, cui aliàs fuisset obnoxius, Petro acceptam refert. Idem est de Christo & Beatâ Virgine, hæc enim debitum quoddam radicale habuit contrahendi maculam originalem, cùm pactum ad omnes Adæ posteros se extenderit, illâ exceptâ, quæ futura esset Mater Dei, quæ dignitas pro illo priori non magis competebat Virgini, quàm aliis, cùm ergo postea Christus eam per merita sua Matrem designaverit, eâdem opera à debito proximo originalis eam exemit, effecitque ut in Adamo non peccaverit.

Joannes in prædicto casu liberationem à tributo illo acceptam debet Petro.

Applicatur exemplum Christo & ejus Matri.

Dices: In illo priori signo, quo intelligitur peccasse Adamus, vel intelligitur Virgo ingressa pactum, & voluntas ejus peccasse in Adamo, vel non: si ita, ergo jam contraxit debitum proximum, nec per ulla merita filii potest ab eo liberari, cùm quod jam factum est, nemo reddere infectum possit: si non, non potest postea intelligi peccare in Adamo, cùm in ipso nemo peccare possit, nisi peccante illo, in tantum quippe peccatum imputatur posteris moraliter, in quantum ab ipso procedit physicè, ipse autem in nullo alio signo nisi in illo priori intelligitur peccare. XII. *Objic. Nisi in illo signo, in quo peccavit Adamus, Virgo ingressa fuit pactum non potuit habuisse ullum omnino debitum.*

Respondeo, argumentum probare, debuisse aliquo modo fuisse voluntates posterorum in voluntate Adami pro illo priori, non tamen determinatè, sed solùm generatim, id est, omnium posterorum, illâ excepta, quæ futura esset Mater Dei, & sicut hoc, esse scilicet Matrem Dei, pendet ab aliquo ponendo in signis sequentibus, nempe meritis Christi, ita &, non quod jam peccet vel non peccet, sed quod peccaverit vel non peccaverit peccante Adamo. Dices ergo nec habuit debitum remotum, quod tamen est necessariò admittendum, alioqui nullo modo dici posset redempta à filio. Respondeo negando sequelàm, ad debitum enim remotum sufficit esse unam ex posteris Adæ, & quod pro eo signo non sit designata Mater Dei. XIII. *Omnes posterorum voluntates erant in illo priori aliquo modo in voluntate Adami.*

Alius hoc idem explicandi modus esse potest, ut pro primo signo intelligatur Deus dedisse gratiam Adamo transfundendam in posteros, iis solùm exceptis, quos ipse ex speciali privilegio vellet nobiliori modo primo instanti conceptionis sanctificare, ex vi cujus pacti erat Adamus caput totius generis humani, non tamen ullius in particulari, cùm nullus in particulari pro illo priori esset, qui ex vi modi ferendi legem illam eximi ab eâ non posset, unde fuit debitum generatim in naturâ humanâ contrahendi originale, iis exceptis, qui peculiari modo essent sanctificandi. XIV. *Assignatur alia via per quam B. Virgo eximi potuit à debito proximo contrahendi peccatum originale.*

Aliquale exemplum hujus rei habemus in decimatione exercitus, ubi omnes milites sunt remotè saltem morti obnoxii, cùm nullus sit in quem fors ex sententiâ ab Imperatore lata cadere non possit, proximè autem ii solùm, qui decimo loco sunt siti, quod tamen magis appositum esset ad rem nostram, si ad mortem eos condemnans statuisset decimum vel centesimum quemque salvare. Postea verò decernens Deus adventum Christi, ex meritis illius statuit Beatæ Virgini gratiam perfectiorem peculiari illo modo conferre. Hoc ergo posito non solùm libera futura erat Virgo ne peccatum originale contraheret, sed etiam eximenda erat à pacto, ne peccaret in Adamo, cùm ii solùm peccaturi essent in Adamo, & consequenter deberent peccatum originale contrahere, qui essent futuri posteri Adæ, & non sanctificandi modo illo particulari, quo Beata Virgo gratiam accepit. XV. *Res hæc non incongruè declaratur exemplo decimationis exercitus, ubi Imperator decerneret vel decimum quemque interficere, vel servare.*

Hinc constat Virginem verè & propriè fuisse redemptam à filio, quia ex meritis passionis ipsius accepit hanc peculiarem gratiam, & præservata est quo minùs labereturæ, alioquin lapsura. Si verò Adamus stetisset, Virgo gratiam per illum non accepisset, si hoc peculiari modo eam statuisset Deus sanctificare, accepisset verò, & generalis illius sanctificationis cum cæteris Adæ posteris particeps fuisset, si Deus hanc ei peculiarem gratiam facere non decrevisset. XVI. *Secundùm hunc procedendi modum Virgo redempta fuit à Filio.*

Uterque hic modus probabilis est, solùm displicet in priori, quòd secundùm illum, non immediatè XVII.

In priori modo rem hanc explicandi, non immediatè, sed mediatè tantùm Christi merita tendunt ad Virginem ab hoc debito eximendam.

immediatè tendant merita Christi ad liberandam Virginem à peccato, & illius debito, sed mediatè solùm, & consequenter, in quo præstantior est secunda via debitum proximum Virgini negandi. Restat solùm Notandum, licèt fingamus instantia rationis, ad instar instantium realium qua de causa facilè confunduntur, non tamen posse duci argumentum ab illis ad hæc; nec enim sequitur, non est aliquid pro priori aliquo signo, rationis; ergo non est in toto instanti, ut mille exemplis constat.

SECTIO SEPTIMA.

Deducuntur quædam Corollaria, tum circa seriem decretorum, tum immaculatam Virginis conceptionem.

I. *Si ob merita Christi omnes fuissent liberati, Christus verè fuisset redemptor.*

HINC infero primò, si ex meritis Christi nullus contraxisset peccatum originale, futurum fuisse ipsum verè & propriè redemptorem: Sicut enim fuit verè redemptor respectu Virginis, ita & fuisset respectu aliorum, si hoc beneficium in ipsos contulisset.

II. *Incarnatio prius decreta fuit, quàm ullus in particulari videretur contraxisse peccatum originale.*

Infero secundò cum P. Vasquez hîc, Tom. 2. disp. 116. cap. 2. & aliis, decretam fuisse Incarnationem antequam ulli ex posteris Adæ in particulari viderentur contraxisse peccatum originale, non tamen antequam generatim esset debitum aliquod in natura. Primum probatur, quia sicut Beatissimam Virginem liberavit Christus suis meritis à peccato originali, ita quemvis ex Adæ posteris liberare potuisset, ut communiter fatentur Doctores, quod tamen præstare non potuisset, si priùs ad Incarnationem & merita Christi contraxissent originale. Secundum docere videtur Sixtus quartus in extravaganti *præexcelsa* de reliquiis & veneratione Sanctorum, asserens Divinam providentiam pro conciliandâ suo auctori naturâ humanâ lapsu primi parentis æternæ morti obnoxiâ, Beatissimam Virginem elegisse, ex qua Verbum carnem assumeret.

III. *Aliud hoc in re est de denominationibus moralibus, aliud de physicis.*

Quæres, quo pacto possit contingere, ut omnes generatim debitum originalis contrahant, nullus verò in particulari, omnes siquidem nihil aliud sunt, quàm hic, & ille, &c. Respondetur in denominationibus quidem physicis id contingere non posse; si enim tribus tantùm hominibus Petro, Paulo & Joanne existentibus, omnes homines currant, Petrus, Paulus, & Joannes necessariò currunt: at in moralibus hoc non necessariò contingit; cùm enim hæ denominationes proveniant ab intellectu & voluntate, quæ abstractiùs procedunt, potest aliquid competere omnibus generatim, & tamen nulli in particulari. Exempli gratia, ponamus absolutè voluisse Deum & efficaciter, ut unus ex filiis Noë statim post diluvium ipsi offerret sacrificium, est absolutè necessitas in omnibus ut unus offerat sacrificium, & tamen non est necessitas ut Sem in particulari offerat. Sic si Princeps ob rebellionem alicujus civitatis ferat in eos sententiam ut septem plectantur capite, in quos sors ceciderit, est absolutè obligatio in totâ civitate, ut septem plectantur, in nullo tamen in particulari est obligatio ut plectatur ipse; ergo rectè stat in moralibus posse aliquid generatim cadere absolutè in multitudinem, & tamen in neminem in particulari. Adde, sicut in omnibus, ita & in singulis fuisse pro illo priori debitum remotum contrahendi peccatum originale.

Declaratur quo pacto in moralibus possit aliquid generatim competere omnibus, & non singulis.

IV. *Objic. Exhìc sequi, Deum velle res confusè.*

Dices: Hinc saltem sequi Deum velle res confusè; vult enim generatim solùm, non descendendo ad particularia, qui est confusus volendi modus, sicut etiam confusa cognitio dicitur illa qua plura generatim cognoscuntur, non discernendo inter illa, nec unum ab alio distinguendo. Respondetur Deum non hoc sensu aliqua generatim velle, quasi non velit illa distinctè, sicut in hominibus contingit, qui cum confusè solùm res subinde cognoscant, confusè etiam eas volunt; Deus verò distinctissimè & sigillatim omnia cognoscit & consequenter etiam voluntas, quæ sequitur cognitionem, distinctè etiam fertur in objecta: dicitur verò generatim aliqua velle, non quod ea non velit in particulari, sed quòd non magis unum velit, quàm aliud. Sic quando præcipit offerri sibi turtures aut columbas, novit pro illo priori distinctè individua unius generis & alterius, dicitur tamen generatim solùm velle turtures aut columbas, quod non determinet in particulari quas velit, sed solùm declarat se velle aliquas in particulari ex alterâ eorum specie sibi offerri, non tamen præferendo unam speciem alteri, quod tamen faceret si præciperet sibi offerri columbas determinatè, licèt adhuc maneret indifferentia circa hæc vel illa individua: Quando autem Deus præciperet hoc numero individuum sibi offerri, non magis in particulari fertur in illud quàm quando ex duobus vult alterum, sed solum in illo casu vult illud in particulari, præferendo omnibus aliis, hic verò vult illud in particulari, sed ita ut non præferat aliis, sed æqualiter in particulari vult omnia, quod in Deo, qui omnia cognoscit perfectè, est velle generatim.

Resp. Deum omnia qua vult, velle distinctissimè.

Quæ sit voluntas qua Deus vult offerri sibi turtures aut columbas.

V. *Præfinitus fuit Christus ante prævisionem ullius actualis peccati posterorum Adami.*

Infero tertiò: Fuisse præfinitum Christum ante prævisionem ullius peccati actualis posteriorum Adæ: quo tamen non obstante, ad redimendum etiam nos à mortalibus venit Christus. Prima pars probatur, tum quia multa peccata actualia præsupponunt Incarnationem, ut hæreses contra hoc mysterium, peccata Judæorum in personam Christi, & alia hujusmodi; tum quia juxta communem sententiam omnium, auxilia tum Adæ ad resurgendum, & ad peccata post lapsum vitanda, tum posteris omnibus ad resistendum tentationibus data sunt ex meritis Christi, sed peccata supponunt omnia requisita ad ea facienda vel vitanda; ergo prior naturâ est Incarnatio quàm peccata actu commissa.

VI. *Missus fuit Christus ad auxilia in remedium peccatorum, quæ jam in radice imminebant.*

Secunda etiam pars declaratur; licèt enim Christus non fuerit præfinitus ut tolleret peccata actualia jam prævisa, missus tamen fuit ad auxilia congrua nobis danda ad peccata vitanda, & ad remedia præparanda peccatis, quæ jam præscibantur, non quidem posita, sed imminere in radice, nempe peccato Adami, sicque mittebatur ut casu quo peccata actualia committerentur, Sacramenta & alia ad illorum ablationem pararet.

VII. *Quid requiratur ut Christus venerit ut redemptor respectu peccatorum actualium.*

Dices primò: Christus venit ut redemptor respectu actualium; ergo debebant videri commissa. Negatur consequentia: ad redemptionem enim sufficit, quòd liberet à peccatis quæ essemus commissuri, ut in simili omnes dicere debent de Virgine, meritis Filii ereptâ ab originali, respectu cujus Christus verè fuit redemptor.

VIII. *Obiic. Ergo licèt non fuisset prævisum peccatum Adami, Christus venire potuisset ut redemptor.*

Dices secundò: Ergo si non fuisset prævisum etiam peccatum Adami, adhuc potuisset Christus venisse, ut redemptor, nempe ut Adamo præpararet media ad peccatum illud vitandum. Respondetur primò: Quicquid sit de possibili, saltem juxta mentem Patrum, non hac ratione venit redemptor Christus, ut supra ostendemus: & in hoc sensu ibidem sumpsimus nomen redemptoris & medici cum Patribus & Theologis, quando diximus ex eo quod præsiniatur efficaciter quis ut redemptor & medicus, inferri necessitatem peccatorum, nempe si præsiniatur aliquis redemptor & medicus ut curet & auferat peccata & morbos, non ut prævertat.

IX. *Si eo modo præsinitus fuisset Christus, non fuisset præsinitus Redemptor eâ ratione quâ jam est præsinitus.*

Respondeo secundò: Etiamsi qui præservaret à peccatis omnibus, dici posset aliquo modo redemptor, non tamen eo modo quo jam Christus est redemptor, etiam respectu Matris. Ratio est quia tunc solum præservatio à peccatis dicitur redemptio, quando est periculum illa vel contrahendi vel admittendi, quod Adæ posteris impendebat in radice, nempe peccato originali, per quod perdita erat justitia originalis, vires arbitrii imminutæ, perditum jus ad omnem cogitationem congruam, & auxilia supernaturalia, ac proinde moraliter erat certum commissum iri multa peccata actualia, à quibus jam imminentibus præservare sufficit ad rationem redemptionis: at si nullum esset peccatum originale commissum, non posset propriè vocari redemptio, cùm nullus redimi dicatur vel liberari à calamitate, nisi vel quam patitur, vel est in periculo ut patiatur, nec liberare dicitur medicus hominem à morbo, illum præveniendo quantumcumque præstantia det pharmaca, si non erat homo ille in periculo morbi contrahendi, sicut nec navarchus à naufragio. Si tamen vocare quis velit redemptionem & liberationem, præparationem mediorum per quæ defendi aliquis possit à calamitate, morbo, & naufragio, quæ quovis modo potuissent contingere, dicere id poterit, non tamen foret ita propria locutio.

Quid redemptionis nomine propriè intelligatur.

X. *Quicquid gratia habet jam Adamus, habet ex meritis Christi.*

Infero quartò: Omnem gratiam, quam habet Adamus esse effectum meritorum Christi. Dices: Gratia quam habuit Adamus in statu innocentiæ fuit ante prævisum Christum, & illius merita; ergo non potuit provenire à meritis Christi. Distinguo consequens, ut primò collata concedo consequentiam, ut reparata & restituta post lapsum, nego: Hanc enim gratiam quàm perdiderat, recuperavit iterum Adamus ex meritis Christi.

XI. *Christus Adamo non peccante, ob sola peccata actualia non venis. set.*

Infero quintò: Si Adam non peccasset, Christum ex vi præsentis decreti ob sola mortalia actualia non fuisse venturum, multo minùs ob venialia, cum de facto venerit ad redimendum nos à peccato, quod per Adamum nobis impendebat: unde Joannis primo, ubi vulgata lectio dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* græcus textus, habet τὴν ἁμαρτίαν, *peccatum mundi*, quod etiam passim affirmant Patres, adventum Christi, non in peccatum quomodocunque, sed in peccatum Adæ referentes. Verisimile tamen est, si omnes homines fuissent lapsi in actualia peccata, habiturum Deum aliud decretum, ex vi cujus veniret, quod colligitur ex modo quo jam vult ejus adventum, nempe ad remedium toti naturæ afferendum, sed tunc etiam tota natura egeret remedio, ergo.

XII. *Ad tollendum peccatum originale principaliùs venit Christus.*

Infero sextò: Cum sancto Thoma hîc, art. 2. principaliùs venisse Christum, ad tollendum originale, quàm actualia, tum quia peccatum originale est universalius malum, tum etiam quia, cùm non propriâ voluntate commissum sit, sed contractum culpâ alterius, dignius est veniâ, tum denique quia in tantum venit ad remedium afferendum actualibus, in quantum hæc videbantur inclusa virtualiter in peccato Adami, tanquam in radice. Quid verò feciisset ex vi alterius decreti, si Adamo non peccante aliqui ex posteris ejus mortalia commisissent, si homines creati in purâ naturâ in peccata fuissent prolapsi, & alia hujusmodi, ipse solus novit.

XIII. *Obiic. Vel uno tantùm homine peccante videtur eorum nus fuisse Christus.*

Dices: Ita Christus pro omnibus mortuus est, ut etiam mortuus sit pro singulis; ergo vel uno peccante venisset, quod ostendit primò parabola unius ovis perditæ; deinde S. Paulus ad Hebræos c. 6. dicit peccatores iterum crucifigere sibi Filium Dei, id est peccando ponunt id, ob quod paratus est Christus iterum mori. Respondetur mortem Christi quoad effectum ita pro singulis esse, ac si pro uno solo offerretur. Ovis illa perdita significat, ut communiter dicunt Interpretes, naturam humanam. Loquitur verò sanctus Paulus, juxta sanctum Chrysostomum, & sanctum Anselmum, de iis qui revertebantur ad Judaismum, qui proinde consentientes cum Judæis crucifigebant denuo Christum, id est dignum judicabant, qui crucifigeretur. Alii cum sancto Cyrillo dicunt sermonem illic esse de iis, qui instituere volebant secundùm baptismum, quod est iterum crucifigere Christum, cum per primam crucifixionem instituerit primum.

Resp. Mortem Christi quoad effectum ita pro singulis fuisse, ac si pro uno solo fuisset oblata.



DISPV-

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

De causâ meritoriâ Incarnationis.

CVM certùm sit, Christum fuisse humani generis redemptorem, eâdem certitudine tenendum est habuisse eum actus meritorios, quibus & peccatorum remissionem, donáque supernaturalia, ac demum æternam vitam condignè nobis obtinuit. Quamvis autem præcipuè hic inquiramus, quid Christus meruerit vel mereri potuerit sibi, aliquid nihilominus addemus circa ejus meritum tum respectu Angelorum tum nostri, ut singularis ejus in nos amor & benignitas pleniùs innotescat. Disputat verò hac de re S. Thomas artic. 11. *quæstionis secundæ post Disputationem de Vnione hypostaticâ, sed quia magnam connexionem habet hæc quæstio cum iis quæ proximè discussimus circa causam motivam Incarnationis, hîc eam subjiciemus.*

SECTIO PRIMA.

Vtrùm humanitas Christi, mereri potuerit unionem sui ad Verbum.

I. *Error Photini & Origenis circa meritum humanitatis Christi.*

REIICIENDVS hic in primis error Photini, & aliorum, qui humanitatem Christi dicebant priùs tempore extitisse, quàm uniretur Verbo, & per opera sua meruisse unionem quandam accidentalem. Huic affine est somnium Origenis, qui 2. periarchon cap. 6. asserebat animam Christi priùs tempore fuisse creatam, quàm unitam, & per bona opera moralia unionem sui ad Verbum meruisse. His itaque rejectis, de solâ prioritate naturæ quæstionem instituimus.

II. *Humanitas Christi de facto nec meruit, nec connaturaliter mereri potuit unionem sui ad Verbum.*

Difficultas verò procedit de possibili, & in ordine ad potentiam absolutam, neque enim de facto meruisse humanitatem hanc unionem, nec connaturaliter mereri eam potuisse fatentur omnes, cùm enim subsistentia naturaliter requiratur ad operandum, & propriam non habuerit, prærequirebat ad operationes omnes subsistentiam divinam, ergo nulla actio priùs natura ad hanc subsistentiam potuit à naturâ procedere, cùm suppleat vices creatæ. Hoc expressè docet Sanctus Augustinus de Prædestinatione Sanctorum, cap. 15. ubi ait eâdem ratione gratuitò fuisse prædestinatam Christi humanitatem ad unionem cum Verbo, ac nos prædestinamur ad gratiam: *Quid egit antea*, inquit, *quid credidit; quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret.*

III. *Duo sacræ Scripturæ circa meritum humanitatis Christi testimonia explicantur.*

Objicies illud Apocalyp. 5. ubi dicitur: *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & divinitatem*, hoc autem sit per unionem. Confirmatur ex Psalmo 44. ubi de humanâ Christi naturâ canit Propheta: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus*, &c. Ad argumentum respondetur cum Sancto Thoma, Ruperto, Lyrano, & aliis, per divinitatem eo loco intelligi manifestationem divinitatis: cùm enim per occisionem nos antea perfectè redemerit sanguine suo, certè divinitatem habere debuit. Ad confirmationem dico *propterea* illo loco significare causam finalem, propterea nimirum unxit Deus humanitatem Christi oleo unionis, ut diligeret justitiam, & odio haberet iniquitatem,

IV. *Certum est Christi humanitatem non potuisse condignè mereri unionem sui ad Verbum.*

Dico primò: Implicat humanitatem Christi mereri condignè unionem sui ad Verbum, nisi aliquo modo præcedat habens aliam unionem hypostaticam ad aliquam ex personis divinis. Ratio est clara, ad meritum quippe de condigno requiritur, ut sit æqualis valoris cum præmio, ergo debet actio, quæ meretur condignè unionem hypostaticam, esse infinitè meritoria, ergo procedere debet ab humanitate unitâ personæ divinæ, non per unionem quam meretur, sic enim principium meriti caderet sub meritum, ergo per aliam.

V.

Dico secundò: Humanitas unita Verbo (nisi obstet ratio comprehensionis, quodque quoad animam

Tom. II.

Humanitas unita Verbo habet sufficientem proportionem ad merendum aliam unionem hypostaticam.

animâm sit extra statum viæ) potest condignè mereri, vel aliam unionem ad Verbum, si ad majorem ejus perfectionem spectaret, vel cum aliâ personâ divinâ. Ratio est, quia per hanc unionem opera Christi sunt infinitè dignificata, & meritoria omnis præmii possibilis, ergo si ipse ea applicaret ad unionem novam cum personâ Patris aut Spiritus Sancti promerendam, & Deus acceptaret, non est cur promereri eam condignè non possit.

VI. *Anima unita Verbo mereri divinitus potest unionem corporis ad idem Verbum.*

Dico tertiò: Potest de potentiâ absolutâ anima unita Verbo mereri de condigno unionem corporis cum eodem Verbo. Ratio est, nullum siquidem in hoc apparet inconveniens, cùm nihil repugnet priùs vel naturâ, vel tempore assumi animam, quàm corpus, idque sive assumatur separata à corpore, sive unita, ergo pro illo priori potest offerre Deo operationem aliquam eâ intentione, ut corpus uniatur, sicut offerre etiam posset pro unione hypostaticâ Verbi cum aliâ animâ.

VII. *Poterat per divinam potentiam fieri unio humanitatis cum Verbo dependenter ab aliquâ operatione per modum conditionis.*

Dico quartò: Nihil vetat de potentiâ absolutâ, ut fiat unio Verbi cum humanitate dependenter ab aliquâ operatione per modum conditionis ad hanc unionem ex constitutione divinâ antecedente, intuitu cujus moveatur Deus ad unionem illam huic naturæ conferendam, sive sit vocanda operatio hæc meritum de congruo, sive non. Ita Becanus tractatu de Incarnatione c. 14. quæst. 6. Tannerus hic, quæst. 3. dub. 7. n. 244. insinuant Caietanus, Valentia, & alii nonnulli. Probatur: Sicut potest Deus omnino absolutè, & independenter ab ullo vel merito, vel conditione unire se humanitati, quidni exigere operationem aliquam liberam potest, ut conditionem ad hoc beneficium humanitati conferendum; sicut enim potest rem aliam quamcumque, quæ liberè ab ipso procedit, facere dependenter ab aliquâ conditione, cur non poterit & unionem hanc dependenter à conditione in ipsâ humanitate.

VIII. *Sicut Deus unionem humanitatis cum Verbo decrevit dependenter à conditione extrinsecâ, ita decernere illam potuit dependenter ab extrinsecâ.*

Probatur secundò: Potest Deus, imò de facto decrevit unionem cum hac naturâ dependenter à conditione extrinsecâ, nempe peccato primi parentis, quidni ergo & dependenter ab operatione aliquâ ipsius humanitatis. Confirmatur: Potuisset secundùm omnes per divinam potentiam humanitas, si priùs tempore extitisset non unita, ponere conditionem aliquam, intuitu cujus Deus unionem hanc produceret, ergo & in instanti unionis posset idem contingere, quæ enim apparet implicantia, ut Deus hujusmodi pactum cum humanitate illâ ineat, instanti quo actum charitatis elicueris uniam te mihi hypostaticè, vel etiam hoc statuere humanitate insciâ.

IX. *Dependenter ab aliis conditionibus humanitatis decernere potuit Deus Incarnationem, ergo & dependenter ab illius operationibus.*

Tertiò probatur: Nihil impedit quo minùs Deus dependenter ab aliis conditionibus circa humanitatem decernere potuerit, eam sibi hypostaticè conjungere, ut quòd rationalis fuerit, non irrationalis, humana non Angelica, quòd pulchra non deformis, quòd ex hac vel illâ stirpe, &c. Imò dependenter ab aliquo merè naturali, quidni ergo etiam ab actu supernaturali humilitatis, vel dilectionis Dei super omnia.

X. *Objic. Priùs debet humanitas subsistere, quàm operari, ergo non potest*

Dices cum Patre Suarez hîc, disputatione 10. sect. 2. & 3. ideo hoc repugnare, quia subsistentia complet, & perficit naturam substantialiter, operationes verò solùm accidentaliter, complementum autem substantiale connaturaliter debitum alicui subjecto, priùs ipsi debetur, quàm accidentale, & consequenter præcedere ipsum debet, ergo cùm unio hypostatica connectat humanitati subsistentiam increatam, quæ succedit loco propriæ, debet etiam præcedere omnem dispositionem accidentalem, idque non naturaliter tantùm, inquit, sed de potentiâ etiam absoluta, cùm efficere Deus non possit ut id quod est prius re aliquâ, sit illi posterius.

ejus operatio esse conditio antecedens ad unionem hypostaticam.

XI. *Resp. Hunc ordinem prioris & posterioris semper manere physicè, in esse tamen morali posse inverti.*

Sed contra primò: Licèt enim, spectatis entitatibus physicis, semper subsistentia sit prior operatione, & Angelus intuitivè videns subsistentiam, & operationem, videat hunc ordinem prioris & posterioris quoad esse physicum in his relucentem, in esse tamen morali non est cur supremus auctor rerum nequeat hunc ordinem invertere, non efficiendo ut non prius secundùm naturas rerum debeatur subsistentia, quàm operatio accidentalis, sed pro suâ libertate volens exigere hanc tanquam conditionem ad illam. Sic licèt connaturaliter loquendo non debeatur subjecto forma ignis, nisi priùs per calorem intensum fuerit dispositum, nec produci in materiâ possit forma cadaveris, nisi præcesserit forma viventis, auctor tamen naturæ potest hæc pro suâ voluntate invertere, semper tamen in formâ cadaveris relucet quòd petat subsequi formam viventis, idem ergo fieri potest in præsenti.

XII. *Aptissimum ad hoc explum est, si natura habens propriâ subsistentiam assumeretur à Verbo,*

Contra secundò: Nam secundùm probabilem sententiam natura terminata propriâ subsistentiâ assumi potest à Verbo, ergo tunc saltem dari poterit hujusmodi conditio, cùm in hoc casu æquè, imo magis primariò debeatur operatio vitalis naturæ illi ita subsistenti, quàm aliena subsistentia, quæ secundùm se est planè naturæ extrinseca, nec majorem cum illâ connexionem intrinsecam habet, quàm bona quævis intrinseca vel extrinseca, ut gratia habitualis, honor, divitiæ, & hujusmodi alia, quæ possunt homines per suos actus de congruo mereri, neque ullo modo potest concipi prior operationibus, nisi ad summum quando supplet locum subsistentiæ propriæ, & consequenter in eodem signo dari debet naturæ, quo danda erat propria, cujus vicem subit, sed hoc etiam solum quoad ordinem physicum, ut ostensum est, & ex naturâ rei, non in esse morali, & in ordine ad divinam potentiam.

XIII. *Quando loco subsistentia propria datur unio hypostatica, non datur necessariò independenter à conditione.*

Addo ulteriùs, etiam quando datur unio hypostatica loco subsistentiæ propriæ, non necessariò dari independenter ab aliquâ conditione, esto enim non posset natura existere sine omni subsistentiâ (quòd tamen juxta communiorem sententiam est falsum) non tamen necessariò debet habere divinam, cùm subsistere possit per alienam creatam, ut probabile indicat ipse Suarez hîc, disp. 13. sect. 4. ergo ad hoc ut suam ei subsistentiam uniat Deus, potiùs quàm ignobiliorem, requirere potest conditionem aliquam ex parte humanitatis.

XIV. *Hoc eo facilius intelligitur, quòd subsistentia non sit principium influens.*

Cùm ergo subsistentia non sit principium influens in operationes, sed supposito concursu generali Dei sit in naturâ vis sufficiens ad operandum, solúmque requiratur subsistentia ut conditio quædam, nulla apparet ratio cur divinitùs non possit elici operatio antecedenter ad illius productionem.

XV. *Objic. Modus operandi semper sequi debet modum essendi.*

Dices secundò cum eodem Suarez, anima rationalis petit priùs uniri corpori, quàm operari, alioqui nulla est ratio cur in primo instanti creationis non possit se & res alias videre intuitivè instar Angeli, unde modus operandi semper sequi debet modum essendi, sed subsistentia non est minùs

Resp. Connaturaliter ita esse, divinitus tamen aliter fieri potest.

minùs intrinseca & debita naturæ, quàm unio ad corpus debetur animæ, ergo. Respondeo connaturaliter loquendo requirere animam ut uniatur, & naturam ut subsistat priùs quàm operetur, de potentiâ tamen absolutâ nec unum requiritur, nec aliud, ut ostensum est.

XVI. *Obji. Actiones sunt suppositorum.*

Dices tertiò: *Actiones sunt suppositorum*, quod axioma Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 28. & 19. asserit receptum esse à totâ scholâ Philosophorum, ergo non potest natura operationem ullam elicere, nisi habeat subsistentiam.

Resp. Saltem si habeat subsistẽtiam propriam, poterit mereri.

Contra primò: Ergo saltem si habeat propriam subsistentiam, poterit per operationem dependenter ab illâ elicitam mereri de congruo ut ipsi detur divina, sicut si subsistat per unionem hypostaticam ad unam personam divinam, mereri potest juxta ipsum Suarez de condigno unionem ad aliam.

XVII. *Axioma Aristotelis est, Actiones sunt singularium.*

Contra secundò: Nam etsi axioma istud sit Aristotelis, primò Met. cap. 1. quod tamen negat Vasquez, sed solùm affirmare ait Aristotelem actiones esse singularium, & communiter dici solet subsistentiam tantùm innotuisse ex mysterio Incarnationis. Respondetur tamen hoc solùm esse verum naturaliter, cùm suppositum non sit principium influens, sed tantùm conditio ex naturâ rei requisita, non in ordine ad potentiam absolutam.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm hæc conditio habere possit rationem meriti.

I. *Potuisse Deum Incarnationem dependenter à conditione aliqua decernere, jam ostensum est.*

EX dictis clarè constare videtur, potuisse Deum, ut res alias, ita & divini Verbi Incarnationem dependenter à conditione aliquâ decernere, nihil enim hac in re afferri potest vel magnitudini mysterii, vel dignitati Verbi contrarium, ut sectione præcedente ostensum est. Hinc ergo ulterior oritur quæstio, utrum scilicet hæc conditio, ejusmodi esse possit, ut Deus illius intuitu aliquo modo moveatur ad unionem hypostaticam humanitati conferendam.

II. *Conditio hæc esse potest meritum.*

Dicendum conditionem illam, quam ad unionem hypostaticam requirere potest Deus, posse non incongruè vocari meritum de congruo: ita Becanus, Tannerus, & alii supra citati. Probatur: Sicut enim potest anima esse prior naturâ suâ subsistentiâ naturaliter, & principium physicum illius, utpote quam producit, saltem in genere causæ materialis, quidni esse poterit saltem supernaturaliter principium morale illius, ergo sicut divinitùs potest natura humana Christi esse principium physicum unionis hypostaticæ, & esse prior naturâ illâ physicè, cùm ex illius potentiâ educatur, quidni etiam per divinam potentiam esse poterit prior naturâ illâ in genere causæ moralis.

III. *Si operatio aliqua libera priùs naturâ ab humanitate procedere possit, quàm hæc subsistat, non est cur esse nequeat operatio illa*

Confirmatur: Nam ut rectè P. Suarez, sectione illâ 3. § *Ad confirmationem*, si admittatur (ut admittunt ii, qui hanc conclusionem impugnant) posse divinitùs operationem aliquam liberam ab humanitate priùs naturâ procedere, quàm subsistat, inconsequenter loqueretur qui negaret posse humanitatem aliquo modo se disponere, & imperfectè mereri, seu aliquo modo movere Deum ad illam hîc & nunc conferendam: si enim potest operatio naturalis præcedere unionem, quidni & supernaturalis, vel ab habitu infuso, & gratiâ habituali, vel auxilio extrinseco proveniens, ergo si Deus statueret operationem ejusmodi tanquam conditionem, ad illam conferendam, vel promitteret humanitati, aut naturæ Angelicæ, se sub hac conditione daturum unionem, quid deesset ad meritum de congruo, ad quod sufficit, secundùm omnes, quòd sit aliqualis proportio inter meritum & præmium, & Deus illo sit contentus. Quod facilius intelligetur, si ponatur natura aliqua priùs tempore existens, cui Deus promitteret, instanti quo actum amoris Dei eliceret, fore ut unionem ipsi hypostaticam conferret.

dispositio ad unionem.

Dices primò: Meritum naturale est ineptum ad præmium supernaturale, etiam de congruo promerendum, ob summam improportionem, sed major est improportio inter unionem hypostaticam, & quodvis meritum supernaturale, quàm inter naturam & gratiam, ergo. Contra: Si enim priùs tempore extitisset humanitas ad unionem, potuisset secundùm communem sententiam, illam de congruo mereri, ergo hæc improportio non obstat merito de congruo, cùm eadem in utroque casu maneat improportio. Respondetur ergo: Quicquid sit de entitativâ & physicâ diversitate inter unionem & gratiam habitualem, vel actum supernaturalem, in hoc tamen conveniunt, quòd utraque sit ordinis supernaturalis, & tendens ad participationem Dei, disponensque suum subjectum ad eundem finem ultimum, nempe visionem beatam. Res verò naturales & supernaturales tendunt ad duos fines ultimos, omnino disparatos, & consequenter non habent inter se illam subordinationem in ordine ad meritum, quæ tamen præcipuè spectanda est in hac materiâ, ut fatentur omnes: adde juxta probabilem sententiam, conceptum rei supernaturalis in hoc consistere, ut non debeatur rei ulli naturali, de quo dixi Tomo præcedente, Disp. 12. Res ergo naturalis & supernaturalis sunt sicut duæ lineæ rectæ, quæ licèt in infinitum protendaptur, nunquam in eodem puncto coëunt, sic nec hæ res cùm tendant ad fines disparatos.

IV. *Objic. Longè major est improportio inter unionem & meritum supernaturale, quàm inter meritum naturale & præmium supernaturale.*

Actus supernaturalis peculiariter tendit ad participationem Dei.

Dices secundò, cum Vasquez hîc, disp. 21. cap. 3. ideo repugnare omne meritum congruum in humanitate naturâ antecedens unionem, quia vel meritum illud procederet ex gratiâ habituali, & hoc non, sic enim pro illo priori esset filius adoptivus; vel procederet ex auxilio supernaturali actuali, sed hoc similiter dici non potest, nullum enim esse opus potest in Christo non infiniti valoris, ergo non potest habere principium operandi meritoriè ante unionem hypostaticam.

V. *Objic. Non videtur assignari posse principium à quo actus ille meritorius de congruo unionis procedat.*

Respondeo primò: Posse hoc opus meritorium de congruo procedere à gratiâ habituali, ex quo tamen non sequitur pro illo priori esse filium adoptivum; denominatio enim filii adoptivi non sumitur præscissivè & secundùm prioritatem solùm signorum, ita ut is sit filius adoptivus Dei, qui pro aliquo priori præscindit ab unione hypostaticâ; sed ut sit filius adoptivus pro aliquo instanti, pro eodem habere debet negationem unionis hypostaticæ, ut infra latiùs ostenditur.

VI. *Inprimis actus hic meritorius procedere potest à gratiâ habituali.*

Respondeo secundò: Posse etiam hoc meritum sine incommodo procedere ab auxilio supernaturali extrinseco, nec tamen erit valoris infiniti, quia opus quod antecedit gratiam non potest accipere valorem ab ipsâ gratiâ, saltem in ordine ad gratiam quam meretur, ut omnes penè fatentur de actu contritionis à peccatore

VII. *Potest etiam opus illud procedere ab auxilio extrinseco.*

Tom. II.

elicito in ordine ad gratiam habitualem, & suprà declaravimus exemplo principis creati dignitates militibus ob merita conferentis. Adde, non propriè dici operationem, de quâ loquimur, esse Christi, sicut etiam actus contritionis quo meretur quis de congruo primam gratiam, non dicitur actus justi, nec vivi membri Christi, sed peccatoris.

VIII. *Dices: actum illum saltem esse meritorium primæ gloriæ.*

Urgebis: Actum illum, licèt non sit de condigno meritorius primæ gratiæ, esse tamen meritorium primæ gloriæ, quod probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. ubi ait sperantibus in Deo proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filiis, & tanquam mercedem bonis operibus ac meritis; ergo juxta concilium Adulti omnes merentur gloriam, ergo per illum etiam actum hoc faciunt; posset enim quis statim post actum contritionis mori.

IX. *Respondetur actum illum non mereri primam gloriam*

Respondeo: Solùm velle Concilium, tunc gloriam cœlestem esse mercedem, quando sunt merita, non verò ubi quis adultus moreretur in gratiâ sine meritis, quod aliquando videtur posse contingere extra casum argumenti: exempli gratia, si quis adultus dispositus per attritionem accedat ad baptismum: hic instanti justificationis nullum habet meritum, cùm attritio transierit, ut supponimus, & tamen si sequente instanti moriatur, consequetur cœlum, cum moriatur in gratiâ, ergo universim non est necessarium, ut adultis omnibus sit vita æterna merces in actu secundo, licèt proponatur ut talis in actu primo, & consequenter probabiliter dici potest actum contritionis à peccatore elicitum nec primam gratiam mereri de condigno, nec primam gloriam: sic si puer baptisatus post usum rationis viveret ad tempus sine meritis, & sic moreretur, salvaretur per gratiam baptismalem sine meritis.

X. *Dices: Ex diverso modo loquendi Concilii Tridentini denotari, primâ gloriam cadere sub meritum, etsi sub meritum non cadat prima gratia.*

Instabis ex eodem Concilio sess. 6. canone 32. ubi sic habet: *Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, & JESU CHRISTI meritum cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; Anathema sit*: ubi consultò videtur Concilium non dixisse nostris operibus mereri nos gratiam, sed augmentum gratiæ, dicit tamen nos mereri vitam æternam, & augmentum gloriæ, ergo vult significare primam gloriam cadere sub meritum, non primam gratiam.

XI. *Loquitur Concilium illo loco de operibus supponentibus justificationem.*

Respondeo: Non loqui ibi Concilium de primo actu Contritionis, sed de aliis justificationem supponentibus, ut notat P. Suarez de Revivisentiâ meritorum, Disp. 2. sect. 1. num. 32. & 33. tum quia vocat opera illa fructus justificationis, aitque procedere à justificato, & vivo membro, tum præcipuè, quia sequeretur per illum actum mereri aliquem augmentum gratiæ & gloriæ, cum eidem applicet Concilium illâ omnia, ut constat. Dico itaque singulos actus justi post primùm actum contritionis mereri illa omnia, nempe augmentum gratiæ, augmentum gloriæ, & vitam æternam, quæ cuivis gradui gloriæ annexa est, sicut per secundum vel tertium peccatum mortale meretur quis damnationem æternam cum augmento pœnæ.

XII. *Dices: Gradui etiam cuique gratiæ annexa est gratia.*

Dices: Cuilibet etiam gradui gratiæ est essentialiter annexa gratia, ergo etiam pari ratione dici posset mereri nos absolutè gratiam, sicut vitam æternam. Respondetur primò, deditâ operâ non dixisse Concilium, justum per bona opera mereri gratiam, ut tacitè damnaret & fugeret errorem Pelagii dicentis nos mereri primam gratiam. Respondetur secundò, longè diverso modo se habere opera nostra respectu gloriæ & gratiæ; hujus enim gradum nullum mereri possumus, nisi aliquem necessariò præsupponendo, cùm omne meritum condignum fundetur in gratiâ, sicque, secundus actus non reddit nos simpliciter gratos ex modo tendendi, sed gratiores; gloriam verò ita meremur per secundum actum, ut si aliunde non haberemus aliquem illius gradum, per hunc acciperemus, quod secus contingit in gratiâ; sicut, uti diximus, per secundum peccatum mortale, ita meretur peccator damnationem æternam, ut, si aliunde non esset eâ dignus, per primum peccatum, per hoc esset.

Resp. Diverso modo se habere opera nostra respectu gloriæ, ac respectu gratiæ.

XIII. *Objic. Vnio hypostatica petit ut sit radix omnis meriti subjecto in quo est.*

Dices tertiò: Unio hypostatica est perfectissima sanctitas, & in cujus conceptu involvitur quicquid spectat ad perfectionem cujusvis sanctitatis possibilis, ergo petit ut pro omni instanti quo est, sit radix omnis meriti, & cujuscumque rei, quæ ad moralem subjecti perfectionem pertinet. Sed contra, nam nullus credo negabit, quin in instanti unionis possit Deus de potentiâ absolutâ disparatè infundere varia dona supernaturalia, & concursum dare ad actus bonos independenter ab unione, sicut de facto, licèt connaturaliter debebatur Christo ratione unionis gloria corporis, tamen juxta Vasquez & alios, non fuit data ratione unionis, sed ob merita; ergo non est de essentiâ unionis, ut quicquid perfectionis habet eo instanti humanitas, habeat intuitu illius.

Resp. Nullum negatum, quin in primo instanti unionis possit absolutè Deus varia dona infundere humanitati

XIV. *Vnio hypostatica in actu primo est radix omnis meriti, nontamen id necessariò semper habet in actu secundo.*

Respondetur itaque distinguendo consequens, ergo petit pro eo instanti ut sit radix in actu primo omnis perfectionis & meriti, concedo; petit essentialiter ut in actu secundo, quicquid est perfectionis detur intuitu illius; nego: cùm enim Deus liberè conferat hæc dona, potest vel absque ullâ omnino conditione ea dare, vel etiam positâ conditione & merito de congruo in actu primo sufficiente, non tamen intuitu illius sed merè gratis dare. Sicut in physicis, positâ re aliqua, quæ aliam connaturaliter exigit, potest Deus non intuitu illius eam dare, sed omnino independenter ab illâ. Quod tamen in nostro casu minorem habet difficultatem, cum unio hypostatica pro illo priori non præcedat actum illum supernaturalem. Unde licèt pro omni instanti quo est unio, reluceat in eâ in actu primo dignitas omnis boni, intuitu illius conferendi, hoc tamen non impedit, quo minùs hic & nunc detur unio intuitu actus alicujus supernaturalis, ab unione in esse independentis.

Potest Deus naturæ ordinem miraculosè invertere.

XV. *Objic. Vnio hypostatica pro omni instanti quo est, tollit potentiam peccandi, ergo dari nequit dependenter à conditione.*

Dices quarto: Per unionem tolli potentiam peccandi pro omni instanti quo est, ergo non potest dari dependenter ab hujusmodi conditione. Aliqui negant antecedens; licet enim, inquiunt, non sit in humanitate potentia peccandi in sensu composito unionis, seu potentia componendi peccatum cum unione; sic enim Christus diceretur peccare, dicunt tamen esse in sensu diviso, seu demerendo & destruendo unionem. Sed quicquid sit de hoc, de quo infra, cum de impeccabilitate Christi. Respondetur secundò, hoc solum probare non posse proponi unionem hypostaticam tanquam præmium actui, cujus oppositum esset peccatum, sed tantùm actui bono supernaturali ab omni obligatione libero. Tertiò responderi potest disparitatem esse inter primùm instans & sequentia, respectu potentiæ peccandi

Resp. Hoc solum probare unionem non posse proponi dandam dependenter

à quocunque actu.

peccandi in humanitate unita Verbo; si enim in ullo instanti post primum quo unitur humanitas Verbo, esset in eâ potestas peccandi, esset etiam vis ad expellendam & vincendam quasi summam sanctitatem, quod nonnullam imperfectionem arguere videtur; at verò habere potentiam peccandi antecedenter ad unionis receptionem, seu ita ut non detur unio, non videtur ullam includere imperfectionem Deo repugnantem. sed de his postea.

XVI. *Ad dignitatem & perfectionem unionis sufficit, quòd in actu primo sit radix omnis meriti suo subjecto, quamvis hoc non semper habeat in actu secundo.*

Dices quintò: Derogat dignitati unionis, ut omni instanti quo existit, non sit radix omnis meriti subjecto in quo est, ergo. Nego antecedens; ad dignitatem namque unionis salvandam sufficit esse eam in actu primo sufficienter radicem omnis boni & meriti, quod autem hic & nunc non mereatur in actu secundo, defectu applicationis, nil derogat summæ illius perfectioni, & valori infinito: sicut eidem valori secundùm omnes non derogat, quod in actu secundo non meruerint opera Christi omne præmium possibile, eo quod ad illud merendum non fuerint applicata, sufficit enim ad eorum dignitatem quod in actu primo talis præmii sint meritoria.

SECTIO TERTIA.

Quædam circa meritum Christi.

I. *Quid Christus meruit vel non meruit sibi.*

HINC infero primò, quid meruerit Christus vel non meruerit sibi: in primis enim non meruit sibi unionem hypostaticam, cum hæc prior fuerit ad omnem operationem Christi, & loco propriæ subsistentiæ. Secundò meruit sibi gloriam corporis, & nominis sui exaltationem, ut contra Calvinum docent hic Theologi, constatque claris Scripturæ sacræ testimoniis, ut Lucæ ultimo: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; ad Philippenses cap. 2. *Propter quod & Deus exaltavit eum*, &c. & Apocalyp. c. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem*, &c. hoc est divinitatis manifestationem, ut communiter dicunt Interpretes.

Meruit sibi gloriam corporis, & nominis sui exaltationem.

II. *Objic. Gloria corporis aliunde Christo debebatur, ergo non potuit eam mereri.*

Dices: Alio titulo debebatur Christo gloria corporis, nempe ratione unionis hypostaticæ, ergo non potuit eam mereri. Vasquez negat antecedens, aitque de facto Christum non habiturum fuisse gloriam corporis, nisi per merita. Secundò respondeo negando consequentiam, nil enim vetat duplici titulo illud ipsum obtinere, & jure scilicet connaturalitatis, & ex meritis. Urgebis, ergo animæ in cœlo possunt mereri resurrectionem. Respondeo fortè hoc non est impossibile, saltem divinitùs: unde Vasquez Disp. 76. cap. 6. n. 3. ait posse Christum nunc in cœlis mereri aliis, si velit. Secundò, Disparitas est, quia illæ non omnino sunt in viâ, nec quoad animam, ut constat, nec quoad corpus, cum corpus non habeant, Christus tamen fuit saltem quoad corpus.

Resp. Potuisse illam duplici titulo obtineri.

III. *Nec gratiam habitualem, nec visionē beatificam meruit Christus.*

Tertiò: Non meruit Christus gratiam habitualem, habitus infusos, lumen gloriæ, & visionem beatam. Ratio est, quia Deus tamdiu supponitur operari connaturaliter ad exigentiam cujusque rei, donec constet contrarium, ergo sicut propterea non meruit de facto Christus unionem hypostaticam, quia subsistentia debetur tanquam passio naturæ, ipso facto quod natura existat, & consequenter antecedit connaturaliter omnem illius operationem, ita cùm unio, eo ipso quòd sit, petat tanquam passiones, gratiam, habitus, lumen, & visionem, debent connaturaliter antecedere omne meritum. Et ob eandem rationem non meruit Christus, vel visionis, vel unionis continuationem.

IV. *Potuit tamē Christus de potentiâ absolutâ mereri visionem beatam.*

Quæres: Utrùm saltem per potentiam absolutam potuerit Christus mereri visionem beatam. Respondeo potuisse, ita Suarez hîc, Disp. 40. sect. 1. atque esse communem Theologorum sententiam. Probatur: Quia sicut de facto Christus meruit sibi gloriam corporis, quam ab initio non habuit, ita per divinam potentiam potuisset creari ejus anima unita personæ divinæ, absque eo quòd haberet gloriam essentialem, tunc ergo potuisset eam mereri. Quod Suarez affirmat contingere etiam potuisse pro primo instanti quo de facto fuit creata anima unita Verbo, esto pro eodem gloriam habuerit, ad quod, inquit, sufficit prioritas aliqua naturæ, quod à fortiori diceret de continuatione unionis & visionis, tam in Christo, quàm in Sanctis.

V. *Christus à primo conceptionis instanti usque ad ultimum instans vitæ, semper meruit.*

Infero secundò: Circa tempus meriti Christi, meruisse ipsum à primo instanti conceptionis usque ad ultimum instans vitæ: ita Sanctus Thomas infra quæst. 34. art. 3. Suarez disp. 39. sect. 3. Vasquez, & omnes communiter, licèt Durandus dubitaverit de merito infantiæ, quod tamen probatur apertè ex Patribus; Sanctus enim Augustinus serm. 11. de Tempore sic de Christo scribit: *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplasmata naturæ.* Idem S. Ambrosius, S. Bernardus, & alii Patres communiter affirmant. Ratio à priori est, quia cùm Christus habuerit, etiam primo conceptionis instanti perfectissimam cognitionem, & reliqua ad merendum necessaria, quid obstat, quo minùs aliquid nobis tunc promeruerit: imò Christum primo Incarnationis instanti ad mortem se pro hominum salute obtulisse, probatur ex illo ad Hebræos 10. vers. 5. *Ingrediens mundum dicit sacrificium & oblationem noluisti*, &c. *tunc dixi ecce venio*, & versu 10. subdit Apostolus: *In quâ voluntate sanctificati sumus.*

Ratio à priori, qua probatur Christum, etiam in infantiâ meruisse.

VI. *Christus, etiam dormiens, actū aliquem meritorium Patri obtulit.*

Toto etiam vitæ tempore, verisimile est Christum, actum aliquem meritorium Patri obtulisse, etiam dum dormiret, utpote cujus cor etiam tunc vigilaret. Post mortem verò nihil eum meruisse probatur, tum ex verbis Christi in ultimâ vitæ periodo prolatis: *Consummatum est*, tum ex illo Joannis 4. *Me oportet operari dum dies est*, id est dum vita manet, *venit nox*, &c. per noctem autem intelligunt Interpretes mortem. Unde per vulnus lanceæ lateri post mortem inflictum non meruit Christus, nisi vel objectivè, quatenus scilicet fuit objectum alicujus voluntatis præcedentis, qua offerebat se Patri ad totum sanguinem pro nobis effundendum, vel repræsentativè, ut scilicet repræsentaret per mirabilem illam aquæ & sanguinis effusionem, quo pacto à peccatis per redemptionem lavaremur, sicut ad Rom. 4. dicitur: *Resurrexit propter justificationem nostram*, id est, ut esset forma nostræ.

VII. *Dicunt nonnulli primam dispositionem ad gratiam in nobis non cadere sub meritum Christi.*

Infero tertiò: Quid Christus meruerit aliis. Capreolus, Ferrarius, & alii apud Suarez dis. 41. sect. 2. aiunt, sub Christi merita non cadere primam vocationem, seu dispositionem ad gratiam in nobis; licèt enim, inquiunt, mereatur Christus, ut vocati, credentes, contriti, baptizati, &c. accipiant gratiam, non tamen ut vocentur, credant, &c. quibus ex parte consentit Scotus, primò, quia gratia jam non esset gratia, cùm

Tom. II. Christus quicquid meruerit, meruerit ex justitiâ, secundò, quia quod hi credant, baptizentur, &c. potiùs quàm alii, pendet ex mero Dei prædestinantis beneplacito, in quo fortè sumus vocati prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur in nobis *secundùm concilium voluntatis suæ*, ut ait Apostolus ad Ephes. primò.

VIII. *Ex Scripturâ & Conc. ostenditur Christum nobis meruisse primam etiam dispositionem ad gratiam.* Sed hanc sententiam in scholis audiendam non esse ait Suarez loco citato, tum ob illud ad Ephesios primo: *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, ergo & dispositiones ad justificationem habemus per Christum: tum ob alia testimonia Scripturæ & Conciliorum, quæ passim videri possunt apud auctores, & in particulari Concilium Tridentinum sess. 6. c. 5. videtur id satis apertè declarasse his verbis: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis, à Dei per Christum IESVM præveniente gratiâ sumendum esse*, hoc est ab ejus vocatione, &c.

IX. *Ratio cur Christus nobis meruerit, non tantùm ut credentes accipiamus gratiam, sed etiam ut credamus* Cùm ergo Christus sit perfectissimè redemptor, meritáque ipsius fuerint valoris simpliciter infiniti, & apta ad longè majora nobis præmia promerenda, non est cur hanc ei gloriam quis neget, ut totius serici justificationis nostræ causa sit & auctor, nihilque omnino sit in ordine gratiæ, quod ei non debeamus, si id sine incommodo fieri possit, posse autem constabit argumentorum, quæ affert contraria sententia, solutione, quæ planè levia sunt ad tantâ Christum gloriâ privandum.

X. *Prima dispositio nostra ad gratiam, nobis gratis datur, Christo ex justitiâ.* Ad primum ergo, dico auxilia illa & dispositiones ad gratiam nobis gratis, Christo ex justitiâ donari, hoc autem non tollit, quo minùs verè sint gratia. Ad secundum dici potest cum Patre Vasquez, primâ parte disp. 14. cap. 3. nostram præ aliis electionem in Christum refundi posse, quod ille sua merita ad gratiam efficacem his potiùs quàm illis applicare voluerit, quo tamen non obstante tribui hoc Deo prædestinanti potest, utpote qui Christi voluntatem moverit, ut hos potiùs quàm illos eligendos designaret.

XI. *Omnem prædestinationis seriem meruit nobis Christus.* Omnem ergo prædestinationis nostræ seriem meruit nobis Christus, ipsámque adeo ad gloriam electionem, primam verò illam voluntatem communem, quâ cupiebat Deus homines post lapsum salvos, non meruit nobis Christus, ut notat Tannerus hîc, quæst. 6. dub. 5. cum Suarez, Valentiâ & aliis, cum juxta Scripturas sacras voluntas illa fuerit causa adventus Christi. Unde Joannis c. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Meruit etiam remissionem peccatorum, & gratiam sanctificantem, licèt illius merita mediis Sacramentis, & nostrâ cooperatione nobis essent applicanda, ut suprà dictum est. Adamo verò ante lapsum non meruit gratiam primò collatam, sed post lapsum restitutam.

SECTIO QUARTA.

Quid meruerit Christus Angelis, & antiquis Patribus, ubi quomodo sit caput Angelorum & hominum.

I. *In parabolâ de nonaginta novem ovibus relictis, ut ovis perdita quæreretur, per hanc hominem intelligunt Patres, per illas Angelos.* Christus Matthæi 18. in Parabolâ illâ de ove perditâ dicitur relictis nonaginta novem ovibus, in mundum descendisse ad quærendum ovem perditam, eámque ad caulam reducendam. Hanc parabolam exponentes Sancti Patres, per nonaginta novem oves, Angelos intelligunt, quibus relictis Dei Filius humanam carnem assumpsit, ut hominem, quem ovem centesimam interpretantur, per peccatum perditum, & à viâ justitiæ aberrantem, per passionem suam à peccato liberaret, ac tandem ad cœlum perduceret, æternæque beatitudinis unà cum Angelis participem redderet. Hinc oritur quæstio, Utrùm ita gratiam & gloriam, aliáque dona supernaturalia meruerit hominibus, ut horum nihil meruerit Angelis, aut quid domum illis per merita sua obtinuerit.

II. *Dona quædam accidentalia meruit Christus Angelis.* Dona quædam accidentalia Christum Angelis meruisse nullus dubitat, nempe illustrationes quasdam, gaudium de sedium suarum reparatione per hominum redemptionem, & alia hujusmodi, sicque Christus est caput, non hominum solùm, sed Angelorum, cùm juxta fidem sit caput totius Ecclesiæ, ut cum Sancto Thoma docent Theologi, probátque inter cætera locus ille ad Ephesios primò, ubi dicit Apostolus Christum suscitatum à mortuis, & constitutum ad dexteram Dei *supra omnem principatum & potestatem, virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur in hoc sæculo, & in futuro, & omnia subjecit pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam:* quem locum licèt alii explicare conentur de Christo ut Deo, clarè tamen loqui videtur Apostolus de illo ut homine, ut constat.

III. *Tribus de causis Christus caput est Angelorum & hominum, ratione dignitatis, pulchritudinis, & influxus.* Triplici verò de causâ Christus dicitur caput Angelorum & hominum, tum ob dignitatem, cùm inter ipsos emineat, ut caput inter membra humani corporis, ipsósque gubernet, tum ob pulchritudinem, sicut enim in capite omnes sensus, ita perfectiones omnes & gratiæ in Christo plenissimè relucent: tum denique quia sicut caput in reliqua membra influit, ita Christus in Ecclesiam. Membrum tamen Ecclesiæ, ut benè notant aliqui, congruè vocari non potest, sicut caput membrum est humani corporis, cùm Christus influxum nullum ab hominibus, vel Angelis recipiat, sicut à suis membris recipit caput corporeum.

IV. *An Christus gratiam meruerit Angelis.* Difficultas est, Utrùm non dona solùm accidentalia, sed gratiam etiam & gloriam meruerit Christus Angelis. Affirmat Suarez hîc, disputatione 42. sect. 1. Valentia quæst 8. p. 3. Tannerus de Incarnatione, quæst. 6. dub. 5. n. 178. & alii.

V. *Probabilius est Christum non meruisse gratiam Angelis.* Contraria tamen sententia & communior & verior est: ita Vasquez hîc, disp. 49. & primâ parte, tomo 1. disp. 93. num. 20. Lessius de Prædestinatione Christi, & alii, & ex antiquis Sanctus Bonaventura, Halensis, & alii, videturque expressa mens Sancti Thomæ in tertium, disp. 13. quæst. 2. art. 2. & alibi. Ratio à priori est, quia Christus ut vidimus disp. præcedente, præfinitus fuit in remedium lapsus primorum parentum, ergo pro aliquo priori prævisum fuit peccatum illud ante merita Christi, cùm fuerit in præscientiâ Dei ante Christi existentiam, sed pro aliquo priori ad suum lapsum habuit Adamus gratiam, cùm peccando illam sibi ac nobis perdiderit, ergo non accepit eam primò per merita Christi, cùm pro illo signo non fuerit Christus in præscientiâ, tum sic, sed Angelis in eodem vel priori signo data est gratia sanctificans, quam data sit primo parenti, eámque alii conservarunt, alii peccando amiserunt, & eorum peccatum Adamo lapsus causa fuit, ergo non habuerunt gratiam illam per Christum.

Peccatum Adami pro aliquo priori prævisum fuit ante merita Christi.

Secundò

VI. *Apostolus ad Hebræos docet Angelos per Christum non fuisse sanctificatos.*

Secundò probatur ex illo ad Hebræos 2. v. 11. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur*, ex uno omnes, nempe ex Adamo, propter quam causam subdit Apostolus: *Non confunditur fratres eos vocare*, ergo non sanctificat Christus Angelos, utpote qui non provenerunt ab Adamo. Deinde Patres, & in particulari Sanctus Augustinus libro de correptione & gratiâ, cap. 11. & alibi, hoc idem docent, nempe Angelos & hominem innocentem morte Christi ad sanctificationem non eguisse, eguissent autem, si ab eo justificationis gratia in ipsos derivanda fuisset, sicut propterea eguerint homines.

VII. *Non obstat Angelos habuisse Fidem Christi per Christi merita.*

Dices primò, habuisse Angelos & hominem innocentem Fidem Christi, ex meritis ejusdem Christi. Primò aliqui negant habuisse eam ex meritis Christi, ita Vasquez, disp. 12. cap. 5. & disp. 49. cap. ultimo. Secundò: Esto habuerint, habere tamen potuerunt Fidem illam naturâ posterius ad peccatum Adami, & Christi Incarnationem.

VIII. *Per Filios à Christo ad gloriam adductos intellexit Apostolus homines, quos ob Christi merita Deus ad gloriam prædestinaverat.*

Dices secundò: Apostolus ad Hæbræos 2. v. 10. de Christo, ait eum qui multos filios ad gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare debuisse. Respondeo, per filios illos intelligere Apostolum eos, quos ob merita Christi prædestinaverat jam ad gloriam Deus, imò aliquos ex iis, nempe Patres antiquos aliquo modo jam in gloriam adduxerat per certam scilicet illius promissionem, ad cujus tamen consummationem deerat solùm executio adventus, & mortis Christi.

IX. *Sancti Patres nunquam affirmant Angelos fuisse sanctificatos per Christum quà hominem.*

Difficultas præcipua in hac re est circa auctoritatem quorumdam Patrum, quos pro se citat Suarez: ad hos tamen Respondeo, non affirmare eos Christum quà hominem salutem attulisse Angelis, sed solùm fuisse sanctificatos Angelos per Filium Dei, per Christum, per Verbum, &c. quæ non necessario intelliguntur de Christo ut homine. Unde S. Gregorius in Ezechielem cap. 14. expressè ait Christum Angelis semper fuisse murum, nobis verò factum esse murum, nempe per Incarnationem, & S. Bernardus sermone in feriam quartam hebdomadæ sanctæ, post medium sic habet: *Passio Domini data est homini, quia alteri dari non potuit, nunquid Angelo? sed ille non eguit, nunquid Diabolo? sed ille non resurgit*, &c.

X. *Dum S. Gregorius Angelos dicit esse sanctificatos per Filium, intelligit ut erat Deus.*

Quare cùm S. Gregorius in librum secundum Regum asserit Angelos esse sanctificatos in Filio, intelligitur de Filio ut erat Deus: cùm verò addit idem S. Gregorius, *Nemo electorum nisi in ipso est*, nempe Christo, *quod sic refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet*: intelligendus est, vel per electos velle solos homines, vel si includat Angelos, loquitur non de gratiâ sanctificante, sed de fide Incarnationis, quam habere per Christum poterant Angeli in statu viæ: Justus namque, inquit, esse non potest qui fidem non habet divinæ Incarnationis: hæc tamen omnia commodiùs intelliguntur de hominibus.

XI. *Clarè docet S. Gregorius Angelos sanctificationis gratiam non accepisse per Christum.*

Quod autem non existimaverit S. Gregorius Angelos esse sanctificatos per Passionem Christi, constat ex lib. 28. Moralium, cap. 14. *Sed ecce*, inquit, *Angeli divinam potentiam laudant, quia ipsa eos tantæ claritatis visio delectat; nos autem, qui redimimur, quia virtute laudare debemus?* & paulò superiùs de Christo habet hæc verba: *Cujus Incarnationis mysterium quia & electi Angeli mirati sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt, rectè subjungitur, cum me laudarent simul astra matutina*: hæc ille: ubi pulchrè explicat quomodo Angeli sint *astra matutina*, utpote qui lucem suam à Filio Dei, ut mane in æterni Patris sinu ortus est, acceperunt; homines verò *astra vespertina*, qui ab eodem Dei Filio nobis post tot sæcula in mundo in humanâ carne nato, qui tamen occasus quidam potiùs illius & vesper dici potest, quàm ortus.

XII. *Explicatur dictū quoddam S. Hieronymi.*

Quod autem afferri solet de S. Hieronymo cap. 2. ad Ephesios, Christum sanguine suo Angelos purgasse nimium probat; inde enim sequeretur Angelos sanctos aliquando peccasse, & per Christum à peccato purgatos fuisse, qui fuit error Origenis, ex cujus sententiâ non ex propriâ loquitur ibi S. Hieronymus, ut notat Vasquez hîc, disp. 49. cap. 5. & fatetur Suarez Disputatione 42. sect. 2.

XIII. *Antiqui Patres quicquid habent gratiæ, habent ex meritis Christi.*

Quoad antiquos Patres recepta in primis est apud Theologos opinio, eos quicquid habent gratiæ & donorum supernaturalium, Christi meritis acceptum referre. Hinc oritur difficultas; cùm enim dona illa præcesserint Incarnationem Christi, non apparet quo pacto Christus sua merita pro iis offerre potuerit, jam enim sciebat esse dona illa collata, ergo nec orare, nec offerre Patri merita potuit, ut conferrentur.

XIV. *Probabilius est posse fieri orationem pro præteritis.*

In hac re licèt Vasquez primâ parte disp. 94. cap. 3. & alii negent posse esse orationem pro præteritis: probabiliùs tamen videtur cum Valentiâ secundâ secundæ disp. 16. quæst. 2. punct. 8. posse; licèt enim tempore priora, naturâ tamen posteriora esse possunt hac oratione & merito. quod etiam tenet Pater Erice de Prædestinatione, disp. 24. cap. 5. non quidem ut jam fiant vel non fiant ea quæ petuntur, sed jam oratio offertur & meritum, ut facta vel non facta fuerint. Sic pro defunctis orat Ecclesia, ne absorbeat eas tartarus, ne pœnam æternam sustineant, &c. cùm eo tempore, quo orat Ecclesia, liberæ jam sint animæ à pœnis inferni, vel liberari omnino non possunt: petit ergo Ecclesia, ut liberentur ab inferno, non nunc, sed antea. Imò hoc in omni oratione nostrâ videtur necessariò dicendum, oramus enim Deum, ut concedere nobis velit victoriam, pluviam, &c. cùm tamen ab æterno decreverit Deus concedere dependenter ab hac oratione. Non ergo oramus ut Deus nunc habere velit hanc voluntatem, quam antea non habuit, cùm hoc sit impossibile, sed ut ab æterno eam habuerit: sicut ergo hîc petimus à Deo volitionem præteritam, ita quidni poterit Christus petere, & mereri antiquis Patribus gratiam & auxilia præterita.

Quo sensu oret pro defunctis Ecclesia ne absorbeat eos Tartarus.

XV. *Tunc orare possumus pro re præteritâ, quando non sumus certi, nos eam esse consecutos.*

Semper ergo orare possumus pro re præteritâ, quando nobis non constat de certitudine possessionis illius, tunc enim orare aut offerre pro eâ merita non possumus, nullus enim applicat media ad id obtinendum, quod jam habet independenter ab illo medio: sic cùm Ecclesiæ certò non constet quòd Deus animam ab inferno liberaverit, potest orare ut Deus eam liberaverit: sic similiter Christus orare potuit, & merita sua offerre, ut gratia antiquis Patribus data fuerit, dum tamen non procederet oratio illa, & oblatio ex notitiâ gratiæ jam illis collatæ, oratio enim illa, & meritum tempore quamvis posteriora, naturâ tamen sunt priora collatione illius gratiæ.

XVI. *Objic. Sciebat Christus gratiam antiquis Patri-*

Dices: Christus eo instanti quo pro antiquis Patribus orabat, sciebat gratiam iis jam esse collatam, ergo non potuit tunc orationem & merita offerre ut conferatur. Negatur consequentia:

Non

Tom. II.

bus jam fuisse cōcessam, ergo orare non potuit ut concederetur.

Non enim quævis scientia impedit orationem & merita prudenter offerenda, sed ea sola, qua scitur datum jam esse id quod petitur, independenter ab hac oratione & meritis, alia enim scientia solùm est consequens, seu sciens datam jam fuisse gratiam illis dependenter ab hac oratione. Sicut ergo, licèt Christus eo instanti quo orabat Patrem pro suscitatione Lazari sciebat certò fore ut per hanc suam orationem obtineret illius suscitationem, potuit tamen prudenter pro illâ orare, ita quidni orare quis possit ut aliquid ob illius orationem datum fuerit, quod intuitu illius sciebat datum jam fuisse.

SECTIO QUINTA.

Vtrùm Christus per merita, unionem subsequentia potuerit illam mereri.

I. *Certum est Christum per merita unionem tempore antecedentia non potuisse eam mereri.*

SECTIONE primâ rejecimus eos, qui Christi humanitatem, priùs tempore extitisse asserebant, quàm uniretur Verbo; unde clarum est per opera unionem tempore antecedentia non potuisse Christum mereri unionem, cùm Christus per ipsam unionem constituatur. Nec etiam mereri unionem potuit per opera naturâ eam concomitantia, cùm merita, ut tum hîc, tum tomo præcedente, disputatione quadragesimâ, sectione secundâ, diximus movere ut causa moralis debeant ad conferendum præmium, quod intuitu eorum datur. Restat ergo tantùm controversia de operibus unionem subsequentibus, quam hac sectione expediam.

II. *Vnde oriatur difficultas de merendo unionem per merita eam subsequentia.*

Difficultas verò ex eo oritur, nam, ut proximè vidimus, potuit Christus per merita sua antiquis Patribus gratiam & auxilia supernaturalia mereri, eo quòd merita illa, licèt tempore posteriora, naturâ tamen priora erant gratiâ illis collatâ, quare ergo non poterit Deus intuitu operationum à Christo in tempore aliquo post receptam unionem, ut in adultâ ætate elicitarum moveri ad unionem illi primò conferendam. Quæstio verò procedit de meritis non conditionatè solùm, sed absolutè prævisis, cùm sub hac solâ ratione sint propriè merita, merita siquidem non movent nisi ut existentia.

III. *Singularis quorundam opinio.*

Singularis hac in parte est opinio Patris Suarez hîc, disp. 10. sect. 4. quem sequitur Coninck disp. 8. de Actibus supernaturalibus, dub. 7. & recentiores non pauci. Distinguit itaque Suarez ordinem intentionis & executionis, unde, inquit, nil vetat, quo minùs Deus ordine intentionis præfiniat efficaciter Christum, & illius merita, deinde ordine executionis det unionem intuitu horum meritorum, quæ licèt Incarnatio in intentione præcedat, in executione tamen subsequitur, cùm ex illis prævisis executioni mandetur.

IV. *Si Christus in virili ætate fuisset præfinitus, potuisset mereri unionem primo conceptionis instanti humanitati conferendam.*

Variis modis intelligi potest Christum per merita unionem sequentia illam mereri ut in primo instanti conceptionis conferendam: primò, ita ut Christus instanti quo meretur unionem, intelligatur existens sine dependentiâ à collatione illius in primo instanti conceptionis, sed ita ut præfiniatur Christus in virili ætate, & hoc modo non videtur dubium, quin potuerit Christus mereri unionem multo antè humanitati conferendam, sicut & potuisset Deus moveri ex meritis Christi ad unionem hypostaticam Adamo, vel Moysi cum Patre aut Spiritu Sancto, vel ipso etiam Filio concedendam. Hic ergo loquimur de meritis ab unione in primo conceptionis instanti collatâ in suo esse pendentibus.

V. *Nec etiam est difficultas ut existens per unam actionem mereatur unionem secundâ actione producendam.*

Secundò intelligi potest Deus ita moveri intuitu meritorum subsequentium ad unionem primo instanti secundâ actione à meritis moraliter proveniente producendam, ità tamen ut priùs extiterit ex vi actionis, per quam valorem meritis confert, & hæc non est major difficultas, quàm quòd effectus elevari possit ad causam sui secundò producendam, etiam dum ipsum causat, vel quòd idem hoc modo elevetur ad secundò producendum se, quæ tamen fieri posse ostendi disp. 21. Phy. sect. 3. & disp. 19. per totam. Non tamen existeret unio hypostatica in hoc casu duplici actione totali, ut ibidem diximus.

VI. *In duobus præcedentibus casibus unio hypostatica tempore tantùm & secundùm quid producitur priùs meritis, simpliciter verò posteriùs.*

Dicendum itaque, licèt his modis non implicet unionem primo conceptionis instanti produci intuitu meritorum subsequentium, cùm tempore solùm & secundùm quid priùs illis producatur, simpliciter verò & naturâ posteriùs, ita tamen produci intuitu meritorum subsequentium, ut primò tunc sit ratione illorum, ut vult Suarez, videtur omnino impossibile; cùm enim hæc merita, quà talia dependeant ab unione, cùm eorum valor ab eâ desumatur, debet unio dignificare ea ut existens prò illo instanti quo merentur, ergo pro eodem priori, pro quo sunt merita, est unio, ergo non potest accipere primum suum esse per hæc merita, sed ad summum secundum esse, seu ut aliâ actione secundò producatur.

VII. *Impugnatur ordo ille intentionis & executionis.*

Dices, hoc solùm probare, debere unionem ordine intentionis præcedere merita, in executione tamen potest ea subsequi, seu intuitu illorum primò produci. Contra primò: Vel ordo ille intentionis sufficit ad ponendum unionem à parte rei, vel non: si primum, ergo ante merita existit unio, & consequenter primum suum esse non accipit ab iis, vel physicè, vel moraliter, cùm pro illo priori merita non sint: si secundum, ergo merita illa non sunt merita infiniti valoris, cùm hic valor desumatur ab unione existente, & opera moraliter informante, valor enim meritorum, est ipsa unio, ut dictum est.

VIII. *Ex hoc ordine intentionis & executionis merita illa essent causa sui.*

Contra secundò: Hinc enim sequeretur merita illa esse causam sui, siquidem cùm valor meritorum sit unio, si mereantur hunc valorem, merebuntur se: imò principium meriti cadet sub meritum, quod implicat, ex hoc enim principio semper probat Sanctus Augustinus primam vocationem, quæ est principium omnis meriti in nobis, debere gratis dari, & sine meritis, idque non naturaliter solùm, sed de potentiâ absolutâ: libro enim de libero arbitrio & gratiâ, cap. 8. ex principio illo infert non posse primam vocationem non conferri independenter à meritis, nec posse hominem ullâ ratione præstare ut vocetur, si autem possemus eam mereri, de facto mereremur, cùm Deus eam nobis det cum onere cooperandi, & gloriam Deo tanquam fructum illius rependendi, ut constat in iis Scripturæ locis, ubi se Deus comparat agricolæ vineam elocanti, & Patri-familias talenta distribuenti ad usuram, & ignavos mulctanti; ut benè notat Vasquez hîc, disputat. 21. cap. 5. ergo merita illa quà talia non possunt antecedere unionem.

IX. *Nequit ullo modo effectus elevari ad primò producendum causam sui.*

Contra tertiò: Implicat effectum elevari ad primò producendum causam sui, cùm pro illo priori necessariò existere debeat causa, utpote quæ

quæ operari non possit, nisi ut existens. Contra quartò: Si enim hæc diversitas ordinis *intentionis & electionis* sufficiat, poterit per eandem distinctionem justus per primum actum contritionis mereri ipsum actum contritionis, nam, ut in uno ordine dici posset mereri illum ut in alio: deinde mereri quis posset primam gratiam, item auxilia omnia, per quæ hæc merita producuntur, quæ tamen implicant, cùm pro illo priori quo prævidentur merita, prævideri debeant ut existentia, ergo pro illo priori non potest adhuc esse extitura eorum causa.

X. *Unionem hypostaticam & merita illa existere solùm ex vi intentionis, non executionis videtur implicatio in terminis.*

Dicere ergo, pro illo priori prævideri unionem & merita, existentia quidem, sed solùm ex vi intentionis non executionis, videtur implicatio in terminis; si enim pro illo priori utraque existunt, ergo habent existentiam exercitam, ergo executionem passivam, ergo simpliciter non sunt acceptura suam existentiam, ergo non potest unio ex vi horum meritorum primò produci, mereri siquidem unionem, ut diximus, est movere Dei voluntatem simpliciter ad eam producendam, ergo si hoc totum Deus decrevit independenter à meritis, & pro illo priori videatur existens, non possunt merita esse causa cur Deus eam exequatur, seu ei det esse simpliciter, sed solùm secundùm quid, nempe hoc vel illo loco aut tempore, & secundùm has vel illas circumstantias, unde simpliciter, & quoad substantiam non datur ei esse ob merita, sed solùm quoad modum, cùm aliunde, nempe ex intentione efficace sit determinatus Deus ad dandum esse unioni.

XI. *Objic. Statuere potest Deus non dare unionem hypostaticam gratis.*

Dices secundò cum Patre Suarez citato, non repugnare ut Deus det unionem hypostaticam, non gratis, sed dependenter ab operibus futuris, tunc verò Christus tempore sequente, opera illa præstando solveret id quod ad unionem ipsi dandam Deus requirebat: sicut si Rex militi equum det & arma intuitu meritorum, quæ his instructus postea præstabit, idque cum onere hujusmodi merita exhibendi.

XII. *In illo casu nullum videret Deus meritum, ac proinde hoc sensu daret unionem gratis.*

Ad argumentum dico, in eo casu gratis dare Deum unionem hoc sensu, id est, non tanquam præmium alicujus meriti, cùm nullum videre tunc possit meritum antecedenter ad collationem unionis, unde operationes illæ in eo casu habent rationem finis, non causæ meritoriæ, & ad summum continuari posset unio intuitu illarum sub conceptu meriti, non tamen primò dari, cùm unio hypostatica sit potiùs medium respectu illorum. Hoc quippe differt causa finalis à meritoriâ, quòd illa, ut possibilis, vel conditionatè solùm futura moveat, seu ut fiat, cùm media ad illius consecutionem ponantur, causa verò meritoria non movet nisi ut existens, nec ut fiat, sed quia facta est, saltem in præscientiâ: quæ de causa Sanctus Thomas quæst. 29. de veritate a. 6. ait meritum non causare per modum causæ finalis, sed efficientis. Unde dicit Apostolus: *Misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis, non quia sum fidelis*, ut ait Sanctus Augustinus: ubi verò sermo est de meritis alio modo loquitur Scriptura sacra, ut Matthæi 25. *Venite benedicti Patris mei possidete regnum*, &c. *Esurivi enim & dedistis mihi manducare*, &c.

Hoc idem ostenditur ex differentiâ inter causam meritoriam & finalem.

XIII. *Ad id de armis militi datis dici posset ea non ab initio, nisi post pugnata esse ipsius.*

Ad exemplum illud de milite latè respondi tomo præcedente in materiâ de gratiâ, & prædestinatione, nunc breviter dici posset primò, arma illa non esse militis nisi postquam strenuè ab eo pugnatum est, & parta victoria, initio enim non sunt ei data tanquam præmium, seu intuitu meriti, sed conditionatè solùm, & ut pugnaret, atque ita, si strenuè se gereret manerent ipsius, sin minùs Regi redderentur: in hoc autem casu essent ipsius ob merita jam exhibita, & consequenter ut præmium, quod secus contingit in primâ eorum collatione. Secundò responderi potest, arma illa esse militis ab initio, non tamen per modum præmii collata, nec gratis, sed esse quandam ibi commutationem justitiæ inter Regem & militem, per quam acquirit Rex jus in militem, ut strenuè se præter morem gerat in prælio. Hinc constat differentia in Deo respectu collationis gratiæ, & in Rege respectu armorum; Rex enim commodare solùm arma illa potest, & tunc quando pugnavit, erunt ipsius: Deus verò non potest unionem vel gratiam commodare pro eo instanti quo confert, quia ipsum conferre est dare, cùm alio modo dare non possit.

Secundò concedi potest arma illa verè esse militis ab initio, sed ipsi concessa cum obligatione pugnandi.

XIV. *Non est idem de venditione vineæ cum obligatione solvendi pretium ex ejusdem vineæ fructibus.*

Dices tertiò: Potest quis alteri vineam suam vendere cum obligatione ut ex ejusdem vineæ fructibus pretium ei solvat. Respondeo primò, hoc longè diversum esse à nostrâ quæstione, cùm hîc nihil sit de merito, quod essentialiter debet præexistere, & præmio, pretium autem non necessariò debet existere & solvi quando res traditur, licèt ex alio capite hic sit etiam difficultas. Secundò igitur dico, in hoc casu vel ita instituitur pactum, ut is cui traditur vinea quotannis tantum solvat pecuniæ quantum fructus merentur, tunc verò non omnino vendit, cùm si eam in propriâ haberet potestate, non plus inde emolumenti capere posset, quàm jam capit, nec ullus Sapiens hoc modo vineam aut quicquam aliud emeret: vel ita instituitur pactum, ut aliquid illius quod ex fructibus singulis annis percipit solvat donec exæquet pretium vineæ, tunc autem dici posset, vel per traditionem vineæ acquirere eum jus ad solutionem tanti pretii, & cùm hoc in præsenti acquiratur & æquivaleat vineæ, est contractus justitiæ, vel si hoc jus non æquivaleat vineæ censetur ex parte eam dare.

Duplex aliud modus de pretio vineæ ex vineæ fructibus solvendo.

XV. *Frustra ex mutuâ causalitate probat quis illam sententiam, cum hæc passim à nostris rejiciatur.*

Dices quartò: Possunt causæ sibi invicem esse causæ, ergo nihil vetat merita esse causam unionis, & hanc meritorum. Hanc opinionem de mutuâ causalitate latè impugnavi Disp. 21. Physicorum, quam etiam nostri communiter acriter insectantur, & P. Erice Disp. 28 ait pugnare eam cum lumine naturæ; cùm enim res quæ aliam producit debeat esse prior illa, debet etiam pro illo priori habere suum esse completum, & in rerum naturâ existere nondum producto effectu, cùm effectus priùs illud signum ingredi nequeat. Deinde non posset ex principio illo metaphysico, *Omne quod fit, ab alio fit*, probari prima causa ut latè ostendi Tomo præcedente, Disp. 3. sect. 5. num. 4. & sequentibus.

XVI. *Ex S. Augustini & aliorum Patrum argumentatione contra Pelagium rejicitur modus ille procedendi per intentionem & executionem.*

Ut verò hæc & alia in Philosophia dicta omittam, solutionem hanc nunc impugno ex principiis Theologicis; hinc enim sequeretur invalidam esse Sancti Augustini, & aliorum Patrum argumentationem contra Pelagium dicentem primam gratiam cadere sub meritum, dum propterea probant non posse cadere sub meritum, quia requiritur à priori ad illum ipsum actum quem Pelagius dicebat esse meritum; respondere enim facilè posset Pelagius mutuam esse inter hæc prioritatem. Idem est in resolutione Fidei hæreticorum, quia spiritum suum privatum probant ex Scripturis sacris, & si ab iis quæratur ulteriùs

unde

Tom. II.

unde sciant has esse veras Scripturas, vel se non perperam eas interpretari, respondebunt spiritu suo dictante se id scire, & mutuam hanc causalitatem in sui defensionem proferent. Idem in aliis multis ostendi posset, quæ cuivis facilè occurrent.

SECTIO SEXTA.

Vtrùm Patres antiqui meruerint circumstantias Incarnationis, & B. Virgo ut esset Mater Dei?

I. *Quæstio tam de substantiâ Incarnationis procedit, quàm de circumstantiis.*

EXPEDITIS iis quæ ad Christi meritum spectant, restat ut aliquid de meritis antiquorum Patrum, qui Incarnationem tempore antecedebant addamus, quo pacto scilicet vel substantiam Incarnationis vel circumstantias meruerint, aut mereri potuerint. Et quidem non potuisse Sanctos Patres, vel ullam puram creaturam, divini Verbi Incarnationem de condigno mereri, videtur manifestum; meritum enim condignum æqualitatem habere debet cùm præmio, nullus autem actus puræ creaturæ, gratiâ etiam infinitâ instructæ par esse potest unioni hypostaticæ, ob illius cum Verbo conjunctionem, ut apud omnes est in confesso.

II. *Difficultas hæc primò discutietur circa B. Virginem.*

Ex resolutione itaque secundæ partis tituli de Beatissimâ Virgine, facilè resolvetur prima, cum in eâ minor sit difficultas. Ratio ergo dubitandi est, quia B. Virgo quicquid habuit meriti habuit ex meritis Christi; ergo non potuit mereri ut esset mater Christi, antecedens admittitur ab omnibus: Consequentia probatur, Si omne meritum Virginis proveniat à meritis Christi; ergo pro priori aliquo naturæ existunt merita Christi, quàm merita Virginis; ergo & ipse Christus, cùm priùs existere debeat quàm operari, ergo non potest Beata Virgo mereri suam maternitatem. Probatur consequentia: Mereri maternitatem est mereri ut producat Christum, sed hoc fieri non potest, cum pro aliquo priori ad omne ejus meritum, existere debeat Christus, utpote qui priùs debet operari, ergo, &c.

III. *Aliud est mereri de condigno Maternitatem, aliud mereri copiosam gratiam per quam disponebatur ut esset digna Mater Dei.*

Notandum primò quoad meritum de condigno, diversam esse quæstionem: utrùm meruerit B. Virgo maternitatem, & utrùm meruerit copiosam illam gratiam, quâ disponebatur ut esset digna Mater Dei; non enim semper qui meretur condignè dispositiones ad formam, meretur de condigno formam, quando inter hanc & illas non est physica connexio, & exigentia naturalis, sed ex quadam solùm decentiâ, ad quemcunque enim pervenisset B. Virgo perfectionis gradum, nulla tamen vis illata fuisset naturis rerum, si Mater Dei non fuisset, cùm vel præcisè quia voluit, vel ob aliam causam potuisset Deus illi eam gratiam infundere. Hanc verò dispositionem ad maternitatem partim habuit gratis collatam, ut quod ab originali præservata fuerit, quod tam copiosam gratiam simul cum habitibus infusis tanquam fundamentum secuturæ sanctitatis ab initio receperit, &c. partim verò suis meritis obtinuit, nempe nobilibus illis actibus, quibus gratiam & sanctitatem in dies auxit, virginitatem Deo consecravit, &c. Et in hoc sensu loquuntur multi ex Patribus, dum dicunt eam fuisse dignam Matrem Dei, & condignè se ad dignitatem illam disposuisse.

Dispositionem illam ad Maternitatem Maria partim gratis accepit, partim meritis obtinuit.

IV. *Maternitas Christi de condigno non excedebat valorem meritorum B. Virginis.*

Notandum secundò: Quamvis de facto Beata Virgo non meruerit Maternitatem de condigno, cum insumptus fuerit valor meritorum ipsius in merendo gratiæ & gloriæ augmentum, cum quo peculiarem habent proportionem, non tamen est tantum donum illud ut excedat valorem meritorum ejus, cùm juxta S. Augustinum majus sit concipere Deum mente quàm ventre: unde de Beatâ Virgine ait, *Beatior fuit MARIA percipiendo Fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi*; deinde subdit: *Sic & Materna propinquitas nihil MARIÆ profuisset, nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset.* Præsens verò quæstio procedit de merito de congruo, unde non apparet qua ratione mereri potuerit Virgo ut esset Mater Christi, cùm omne meritum receperit ex meritis Christi.

V. *Vt ab hac se difficultate expediant nonnulli, dicunt matrem in generatione prolis non concurrere effectivè.*

Aliqui, ut hoc defendant, dicunt Matrem in prolis efformatione non habere concursum effectivum, sed solùm subministrare materiam, ex qua corpus infantis compingatur; quam sententiam sequitur S. Thom. hîc, quæst. 32. articul. 4. Dicunt ergo hi auctores fuisse prævisum Christum in primo signo existentem cum illâ materiâ, & ut sic, inquiunt, existens meruit gratiam Virgini qua meruit in se habere partem illam materiæ ex quâ corpus Christi prævisum fuerat componendum. Sed contra: licèt enim olim communis esset inter Philosophos opinio negans Matri concursum activum in prolem, jam tamen contrarium tum à Philosophis tum Medicis habetur certum, quo admisso stare nequit hæc sententia, cùm omnia tribuenda sint Virgini respectu Christi, quæ aliis matribus conceduntur respectu suæ prolis, alioqui non esset verè Mater Christi.

VI. *Alii, ut hîc nodum solvant, confugiunt ad duplicem actionem totalem terminatam ad humanitatem Christi.*

Secundò alii dicunt humanitatem Christi primo Incarnationis instanti productam fuisse duplici actione totali, primâ à solo Deo independenter à Virgine, & per hanc actionem existens Christus meruit, inquiunt, gratiam antiquis Patribus & Virgini, per quam illa meruit ut in eodem instanti reali secundò eum produceret per aliam actionem totalem, fieretque ejus Mater: ita P. Erice 1. parte, tractatu 3. Disp. 39. cap. 4. & ex Recentioribus non pauci.

VII. *Hæc tamen sententia vetat posse Christi generationes, cùm Patres & Concilia tantùm agnoscât duas.*

Sed contra primò: Concilia siquidem & Patres, ut constat ex quintâ Synodo, canone 2. duas tantùm agnoscunt Christi generationes, primam secundùm divinitatem, ex Patre sine Matre, secundam quoad humanitatem, ex Matre sine Patre; secundùm hanc autem sententiam ponitur tertia ejusdem generatio contra mentem Patrum. Contra secundò, hinc namque sequitur Beatam Virginem non fuisse verè Matrem Christi. Probatur: non enim præstat ei quod aliæ Matres præstant suis filiis, cùm simpliciter non det illi esse in instanti conceptionis, sed secundò solùm, & secundùm quid; simpliciter enim supponitur Christus esse per aliam actionem independenter ab hac. Contra tertiò, nam hinc sequeretur Virginem non esse Matrem Christi secundùm actionem aliquam ex parte sui connaturalem, sed per actionem quandam extravagantem, & ad productionem filii non conducentem.

VIII. *Pater Suarez totum reducit ad ordinem intentionis & executionis.*

Tertiò, Pater Suarez, ut in aliis, ita hîc recurrit ad diversitatem intentionis & executionis, aitque merita & existentiam Christi ut in intentione fuisse principium meriti B. Virginis, in executione verò Christum ait fuisse meritorum Beatæ Virginis præmium. Sed contra: nam merita,

merita, ut superiùs diximus, non movent nisi ut existentia, ergo non nisi ut executioni mandata; ergo non potest B. Virgo ex meritis Christi habere quod sit Mater Christi; sic enim principium meriti caderet sub meritum, & Christus esset causa moralis productionis sui, priusque operaretur quàm existeret ut discurrenti patebit.

IX. *Dicunt alii Christum fuisse præfinitum in virili ætate, & sic meruisse gratiam Virgini.*

Quartò alii sic signa instituunt: dicunt itaque, in primo signo post prævisum peccatum, Deum præfiniviſſe Christum in ætate virili existentem per actionem à solo Deo procedentem independenter à concursu Virginis, & hoc modo, inquiunt, existens meruit gratiam Virgini, per quam merebatur ipsa ut esset Mater Christi infantis, sicque principium meriti non cadit sub meritum, nam Christus ut vir, est principium meriti, ut puer præmium, ut vir autem planè independens est à se ut puero.

X. *Hæc sententia, quamvis possibilis, eadem patitur difficultates, quæ Sect. præcedente contra secundum modum sunt allatæ.*

Hic modus dicendi est possibilis, eadem tamen difficultates patitur, quas contra secundum modum supra attulimus, & præterea quòd Patres & Scripturæ non alium agnoscant productionis modum, quàm conceptionis ex Virgine, quod etiam urget contra secundum modum. Deinde Sanctus Augustinus de correptione & gratiâ, c. 11. expresè docet humanitatem Christi sine ullis meritis in ipsâ præcedentibus accepisse unionem hypostaticam, quod tamen in hac sententiâ ægrè salvatur, cum unionem in primo conceptionis instanti præcesserint ordine naturæ merita Christi in ætate virili prævisa, tanquam causa moralis illius.

XI. *Signa ab aliis ita instituuntur, ut Beatissima Virgo in adultâ ætate fuerit præfinita, proli concipiendæ apta,*

Quintò itaque alii sic procedunt, & in primo signo dicunt præfinitam fuisse Beatam Virginem in ætate jam adultâ, proli concipiendæ aptam, & existentem per actionem à solo Deo procedentem, independenter ab omni causâ creatâ, ut prior modus loquebatur de Christo, sicque in illo instanti reali decrevit Deus cum eâ concurrere ad Christi humanitatem per concursum maternum generandam. Deinde existens jam anima Christi unita corpori & Verbo obtulit se ad mortem pro hominibus sustinendam, per quam voluntatem incepit gratiam & toti humano generi & Matri mereri: Unde in illo instanti priùs ratione existebat Beata Virgo, erátque Mater Dei, quàm vel gratiam, vel ullum actum meritorium haberet. Postquam verò electa est in Matrem, meruit per gratiam & auxilia ex meritis Filii sibi collata summum illum gratiæ & virtutum cumulum, per quem disponebatur ut esset digna Mater Dei, quæ proinde dispositiones erant natura consequentes maternitatem, non antecedentes. Hæc insinuare videtur Ragusa hic, Disp. 46. & P. Præpositus in hunc articulum, & Recentiores aliqui.

XII. *Hic maternitatem merendi modus præpiis ad veritatem accedere videtur.*

Hic modus dicendi, si non facilis, saltem ex omnibus minus difficilis videtur, & sequendus: varia tamen objici contra eum possunt, & in primis præfinitionem illam Virginis in adulta ætate primò producendæ quid valde extraordinarium, videri. Ad hoc tamen respondetur, in nulla sententiâ non statui in hoc puncto aliquid extraordinarium; ergo hoc nihil obstat veritati hujus opinionis.

XIII. *Difficultatem deinde in hac procedendi viâ faciunt dicta quorundâm Patrum.*

Secundò, juxta hanc sententiam videtur Beata Virgo non meruisse suam maternitatem, quod tamen durum videtur, & contra auctoritatem Patrum. Sed in primis quo ad Patres ab omnibus explicari debent, cùm frequenter dicere videantur ipsam de condigno hanc dignitatem meruisse, quod tamen Theologi hodie passim negant. Deinde aliqui ex Patribus dicunt non meruisse Virginem, suam maternitatem, undo S. Augustinus, ait Conceptionem ex Virgine factam fuisse nullis præcedentibus meritis; ergo nec merita Virginis eam præcesserunt. Tertiò dico Beatam Virginem licèt quoad immediatam productionem humanitatis Christi, eam non meruerit, meruit tamen mediatam, seu præparationem illius numero materiæ ex qua Deus decrevit Christi corpus primò efformare, ex quo factum est, ut supposito decreto Incarnationis Christi, non potuerit Deus non ipsum primò in utero Sanctissimæ hujus Virginis producere. Meruit ergo Virgo Maternitatem in ratione completæ Maternitatis, ad quod requiritur ut substantia prolis priùs fuerit substantiâ Matris.

XIV. *Dices: Hinc sequi B. Virginem in instanti Incarnationis non dependisse à suis parentibus.*

Tertiò, difficultatem in hac sententiâ facit, hinc quippe sequi videtur Virginem in instanti Incarnationis non dependisse à suis parentibus, quod tamen non videtur admittendum. Respondeo nil in hoc esse incommodi, sicut enim multa alia ei conceduntur privilegia, ita & hoc concedi poterat, extituram scilicet illam fuisse, quamvis parentes eam non genuissent.

XV. *Id ulteriùs in hac sententiâ est difficile, quod Patres aliqui consensui Virginis tribuant mundi redemptionem.*

Quartò, in hac opinione non caret difficultate, quòd Sancti Patres consensui Virginis attribuunt mundi redemptionem: unde S. Bernardus homiliâ quartâ super *Missus est*, sic Virginem alloquitur adhortans quasi eam ad consensum præbendum: *Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat, nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui.* Similia habet S. Augustinus sermone 17. de Tempore. Respondeo, si loquantur Patres de dependentiâ à priori, constat loqui eos de consensu objectivo Virginis, seu objecto consensus illius; si autem loquantur de formali, intelligi solùm debent de dependentia à posteriori, sicut etiam hoc sensu dependebat à copiosâ illâ gratiâ & aliis privilegiis, quæ tamen fuerunt naturâ quid consequens Incarnationem.

XVI. *Vnus ex mediis supra assignatis de exemptione Virginis à peccati originalis debito proximo, non potest in hac viâ subsistere.*

Notandum verò, secundùm hanc rationem procedendi defendi non posse exemptionem Virginis à debito proximo peccati originalis priori ex duobus modis supra assignatis, ita scilicet ut illa eximeretur à pacto, quam sibi designasset in Matrem, cùm enim in hoc modo procedendi non sit designata in Matrem ex meritis Christi, sequeretur non esse redemptam per Christum, quod tamen dici non debet.

XVII. *Antiqui Patres, non substantiam Incarnationis, sed aliquas tantùm illius circumstantias meruerunt.*

Hinc patet quid dicendum sit de alterâ parte tituli circa antiquos Patres, ipsos scilicet, non substantiam Incarnationis; sic enim principium meriti caderet sub meritum, sed tantùm aliquas illius circumstantias de congruo meruisse. Abraham exempli gratia meruit ut Christus ex illius progenie nasceretur, merendo scilicet ut Virgo illa, quæ Deum jam videbatur paritura, nasceretur ipsius filia, & paulatim in eam ætatem adolesceret, in qua Deum gigneret. Alii meruerunt ut Christus potiùs in synagogâ nasceretur, quàm inter gentes. Simeon senex meruit ut jam conceptus nasceretur in Bethleem, ut hac ratione citiùs ipsum videret, &c. In iis verò orationibus, quibus Prophetæ videntur petere ipsam Incarnationis substantiam, ut *Rorate cœli desuper. Vtinam dirumperes cœlos*, &c. Respondeo in his & similibus non petiisse Incarnationem, quàm jam sciebant futuram, Christumq; venturum ut auctorem

bonorum omnium, sed solùm ostendebant affectum suum erga Christum, quod utile inprimis illis erat, vel ad summum petebant accelerationem hujus mysterii, quod alia etiam omnia indicant, *Veni Domine, & noli tardare. Veniat qui venturus est*, &c. sic Apocal. c. 6. significantur orare Sancti ut Deus veniendo ad judicium vindicet sanguinem ipsorum, vel ut affectum suum erga ostensionem divinæ justitiæ demonstrent, vel denique ut judicii diem suis orationibus accelerent.

XVIII. *Virum, saltem divinitus antiqui Patres mereri potuerint divini Verbi Incarnationem de congruo.*

Quæres: Etsi de facto Sancti Patres in hoc statu rerum, per opera sua, etiam in gratiâ facta, mereri de congruo nequeant divini Verbi Incarnationem quoad substantiam; utrum saltem in alio statu eam divinitus mereri potuerint? Negant ex Recentioribus nonnulli; sicut enim, inquiunt, visionem beatam opera naturalia mereri nequeunt, etiam de congruo, ob maximam operationum naturalium à visione beatificâ distantiam, ita nulla merita puræ creaturæ, etiam in gratiâ facta, apta videntur ad merendam de congruo unionem hypostaticam, utpote quæ ob summam excellentiam magis distare videtur à merito puræ creaturæ, quàm gratia habitualis, aut visio ab operibus merè naturalibus.

XIX. *In alio tamen serie rerum potuissent homines*

Dicendum nihilominus, si Deus aliam rerum seriem instituisset, potuisse homines gratiâ habituali, & aliis auxiliis ad actus supernaturales necessariis instructos, mereri de congruo divini Verbi Incarnationem quoad substantiam. Nec obstat quod Recentiores illi objiciebant de actu naturali respectu gratiæ & præmii supernaturalis, nam ut Tomo præcedente, Disp. 113. ostendi, & suprà etiam obiter declaravi, res naturales & supernaturales tendunt ad duos fines disparatos, nullamque inter se habent proportionem, neque subordinationem, cum sint in planè diverso ordine: unde sicut, ut ibidem dixi, duæ lineæ rectæ paralellæ, quantumvis protendantur, nunquam in idem punctum coëunt, ita res naturales & supernaturales, nunquam in eodem fine conveniunt. At verò actus boni supernaturales & unio hypostatica, etsi in entitate & perfectione physica maximè inter se distent, sunt tamen in eodem ordine entis supernaturalis, & ad eundem finem tendunt, ut nimirum homines æternæ beatitudinis participes efficiant, & cœlestis regni concives. *mereri Incarnationem de congruo.*

Deinde, quamvis unio hypostatica humanitatem connectat cum Verbo, est tamen quid in se finitum, unde non apparet cur actus aliquis supernaturalis de congruo illam mereri nequeat. Tandem Patres omnes & Concilia actum naturalem improportionatum esse docent ad merendum, etiam de congruo præmium supernaturale, nullus tamen hoc vel leviter insinuat de actu supernaturali hominis in gratiâ existentis repectu unionis hypostaticæ.

XX. *Unio hypostatica quoad entitatem est tantùm quid finitum.*



DISPVTA-

DISPUTATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

De Unione Hypostaticâ.

PLVRIMA circa Vnionem hypostaticam inquiri hic ab Auctoribus solent, tum Theologica, tum Philosophica: hæc postrema eandem cum rebus naturalibus habent difficultatem, ea proinde ex Philosophiâ supponam, ubi Disputatione decimâ-quartâ Physicorum fusè illa discussi. Quæ verò Theologica sunt, cùm hic proprius sit illa tractandi locus, in præsenti Disputatione proponam, variásque circa ea occurrentes difficultates examinabo.

SECTIO PRIMA.

Statuuntur quædam circa hanc Vnionem.

I. *Incarnationis nomen non eodem semper modo sumitur.*

NOTANDUM in primis nomen Incarnationis à Patribus & Theologis sumi tum pro actione qua humanitas effectivè uniebatur Verbo, tum pro unione ipsâ, quæ est terminus hujus actionis, & de hoc procedit præsens quæstio.

II. *Sitne Vnio hypostatica relatio.*

Quæritur itaque primò, An hæc unio sit relatio, ut eam appellat sanctus Thomas hîc, quæstione 2. art. 7. Respondeo esse relationem transcendentalem, cùm verè respiciat utrumque extremum quod copulat: non tamen est relatio prædicamentalis tum, quia petit intrinsecè afficere suum terminum, tum quia relatio prædicamentalis est accidens, non logicum solùm (hoc enim etiam competit unioni respectu Verbi, cum illi accidentale sit quòd uniatur humanitati) sed physicum, unumque ex prædicamentis accidentium constituit, & consequenter Verbum per hanc unionem non constitueret unum per se, & substantiale compositum, cùm humanitate, quod admitti non potest: qua de causâ quinta Synodus canone 4. anathema dicit ei, qui dixerit, unionem Dei ad hominem factam secundùm gratiam, aut operationem aut dignitatem, aut relationem. Quare malè Faber in tertio, dist. 3. cap. 3. & 4. affirmat hanc unionem esse relationem propriè dictam, & verum accidens prædicamentale. Melius certè merentur de Scoto auctores nostri, qui ipsum de relatione transcendentali explicant, quàm Faber, esto acerrimè contra hanc eorum explicationem invehatur. Hinc etiam convincitur unionem hypostaticam non esse qualitatem; Christus enim non esset unum per se.

Resp. Esse relationem transcendentalem, non prædicamentalem.

Secundò quæritur: Utrùm Christus verè dici possit compositus, de quo S. Thomas articulo 4. quicum respondemus affirmativè, esse scilicet, Christum verè compositum, seu personam compositam ex duabus naturis, divinâ & humanâ, seu Verbo & humanitate: Ratio est, quia compositio aliud nihil est, quàm distinctorum unio, cùm ergo hic duo distincta verè & physicè inter se uniantur, tertium inde resultans erit verè compositum. Unde in quinto Concilio generali, cap. 7. dicitur Christus compositus ex duabus naturis, & canone 4. sic habet: *Sancta Dei Ecclesia unionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur.*

III. *Christus est persona composita ex duabus naturis.*

Dices: Compositum dicit partes, Verbum autem non potest vocari pars, cùm hæc vox sonet incompletionem & indigentiam. Respondetur: Utrùm Verbum dicendum sit pars hujus compositi an non, esse quæstionem de nomine; si ergo per partem intelligatur aliquid incompletum, quodque ad perfectionem sui egeat aliquo modo compositione, Verbum non est pars, cùm sit ens omnino absolutissimum nulloque indigens, quo sensu negat S. Thomas citatus ad secundum esse partem: Sin autem per partem nil intelligatur aliud, quàm quid aptum ad unum cum alio componendum, sic Verbum sine inconveniente dici poterit pars.

IV. *Sitne Verbum dicendum pars hujus compositi, quæstio est de modo loquendi.*

Tertiò quæritur: Utrùm sicut persona Christi dicitur composita, ita dici possit persona humana. Respondeo quæstionem etiam fortè esse de nomine, securitatis tamen gratiâ, quæ hîc nunquam nimia esse potest in modo loquendi, sicut nec in Trinitate, præstat non absolutè illud unquam concedere, sed sub distinctione, nempe esse personam humanam ratione naturæ humanæ, cum persona prout hoc nomine importatur reduplicet personalitatem secundùm se, quæ non est quid creatum, sed divinum.

V. *Dicine possit persona Christi persona humana.*

VI. *Affirmant aliqui, alii negât unionem hypostaticam distingui ab assumptione.*

Quæres quartò: An distinguatur Unio hypostatica ab assumptione. Negant aliqui, nam inquiunt, assumere peculiariter convenit Verbo in hoc mysterio, nil autem ei peculiare convenit præter terminare unionem, cùm productio illius æqualiter competat toti Trinitati: Alii tamen asserunt distingui; assumptio enim inquiunt est productio unionis, productio autem ab unione distinguitur.

VII. *Dicendum assumptionem adæquatè acceptam includere & unionem, & actionem illius productivam.*

Respondetur tamen assumptionem ab unione inadæquatè distingui; nec enim assumptio est sola productio unionis, sic enim Pater & Spiritus Sanctus assumpsissent humanitatem, cùm unionem illam produxerint: nec etiam assumere est merè uniri. Unde assumptio adæquatè accepta, & unionem includit & actionem illius productivam, sicque solum Verbum assumpsit humanitatem, utpote cui soli competit habere aut terminare unionem, & illam producere.

VIII. *Declaratur quid ex hac unione inter Personam Verbi & naturam humanam resultet.*

Quinto quæritur: Quid sit quod ex hac unione resultat; non enim resultat nova natura, hoc namque esset incidere in errorem Eutichetis: nec nova persona, persona enim Verbi antea eadem numero existebat, quæ post unionem; quid ergo de novo hic resultat. Respondetur, resultare ex hac unione terminum quendam compositum, qui nec est persona Verbi nudè, & secundùm se sumpta, sed persona Verbi ut incarnata, seu ut facta hypostasis naturæ humanæ.

IX. *Sitne admittenda hæc propositio* Christus est divinitas & humanitas simul sumptæ.

Sextò: Num hæc propositio sit admittenda, *Christus est divinitas & humanitas simul sumptæ.* Respondetur in sensu materiali & identico admitti posse, quod idem est in omni composito, utpote quod non distinguitur à partibus simul sumptis. Confirmatur ex sancto Leone Epistolâ undecimâ affirmante non esse impossibile quòd *Verbum, caro, & anima sit unus Christus.* Nec propterea damnata est in Concilio Constantiensi, hæc propositio Joannis Hus, duæ naturæ, divinitas & humanitas sunt unus Christus, sed quia capiebat eas figillatim, non simul.

X. *Quis sit terminus formalis Incarnationis.*

Quæritur septimò: Quis sit terminus formalis Incarnationis, prout dicit actionem incarnandi. Vasquez disp. 19. cap. 2. ait esse humanitatem, utpote quæ communicatur Verbo. Dicendum tamen cum Suarez esse ipsam unionem, terminus quippe formalis actionis est id quod per actionem producitur.

SECTIO SECUNDA.

Quid sit Vnio hypostatica?

I. *Quinam ex hæreticis unionem hypostaticam negaverint.*

VARIÆ anteactis sæculis contra hoc mysterium exortæ sunt hæreses: Unionem ergo hypostaticam inprimis negavit Carpocrates & Gnostici, aliique hæretici, apud sanctum Irenæum lib. 1. contra hæreses, cap. 24. asserentes Christum esse purum hominem, *Infelicissimo errore existimantes*, ut ait S. Augustinus, *se ad unici Patris gloriam, nisi per unici Filii contumeliam non pervenire.*

II. *Hæresis Nestorii Patriarchæ Constantinopolitani.*

Duæ verò præter cæteras celebres extitere contra Unionem hypostaticam hæreses: Prima fuit Nestorii Patriarchæ Constantinopolitani, qui in Christo duas aiebat esse personas, humanam, alteram genitam ex Virgine, quam consequenter Dei genitricem esse negabat; alteram divinam, sicque distinguebat inter JESUM & Christum, & JESUM purum fuisse hominem dictabat, Christum verò Dei Filium esse asserebat, hunc autem in JESUM tempore solùm baptismatis in columbæ specie descendisse nonnulli ex ejus sectaribus affirmabant.

III. *Nullam inter duas Christi naturas penetrat hac unionem substantialem, sed accidentalem tantùm Nestorius.*

Negabat itaque Nestorius ullam veram substantialem unionem inter has naturas, vel personas, quas ponebat distinctas intercedere, sed solùm accidentalem quandam, vel per inhabitationem, sicut Spiritus Sanctus habitare dicitur in justis, per affectum scilicet & donorum gratiæ communicationem, vel per summam voluntatum consensionem, vel denique per operationem quòd divinitas humanitate tanquam instrumento uteretur, &c.

IV. *Hæc Nestorii hæresis in Concilio Ephesino fuit damnata.*

Contra hanc hæresim celebratum est tertium Concilium generale Ephesi, ubi definitum est, in Christo unam tantùm esse personam, & refellitur apertè ex Scripturâ sacrâ, *Et Verbum caro factum est*, Joannis primò: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, respondet ei Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; ubi Sanctus Petrus filium hominis asserit esse Filium Dei: Et eidem Christo dicit Sanctus Thomas Joannis 20. *Dominus meus & Deus meus.* Aptissima verò ad rem hanc sunt verba illa Joannis Epistolæ 1. cap. 4. *Omnis Spiritus qui solvit JESVM, ex Deo non est, & hic est Antichristus.*

V. *Eutiches acriter impugnans Nestorium, in aliam hæresim incidit.*

Altera hæresis fuit Eutichetis, quem secuti sunt Acephali: hic dum acriter in Nestorium inveheretur duas in Christo personas constituentem, in alterum extremum delapsus est, ut scilicet naturas identificaret in Christo, vel confunderet. Dicebat itaque unam tantùm esse in Christo naturam, fierique vel per conversionem divinitatis in carnem, non veram & nostræ similem, sed apparentem solùm, & phantasticam, vel è contra per conversionem humanitatis in divinitatem, vel tandem per commixtionem & confusionem naturarum, divinæ scilicet & humanæ naturæ, ut cùm mixta fiunt ex elementis; quo enim ex his modis sententiam suam intellexerint hi hæretici non satis constat inter Theologos.

VI. *Michaëlis Serveti hæc in re delirium.*

Hæresim Eutichetis novissimè hac nostrâ ætate resuscitare conatus est Michaël quidam Servetus, qui in libris quos inscripsit, *De erroribus Trinitatis*, & omnem personarum in Deo distinctionem cum Sabellio tollit, damnans Tretheisimi omnes qui tres personas in divinis ponunt, & Christum ideo Filium Dei appellari asserit, quod ex ipsâ Dei substantiâ caro ejus in utero Virginis efformata sit, sicque naturas in Christo confundit, & Incarnationem tollit cum Eutichete. Hanc hæresim jam recentem unà cum auctore Genevæ combussit hæresis Calviniana, digna & ipsa quæ iisdem flammis periisset.

VII. *Eutichetis hæresis pluribus divini Verbi testimoniis refellitur.*

Eutichetem cum suis apertè refutant loca illa Scripturæ, in quibus Christus verus Deus appellatur, & verus homo, quod tamen verum non esset, si naturæ in ipso tam divina quàm humana non mansissent distinctæ, & inconfusæ. Inprimis igitur Joannis c. 20. *Dominus meus & Deus meus. Ego & Pater unum sumus*, Joannis c. 10. ad quam rem etiam faciunt ea Scripturæ testimonia, in quibus dicitur principium Spiritus Sancti. Quòd autem sit verus homo probatur Joannis primo, *Verbum caro factum est. Qui factus est ex semine David, secundùm carnem*; ad Romanos, c. primo. *Mediator Dei & hominum homo Christus JESVS:* ad Timotheum, cap. 2. Unde Apostolus ad Romanos, cap. 9. utrumque conjunxit his verbis, *Quorum Patres, ex quibus est Christus secundùm carnem,*

carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

VIII. *Contra hanc Eutichetis hæresim celebratum fuit Concilium Chalcedonense, in quo etiam fuit damnata.*

Denique contra hanc hæresim celebratum est Concilium Chalcedonense: quod fuit quartum generale, ubi actione quintâ sententiam suam contra eam sic tradunt Patres: *Confitemur in novissimis diebus Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfusè inconvertibiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublatâ differentia naturarum propter unionem.* Videatur Valentia hîc, quæst. 2. puncto 2. Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 3. & sequentibus.

IX. *Sitne Vnio hypostatica realiter ab extremis distincta.*

His ergo rejectis, restat solùm lis inter Orthodoxos, Quid sit hæc unio, & num quid realiter ab extremis distinctum. Negat Valentia hîc, quæst. 2. puncto 5. Gregorius, Ariminensis, Baronius, & Alvarez, quos citat Tannerus hîc, disp. 1. quæst. 3. dub. 4. Dicunt ergo hi auctores unionem non esse quid ab extremis, Verbo nimirum & humanitate distinctum, sed esse sola ipsa extrema inter se ex voluntate Dei unum tertium facientia.

X. *Vnio hypostatica est modus substantialis supernaturalis inter Verbum divinum, & humanam naturam.*

Dicendum tamen unionem hypostaticam esse modum substantialem supernaturalem, per quem humanitas unitur Verbo ad unam cum eo personam constituendam: ita Suarez, Vasquez, Albertinus, Tannerus, qui hanc meritò vocat communem sententiam, auctorésque pro eâ fusissimè citat, præter Sanctum Thomam, Scotum, Durandum, Gabrielem, &, quod mireris, Ochamum, qui licèt unionem inter animam & corpus in homine, & quovis composito physico ab extremis distinctam neget, unionem tamen hypostaticam necessariò ab humanitate & Verbo distinguendam asserit. Quem proinde Tartaretus in tertio, distinctione primâ, quæst. 1. propositione 10. eidem veluti insultans sic alloquitur: *Domine Ockam, dic, quid coëgit te ad hoc dicendum?* Certè evidentissima ratio: quæ est ista? Impossibile est transire de contradictorio in contradictorium sine deperditione, vel acquisitione alicujus positivi, sed natura humana priùs non erat unita, & modò est unita, & fit transitus: ergo &c.

XI. *Ratione ostenditur Vnionem hypostaticam à Verbo & humanitate realiter distingui.*

Ratio conclusionis est, quam latè prosecutus sum disput. 14. Physicorum in simili, de unione animæ ad corpus; possunt existere hæc extrema simul in rerum naturâ intimè penetrata sine eo quòd uniantur, & verum reale compositum constituant, ergo ad hoc ut uniantur superaddi debet aliqua entitas, quæ hunc effectum formalem de novo tribuat. Confirmatur, & inquiro quid sit hæc unio, non est intima præsentia, æquè enim Pater & Spiritus Sanctus sunt intimè præsentes humanitati ac Verbum: non dispositiones, hîc namque nullæ requiruntur, vel saltem nullæ sunt, quibus stantibus non possit Verbum non uniri, ergo non sunt formaliter unio, hâc enim positâ, non potest non uniri, ut constat.

XII. *Vnio hypostatica non est voluntas Dei, qua statuit ut Verbum terminet humanitatem.*

Dices: Est voluntas Dei, qua vult, ut Verbum nunc terminet humanitatem, & suppleat locum subsistentiæ creatæ, cùm antea non terminaret. Contra primò: Ergo vult aliquid reale nunc quod antea non volebat præter humanitatem & Verbum, cùm utrumque horum antea existeret, & non terminaret. Contra secundò: Cur non æquè vult Deus ut Pater vel Spiritus Sanctus terminet humanitatem, ac filius, si terminare nihil aliud sit, quàm esse Verbum intimè præsens. Contra tertiò: Voluntas Dei non dat effectus formales rebus creatis formaliter, sed efficienter, aliquid scilicet novi in rebus producendo, alioqui parietem esse album, & aërem lucidum, &c. dicamus esse voluntatem Dei.

XIII. *Non est etiâ Vnio hypostatica voluntas Dei concurrendi cum humanitate ad operationes.*

Dices secundò: Uniri Verbum humanitati est voluntas Dei concurrendi cum humanitate ad operationes. Contrà primò: Voluntas hæc & operationes omnes ad extra sunt communes toti Trinitati, ergo tota Trinitas fuit incarnata. Contrà secundò: Anima Christi in Eucharistiâ nec potest videre, nec audire, nec operationem ullam à sensibus dependentem elicere, & tamen nullus audet negare esse ibi unitam corpori, & esse verum compositum, & totum Christum sub utrâque specie, sicut licèt pro tempore concurrere noluerit Deus cum igne Babilonio ad operationes, erat tamen verè tunc ignis, ergo voluntas, quâ vult Deus constitui compositum aliquod, non est voluntas concurrendi ad operationes, ac proinde etsi Deus haberet voluntatem non concurrendi cum humanitate ad operationes per horam vel diem, adhuc maneret per id tempus unita Verbo. Dices: Sufficit quod concurrere velit pro alio tempore. Contrà: Ergo si assumpsisset Verbum humanitatem Sancti Petri, aut aliam priùs existentem, quàm assumeretur, sequeretur antea fuisse illi unitum: & quæro: Si Deus dimittere vellet humanitatem ad horam, & postea eam denuò assumere, quid vellet aliud in hâc sententiâ, quàm dum vult non concurrere cum illâ ad ullas operationes pro illo tempore.

XIV. *Sequeretur in illâ sententiâ nullum compositum naturale esse adæquatè quid creatum.*

Tandem sequeretur hominem, aut quodvis aliud compositum naturale, non esse adæquatè quid creatum, cùm voluntas Dei concurrendi ad operationes sit de intrinsecâ illius constitutione, voluntas ergo concurrendi ad operationes præsupponit voluntatem constituendi compositum, adeóque non est formaliter eadem, sicut etiam voluntas concurrendi cum Angelo, aut aliâ quavis creaturâ ad operationes, supponit voluntatem ut sit, illámque necessariò præsupponit.

XV. *Objic. Sicut denominationem volentis, ita & terminantis accipere potest Deus sine ullo superaddito.*

Dices tertiò: Hoc totum fieri posse sine unione, aut quavis aliâ entitate distinctâ per ipsam hypostasim divinam seipsâ terminantem humanitatem: sicut enim potest Deus sine aliquo distincto recipere denominationem volentis in decretis liberis, ita quidni recipere similiter poterit denominationem terminantis, sine ullâ entitate superadditâ. Hæc responsio non caret probabilitate, & ob eam existimo non tam apertè ostendi posse necessitatem hîc ponendi unionem distinctam, atque ostenditur in compositis naturalibus, cùm si ullibi recurrere liceat ad mysteria, hîc liceat. Quare miror Ockamum, cùm in omnibus aliis compositis unionem distinctam negaverit, hic dare manus, & unionem admittere.

XVI. *Sed contrà illam est, ad tantum quippe mysterium sine necessitate non est recurrendum.*

Sed contra: Nititur enim hæc solutio opinione illa de actu libero adæquatè intrinseco, quæ tamen à plurimis non admittitur. Contrà secundò: Quicquid enim sit de possibilitate hujus rationis, quâ Verbum uniatur sine aliquo superaddito, non tamen est necessarium huc recurrere, ad tantum autem mysterium sine necessitate confugiendum non est, ergo si possimus clariùs per unionem distinctam Incarnationem explicare, id est faciendum; nec enim valet hæc consequentia unum vel alterum mysterium est necessariò admittendum in Deo; ergo possumus quælibet in eo pro libito statuere.

XVII. *Incarnatio à Patribus dicitur facta per actionem communem toti Trinitati, ergo non est ipsum Verbum.*

Contra tertiò: Incarnatio est quid factum per actionem communem toti Trinitati, ut Patres affirmant, dicuntque esse proprium Omnipotentiæ divinæ, & egere virtute infinitâ; ergo hæc unio non est ipsum Verbum; Verbum enim non fit, nec denuo producitur multò minùs per actionem communem toti Trinitati; ergo hæc unio, seu terminatio Verbi ad humanitatem esse debet quid creatum.

XVIII. *In illâ sententiâ sequeretur Christum esse à se.*

Confirmatur: Sequeretur Christum esse à se, quod probatur; hæc enim terminatio in hac sententia aliud nihil est quàm Verbum, sicut ergo ratione solius unionis generatæ dicitur homo generatus, licèt & anima & materia creetur, ita & Christus erit à se ratione unionis, cum hujusmodi denominationes in composito sequantur formam compositi ut compositum est, quæ est unio. Confirmatur secundo: Unio hypostatica quæ jam de novo producitur, vel generatur vel creatur, neutrum dici potest in hac sententia, ergo, non primum, quod tamen omnes affirmant; hæc enim terminatio, cùm juxta illos sit realiter ipsum Verbum, non potest educi ex ullius potentiâ, ut est manifestum, sed nec potest creari, ergo, &c.

XIX. *Non potest dici produci totum.*

Dices: Produci totum. Contra: Totum nihil aliud est quàm productio omnium partium & unionis. Dices sufficere dici posse Christum produci per generationem, ex eo quod unio inter animam ejus & corpus educatur ex eorum potentia. Contra primò: Qui enim negant Unionem hypostaticam distingui, idem dicunt de unione inter animam & corpus; ergo solutio est de subjecto non supponente. Contra secundò: Productio unionis inter animam & corpus non est productio Christi; ergo ratione illius non potest Christus dici produci per generationem, imo nec omnino produci, cum illâ positâ nondum sit Christus, ergo ut jam dicatur produci Christus, debet aliquid in eo jam produci, nihil autem est si non detur aliquid præter utrumque extremum, ut est manifestum casu quo Deus assumpsisset naturam aliquam priùs tempore existentem, quàm assumeretur.

XX. *Nequeunionis distinctâ sequitur mutari Deum.*

Objicitur: Hinc sequi Verbum mutari cùm de novo afficiatur unione creatâ, & aliter per eam se habeat intrinsecè. Huic objectioni latè respondimus suprà Disputatione quadragesimâ, nec quidquam hîc addere est necesse.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA NONA.

De terminò unionis ex parte assumentis.

SECTIO PRIMA.

An humanitas Christi, existat per existentiam Verbi?

I. *Humanitas Christi non existit per increatam existentiam Verbi.*



Onclusio negativa: Dicimus itaque contra Thomistas humanitatem Christi non existere per existentiam increatam Verbi, sed habere suam propriam creatam, per quam est ens actu extra causas existens: ita omnes ferme hodie Auctores: Et ut Philosophica argumenta quæ contra hanc sententiam in Philosophiâ tradidi, omittam, ut quòd æquè urgeant argumenta omnia hujus sententiæ contra existentiam ipsam, quæ non minùs transit de non esse ad esse, quàm essentia, sitque tam indifferens ad existendum quàm illa: quòd existentia habeat etiam suam essentiam, seu conceptum essentialem sibi proprium, & à conceptu essentiali omnis alterius rei, etiam à conceptu essentiæ distinctum, quod actio productiva terminetur non ad existentiam solùm, sed ad essentiam, quæ verè & physicè producitur, & est ens ab alio: ut inquam hæc & alia omittam, quæ latè proposui Disputatione quintâ Metaphysicæ.

II. *Docent Concilia & Patres Personam Christi constitui ex duabus naturis realibus & actualibus, ter inter se distinctis.*

Probatur nostra sententia argumentis Theologicis; primò enim Patres & Concilia affirmant factam esse compositionem unius personæ in hoc mysterio ex duabus naturis realibus & actualibus, & ut sic inter se distinctis; ergo juxta Concilia & Patres sunt ibi duo entia actualia realiter distincta, ergo sicut Verbum, quia ens actu habet suam existentiam, ita & humanitas habere debet suam. Confirmatur: Priùs ad unionem præsupponi debet humanitas esse ens actu; nihil enim potest subjectare unionem physicam, nisi quod actu pro aliquo etiam priori existit. Confirmatur secundò: Angeli viderunt intuitivè humanitatem Christi in terrâ existentem, quod tamen dici non posset in contrariâ sententiâ. Videre enim rem aliquam ut existentem est videre illius existentiam, sicut videre aërem ut lucidum, est videre lucem ipsi unitam; existentiam autem humanitatis secundùm hanc sententiam videre non poterant Angeli, cùm sit ipsa existentia increata Verbi, sicut ob eandem rationem videre non poterant humanitatis subsistentiam.

III. *Christi anima ut distincta à personalitate Verbi potest extra causas, ergo habet suam existentiam à Verbi personalitate distinctam.*

Probatur secundò: Anima Christi per creationem accipit aliquod esse & ponitur à parte rei extra causas, ergo ut distincta à personalitate Verbi habet propriam existentiam; ad hanc enim terminatur actio creativa, cùm essentiæ rerum quatales, seu in esse possibili, sint improductæ. Dices: Terminari actionem illam creativam ad unionem animæ cum Verbo: Contrà: nam unio illa non creatur, sed producitur per generationem, & subjectatur in animâ. Contra secundò: Non ad unionem solùm sed ad animam terminatur actio,

actio, ergo & habere debet anima suam existentiam, per quam terminet actionem, sicut unio habet suam.

IV. *Sequeretur unionem Incarnationis fieri in aliquo absoluto.*

Probatur tertiò: Hinc enim sequeretur unionem Incarnationis fieri immediatè in aliquo absoluto, cùm existentia in Deo sit quid essentiale, & absolutum. Dices: In divinis præter existentiam absolutam dari tres existentias relativas, ita ut quævis ex relationibus habeat suam, sicque fieri hanc unionem ad existentiam relativam Verbi. Contra primò: Nam Thomistæ communiter negant esse aliam existentiam in divinis præter absolutam. Contra secundò: Eadem enim ratio quæ cogit ponere in Deo existentiam absolutam & relativam, cogit etiam ad ponendam duplicem existentiam in duabus Christi naturis, nempe quia quot actu sunt entitates, quovis modo diversæ, tot etiam poni debent existentiæ eodem modo distinctæ, unde si in relationibus & essentiâ, quia ratione sunt distinctæ, ponendæ necessariò sunt dictæ existentiæ, ipsis correspondentes, quanto magis in duabus Christi naturis.

V. *Argumenta Philosophica soluta sunt in Metaphysicâ.*

Objiciuntur hic primò varia argumenta Philosophica, quæ generatim probant existentiam omnem distingui debere ab essentia, sed ad hæc latè respondimus in Metaphysica loco citato.

VI. *Opponuntur dicta quædam Sanctorum Patrum.*

Secundò objiciuntur quædam testimonia Sanctorum Patrum, ut Sophronii in sextâ Synodo, actione undecimâ, ubi loquens de humanitate Christi, sic habet: *In ipso*, id est, in Verbo, *non in se, habuit existentiam cum Verbo*: similia dicere videntur S. Damascenus, S. Leo, & S. Fulgentius. Ad primum dico cum Suarez hîc, Disp. 36. sect. 1. illa postrema verba, *cum Verbo* non reperiri in Sophronio, nec aliud intendit quàm nullo instanti priùs productam fuisse humanitatem, quàm unitam divinitati, seu extitisse, quàm extitisse in Verbo, & non in se, hoc autem non arguit extitisse per ipsam Verbi existentiam, sed solùm probat contra Nestorium, contrà quem ibi disputat, nunquam fuisse eam à Verbo disjunctam. Similis etiam est mens aliorum Patrum, dum dicunt ipsâ assumptione fuisse humanitatem creatam, id est, ut ipsi se explicant, non priùs creatam, postea assumptam, sed ipsâ assumptione, hoc est, in ipsâ. Alia argumenta pro hac sententiâ, quæ leviora sunt, & parum habent probabilitatis, videri possunt in Suarez loco citato, & aliis.

SECTIO SECUNDA.

Qua ratione Verbum terminaverit Vnionem hypostaticam.

I. *Fide certum est solam Personam Filii fuisse incarnatam.*

PRIMA conclusio: Sola persona Filii fuit incarnata: Certum hoc est de Fide, ac definitum in quintâ Synodo, & aliis contra Sabellianos distinctionem personarum in Deo tollentes, & consequenter unionem hypostaticam peculiariter Filio competere negantes. Probatur verò ex Scripturâ, ubi sæpè dicitur Filius, seu Verbum incarnatum, Pater autem & Spiritus Sanctus nunquam: dicitur etiam Pater dedisse nobis suum Filium, misisse eum in mundum, tradidisse pro nobis ad mortem, &c. & sub hac ratione, nempe in quantum homo dicitur minor Patre. Variæ hujus congruentiæ videri possunt apud Suarez disp. 12. sect. 1.

II. *Quare, licèt una Persona non possit producere unionem sine aliâ, possit tamen terminare.*

Dices primò: Non potest una persona producere unionem sine aliâ, ergo nec terminare. Respondetur negando consequentiam. Ratio est, quia cùm virtus operandi sequatur naturam (quæ sicut in creatis est principium motus & quietis, seu omnis operationis, non subsistentia, ita & in divinis) una est virtus operativa omnium sicut natura, præsertim cùm principium omnis operationis ad extra in Deo sit intellectus & voluntas. Deinde solæ operationes ad extra sunt communes tribus personis, terminare autem est quid ad intra.

III. *Objic. Non potest una Persona videri sine aliâ, ergo nec incarnari.*

Dices secundò: Non potest videri una persona sine aliâ, ergo nec incarnari, nec enim est major ratio, cur possit una persona terminare unionem, quàm visionem, aliis non terminantibus. Inprimis Scotus in primo, dist. 1. q. 2. Pater Granado primâ parte, tractatu 5. dub. 7. Salas tractatu 2. disp. 4. sect. 2. & alii, negant antecedens, quæ certè opinio mihi multo videtur probabilior, cùm enim realiter distinguatur in divinis una persona ab alterâ, competátque filio generari, Patri generare, non filio, &c. Non apparet evidens ratio, cur videri etiam non possit filius, non viso Patre, quod si admittatur cessat difficultas, ut constat. Hanc proinde opinionem, posse scilicet unam Personam in divinis clarè videri sine aliâ, fusè probavi Tomo præcedente, disp. 19.

IV. *Disparitas assignatur inter terminationem & visionem.*

Respondet secundò Pater Suarez citatus, diversam esse rationem in iis, quæ se invicem respiciunt, respectu unionis physicæ, & claræ, ac quidditativæ visionis; in creatis enim relatio paternitatis est simul cognitione cum filiatione, cùm tamen realiter uniri possit subjecto, cui non unitur filiatio, & è contra, esse enim quis filius potest, qui non est pater, & pater, qui non est actu filius. Cùm ergo unio hypostatica sit quid physicum, & relationes in divinis realiter inter se distinctæ, non est cur uniri una nequeat, aliis non unitis.

V. *Totum Verbum unitum fuit humanitati.*

Secunda conclusio: Totum Verbum per Incarnationem fuit verè & realiter unitum humanitati: ita Suarez loco citato, Vasquez disp. 26. cap. 3. Valentia quæst. 3. & alii. Probatur primò ex Scripturâ, nam Joannis primo dicitur: *Verbum caro factum est.* Item ad Galatas 4. dicitur Filius Dei factus ex muliere, qui etiam loquendi modus est apud Concilia, & Patres frequentissimus. dum dicunt Verbum se exinaniviss, univisse se humanitati, &c.

VI. *Declaratur quo pacto totum Verbum fuerit incarnatum.*

Ratio est: Nullus enim dicit relationem filii præcisam, incarnatam fuisse, & factam hominem, sed Verbum; ergo non est facta hæc unio in relatione solâ sed in Verbo. Deinde, dicitur Christus ut perfectus Deus unitus naturæ humanæ, relatio autem præcisè quà talis non est perfectus Deus. Unde Sanctus Damascenus lib. 3. de Fide, cap. 6. inter alia de Verbo ait, *Totum me totus assumpsit, & totus toti unitus est*: sicut ergo ex hujusmodi locutionibus Patrum colligimus totam humanitatem fuisse Verbo unitam, ita & totum Verbum humanitati. Quibus aptissimè consonant verba in Concilio Rhemensi posita: *Credimus & confitemur ipsam divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam divinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.*

VII. *Ostenditur lata disparitas inter naturam divinam & humanam.*

Dices primò: Ab eodem terminatur natura humana in Christo, à quo terminatur divina, sed divina terminatur à solâ relatione, non à naturâ, cùm natura sit id quod terminatur, ergo.

Tom. II.

Respondeo negando antecedens: Disparitas est quia in divinis terminatio illa solùm fit ratione nostrâ, cum in re nulla sit distinctio inter naturam & relationem, ut constat: hic verò est vera & physica terminatio, per unionem realiter distinctam.

VIII. *Objic. Ergo Pater & Spiritus Sanctus assumpserit humanam naturam.*

Dices secundò: Hinc sequi Patrem etiam & Spiritum Sanctum naturam humanam assumpsisse, quod enim convenit naturæ, convenit omnibus tribus personis. Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo antecedens, quod convenit naturæ secundùm se, convenit omnibus tribus personis: concedo antecedens, quâ de causâ omnes tres personæ habent intellectum, voluntatem, omnipotentiam, &c. quod convenit naturæ non secundùm se, sed ratione solum alicujus personæ in particulari, convenit omnibus tribus, nego. Sicut definit sextâ Synodus, actione 11. fuisse humanitatem Christi sanctificatam & deificatam à divinitate, & tamen dici non potest fuisse deificatam quasi formaliter à Patre, aut Spiritu Sancto: cujus ratio est, quia hæc deificatio humanitatis non competit divinitati secundùm se, sed quatenus est in Verbo.

IX. *Relatio Filiationis est formalis ratio per quam Verbum terminat unionem hypostaticam.*

Tertia conclusio: Ratio tamen formalis per quam Verbum terminat unionem est relatio Filiationis: ita S. Thomas hîc, art. 2. Halensis, S. Bonaventura, Scotus, & alii, Suarez hîc, Disp. 12. sect. 2. Ratio est quia solus Filius fuit incarnatus, ut docet Fides; ergo debuit Verbum uniri formaliter ratione alicujus proprietatis relativæ in ipso contentæ.

X. *Malè asserit Durandus primam rationem terminandi hanc unionem esse aliquid absolutum.*

Hinc refellitur opinio Durandi, qui in tertio, dist. 2. asserit primam rationem terminandi hanc unionem esse quid absolutum, subsistentiam scilicet absolutam, & consequenter unionem terminari ad Deitatem, seu hunc Deum, ex vi tamen hujus unionis dicit nullam personam in particulari esse incarnatam, ac proinde ut Filius sit incarnatus, ponit aliam unionem ad proprietatem ipsius personalem, quæ ipsum in particulari determinat ad naturam humanam assumendam.

XI. *Ex hac Durandi sententiâ sequitur, solum Filium non esse incarnatum.*

Impugnatur hæc opinio primò: hinc enim sequeretur contra Fidem solum Filium non fuisse incarnatum, probatur sequela: si enim facta est unio in aliquo absoluto, ergo in aliquo communi tribus personis, ergo sicut alia prædicata quæ fundantur in absoluto, conveniunt omnibus tribus personis, ut creare, sanctificare, &c. ita & hoc, nec est cur magis addatur alia secunda unio, ut Filius in particulari dicatur incarnari, quàm actio particulariter procedens à Filio, quâ dicatur creare, præter actionem illam communem toti Trinitati, quod saltem ad hominem urget contra Durandum statuentem in Trinitate unam tantùm subsistentiam, eamque absolutam.

XII. *Si unio illa facta sit in hoc Deo, ergo per hanc unionem Pater est hic homo.*

Confirmatur: Facta namque est unio prima juxta Durandum in hoc Deo; ergo Pater fuit incarnatus, probo consequentiam: Pater per hanc unionem est hic homo, ergo incarnatus, antecedens probatur: ideo Pater est hic Deus quia est hoc subsistens in hac divinitate, sed per hanc unionem est similiter hoc subsistens in hac humanitate; ergo per eandem est hic homo. Deinde est apertè contra modum loquendi Conciliorum hæc opinio, quæ absolutè dicunt non fuisse factam unionem inter naturam humanam & divinam in aliquo communi, sed proprio Verbi; sic enim in Concilio Toletano 6. definitur Verbum assumpsisse naturam humanam *in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, in eo quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati.*

SECTIO TERTIA.

Argumenta contendentia unionem hypostaticam ex parte Dei terminari ad aliquid absolutum.

I. *Dices: Relationes divinæ uniuntur essentiæ, non tamen inter se.*

Objicitur primò cum Durando, relationes uniri essentiæ, non tamen inter se; esto enim relatio Paternitatis uniatur naturæ, non tamen sequitur uniri Filiationi, vel Spirationi passivæ. Respondeo: Disparitatem hic esse, nam saltem in actu exercito hic fit quædam restrictio, cum oppositionem habeat una relatio cum aliâ, & consequenter uniri seu communicari illi non potest, sicut in sententiâ asserente posito corpore in duobus locis debere illud connaturaliter deferre secum omnia accidentia quæ habuit in loco priori, excipiunt accidentia quæ peculiarem habent connexionem cum uno loco, quia scilicet habent repugnantiam quandam & oppositionem cum altero loco; idem ergo suo modo est de relationibus in divinis: at verò humanitas vel illius unio nullam habet oppositionem cum ullâ ex personis magis quàm habet actio creativa; ergo cùm hæc, quia competit naturæ seu prædicato absoluto, & communi tribus personis, competat etiam æqualiter omnibus tribus personis; idem dici debebit de hac unione.

II. *Dices: Natura etiam divina, ut dicimus, unita fuit humanitati, & tamen non fuit idem unitus Pater.*

Objicitur secundò: Non relatio Filii sola, sed etiam natura divina unita fuit humanæ per unionem hypostaticam, ut supra vidimus, & tamen non sequitur unitum fuisse Patrem eidem humanitati; ergo quod fit in naturâ divinâ non sequitur fieri in omnibus personis. Distinguo consequens: quod fit in naturâ divinâ secundùm se; nego consequentiam: quod fit in naturâ divinâ modificatâ ab unâ relatione, seu ut contractâ quasi ad unam personam, concedo: at verò prima unio quam ponit Durandus tendit in naturam divinam secundùm se, non ut modificatam, secunda namque unio quam ponit tendit hoc modo; ergo ex vi illius omnes tres personæ incarnatæ fuerunt, sicut naturâ operante ad extra, omnes Personæ operantur.

III. *Dices: Subsistentia creata dicit perfectionem, relatio autem divina nō dicit perfectionem, ergo hæc non potest ab illâ suppleri.*

Objicitur tertiò: Subsistentia creata ex conceptu suo dicit aliquam perfectionem; ergo non potest suppleri à relatione Filiationis, sed ab aliquo absoluto: Probatur consequentia, nam relatio in divinis non dicit perfectionem. Admisso antecedente, nego consequentiam; ad probationem dico relationes illas dicere perfectionem, cùm Pater æternus etiam quâ Pater sit amabilis, & consequenter bonitatem aliquam quâ talis & perfectionem habeat. Unde Sanctus Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 11. Patrem & Filium distingui dicit perfectionibus personalibus. Quod si inferas, ergo est aliqua perfectio in unâ personâ quæ non est in aliâ; distinguo consequens: aliqua perfectio simpliciter: nego consequentiam; hæc enim comitatur essentiam: aliqua alia perfectio transeat, licèt & hanc omnem habeat quævis persona eminenter ratione essentiæ, formaliter tamen aliqua perfectio est in unâ Personâ, quæ non est formaliter in aliâ. Neque hinc sequitur unam personam esse aliâ perfectiorem nisi ad summum extensivè, sicut Verbum & humanitas sunt quid

hoc

hoc modo perfectius Verbo solo; cùm enim essentia divina contineat omnem perfectionem simplicem formaliter, & reliquas eminenter, sive eæ creatæ sint, sive increatæ, nihil censetur ipsi accrescere perfectionis, propriè loquendo, ex additione ullius alterius perfectionis. Quæ omnia fusè declaravi tomo procedente Disputatione 55.

IV. *Dices: Ergo Christus non est homo ejusdem rationis nobiscum.*

Objicitur quartò: Hinc sequi Christum non esse hominem ejusdem rationis & speciei nobiscum, quod tamen est contra Scripturam sacram, & Concilia dicentia Christum fuisse perfectum hominem, similem nobis, per omnia, excepto peccato. Respondetur: Christum quoad humanitatem fuisse per omnia similem nobis hominem excepto peccato, quæ est mens sacræ Scripturæ & Patrum, in ratione tamen personæ formaliter, plus quam specie differt cùm ejus personalitas infinita sit & increata, nostra creata & finita.

V. *Non videtur repugnare ut per divinam potentiam unio humanæ naturæ cum divinâ fiat in aliquo absoluto.*

Quæres: Utrùm saltem per divinam potentiam fieri possit unio humanæ naturæ cum divinâ per se primò, seu in aliquo absoluto. Inprimis existimo hoc non repugnare; sicut enim dari potest unio inter humanam naturam & divinam ratione alicujus proprietatis personalis, ita quidni ratione alicujus absoluti. Confirmatur in sententiâ illâ quæ affirmat Deum esse spatium cui res omnes per ubicationes suas affinguntur; hi enim statuunt unionem veram inter res omnes & Deum.

VI. *In hoc tamen casu, si in Deo non sit subsistentia absoluta, humana natura non subsisteret.*

Secundò tamen dico, non fore ut tunc subsisteret humana natura per divinam, si non sit subsistentia absoluta in Deo, imò nec futuram unionem illam substantialem, & per se, sed per accidens, ad hoc enim ut fiat unio per se, fieri debet ad humanitatem, qua incompleta est, ex duobus enim entibus completis, quà completis, fieri nequit unum per se, humanitas autem non est incompleta in ratione naturæ, cùm tota uniatur, sed solùm in ratione subsistendi, sub hac autem ratione non potest compleri per ullum prædicatum absolutum in Deo, si non sit in ipso subsistentia absoluta.

VII. *Observandum duplex vocum genus, ante & post intellectum.*

Postremò notandum, quasdam esse voces significantes res prout sunt à parte rei, quasdam, prout sunt in mente, & substant prævisioni intellectus. Prioris generis in divinis sunt *entitas essentiæ, realitas quæ est natura*, &c. Posterioris generis *relatio, essentia, natura*, &c. ac proinde cùm fit argumentatio ab his rebus prout sunt in intellectu ad easdem prout sunt à parte rei, negari semper potest consequentia, cùm mutetur suppositio, & committatur, ut aiunt, fallacia accidentis, licèt voce tenus argumentum concludere videatur, nam voces faciunt sensum formalem, & abstractionis, cùm tamen argumentum, ut valeat, procedere debeat in sensu reali, seu de rebus ut sunt à parte rei. In hoc syllogismo exempli gratiâ: *Intellectus divinus intelligit, sed intellectus divinus est voluntas, ergo voluntas intelligit.* ubi major capitur in sensu formali, estque tacita reduplicatio, quasi diceretur, *intellectus quà talis intelligit*, minor verò sumitur in sensu reali, deinde conclusio facit iterum sensum formalem, & reduplicativum, quasi dicat, *intellectus quà talis, est voluntas*, quod est falsum: sicut in creatis animal, quà tale, seu ut in mente, non est rationale, nam quoad illum conceptum perinde est ac si non esset rationale, ut in Logicâ fusè ostendimus, cùm de præcisionibus: si verò ubique sumantur omnia in sensu reali, conclusio est vera, nam intellectus in Deo realiter est voluntas, sensus enim illius propositionis est illa entitas, quæ realiter, & à parte rei, non ut in intellectu, est intellectus, etiam realiter, & à parte rei est voluntas.

VIII. *Maxima est differentia inter propositiones quæ sunt de Verbo substantivo, & quæ de Verbo adjectivo.*

Præ oculis verò habendum, quod optimè notat Vasquez primâ parte, disp. 119. cap. 2. n. 7. differentiam esse in hujusmodi propositionibus inter eas, quæ sunt de Verbo substantivo, in quibus scilicet unum dicitur esse aliud, ut *intellectus est voluntas, filiatio est essentia*, &c. & inter eas, quæ sunt de verbo adjectivo, in quibus actus attributorum, & proprietates notionales de attributis, & proprietatibus personalibus affirmantur, aut negantur, ut *voluntas vult, intellectus intelligit, relatio non communicatur*, &c. in prioribus enim ut plurimum dicere potiùs volumus quid in Deo à parte rei sit, quàm in nostrâ mente, & rem ipsam potiùs consideramus, quàm modum concipiendi: posteriores verò propositiones semper faciunt sensum formalem, alioqui negativæ omnes erunt falsæ, ut *relatio non communicatur, voluntas non intelligit*, &c. Nam realitas, quæ est relatio, communicatur, entitas, quæ est voluntas, intelligit, &c. cùm in Deo hæc omnia identificentur.

IX. *Siquis loquens de rebus ut sunt à parte rei, utitur vocibus præcisivis, negari semper potest suppositum.*

Adde, quod in Logicâ notavimus loco supra citato, cùm quis utitur vocibus præcisivis, quæ significant res, non prout sunt à parte rei, sed in conceptu, ut *animal rationale, natura, singularitas*, &c. & aliunde loquitur de rebus prout sunt à parte rei, negari semper posse suppositum; nec enim datur *animal* à parte rei, nec *rationale*, aut *homo* prout his nominibus significatur, *animal* enim significat *animal* tantùm, seu præcisum à *rationali*, & *homo* naturam humanam præcisam à singularitatibus, quæ in re non reperiuntur, sed solùm *Petrus, Paulus*, &c. Unde pari ratione philosophandum est in divinis, & cum terminis significantibus prædicata, & proprietates in Deo, ut sunt in intellectu, utitur quis loquens de rebus divinis ut sunt à parte rei, negari semper potest suppositum, unde à parte rei in Deo non est *relatio, natura, intellectus, voluntas, misericordia, justitia*, & alia hujusmodi, quæ connotant prævisionem mentis, ut optimè advertit Pater Granado primâ parte, tractatu 2. disp. 5. sect. 3. num. 13. & Tomo 3. tract. 3. Disp. 3. sect. 4. num. 22. & sequentibus.

SECTIO QUARTA.

Resolvuntur quædam circa assumptionem humanitatis à Verbo.

I. *Persona divina assumere simul potest plures naturas, non numero tantùm, sed specie distinctas*

QUÆRES primò: Utrùm posset una Persona divina assumere plures simul naturas? Respondeo, posse, easque non numero tantùm, sed specie distinctas. Probatur: ex eo enim quòd uniatur uni naturæ nullo modo limitatur, nec restringitur, quo minùs uniri possit alteri, cum infinitæ sit perfectionis: ita S. Thomas hîc, quæst. 3. art. 7. quem sequuntur Theologi communiter, Suarez Disput. 13. sect. 3. Vasquez, Tannerus, Valentia, & alii.

II. *Nec obstat, Patrem æternum, quam-*

Nec obstat Patrem æternum, licet habeat infinitam vim generandi, non posse generare nisi unicum Filium, Filius quippe ille, seu terminus est infi-

Tom. II.

vis habeat infinitam vim generandi, non posse generare nisi unicum Filium.

est infinitus simpliciter, & in cujus productione exhauritur quasi virtus generativa Patris: in terminatione autem unius naturæ non insumitur infinita virtus infinitè; unde dum unam naturam creatam terminat, terminare simpliciter potest aliam, sicut dum unum Angelum producit, potest simul producere alium.

III. *Objic. Etiam subsistentia Verbi terminat naturam infinitam.*

Dices: Sicut Pater generat Verbum infinitum, ita subsistentia Verbi terminat naturam similiter infinitam; ergo sicut propterea Pater non potest generare alium filium, ita nec Verbum terminare poterit aliam naturam. Distinguo consequens: Non potest terminare aliam naturam eo modo, nempe ut habens connaturalem & necessariam cùm eâ conjunctionem, concedo, non potest liberè; nego, sicut licet Deus amet se necessariò, idque infinitè, alia tamen à se amare simul potest liberè, & licet infinitè operetur ad intra & necessariò, hoc tamen non obstante operari potest ad extra liberè.

IV. *Probabilius longè est, posse omnes tres Personas divinas assumere eandem naturam creatam.*

Quæres secundò: An è contra possint omnes tres Personæ assumere eandem naturam creatam? Negat Scotus in tertio, Dist. 1. q. 2. quem communiter sequuntur Scotistæ. Dicendum nihilominus, nullam in hoc esse repugnantiam: ita S. Thomas hîc, quæst. 3. art. 6. Halensis, Okamus, Suarez citatus Sect. 2. & alii. Ratio est, quam optimè tradit S. Thomas loco citato; possunt namque tres Personalitates divinæ terminare eandem naturam divinam; ergo & creatam, nulla enim ex parte naturæ creatæ assignari potest implicantia.

V. *Dices: Obstare limitationem naturæ creatæ, quo minùs assumi possit à tribus Personis divinis.*

Dices primò cum Scoto, obstare limitationem naturæ creatæ; si enim potest terminare tres Personas divinas, poterit terminare infinitas. Respondebit aliquis forsan, non argui hinc virtutem infinitam, nam non sunt possibiles infinitæ Personalitates divinæ, sed solum tres; ergo ex eo quòd assumatur à tribus non sequitur posse assumi ab infinitis. Sed contra, nam hoc ipsum, nempe, terminari naturam illam à tribus personalitatibus divinis, arguit virtutem infinitam, sicut propterea natura divina est infinita, quia terminatur à tribus Personalitatibus divinis. Contra secundò saltem sunt possibiles infinitæ personalitates creatæ; ergo sequeretur hanc naturam posse terminari ab infinitis subsistentiis creatis, quod sufficit ad virtutem infinitam.

VI. *Ex eo quòd natura divina arguatur infinita terminando tres Personalitates divinas, hoc non infertur de naturâ creatâ.*

Ad argumentum: Respondetur negando antecedens, ad probationem dico, non inde sequi virtutem infinitam: ad replicam Respondeo, disparem esse rationem de naturâ divinâ respectu illarum trium Personalitatum, utpote quæ illas ex naturâ suâ postulat, & cum iisdem infinitis personalitatibus identificatur, quæ tamen humanæ naturæ non competunt, ac proinde nil mirum, si hinc arguatur in naturâ divinâ virtus infinita. Ad secundam replicam dico, non inde argui vim infinitam, sicut nec in animâ arguitur ex eo quòd possit in se recipere infinitos gradus intensionis gratiæ, & visionis beatæ, nec in formâ substantiali vel accidentali, quòd recipi possit divinitus in infinitis subjectis. Ratio est quia hæc omnia fiunt per potentiam obedientialem, & à naturâ ut elevatâ à Deo ac proinde quicquid est ibi infinitatis, tribuitur Deo.

VII. *Dices: Tota potentia passiva tenet se ex parte subjecti, Deus enim juvare illud non potest ad patiendum.*

Urgebis: Deus non juvat subjectum ut patiatur, seu ut recipiat; ergo tota potentia passiva tenet se ex parte subjecti, ergo si natura illa potest vel divinitus recipere infinitas uniones hypostaticas, habere debet vim receptivam infinitam. Respondetur: Distinguendo primum antecedens, Deus non juvat patiendo: Concedo antecedens: non juvat agendo, & præbendo suum concursum in superiore genere, nego: Distinguo item consequens; ergo tota potentia passiva quoad id quod dicit in recto, tenet se ex parte subjecti, concedo; quoad omnia quæ dicit, nego: quod omnes concedere debent in potentiâ passivâ obedientiali, in animâ exempli gratia, respectu gratiæ & actuum supernaturalium, ubi æquè probari posset simili argumentandi modo, potentiam obedientialem esse merè naturalem, atque hic esse infinitam.

VIII. *Objic. Non potest res aliqua dependere à duabus causis totalibus, ergo nec à duabus subsistentiis.*

Dices secundò cum eodem Scoto, non posse effectum dependere à duabus causis totalibus; ergo nec naturam à plúribus subsistentiis; dependere enim hoc modo est, ita dependere ab unâ, ut non dependeat ab alia, ac proinde in hoc involvitur contradictio. Nec satisfaceret qui diceret cum Caietano diversam esse rationem in dependentiâ alicujus ab alio tanquam à termino & tanquam à causâ, cum relatio dependere possit à pluribus terminis, æqualibus: sed hoc falsum est, sicut enim non potest unio non destrui destructo uno illius termino, ita nec relatio, cùm sint modi, & essentialiter terminos illos respiciant.

IX. *Resp. Est naturaliter dependere res nequeat à duabus causis totalibus, potest tamen divinitus.*

Respondeo ergo breviter: Negando antecedens: quamvis enim naturaliter id contingere non possit, sicut nec materia simul informari duabus formis totalibus, substantialibus vel accidentalibus, cum una fini à naturâ intento sufficiat, sicque alia omnis foret superflua, natura autem abhorret superfluum, divinitus tamen non est cur fieri vel unum nequeat, vel alterum, cùm Deus alium præfigere sibi finem possit, ostensionem scilicet potentiæ suæ, sicut & camelum ponere potest in puncto, aut foramine acus, licet hoc fini à naturâ intento repugnet.

X. *Male aliqui usurpant nomen causæ totalis.*

Si tamen per causam totalem intelligat aliquis causam illam, quæ non admittit secum consortium alterius, gratis hoc modo usurpat nomen causæ totalis, cum illa sit causa totalis, quæ ita influit in effectum, ut eum poneret à parte rei extra causas, licèt alia non concurreret, sicut subsistentia totalis illa dici debet, non quæ sola terminat naturam, sed quæ ita eam terminat, ut aliis terminare desinentibus, natura adhuc per eam sufficienter compleretur. Sed fusiùs hac de re egi Disputatione 18. Physicorum, sect. 5. contra P. Vasquez & alios negantes possibilitatem plurium causarum totalium.

XI. *An si Persona divina assumeret duas naturas humanas, esset unus tantùm homo.*

Quæres tertiò: Utrùm casu quo eadem Persona divina assumeret simul duas naturas humanas, esset unus homo an duo. Pater Vasquez primâ parte, Disp. 155. cap. 5. ait in hoc casu simpliciter fore duos homines: quia, inquit, multiplicato recto multiplicatur significatio nominis substantivi; rectum enim est quod directè & per se primò prædicatur, in hujusmodi autem prædicationibus substantivis, *Deus est homo*, rectum est natura. Sed contra primò: Non enim semper in istis natura est rectum, sic namque falsæ essent hæ propositiones, *Deus est homo, hic homo creavit cælos*, &c. cùm nec Deus sit humanitas, etiam unita Verbo, nec humanitas creaverit cælos. Ratio est, nam juxta regulas dialecticorum, ut propositio sit vera, debet rectum prædicati esse idem cum recto subjecti, unio autem harum naturarum in eodem supposito non facit, ut recta hic sint idem; duæ enim illæ naturæ, humana & divina,

divina, etiam unitæ in eodem supposito adhuc distinguuntur, ergo, &c. Contra secundò: Christus enim esset duæ substantiæ; sicut enim ob duas humanitates eidem Personæ unitas essent duo homines, & si assumeret naturam humanam & Angelicam, esset homo & Angelus realiter distincti, ita cùm hic sint in eadem Personâ unitæ duæ naturæ magis inter se differentes, quàm duæ humanitates, aut natura humana & Angelica, nempe humana & divina, erit Christus duo viventes, & duæ substantiæ.

XII. *In prædicto casu esset unus tantùm homo.*

Ad quæstionem itaque respondetur, in eo casu fore unum tantùm hominem: ita D. Thomas hìc, quæstione 3. art. 7. ubi contrarium, quod in distinctionibus docuerat retractat, Gabriël, Caietanus, Ferrara, & Thomistæ communiter, Suarez hìc, Disp. 13. sect. 3. nude si humanitas Christi dimissa à Verbo assumeretur ab aliâ personâ esset ibi simpliciter alius homo: ratio utriusque est quam proximè insinuavimus, quòd nimirum propositio verificetur secundùm rectum, cùm ergo hic esset diversum suppositum quod importatur in recto, essent diversa concreta, utpote quorum unitas & pluralitas desumitur ex eo quod affertur in recto.

SECTIO QUINTA.

Nonnulla alia circa assumptionem humanitatis.

I. *Si tres Personæ divinæ assumerent eandem naturam humanam, esset ne unus, an tres homines.*

QUÆRES quartò: Utrùm è contra si tres Personæ divinæ assumerent eandem naturam humanam essent tres, an unus homo? Pater Suarez Sect. 2. & alii aiunt, tres Personas divinas in eo casu futuras unum hominem, sicut sunt unus Deus quia terminant eandem naturam divinam, & videtur mens S. Thomæ quæst. 3. art. 6. quem tamen Caietanus, & Medina interpretantur ut loquatur, non simpliciter, sed secundùm quid, nempe fore unum hominem quoad naturam. Dico itaque probabilius videri in eo casu futuros tres homines, ita Caietanus, Medina, Hurtado Disput. 11. Metaphysicæ, num. 96. Ratio est, quia hìc suppositum importatur in recto, cum ergo sint tria recta, essent tria concreta subsistentia, & tres homines.

II. *Dices: Tres personalitates terminantes naturam divinam non faciunt tres Deos, Ergo neque hìc tres homines.*

Quæres quintò: Cur in hoc casu essent potiùs tres homines ob tres Personalitates divinas terminantes eandem naturam humanam, quàm tres Dii ob easdem tres personalitates, terminantes eandem naturam divinam. Marsilius apud Vasquez primâ parte, Disp. 155. cap. 2. ait si nomen *Deus* personaliter sumatur, posse dici esse tres Deos, usum tamen Ecclesiæ obstare quo minùs eo modo sumatur vox *Deus*, sed solùm essentialiter, ac proinde dici non debere tres Deos, ne videamur ponere in divinis tres essentias, seu naturas. Sed maximè displicet hæc sententia, nec in ullo sensu Catholico admitti unquam debet esse plures quàm unum Deum, cùm Scriptura sacra & Concilia id semper doceant, & contrarium damnent.

III. *Diversi hac in parte diversimodè loquuntur.*

Varii hac in re sunt dicendi modi, quos omnes referre & longum esset, & confusionis plus adferret, quàm utilitatis. Iis ergo omissis, generatim pro nominibus concretis substantivis (adjectiva enim multiplicantur ad multiplicationem solius subjecti, non formæ, unde homo callens plures artes est unius artifex, &c.) hæc videtur statui posse regula, nempe ut tam unitas, quàm pluralitas horum nominum desumatur, ab eo quod importatur in recto, sive illud suppositum sit, sive forma. Hoc insinuare videtur P. Vasquez primâ parte, Disp. 155. cap. 4. fine, & optimè explicat Pater Hurtado citatus. Probatur, nomen siquidem numerale directè & per se cadit super id quod importatur in recto, ac proinde pro multiplicatione illius tantùm, multiplicationem accipiunt hæc nomina concreta.

IV. *Illud in divinis, quod in concretis substantivis importatur in recto, est forma.*

Hoc ergo generatim dicto, ad particularia descendendo asserimus cum Patre Hurtado, citato, Molina primâ parte, quæst. 28. art. 2. d. 6. & aliis, id quod in divinis importatur in recto in nominibus concretis substantivis, esse formam, nomina ergo relativa in divinis important personalitatem, tanquam formam in recto, naturam in obliquo, nomina verò substantiva absoluta naturam seu prædicata absoluta in recto, personalitates in obliquo, sicque sunt tres personæ & unus Deus, quia ad multiplicationem nominis requiritur multiplicatio recti, quod si non multiplicetur, quantumcunque multiplicentur obliqua, res non censetur multiplicari, sicut paries habens tres albedines non est nisi unum album. Ratio hujus varietatis in divinis est, quia cùm ibi natura & suppositum æqualem in re dicant independentiam, possunt tanquam res per se stantes mutuò significari in rectò, sicque dantur diversa nomina, illa nunc uno nunc alio modo importantia. Hinc etiam Pater & Filius sunt unus spirator respectu Spiritus Sancti, quia spirator importat vim spirativam in recto & personalitates in obliquo.

V. *Aliter res se habet in naturâ & supposito creato.*

In humanis verò aliter res se habet, cùm enim suppositum creatum, seu subsistentia sit res valdè imperfecta, & vel modus, vel modo non absimilis, nec sit subjectum, nec per se stans instar subjecti, non potest recipere denominationem à naturâ; nec enim potest natura humana aut Angelica intelligi per modum adjacentis respectu subsistentiæ creatæ, præsertim cùm semper in creatis natura sit subjectum respectu subsistentiæ, quæ illi verè inhæret, & ab eâ sustentatur. Unde in divinis Persona dicit subsistentiam in recto, naturam in obliquo, è contra in creatis naturam importat in recto, in obliquo subsistentiam.

VI. *Vox homo aliud significat in purâ creaturâ, aliud in Christo.*

Homo itaque in purâ creaturâ dicit humanitatem in recto, personalitatem in obliquo, in Christo verò dicit in recto hypostasim, in obliquo humanitatem, ut in hac propositione, *Deus est homo*, videtur manifestum; sensus enim est, existit in humanitate, à qua denominatur homo, si autem homo, hic diceret in recto humanitatem, in obliquo suppositum, esset falsa propositio; Deus enim non est humanitas terminata supposito divino, est tamen realiter subsistens in naturâ humanâ, seu suppositum unitum humanitati. Nec refert hominem prout importat personalitatem, non eodem modo prædicari de nobis & Christo, ut supra etiam diximus, modò quoad naturam sit ejusdem rationis nobiscum, & hoc sensu similis nobis homo.

VII. *Non sunt in divinis tres Omnipotentes, Increati, Immensi substantivè.*

Hinc inferuntur reliqua, quæ hìc desiderari possunt, nempe non esse in divinis tres omnipotentes, Increatos, Immensos, substantivè, licèt adjectivè sumpta multiplicentur illa nomina: cujus ratio est, quia quando substantivè sumuntur, sunt que denominationes absolutæ conveniunt

Deitati

Deitati secundùm se, sempérque ex modo significandi intelligitur in illis prædicationibus tanquam subjectum immediatum Deus, & dum dicitur *Vnus est Omnipotens, unus Immensus*, &c. sensus est, *Vnus est Deus Omnipotens, Deus Immensus*, &c. quod etiam dici debet de hac voce *Creator*; eâ enim de causâ tantùm est in divinis unus creator, licèt actio creativa importari solùm videatur in obliquo, quia immediatum prædicatum in eâ propositione est Deus, non quidem nudè sumptus, sed vestitus, ut ita dicam, extrinsecè actione creativa, & sensus est, in divinis tres Personæ sunt unus tantùm Creator, id est, unus tantùm Deus creator.

VIII. *Varia combinationes tum in divinis, tum creatis discutiuntur.* Hinc etiam resolvitur quid dicendum circa varias combinationes, quas imaginari quivis facilè posset in præsenti materiâ. Una enim persona divina unita duabus humanitatibus esset unus homo, una verò persona creata unita iisdem essent duo homines, cùm hîc humanitates importentur in recto, ibi in obliquo. Si Verbum dimitteret hanc humanitatem, & Pater eam assumeret, esset alius homo; si verò hac dimissâ Verbum aliam assumeret, esset idem homo, sicut est idem lucidum heri & hodie in hoc aëre, quia licèt lux mutetur, subjectum tamen quod in recto importatur, manet idem. Ulteriùs, si quis fingat tres Personas divinas assumere tres naturas humanas, ita ut quævis persona terminet omnes illas naturas, erunt tres homines, quod etiam idem foret, si tres naturæ humanæ aut Angelicæ inter se penetratæ terminarentur à tribus subsistentiis creatis, ita ut quævis subsistentia terminaret omnes.

IX. *Si Persona aliqua divina assumeret naturam humanam & Angelicam, esset inter concreta communicatio idiomatum.* Tandem, casu quo ulla ex Personis divinis assumeret duas simul naturas creatas, specie aut genere distinctas, humanam scilicet & Angelicam, esset inter concreta illa communicatio idiomatum, ut notat Suarez hîc in commentario articul. 7. contra Caïetanum, sicque homine moriente Angelus moreretur, sicut nunc in Christo, moriente homine, Deus moritur per communicationem idiomatum, ad hoc autem parum refert identificatio Personæ divinæ cum divinâ naturâ; ideo enim solum contingit hæc communicatio in Christo, in concreto inter humanam naturam & divinam, quia eadem persona subsistit in duabus naturis, ergo cum hic idem contingeret, esset eadem communicatio; cum enim in hoc casu hic Angelus esset hic homo, sequitur manifestè hoc homine moriente, hunc etiam Angelum mori: & sic de cæteris.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA.

De naturâ assumptâ ejusque partibus & ordine assumptionis.

IN Quæstione quartâ multa disputat Doctor Angelicus de naturâ quam Verbum assumpsit, de aptitudine scilicet & convenientiâ ex parte illius ut assumeretur: in quintâ varia inquirit circa partes & potentias naturæ assumptæ: in sextâ demum de ordine assumptionis, quærit utrùm priùs una pars assumpta fuerit quàm alia, utrùm partes Verbo unitæ priùs fuerint, quàm inter se, &c. quæ hic sigillatim sunt disputanda.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm quævis substantia assumi possit à Verbo.

I. *Nil obstat quo minùs natura Angelica assumatur à Verbo.* ALBERTUS in 3. Distinct. 2 art 2. negat naturam Angelicam assumi posse ab aliquâ Personâ divinâ. Ratio ipsius est, quod suppositum in Angelo non distinguatur à naturâ, cùm ergo suppositum, seu subsistentia Angeli assumi nequeat, assumi etiam nequit natura, quæ à subsistentiâ non distinguitur. Sed falsò asseritur subsistentiam in Angelo non distingui ab ejus naturâ, quare exhoc capite nil impedit, quin naturâ Angelica, vel Verbo, vel alteri Personæ divinæ hypostaticè uniatur, ut mox fusiùs ostendam numero tertio.

II. *Quævis etiam natura humana assumi potest à Verbo.* Dico primò: Posse quamvis naturam humanam à Verbo assumi: hoc certum est contra Wiclephum asserentem non potuisse Verbum aliam assumere humanitatem, præter illam numero, quam de facto assumpsit; quod fortasse cum alio ipsius errore supra relato connexionem habet, quo dicebat non posse Deum facere aliud quàm quod de facto fecit. Cùm ergo Christus fuerit similis nobis quoad humanitatem, nulla est vel probabilis ratio, cur quamcumque naturam humanam assumere non potuisset, æquè ac eam, quam assumpsit.

Dico

III. *Ostenditur posse Verbum divinum unire sibi hypostaticè naturam Angelicam.*

Dico secundò: Quoad naturam etiam Angelicam, ut dixi n. 1. nulla videtur difficultas; quidni enim, sicut supplevit Verbum defectum subsistentiæ humanæ, supplere etiam potuit subsistentiam naturæ Angelicæ. Cujus rei non leve fundamentum desumitur ex verbis illis Divi Pauli ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*: ubi significat Apostolus magnum contulisse Deum in nos beneficium, quòd naturam nostram præcligeret Angelicæ, cui se uniret hypostaticè, quod sanè nullum esset beneficium, si assumere naturam Angelicam non potuisset.

IV. *Negant multi posse naturam irrationalem assumi à Verbo.*

De irrationali ergo naturâ præcipuè versatur difficultas, quâ in re Halensis, Richardus, in 3. Distinct. 2. art. 1. q. 4. Gabriel in 3. Distinct. 1. quæst. 2. art. 1. & 2. Pater Hurtado Disp. 2. Phys. sect. 7. num. 81. & alii affirmant impossibile esse ut Verbum naturam irrationalem sibi uniat hypostaticè, nisi in ordine ad rationalem. Rationes afferentur postea.

V. *Natura quævis substantialis, etiam irrationalis, assumi potest à Verbo.*

Dicendum tamen cum S. Thoma in 3. Distinct. 2. q. 1. art. 1. quem sequuntur Thomistæ, Scoto, Durando & aliis, Suarez hìc, Disp. 14. sectione 2. Vasquez Disputatione 3. capite 2. & communi Theologorum sententiâ, posse naturam quamvis substantialem, etiam irrationalem, assumi à Verbo. Probatur: nulla enim in hoc est repugnantia; ergo non est cur divinitus fieri non possit, ac proinde cùm substantia omnis, etiam irrationalis, habeat subsistentiam, non est cur (sistendo præcisè in capacitate illius naturæ, & abstrahendo à congruentiis) assumi non possit. Confirmatur: in triduo mortis mansit corpus mortuum unitum Verbo; ergo potest Verbum assumere aliquid irrationale incapax gratiæ & beatitudinis; ergo & potest divinitus assumere corpus vel vivum vel mortuum Leonis, ergo & formam; quæ enim evidens hujus implicatio. Nec refert materiam primam ordinari ad animam rationalem, non sic formas materiales; esto enim ordinetur ad animam materia, alios tamen status patitur; in quibus incapax est animæ connaturaliter loquendo, & tamen tunc est assumptibilis.

VI. *Neque etiam obstat, aliquam in hoc apparere infirmis nostris oculis incongruitatem.*

Objicitur primò: Indecens videri ut Deus fiat mus, vel musca. Respondeo non agi de congruitate, sed possibilitate, nec fortasse sine aliquâ indecentia antecedenter appareret Angelo unio divini Verbi cum materiâ primâ & humanitate, aut cum corporibus horum animalium, vel quod Deus moreretur, si rem secundùm se præcisè consideraret, & tamen hæc sunt possibilia. Sic etiam potuisset Christus, æquè manere sub accidentibus longè imperfectiorum substantiarum, minúsque ratione nostrâ eum decentibus, atque sub speciebus panis, quod tamen nullus dicit esse impossibile, præsertim, cum stulta mundi elegerit Deus ut confunderet Sapientes. Non ergo negamus esse majorem congruitatem in unâ naturâ, quam in aliâ, sed possibilitatem.

VII. *Assumptio naturæ irrationalis non impedit, quòd non possit constituere personam.*

Objicies secundò: Natura irrationalis non est apta constituere personam; ergo non potest assumi à Verbo. Nego consequentiam, sicut nec in triduo constituebat personam cum corpore mortuo Christi Domini, cui tamen uniebatur. Non ergo est necessarium, ut forma vel quasi forma tribuat omni subjecto cui unitur, omnem suum effectum formalem, cùm effectus formalis connotet, non formam solùm, sed subjectum aptum: sic gratia habitualis non denominat Christum filium adoptivum sicut denominat Petrum; sic species visibiles in aëre receptæ non denominant aërem visivum sicut oculum, ergo ut possit Verbum uniri naturæ irrationali, sufficit quòd unum effectum formalem possit ei conferre, nempe denominationem subsistentis, & suppositi; tam enim verè subsisteret illa natura per subsistentiam Verbi, ac subsistit modò natura humana per eandem, non tamen denominaret personam, sed suppositum, quia ad personam requiritur natura rationalis.

VIII. *Dices: Natura irrationalis non est capax gratiæ, ergo nec unionis.*

Objicies tertiò: Natura irrationalis non est capax gratiæ, visionis beatæ, & sanctitatis, ergo non potest uniri illi Verbum, nec sanctitas increata. Negatur consequentia: hic enim non est effectus adæquatus subsistentiæ Verbi, sed ut reddat naturam illam subsistentem, & operativam conformiter ad conditionem illius naturæ, sicut faceret subsistentia propria, & fortè ut debeatur illi concursus ad operationes aliquas miraculosas, quas sanctus Dionysius & sanctus Damascenus vocant divinas. Imo subsistentia nullibi est principium operandi, seu influens in operationes, ergo neque isthic deberet hoc expectari. Nec urget si quis objiciat, natura irrationalis non est capax visionis beatæ; ergo nec unionis hypostaticæ, quæ est major perfectio: Capacitas enim ad unionem fundatur solùm in generali conditione naturæ substantialis, quæ capax est compositionis inter ipsam & subsistentiam, at visio est actus vitalis intellectualis, & consequenter requirit subjectum vitale, & spirituale.

IX. *Sanctitas duobus modis potest sumi.*

Ad illud verò de sanctitate, dico per sanctitatem vel intelligi aptitudinem ad eliciendas operationes studiosas, & honestas, conducentes ad vitam æternam, non autem competit unioni hanc aptitudinem conferre cuicumque naturæ, sed solùm liberæ, & illarum capaci: sin verò per sanctitatem intelligatur sanctificatio, seu deificatio naturæ assumptæ per intimam unionem & præsentiam Personæ divinæ, sic dicunt hujus sententiæ Auctores sanctificatum iri naturas irrationales per Verbum, & fore eas hoc titulo speciali adoratione dignas.

X. *Dices: Natura irrationalis non est capax operationis divinæ, ergo nec esse.*

Objicies quartò: *Esse est propter operari*; sed natura irrationalis non est capax ullius operationis divinæ, ut amoris Dei, visionis, &c. ergo nec divini esse. Respondetur primò: operationes miraculosas subinde vocari à Patribus divinas, ut supra diximus, & harum saltem est capax natura irrationalis. Respondetur secundò: esse existentiæ esse propter operari, non esse subsistentiæ, cùm hæc non sit principium operationum, per unionem verò hypostaticam directè communicatur naturæ sola subsistentia, seu redditur natura ut subsistens.

SECTIO SECUNDA.

Inferuntur quædam circa assumptionem partium & unionis.

I. *Partes, tum integraliter, tum substantialiter incompletæ assumi possunt à Verbo.*

Hinc infero primò: Non totum solum sed partes etiam incompletas sive integraliter, ut cor, caput, brachium, &c. sive substantialiter, ut materiam sine omni formâ, & formam sine materiâ existentem posse assumi à Verbo, ut de animâ constat in triduo, & de corpore existimant multi in eodem triduo non fuisse in materiâ illâ unitâ Verbo formam cadavericam, sed solùm mansisse

manſiſſe corpus organizatum ſine animâ. Ratio eſt, quia cùm partes etiam incompletè exiſtentes habeant ſuas ſubſiſtentias partiales, nil vetat quo minùs hoc modo aſſumantur.

II. *Accidens non poteſt hypoſtaticè uniri Verbo.* Infero ſecundò cum Mayron. in 3. Diſt. 5. q. 1. Concluſione 3. Baſſoli in 3. Diſtinct. 2. q. 1. a. 2. Cabrerâ 3. parte, quæſt. 4. art. 1. Diſp. 5. & 6. Suarez hîc, Diſp. 14. ſ. 4. Vaſquez Diſp. 30. c. 5. contra Marſilium in 3. q. 3. art. 1. Concluſione 2. Almainum in 3. Diſtinct. 1. q. 2. Gabrielem in 3. quæſt. 2. art. 1. Medinam 3, p. quæſt. 4. art. 1. & alios, accidens non poſſe uniri hypoſtaticè Verbo. Ratio eſt, Unio ſiquidem hypoſtatica eſt modus ſubſtantialis, & datur ſolùm ad ſupplendam propriam ſubſiſtentiam, cum ergo accidentia nullam habeant propriam ſubſiſtentiam, non poteſt per divinam ſuppleri. Adde, accidens nec eſſe naturam, nec partem naturæ, ſicque non deberi illi ſubſiſtentiam & conſequenter habere non poſſe unionem hypoſtaticam.

III. *Verbum divinum non corpus tantùm, ſed etiã animam aſſumpſit.* Infero tertiò: Verbum non corpus ſolum aſſumpſiſſe ſed animam rationalem. Refert hac in parte S. Auguſtinus hæreſi 44. hæreſim Apollinaris cujuſdam, qui Chriſtum carnem quidem aſſumpſiſſe aiebat, divinitatem tamen ſuppleviſſe vicem animæ. Eſt tamen de Fide Chriſtum habuiſſe animam rationalem, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, Matth. 26. & rurſus, *Non mea ſed tua voluntas fiat.* Tandem definitum hoc eſt in quinta Synodo, canone 4. & alioquin non fuiſſet Chriſtus verus homo per omnia ſimilis nobis abſque peccato, contra Apoſtolum.

IV. *Certum de Fide eſt contra Marcionem & Manichæos, corpus Chriſti non fuiſſe phantaſticum.* Infero quartò: Corpus quod aſſumpſit Chriſtus non fuiſſe phantaſticum, ut volebat Marcion & Manichæi, nec ex materiâ cœleſti, ut aiebat Valentinus hæreticus, ſed verum fuiſſe corpus terreſtre, & noſtro ſimile, ex Maria Virgine deſumptum. Probatur ex Scripturâ ſacrâ: *Ecce concipies & paries Filium. Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*, &c. Nec refert dici Chriſtum ab Apoſtolo hominem de cœlo cœleſtem; hoc enim dicitur ratione Perſonæ divinæ, quæ de cœlo deſcendit, & in cœlo adhuc manebat.

V. *Sanguis immediatè fuit unitus Verbo.* Infero quintò cum ſancto Thoma quæſt. 5. a. 2. quem ſequuntur communiter in hac re Theologi, ſanguinem fuiſſe immediatè Verbo unitum: Unde Pater Suarez Diſp. 15. ſect. 6. ait contrarium teneri hoc tempore ſine errore non poſſe, licèt olim Durandus & pauci alii illud tenuerint. Probatur primò ex unanimi conſenſu Patrum, qui videri poſſunt apud Suarez citatum, & Vaſquez Diſp. 36. cap. 6. Imo addit Vaſquez cap. 4. hoc definitum eſſe à Clemente 6. in extravagante, *Unigenitus de pœnitentiis & remiſſionibus*, ubi de ſanguine Chriſti ſic loquitur Pontifex: *Quem in arâ Crucis innocens immolatus, non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione humani generis ſufficiſſet, ſed velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe;* quæ verba licèt ſortè per ſe non arguant eſſe hanc ſententiam definitam, cum explicari poſſint de mediatâ aſſumptione, ſeu ratione humanitatis, conjuncta tamen cum aliâ ejuſdem Pontificis definitione, quam refert Vaſquez citatus num. 14. & Tannerus Diſp. 1. de Incarnatione quæſt. 4. num. 92. videntur omnino convincere: cùm enim Concionator quidam Barcinonæ in publicâ concione ad populum dixiſſet, Sanguinem quem in paſſione Chriſtus effudit fuiſſe à divinitate ſeparatum, mandavit per litteras ſuas Pontifex inquiſitori Barcinonenſi, ut doctrinam illam tanquam hæreticam damnaret, quod & præſtitit.

Veritas hæc à Clemente VI. in extravagante Unigenitus *videtur definita.*

Ratio hujus eſt, quia ſanguis, ſive informetur animâ, ſive non, eſt vera pars corporis humani, præſertim vivi, unde nihil frequentiùs in Scripturâ ſacrâ quàm ut homo caro & ſanguis vocetur; cùm ergo Chriſtus corpus vivum aſſumpſerit, ſanguinem ſimiliter aſſumpſiſſe debuit. Quare ad Hebræos 2. de Chriſto dicitur: *Quia pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit iiſdem.* & Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. ait ſanguinem poni ſub ſpeciebus panis, ob concomitantiam, quia Chriſti partes copulantur: quâ etiam de causâ rejiciendus eſt Cajetanus diſtinguens inter ſanguinem decoctum, quem dicit informari animâ, & conſequenter fuiſſe aſſumptum, & non decoctum, ſeu nutrimentalem, quem ait aſſumptum non fuiſſe: hoc inquam rejiciendum eſt, cùm Patres eodem modo de omni ſanguine loquantur. VI. *Sanguinem immediatè fuiſſe à Verbo aſſumptum, ex ſacris Literis oſtenditur.*

Difficultas tamen reſtat hac in re, quia *quod ſemel aſſumpſit Verbum, nunquam dimiſit*, ergo ſi totus ſanguis in Paſſione effuſus, fuerit unitus Verbo, totus iterum debebat reaſſumi in Reſurrectione, quod tamen factum non eſt, cùm & aliquid ſanguinis manſerit in inſtrumentis paſſionis, & juxta traditionem quarumdam Eccleſiarum ſervetur alicubi in quibuſdam ampullis pars aliqua ſanguinis Chriſti. VII. *Non levis hac in re videtur eſſe difficultas, quia totus ſanguis non videtur in reſurrectione fuiſſe reaſſumptus.*

Putant aliqui, totum ſanguinem in Paſſione effuſum, fuiſſe reſumptum in Reſurrectione, quæ videtur mens Divi Thomæ, quæſt. 34. a. 2. licèt intelligi poſſit de toto ſanguine moraliter. Alii probabile exiſtimant parvam aliquam quantitatem ſanguinis, ob devotionem fidelium, in terris manſiſſe, nempe in coronâ ſpineâ, ſudario, & aliis inſtrumentis paſſionis, cum verò aſſerunt non eſſe nunc hypoſtaticè unitum Verbo; Axioma verò illud intelligi debere aſſerunt de parte aliquâ præcipuâ, cùm partes carnis & ſanguinis per nutritionem deperditæ, fuerint à Verbo deunitæ, & numquam ampliùs reſumptæ, quod & de præputio communiter affirmari ſolet. Paucæ verò hæ ſanguinis guttæ, vel non ſunt ad integritatem corporis neceſſariæ, vel ſi ſint, aliunde ex aliâ aliquâ materiâ, quæ aliquando fuerat in Chriſto, ſupplebantur. Sanguis verò ille in ampullis hodie in quibuſdam Eccleſiis conſervatus, non eſt verus Chriſti ſanguis, ſed ex quâdam Chriſti imagine à Judæis vulneratâ effluxit, ut teſtatur Sanctus Athanaſius in ſeptimâ Synodo relatus. VIII. *Aſſerunt nonnulli totum Sanguinem fuiſſe denuo in reſurrectione, Chriſti corpori unitum.*

Infero ſextò cum Patre Suarez diſp. 15. ſect. 7. alios etiam tres humores fuiſſe immediatè à Verbo aſſumptos. Ratio eſt, quia hi etiam humores ad veritatem naturæ humanæ ſpectant, & ad convenientem ſtatum corporis vivi, quâ etiam de causâ erunt in corporibus Beatorum. Quod exinde confirmatur; Galenus enim libro 2. de elementis, vocat quatuor humores, elementa corporis humani, libro autem primo dixerat elementum eſſe partem minimam. Quod etiam de ſpiritibus vitalibus, & animalibus affirmari poteſt, præſertim cùm communiter dicantur nihil eſſe aliud, quàm partes ſanguinis puriores. IX. *Alii etiam tres humores immediatè fuerũt à Verbo aſſumpti.*

Infero ſeptimò: Etiam capillos & dentes fuiſſe immediatè à Verbo aſſumptos: ita Suarez citatus, & alii. Ratio eſt eadem, quæ de præcedentibus, ſpectant enim ad integritatem completam humani corporis, Verbum autem aſſumpſit humanam X. *Dentes quæque & capilli immediatè fuerũt aſſumpti.*

humanam naturam integram. Deinde cùm Verbum suppleverit subsistentiam creatam in homine, non debuit ulla in Christo esse subsistentia præter divinam. Excrementa autem, quæ propriè talia sunt, non fuerunt à Verbo assumpta.

XI. *Christi corpus fuit in utero Virginis, non successivè, sed simul formatum.*

Infero octavò: Corpus Christi fuisse, non successivè, sicut corpora aliorum hominum, sed simul in utero Virginis formatum. Hoc autem ut fieri posset congregatio sanguinis virginei ad corpus illud efformandum, fieri debuit, non per motum localem, sed per translationem ex unâ parte in aliam, sine transitione per spatium intermedium, ad eum modum, quo motum discretum Angelorum explicant Theologi, ad quam proinde translationem concurrere non potuit Virgo, nisi miraculosè. Dispositiones autem potuit Virgo in instanti producere, Deo miraculosè auferente dispositiones contrarias, quæ solæ sunt causa successivæ inductionis alicujus qualitatis, ut patet in lumine, quæ contrarium non habet: hoc autem sufficit ut Beata Virgo dici possit concursu verè materno concurrisse ad formandum corpus Christi, quod scilicet duritiem ossis, carnis mollitiem, & hujusmodi alia eo instanti produxerit; in quo etiam ad unionem inter animam & corpus Christi producendam, concurrebat, qua in re præcipuè consistit concursus matris ad prolem, cùm sit animatio fœtus, ut vocant.

SECTIO TERTIA.

De ordine assumptionis.

I. *In intentione prius assumptum fuit totum, quàm partes.*

INFERO nonò: Licèt quoad intentionem priùs naturâ, seu ratione assumptum fuerit totum, quàm partes, cùm finis, quem intendebat Deus, esset assumere humanitatem, & fieri homo, in executione tamen priùs naturâ assumpsit Verbum partes, quàm totum: ita S. Thomas quæst. 6. art. 5. ad primum, Suarez disp. 17. sect. 5. & alii. Quamvis ergo totum hoc negotium perfectum sit unico instanti reali, ut superiori corollario diximus, instantia tamen rationis sic instituere possumus. In primo ergo instanti assumpsit Deus materiam, in secundo illam disponebat, in tertio creavit animam, eámque assumpsit, in quarto univit illam materiæ. Priùs itaque assumpta est materia, quàm anima, quod constat, quia priùs debebat materia subsistere, & consequenter assumi, quàm reciperet in se dispositiones, sed priùs naturâ erat disposita materia, quàm anima crearetur, utpote quæ non creatur nisi ad exigentiam corporis dispositi, ergo.

II. *Anima Christi priùs unita fuit Verbo, quàm materiæ.*

Priùs verò unita fuit anima Verbo, quàm materiæ, tum quia subsistentia complet ipsam in ratione partis, quare sicut si intellectus & voluntas distinguantur ab animâ, priùs ratione concipitur illa potentias hasce in se per emanationem producere, quàm uniri corpori, cùm priùs in se completa esse debeat, quàm uniatur alteri, idem dicere debemus de subsistentiâ. Deinde anima juxta probabilem sententiam est subjectum unionis sui ad corpus, sicut autem actiones, ita & passiones sunt suppositorum, ergo pro aliquo priori subsistit, quàm uniatur materiæ, sed non per aliam subsistentiam quàm Verbi, ergo: nec est ulla ratio cur dicamus animas aliorum hominum priùs subsistere, quàm uniantur corporibus, & non animam Christi.

III. *Declaratur quo pacto priùs naturâ assumpta fuerint partes, quàm totum.*

De utraque verò parte sic probo: Unio enim tam corporis quàm animæ cum Verbo facta est omninò independenter ab unione cum totâ humanitate, ergo priùs ad illam; vera enim prioritas consistit in independentia: Antecedens probatur; ita enim facta est unio cum partibus, ut manserit in triduo utraque unio; ergo independenter facta est ab unione totius: dicere enim periisse tunc priorem unionem, & duas de novo partiales emergere, iterum in resurrectione perituras, & est contra mentem Patrum hinc probantium unionem animæ ad Verbum esse majorem & excellentiorem unione ejusdem animæ ad corpus, quòd hæc destrui potuerit, non illa: rationi etiam non ita est conforme, cum sine ullâ necessitate ita multiplicentur uniones.

IV. *Neque hinc sequitur, quod opponant aliqui, totum non esse assumptum per se, sed tantùm per accidens.*

Dices cum Scoto in 3. Dist. 2. q. 2. Vasquez Disp. 39. cap. 3. & aliis contrarium sentientibus, hinc sequi totum non esse per se assumptum, sed solum per accidens. Negatur tamen sequela: Primò quia solum assumuntur partes in ordine ad constituendum totum: Secundò & præcipuè, quia in nostrâ sententiâ unio etiam assumitur, unde sicut non valet hæc consequentia, partes producuntur priùs aliquo modo naturâ ad productionem totius; ergo totum non producitur per se, ita neque hæc, partes aliquo modò priùs assumuntur quàm totum, ergo totum non assumitur per se, sed per accidens.

V. *Quòd partes priùs assumptæ sint, quàm totum, non sequitur Verbum non fuisse primò hominem.*

Urgebis: Ergo Verbum non fuit primò homo, sed secundò tantùm. Distinguo consequens: Si per esse primò hominem intelligatur immediatè & ex primariâ intentione non fuisse hominem: nego consequentiam; si secundùm signa rationis, transeat, sicut hac ratione producto Adamo, non fuit primò productus homo, sed partes, licèt immediatè & primariò productus sit homo.

VI. *Objic. Ergo duæ illæ uniones hypostaticæ faciunt aggregatum per accidens.*

Dices secundò: Ergo Verbum unitum fuit humanitati per duas uniones hypostaticas non unitas inter se, & consequenter eas facere cumulum & aggregatum per accidens. Nego sequelam: primò enim aliqui probabiliter dicunt uniones illas hypostaticas partiales uniri inter se per tertiam unionem hypostaticam terminatam ad unionem inter animam & corpus: Deinde licèt non uniantur non faciunt aggregatum per accidens, quia intrinsecum dicunt ordinem inter se ad unionem substantialem totalem componendam, quod in aggregato per accidens non contingit; sicut primus gradus caloris non unitur immediatè cum quinto, cum quo tamen non facit aggregatum per accidens, quod nunquam contingit cum res quæ uniuntur ordinantur saltem mediatè ad unum per se.

VII. *Quo sensu dicant sancti Patres, Verbum assumpsisse corpus mediante animâ, & animam mediante spiritu.*

Infero ultimò: Quomodo intelligendum sit dictum illud toties à Patribus usurpatum, nempe Verbum assumpsisse corpus mediante animâ, & animam mediante spiritu. Sensus enim est, non quòd mediatè solum assumptum fuerit corpus, sed quòd corpus de facto assumptum à Verbo non fuerit, nisi in ordine ad animam & operationes spirituales, & studiosas ad finem redemptionis humani generis, ac proinde in intentione divinâ fuit anima ratio cur Verbum assumpserit corpus, alioqui illud non assumpturum ob defectum cujusdam congruitatis, vel in se, vel ad finem intentum, ut diximus.

SECTIO QUARTA.

An Unio inter animam & corpus assumpta fuerit à Verbo.

I. *Prima sententia est negativa.*

NEGAT Pater Hurtardo Disp. 2. Physic. sect. 7. P. Suarez hîc, Disp. 17. sect. 5. & alii, qui vel unioni huic negant subsistentiam propriam, vel universaliter asserunt non posse unionem aliâ unione uniri, quod tamen hîc necessariò fieri deberet, ut constat.

II. *Nulla est repugnantia quo minùs unio inter animam & corpus assumatur.*

Dico primò: Non repugnat unionem assumi à Verbo. Ratio est, quia cùm sit quid per se spectans ad constitutionem naturæ substantialis, & substantia, non est cur ei neget quis propriam subsistentiam partialem, & consequenter, cur non possit hæc suppleri à Verbo, sicut possunt subsistentiæ partiales materiæ & formæ. Deinde subsistentia est ultimus terminus naturæ, unionem autem non esse secludendam à ratione naturæ, ostendimus lib. 2. Phys. Disp. 1. sect. 1. ex definitione naturæ traditâ ab Aristotele.

III. *Ex eo quòd hæc unio aliâ unione uniatur, non sequitur processus in infinitum.*

Nec obstat quod supra objiciebatur quòd scilicet unio non possit aliâ unione uniri, ne sequatur processus in infinitum; hoc enim inconveniens ad summum tunc sequitur, quando unitur per aliam unionem homogeneam, seu ejusdem rationis, idque ex naturali exigentiâ, ut si unio informationis egeat aliâ unione informationis, per quam uniatur, non verò quando unitur per aliam unionem heterogeneam. Sic omnes concedunt puncta continuativa albedinis, & formæ substantialis materialis (quæ tamen sunt modi & uniones) uniri materiæ per unionem informationis.

IV. *Objic. Si hæc unio habeat propriâ subsistentiam, ergo & illa quâ unitur Verbo, sicq; dabitur processus in infinitum.*

Dices: Si unio inter animam & corpus habeat propriam subsistentiam, ergo & unio qua unitur Verbo habebit, ergo illa uniri debebit Verbo per aliam unionem, & illa per aliam, & sic in infinitum. Sed contra, hoc enim argumentum æquè urget de unione hypostaticâ inter materiam aut animam & Verbum. Negatur ergo consequentia: Unio enim hypostatica, cum non subsistat ut *quod* sed ut *quo*, & integret quasi simul cum Verbo unum ultimum terminum substantialem naturæ humanæ, sicut inhærentia, seu unio informationis integrat cum accidente unum ultimum terminum, & complementum accidentale, non debet terminare aliam unionem in ratione subsistentis.

V. *Verisimilius est unionem inter animam & corpus Christi de facto fuisse assumptam.*

Dico secundò: Probabilius videri unionem inter animam & corpus, de facto fuisse à Verbo assumptam. Hoc affirmari videtur à sancto Damasceno lib. 3. de Fide cap. 6. ubi ait, Verbum assumpsisse quicquid in hac naturâ plantaverat, quod saltem de iis, quæ spectant ad constitutionem naturæ, intelligi debet.

VI. *Nihil subsistentiæ creatæ manere debuit in naturâ assumptâ.*

Probatur ratione primò: Si enim unio hæc habeat propriam subsistentiam, ut est verisimilius, videtur debuisse assumi, nihil enim subsistentiæ creatæ manere debuit in humanitate illâ, & consequenter quicquid ibi erat subsistentiæ, suppleri debebat à Verbo. Confirmatur: Propter hanc namque rationem communiter dicunt Theologi, sanguinem & reliquos humores, capillos etiam & ungues assumi debuisse à Verbo, esto animâ non informarentur, saltem rationali, ergo à fortiori assumi debuit unio.

VII. *Verbum assumpsit humanitatem, ergo & unionem inter animam & corpus Christi.*

Secundò probatur: Verbum assumpsit humanitatem, quatenus natura est, sed humanitas quâ talis non dicit solùm materiam & animam rationalem, sed unionem, homo enim definitur physicè: *Compositum constans ex animâ, corpore, & unione*, ergo hoc totum assumi debuit, sed hoc intrinsecè & formaliter includit unionem, ergo etiam unio assumi debuit. Confirmatur: Alioquin sequeretur in resurrectione Verbum factum esse hominem per solam reunionem animæ & corporis inter se.

VIII. *Sicut qui produceret materiam & animam, etiam dum uniuntur, non produceret totum, si non produceret unionem, ita nec assumeret.*

Dices: Materia & anima unitæ sunt homo, seu humana natura, ergo si Verbum assumpserit materiam & animam unitas, assumpsit humanitatem. Contra: Quia quantumcumque materia & anima unitæ sint homo, qui tamen produceret materiam & animam, & non produceret unionem, non produceret hominem, licèt simul aliunde vel produceretur unio, vel esset à se. Sic etiam Angelus, qui videret intuitivè parietem & albedinem, etiam dum hæc inhæreret parieti, si tamen non videret unionem informationis, non videret totum, cùm totum ultra ambas partes, etiam collectivè sumptas, addat unionem.

IX. *Materia & anima reduplicativè sumptæ sunt homo, non sumptæ tantùm specificativè.*

Respondetur itaque, distinguendo primum antecedens: Materia & anima unita reduplicativè sumptæ sunt homo, concedo antecedens, sic namque includunt unionem; specificativè sumptæ, nego: sic enim etiam dum uniuntur, non sunt homo, sed solùm partes hominis, & consequenter, qui eas hoc modo assumeret, non assumeret humanam naturam, ut proximè ostensum est exemplo creationis & visionis; perinde enim est ad hanc assumptionem, atque si non unirentur.

X. *Uniones etiam continuativæ materiæ sumptæ assumptæ.*

Quod dixi de unione inter animam & corpus, intelligi etiam debet de unionibus continuativis partium materiæ à Verbo assumptæ. Neque hinc sequitur dari infinitas uniones hypostaticas correspondentes infinitis punctis & lineis materiæ, una enim unio habens partes extensivas, eo modo quo habet, id abundè præstare poterit.

XI. *Nihil ex hac doctrinâ sequitur contra communem Theologorum sententiâ, Verbum semel, quod semel assumpsit, nunquam dimisit.*

Dices, hinc sequi contra commune axioma Theologorum, Verbum, quod semel assumpsit, aliquando dimisisse, hanc enim unionem dimisit. Contra: Certum est Verbum dimisisse humanitatem in morte, & in triduo illo non fuisse hominem, ut contra Hugonem victor. & Magistrum in 3. dist. 22. Docet Sanctus Thomas, & Sanctus Bonaventura, & communiter Theologi apud Suarez Tomo 2. in 3. partem, disputatione 37. sect. 2. ergo si stante hoc axiomate potuit Verbum dimittere humanitatem, quidni & unionem, per cujus dimissionem dimittitur humanitas, & quâ resumptâ, resumitur. Certum etiam est, ut supra dixi, Verbum dimisisse partes per nutritionem toto vitæ tempore segregatas.

XII. *De quibus intelligèdum sit commune illud Theologorum pronunciatum.*

Axioma ergo illud solùm intelligitur de partibus præcipuis humanitatis, de animâ quoad individuum, de materiâ saltem quoad speciem, non verò de toto, nec unione, quæ est forma totius, cùm quoad aliquas uniones certum sit in passione & morte fuisse pro tempore, imò perpetuò dimissas, ex quibus fuerunt uniones continuativæ partium carnis, quæ divisæ sunt per vulnera toto corpore dispersa, ex quibus quinque præcipua perpetuò sunt permansura.

XIII. *Uniones hypostaticæ animæ & corporis Christi unus*

Hinc infero, posse dici uniones hypostaticas, partiales terminatas ad animam & corpus, uniri inter se per hanc unionem hypostaticam unionis, licèt etiam non sit necessarium ad hoc, ut illæ

uniones

inter se possunt per hãc unionem hypostaticam unionis.

uniones faciant unum per se in Christo. Prima pars probatur: Quid namque vetat illas uniones uniri quasi extensivè, sicut uniuntur partes heterogeneæ formarum materialium in viventibus, hoc enim modo res diversæ specici incompletæ, imò & generis possunt inter se uniri, & quasi continuari, ut ostendimus in libris de Animâ, ad illam quæstionem. Secundam etiam partem probo: Ad vitandum siquidem aggregatum per accidens sufficit mediata coordinatio rerum ad se invicem, quamvis immediatè non connectantur, ut constat in partibus viventium, &c.

SECTIO QUINTA.

An natura existens in propriâ subsistentiâ assumi possit à Verbo?

I. *Supponendum contra Durandum & alios quosdam, subsistentiam creatam plus quàm ratione distingui ab humanitate.*

NOTANDA hîc in primis obiter quædam circa naturam subsistentiæ, plenior enim hujus rei discussio ad Philosophiam pertinet. Suppono itaque primò contra Durandum, & alios, subsistentiam creatam, prout sumitur pro ratione formali denominante suppositum, esse quid plusquam ratione distinctum à naturâ: Primò, quia alioqui Verbum assumendo naturam creatam, verè & realiter assumpsisset personam creatam contra Concilia. Secundò, quia si à parte rei idem sit humanitas & homo, sicut hæc propositio est vera, *homo est Deus*, ita erit & hæc vera, *humanitas est Deus*, quod nemo concedet.

II. *Malè Scotus asserit subsistentiam esse in duplici negatione.*

Suppono secundò contra Scotum, subsistentiam non consistere in duplici negatione, actualis scilicet, & aptitudinalis dependentiæ ab alio, seu ut nec pendeat actu, nec naturaliter pendere possit ab alio. Ratio est primò: Subsistentia namque secundùm omnes, est complementum quoddam & perfectio naturæ, negatio autem non est perfectio. Secundò: Quia alioquin persona in creatis esset ens per accidens, cùm tamen secundùm omnes subsistentia & natura faciant unum per se, negatio autem non facit unum per se cum re positivâ. Tertiò: Hoc modo siquidem Verbum divinum non posset supplere vices subsistentiæ creatæ, unio namque hypostatica dat effectum contradictorium, cùm contradictoriè tollat negationem unionis, in quâ negatione consistit ratio formalis subsistentiæ creatæ secundùm Scotum. Quartò: Hac etenim ratione inanes essent definitiones Conciliorum contra Nestorium asserentem fuisse in Christo duas personas, creatam & divinam, solùm enim definirent naturam humanam Christi unitam Verbo, non existere sine hujusmodi unione, ad quod declarandum non fuisset opus Concilio generali, cùm sit lumine naturæ notum, nec ullus hæreticus, quantumvis stupidus id assereret. Quintò: Non enim apparet quomodo Verbum secundùm hanc Scoti sententiam non desinat habere subsistentiam, & esse persona dum unitur humanitati, cùm non habeat negationem actualis unionis cum alio: Dependentia autem, quam requirit Scotus nihil est aliud, quàm unio. Hæc obiter in præsenti, sententiam enim Scoti latè impugnavi disp. 8. Metaph. sect. 2. & 3. ubi argumenta, quæ pro eâ afferuntur, solvi. Plura etiam hac de re ponentur infra, sectione sextâ.

Ita hac sententiâ thesis essent definitiones Conciliorum contra Nestorium, duas personas in Christo statuentem.

III. *Variis argumentis*

Suppono etiam ex Metaphysicâ, loco proximè citato, effectum formalem subsistentiæ non esse, ut vult Pater Suarez, reddere naturam, quam terminat, independentem per modum subjecti, hic siquidem est conceptus creationis, non subsistentiæ. Secundò subsistentia ipsa educitur. Tertiò forma materialis subsistit, quæ tamen non est independens ab alio per modum subjecti. Quartò: Angelus ad hunc effectum non egeret subsistentiâ, cùm sit essentialiter independens à subjecto.

ostenditur conceptum subsistentiæ non esse situm in eo ut reddat naturam independentem à subjecto.

Præterea, contra Vasquez, effectus formalis subsistentiæ non est, ut non sit res aliqua ullo modo in alio tanquam in composito: Primò enim anima rationalis, etiam in composito subsistit. deinde, omnes partes ignis & aquæ habent suam subsistentiam partialem. Tertiò: Alioquin non est cur Angelus habeat subsistentiam, cùm naturaliter constituere cum aliâ re compositum non possit. Quartò: Hinc sequeretur Verbum non habere subsistentiam, cum actu constituat compositum cum naturâ humanâ, imò nec subsistentia creata esset subsistentia, est enim in composito.

IV. *Non vetè etiam ait Vasquez effectum formalem subsistentiæ esse, ut res aliqua non sit in alio tanquam in composito.*

Tertiò: Effectus formalis subsistentiæ non est reddere naturam incommunicabilem alteri tanquam supposito, quæ est sententia Albertini, & ex parte Suarez, quos multi sequuntur ex recentioribus: vel enim sermo est de supposito proprio, ita scilicet ut natura habens unam subsistentiam propriam non possit naturaliter habere aliam propriam: vel quòd habens propriam non possit simul habere alienam: si primum est effectus solùm transcendens, & ad quem nisi alius finis includatur, nulla unquam forma requiritur, sic enim licèt calor ut unum, tollat indifferentiam subjecti, ad alium calorem ut unum, & ubicatio in hoc spatio indifferentiam ad aliam ubicationem hujus subjecti in eodem spatio, nisi tamen esset alius effectus quàm hic caloris & ubicationis, nullus vel hanc requireret, vel illum.

V. *Neque effectus formalis subsistentiæ est reddere naturam incommunicabilem alteri tanquam supposito.*

Si verò dicatur secundum, frustra requiritur subsistentia, nec enim ibi opus est formâ, vel modo ad tollendam indifferentiam, ubi nulla est, Angelus autem non est indifferens ad subsistendum subsistentiâ humanâ, nec homo equinâ, sicut nec materia cœli, si non sit capax formarum sublunarium eget ullâ formâ superadditâ, per quam tollatur hæc indifferentia, & si Petrus non possit esse nisi in uno loco, nullus in eo poneret ubicationem distinctam.

VI. *Frustra ponitur subsistentia ad tollendam indifferentiam ne habeat subsistentiam alienam.*

Dices: Licèt naturaliter natura Angelica non sit indifferens ad subsistentiam humanam, nec homo ad equinam, sunt tamen divinitus; ad hanc ergo indifferentiam tollendam datur subsistentia. Sed contra primò: Hoc namque est, quod est in quæstione, Utrùm scilicet natura habens propriam subsistentiam, possit simul terminari alienâ. Contra secundò: Auctores enim hujus sententiæ negant potentiam obedientialem, & dicunt naturam Angelicam exempli gratiâ, etiam spoliatam propriâ subsistentiâ, non posse, nec divinitus quidem, recipere subsistentiam humanam, ergo non est cur ad hanc indifferentiam, etiam in ordine ad potentiam absolutam tollendam, detur subsistentia, cùm natura antecedenter ad subsistentiam propriam tali indifferentiâ careat.

VII. *Dices: Natura humana divinitus est indifferens ad subsistentiam equinam.*

Contra tertiò: Cur ergo non ponimus in materiâ formam aliquam, vel modum ad tollendam indifferentiam, quam habet ad aliam formam divinitus simul cum eâ, quam naturaliter habet recipiendam, quod etiam argumentum fieri posset de formis accidentalibus. Contra quartò:

VIII. *Eodem modo etiam poni in materiâ deberet forma, vel modus ad impediendã aliã formam etiam divinitus inducendam.*

quartò: Subsistentia siquidem est connaturalis proprietas, naturaliter substantiis debita, ergo solùm dicere ordinem debet ad res intra ambitum rerum omninò naturalium, nec præcipuè respicere potest Deum, ut auctorem supernaturalem, forma enim naturalis habere debet effectum naturalem sibi proportionatum, & solis naturæ viribus definitum. Unde colligo, si possit munus aliquod naturale inveniri, quod adscribamus subsistentiæ, non esse ad hoc confugiendum.

IX. *Formalis itaque conceptus subsistentiæ est, ut sit ultimus terminus & complementum naturæ.*

Effectus itaque formalis subsistentiæ est, ut sit ultimus terminus, & complementum naturæ, sicut enim res integraliter habent suos terminos, & complementa juxta probabilem sententiam, puncta scilicet terminativa, & accidentales etiam perfectiones, ut flos colorem, lac dulcedinem, Sol lucem, &c. ita quidni habere etiam debebit substantia suam perfectionem & complementum substantiale, ergo hoc est munus sufficiens alicujus formæ, esto nullum alium effectum præberet, quæ est ratio sufficiens hujus rei.

X. *Quo sensu subsistentia reddat naturam existentiam per se.*

Hinc verificantur alia quæ de subsistentiâ afferri solent ab auctoribus, nempe quod reddat rem existentem per se, id est completam in ratione existentiæ per se, seu substantialiter, cùm proprium substantiæ sit existere per se. Reddit etiam rem incommunicabilem alteri tanquam suppositò, id est, hac stante non potest res illa uniri naturaliter alteri supposito, sive proprio, sive alieno, licèt hic non sit primarius effectus subsistentiæ, sed communis & generalis illi cùm aliis terminis respectu suorum effectuum formalium. Unde etiam formæ substantiales materiales habent subsistentiam, seu ultimum hunc terminum substantialem non minùs quàm anima rationalis, licèt sint dependentes à subjecto; reddere enim independentem à subjecto non est effectus subsistentiæ, sed creationis, ut jam dictum est.

XI. *Nil obstat, quo minùs humana natura cum propriâ existentiâ existens assumatur à Verbo.*

His positis, ad quæstionem Respondeo: Nullam esse implicantiam, ut humana natura existens in propriâ subsistentiâ assumatur à Verbo: de facto tamen nullam propriam habuit. Secunda pars est de Fide, & definitur in Concilio Ephesino, can. 3. & 4. & in quintâ Synodo, can. 4. & 5. ac Patres omnes & Concilia docent contra Nestorium, in Christo non esse duas personas.

XII. *Ratio est, quia in hac assumptione nulla apparet repugnantia.*

Prima pars est contra Scotum in 3. Dist. 1. q. 2. paragrapho *ad quæstionem igitur*; Durandum, Caietanum 3. parte, quæst. 3. art. 6. Patrem Suarez Disp. 14. sect. 1. Vasquez Disp. 19. num. 6. & multos ex Recentioribus: tenet tamen Pater Hurtado Disput. 11. Metaphys. sect. 7. & alii. Ratio conclusionis est generalis illa quæ afferri solet pro hujusmodi quæstionibus, quæ procedunt de potentiâ absolutâ, nempe nulla est repugnantia, ergo. Confirmatur, potest eadem natura creata assumi à tribus personis divinis, ergo & existens in propriâ subsistentiâ: quam consequentiam, concesso antecedente, ut communiter illud concedunt auctores hujus sententiæ, ait Scotus negari non posse, quâ de causâ negat ipse antecedens, ut supra vidimus. Hanc conclusionem latiùs discussi Disp. 8. Metaphysicæ, aliaque ad subsistentiam spectantia, quæ hîc non sunt repetenda.

SECTIO SEXTA.

Alia quædam de subsistentiâ creatâ, & peculiariter an consistat in negativo.

L. *Verbum substantiat humanitatem per assumptionem impeditam, sit quid positivum, an negativum.*

QUÆRES, Utrùm subsistentia naturæ humanæ, quam per unionem ad Verbum impeditam esse dicimus, &, si humanitas priùs tempore extitisset antequam uniretur, fuisset per assumptionem destructa; utrùm inquam, subsistentia hæc sit quid positivum, an in negatione consistat? Hanc difficultatem latè discussi in Philosophiâ, Disp. 8. Metaphysicæ, sect. 2. & 3. ubi ostendi sitam esse in positivo: & quamvis ab illo tempore multa à doctis quibusdam Recentioribus, quique hanc quæstionem labore suo & industriâ non parum illustrarunt, allata videam tum ex Conciliis tum Patribus, quibus acriter contendunt subsistentiam creatam consistere in negatione unionis cum altero, præsertim digniore, nihilo tamen secius in sententiâ de subsistentiâ in positivo sitâ persisto, utpote quæ & ad rei veritatem, & ad Concilii ac Patrum hac de re loquentium auctoritatem tuendam multo mihi videtur accommodatior, cùm parum è dignitate Concilii sit, ut tot eruditione & sapientiâ præstantes viri in unum ex diversis orbis partibus convocarentur ad definiendum aliquid lumine naturæ notum, humanitatem scilicet unitam Verbo non manere non unitam, seu habentem hujusmodi unionem non habere ejusdem unionis negationem, quod plurimis ridiculum videtur, & definitiones Conciliorum exponere ludíbrio. Sed de hoc latiùs dixi in Metaphysicâ, loco proximè citato.

II. *Dices: Asserere Patres humanitatem non habere propriâ subsistentiam, quia unitur Verbo.*

Illud verò nullo modo mihi efficax videtur, quod ad probandum subsistentiam creatam in negatione sitam esse afferunt contrariæ sententiæ auctores, eique præcipuè insistunt, quòd nimirum Concilium & Patres affirment, ideo humanitatem non subsistere propriâ subsistentiâ, quia unitur Verbo, ergo, inquiunt, juxta Patres subsistentia propria, seu creata formaliter sita est in negatione unionis cum alio perfectiore, sicque rejiciunt omnem entitatem positivam à ratione subsistentiæ.

III. *Illatio illa non est formalis, sed causalis.*

Hoc tamen nullo pacto probat intentum; fateor enim causam cur non habeat Christi humanitas propriam subsistentiam esse, quia unitur Verbo, hinc tamen non rectè infertur, negationem hujus unionis esse illius subsistentiam, sed solùm sequitur ex hac unione ad subsistentiam Verbi humanitatem non habere propriam, quia nulla res creata potest naturaliter habere duas: cùm ergo Deus statuerit ut hæc humanitas semper uniretur subsistentiæ divinæ, nunquam connaturaliter habere potuit propriam. Imò non magis sequitur hæc consequentia, humanitas quia unitur subsistentiæ Verbi, caret propriâ subsistentiâ, ergo subsistentia creata consistit formaliter in negatione hujus unionis, quàm hæc, aqua fervens non habet frigus quia habet calorem, ergo frigus consistit formaliter in negatione caloris.

IV. *Quorundam in particu-*

Nihil ergo aliud docent Patres, & Concilia, quàm rationem cur humana Christi natura non habeat propriam subsistentiam, nec constituat personam

Iari Patrum hæc de re dicta discutiuntur.

sonam esse quòd uniatur divinæ. Sic Rusticus Diaconus à Patre Wadingo hîc, disp. 4. dub. 2. §. 4. citatus, qui refertur tomo 6. Bibliot. novæ, p. 2. edit. Colonien. cum Acephalo quodam hîc de re disputans, dum quæreret hæreticus, quando, ut fatentur orthodoxi, natura humana Christi nihil minus habeat, quàm naturæ aliarum personarum humanarum, cur non sit persona, & consequenter duæ personæ in Christo, ut volebat Nestorius: respondet Rusticus diaconus, ideo naturam illam humanam Christi non esse personam, *quia Deus illam naturam humanam nunquam suâ gratiâ, atque gubernatione depositam reliquit, &c. sed & ob hoc eam creavit, non ut sua, sed ut ejus esset, & super semetipsum eam fundavit tanquam super basim quandam, vel fundamentum, &c.* Respondeo, hoc ejus dictum esse verissimum, nullâ tamen ratione probat subsistentiam creatam sitam esse in negatione, sed ostendit solùm naturam humanam non fuisse personam, seu non habuisse propriam subsistentiam, quia super Verbum tanquam super basim & fundamentum fuit fundata, seu quòd unita fuerit subsistentiæ divinæ, ex quo, ut jam ostensum est, optimè sequitur eam non habuisse subsistentiam propriam, cùm habere simul duas naturaliter non possit. Eodem modo intelligendus est Beatus Theodorus Cariæ Episcopus ab eodem citatus, & alii.

V. *Quo sensu dixerint Patres Verbum assumpsisse naturam completam.*

Quando verò Patres dicunt Verbum assumpsisse naturam humanam completam, intelligendi sunt assumpsisse completam in ratione naturæ, seu quoad ea, quæ ad naturam spectant, prout à subsistentiâ distinguitur: Patres enim, ut constat, naturam & subsistentiam tanquam duo distincta proponebant, & alteram, nempe naturam, à Verbo assumptam fuisse aiebant, alteram verò, subsistentiam scilicet, docent non fuisse assumptam, & hoc sensu asserunt fuisse assumptam naturam perfectam & integram, nimirum in ratione naturæ.

VI. *Qua ratione assumpta fuit humana Christi natura cum proprietatibus.*

Eodem modo accipiendi sunt, dum asserunt naturam fuisse assumptam cum proprietatibus, iis videlicet, quæ assumptioni non repugnant; sicut ut Disputatione octavâ Metaphysicæ supra citatâ dixi, Concilium Tridentinum sessione 13. can. 2. definit substantiam panis in Eucharistiâ destrui, manentibus panis & vini speciebus, seu accidentibus, & tamen certum est panis & vini ubicationem non manere, sicut nec unionem, seu inhærentiam, per quam hæc accidentia substantiæ panis & vini ante consecrationem conjungebantur. Sicut ergo hîc dicere debent adversarii, intelligi debere Concilium de iis solùm accidentibus, quæ remanere possunt, quantitate scilicet, albedine, & similibus, idem in præsenti affirmare debent de proprietatibus, eas nimirum solas esse assumptas, quæ assumptioni non repugnant, subsistentia verò, ut constat, assumi non potest.

VII. *Dices: Mirum est hâc ætate, si detur, antea non innotuisse.*

Dices cum Wadingo citato, si subsistentia creata sita sit in re aliquâ positivâ, mirum est hanc à Patribus tunc non fuisse insinuatam, sed postremis tantummodo his temporibus, & profligatâ jam penitúsque extinctâ Nestorii hæresi eam mundo innotuisse. Respondetur primò, parum curasse Patres utrum subsistentia creata in re positivâ sita esset, an in negatione, sed de hoc solùm fuisse solicitos, ut contra Nestorium ostenderent unionem hanc humanæ naturæ non esse tantùm moralem, seu per affectum, sed realem, & physicam, hoc autem abundè probant, ostendendo assumptam fuisse naturam, non subsistentiam, in quocunque demum hæc subsistentia consisteret, positivo scilicet, an negativo, nec enim intererat Concilii ad has speculationes Philosophicas descendere. Cùm ergo nihil obstet unioni physicæ præter subsistentiam, hac non assumptâ, non poterant esse duæ personæ, & consequenter non unio tantùm per affectum, ut contendebat Nestorius.

VIII. *Variè ostenditur Patres indicare subsistentiam creatam esse quid positivum.*

Respondetur secundò, Patres apertè indicare subsistentiam creatam esse quid positivum, agentes namque contra Nestorium, frequenter aiunt *Verbum assumpsisse naturam hominis, non personam*, quæ propositio, ut supra dixi, si subsistentia secundùm illos fuisset mera negatio assumptionis, seu unionis, planè fuisset ridicula, & feciisset hunc sensum, *Natura assumpta non mansit non assumpta*, seu habens unionem physicam ad Verbum, non habuit ejusdem unionis negationem: quis de talibus viris hoc existimare potest, quòd scilicet proferre vellent, & posteris ad perpetuam rei memoriam tradere propositionem tam ridiculam: sanè parum eorum honori consulit P. Wadingus, si hoc de ipsis affirmet. Deinde Justinianus in edicto Fidei per Vigilium approbato, sic scribit: *Omnes Sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam sive substantiam, & aliud subsistentiam sive personam*: quæ verba, præsertim particula *aliud* apertè indicat existimasse eos subsistentiam esse aliquid positivum, distinctum à naturâ.

IX. *Concilium Ephesinum innuit apertè subsistentiam creatam esse quid positivum.*

Præterea ex Concilio ipso Ephesino haud obscurè colligitur, existimasse Patres subsistentiam creatam esse quid positivum; cùm enim Canone 2. definivissent Verbum Dei esse secundùm substantiam unitum carni, Canone immediatè sequente definiunt, post hanc unionem non mansisse duas subsistentias; ergo non est idem juxta illos naturam unitam esse alteri, & non subsistere, alioqui secunda illa definitio planè esset frustranea: sicut quia idem realiter est orbari omni luce, & esse tenebrosum, haud rectè is agere censeretur, qui postquam probavit locum aliquem orbatum esse omni luce, probare deinde conaretur eum esse tenebrosum.

X. *Veritates variæ prius obscurè traditæ, à Theologis postea magnam lucem acceperunt.*

Sed ponamus Patres illos, qui se Nestorio tunc temporis opponebant, positivam hujusce modi subsistentiam clarè non tradidisse, quia hæc non erat contraversia quæ eo tempore agitabatur, solùm namque, quod eorum tunc intererat, definiverunt humanam Christi naturam verè fuisse Verbo unitam, & non duas, sed unam tantùm in Christo esse subsistentiam; quoties tamen accidit, ut benè observat P. Arriaga hîc, Disputatione 25. sect. 4. Veritates aliquas, non ita clarè initio & distinctè traditas, Scholasticorum postea operâ enucleatiùs declarari, novâque luce illustrari: & ut non abeam longiùs, hi ipsi auctores qui in positivam hanc subsistentiam, eo quòd nuper tantùm clarè, & distinctè tradita sit, invehuntur; hi inquam ipsi Patrem Ludovicum Molinam mirè extollunt, optiméque de re Theologicâ meritum esse affirmant, quòd scientiam mediam non ita distinctè antea traditam, è tenebris veluti eruerit, claréque in scholas invexerit, atque ad libertatem prædestinationis, singularéque Dei in prædestinatos beneficium declarandum applicuerit, & nihilominus æquè dicere possent mirum esse tot jam labentibus sæculis, cùm plurimæ circa gratiam ac prædestinationem exortæ fuissent hæreses, hanc scientiam, per quam

fatentur difficultates illas omnes facillimè expediri, non fuisse clarè & distinctè in Ecclesiâ traditam, sed nunc tantùm, aliquot nimirum sæculis postquam hæreses illæ omnes obtritæ sunt ac penitus profligatæ.

XI. *Auctores multi gravissimi subsistentiam creatam statuunt in positivo.*

Hanc itaque sententiam de subsistentiâ creatâ in entitate positivâ realiter à naturâ distinctâ consistente præter alios tenent doctissimi quique nostræ Societatis viri, Valentia, Suarez, Vasquez, Tannerus, Hurtado, Lugo, Arriaga, & alii, hancque expeditissimam esse viam asserunt Mysterium Incarnationis explicandi. Videatur Disputatio octava Metaphysicæ, ubi Sectione 2. & 3. fusè hanc quæstionem discussi; eamque multo fusiùs discutit P. Arriaga hîc, Disputatione vigesimâ quintâ.

XII. *An humanitas Christi habeat modò appetitum ad subsistentiam propriam.*

Quæres: Utrùm humanitas unita subsistentiæ Verbi habeat appetitum ad propriam? Si per appetitum nil intelligatur aliud, quàm capacitas naturalis ad illam, non est dubium quin illam retineat, etiam unita Verbo, cùm sit ipsa entitas illius. Simul ergo cum unione ad Verbum habet capacitatem ad subsistentiam propriam, non tamen ut habeat simul, ut de potentiâ liberâ fateri debent omnes, quæ est capacitas seu potentia ad operandum & non operandum, cum hac tamen capacitate antecedente, & transcendentali stat incapacitas consequens, & prædicamentalis. Hic autem appetitus seu capacitas solùm est per modum affectus simplicis, & amoris, non desiderii, quasi non esset contenta subsistentiâ divinâ, aut esset violentum ipsi non habere propriam subsistentiam, cùm illâ non orbetur nisi per perfectiorem, & per quam melùs completur, licèt non tam connaturaliter. Nec videtur posse dici appetere quasi cum quâdam inquietudine propriam subsistentiam; sic enim appeteret separationem à Verbo, quod ut appetitu elicito nullus prudens appeteret, ita nec naturâ innatâ, cùm opus naturæ sit opus intelligentiæ.

XIII. *Duæ in Christo sunt partiales uniones hypostaticæ.*

Infero ad conclusionem hujus Disputationis non esse in Christo unam unionem hypostaticam & indivisibiliter terminatam ad totam humanitatem, ut volunt Vasquez & Albertinus, sed duas partiales quarum altera terminatur ad corpus, altera ad animam: ita P. Suarez, P. Hurtado, & alii. Ratio est primò, quia partes integrales habent suas subsistentias partiales, alioqui quoties gutta aquæ cadit in mare, toties perire deberet tota subsistentia oceani, & nova emergere, quod etiam dicendum esset de unione hypostaticâ singulis momentis quibus nutriebatur corpus Christi.

XIV. *Duas in Christo dari uniones hypostaticas probatur ex Sanctis Patribus.*

Secundò probari hoc solet ex Patribus, qui ideo dicunt mansisse unionem in triduo inter partes, animam scilicet & corpus ad Verbum, licèt non manserit unio illarum partium inter se, quia prior unio erat indissolubilis ex naturâ suâ; sic enim loquitur S. Cyrillus, *Unio*, inquit, *ad animam & corpus erat simpliciter, etiam per mortem ipsam indissolubilis*: Item sanctus Fulgentius ad Thrasimundum lib. 3 cap. 13. sic habet, *Ab ipso conceptionis virginalis exordio sic in Christo personalis unitas mansit, ut in morte divinitas nec ab animâ, nec à carne posset separari susceptâ.* Alia Patrum testimonia videri possunt apud Auctores citatos.

XV. *Objicies: Tota unio hypostatica corporis ante annum trigesimum fuit deperdita, ergo non est ex naturâ suâ indissolubilis.*

Dices: Singulis instantibus quibus Christus nutriebatur, aliquid materiæ acquirebatur & deperdebatur aliquid; ergo & pars unionis hypostaticæ, sicque ante annum trigesimum, sicut verosimile est totam materiam fuisse deperditam, ita & totam unionem hypostaticam, præsertim cùm non admittamus materiam primogeniam; ergo hæc unio non est ex naturâ suâ indissolubilis. Nego consequentiam: Licèt enim paulatim deperdatur prior unio, paulatim tamen alia pars acquiritur, unde sicut connaturaliter acquirit corpus Christi novas minimas partes materiæ, ita & addi debent novæ minimæ partes unionis hypostaticæ. In morte autem, si dicatur prior unio totaliter destrui, nihil planè est quod petat unionem corporis aut animæ cum Verbo, ac proinde si Deus tunc producat novas uniones inter partes & Verbum, non fit ex ullâ exigentiâ ex parte illarum, sed merè gratis, & ex voluntate Dei, sicque contra Patres unio illa in triduo ex naturâ suâ esset dissolubilis, & non dimitterentur partes merè ex beneplacito Dei.

DISPVTA-

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De Gratiâ Christi.

CVM ea quæ ad mysterii hujus constitutionem pertinent discussserimus, ad reliqua quæ ad Christi perfectionem & excellentiam spectant, gratiam scilicet ejus, scientiam, & virtutes, ac dona declaranda progrediendum. Duplex ergo in Christo est gratia, unionis altera, altera habitualis, hæc accidentalis est, illa substantialis, utraque ad Christi cognitionem necessaria, & ut ex gratiâ unionis oritur habitualis, ita ex hac procedunt virtutes, ex quibus quæ in Christo constituendæ sint, quæ ab eo removendæ, hac Disputatione cum sancto Thoma ostendemus.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm humanitas Christi sancta fuerit per gratiam unionis.

I. *In quo situs fit conceptus sanctitatis.*

AD pleniorem quæstionis hujus intelligentiam explicatio quarumdam vocum est præmittenda. In primis ergo esse *Sanctum*, præter carentiam culpæ, saltem mortalis, imo & venialis, si sit sanctitas perfectissima, includit ornatum quendam & pulchritudinem, animæ inditam, per quam reddatur Deo amabilis, eique grata, ac specialiter ab eo dilecta, in quo conceptus *grati* situs est. Denique *iustus*, justitiâ supernaturali dicitur, qui animam ejusque facultates omnes in ordine ad finem supernaturalem rectè habet dispositas: quâ de re decursu hujus Disputationis iterum redibit sermo.

II. *Negabant olim nonnulli humanitatem Christi esse sanctam per unionem hypostaticam.*

Pater Suarez & Vasquez, ille Disp. 18. sect. 1. hîc Disp. 41. cap. 2. & 3. Theologos quosdam referunt, qui negant Christi humanitatem fuisse sanctam, per sanctitatem unionis hypostaticæ, ac proinde ut anima Christi, redderetur justa & grata Deo, dicunt necessariam fuisse gratiam habitualem; imo addunt naturam assumptam à Verbo posse adhuc manere in purâ naturâ, quos optimè prædicti Patres ibi refellunt, ipsisque debetur, quod hæc quæstio de sanctitate increatâ Verbi modò tam celebris sit in scholis, cùm apud antiquos Scholasticos mirum sit de hac re silentium. Prædictam etiam sententiam, quoad priorem saltem partem, tenere videtur Scotus, quem hac in re sequitur Faber & Scotistæ communiter, eandem tenet Durandus in tertio, Dist. 12. quæst. 2. & alii. Quæstio verò procedit tam de naturâ divinâ & personalitate Verbi quàm de unione ipsâ hypostaticâ.

III. *Humanitas Christi reddita est sancta & grata Deo per sanctitatem increatam.*

Conclusio: Humanitas Christi non per gratiam solùm habitualem, sed per sanctitatem increatam reddita est sancta & grata Deo: ita Suarez & Vasquez citati, estque communis hodie in scholis opinio. Variæ hujus rei probationes afferuntur ex Scripturâ & Patribus, primò illud Psalm. 44. *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, &c. per quod oleum, unionem hypostaticam & Deitatem intelligunt Patres communiter, & Sanctus Paulus ad Hæbreos primò ex hoc testimonio probat Christi divinitatem.

IV. *Eadem veritas peculiariter ostenditur ex S. Gregorio Nazianzeno, & S. Ioanne Damasceno.*

Deinde sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 2. de Passione, humanitatem dicit fuisse *Divinitate delibutam.* S. Damascenus lib. 5. de Fide, cap. 3. sic habet: *Ipse seipsum unxit, ungens quidem ut Deus suâ Deitate, unctus quidem ut homo:* & lib. 4. cap. 6. dicit tunc primò Verbum vocatum esse Christum, seu unctum, *quando in utero Virginis caro ejus divinitate perfusa est, ac delibuta.* Licèt verò per oleum, hoc loco intelligant aliqui ex Patribus gratiam habitualem, & exaltationem nominis, sufficit tamen nobis, quòd aliqui ex iis intelligant per illud divinitatem, cùm utroque modo capi possit, & qui illud explicant de gratiâ habituali, non negent etiam significare Deitatem. Per unctionem autem intelligi sanctificationem constat ex variis Scripturæ locis: Exodi cap. 30. *Faciésque unctionis oleum sanctum, & unges ex eo tabernaculum, & arcam, & mensam, sanctificabisque omnia.* Præterea, sexta Synodus affirmat fuisse humanitatem *Deificatam per unctionem*, quo etiam modo loquendi utuntur sanctus Cyrillus, & alii Patres:

Patres: hæc autem apertè convincunt fuisse eam per Deitatem sanctam.

V. *Quod est consors divinæ naturæ, est formalissimè sanctum.*

Ratio conclusionis est, quia quod est consors divinæ naturæ, est formalissimè sanctum, cùm ergo humanitas per intimam conjunctionem ad divinam in Verbo naturam sit perfectissimè consors divinæ naturæ, erit etiam perfectissimè sancta. Confirmatur: gratia habitualis quia reddit animam, in qua est, amabilem & gratam Deo, sanctificat illam, sed Verbum unitum humanitati, non facit ipsam minùs, sed multo magis amabilem, Deoque gratam, quàm gratia habitualis eidem unita, ergo. Confirmatur secundò: opera Christi erant infinitè grata Deo, ut supra vidimus ex Patribus, sed non ex alio principio sumpserunt valorem, quàm ex hac gratiâ increatâ naturæ humanæ unitâ, ergo.

VI. *Si assumeretur natura irrationalis, esset sanctificata secundùm suam capacitatem*

Objicitur primò: Potest eadem sanctitas increata uniri naturæ irrationali, ut supra admisimus, lapidi verbi gratia, vel ligno, ergo etiam illam naturam reddet sanctam. Respondetur: res irrationales non fore sanctas omni ratione, seu capaces actionum studiosarum, sed solùm juxta capacitatem subjecti, ut de effectu formali personæ omnes fateri debent, & de variis effectibus formalibus rerum, etiam naturalium, quas supra adduximus, Disputatione præcedente. Esset tamen illa natura sancta, id est sanctificata ex conjunctione cum divinitate, sicut fuit corpus Christi in triduo, quod tamen tunc non erat amicum Deo, & hoc sensu gratum & sanctum, utpote hujus effectus incapax. Quod verò objicit Faber, hinc sequi; si Deus uniret sibi hypostaticè diabolum fore ut etiam esset sanctus, nullius est momenti; quis enim de hoc dubitat, ipso facto enim tolleretur ab eo peccatum, & esset amicus Dei, quod mirum est negari unioni hypostaticæ, cùm concedatur gratiæ habituali.

VII. *Aliud est de denominatione æterni, immensi, & immortalis.*

Objicitur secundò: Alia attributa, ut æternitas, immensitas & immortalitas non tribuunt suos effectus formales humanitati, ergo nec sanctitas. Nego consequentiam: Disparitas est, quia hæc attributa non tribuunt suum effectum quomodocumque conjuncta, sed conjuncta, ut ita loquar per identitatem: sicut simili argumento contendere quis posset animam reddi existentem, supernaturalem, & accidens per gratiam habitualem, sicut autem hîc respondent illi has denominationes solùm dari per identitatem, ita & ibi. Per illa ergo attributa unita solùm denominatur humanitas habens immortalitatem, immensitatem, & æternitatem, vel, ut aliqui loquuntur, æternificata, ut per gratiam habitualem habens in se supernaturalitatem, non tamen æterna per illam, nec supernaturalis per hanc. Est tamen sancta per divinitatem, quia ex vi unionis formaliter datur humanitati complementum substantiale, ad quod est incompleta, subsistentia nimirum, eo autem ipso quòd alicui capaci tribuitur subsistentia divina, fit persona non extranea à Deo, & consequenter filius naturalis Dei, eo autem ipso quòd est filius naturalis Dei, est objectum congruum divinæ dilectionis speciali modo, ergo sanctus; si enim ipso facto quòd quis sit filius Dei adoptivus, sit sanctus, quanto magis si filius naturalis.

VIII. *Bonum idem est ac integrum, seu perfectum.*

Ad quæ meliùs intelligenda notandum, *perfectum, bonum & amabile*, idem esse; bonum enim idem est ac integrum, seu perfectum, unde ortum proverbium, *bonum ex integrâ causâ*, quo autem aliquid melius, eo amabilius, & æstimatione magis dignum: cùm ergo Verbum perficiat humanitatem summâ perfectione, reddit eam summè amabilem Deóque gratam in ordine ad communicationem supernaturalium donorum & operationum, quibus Deus cum amicis suis versatur, ut sunt visio beatifica, amor, &c.

IX. *Ex defectu unionis proportionatæ forma frequenter non dat suum effectum formalem.*

Notandum præterea, subinde ex diversitato & defectu solius unionis proportionatæ, formam non dare effectum formalem: sic species Sacramentales panis non denominant Christi corpus album, quia licèt aliquo modo physicè ei uniantur, non tamen per unionem informationis, & si intellectio, visio & alii actus intentionales sint modi, quantumvis intellectio unius Angeli uniretur alteri per unionem distinctam, non tamen tribueret effectum formalem, quia non unitur modo proportionato, nempe per intimam affectionem, & instar modorum. Hinc ergo fit, attributa immensitatis, æternitatis, &c. non tribuere effectum formalem, vel quasi formalem naturæ humanæ, quia non uniuntur per identitatem, quem tamen modum uniendi sanctitas non requirit ad effectum suum formalem, ut ostensum est. Omnipotens etiam est qui habet omnipotentiam à se, & secum identificatam. Deinde omnipotentia Dei est vitalis virtus operandi ex impulsu voluntatis, nec applicari potest ad agendum à creatura, cum excitari non possit vitaliter, nec subdi illius imperio.

X. *Dicet: Humanitas Christi intelligit per intellectionem divinam, sicut est sancta per sanctitatem.*

Objicitur tertiò: Saltem per intellectionem & per volitionem divinam denominabitur humanitas intelligens & volens, sicut denominatur sancta per sanctitatem. Nego antecedens: vel enim intellectio & volitio in creatis dicit etiam in suo conceptu formali actionem physicam ab intelligente procedentem, & tunc clarum est non posse reddi humanitatem intelligentem per intellectionem divinam, cùm illam non possit producere: vel si intellectio, ut aliqui volunt, consistat in solâ qualitate, adhuc humanitas non intelliget per intellectionem divinam, tum quia intellectio divina non est vitalis respectu humanitatis, cùm non procedat ab intrinseco in illâ, vel actu vel aptitudine, cui autem non competit genus non competit species, si ergo intellectio non est vita respectu humanitatis, multo minùs erit intellectio respectu illius, sicut etiam propterea Angelus non intelligeret, nec viveret per actus intellectus hominis, nec homo per actus Angeli, quod à fortiori urget de actibus Dei respectu tum hominis tum Angeli.

XI. *Alia disparitas assignatur inter intellectionem & sanctitatem quoad effectus.*

Tertiò dari potest disparitas ex ipsa ratione formali subsistentiæ, quæ non est ex conceptu suo forma, etiam in creatis, sed terminus naturæ, intellectio autem & volitio, & actus omnes vitales sunt ex conceptu suo formæ, & accidentia, ac proinde intellectio divina supplens earum vices deberet esse forma, & perficere humanitatem, illam informando, quod implicat.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm sanctificet humanitatem personalitas, an natura, & utrùm infinitè?

I. *Varii hac in re dicendi modi.*

Pater Vasquez suprà, ait sanctificare solam naturam, alii solam personalitatem, Suarez & alii affirmant ab utrâque hunc effectum provenire, quod

quod videtur probabilius. Et quidem de natura videtur certum, tum ob auctoritatem Patrum tum quia verè unitur natura divina humanitati, mediatione virtuali personalitatis tanquam communicationis naturæ. Confirmatur: omnes namque fateri debent mediationem personalitatis non obstare quo minùs deificetur humanitas à naturâ divinâ; ergo nec quo minùs ab eâdem sanctificetur, cùm ipso facto reddat eam summè amabilem, & æstimatione dignam.

II. *Declaratur quo pacto humanitas sanctificetur etiam à Personalitate Verbi.*

De personalitate, si concipiatur ut distincta uniri, idem probatur; est enim qua talis infinita perfectio, redditque humanitatem participem divini esse. Realiter ergo loquendo dici debet sanctificari humanitas à toto Verbo, cùm totum sit illi unitum, ratione autem nostrâ & à naturâ & personalitate. Nec obstat sanctum dici, id quod est particeps formaliter divinæ naturæ, unio autem cum Personalitate formaliter, non est participatio divinæ naturæ. Respondetur enim licèt personalitas non sit formaliter natura divina, est tamen identificè, sicque vera & propria illius participatio, non per imitationem solùm ut est gratia habitualis, sed per realem communicationem & identitatem, ex quo fit ut sit formaliter sanctitas, & consequenter unio illius unio sanctitatis, cùm sit unio participationis perfectissimæ naturæ divinæ, quæque reddit hominem filium Dei naturalem, & perfectissimè consortem naturæ divinæ, dans ei jus ad beatitudinem supernaturalem, & constituens hæredem.

III. *Objic. Ergo tota Trinitas sanctificat humanitatem.*

Dices: Si Deitas sanctificat humanitatem, ergo tota Trinitas eam sanctificat, cùm Deitas omnibus tribus Personis sit communis. Contra, ergo, & omnes tres Personæ Deificant humanitatem, cùm Deificetur à Deitate, ut definitum est à sextâ Synodo, actione 11. Respondeo itaque, denominationes quæ conveniunt naturæ secundùm se tribui omnibus tribus personis, quæ tamen conveniunt ei ut in uno supposito, non conveniunt eidem ut in alio: sic si eadem numero albedo esset in nive & lacte, & nix esset oppositа oculo, lacte non apparente, nullus dicet hoc album, seu lac producere speciem sui in oculo, sed solùm nivem, quia subjecta seu supposita sunt diversa, licèt forma sit eadem, quæ tamen non emittit species hic, & nunc, nisi ut in hoc subjecto. Sic si homo quispiam manu dextrâ pingat, aut aliud quidpiam præstet, non dicimus ipsum manu sinistrâ illud præstitisse; licèt anima quæ est etiam in manu sinistrâ id præstet, quia nimirum ut in sinistrâ virtutem suam non applicat, sed ut in dextrâ, idem dici hic debet de divinitate applicatâ humanitati, non per aliam personalitatem, quàm Verbi, sicque Verbum illam sanctificat, non Pater aut Spiritus Sanctus.

IV. *Christus ut homo, si reduplicetur suppositum, est infinitè sanctus.*

Quoad secundum: In primis certum est humanitatem Christi habere in se sanctitatem simpliciter infinitam, ipsam scilicet sanctitatem Verbi. Secundò certum est Christum, etiam ut hominem, si reduplicetur suppositum, esse infinitè sanctum simpliciter, & tam sanctum ac est Deus, cùm ut sic sit Deus. Quæstio ergo procedit de humanitate abstractè sumptâ, & ut distincta est, non ut separata à Verbo, utrum scilicet ex unione hac ad Verbum fuerit infinitè sanctificata, ita ut Deus æqualiter amet humanitatem ob hanc conjunctionem, atque amat ipsum Verbum.

V. *Verisimilius*

Affirmant aliqui. Probabilius tamen videtur quod ait Pater Suarez hîc, disp. 22. sect. 1. post secundam conclusionem, nempe humanitatem quamvis sit infinitè sancta per divinitatem, non tamen esse tam sanctam ac est ipsa divinitas, tum quia divinitas est sancta per essentiam, humanitas solùm per participationem, tum quia non reddit humanitatem radicaliter impeccabilem, & consequenter non tam sanctam ac est Deus: Tertiò sanctitas increata non est tam una cum humanitate, atque cum Verbo, quicum identificatur, multum verò hoc juvat ad perfectionem sanctitatis, & moralem æstimationem personæ cujus est. Quartò, magis æstimabile est esse Deum, quàm solùm aliquid deificatum, & de quo affirmari non potest esse Deum. Quæ omnia apparent ex diversitate modi tendendi affectus, quem Deus habet erga se, & erga humanitatem, se enim necessariò amat, humanitatem autem liberè, cùm adhuc possit eam destruere, major autem, per se loquendo, est perfectio objecti determinantis necessariò ad amorem sui, quàm objecti indifferentis ut ametur, & non ametur. *est Christi humanitatem non esse tam sanctam ac est Deus.*

VI. *Modus habendi sanctitatem multùm confert ad moralem æstimabilitatem.*

Dices: Sanctitas Verbi est infinita simpliciter in omni genere sanctitatis, sed hanc habet humanitas, ergo per eam est sanctificata in omni genere. Nego consequentiam, cùm enim non sanctificetur eodem modo, quo Verbum, nempe per identitatem, non est sancta simpliciter, & in omni genere, modus quippe habendi sanctitatem multùm ad moralem æstimabilitatem pertinet, ut diximus, nec reddit humanitatem radicaliter impeccabilem, sanctam essentialiter, &c.

VII. *Dices: Sanctitas Verbi est infinita in omni genere, ergo hunc effectum tribuet humanitati.*

Urgebis: Sanctitas Verbi, ut dictum est, est infinita in omni genere, sed quicquid habet forma ut *quo*, tribuit subjecto ut *quod*, ergo. Contra primò: Est sanctitas per essentiam ut *quo*, ergo hunc effectum tribuet humanitati ut *quod*. Contra secundò: Ergo unita lapidi tribuet ei omnes effectus suos formales, vel quasi formales. Distinguo itaque minorem: Quicquid habet forma ut *quo* respectu omnis subjecti, debet cuivis subjecto tribuere ut *quod*, concedo minorem: quicquid habet forma ut *quo* respectu alicujus particularis subjecti, debet tribuere ut *quod* omni subjecto, nego, ut variis exemplis sæpè monstratum est. Cùm ergo sanctitas Verbi non sit apta reddere humanitatem sanctam necessariò, & per identitatem, & essentiam, non reddit eam sanctam omni genere sanctitatis simpliciter, sed solùm secundùm quid, seu maximè sanctam sanctitate participatâ.

VIII. *Objic. Calor ut quatuor non minùs reddit aquâ calidam ut quatuor, quàm ignem.*

Dices secundò: Calor ut quatuor, quia totus communicatur subjecto, reddit illud calidum ut quatuor, unde tam calida est aqua habens calorem ut quatuor, atque ignis cum eodem, esto huic sit connaturalis calor, illi violentus, ergo idem est de sanctitate. Nego consequentiam: Disparitas est, quia calor & eodem modo unitur utrique subjecto, & effectum suum adæquatum utrique communicat, quorum tamen utrumque in sanctitate increatâ respectu humanitatis deficit, ut ostensum est. Addo si aliquid esset calidum ut quatuor per essentiam, licèt non esset magis calidum, quàm aliud, quod haberet calorem ut quatuor, esset tamen perfectius calidum, sicque hoc titulo Verbum est perfectiùs sanctum, quàm humanitas, & consequenter sanctius, cùm, ut dixi, modus habendi sanctitatem conferat ad perfectiorem sanctitatem, & æstimationem moralem.

Dices

IX. *Objic. Humanitas Christi subsistit infinitè per subsistentiam Verbi, ergo per ejus sanctitatem est infinitè sancta.*

Dices tertiò: Humanitas Christi subsistit infinitè ex eo quòd habeat infinitam subsistentiam Verbi; ergo cùm sit etiam sancta per infinitam ejusdem Verbi sanctitatem, erit similiter sancta infinitè. Respondetur, eodem modo procedendum de sanctitate & subsistentiâ: Dico itaque humanitatem Christi per Verbi subsistentiam subsistere infinitè ex parte formæ, vel quasi formæ, non tamen ex parte modi, nec tam perfectè subsistere per hanc subsistentiam, ac per eam subsistit Verbum ipsum: humanitas itaque per eam subsistit contingenter, mediante unione realiter distinctâ, & in alio, Verbum autem necessariò, per identitatem, & in se, sicque multo perfectiùs subsistit quàm humanitas quoad modum, quamvis res per quam subsistunt sit eadem. Idem dicendum de sanctitate.

X. *Quamvis Deus eodem actu indivisibili amoris tendat ad Verbum & humanitatem, non tamen æqualiter.*

Dices quartò: Deus eodem actu amoris amat totum Christum, ergo omnes ejus partes amat æqualiter, cùm per eundem formaliter actum in omnes tendat. Negatur consequētia: etsi namque idem actus indivisibilis terminetur ad Verbum & humanitatem, non tamen æqualiter: sic Deus eodem actu amat creaturam propter ipsum Deum, non tamen æqualiter, cùm *propter quod unumquodque tale*, &c. sic beatus videns creaturas in Deo, clariùs illo actu videt Deum, in naturalibus eodem actu sæpè videmus albedinem & nigredinem, objectum magis & minùs remotum, amamus sanitatem amico, &c.

SECTIO TERTIA.

Inquiruntur quædam circa sanctificationem humanitatis.

I. *An gratia habitualis mediatè tantùm unita naturæ creatæ illam sanctificaret.*

Quæres primò: Utrùm sicut divinitas, quamvis mediatè tantùm uniatur humanitati, nempe mediante personalitate Verbi, eam nihilominus secundùm nos sanctificat; utrùm, inquam, gratia habitualis mediatè tantùm unita naturæ alicui creatæ, eam sanctificaret. Ponamus exempli gratia naturam aliquam humanam uniri hypostaticè Angelo in gratiâ habituali existenti, quærimus an mediata hæc unio cum gratiâ in Angelo sufficiat ad naturam humanam reddendam sanctam, sicut natura humana Christi, ut diximus, sanctificatur non solùm per Personalitatem Verbi, sed etiam per naturam divinam.

II. *Resp. Gratiam habitualem mediatè tantùm unitam non sanctificare.*

Respondetur negativè: tum quia natura divina non distinguitur realiter à Personalitate Verbi, sed tantùm virtualiter, gratia autem habitualis realiter distinguitur à naturâ Angelicâ. Deinde gratia habitualis non alio modo sanctificat quàm informando subjectum, in quo differt à sanctitate increatâ, gratia autem Angeli nullo modo informat naturam illam humanam. Unde quamvis hic homo dici posset Angelus sanctus, non tamen sanctus homo. Tandem magis mediatè uniretur natura hæc humana gratiæ habituali Angeli, quàm humanitas Christi unitur naturæ divinæ; unitur enim immediatè Personalitati Verbi, deinde divinæ naturæ, natura autem illa humana uniretur quidem immediatè subsistentiæ Angelicæ, deinde naturæ Angeli, adhuc tamen uno gradu distat à gratiâ Angeli, sicque remotior est à gratiâ illâ creatâ, quàm Christi humanitas ab increata: si quidem natura Angeli esset sanctitas sicut est natura divina, esset quoad hoc paritas, sicque, si aliud non esset, lata tamen est vel hoc nomine disparitas.

III. *Si naturâ divina per impossibile uniretur alicui creatæ naturæ mediante personalitate creatâ, natura illa creata non esset tam sancta, ac modo est natura humana Christi.*

Quæres secundò: Si per impossibile natura divina uniretur immediatè personalitati alicui creatæ, & consequenter mediatè naturæ: utrùm hæc natura creata tam perfectè redderetur sancta ac modo? Respondetur, posito hoc casu impossibili naturam illam non tam perfectè redditum iri sanctam, ac modo reddita est sancta natura humana Christi per unionem cum naturâ divinâ mediante personalitate Verbi. Ratio est: nam non unitur immediatè natura illa creata nec divinæ naturæ nec ulli perfectioni divinæ, sed mediatè tantùm, nempe per subsistentiam creatam, ac limitatæ perfectionis. Quamvis ergo res communicata esset eadem, nempe natura, modus tamen eam communicandi est longè inferior in hoc, nimirum per personalitatem creatam. Esset quidem homo ille per communicationem idiomatum Deus, & divino cultu colendus.

IV. *Verùm etiam unio hypostatica sanctificet.*

Quæres tertiò: Utrùm etiam unio ipsa hypostatica sanctificet humanitatem. Multi cum Vasquez hìc, Disp. 41. cap. 4. & Suarez negant, quia tota essentia unionis est solùm conjungere Verbum seu summam sanctitatem humanitati, non tamen ut ipsa sanctificet, sicut nec sanctificat, unio gratiæ habitualis.

V. *Probabilius est unionem hypostaticam in suo genere sanctificare.*

Non tamen video cur non possit idem esse, & communicatio sanctitatis unius ordinis, & simul sanctitas in alio, sicut suo modo fatentur omnes de Personalitate & naturâ divinâ: sic etiam unio inter animam & corpus in homine non solùm habet quod illa conjungat, sed etiam quod sit radix dispositionum heterogenearum in corpore humano; ergo non est ita essentia unionis alicujus unire extrema, ut aliud munus habere non possit. Deinde unio hypostatica, est substantialis unio, & primùm creatum in ordine supernaturali, non unionem solùm gratiæ habitualis, sed ipsam etiam gratiam in perfectione longè superans, quidni ergo sanctificabit.

SECTIO QUARTA.

An Christus habuerit gratiam habitualem?

I. *Proponitur ratio dubitandi.*

Ratio dubitandi est: munus quippe gratiæ habitualis est, ut subjectum in quo est, reddat sanctum & justum, elevetque ad esse divinum, sed Christi anima multò perfectiùs sanctificatur, esseque divinum excellentiori longè modo accipit, nempe per ipsam increatam sanctitatem Dei, ratione cujus efficitur principium operationum Theandricarum, & ratione hujus jure infinities nobiliori virtutes omnes infusas recipit, per quas operationes omnes supernaturales ac meritorias producat, superflua ergo in Christo videtur gratia habitualis.

II. *Negari tamen non potest Christi animam fuisse gratiâ habituali instructam.*

Fuisse nihilominus animam Christi habituali gratiâ ornatam constans est Theologorum opinio, idque Suarez hìc, Disp. 18. sect. 2. censet esse de Fide & variis Scripturæ sacræ, Conciliorum, & Patrum testimoniis confirmat. Vasquez tamen Disp. 41. sect. 1. negat esse de Fide, licet sine temeritate negari non posse affirmet: Scriptura enim eodem modo loquitur de Christo ac de nobis; unde sicut ex illo Joannis primo cap. 2. *Et vos unctionem habetis à Sancto*, nempe Spiritu

probant

probant Sancti Patres justos habere gratiam habitualem, idem dici debet de Christo, de quo habetur Actorum c. 10. *Unxit illum Deus Spiritu Sancto & virtute.*

III. *Tam excellens donum & ornamentum non fuit Christi animæ negandum.*

Quantumcunque ergo Christus non eguerit gratiâ habituali, ut redderetur sanctus, hoc namque infinities perfectiori modo factum fuit per gratiam increatam; cùm tamen gratia habitualis sit donum quoddam excellens, nullam involvens imperfectionem, non est cur Christi animæ negetur hoc ornamentum. Deinde cùm Christus ad supernaturales actus connaturaliter exercendos habere debuerit habitus supernaturales, hi autem ut radicem connaturalem gratiam habitualem postulent, debuit ad hoc etiam munus infundi gratia, quæ est ratio sancti Thomæ hîc, quæst. 7. art. 1. Corpore, præsertim cum gratia sit peculiari modo semen gloriæ, quam certum est Christum habuisse.

IV. *Gratia habitualis Christo, primo conceptionis instanti fuit infusa.*

Infusa est hæc gratia Christo in primo instanti conceptionis, ut passio quædam unionis, non tamen reddidit Christum intensivè sanctiorem, ob infinitam sanctificationem naturâ præcedentem, nec filium adoptivum, cùm non sit data ei ut personæ extraneæ, sed ut naturâ filio.

V. *Certum est Personam Filii in gratiam habitualem physicè peculiariter non influxisse.*

Utrùm physicè an moraliter solum profluxerit hæc gratia ab unione hypostatica, est difficultas. Inprimis certum videtur personam filii non peculiariter in eam physicè influxisse, alioqui operationes ad extra non essent communes toti Trinitati. De unione autem ipsâ dicit Suarez, & Vasquez non fuisse causam physicam illius, cum causa physica petat semper determinatum effectum quoad speciem & intensionem, & ad eum determinet causam primam, à qua determinatur ad individuationem, unio autem hypostatica non petit determinatè tantam intensionem gratiæ habitualis. Quæ tamen ratio, si gratia hæc ponatur infinita, quoad hoc non tenet.

VI. *An gratia habitualis Christi fuerit infinita, dissident inter se Theologi.*

An verò hæc gratia fuerit infinita, major est controversia. Qui negant infinitum esse possibile consequenter procedunt in præsenti, & asserunt, & si incomparabiliter major fuerit Christi gratia quàm gratia hominum omnium & Angelorum, eam nihilominus non fuisse infinitam. Qui tamen dicunt non implicare gratiam infinitam, probabile censent fuisse gratiam & habitus infusos in Christo simpliciter infinitos, & hoc spectare ad dignitatem unionis hypostaticæ. Deinde conformiùs videtur illi Joannis 3. v. 34, ubi de Christo dicitur: *Non ad mensuram dat Deus Spiritum.* Præterea non longo solùm intervallo decuit ut Christus reliquos Sanctos in sanctitate excederet; hoc enim Virgini concessum est, sed excessus quivis finitus inter ipsum, & alios nimis videtur exiguus.

VII. *Non subsistit ratione ob quam P. Vasquez asserit Christi gratiam non fuisse infinitam.*

Solùm noto, fundamentum cui innititur Vasquez hîc, Disp. 46 cap. 2. ad negandam infinitatem possibilem, in gratiâ, licèt eam concedat in quantitate & numero, non subsistere; sequeretur enim, inquit, hominem habentem gratiam infinitam nihil posse mereri, nec fieri gratiorem cùm augeri in illo gratia non possit. Sed contrà: quia saltem gratior & sanctior esse posset accidentaliter per gratiam actualem, seu actus ipsos bonos in gratiâ elicitos, sicut fuit Christus, qui tamen in gratiâ habituali non crevit. Deinde si haberet gratiam infinitam, & infinitum augeri non possit, quid incommodi si nihil mereri possit, sicut si haberet omnem gratiam possibilem. Præterea, Christus juxta probabilem sententiam non auxit habitus virtutum naturalium per continuum earum exercitium, quia habuit habitus illos in summo per accidens infusos.

Tertiò dico, Gratiam, etiamsi infinitè intensa sit, posse adhuc augeri; admisso enim infinito, non puto negari posse unum posse esse majus alio, unde addi poterit novus gradus à Deo præcedentibus, & adhuc augeri infinities in infinitum, quod etiam admittendum multi putant in infinito magnitudinis. Unde & gratia Christi, licèt statuatur infinita, potest augeri; de facto tamen, non est aucta, ac proinde illud Lucæ 2. ubi dicitur Christus profeciisse gratiâ & sapientiâ apud Deum & homines, intelligi debet, ut explicat S. Thomas, Christum exterius per opera tam circa Deum quàm circa homines gratiam suam magis manifestasse, idque non judicio solùm hominum, sed Dei.

VIII. *Non est negandum posse unum infinitum esse majus alio.*

SECTIO QUINTA.

De virtutibus & donis Christi.

I. *Sermo in præsenti est de gratiâ auxiliante.*

DIximus Christum habuisse gratiam habitualem, nunc de aliâ gratiâ agendum est, nempe de auxiliante, quæ dividi solet à Theologis, ut in materiâ de gratiâ vidimus in excitantem & adjuvantem: illa est illuminatio quædam supernaturalis alliciens voluntatem ad bonum, quæ tamen fortè in Christo non fuit alia, quàm scientia supernaturalis infusa, quæ semper erat actualis in Christo. De adjuvante hîc est sermo, quæ vel est auxilium extrinsecum, vel habitus & virtutes supernaturales, quæ dant esse simpliciter, sicut habitus acquisiti esse facilè, quibus verisimilius, est adjutam fuisse animam Christi in operando, quàm per auxilium solùm transiens. De his ergo virtutibus quærimus quænam ex iis fuerint in Christo.

II. *De Fide, Spe, & Pœnitentiâ præcipuè procedit difficultas.*

Difficultas præcipua est de tribus, *Fide, Spe,* & *Pœnitentiâ.* Fidem communiter negant omnes cum sancto Thoma fuisse in Christo, quia pugnat cum visione beatificâ, sicut ob similem repugnantiam destructa vel impedita est subsistentia propria, ex unione ad divinam. Deinde in patriâ ut ait Apostolus evacuanda est Fides. Ratio est, Fides siquidem & visio pertinent ad constituendos status, viatoris scilicet & comprehensoris, etsi divinitus simul esse possint. Qua de re fusè dictum est suprà Disp. 19. sect. secundâ.

III. *Probabile est habitum piæ affectionis in Christo reperiri.*

De habitu piæ affectionis idem affirmant nonnulli, alii reperiri eum dicunt in Christo & beatis, quia licèt primariò ordinetur ad Fidem, & consequenter videatur, illâ sublatâ debere similiter tolli, cùm tamen maneat aliquis illius actus, saltem conditionatus, nempe affectus obediendi Fidei, si daretur occasio, non est inquiunt, cur non ponatur principium hujus actus intrinsecum, & permanens. Quæ videtur esse mens Divi Thomæ hîc, ad secundum ubi etsi Fidem Christo neget, ait tamen ex parte voluntatis fuisse in eo quicquid ad obedientiam vel meritum Fidei pertinet. Quam etiam sententiam secutus sum suprà Disp. 19. sect. 2. fine.

IV. *Quid censendum sit de habitu Spei in Christo.*

Quoad habitum Spei, fuerit in Christo necne, pendet à peculiari naturâ & ratione tendendi hujus virtutis, cujus discussio non est hujus loci: licèt ergo præcipuus actus Spei sit gloria, & Dei visio respectu cujus non habuit actum Spei Christus, cùm à primo instanti conceptionis fuerit

comprehensor, alios tamen actus circa beatitudinem elicere potuit procedentes ab habitu Spei, qualis est gaudium & fruitio de bono illo jam possesso, cùm ejusdem virtutis sit, desiderare bonum absens, & de eodem jam obtento gaudere, sicut propterea in Christo, etiam post resurrectionem, ponunt Theologi pietatem & fortitudinem, quia potuit adhuc habere actum per modum simplicis affectus & gaudii circa earum honestatem. Circa gloriam corporis, utrùm Christus illam propriè speraverit, & Sancti suam resurrectionem, latè dictum est supra disp. 32. sect. 6. & 7. ubi utrùm vel actus, vel habitus Spei reperiatur in beatis.

Ejusdem virtutis est desiderare bonum absens, & de eodem jam obtento gaudere.

V. *Quid existimandum in Christo circa habitum pœnitentiæ.*

Tandem circa pœnitentiam non potuit Christus elicere primarium ejus actum, qui est dolere de peccato proprio, alios tamen secundarios elicere potuit, nempe gaudium de peccato non commisso ob gravitatem divinæ offensæ in peccato relucentis, detestari etiam potuit peccatum secundùm se, quod graves Theologi dicunt spectare ad pœnitentiam: hoc autem sufficit ut habitus pœnitentiæ ex naturâ rei in eo perstare possit.

VI. *Communis Theologorũ sententia in Christo statuit virtutes naturales acquisitas.*

Utrùm Christus habuerit virtutes naturales acquisitas dubitant aliqui, dicunt enim dedecere Christum tam humilem operandi modum. Communis tamen Theologorum sententia has Christo virtutes tribuit: ita Suarez, Vasquez, & alii. Ratio est: Licèt enim summus ille amor ortus ex visione beatificâ, quo perpetuò vivo quodam impetu ad omne bonum impellebatur, & consequenter summoperè facilitabatur, præsertim cùm in Christo non esset peccati fomes, nec inordinati motus ulli contra rationem insurgere potuissent, ad opus quodvis exercendum sufficeret, cùm tamen Christus sit capax actuum harum virtutum, non est cur etiam earum habitus ipsi non infundantur, cùm sint principium maximè proportionatum illorum actuum, & facilitatem etiam aliquam dent in suo genere. Deinde honestatem quandam & pulchritudinem naturalem animæ tribuunt, Christus autem nullo genere honestatis carere debuit.

VII. *Ad finem etiam naturalem debebat Christus esse benè dispositus.*

Tertiò: Quia debebat Christus non solùm esse benè dispositus in ordine ad finem supernaturalem, quod habet per virtutes infusas, sed etiam ad naturalem, & regulam rationis humanæ, quod habet per acquisitas; Christus enim non solùm erat civis & domesticus Dei, sed humanæ etiam politiæ, & consequenter etiam ad eam decebat ut rectè esset dispositus.

VIII. *Virtutum omnium moralium habitus fuerunt in Christo.*

Hæ autem virtutes sunt morales omnes, quas & habuit Christus, & earum actus exercuit, etiam liberalitatis & magnificentiæ; illius in parvis eleëmosynis in re suâ tenui, in quâ maximè elucet liberalitas, summâ animi promptitudine largiendis; hujus, magnanimum se, (munificentia enim magnanimitatis species censetur) in magnis divitiis & honoribus contemnendis; utriusque, in donis spiritualibus tam copiosè in omnes profundendis. Prudentiam etiam naturalem habuit, utpote cujus actum voluntas ad has virtutes eliciendas connaturaliter requirit, nec enim ad actum naturalem excitari connaturaliter potest voluntas à cognitione supernaturali, cùm sint diversi ordinis.

IX. *Virtutes habere habuit Christus primo conceptionis instanti.*

Has ergo per accidens habuit infusas primo conceptionis instanti. Primò, quia primus Adam eas habuit primo suæ productionis tempore, ergo etiam secundus Adam, quem decuit habere eas semper in gradu heroïco. Deinde, aliquando infundi saltem aliquæ debebant, incredibile enim est, ut ait Suarez, habuisse Christum præsentes materias omnium virtutum, ut sic perfectissimis actibus acquireret eminentissimum earum gradum. Quo verò tempore inceperit eas exercere, à quæstione illâ pendet, utrùm scientia acquisita Christi penderet à conversione ad phantasmata, de quo postea.

Quo conceptionis instanti per accidens infusas.

X. *Virtutes in Christo fuerint dona.*

Quoad dona, quamvis omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens à Patre luminum, donum Spiritus Sancti vocetur, donorum tamen nomine intelliguntur eximia quædam gratiæ beneficia, quibus nobiliori quodam modo aguntur justi à Spiritu Sancto, & fiunt promptè mobiles, positâ inspiratione divinâ ad egregios quosdam virtutum actus altiori modo præstandos. Septem ergo dona Spiritus Sancti in Christo fuisse probat locus ille Isaiæ 11. vers. 2. *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectus*, &c. Vox autem illa *requiescet*, significat, non auxilium transiens, sed habitum permanentem.

XI. *Timor, in quantum servilis, in Christo locum non habuit.*

Difficultas tantùm est de dono Timoris, quod quidem in Christo non fuit in quantum servilis, seu ut dicit fugam mali alicujus imminentis, sive culpæ, sive pœnæ: fuit tamen in Christo timor reverentialis, qui est motus submissionis & reverentiæ erga summam Dei eminentiam, quo quis refugit investigare mirabilia ejus, & usurpare illius excellentiam. De hoc timore Lucæ 7. vers. 16. dicitur: *Accepit autem omnes timor & magnificabant Deum.* & cap. 5. vers. 26. cùm vidissent miracula Christi dicitur: *Repleti sunt omnes timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.* Sed de dono timoris, quid sit, quos actus habeat, an & quomodo reperiatur in beatis, &c. fusè dictum est supra Disput. 33. sectione nonâ, & decimâ.

XII. *Quid sint gratiæ gratis datæ, & an fuerint in Christo.*

De gratiis gratis datis, quæ ideo tales dicuntur, ut ait Sanctus Thomas art. 7. quod personæ alicui ad utilitatem aliorum conferantur, ut sunt gratia sermonis, sanitatum, miraculorum, &c. ut certum docent Theologi fuisse in Christo. De Prophetia est aliqua difficultas, tum quia Apostolus dicit evacuatum iri in cœlo, Christus autem semper fuit beatus. Omnes tamen admittunt prophetiam in Christo, cum frequenter in Scripturis sacris propheta nuncupetur. Prophetia ergo licèt communiter cum obscuritate aliqua conjungatur, non tamen illam necessariò in conceptu suo involvit, sed solùm est notitiâ certâ eorum quæ à sensibus, loco & tempore sunt remota per quod satisfit testimonio Apostoli. Quod verò Christus dictus sit plus quàm Propheta, solum arguit perfectiori modo res illas arcanas cognovisse Christum quàm communiter eas norunt Prophetæ, vel fuisse eum Prophetarum Dominum.

XIII. *Beati qua de causâ non sint Prophetæ.*

Beati verò non sunt Prophetæ, licèt clarè norint mysteria à sensibus loco & tempore remota, quia quamvis id habeant quòd in recto dicit prophetia, in obliquo tamen connotat ut ea quis prædicat, quæ distant communiter ab iis quibuscum versatur; cognitio enim hujusmodi arcanorum non superat conditionem status beatitudinis, ut benè Tannerus hîc, Disputatione primâ, quæstione quintâ, numero 53. sicque in Christo involvit statum viatoris, unde in cœlo jam non censetur propriè & adæquatè Propheta: quamvis hoc non improbabiliter negari possit.

De

XIV. *Quo pacto dicatur Thomæ gratiâ capitis in Christo esse gratiam habitualem.*

De gratiâ capitis in Christo, respectu Angelorum & hominum diximus supra disp. 46. sect. 4. hîc solùm noto, cùm Sanctus Thomas q. 8. a. 5. dicit gratiam capitis in Christo esse gratiam habitualem, non esse hoc intelligendum de gratiâ habituali per se sumptâ, sed ut conjunctâ cum gratiâ unionis, cui propriè videtur tribuenda hæc dignitas.

XV. *An Christus sit caput damnatorum, & rerum insensibilium.*

Respectu damnatorum non est caput Christus, ut ait S. Thomas quæst. 8. art. 3. corpore: respectu verò rerum insensibilium est potiùs Dominus, quàm caput, sicut Regem nullus vocat caput respectu lapidum, sed solùm respectu subditorum, cùm caput in conceptu suo dicat potestatem imperandi.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De Scientiâ Christi.

SECTIO PRIMA.

Quædam breviter notantur circa scientiam Christi increatam.

I. *In Christo quatuor sunt scientiarum genera.*

QUATUOR scientiarum genera in Christo statuunt Theologi, *increatam, Visionis, Infusam, & Acquisitam, seu Experimentalem.* Quoad increatam licèt certum sit fuisse in Christo, cùm sit ipsa natura divina, quæ unita fuit humanitati ut suprà vidimus, non tamen de eâ hic disputant Auctores, cùm non reddat animam Christi intelligentem ut docent omnes contra Hugonem Victorinum; ad hoc enim deberet esse forma eam informans.

II. *Quamvis Christi anima sub sistente possit subsistentiâ increatâ, non tamen intellectione increatâ intelligere.*

Nec valet argumentum à paritate, potest anima Christi subsistere per subsistentiam increatam, ergo & per intellectionem increatam intelligere. Negatur enim consequentia, tum ob rationem dictam, tum quia ut forma vel quasi forma det effectum suum formalem, accedere alteri debet sub eâ ratione, sub quâ est incompletum, sed humanitas non est incompleta substantialiter, nisi in ordine ad subsistentiam, ergo. Præterea, subsistentia ex conceptu suo est tantùm terminus; definitur enim esse *ultimus terminus naturæ*, ergo potest suppleri ab aliquo quod non est forma. Deinde intellectio divina non est vitalis respectu animæ Christi, ut diximus Disputatione præcedente sectione primâ. Nec etiam ex eo quòd Deus supplere possit vicem speciei impressæ sequitur posse eum supplere expressæ; species enim impressa solum concurrit effectivè, cum ex conceptu suo sit semen objecti, & consequenter concursus ejus est ex naturâ suâ extrinsecus, concursus autem speciei expressæ est intrinsecus per modum formæ, Deus autem esse forma non potest, sicut nec subjectum; hoc enim in eo argueret incompletionem & potentialitatem.

SECTIO SECUNDA.

De scientiâ beatâ Christi.

I. *Unum in Christo Monothelitæ negabant intellectum, eumque ut hominem nihil intelexisse asserebant.*

MONOTHELITÆ, ut consequenter in suo errore procederent, sicut unam tantùm in Christo statuebant voluntatem, ita similiter unum solummodo dicebant in eo esse intellectum, & ut hominem nihil illum intellexisse asserebant, sed tantùm ut Deum: qui tamen error ex mille Scripturæ sacræ locis aperte refellitur, in quibus Christo ut homini tribuitur scientia; cùm etiam Christus orasse dicatur, manifestum est habuisse cognitionem illi naturæ proportionatam quæ orabat. Tandem in sextâ Synodo act. 4. definitum est Christum habuisse tum divinum, tum humanum intellectum & voluntatem his verbis: *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent: duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietates naturales habere confitemur, divinam omnia quæ divinæ, humanam omnia quæ humana sunt absque ullo peccato.* Quibus verbis apertè docet Concilium Christum ut hominem habuisse scientiam propriam naturæ humanæ, & consequenter creatam, de qua in præsenti est sermo.

II. *Quædã hic circa scientiam beatam sunt supponenda.*

Supponenda hic in primis circa scientiam beatam ea quæ Christo cum reliquis beatis sunt communia, nempe indigere ad illam lumine gloriæ, posse per ipsam videre creaturas in Deo, posse aliquas videri non visis aliis, &c.

III. *Scientia beata Christi animæ primo conceptionis instanti fuit infusa.*

Secundò circa hanc scientiam supponendum, fuisse, ut passionem unioni debitam, infusam animæ Christi primo conceptionis instanti, quod probatur communiter ex illo Joannis primò, *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit*, &c. ubi sermonem esse de Christo ut homine exinde constat, quia cùm loqueretur ut homo, locutio oriri debebat à voluntate & notitiâ sibi proportionatâ. Fuit autem hæc scientia in Christo longè perfectior quàm omnium Sanctorum, etiam simul sumptorum. An verò infinita, eodem modo loquendum quo suprà locuti sumus de gratiâ habituali.

IV. *Christus per scientiam beatam videt quicquid Deus videt per scientiã visionis.*

Quod ergo in præsenti disputant Theologi est an Christus per scientiam beatam formaliter viderit in Deo futura omnia, præterita, & præsentia, seu ea quæ Deus videt scientiâ visionis. Qua in re communis est pars affirmativa cum S. Thomâ quæst. 10. art. 2. corpore. Varia ad hoc probandum Scripturæ sacræ testimonia congerit Bellarminus tom. 1. controversiâ 2. de Christo lib. 4. cap. 2. quæ licèt probabilitate non careant, omnino tamen efficacia non sunt.

V. *Quo sensu dixit Christus se nescire diem Judicii.*

Non tamen huic obstat quod Christus Marci c. 13. dicat se nescire diem Judicii, nam juxta sanctum Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Ambrosium, Athanasium, Hilarium, & alios, solum hoc sensu dicit se id nescire, id est non ita scire ut possit revelare, cùm illud sub secreto accepisset, quæ autem hoc modo scimus, cum veritate dicimus nos nescire cùm ab importuno aliquo interrogatore urgemur: sicut licitè dicit quis se ignorare ea quæ in confessione accepit, ut rectè Suarez, & Tannerus hîc, Disp. 1. quæst. 5. d. 4. num. 107. Ratio sancti Thomæ & omnium est, quia beatus quisque in Verbo ea videt, quæ ad illius statum pertinent: cùm ergo Christus sit Dominus omnium, & Judex caputque universorum, nihil est horum quod in Verbo videre non debeat.

VI. *Dici nequit Christum solum habuisse scientiam visionis habitualem horum omnium.*

Nec satisfecerit qui dixerit hoc solum arguere cognitionem habitualem Christi in Deo horum omnium, non quod in actuali cunctorum visione semper versetur. Hoc inquam non satisfacit; visio enim beati, ut communiter dici solet, est invariabilis, & semper in actu secundo, sicque quod semel quis videt in Verbo, semper videt, & quod ab initio non videt, nunquam videt, alioqui si plures & pauciores videri possint creaturæ in Deo pro libito, consequenter nunc magis nunc minùs clarè videretur objectum primarium, nempe Deus, sicque sancti essent uno tempore simpliciter beatiores, etiam quoad beatitudinem essentialem, quàm alio.

VII. *Dices: Ergo anima Christi comprehendit scientiam visionis Dei.*

Objicies primò: Hinc sequi comprehendere animam Christi scientiam visionis Dei. Contra, ergo videns scientiam visionis vel simplicis intelligentiæ ut terminatam ad centum creaturas, illam ut sic terminatur, comprehendit. Ad argumentum ergo Cajetanus, Capreolus, & alii ex Thomistis concedunt sequelam, nec id censent inconveniens. Sed quæstio est de nomine, & censeo potiùs negandam, ad comprehendendum, siquidem scientiam visionis deberet, quicquid cum illâ identificatur comprehendi, ut scientia simplicis intelligentiæ, omnipotentia, &c.

VIII. *Ex eo quod anima Christi videat se in Verbo, non sequitur eam videre suam durationem.*

Objicies secundò: Si anima Christi videat omnia in Verbo, ergo & videt se; hoc autem fieri non potest, sic namque videret intuitivè se perpetuò duraturam, quod implicat; tunc enim Deus non posset illam destruere. Respondetur: Primò, cùm duratio distinguatur à re durante, non est necessarium, ut visio terminata ad rem, terminetur ad ejus durationem. Secundò dico ex hoc capite præcisè non repugnare ut visio terminetur etiam ad suam durationem, ut dicunt aliqui de duratione indivisibili petente durare per horam; sufficienter enim salvatur libertas Dei, ex eo quòd in illius potestate fuerit illam primò non producere.

IX. *Dices: Ergo visio reflectit supra se.*

Objicies tertiò: Hinc sequi visionem reflectere supra se, quod videtur implicare; sic enim causaret se, ex objecto enim & potentiâ paritur notitia. Pater Hurtado Disp. 10. de animâ sect. 4. num. 36. ob hoc argumentum negat posse actum ullum reflectere supra se. Existimo tamen probabilius non repugnare cognitionem esse inadæquatè repræsentationem sui, tum quia cognitio Dei se cognoscit, tum quia multi actus creati hoc habere videntur, ut hi actus, *Omnis actus intellectus est spiritualis*; omnis res creata pendet à Deo, &c. objectum enim horum actuum est omnis actus intellectûs & omnis res creata, ergo & ipse actus, cùm intra ambitum rei creatæ contineatur.

X. *Duplex est objectum, motivum & terminativum.*

Ad argumentum ergo dico duplex esse objectum, motivum & terminativum, & licèt actus non possit esse objectum motivum respectu sui, cùm objectum motivum illud sit, quod vel per se, vel per speciem à se productam concurrit physicè ad cognitionem, & de hoc solùm intelligitur axioma illud desumptum ex sancto Augustino, potest tamen aliquid esse objectum merè terminativum respectu sui; hoc enim nullam dicit causalitatem objecti respectu actûs, sed omnimodam simultatem. Nec necessarium est omnes species produci ab objectis, sed possunt produci à Deo immediatè, quod saltem divinitus fieri posse certum est. Nec etiam semper cognitio dicit relationem ad objectum, sicut nec producens ad productum quando idem producit & cognoscit se; relatio enim est ad aliud. Ex quo à fortiori inferunt aliqui posse visionem videre se in alio objecto primario, nempe Deo, & per speciem illius, ut docet Pater Erice Disputatione quinquagesima primâ, num. 57.

XI. *Dicas: Non potuisse Christum videre actus suos liberos, antequam fierit.*

Objicies quartò: Non posse Christum videre in Verbo actus suos liberos antequam fiant; hac enim ratione liberi non essent, si enim videbantur futuri, cùm visio sit certa, & intuitiva non poterant non fieri, alioqui visioni subesse posset falsum. Respondetur: visionem non esse priorem sed posteriorem actibus Christi liberis, nec hanc in eos influere, sed ad eam præsupponi; ideo enim videntur quia futuri sunt. Regulabatur autem Christus ad illos eliciendos à scientiâ infusâ, unde scientia visionis non magis tollit libertatem respectu horum actuum, quàm tollat scientia Dei per quam ab æterno eos novit futuros. Siqua tamen sint, quæ scientiam visionis Christi necessariò sequantur, vel dicendum Christum non vidisse ea formaliter in Verbo, sed solùm causaliter, quatenus scilicet ex visione oritur cognitio illorum, sicut P. Vasquez hîc, Disp. 50. cap. 3. affirmat Christum nullam omnino creaturam videre in Verbo, nisi causaliter, imo ut in primâ parte vidimus, docet creaturas non posse videri in Deo, vel asserendum per novum gradum visionis priori superadditum objecta illa videri.

Quid de actibus illis dicendum, qui scientiæ visionis supponunt.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm anima Christi videre in Verbo possit omnia possibilia?

Vnde præsentis quæstionis oriatur difficultas.

Huius quæstionis difficultas inde oritur, quòd cum citra errorem in Fide, ut multi existimant, dici nequeat Deum posse comprehendi, ob plurima sacrarum Literarum testimonia, in quibus Deus vocatur incomprehensibilis, vel saltem hoc asserere sit temerarium ob communem Theologorum, qui in hoc negando consspirant, consensum; hinc inquam oritur difficultas, utrùm omnia possibilia ab intellectu ullo creato intuitivè Deum vidente, cerni in eo possint; cùm enim quicquid est formaliter & eminenter in Deo clarè cognosceret, videtur fore ut Deum comprehendat, eum quippe cognosceret quantum cognoscibilis est. Hanc quæstionem in Philosophia tractavi, Disputatione 20. de anima, quò Lectorem remitto, ubi eam in utramque partem fusè videbit discussam.

Quæstio hæc latè discussa est in libris de animâ.

SECTIO

SECTIO QUARTA.

Annotantur quædam circa scientiam infusam Christi.

I. *Sermo est de scientiâ propriè infusâ.*

DE scientiâ propriè infusâ hîc est sermo, illâ nimirum, per quam objecta supernaturalia & mysteria gratiæ cognoscuntur; naturalis enim, quæ animabus separatis infundi solet ad rerum naturalium cognitionem, non est cur Christo negetur, cum ita viator fuerit quoad corpus, ut quoad animam fuerit comprehensor. Hæc verò scientia naturalis infusa quoad perfectionem substantialem imperfectior fuit scientia Angelica, cùm fuerit hominis propria.

II. *Habuit Christus scientiam per se infusam, in substantiâ supernaturalem.*

Dico itaque cum sancto Thoma quæst. 11. a. 1. fuisse in Christo scientiam per se infusam in substantia supernaturalem; primò quia licèt in scientia naturali inferior aliquo modo erat Angelis, sicut in naturâ, in aliâ tamen debuit ipsis esse superior. Quod etiam probat Christum non supernaturaliâ solùm objecta, sed naturalia per hanc scientiam cognovisse, quamvis enim potuissent animæ Christi communicari species perfectiores speciebus Angelicis, hoc tamen planè fuisset contra naturæ ordinem. Secundò, quia ad virtutes supernaturales exercendas, etiam circa objecta naturalia eget anima scientiâ proportionatâ, nempe supernaturali, non minùs quàm potentia appetitiva spiritualis, cognoscitivâ spirituali: scientia autem beata non potuit ad hoc munus semper deservire, cùm fuerit naturâ posterior pluribus saltem actibus virtutum, ut dictum est. Quod verò dari possit actus naturalis & supernaturalis circa objecta naturalia, latè ostendi in materiâ de Fide; ad hoc enim sufficit diversitas principii & modi tendendi, etsi objectum sit planè idem.

III. *Quanam objecta cognoverit Christus per scientiam infusam.*

Per hanc itaque scientiam cognovit Christus objecta naturalia & supernaturalia, item secreta cordium, & futura; horum enim omnium species completas potuit Deus illius animæ infundere, & status Christi, utpotè omnium domini, ut infunderentur postulabat. Horum etiam notitiam habere potuit sicut & Trinitatis per actum scientiæ infusæ, quo cognoscebat perfectè actus nostros Fidei vel visionis beatæ Sanctorum, in quibus hæc objecta repræsentata sciebat.

IV. *An Christus per scientiam infusam cognoscere potuerit omnia possibilia.*

Quæres: Utrùm per hanc scientiam possit Christus cognoscere omnia possibilia? Respondeo eodem modo quo superiùs de scientiâ beatâ, nempe non repugnare ratione infinitatis, quæ in visione sequeretur, perinde namque quoad hoc est infinita solùm cognoscere, cùm quodvis infinitum in se contineat infinities infinita. Dico itaque scientiam hanc infusam Christi ad omnia extendi, in quibus non est specialis aliqua difficultas, ex eo quòd actus hujus scientiæ sint objectis illis priores, aut aliud hujusmodi. Nec quoad hoc peculiaris aliqua occurrit difficultas, quæ soluta in simili non sit de scientiâ beatâ.

V. *An hanc scientiam Christus exercuerit cum conversione ad phantasmata.*

Quæres secundò: An hâc scientiâ usus sit Christus cum conversione ad phantasmata. Respondeo cum sancto Thoma hîc, & aliis potuisse eâ uti cum conversione ad phantasmata, quamvis hoc ad illius usum non sit necessarium. Ante probationem notandum operari cum conversione ad phantasmata nihil aliud esse, quàm ut occasio utendi speciebus aut scientiâ aliquâ sumatur à phantasiâ motâ per objectum aliquod sensibile, hæc autem excitata excitat intellectum ad operandum, quamvis semel excitatus intellectus possit postea per se res alias longâ serie cognoscere, esto primam occasionem sumpserit à phantasiâ.

VI. *Ostenditur posse Christum uti scientiâ infusâ dependenter à phantasmatibus.*

Prima ergo pars probatur: quid enim verat, ut operante phantasiâ Christus ex occasione illius applicet ad operandum species scientiæ infusæ, quod est operari dependenter à phantasmatibus, & per conversionem, ut aiunt, ad illa, etsi non eam habeat vim, operatio phantasmatis, ut naturali quadam sympathiâ excitet intellectum ad utendum scientiâ infusâ, sicut excitat ad utendum naturali. Visione autem beatâ nec hoc modo uti potest dependenter à phantasmatibus, cùm necessaria sit, & semper eadem. Secunda pars probatur; hæc enim scientia cum fieret, per species superioris ordinis non habebat dependentiam à sensibus in Christo magis quàm in Angelo, aut animâ separatâ.

VII. *Sitne scientia hæc infusa discursiva.*

Quæres tertiò: An hæc scientia sit discursiva: Notandum primò, aliud esse cognoscere unum in alio, aliud cognoscere ex alio; licèt enim utraque cognitio hoc sensu sit mediata, hoc est dependens à medio, secunda tamen tantùm est discursiva. Cognoscere ergo unum in alio exprimitur hoc actu, *creatura habet necessariam dependentiam à Deo*, ubi in creaturâ cognoscitur Deus: cognoscitur autem unum ex alio, hoc modo, *Creatura est, ergo est Deus*, vel *Deus est quia creatura est à Deo*; in priori actu est discursus formalis in secundo virtualis.

VIII. *Dicendum cum S. Thoma habitum scientiæ infusæ esse discursivum.*

Sanctus Thomas itaque hîc, art. 3. docet Christum per hanc scientiam discurrere, quod ostendi videtur ex illo Matth. 17. vers. 25. ubi Christus ex eo quòd alieni solvere soleant tributum intulit, *ergo liberi sunt filii*: sed quicquid sit de hoc dico probabile videri habitum scientiæ infusæ esse ex naturâ suâ discursivum, non hoc solùm modo, quòd scilicet concurrat ad actus, qui esse possint præmissæ in discursu, sed ita ut concurrat etiam ad conclusiones inde elicitas, præsertim si conclusiones sint supernaturales. Nec inconveniens videtur quòd idem habitus simul sit discursivus & cognoscitivus sine discursu, magis quàm speculativus & practicus. Deinde sicut hic habitus tam latè se extendit, ut complectatur non objecta solùm naturalia, sed supernaturalia, quidni etiam extendetur, & ad actus discursivos & sine discursu.

IX. *Probabile est Christum quoad aliquem saltem actum, in actuali semper scientia infusa exercitio fuisse.*

Quæres quartò: An Christus semper fuerit in actuali exercitio hujus scientiæ, saltem quoad aliquem actum: videtur fuisse, nempe in actu quo cognovit se & suas species, ex quo potuit eas ad objectum quodvis cognoscendum pro libito applicare, ut dici solet de Angelis, & per hanc scientiam suppleri poterat defectus gratiæ excitantis. Mihi itaque probabile est, cùm hæc scientia sit supernaturalis, Christum omnia per eam simul cognovisse, quæ vel ex parte actus vel objecti peculiarem non dicunt repugnantiam quo minùs cognosci simul possint.

X. *Posset Christus per concursum extrinsecum hujus scientiæ actus divinitus elicere.*

Quæres quintò: An præter species supernaturales requiratur ad usum hujus scientiæ habitus supernaturalis in intellectu. Inprimis per divinam potentiam supplentem per concursum extrinsecum vicem habitus, mihi indubitatum est posse Christum elicere actus hujus scientiæ. Si verò quæstio sit de potentiâ ordinariâ, secundùm quam videmus infundi in potentias ut operentur supernatu-

supernaturaliter principium aliquod supernaturale intrinsecum, per quod roborentur, major est difficultas. Mihi probabile videtur non esse necessarium habitum à speciebus distinctum; cùm enim hæ species informent potentiam, sintque supernaturales, sufficienter illam roborant in ordine ad actus supernaturales eliciendos, ac proinde quodvis aliud principium supernaturale esset superfluum: si tamen quis diceret, sicut species naturalis ut infundatur potentiæ, semper supponit potentiam naturalem completam in ratione potentiæ, sic etiam species supernaturales, ac proinde præsupponunt habitum per quem redditur potentia completa in ratione potentiæ supernaturalis, non improbabiliter discurreret.

Præter species supernaturales non videtur, etiam de potentiâ ordinariâ, necessarius habitus ad usum hujus scientiæ.

XI. *Quamvis dici possit habitum scientiæ infusæ in Christo non distingui à lumine gloriæ, probabilius tamen est contrarium.*

Quæres sextò: An habitus scientiæ infusæ in Christo distinguatur à lumine gloriæ. P. Suarez hic, Disp. 29. sect. 4. inclinare videtur in partem negantem. Licèt autem nulla sit implicantia quo minùs identificentur, communis tamen sententia Theologorum est in contrarium, tum quia lumen gloriæ peculiariter ordinatum videtur ut versetur circa Deum in se, sicut Fides circa ejus testimonium: tum quia non videtur dubium, quin separari possit scientia illa infusa à statu beatitudinis & dari viatori.

XII. *Sitne scientia infusa unus habitus an plures, est incertum.*

Quæres septimò: Utrùm sit unus habitus an plures? utrumque probabiliter dici potest, in eam tamen partem inclinor ut dicam esse simplicem, sicut communiter dici solet de Fide, in quo differunt hi habitus ab habitibus naturalibus, qui sequuntur limitationem actuum, habitus verò supernaturales sunt universaliores, & per modum potentiæ.

SECTIO QUINTA.

De scientiâ Christi acquisitâ.

I. *Quid nomine scientiæ acquisitæ intelligatur.*

Scientia acquisita illa dicitur, quæ licèt fortè tota simul per accidens infusa fuerit, apta tamen est ex naturâ suâ per industriam & exercitationem acquiri, unde per se acquisita est, per accidens infusa, sicut visus cæco collatus, per se naturalis est, per accidens miraculosus. Hanc in Christo fuisse constans est Theologorum & Patrum opinio, quamvis quoad peculiares ejus circumstantias inter se dissideant.

II. *Ratione ostenditur dari in Christo scientiam per se acquisitam.*

Ratio autem est: Cùm enim ex unâ parte nihil in eâ sit, quod unionem hypostaticam dedeceat, ex alterâ verò sequatur connaturaliter ad operationes sensuum, quas Christus habuit perfectissimas (ab oculo namque ad phantasiam, à phantasiâ ad intellectum transmittitur cujusque objecti species & cognitio) non est cur hanc ei scientiam quisquam deneget. Apostolus verò primæ ad Corinth. 13. vers. 9. cum dicit scientiam in cœlo destruendam, vel per scientiam intelligit Fidem, vel destruendam esse quoad imperfectiones admixtas, ut supra dictum est cum communi sententiâ de prophetiâ.

III. *Christus nec ab homine nec Angelo quidquam unquam didicit.*

Prima conclusio: Christus nihil à quoquam, vel homine didicit vel Angelo: ita communis Theologorum sententia. Probatur primò ex illo Joannis septimo, ubi de Christo dicebant Judæi eum nunquam didicisse. Secundò, quia non decebat ut Christus à creatura ulla disceret, cum esset maximus veritatis magister, de quo dicit Deus, *ipsum audite*. Et etiam si concedamus eum ex signis & verbis hominum species objectorum remotorum collegisse, non tamen ab eorum verbis quidquam didicit, sed inserviebant solùm tanquam instrumenta quædam, in quibus novo quodam modo cognosceret Christus id quod antea cognoscebat per scientiam per se infusam, vel per acquisitam, per accidens infusam primo conceptionis instanti, aut ubi primùm ad perfectam ætatem perveniisset, brevissimo tempore acquisitam, ad quod etiam munus servire poterant alia omnia objecta, quæ oculis, aut alio quovis sensu percipiebat.

IV. *Quamvis universim nō repugnet, ut Doctor in unâ scientiâ, sit discipulus in aliâ, hoc tamen Christum non decuit.*

Dices primò: Nil vetare ut doctor in supremo aliquo genere scientiæ, sit in aliquo inferiore genere discipulus eorum quos docet. Unde licèt Christus quoad res divinas Doctor fuerit, Logicam tamen aut Mathematicam nunquam docuit; ergo non est cur eas non disceret ab hominibus. Respondetur: Etsi hoc non repugnaverit, non tamen fuisse decens ob dignitatem illius personæ & æternæ Dei sapientiæ.

V. *Objic. Christum ab Angelo aum in horto consolante, aliquid didicisse.*

Dices secundò: Ab Angelo consolationem accepit Christus in horto, hoc autem alio modo non fiebat, nisi eum aliquâ ratione illustrando; ergo aliquid didicit ab Angelo. Inprimis aliqui non censent inconveniens concedere Christum aliquid quoad scientiam acquisitam ab aliis didicisse; hoc enim non est discere simpliciter, cum simpliciter antea illa omnia sciverit longè perfectiori modo per scientiam infusam: contrarium tamen est probabilius ut dictum est. Secundò tamen dici potest Angelum quidem rationes proponendo quibus dolorem ejus leniret, eum confortasse, licèt Christus rationes eas quoad effectum illum non admiserit: nihil tamen proposuit Angelus quod Christus antea non sciret, unde cum rudis virum doctum consolatur, præmittere solet, nihil se proponere posse quod alter nesciat. Tertiò R. Valentia & alii dicunt probabiliter ab Angelo verè exhibitam fuisse Christo consolationem, non rationes afferendo, sed exhibitione sui modo suavi in corpore assumpto, vel si rationes attulerit, non tamen eas, ut dixi, quas Christus antea non nosset, sed jam dependenter ab illis volebat permittere consolationem inferiori animæ suæ parti hìc & nunc communicari, quod tamen nisi dependenter ab hac Angeli propositione non fecisset.

VI. *Christus successivè objecta varia percepit.*

Secunda conclusio: Christus decursu temporis sensibus multa percepit: videtur certissimum, cùm in dies multa viderit diversa loca peragrando, & audiverit cum hominibus conversando, quæ antea non audiverat, nec viderat.

VII. *Novam scientiam experimentalem ministerio sensuum acquisivit Christus.*

Tertia conclusio: Christus ministerio sensuum novam etiam scientiam experimentalem, & species ad hanc necessarias comparavit: ita Suarez disp. 30. sect. 2. aitque esse sententiam communem Theologorum, & juxta eam intelligi illud Lucæ 2. ubi dicitur Christus profeciisse scientiâ. Ratio est: Peculiaris quippe ratio hujus scientiæ requirit, ut non fuerit in primo instanti conceptionis infusa, non enim repræsentat res simpliciter, & secundùm se, sed ut subjectas sensui, ita ut species, & actus eas repræsentent fuisse sensu perceptas.

VIII. *Differentia hac inter scientiam experimentalem & acquisitam.*

Et hinc patet, licèt dicat quis scientiam acquisitam & species ad eam necessarias infusas fuisse primo conceptionis instanti, non tamen sequi idem dici debere de scientiâ experimentali, & illius speciebus, priores enim species, & scientia abstrahunt à tempore, & experientiâ sensuum, & solùm considerant res secundùm se, posteriores verò

verò longè alio modo procedunt & cum peculiari dependentiâ à sensibus, ut dictum est.

IX. *Non de potentiâ tantùm absolutâ, sed nec de ordinariâ repugnat, ut scientia acquisita & illius species infundatur primo conceptionis instanti.*

Quarta conclusio : Non repugnat ut scientia acquisita, & illius species infundantur animæ Christi simul primo conceptionis instanti. Sensus conclusionis est, non solùm non repugnare in ordine ad potentiam absolutam, sic enim nec infundi repugnat experimentalem, ut proximè dictum est, sed nec peculiari illo modo repugnare, quo invenitur repugnantia in infusione scientiæ experimentalis. Probatur itaque conclusio primò : Quia peculiaris ratio hujus scientiæ non tendit in res ut sensibus subjectas, & perceptas experientiâ, sed secundùm se, ergo. Secundò: quia Adamo & Salomoni infusæ sunt hujusmodi species, & scientia, ut docet Sanctus Thomas primâ parte, quæst. 94. art. 3. ergo non est, cur Christo infundi non potuerint.

X. *Objic. Inde sequi intellectum agentem fore otiosum.*

Dices, propterea eas infundi tunc non posse, quia intellectus agens esset otiosus, munus enim ejus est abstrahere species à phantasmatibus, quod hic non faceret. Contra primò: Experientiâ quotidianâ per sensus exercitâ id præstaret intellectus agens, ergo non esset otiosus. Contra secundò : Intellectus agens non distinguitur à possibili, ergo sufficienter ageret eliciendo actus intellectus: sicut potentia risiva non distinguitur ab appetitivâ, & loco motiva, & propterea non est superflua, etsi Christus nunquam riserit, ut docet Sanctus Basilius. Tandem dico, licèt ex accidente nullum actum exerceret potentia aliqua, non tamen fore otiosam si spectet ad integritatem naturæ, ut constat de potentiâ vegetativâ, & nutritivâ in corporibus beatorum post diem Judicii.

XI. *Utrùm Christus primo conceptionis instanti habuerit fusam sibi scientiam acquisitam, & illius species.*

Quæres : Utrùm habuerit Christus à primo conceptionis instanti infusam sibi scientiam hanc acquisitam, & species ad illam necessarias. Pro parte affirmativâ (quam tenet Sanctus Bonaventura, Scotus, Alensis, Durandus, Gabriël, & alii, quos sequitur Suarez disput. 30. sect. 2. §. *Dico primò*, aitque esse communiorem sententiam) pro hac inquam parte facit quòd primo Adamo hoc concessum fuerit, de quo Ecclesiastici 17. dicitur: *Vestivit eum Deus virtute, & creavit illi scientiam Spiritus, & sensu replevit cor ejus*, &c. Unde Genesis 2. versu 19. dicitur: *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus* : ex quo constat habuisse eum cognitionem omnium. Secundò, quia hoc conformius videtur illi quod Disputatione præcedente diximus de virtutibus acquisitis, Christo per accidens infusis primo conceptionis instanti. Tertiò, nihil enim obstat quo minùs potuerit uti Christus hac scientiâ à primo conceptionis instanti, cùm non dependeat necessariò à phantasmatibus; est enim in animabus separatis. Christus autem etsi quoad corpus fuerit viator, quoad animam tamen fuit comprehensor : cùm ergo phantasia non ob aliud requiratur in usu hujus scientiæ, quàm ut ipsam excitet, & aliunde excitari possit anima Christi ad eâ utendum, nempè per scientiam illam altiorem, quâ instar Angeli se & suas species cognovit, non est cur ad hoc munus indigeat phantasmatibus.

XII. *Alii econtrà contendunt scientiam acquisitam non fuisse Christo primo conceptionis instanti infusam.*

Pro contraria tamen parte, quam tenet Vasquez Disput. 55. & alii facit, quod sit expressa mens sancti Thomæ, qui licèt in tertio, Dist. 14. q. 3. art. 3. docuisset omnem scientiam fuisse infusam Christo primò conceptionis instanti, hìc tamen quæst. 12. art. 2. Corpore, mutavit sententiam. Ratio sancti Thomæ est, quia est naturalis proprietas acquirere per actus connaturales hujusmodi scientiam; cùm ergo Verbum assumpserit humanitatem cum proprietatibus naturalibus, hoc non debuit omitti. Utraque sententia est probabilis. In neutra tamen sequitur fuisse ullam unquam ignorantiam in Christo cùm hanc abundè excluserit scientia beata, & infusa.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA TERTIA.

De potentia animæ Christi.

I. *Virtus patrandi miracula, non moralis tantùm fuit in Christo, sed physica.*

Hinc in divinis Literis Christus vocatur Brachium Dei.

Hæc de re Suarez Disp. 31. per totam, ubi multa discutit circa potentiam obedientialem, & vim patrandi miracula, eamque physicam, & non moralem solùm inesse ait animæ Christi: quam sententiam etsi veriorem existimem, quia tamen disputari solet hæc quæstio in materiâ de Sacramentis, & latè eam tractavi Disputatione 27. Physicorum, hîc illius discussioni nolo insistere. Probatur verò præcipuè ex duplici loco Scripturæ sacræ, primò Lucæ 6. v. 19. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et cap. 8. v. 46. *Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse*; quæ verba physicum quiddam sonare videntur. Deinde Isaïæ c. 51. v. 9. & c. 52. v. 10. & alibi vocatur Christus *brachium Dei*, quod Deus per illum tanquam per instrumentum miracula faceret. In Concilio item Ephesino Can. 11. definitur carnem Christi propter unionem ad Verbum fuisse *vivificatricem*, seu habuisse vim aliquam sibi communicatam, qua posset vitam efficere. Quæ licèt evidenter hanc sententiam non demonstrent, valdè tamen probabiliter eam suadent, cùm conformior sit locutionibus Scripturæ sacræ, & Conciliorum. Hanc verò esse sententiam D. Thomæ tum hîc, art. 1. & 2. tum aliis locis optimè ostendit Tannerus hîc, Disp. 145 dub. 7. num. 182.

II. *Inepti quorundam conatus, Christi miracula ad causas naturales reducere volentium.*

Rejicienda solùm hîc sunt quorundam deliria, qui Christi miracula eludere, eáque in causas naturales reducere conantur. Inprimis ergo dicunt nonnulli, habuisse Christum temperamentum ad pondus, id est nullum elementum prædominatum esse, sed tantum fuisse in eo frigoris quantum caloris, tantum siccitatis quantum humiditatis, &c. corpus autem, inquiunt, hoc modo constitutum potest vel supra aquas, vel in aëre sine ullâ difficultate incedere. Sed contrà primò, nam hominis temperamentum petit ut magis in eo dominetur unum elementum per suam qualitatem, quàm aliud, unde medici, quando calor naturalis est debilitatus, conantur eum restituere. Deinde sicut ex hoc temperamento, quod statuunt ad pondus, deducunt corpus humanum æqualem habere gravitatem & levitatem (quod aliquâ ex parte probat ingeniosa illa inventio, quam hic sæpè vidimus Leodii, globi in aquâ pensilis) ita deducere deberent temperamentum ad pondus in aliis omnibus qualitatibus illius corporis; cùm enim secundæ qualitates oriantur ex primis, his temperatis deberet sequi temperamentum in reliquis, certum autem est Christum in colore non habuisse illud temperamentum ex albo & nigro, sed speciosum fuisse præ filiis hominum. Tertiò, quia licèt hoc fortè probaret naturaliter Christum potuisse, vel super aquas vel in aëre ambulare, non propterea sequitur naturaliter eum potuisse suscitare mortuos, cæcis visum, auditum surdis restituere.

Certum est Christum non habuisse temperamentum ad pondus in secundis qualitatibus, ergo nec in primis.

III. *Alii miraculorum perpetrationem reducunt ad imaginationem.*

Alii hæc omnia refundunt in imaginationem, dicuntque animæ humanæ eam inesse vim, ut qui sagaciores sunt, possint per imaginationem miracula quæque perpetrare. Sed hoc ridiculum esse constat; quæ enim potest esse in imaginatione vis ad res physicas producendas, mortuos suscitandos, &c. & certè mirum est nullum hactenus mirabilia hujusmodi, aut novum mundum per imaginationem creasse, cùm qui sancti non sunt, non minùs imaginatione polleant quàm Sancti. Deinde Christus tactu frequenter miracula præstitit, & aliis modis ab imaginatione diversissimis.

DISPVTA-

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUARTA.

De defectibus corporis & animæ à Verbo assumptis.

CONVENIENTISSIMVM fuisse asserit Angelicus Doctor, ut corpus à Verbo assumptum defectibus quibusdam & infirmitatibus humanis subjaceret, tum quia venit Filius Dei in carne assumptâ ut pro peccatis hominum satisfaceret, quod requirebat corpus passibile: tum ad fidem Incarnationis astruendam, cujus veritas per hoc magis innotescit, dum Christus similis nobis per omnia homo apparet. Tertiò ut nobis tolerantiæ exemplum præberet, ad labores in cœli consecutione perferendos.

Christus ergo famem, sitim, labores, ærumnas, dolorem, & alia hujusmodi in hac vitâ sustinuit, unde Isaiæ c. 53. dicitur: verè languores nostros ipse tulit, &c. Notandum verò cùm sancto Thoma, art. 4. Corpore, non assumpsisse Christum quosvis defectus, ut morbum caducum, lepram, & alios hujusmodi, qui non sequuntur ad communem naturæ humanæ conditionem, sed procedunt ex particularibus causis. Præterea hi defectus nihil profuissent, sed impediviſſent potiùs finem à Deo in Incarnatione intentum, sicq; non decebat ut Verbum eos in suo corpore assumeret. Christus verò si in juventute occisus non fuisset, senio more aliorum hominum confectus fuisset, & tandem naturaliter mortuus, ut docet S. Augustinus, & cum eo Theologi.

Animi etiam affectibus & passionibus ut tristitiæ, & aliis nonnullis subjacebat Christus, sed sine ullo excessu, aut rationis perturbatione, imo omnes earum motus liberè acceptavit, & sine ullâ coactione, aut violentiâ, datâ tamen occasione, eas subinde perpessus est, ut docet S. Thomas & communis Theologorum sententia: nec applicatâ doloris causâ, flagellatione scilicet, crucifixione, &c. potuit Christus citra miraculum non dolere.

SECTIO PRIMA.

De impeccabilitate Christi.

I. *Alios omnes hominum defectus peccatum longè superat.*

CUM inter omnes humanæ naturæ defectus peccatum primum locum obtineat, nec singulos tantùm, sed omnes simul sumptos in gravitate superet, peculiaris hac de re instituendus est tractatus, videndumque quo pacto sanctissima Christi anima, non à peccato solùm, sed insuper à peccandi potentia, immunis fuerit, quicquid in contrarium nonnulli ex Theologis, ut mox videbimus, affirment.

II. *Certissimum esse ostenditur, Christum nunquam peccatum aut admisisse, aut contraxisse.*

Duo verò inprimis hic certa, primùm est, Christum ut Deum fuisse impeccabilem: secundùm ut hominem de facto peccatum nullum, vel mortale, vel veniale unquam admisisse, aut contraxisse: *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Matth. 1. v. 20. *Quod nascetur ex te Sanctum*, &c. Lucæ

Lucæ 1. v. 35. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Joannis 8. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* 1. Petri c. 2. Deinde non minùs certum est in Christo peccatum originale non fuisse, utpote quod soli contrahunt illi, qui per naturalem propagationem ab Adamo descendunt, Christus autem ex Virgine natus est, & de Spiritu Sancto conceptus: de quo Lucæ 1. v. 35. dicitur: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Nec ullus inventus est adeo impudens hæreticus ante Calvinum, qui Christo ausus sit peccatum appingere. Calvinus verò & alius quidam apostata dicere ausi sunt, Christum in cruce desperasse, & alia quædam quæ sine peccato perpetrari non possent, admisisse: sicque Soli maculam, Christo labem impii & blasphemi homines aspergunt.

Nullus ante Calvinum tam impudens fuit hæreticus, ut Christo peccatum attribueret.

III. *Quo sensu dicat Apostolus, Christum pro nobis factum esse peccatum.*

Nec obstat illud 2. ad Corinthios 5. vers. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit;* sensus enim hujus loci est, Deus eum, hoc est Christum, qui non noverat peccatum practicè scilicet, & per experientiam, quamvis, illud speculativè, & per simplicem notitiam noverat, pro nobis peccatum fecit, hoc est eum hostiam fecit pro peccato nostro, ubi inquit Sanctus Ambrosius, Theophilactus, & Sanctus Anselmus peccatum primo loco sumit Apostolus propriè, secundò metonymicè, quo etiam sensu Oseæ 4. dicuntur Sacerdotes comedere peccata populi, hoc est, hostias pro peccatis populi oblatas.

IV. *Quærimus an Christus præcisè ex vi unionis hypostaticæ fuerit impeccabilis.*

Quæstio ergo in præsenti est, Utrùm Christus, seclusâ visione beatificâ, fuerit ex vi unionis hypostaticæ præcisè, impeccabilis. Negat Durandus in 3. dist. 12 quæst. 2. in quam etiam sententiam inclinare videtur Scotus, & sequuntur Scotistæ communiter, qui licèt Christum de facto impeccabilem fuisse asserant ratione visionis beatificæ, dicunt nihilominus, si Christus non fuisset beatus, potuisse eum peccare.

V. *Christus non solùm per visionem beatificam, sed per unionem hypostaticam præcisè redditus fuit impeccabilis*

Dicendum tamen Christum, non per visionem beatificam tantùm, sed per unionem etiam hypostaticam præcisè redditum fuisse impeccabilem: ita Sanctus Thomas in 3. dist. 12. quæst. 3. quem Thomistæ omnes sequuntur. Sanctus Bonaventura ibidem, art. 2. quæst 1. Suarez hìc, disput. 33. sect. 2. Vasquez disputat 61. cap. 3. Tannerus hìc, Tomo 4. disp. 1. quæst. 5. dub. 8. num. 154. & omnes hodie communiter, qui acerrimè in contrariam sententiam invehuntur, tanquam Christo indignam, eique à Suarez, & aliis temeritatis, & impietatis nota inuritur.

VI. *Non peccatum tantùm, sed peccandi potentiam per unionem hypostaticâ excludam à Christo fuisse decent Patres.*

Probatur conclusio primò auctoritate Patrum, qui Christum non peccati solùm, sed potentiæ etiam ad peccandum expertem fuisse aiunt, cujus rationem nunquam reddunt, quòd frueretur visione beatificâ, sed quòd ejus humanitas verbo unita fuerit, atque ab eo deificata, & quasi candens ferrum ignita. Unde in sextâ Synodo referuntur ad hanc rem verba S. Athanasii contra Apollinarem negantem in Christo fuisse animam rationalem, ne cogeretur eam concedere fuisse peccati capacem: nihil, inquit, S. Athanasius timendum hac de re, quia per ipsam assumptionem illa voluntas impeccabilis facta est: unde alibi idem Sanctus Athanasius vocat Christum *per se sanctum & Dominum sanctificationis, naturâ suâ justum, & immutabilem ad malum:* & in eâdem Synodo refertur Sanctus Gregorius Nazianzenus dicens voluntatem humanam Christi ita fuisse deificatam per unionem ad Verbum, ut non posset divinæ repugnare. Sanctus etiam Irenæus Martyr lib. 3. cap. 5. ait Christum non potuisse mentiri, quia erat ipsa veritas, ex quo optimè infertur, nec peccare potuisse cùm esset ipsa sanctitas: & ut alios omittam, Sanctus Augustinus libro de Correptione & Gratiâ, cap. 11. dicit non fuisse metuendum, ne humana natura in Christo peccaret, cùm per ipsam assumptionem à peccati omnis periculo immunis fuerit. Tandem sexta Synodus actione 17. ait voluntatem Christi humanam ita fuisse deificatam per unionem, ut totum ejus velle inde deificetur, nec posset ipse divinæ voluntati repugnare, nempe per peccatum. Ex quibus patet minùs probabilem esse explicationem Fabri, qui hos Patres explicat de impeccabilitate per visionem beatificam ortam ex unione, cùm constet eos loqui de impeccabilitate per unionem ipsam, & assumptionem formaliter.

VII. *Ratio Christi impeccabilitatis à P. Suarez assignata est, quia si Christus esset peccabilis, Deus etiam foret directè in se peccabilis.*

Probat hanc conclusionem Pater Suarez citatus, Valentia disp. 1. quæst. 19. p. 2. & indicat Molina primâ parte, quæst. 18. art. 18. & Thomistæ communiter, quos sequitur Tannerus q. 6. dub. 4. quia si Christus esset peccabilis, Deus etiam esset peccabilis, non per communicationem solùm idiomatum, hoc enim concedunt Scotistæ, sed immediatè, & directè in se, quod probat Suarez, eo enim ipso, inquit, quòd humanitas hypostaticè uniatur Verbo, redditur peculiari ratione ipsius, ejúsque directioni subdita, sicut sponsa mariti, pupillus tutoris, servus Domini, & appetitus sensitivus voluntatis. Unde sicut affectus inordinati appetitus sensitivi tribuuntur voluntati, ita & peccata humanitatis tribuerentur Verbo directè & formaliter.

VIII. *Contra hanc rationem est, quantum ad hanc partem, posse saltem peccatum habituale consistere cum unione.*

Contra primò: Saltem non obstante hac ratione posset peccatum habituale consistere in humanitate simul cum unione hypostaticâ. Contra secundò: Non obstante unionis vinculo retinet Deus supremum suum dominium in humanitatem: Unde etsi daremus habere eum de novo aliquam potestatem in actiones humanitatis, non tamen oritur inde obligatio ulla eam regendi; sicut licèt in creatis eo ipso, quòd quis sit filius, aut servus alterius, tenetur Pater, & Dominus eum regere, non tamen hoc sequitur in Deo, respectu cujus verè homines sunt servi & filii, quos tamen in dies permittit in peccata varia incidere. Addo probabiliùs videri ex conjunctione personalitatis divinæ cum naturâ humanâ, non acquirere Deum peculiarem potestatem in operationes humanitatis, sicut si natura humana & leonina unirentur in eodem supposito, non posset homò cohibere leonem, nec Petrus Paulum, & licèt posset, adhuc non teneretur, si haberet justam causam non impediendi, ut habet Deus respectu omnium operationum creaturæ: unde non major oritur obligatio præcisè ex vi unionis, quàm erat antea.

IX. *Data hac in re est de voluntate ad regendum appetitum disparitas.*

De voluntate verò & appetitu sensitivo alia est ratio, tum quia non habet supremum illud dominium voluntas nostra, tum præcipuè, quia ex inordinatis appetitus motibus sequitur frequenter voluntatem etiam ad aliquid inordinatum volendum pertrahi, & consequenter ad peccandum. Tertiò: Quia appetitus irrationalis non habet aliam scientiam & libertatem qua regatur, quàm scientiam & libertatem animæ per intellectum & voluntatem, humanitas autem habet libertatem sibi propriam.

Tandem,

X. *Aliud est de Deo respectu humanitatis, & de superiore in creatis respectu subditorum.*

Tandem disparitas est, quia Dominus & superior in creatis tenetur curare bonum subditorum, cùm etiam illorum bonum aliquo modo sit bonum dominorum, at verò Verbum non magis tenebatur gubernare humanitatem, quàm Pater aut Spiritus Sanctus, nihil namque agit filius circa operationes humanitatis, quod non agunt omnes tres personæ, cùm & potentia, & omnis operatio ad extra sit omnibus communis. Poterat etiam Verbum non obstante unione hac sui ad humanitatem permittere illam, etiam sine omni causâ occidi, aut perire fame, cùm tamen rationalis natura teneatur non permittere corpus hoc modo perire: imò poterat Verbum illam annihilare, deunire, &c. quæ non competunt creaturis, ut constat.

XI. *Nec peccaret Verbum peccante humanitate ex eo quòd peculiariter terminet naturam.*

Secundò itaque probant alii, quia sequeretur, peccante humanitate Verbum peculiari modo peccare; cùm enim peculiariter terminet naturam illam, & requiratur subsistentia ad operandum; peccatum illud peculiariter tribueretur Verbo. Sed contra: Subsistentia enim non influit in operationes: deinde etsi influeret, sicut tamen propterea Deus non est auctor peccati, licèt ad illud concurrat, quia illius concursus est generalis solùm, & indifferens ad omnes operationes creaturæ rationalis, sic subsistentiæ concursus esset indifferens quoad exercitium ad omnes operationes humanitatis, eique in operando subordinatus, hoc autem sufficit ut non censeatur concurrere ut causa particularis ad peccatum, & consequenter cur ei tribui non possit.

XII. *Dicunt alii, si humanitas peccaret, Verbum ipsum redderetur Deo odibile.*

Tertiò alii in eo implicantiam hanc peccandi constituunt, quòd peccatum reddat, non animam tantùm, sed totum suppositum Deo odibile, sicut gratia facit totum suppositum gratum Deo & amabile, unde sequeretur Verbum secundùm suam entitatem fore Deo odibile, quod implicat. Ad hoc tamen responderi posset, in supposito aliquo tunc omnes partes reddi odibiles, quando aliunde non repugnat odium essentialiter alicui in particulari, quod hîc contingeret; Verbum enim, cum sit essentialiter Deus, non posset esse objectum odii: Sic si Petrus & Paulus unirentur hypostaticè in subsistentiâ Petri, & Paulus injuriam Petro inferret, odio haberet Petrus Pauli humanitatem, non tamen subsistentiam, quia esset subsistentia ipsius Petri.

XIII. *Aliud est quoad odibilitatem & amabilitatem ubi una tantùm est natura & libertas, & ubi sunt duæ.*

Respondetur secundò: In homine peccante cùm una tantùm sit libertas, unam tantùm esse amabilitatem, vel odibilitatem simpliciter, hic verò cùm sint duæ naturæ rationales hypostaticè unitæ, consequenter sunt duæ libertates, & amabilitates, unde esto humana natura peccaret, & redderetur odibilis, Verbum tamen suam retineret amabilitatem, & esset objectum amoris divini.

XIV. *Summa sanctitas non tantùm peccatum impedit, sed peccandi potentiam ab eo in quo est, expellit.*

Ratio itaque conclusionis est, quam assignat Vasquez disp. 61. cap. 6. & 7. quia humanitas Christi est summè sanctificata, effectus autem summæ sanctitatis est, non solùm peccatum è subjecto tollere, sed peccandi potentiam, cùm sit sanctitas non gradualiter, sed substantialiter infinita, quæ proinde non solùm componi simul non possit cum peccato, sed nec per illud destrui, aut expelli, cùm infinities superare debeat gratiam habitualem. Confirmatur: Summa sanctitas est illa, quâ major rationabiliter excogitari non potest, sed illa esset major, quæ non solùm in sensu composito unionis sui peccatum expelleret, sed quæ per peccatum denuò expelli & superari non posset; sicut calor ille esset perfectior, qui non solùm expelleret frigus, sed etiam ita possideret subjectum, ut expelli denuò, & superari à frigore non posset.

XV. *Obtic. Voluntas humanitatis non immutatur per unionem hypostaticam, ergo est peccabilis.*

Dices primò: Per unionem hypostaticam non immutatur voluntas humanitatis Christi, ergo si anima assumeretur quæ priùs extiterat, si antea habebat potentiam peccandi, etiam nunc eam retinebit. Respondeo: Ad potentiam proximam peccandi multa alia requiri præter entitatem physicam, & potentiam remotam peccandi, qualem etiam haberet Petrus, si Deus non esset in actu primo paratus ad concurrendum cum illo ad peccatum, non tamen haberet potentiam proximam. Deinde dico nunquam habuisse animam potentiam etiam remotam componendi peccatum cum summâ sanctitate, cùm ergo unio hypostatica sit naturâ suâ indissolubilis, nunquam habuit anima hoc sensu potentiam etiam remotam peccandi. Unde quamvis unio non immutet humanitatem in actu primo, conferendo ei novas vires ad operandum, ponit tamen obicem impedientem quo minùs in quemvis actum prodire possit, ad quem in sensu diviso unionis habebat potentiam.

XVI. *Objic. Potuit divinitus esse error in animâ Christi, ergo & peccatum.*

Dices secundò: Non magis repugnat summæ sapientiæ error, quàm summæ sanctitati peccatum, sed potuit divinitùs esse error in animâ Christi, ut contra P. Suarez docent omnes communiter cum Vasquez disp. 61. cap. 9. ergo & peccatum. Negatur consequentia: Disparitas est, quia etsi summa sapientia uniatur animæ Christi, non tamen tribuit ei suum effectum formalem, nec reddit eam sapientem, hic enim effectus, cùm sit vitalis, petit ut vitali modo communicetur subjecto, quod non contingit respectu animæ Christi, cùm nullus actus Dei respectu illius sit vitalis, ut supra diximus. At verò ad sanctitatem non requiritur nisi ut taliter perficiatur subjectum, ut reddatur objectum congruum divinæ dilectionis, quod ipso facto sit, quo quis subsistat subsistentiâ divinâ, sic enim efficitur filius Dei, non adoptivus, sed naturalis, & perfectissimè consors naturæ divinæ.

SECTIO SECUNDA.

Inferuntur quædam circa impeccabilitatem Christi.

I. *Christus quamcunque habeat cognitionē, omittit necessariò peccatum.*

Hinc infero primò: Humanitatem Christi cum eâdem cognitione, cum quâ Deus videt eam, si esset dimissa à Verbo, fuisse peccaturam, non tamen posse nunc peccare, quia jam non est subjectum capax peccati, ad quam incapacitatem sufficit conjunctio cum summâ sanctitate, unde necessariò tunc omitteret Christus actum peccaminosum, cùm antecedenter determinatus sit ad non peccandum.

II. *Potest à Personâ divinâ assumi humanitas, quæ priùs peccaverat.*

Infero secundò: Assumi posse à personâ divinâ humanitatem, quæ antea peccasset, ita tamen ut necessariò per assumptionem tolleretur peccatum omne, sive mortale, sive veniale.

III. *Neque tamē in hoc casu verum esset dicere, Deus peccavit.*

Dices: ergo in eo casu esset verum dicere, Deus peccavit. Vasquez hîc, disp. 61. num. 19. admittit sequelam. Meliùs tamen negatur cum Suarez disp. 33. sect. 2. Ratio est: Quia non esset idem suppositum de quo affirmatur peccatum, tunc enim peccasset natura in proprio supposito,

supposito, & consequenter peccatum non tribueretur divino. In quo est differentia circa hanc propositionem: *Hic homo creavit cœlos*, significando Christum, idem namque ibi est suppositum quod creavit cœlos, & assumpsit humanitatem. Exempli gratia, est diversa nunc lux in hoc aëre, vel pariete ab eâ, quæ fuit heri; & tamen est verum dicere hoc lucidum heri disgregavit visum, quia subjectum est idem, si verò lux, quæ jam est in aëre, heri fuisset conservata sine subjecto, & disgregaret visum, non possemus dicere hoc lucidum heri disgregavit visum, sed solùm hæc lux heri disgregavit visum. Idem ergo est de humanitate respectu suppositi, & unius suppositi respectu alterius.

IV. *In humanitate aliquâ priùs peccante quàm assumptâ, manere posit assumptionem posset reatus pœnæ temporalis.*

Infero tertiò contra Vasquez citatum num. 35. posse divinitùs in humanitate assumptâ manere reatum pœnæ temporalis, ob peccata præterita. Ratio est: Quia licèt condignitatem habeat natura illa, ut omnis ei pœna remittatur, cùm etiam habeat jus ad visionem beatam, hoc tamen non se extendit ulteriùs quàm ad potentiam ordinariam, unde divinitùs potest Deus reatum illum non condonare. Qua in re notandum, reatum illum non habiturum rationem reatus respectu Verbi, cùm reatus propriè dictus, sit solùm respectu illius personæ, quæ culpam admisit: multo verò minùs dici posset Verbum reatum illum per operationes contraxisse.

V. *Quamvis natura aliqua humana, existens in propriâ subsistentiâ assumeretur, nihilominus non posset peccare.*

Infero quartò: Si assumeretur natura humana in propriâ subsistentiâ, adhuc non posse eam peccare, licèt enim tunc essent duæ personæ, creata & increata, cùm tamen humanitas sit sanctificata per summam sanctitatem, & hæc, cuicumque unitur, tollat potentiam peccandi, consequenter non posset persona illa creata peccare, sicut nec posset si existeret separata à Verbo, si Deus antecedenter decrevisset non daro ei concursum ad peccatum.

VI. *Certum est in Christo non fuisse fomitem peccati.*

Infero quintò: in Christo non fuisse fomitem peccati: Fomes peccati, ut vult Vasquez, sunt ipsi actus sensualitatis circa objecta rationi dissona, vel ut bene Suarez ipsa potentia proximè ad hujusmodi motus expedita. Conclusio definita est in quintâ Synodo, can. 12. & passim affirmant Sancti Patres in Christo non fuisse hujusmodi fomitem, seu concupiscentiam, tum quia est effectus peccati originalis, quod certum est in Christo non fuisse, tum quia ut ait S. Thomas quæst. 15. art. 2. Christus erat beatus & summè perfectus, deinde quia motus primò primi in nobis, fuissent in Christo peccata ob perfectissimam scientiam, per quam potuisset illos prævenire. Per fomitem autem intelligi debent motus ita rationi adversantes ut voluntas sine peccato in illos consentire non possit, ut motus odii, invidiæ, &c. unde affectus quem habuit Christus in horto repugnantiæ ad moriendum, non erat fomes peccati, cum esset de objecto secundùm se honesto, nempe conservatione vitæ propriæ.

VII. *Putant aliqui fomitem peccati nec divinitus stare posse cum unione hypostaticâ.*

Quæres: Utrùm saltem per divinam potentiam stare possit fomes peccati, & habitus vitiosi cum unione hypostaticâ? Suarez Disp. 33. sect. 2. negat, quem multi sequuntur ex Recentioribus: Ratio est, quia videntur hæc esse nimis mala, ut stare possint cum infinitâ sanctitate. Vasquez è contra ait illa non repugnare divinitus uniom, quod videtur probabilius; sicut enim posset error esse in humanitate Christi per potentiam absolutam, ita & fomes peccati, & habitus vitiosi: & sicut Deus assumere posset naturam leonis, quæ natura posset adhuc habere motus vindictæ, ita quidni naturam humanam, quæ per varios actus vitiosos priùs contraxisset habitus vitii, præsertim cùm hic actus solam habeat malitiam objectivam, quæ non est culpa, nec peccatum, imo aliquando stare posset cum merito, ut si quis occidat amicum innocentem putans esse hostem reipublicæ.

VIII. *Non erat necessitatus Christus ad faciendum optimum ex parte objecti materialis.*

Infero sextò: Non habuisse Christum necessitatem ullam moralem faciendi id quod optimum est ex parte objecti materialis, nec actus perfectissimos. Probatur primò: Christus enim in horto habuit timorem mortis, idque quia mors erat naturæ ipsius contraria, quam proinde homines naturaliter refugiunt, hunc verò affectum proveniisse aiunt Sancti Patres, & Theologi ex infirmitate naturæ, & non ex motivo perfectissimo charitatis. Deinde sicut hunc actum elicuit respectu sui, ita etiam humanitatem & benevolentiam exercuit erga homines, quibuscum versabatur. Tertiò: Quia non videtur dubium quin singulas virtutes exercuerit Christus secundùm propria ipsarum motiva, ergo non semper operatus est ex motivo omnium perfectissimo. Quartò: Quia non videtur credibile Christum quoties voluit objectum aliquod naturale, ut ambulare, dormire, comedere, &c. id summâ semper voluntatis contentione voluisse.

IX. *Non est imperfectio ex duobus propositis objectis in aqualibus eligere minùs perfectum.*

Dices: Est moralis imperfectio ex duobus objectis propositis, in perfectione inæqualibus, eligere minus perfectum, sicut & ex motivo imperfectiore operari, cùm possit ex perfectiori, quod idem est de intensione actus, ut si quis remisse operetur, cùm possit fervidè. Respondetur negando antecedens: Esto enim fortè in viâ, ubi est obligatio quædam obtinendi perfectionem, quam quis potest maximam, foret aliqua imperfectio non exercere se in actibus perfectissimis, quos potest, cùm hac ratione voluntariè omittat curare suum bonum, quod cuique incumbit ex obligatione Dei, vel naturæ, at in patriâ, cùm homines sint extra statum merendi, nihil perdunt perfectionis debitæ, cùm non sint minùs fœlices ob omissionem actus perfectioris. Deinde in Christo, cùm omnia illius opera sint valoris & æstimationis simpliciter infinitæ, non censetur tanti non semper operari summâ intensione, præsertim cùm aliunde compensetur hæc jactura ex libertate morali, quam contraria sententia tollit. Si tamen cùm torpore, aut negligentiâ hos actus minùs intensos & perfectos aliqui elicerent, argueretin ipsis imperfectionem, hoc autem non est necessarium in iis admittere.

X. *Si quid videant beati peculiari modo Deo placere, probabile est eos ad hoc faciendum morali necessitate teneri.*

Dices secundò: Christus, cùm esset semper beatus, summè desiderabat placere Deo, & consequenter ea præstare, quæ ei videbat esse gratissima, hoc enim etiam in hominibus inter amicos contingit. Respondetur: Si quid videat beatus quispiam peculiari modo placere Deo, probabilius esse necessitate quâdam morali ad id agendum eum compelli, id est, ita ut nunquam illud non præstet, ut si Deus aliquid per modum specialis consilii proponeret; hinc tamen non sequitur id in omnibus esse concedendum, cùm de iis non habeat Deus peculiarem voluntatem, quasi desiderii respectu illorum magis, quàm oppositi, unde norunt Beati Deum hæc eorum libertati plenè permittere, imò hoc videtur spectare ad leges perfectæ amicitiæ, ut scilicet non compellatur ita in particulari amicus ad ea facienda,

facienda, quæ quovis modo novit amico magis placere, sed solùm ut ipsi non displiceat, & quæ peculiari modo novit amico placere, præstet.

XI. *Dubitatur, an humanitas unita Verbo permitti possit materiale aliquod peccatum admittere.*

Quæres: Utrùm humanitas, dum actu unita est Verbo, permitti possit peccatum aliquod materiale committere, defectu libertatis? Respondetur, peccata materialia esse in duplici genere, quædam enim mala sunt, quia prohibita, ut violare jejunium, comedere carnes die prohibito, &c. alia prohibita quia mala, ut mentiri, blasphemare, odisse Deum, & alia id genus. Mala ergo prioris generis non est cur in humanitate, etiam dum unita est Verbo, permitti nequeant, cùm in iis extra statum libertatis factis, nulla appareat indecentia: secus dicendum de aliis.

XII. *Quid si eadem humanitas in uno loco esset unita Verbo, in alio non uniretur.*

Quæres secundò: Si eadem humanitas replicetur, & in uno loco, Romæ exempli gratia uniatur Verbo, Leodii non uniatur, utrum Leodii possit peccare? Hìc nonnulli existimant eodem modo procedendum, quo in physicis procedi solet de animâ in duobus locis constitutâ. Alii tamen ob respectum ad Verbum admittere nolunt humanitatem peccare posse, etiam eo loco, quo non est unita.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm potuerit humanitas peccare, ita ut peccando unionem dissolveret.

I. *Certum est Deum, sicut liberè assumpsit humanitatem, ita posse eam liberè dimittere.*

QUÆRIMUS: An ratione peccati dissolvi possit unio, certum enim videtur, si Deus, ut potest, unionem dissolveret, liberè humanitatem dimittendo, sicut eam liberè assumpsit, posse illam eodem instanti peccare, cùm in illo instanti nihil sit, quod peccatum impediat: nec peccatum tribueretur supposito divino, sed vel soli humanitati, vel supposito alicui creato, in quo illo instanti existeret.

II. *Humanitas de potentiâ ordinariâ non potest peccando demereri unionem.*

Dico primò: De potentiâ ordinariâ non potest humanitas peccando demereri unionem: ita Suarez, & Vasquez citati, & alii. Ratio deducitur primò ex auctoritate Patrum supra relatorum, qui absolutè affirmant humanitatem Christi, & illius voluntatem redditas fuisse ex unione ad Verbum impeccabiles, quod tamen simpliciter dici non posset, si peccare humanitas posset unionem demerendo, sicut non dicimur nos per gratiam habitualem reddi impeccabiles, cùm illam per peccatum possimus destruere: Secundò, quia unio est perfectior visione beatâ, & lumine gloriæ, quæ tamen utpote ad statum termini spectantia, sunt incorruptibilia. Tertiò: Nam juxta communem sententiam actiones sunt suppositorum, quod hoc sensu communiter intelligitur, nempe subsistentiam requiri ut conditionem ex naturâ rei ad omnem operationem prærequisitam, & consequenter nisi dependenter ab illâ humanitatem operari non posse. Addo: Licèt humanitas ita assumeretur, ut retineret propriam subsistentiam, non tamen posse peccare, & unionem demereri ob duas rationes primo loco positas.

III. *Humanitas Christi nec divinitus potest peccando demereri unionem.*

Dico secundò cum Suarez & Vasquez citatis, qui primi hanc quæstionem disputârunt, humanitatem Christi, nec divinitùs posse peccare, ita ut unionem peccando dissolvat: ita omnes ferè hodie, præter paucos quosdam ex recentioribus. Ratio à priori est, quam supra posui sectione præcedente, quia humanitas sanctificatur per summam sanctitatem, summa autem sanctitas est illa, quæ non solùm consistere non possit cum peccato vel actuali, vel habituali, sed quæ per nullum peccatum expelli, aut vinci possit vel divinitùs: sicut enim facit ad majorem perfectionem sanctitatis creatæ, quòd stare simul non possit cum peccato mortali, nec divinitus, ita ad perfectionem debitam summæ sanctitati facit quod superari & expelli nec divinitus possit per ullum peccatum. Confirmatur: Major esset illa sanctitas, quæ non solùm esset incompossibilis cum peccato, sed cum potentiâ etiam peccandi, cùm ergo non videatur repugnare sanctitas, quæ hoc præstet, non est cur dicamus de facto hoc collatum non esse humanitati, cùm & summam sanctitatem habeat, & modo sibi perfectissimo unitam. *veri uniendi.*

IV. *Quidni sanctitas increata id tribuat humanitati per participationem, quod tribuit Deo per essentiam.*

Secundò probatur: Sanctitas hæc in Deo habet hunc effectum, à quo non peccatum solùm excludit, sed peccandi potentiam, quidni ergo idem per participationem tribuet humanitati, quod Deo tribuit per essentiam. Dices: Ergo & ab humanitate tollet potentiam radicalem peccandi, cùm hanc à Deo excludat per essentiam. Nego consequentiam: Potentia siquidem radicalis peccandi est ipsa entitas animæ, quæ ipso facto quòd sit creatura rationalis habet remotè quòd peccare possit, & consequenter stante entitate animæ, tolli hæc potentia non potest: at verò potentia proxima peccandi tolli potest, ergo non est cur summa sanctitas hunc effectum humanitati non tribuat.

V. *Dices: Pro primo signo, quo potuit humanitas mereri unionem, potuit peccare.*

Objicitur primò: Pro primo signo, quo secundùm nos potuit humanitas divinitùs mereri unionem de congruo, erat indifferens ad illam habendam, vel non habendam, ergo pro illo priori est peccabilis humanitas, patet consequentia, pro illo priori nihil intelligitur incompossibile cum peccato, ergo pro illo priori humanitas est compossibilis cum peccato, ergo peccabilis.

VI. *Resp. Naturam pro illo priori non concipi ut completè & proximè compossibilem cum peccato.*

Respondetur negando consequentiam: Ad probationem dico, quamvis pro illo priori nihil intelligatur incompossibile cum peccato, non tamen concipi naturam ut completè & proximè compossibilem cum peccato, sed solùm remotè, ut autem intelligatur completè potens peccare, intelligi debet non cum præcisione solùm, sed negatione unionis hypostaticæ. Ratio est: Ad potentiam namque proximam peccandi plura requiruntur, quàm nuda entitas animæ, ut concursus divinus, cognitio indifferens, &c. cùm potentia proxima peccandi non sit quid adæquatè intrinsecum, sed partim intrinsecum, partim extrinsecum, quibus addimus negationem unionis hypostaticæ, cùm hæc sit dignitas summæ sanctitatis, ut non peccatum solùm tollat, sed peccandi potentiam, sicut eam tollit in Deo.

VII. *Pro illo priori quo concipitur humanitas potens ad demerendum, non concipitur potens ad demerendum positivè, sed tantùm negativè.*

Urgebis: Pro illo priori, quo concipitur humanitas potens ad merendum; concipitur etiam potens ad demerendum. Distinguo: Concipitur potens negativè, seu non concipitur impotens ad demerendum concedo, concipitur potens positivè, seu completè apta ad demerendum, nego: ad hoc enim requiritur, ut concipiatur cum negatione summæ sanctitatis, cum quâ tamen concipi pro nullo priori illius instantis realis potest. Sicut in communi sententiâ, licèt intelligatur humanitas pro aliquo priori cum gratiâ habituali, præscindendo ab unione hypostaticâ,

non tamen concipitur cum filiatione adoptivâ, ad hunc enim conceptum non sufficit præcisio ab unione, sed concipi debet cum illius negatione. Quod in simili idem est de Prædeterminatione physicâ, ut enim potentia concipiatur libera, non sufficit eam concipi præcisivè quoad suam entitatem non conceptâ prædeterminatione physicâ, sed concipi debet explicitè cum illius negatione, ut concipiatur completè & proximè libera.

VIII. *In instanti præcedente instans meriti, alio modo concipi potest humanitas, quàm in instanti merendi.*

Objicitur secundò: In primo signo illius instantis realis, quo confertur unio, concipitur humanitas eodem modo atque in instanti reali præcedente, in quo non habet unionem, sed tunc est peccabilis, ergo & modò. Distinguo majorem: Concipitur eodem modo quoad entitatem intrinsecam, concedo; quoad omnia, quæ sunt de conceptu peccabilitatis, nego; in priori enim instanti si concipiatur adæquatè, concipi potest positivè cum negatione hypostaticæ unionis, quod in hoc instanti fieri non potest. Concipi tamen potest in hoc instanti cum aptitudine ad merendum, hæc enim minùs requirit, & sufficit præcisio, cùm præmium eodem instanti detur, quo ponitur meritum, ut constat in gratiâ habituali.

IX. *In illo priori quamvis humanitas non concipiatur impeccabilis in actu signato, est tamen impeccabilis in actu exercito.*

Objicitur tertiò: Pro illo priori, quo concipitur natura præcisivè, non est impeccabilis, ergo peccabilis. Distinguo antecedens: Non est impeccabilis in actu signato, concedo antecedens; in actu exercito, nego, id est, non repræsentatur in actu signato pro illo priori aliquid impediens admissionem peccati, in actu tamen exercito sic considerata, est in intellectu impeccabilis, cùm non considerentur, nec verè considerari possint omnia, quæ requiruntur ad potentiam proximam peccandi, nempe negatio unionis hypostaticæ, & concursus divinus. Notandum tamen ulteriùs, nullam esse consequentiam ab intellectu ad res à parte rei, in intellectu enim potest aliquid esse nec peccabile, nec impeccabile, sicut nec habere albedinem, nec negationem albedinis, cùm illud concipere possit intellectus secundùm se, & præscindere à contradictoriis, à quibus res à parte rei præscindere non potest.

X. *Non concipitur humanitas potens peccare nisi conceptâ negatione unionis hypostaticæ.*

Dices: Si peccaret, posset concipi positivè cum negatione unionis hypostaticæ. Contrà: Priùs est posse peccare, quàm peccare, ergo pro aliquo priori quàm peccet humanitas, debet concipi potens peccare, sed non potest concipi potens peccare, nisi concipiatur cum negatione unionis, ergo priùs quàm peccet debet concipi sine unione, ergo priùs naturâ quàm peccet debet esse destructa unio, ergo non destruit illam peccando, sed Deus antecedenter ad peccatum liberè eam destruit, quod si faceret tunc nulla esset repugnantia quin posset priùs etiam deunionis instanti peccare.

SECTIO QUARTA.

Alia argumenta contendentia posse humanitatem Christi peccare demerendo unionem.

I. *Dices: In secundo instanti perinde est humanitas, ac si eam antea non habuisset, cùm instans præcedens, & quicquid in illo fuit, sit huic instanti extrinsecum, ergo non potest determinari ad non peccandum ab aliquo quod præcessit, ergo per unionem non tollitur potentia ad peccandum pro secundo, & consequenter pro omnibus sequentibus instantibus.* humanitatis ac si unionem in instanti præcedente non habuisset.

OBJICIES quartò: Secundo instanti post collatam unionem perinde se habet humanitas, ac si eam antea non habuisset, cùm instans

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico: Cùm unio hypostatica sit naturâ suâ indissolubilis, ut Patres affirmant, semper pro aliquo priori ad quodvis instans eam antecedenter determinare Deum ad concursum negandum ad quemcumque actum peccaminosum, nisi Deus pro illo priori decrevisset unionem destruere, tunc enim posset ejusmodi concursum præbere, sicut posito quod materia cœli sit capax etiam formarum corruptibilium, ubi tamen semel est inducta in eam forma incorruptibilis, non est materia illa indifferens pro ullo instanti ad formam corruptibilem; hîc tamen idem fieri posset argumentum, licèt hoc fortè solùm procedat de potentiâ ordinariâ, destructio verò unionis, etiam de potentiâ absolutâ, cùm potentia peccandi dicat negationem unionis, & summæ sanctitatis, uti jam dictum est. II. *Resp. Negando antecedens, cùm unio hypostatica sit ex naturâ suâ indissolubilis.*

Per hæc constat non esse tanti momenti quod urgent aliqui, nempe non posse id quod nec necessarium est essentialiter ad operandum, nec sit applicatio ad agendum prædeterminare voluntatem ad non peccandum. Sed hoc refellitur exemplo proximè allato formæ incorruptibilis inductæ in materiam, quæ licèt non prærequiratur ut agens naturale inducat formam corruptibilem, semel tamen introducta determinat ne possit talis forma naturaliter introduci. Sicut ergo gratia habitualis, licèt non requiratur essentialiter ad benè operandum, est tamen connexa cum negatione operationis mortaliter malæ, sic unio hypostatica esto non requiratur essentialiter ad benè operandum, potest tamen esse essentialiter connexa cum negatione concursus ad operandum malè. III. *Ostenditur quomodo id quod non est necessarium ad operandum, possit determinare voluntatem ad non peccandum.*

Objicitur quintò: Major esset illa sanctitas, quæ tolleret in humanitate, non solùm peccatum, & peccare de futuro, sed etiam peccasse, nos tamen supra admisimus posse à Verbo assumi humanitatem, quæ in propriâ personâ peccaverat. Respondetur, nullam formam vel quasi formam effectum suum formalem priùs tribuere, quàm uniatur, cùm eum tribuat per unionem, omnis ergo effectus præcedens est planè independens ab hac formâ, nec facere potest ut id quod fuit non fuerit, hic enim effectus provenire nequit ab ullâ formâ, unde hoc non obstante est summa sanctitas, quâ etiam de causâ diximus supra esse summam sanctitatem, licèt non tollat potentiam radicalem peccandi, cùm hæc in humanitate tolli non possit, potentia autem proxima, & peccare de futuro possunt tolli, ergo si hæc sanctitas hos effectus non tolleret, non esset summa. IV. *Dices: Ergo summa sanctitatis est impedire etiam in naturâ assumptâ peccatum.*

Objicitur sextò: Faciat Deus hoc pactum cum humanitate, quæ priùs extitisset in propriâ subsistentiâ, si feceris tale opus præceptum in tali instanti, pro quo obligat præceptum, dabo tibi unionem hypostaticam, sin minùs non dabo, tunc humanitas illo instanti est peccabilis, cùm possit opus præceptum non ponere. Respondeo, repugnare hujusmodi pactum, saltem quoad secundam partem, nempe *si non feceris opus præceptum non dabo*, implicat enim Deum videntem esse impossibile ut omittat, taliter paciscì, non minùs, quàm V. *Quæri, quid si Deus cum humanitate aliquâ pactum faciat de tradendâ unione hypostaticâ si ista bonum opus fecerit.*

quàm si Deus cùm efficaciter prædefiniêrit hominem voluntate antecedentem ad non peccandum mortaliter, ineat cum eo hoc pactum, si benè operatus fueris dabo tibi gloriam, sin mortaliter peccaveris, non dabo.

VI. *Non potest simul concipi proximè ad merendum unionem, & ad peccandum.*

Ratio est: Quia implicat simul concipi humanitatem proximè aptam ad merendum unionem hypostaticam, & proximè aptam ad peccandum, ut enim concipiatur proximè apta ad merendum, concipi solùm debet præcisivè quoad unionem, non cum illius negatione, sic enim non posset eam pro illo instanti mereri, cùm quod est positivè pro aliquo signo rationis in instanti reali, necessariò permanere debeat toto instanti: at è contra potentia proxima peccandi dicit positivè negationem unionis, sicut habens quis prædeterminationem physicam ad benè operandum, non potest illam demereri, quia ad potentiam demerendi proximam requiritur ut concipiatur voluntas cum negatione ejusmodi prædeterminationis, sicque illius negatio simul esset prior & posterior actu peccati; prior, quia præconcipi debet ad actus illius peccaminosi positionem; posterior, quia est illius effectus, quod implicat.

VII. *Data est inter sanctitatem & immortalitatem disparitas quoad effectus formales.*

Objicitur septimò: Ad hoc ut humanitas sit mortalis non requiritur ut habeat negationem summæ immortalitatis, ergo nec ut sit peccabilis quod habeat negationem summæ sanctitatis. Respondeo primò distinguendo antecedens: Non est necessarium ut habeat negationem summæ immortalitatis quomodocumque communicatæ, concedo antecedens; formaliter communicatæ, nego: Sanctitas autem formaliter communicatur, non immortalitas, quia ex vi unionis præcisè datur humanitati complementum substantiale, nempe subsistentia; eo ipso autem quòd ei tribuatur subsistentia divina, fit persona non extranea à Deo, & consequenter filius naturalis Dei; ipso facto autem quòd quis sit filius naturalis Dei, est objectum congruum divinæ dilectionis, & consequenter sanctus: immortalitas verò, & quicquid præter sanctitatem est in Verbo, non communicatur humanitati formaliter ex vi unionis, sed tantùm materialiter, optimè enim intelligitur effectus formalis unionis hypostaticæ absque eo quòd intelligatur ullus alius effectus à sanctitate & subsistentiâ distinctus, implicat verò contradictionem intelligere subsistentem in naturâ divinâ, & non intelligere sanctum, & filium naturalem Dei.

VIII. *Quo sensu totum formaliter quod est in Verbo cõmunicetur humanitati ex vi unionis.*

Urgebis: Communicatur humanitati ex vi unionis totum formaliter quod est in Verbo, ergo & immortalitas. Distinguo antecedens: Communicatur totum formaliter quod est in Verbo, si formaliter appellet super *est in Verbo*, concedo antecedens, si super *communicatur*, nego, nam licèt totum quod est formaliter in Verbo communicetur, non tamen communicatur formaliter ex vi unionis, nam totus effectus unionis intelligitur optimè sine illis aliis effectibus, non tamen sine effectu sanctitatis, ut ostensum est. Et hæc solutio applicari potest ad omnia alia attributa, quorum effectus formalis humanitati ex vi unionis non communicatur.

IX. *Fuerint in Christo admiratio.*

Quæres: Utrùm in Christo fuerit admiratio? Oritur admiratio ex apprehensione rei magnæ & inusitatæ, ita tamen ut novo aliquo modo cognoscatur, quâ de causâ in Deo admiratio esse non potest. Sanctus Thomas ergo quæst. 15. art. 8. docet in Christum ratione scientiæ experimentalis admirationem cadere potuisse, ad hunc enim effectum sufficit nova aliqua cognitio illius rei, quam quis ante per aliam noverat, quod Christo contingere potuit. Unde Matthæi 8. cùm audisset Christus verba Centurionis subdit Evangelista: *Et miratus est* IESVS, quem locum eodem modo interpretatur Sanctus Augustinus. Ulteriùs hoc idem probatur ex generali illâ regulâ, nempe verba Scripturæ sacræ quando commodè possunt, propriè esse intelligenda, & facta Christi non fictè, sed verè interpretanda.



DISPVTATIO QUINQUAGESIMA QUINTA.

De libertate Christi.

EX sancto Thoma hìc, quæstione 20. art. 1. Corpore notandum, præter generalem illam subjectionem, quam res omnes creatæ habent respectu potestatis divinæ eo ipso quòd creaturæ sint; præter hanc, inquam, subjectionem peculiariter creaturam rationalem subesse Deo, ut præcipienti, & consequenter præceptorum capacem esse ipso facto quòd creatura rationalis sit. Vnde anima Christi, & præceptorum capax fuit, & mandata sibi imposita habuit, non naturalia solùm, ut non mentiendi, & similia, sed etiam positiva, faciendi scilicet hoc vel illud, quod alioqui facere non tenebatur: Quare, de se ait Christus Ioannis c. 14. v. 31. dum ad mortem pergeret, Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; *& Apostolus ad Philip. 2.* Factus obediens usque ad mortem: *Quæ Scripturæ loca, etsi nonnulli ex Græcis Patribus explicent de mandato latè sumpto, sicut humanitatis causâ amicis dicimus ipsorum voluntatem nobis esse mandatum, communiter tamen supponitur Christum à Patre verum mandatum habuisse, saltem moriendi ob redemptionem generis humani: unde Ioan. 10. ait idem Christus,* hoc mandatum accepi à Patre meo, *nempè ut animam poneret pro salute hominum. Solum ergo hic explicandum restat qua ratione cum præcepto moriendi stare potuit in Christo libertas ad non moriendum, quæ tamen ad meritum videtur necessaria, si namque ad moriendum fuisset planè necessitatus, nullum ex substantiâ mortis ejus provenisset meritum.*

SECTIO PRIMA.

Quo pacto cum impotentia ad peccandum stet in Christo libertas.

I. *Primus procedendi modus de sensu composito & diviso præcepti.*

DIMITTO hac in re modum procedendi Thomistarum, qui dicunt Christum in sensu quidem composito præcepti non esse liberum, sic tamen in sensu diviso, sensus autem compositus, inquiunt, est solum necessitas secundùm quid. Sed hoc non solvit difficultatem; quicquid enim necessariò connexum cum impletione præcepti ponitur antecedenter ad illud, tollit indifferentiam ad illius executionem, ergo si præceptum positum necessitet, tollit libertatem simpliciter, eâdem quippe ratione probaretur amorem in patriâ esse liberum, cùm in sensu diviso visionis non necessitetur anima ad amandum Deum.

II. *Alii libertatem Christi eò reducunt, quòd mortis acceptationē potuerit purè omittere.*

Secundò itaque dicunt nonnulli liberè Christum impleviſſe præceptum mortis, quia ita mortem de facto acceptavit, ut potuerit illius acceptationem purè omittere, non tamen per actum positivum: & si inferas, ergo potuit peccare, negant

negant consequentiam, ad peccatum enim, inquiunt, requiritur ut sit voluntarium & liberum, quod sine positivo volnntatis actu, à quo denominationem voluntarii formaliter accipiat, fieri non posse asserunt.

III. *Sed contrà, si namque admittatur pura omissio mortis libera, erit peccaminosa.* Hæc solutio ab omnibus rejicitur, quia dato possibilem esse puram omissionem, ægrè quis negaverit eam esse liberam, ut patet in libertate contradictionis, si verò sit libera, erit peccatum. Secundò: si pura omissio sit possibilis, frequenter contingit, quare si dari possit non libera, posset quis attendendo ad rem præceptam, ad quam habet libertatem sufficientem ut eam præstet, omittere tamen sine culpâ; unde quoties quis peccat contra præceptum positivum, confiteri deberet peccatum illud ut dubium. Contra tertiò: Nam secundùm hunc modum non videtur posse Christum obligari ex præcepto ad mortem subeundam, cùm sine culpâ possit illam omittere.

IV. *Dicunt alii, quamvis Christus non potuerit non mori, posito præcepto, exigebat tamen, inquiunt, auxilia libera.* Tertiò: Suarez hîc, disp. 37. sect. 3. quem sequuntur Albertinus principio 5. corol. 3. dub. 1. & ex parte Tannerus hîc, quæst. 6. dub. 4. ait etsi Christus posito præcepto non potuerit non mori, liberè tamen, inquit, est mortuus, quia ex vi unionis exigebat auxilia, efficacia quidem, sed libera, per quæ impleturus esset certissimò præceptum, ita tamen ut ad illius impletionem non necessitaretur, cùm principium immediatum & intrinsecum operis, per quod implebat præceptum, esset indifferens, omnis autem alia determinatio est extrinseca, & consequenter non necessitans simpliciter.

V. *Contra tamen hos fuit, Christus namque necessitatus fuit ad non peccandum, sed non implere præceptum est peccatum, ergo.* Sed contra primò: Non implere præceptum est peccatum, sed Christus non potuit committere peccatum, ergo non potuit non implere præceptum, ergo erat necessitatus ad illius impletionem, necessitas autem quævis, sive ab extrinseco sit, sive ab intrinseco, tollit libertatem, cùm determinatio ad unum undecunque proveniat, stare nequeat cum indifferentiâ ad operandum & non operandum: cùm ergo hæc determinatio sit antecedens, tollit libertatem: sicut si Deus non præberet concursum in actu primo tolloretur libertas, licèt concursus Dei sit quid extrinsecum.

VI. *Non refert subsistentiam non concurrere ad operationes effectivè.* Dices: Concursus Dei, quamvis sit quid extrinsecum, spectat tamen ad causam efficientem, subsistentia verò non concurrit ad operationes effectivè, & consequenter minùs spectat ad illarum libertatem. Contra: Quævis namque conditio antecedens actionem & determinans ad unum æquè tollit indifferentiam potentiæ ad utramque partem contradictionis, ac quodvis principium influens, sicut communiter dicitur cognitio non influere in actum voluntatis, sed solùm esse conditio respectu illius, & tamen visio beata æquè necessitat ad amorem, ac prædeterminatio physica ad quemvis actum in viâ.

VII. *Ex illâ sententiâ sequitur, quamvis Christus de facto non peccaverit, potuisse tamen peccare.* Secundò: Impugnatur hæc sententia ostendendo non posse Deum præbere auxilium indifferens, si namque concursus, quem offert Christo Deus, sit indifferens, ergo est talis ut possit non habere effectum, ergo illo stante potest Christus simpliciter non implere præceptum, ergo peccare, ergo licèt de facto nunquam esset peccaturus Christus, cùm auxilium hoc sit efficax, posset tamen peccare, cùm relinquatur in ejus voluntate indifferentia ad utramque partem contradictionis: licèt ergo hoc numero auxilium, quod habuit Christus fuerit secundùm se indifferens in sensu diviso præcepti, & unionis hypostaticæ, in his tamen circumstantiis non relinquit potentiam indifferentem ad utramque partem contradictionis, cùm altera pars sit peccatum.

VIII. *Dicunt alii, præceptum esse tantùm quid consequens ad acceptationem mortis in Christo.* Quartò alii dicunt propterea Christum liberè esse mortuum, quia præceptum, inquiunt, est solùm quid consequens, vidit enim Deus antecedenter ad præceptum, quo se esset inclinatura voluntas humana Christi, ex quâ præscientiâ præcepit ipsi susceptionem mortis, quam conditionatè vidit fore ut liberè amplecteretur. Sed contra: Vel vidit Deus quid esset factura anima Christi, etiam posito præcepto, vel non, si secundum, ergo non facit ad præsentem quæstionem, hîc enim quærimus de actu obedientiæ, quo implevit præceptum, & consequenter debebat videri actus ut vestitus omnibus circumstantiis, ex quibus una est præceptum: Si verò primum, non potuit Deus videre Christum ita amplectentem mortem, ut potuerit nolle mori, cùm nolle mori esset peccatum, ut dictum est.

SECTIO SECUNDA.

Quid sentiendum circa libertatem Christi.

I. *Per præceptorum naturalium observationem meruit Christus.* DIco primò: Christus per observationem præceptorum naturalium non mentiendi verbi gratia, &c. à quibus eximi non potuit, verè meruit: ita omnes communiter. Ratio est, quia esto Christus mentiri non potuit, potuit tamen actu magis vel minùs intenso, ex hoc vel illo motivo, quæ non solùm est libertas merè physica, sicut cùm quis ex duobus individuis æqualibus alterum eligit, sed etiam in genere moris, & laude ac æstimatione digna Actus verò ille positivus, quo Christus implevit præceptum naturale negativum, fuit omnino liber, etiam quoad totam speciem actus, sine ullâ omnino vel indeterminatâ necessitate. Ratio est, quia potuit Christus simpliciter per puram omissionem satisfacere huic præcepto, ergo actus positivus ad hoc non erat illo modo necessarius.

II. *Christus non fuit liber ad implendù & non implendum præceptum mortis.* Dico secundò: Christus non fuit liber ad implendum & non implendum præceptum mortis. Ratio videtur clara, quia non impletio præcepti est peccatum, sed Christus non est liber ad peccatum, ergo.

III. *Liber fuit Christus ad mortis circumstantias.* Dico tertiò: Quamvis Christus non potuisset absolutè nolle mori, liber tamen fuit quoad mortis circumstantias: ita Valentia hîc, quæst. 19. punct. 2. Vasquez disp. 74. cap. 5. Lessius de Prædestinatione Christi, sect. 3. Suarez sect. 4. estque communis inter recentiores. Ratio est, quia esto habuerit Christus præceptum, etiam absolutum moriendi, non tamen erant determinatæ omnes mortis circumstantiæ, sed poterat Christus hoc vel illo tempore & loco, ex hoc vel illo motivo, &c. mortem amplecti, ergo quantumcumque fuerit Christo necessaria mors, circumstantiæ tamen erant Christo liberæ.

IV. *Libertas ex circumstantiis non est physica tantùm, sed moralis.* Hæc ergo libertas sufficit ad meritum, estque libertas non merè physica, sed etiam in genere moris: nec est paritas in eo quod communiter objicitur, si quis adjudicatus sit morti, vel carceri, parum referre quod eligat in hac vel illâ cruce mori, seu quòd in hoc vel illo carceris angulo se locet; esto enim hoc exiguum sit in æstimatione morali, pati tamen talia vel talia tor-

menta, mori in loco celebri vel obscuro, unde major oriatur mortis ignominia, ex hoc vel illo motivo mortem acceptare, sine dubio sunt circumstantiæ multum ad æstimationem moralem mortis facientes. Si tamen fuissent determinatæ omnes omninò circumstantiæ specie diversæ, & solùm relictum fuisset liberum Christo hoc vel illo actu, numero tantùm distincto mortem amplecti, licèt quidem tunc sit libertas physica respectu horum actuum, cùm nullus in particulari à Christo exigatur, nulla tamen esset libertas in genere moris, cùm hoc vel illo actu ejusdem omninò rationis mortem amplecti, quoad æstimationem moralem parum habeat momenti.

V. *Certum videtur omnes mortis circumstantias non fuisse Christo præceptas.* Quòd verò non fuerint in particulari præceptæ omnes circumstantiæ mortis Christi, videtur certum, nam ut optimè ostendit Vasquez cap. 4. & 5. non videtur probabile æternum Patrem singula sigillatim præcepisse, nempe motivum, intentionem actus, diem, locum, &c. tum quia ut hoc non fieret exigere videtur dignitas Christi, tum quia in nullo alio præcepto hæc omnia definire solet Deus, ergo nec in hoc præcepto verisimile est eum id fecisse.

VI. *Ipsa etiam mortis substantia fuit Christo libera.* Dico quartò: Non circumstantiæ tantùm, sed ipsa mortis substantia erat Christo libera. Hanc conclusionem probat Sanctus Thomas in catenâ ex Sancto Chrysostomo super verba illa Matth. 26. vers. 53. *An putas quia non possum rogare Patrem*, &c. ubi ostendit Christus se mortem voluntariè suscepisse, quo etiam sensu dicit idem Christus Joan 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi a Patre:* quod etiam probat illud Isaiæ 53. vers. 7. *Oblatus est quia ipse voluit:* quæ omnia liberam aliquo saltem modo fuisse Christo mortem clarè ostendunt.

VII. *Primus modus defendendi Christi libertatem est, fuisse ipsi impositum, præceptum mortis dependenter ab illius acceptatione.* Variis hoc modo declarari potest: primò, si dicamus cum doctis quibusdam recentioribus fuisse impositum præceptum mortis dependenter ab illius acceptatione, quòd expresè affirmant Sanctus Chrysostomus, & Sanctus Anselmus, datam scilicet fuisse Christo primo conceptionis instanti optionem vitæ passibilis vel impassibilis, & dependenter ab electione vitæ passibilis fuisse Christo impositum præceptum moriendi pro salute hominum, probántque ex illo ad Hebræos cap. 12. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ:* & Psalmo 39. ubi sic inducitur loquens Christus æterno Patri: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, quem locum alii legunt, *aures autem perforasti mihi*, dicúntque allusionem fieri ad consuetudinem Judæorum, ut notat Salmeron, & alii, apud quos in more erat, ut servo post septennium daretur optio libertatis, quam si renuebat, perforabantur illi aures, & perpetuò servus manebat: sic cùm Christus corpus mortale elegisset, recusatâ impassibilitate, præceptum crucis subeundæ ei imponebatur, & mancipii instar ad ignominiosam mortem ductus est, quam tamen si voluisset, effugere potuisset eligendo impassibilitatem, sicque liberè passus est, & mortuus, dependenter scilicet à primâ illâ electione, per quam elegit mortem, cùm tunc potuerit eam non eligere.

VIII. *Objic. Hinc sequi totum negotium nostræ redemptionis reduci ad voluntatem humanam Christi.* Dices cum Patre Suarez, secundùm hunc modum defendendi libertatem Christi, reducitur totum redemptionis humanæ negotium in voluntatem humanam Christi, cùm penes ipsam fuerit mandatum accipere vel non, hoc autem inconveniens videtur, cùm redemptio hominum fuerit præcipuum opus Dei. Respondeo distinguendo antecedens reducitur hominum redemptio in voluntatem humanam Christi secundùm se: nego antecedens, in voluntatem humanam Christi ut præventam auxilio efficaci & scientiâ conditionatâ quid esset facturus Christus; si hoc illius potestati permitteretur, concedo, in hoc autem nihil incommodi, cùm hoc modo Christo tanquam Redemptori bona quæ habemus omnia debeamus, & nihilominus singularissimum esse opus Dei agnoscamus, qui ita Christi voluntatem prævenerit, ut hoc vellet.

IX. *Volunt alii, ideo mortem Christo fuisse liberam, quia præceptum moriendi ei impositum fuit dependenter à conditione ab ipso Christo aliquo modo ponenda.* Secundus modus, quo defendi posset ipsam mortis substantiam fuisse Christo liberam, est, ut dicamus impositum ipsi fuisse præceptum dependenter à conditione, vel ab ipso Christo ponendâ, vel poni permittendâ. Quando itaque impositum fuit Christo præceptum moriendi, non ita injunctum ei fuit mori, ut deberet curare se interficiendum, sed casu quo à Judæis mors ei inferretur, quod inter alios docet S. Anselmus, libro, *Cur Deus homo*, cap. 8. Non videtur, inquit, Christo nudè præcepta mors, sed ut justitiam indeclinabiliter sectando, verbo & exemplo doceret homines mortem, si ob hæc inferretur, pro eorumdem salute perferret: in Christi autem potestate fuit quo minùs hoc ipsi vellent, utpotè qui in manu suâ eorum corda haberet, cùm collatio omnis auxilii & cognitionis à Christo penderet, unde eorum voluntates ad quidlibet potuisset inflectere, & efficere ut de morte ipsi inferendâ nunquam cogitarent, sed potiùs summo ipsum honore prosequerentur.

X. *Neuter ex his modis ostendit mortem fuisse Christo liberâ quoad substantiam immediatè.* Hic uterque modus probabilis est, non tamen ostendit fuisse impletionem præcepti moriendi Christo liberam quoad substantiam immediatè, sed solùm mediatè, nempe primam illius acceptationem, aut conditionis positionem, positâ autem conditione & acceptatione, necessitabatur Christus ad mortem subeundam, unde mortuus est immediatè ex necessitate, & ad summum dici potest fuisse Christo liberas illius circumstantias juxta tertiam conclusionem.

XI. *Tertius modus libertatem Christi declarandi est, ideo eum mortuum esse liberè, quia potuisset petere & obtinere dispensationem.* Tertius itaque quorumdam recentiorum dicendi modus, quem referunt Suarez, & Vasquez, est, propterea fuisse Christo liberam ipsam mortis substantiam, quia potuit petere præcepti illius dispensationem, quam si petiisset, fuisset ipsi concessum non mori. Cùm ergo in Christi potestate fuerit dispensationem hanc petere, utpote penes quem stabat quòd eam non petierit, penes ipsum etiam fuit, quòd sit mortuus, sicque liber fuit ad moriendum & non moriendum. Hoc probant loca illa Scripturæ supra in conclusione quartâ allata ad ostendendum mortem Christo fuisse liberam.

XII. *Objic. Neque hanc procedendi viam ostendere fuisse Christo immediatè liberum non mori.* Dices primò: Nec secundùm hunc modum fuisse immediatè liberum Christo non mori. Responderi communiter solet negando antecedens, sed semper poterat immediatè nolle mori, sicut si sciret quis superiorem, ipsum liberaturum à recitatione Officii exempli gratia, si petat dispensationem, potest hic absolutè & immediatè dicere, nolo recitare Officium, licèt semper cum relatione ad dispensationis petitionem.

XIII. *Objic. Hoc præceptum nec potuit* Dices secundò: Vel præceptum mortis Christo ab æterno Patre impositum, erat absolutum, vel conditionatum; si secundum, ergo non egebat dispensatione; si primum, tolli non potuit, cùm

ssse conditionatum, nec absolutum.

cùm efficaci Dei voluntati nihil sit quod resistat, ergo. Respondeo omne præceptum positivum esse aliquo modo conditionatum, unde hoc etiam præceptum non fuit omnino absolutum, sed casu quo Christus dispensationem non peteret, non est autem cur hoc modo imponi præceptum à Deo nequeat, cum frequens hic sit præceptorum modus. Nec urget id quod objicit Vasquez, Christum in horto dispensationem hujus præcepti petiisse, quam tamen non obtinuit; Christus enim non omnino efficaciter id petebat, sed solùm ostendere volebat mortem sibi secundùm naturam humanam fuisse disconvenientem.

XIV. *Quid si Christus ad ultimum vitæ instans pervenisset.*

Hinc infero: Etsi ponamus Christum ad ultimum instans præfixi sibi ab æterno Patre vitæ temporis perveniisse, potuisse tamen ipsum etiam in illo nolle mori, cùm sciret quocumque instanti dispensationem petiisset, se illam fuisse certissimò obtenturum. Et licèt sciverit Christus mortem suam fuisse à Deo præfinitam, hanc tamen præfinitionem sciebat esse solùm consequentem, sicque dependere à liberâ ipsius acceptatione, & hoc pacto nihil obstabat illius libertati, cùm cognitio illa in mortis acceptationem non influeret.

XV. *Hic modus defendendi Christi libertatem videtur ex omnibus præcedentibus aptissimus.*

Hic modus ex omnibus videtur aptissimus ad salvandum quo pacto præcepti impletio, etiam quoad substantiam, fuerit Christo libera, unde licèt ita impositum fuisset præceptum ut omnes circumstantiæ fuissent determinatæ, adhuc fuisset libera mors Christo quoad substantiam, cùm etiam tunc petere & obtinere potuisset dispensationem.

XVI. *Objic. Christum ex lege naturali charitatis necessitatum fuisse ad moriendum pro humano genere.*

Dices tertiò: Ex alio capite videtur Christo fuisse necessariam mortem, quoad substantiam; ad hanc enim obligabatur præcepto naturali charitatis, cùm mortem suam ad salutem hominum videret esse necessariam, unde videtur debuisse Christum necessariò pati dispendium naturalis vitæ post breve tempus recuperandæ, ob tantum universi humani generis commodum. Respondetur, alias fuisse vias homines redimendi, nec fuisse ex se necessariam mortem Christi; potuisset enim Christus quavis actione hoc præstare, nec si ponamus eum habuisse ejusmodi obligationem ex charitate, tenebatur ad plus præstandum quàm ad satisfactionem condignam exhibendam, si autem Pater eam noluisset accipere non stabat per Christum.

XVII. *Potuit Christus quovis vitæ instanti, viâ intentionis dicere, Nolo mori.*

Hunc respondendi modum eò plenius proposui, quòd eum valde probabilem judicem. Secundùm hanc ergo responsionem existimo potuisse Christum quovis vitæ instanti viâ intentionis, seu intendendo petere dispensationem, dicere: *Nolo mori.* Potuisset etiam quovis instanti liberè dicere: *Volo mori*, imò & liberè etiam dicere: *Volo mori ex obedientiâ*, nunquam tamen dicere potuit: *Volo mori ex obedientiâ liberè*, ad moriendum siquidem ex obedientiâ debebat stare præceptum, hoc autem stante, non fuit liberum Christo, quantumcumque illud primo instanti liberè admiserit, non mori; hoc quippe fuisset refragari præcepto, & consequenter peccare.

XVIII. *Res hæc exemplo Theologico declaratur.*

Res hæc declaratur exemplo: Ponamus Deum hoc pactum facere cum Petro, eo instanti, quo elicueris actum humilitatis, dabo tibi prædeterminationem physicam ad actum charitatis (in sententiâ dicente prædeterminationem physicam tollere libertatem, de quâ re nihil affirmo) in hoc casu Petrus est liber ad habendam prædeterminationem physicam, eâ tamen positâ non est liber ad non eliciendum actum charitatis, nulla autem physica prædeterminatio magis quemquam necessitat ad actum aliquem eliciendum, quàm præceptum moriendi necessitat Christum ad moriendum, nec ad hoc est liber formaliter & immediatè, sed radicaliter tantùm & remotè, quatenus nimirum potuit non acceptare præceptum, illiúsque continuationem, ut de actu charitatis proximè dictum est. Hic tamen respondendi modus sufficienter ostendit ipsam mortis substantiam fuisse, saltem mediatè, Christo liberam, cùm potuerit causam mortis, nempe præceptum, tollere.

SECTIO TERTIA.

Alius modus quo procedunt nonnulli ut salvent libertatem Christi in morte subeundâ.

I. *Negant aliqui Christum habuisse propriè præceptum moriendi.*

ALIAM quorundam video circa libertatem Christi in moriendo procedendi viam: dicunt itaque Christum non habuisse propriè & rigorosè præceptum moriendi, quodque sub ullo omnino peccato obligabat, sed impropriè tantùm, quatenus scilicet præceptum significat ordinationem & directionem superioris sub nullo, no veniali quidem peccato per illam obligantis, quales in variis regionibus sunt regulæ, quas religiosi servando veram exercent obedientiam, cùm per eas voluntas superioris iis intimetur, ipsique obsequendo, ei se subjiciant & obtemperent. Hunc modum defendendi libertatem Christi in præcepto moriendi tradit & fusè explicat Lorca hîc, quæst. 19. disp. 63. plurésque alios pro eâdem citat, ut Paludanum in 3. dist. 12. quæst. 2. art. 3. Dionysium Carthusianum in 3. quæst. 3. art. 2. & alios: in quâ etiam sententiâ videtur esse S. Chrysostomus Homiliâ 28. in Epistolam ad Hebræos, S. etiam Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Joannem cap. 7. vel alter non exiguæ auctoritatis, si liber ille non sit S. Cyrilli. Nec ab hac opinione alieni videntur alii Patres. Hanc insuper sententiam ex antiquioribus Theologis tenet Victoria, eámque fusè defendit. Hunc proinde libertatem Christi in moriendo explicandi modum non improbabilem judicat Cardinalis de Lugo hîc, disp. 26. sect. 8. n. 100. & Arriaga hîc, disp. 42. sect. 2. num. 22. eam censet esse valde probabilem.

II. *In hac viâ defendendi libertatem Christi nihil est perfectationi obedientiæ contrarium.*

Quoad me nihil video cur, saltem quantum ad obedientiam, hâc viâ Christi in moriendo libertas defendi nequeat; nec enim in eâ quidquam apparet veræ & perfectæ obedientiæ repugnans: imò Sanctus Thomas de peculiari ratione obedientiæ loquens 2. 2. quæst. 104. a. 2. hoc genus obedientiæ ait esse perfectius, sic enim habet: *Voluntas superioris, quomodocunque innotescat, est quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia perfectior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellectâ.*

III. *Christo imposita fuisse præcepta, non semel testatur Scriptura.*

Cæterùm contraria sententia sacris literis multo est conformior, in quibus sæpe continetur præceptum Christo à Patre fuisse impositum; sic enim Joannis 10. vers. 18. dicit Christus: *Hoc mandatum accepi à Patre meo:* Joannis etiam 15. vers. 10. *Ego Patris mei præcepta servavi*, idémque in aliis Scripturæ locis frequenter expressis verbis continetur, unde non leve ex divino verbo

sumitur fundamentum asserendi Christo verum & proprium impositum fuisse præceptum.

IV. *Dices: in illis Scripturæ testimoniis nulla fit mentio præcepti moriendi.*

Dices: Hæc parum faciunt ad præsentem difficultatem, ex prædictis enim locis solùm habetur fuisse quidem Christo impositа quædam præcepta, nulla tamen in illis testimoniis fit mentio præcepti moriendi, de hoc autem in præsenti inquirimus, Utrùm nimirum ejusmodi ei mandatum dederit Pater, ut illius in moriendo libertas inde minueretur. Contra primò: Si enim de aliis rebus admittatur rigorosa præcepta fuisse Christo imposita, gratis omnino hoc negabitur de præcepto moriendi, cùm mors ejus maximi ex omnibus momenti fuerit, rerúmque à Christo gestarum, & nostræ redemptionis consummatio, quæque à Patre, dum illum in hunc mundum mitteret, præcipuè intendebatur. Contra secundò: Joannis namque 14. fine, illâ ipsâ nocte quâ captus est à Judæis, cùm jam iret ad passionem dixit: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc*, nempe ad passionem, ergo hoc erat mandatum illud, de quo ibi loquebatur. Cùm itaque vox *præceptum*, seu mandatum, ut observat Suarez libro 3. de Legibus, cap. 26. semper importet obligationem sub peccato, ex his Scripturæ locis satis clarè infertur Christum citra dispensationem non potuisse non profundere vitam pro humani generis redemptione. Præceptum insuper, nisi restringatur, accipi à Theologis solet pro vero & proprio præcepto, cùm ergo juxta regulam ab omnibus assignatam, Scriptura quando sine incommodo potest, intelligi debeat propriè, hîc autem nullum sit incommodum, non est cur ad improprium eam sensum quis detorqueat, sed dicendum, Christum proprium habuisse præceptum moriendi.

V. *Opinio de præcepto latè sumpto parum conducit ad salvandam Christi in moriendo libertatem.*

Adde: Etiamsi hujus sententiæ auctoribus concedamus non fuisse Christo impositum præceptum rigorosum, sed quale tantùm est in quibusdam religionibus, in quibus regulæ non obligant sub peccato, nihilominus est moralis quædam imperfectio regulas illas seu præcepta transgredi, Christus autem, quamvis imperfectiones quas appellant negativas, seu quæ merè in carentiâ majoris perfectionis sitæ sunt, habere possit, nec enim dubium videtur quin actus virtutum intensiores elicere potuerit, quàm de facto elicuit, imperfectionis tamen omnis moralis positivæ, qualis absque dubio in hujusmodi religioso esset non observare suas regulas, quantumvis non obligent sub ullo peccato, planè fuit incapax, ergo in hac sententiâ tam fuit Christus necessitatus ad moriendum, quàm in illâ, quæ asserit eum habuisse præceptum proprium & rigorosum moriendi, propter indecentiam scilicet in tali imperfectione morali repertam, ob quam indecentiam Christus hujusmodi imperfectionem habere nullâ ratione potuit.

VI. *Quid de quibusdam ex Græcis*

Verum quidem est nonnullos ex Græcis Patribus, & peculiariter S. Chrysostomum subinde insinuare Christum, verum & proprium præceptum sibi à Patre impositum non habuisse, sed improprium tantùm, supra, num. primo explicatum: Unde Homiliâ 7. in Epistolam ad Philippenses Christi obedientiam contra Arianos declarans, sic habet: *O insensati, & amentes! nam & amicis nos obedimus, & nihil nos hoc dejcit, ut Filius obedivit Patri, non in servilem conditionem decidens.* Idem affirmare videtur Theodoretus, Theophylactus, & alii. Respondetur: Cùm inter Græcos multi extiterint hæretici, Ariani præcipuè, qui Christi divinitatem impetebant, ejúsque suppositum, imò totum Filium creatum quiddam esse dictitabant, totos in eo fuisse Græcos Patres, ut Christi divinam naturam stabilirent, Filiúque etiam suppositum, in hoc mysterio Patri æquale fuisse ostenderent: Unde quicquid imperfectionem, vel per umbram saperet, à Christi supposito secundùm se spectato, cui præcepta, & id genus alia adscribebant hæretici, omni conatu amovebant, de humanâ tamen Christi naturâ, nihil hujusmodi negabant, quo sensu dicebat S. Chrysostomus Legislatorem non esse suæ legi subjectum, sicque Christum quà Deum non habuisse præceptum. *Patribus hoc in re dicendum.*

VII. *Non eo modo impositâ fuit præceptum Christo, quo aliis hominibus imponi præcepta solent.*

Secundò dici potest, solùm negasse hos Patres Christo impositum fuisse præceptum eo modo, seu cum illis circumstantiis, quibus imponi præcepta solent hominibus, ita nimirum ut invitos ligent, aut quasi Christus præceptis aut legibus indigeat, sicut alii homines iis indigent, & quoad vim, ut aiunt, legum coactivam; Christus siquidem ultro se divinæ voluntati obtulit, planéque spontaneè, promptissimóque animo in omnibus Patri obedivit, ac proinde ex nullâ necessitate, ut in nobis contingit, fuit ei impositum præceptum: & hoc sensu Sanctus Chrysostomus Homiliâ septimâ ad Philipp. seipsum declarat. Sanctus Augustinus tamen tractatu 82. in Joannem, & alii ex Latinis proprium à Patre impositum Christo fuisse præceptum affirmant.

VIII. *Parum refert affirmant aliqui non potuisse Christo imponi præceptum.*

Ex quibus à fortiori sequitur non esse admittendum quod docent nonnulli, Christo scilicet præceptum proprium non potuisse imponi. Hoc inquam, non est admittendum, tum quia Scriptura, ut vidimus, aut Christo de facto fuisse imposita præcepta, Scriptura autem, ubi nullum sequitur inconveniens, ut hîc non sequitur, in sensu proprio est accipienda. Deinde præceptis naturalibus, ut non mentiendi, non odio habendi Deum, & similibus absque omni dubio Christus tenebatur; quidni ergo teneri etiam potuit præceptis positivis. Tertiò, Christus fuit subjectus Patri, eique quoad naturam humanam inferior; ergo sub hac ratione capax fuit præcepti positivi sibi à Patre impositi: nec ulla in hoc apparet indecentia, magis quàm in subjectione & servitute; nullo ergo modo hoc de Christo videtur negandum, præsertim cùm hinc occasionem sumere potuerit ad varios virtutum actus in ordine ad humani generis redemptionem exercendos.

DISPV-

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEXTA.

De communicatione idiomatum ex mysterio Incarnationis ortâ.

COMMVNICATIO idiomatum aliud nihil est, quàm proprietatum seu attributorum, tam divinæ quàm humanæ naturæ mutua prædicatio, ut Deus est mortuus, hic homo creavit cœlos, *&c. Cujus ratio est, quia cum utraque natura in eandem personam convenerit, fit ut & divinæ naturæ proprietates de homine, & humanæ de Deo prædicentur.*

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa communicationem idiomatum discutiuntur.

I. *Communicationem idiomatum tollunt Nestoriani, & Eutichiani.*

NOTA hæc idiomatum communicatio in hac propositione fundatur, *Deus est homo*, unde hæretici qui eam negant, ut Nestoriani, omnem consequenter communicationem idiomatum tollunt: quam etiam tollunt Eutichiani; dum enim naturas confundunt, earum proprietates retinere non possunt.

II. *In oppositam hæresim inciderunt quidam moderni.*

His è diametro opponuntur hæretici quidam moderni, quos optimè impugnat Tannerus hîc, quæst. 6. dub. 1. asserunt itaque non in concreto solùm, seu de supposito, sed etiam in abstracto de ipsâ humanitate prædicari attributa Deitatis, ita ut humanitas Christi fuerit ubique ob conjunctionem ad Verbum, propterea Ubiquistæ dicti, imo addunt humanitatem per Incarnationem factam esse Deum, divinam Personam, Omnipotentem, &c. quæ & cum Scripturâ & naturali ratione apertè pugnant, cùm in Scripturâ Matth. c. 28. dicatur, *Surrexit, non est hic; nempe secundùm humanitatem, cùm vidisset turba quod* JESVS *non esset ibi*, Joan. 6. & alioqui sicut Deus secundùm divinitatem non potest transire de uno loco in alium, ita nec posset quoad humanitatem, si illa esset ubique, cujus tamen contrarium certum est, cum Christus de loco in locum transiverit, ut constat tum in totâ vitâ in terris transactâ, tum in ascensione in cœlum, unde iterum mundum judicaturus redibit. Quare de se dicit Christus, Joan. c. 16. *Relinquo mundum & vado ad Patrem.*

III. *Vana hæreticorum responsio, non esse hic idem esse ac non esse hic visibiliter.*

Respondent hæretici illas Scripturæ locutiones intelligendas esse de corporali, id est visibili præsentiâ; & idem est, inquiunt, non est hic atque non est hic visibiliter. Sed contrà, nam hoc modo destruuntur omnia mysteria Fidei: sic enim sequeretur Christum non verè, sed solùm secundùm apparentiam fuisse incarnatum in Virgine, nec verè ex illius utero per nativitatem fuisse egressum, sed apparenter tantùm, & tam verè adhuc ibi mansisse atque antea, item non fuisse verè ingressum ad Discipulos januis clausis, &c. imo falsum est posse simpliciter dici aliquid non esse hic, quia non est hic secundùm visibilem præsentiam; signatâ enim hostiâ consecratâ est falsum dicere Christum ibi non esse, quia non est ibi modo visibili.

IV. *Quo sensu dicant sancti Patres Christum fuisse ubique.*

Verùm quidem est familiarem esse loquendi modum sanctis Patribus, ut dicant Christum esse ubique, per communicationem scilicet idiomatum, quia Verbum est ubique, quo etiam modo loquitur Divus Thomas in tertio, Dist. 22. art. 2. ad hoc tamen non est necessarium ut humanitas sit ubique, sicut nec ut fuerit ab æterno, ut Christus dicatur æternus, sed sufficit quod Persona ipsa divina fuerit ab æterno, & sit ubique, sicut sufficit ad hoc ut Christus & hic homo dicatur creasse cœlos. Hanc autem propositionem, *Christus ubique est homo*, non admittit S. Thomas, licèt Persona sit ubique, quia hæc prædicatio ex usu & modo importandi cadere videtur super humanitatem, sicut si paries in duobus locis constitutus, in altero tantùm haberet albedinem, non posset dici hic paries ubicunque est, est albus, nec anima ubicunque est informat caput.

V. *Christus secundùm corpus verè fuit motus localiter.*

Verè igitur Christus secundùm humanitatem fuit loco circumscriptus, ut definitur in sextâ Synodo, actione 11. & consequenter secundùm corpus verè fuit localiter motus, ut definitur in eâdem Synodo, idque sine ullâ mutatione in Verbo. Quòd si quis arguat, non apparere quo modo humanitas cùm sit substantialiter Verbo unita

moveri

moveri potuerit non moto Verbo. Respondetur, cùm Verbum sit ubique, hoc non difficulter intelligi, unde humanitas cùm sit limitata, mutare locum potest, Verbum non potest nec adæquatè, nec inadæquatè, cùm necessariò semper sit in immensum diffusum.

VI. *Declaratur quo pacto moveri potuerit humanitas, Verbo quoad locum non mutato.*

Quòd vero moveri possit humanitas, Verbo non mutato secundùm locum, non obstante unione illâ substantiali, patet in corpore respectu animæ; si enim una pars corporis informata anima cum altera penetraretur, & sic moveret se ad aliam partem corporis per penetrationem, anima non moveretur, sicut nec corpus Christi, si hostia consecrata moveretur perfectè circulariter. Utrùm autem per communicationem idiomatum dici possit motâ loco humanitate, moveri & mutari Verbum, aliqui concedunt, sicut & Verbum dicitur mori, ambulasse, ascendisse, &c. aliqui tamen simpliciter hoc nolunt concedere, cùm non usurpetur modus ille loquendi à Patribus, sicque simpliciter nunquam admitti volunt hanc propositionem Verbum est mutatum, quia sonat mutatum esse in se, sed ad summum mutatum esse per communicationem idiomatum.

VII. *Proprietates unius naturæ non prædicantur de aliâ in abstracto sumptâ.*

Sicut ergo, quia hæc propositio est vera *Deus est homo*, proprietates hominis in concreto enuntiantur de Deo, & vicissim proprietates Dei de homine: ita quia hæc est falsa, *Deitas est humanitas*, non possunt attributa & proprietates unius naturæ prædicari de aliâ in abstracto sumptâ; sic enim esset confusio naturarum: unde Divinitas prout hoc nomine importatur non est homo, passibilis, mortua, &c. sicut hæc propositio etiam in Divinis censetur falsa & hæretica, *Deitas generat*; hæc enim & similes propositiones innuunt sensum formalem, & ista omnia competere Divinitati secundùm se, & non in sensu solùm identico. Licèt verò hæc propositio, *Deitas est incarnata*, usurpetur à Patribus, non tamen hæc, *Deitas facta est homo*; sensus enim illius propositionis solùm est Divinitatem unitam esse humanitati, non tamen quicquid unitur humanitati fit homo, si formaliter loquamur, sed illud solùm quod unitur per modum suppositi.

VIII. *Ad prædicationes his de rebus rectè faciendas advertendus est communis verborum sensus.*

In his ergo & similibus propositionibus, cùm controversia præcipuè sit de modo loquendi, semper advertendum quid juxta communem usum verba importent: unde generatim loquendo omnes hujusmodi prædicationes in abstracto censentur falsæ, *Christus, seu hic homo est Deitas*, quamvis in sensu materiali sit vera, cùm hic homo sit Persona Divina, & Persona Divina realiter identificetur cum Deitate, quo etiam sensu veræ censentur hæ & similes propositiones, *Paternitas est essentia: intellectus est voluntas*; & similes, quæ tamen formaliter loquendo sunt falsæ.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam ad communicationem idiomatum spectantia.

I. *Hæ propositiones, Christus est humanitas, Christus est anima, Christus est caro, sunt falsæ.*

QUÆRES: Utrùm sicut hæc propositio est falsa *Christus est humanitas*, sive in sensu formali intelligatur, sive identifico, ita etiam hæc censeri debeat falsa *Christus est anima*, *Christus est caro*. Communiter dici solent hæ propositiones esse falsæ, quia sumuntur prædictæ voces in abstracto sicut humanitas, & in his standum est communi modo accipiendi hos & similes terminos, licèt fortasse in rigore, si aliter acciperentur, sicut accipi possent, non omnino alienæ essent à vero sensu.

II. *Propositiones notionales Patris aut Spiritus Sancti non prædicantur de Christo.*

Quicquid verò essentialiter convenit Deo, vel personaliter Verbo, prædicatur verè de Christo, non tamen propositiones notionales Patris aut Spiritus Sancti. Unde verum est Christum esse Deum, omnipotentem, ab æterno, &c. item æternaliter genitum, &c. quia scilicet hæc competunt Verbo: quia verò Verbum non est Pater vel Spiritus Sanctus, propterea nec Christus est Pater vel Spiritus Sanctus, nec quæ ipsorum propria sunt, enuntiari de illo cum veritate possunt. Priores verò propositiones, si addatur reduplicatio, sunt falsæ; ut hæc, Christus in quantum homo est æternus, immensus, æternaliter genitus, &c. quia in istis ex modo accipiendi reduplicatur humanitas, & significatur hæc Christo secundùm illam competere. Sicut è contra hæ sunt falsæ, *Christus ut Deus est, passus mortuus*, &c. In hac verò Christus ut homo est Deus, si reduplicetur suppositum, propositio est vera, communitor tamen particula *ut* reduplicat naturam & formam.

III. *Actiones omnes & passiones humanæ naturæ Christi, enunciari possunt de Deo.*

Hinc tandem infero, sicut quia Christus est Deus omnia quæ de Deo essentialiter dicuntur, competunt Christo, ita quia Deus est homo, essentialia prædicata & actiones ac passiones humanæ naturæ enunciari posse verè de Deo, ut *Deus redemit nos in sanguine suo*; *Deus ascendit in altum*; *Deus est mortalis*, &c.

IV. *Dici, inquit S. Thomas, non debet Christus est creatura, aut minor Patre, nisi addatur, secundùm humanam naturam.*

Nonnullæ tamen sunt propositiones, quæ licèt fortè verum sensum habere possint, simpliciter tamen admitti non vult S. Thomas sine aliquâ determinatione: unde has rejicit articulo 8. *Christus est creatura*; *Christus est minor Patre*, nisi addatur secundùm humanam naturam, quia sonare videtur hæresim Arianorum, cum hæreticis autem nec nomina debemus, inquit, habere communia. Alii tamen Patres hujusmodi propositiones usurpant, quare S. Leo Serm. 3. Pentecost. *Si homo*, inquit, *ad imaginem Dei factus, legem Dei servasset, creator hominum creatura non fieret*; quo etiam modo loquitur S. Augustinus, & alii.

V. *Quamvis admittenda sit hæc propositio, Christus est creatura, non tamen sequitur, Verbum est creatura.*

Dices: Christus est Verbum, si ergo Christus est creatura, Verbum erit creatura. Negatur sequela, mutatur namque suppositio; quando enim Christus dicitur creatura, non sumitur materialiter pro supposito, sed formaliter pro toto composito, & sit tacita reduplicatio supra naturam humanam, sicut cùm dicitur *album est quale*, *disgregat visum*, &c. talia enim sunt subjecta, qualia permittuntur à suis prædicatis, ut docent dialectici: quando autem dicitur Christus Verbum, aut Verbum creatura, subjectum sumitur pro solo supposito. Potest tamen, ut notat Suarez in Commentario ad articulum 8. Verbum eo modo dici creatura, quo dicitur homo; sicut enim propterea est homo, quia terminat naturam humanam, ita propterea dici poterit creatura, quia terminat naturam creatam, ut supra vidimus ex sancto Leone, & aliis Patribus: vox enim *creare*, ut notat sanctus Hieronymus, secundùm sensum in Scripturâ sacrâ usitatum, non significat semper simpliciter fieri quod non erat, sed quod erat fieri talo: simpliciter enim hæ & similes propositiones non sunt usurpandæ propter æquivocationem in iis latentem.

Quo sensu dici possit Verbum creatura.

VI. *Quid de hac propositione.*

Similiter quoad hanc propositionem, quam negat S. Thomas art. 9. *Christus, seu hic homo incepit*

Christus, seu hic homo incepit esse, non satis convenit inter Patres.

incepit esse, dicit S. Fulgentius lib. de Incarnatione cap. 10. Verbum incepit esse Christus, Verbum tamen mansit æternum, & caro in ipso sumpsit initium: ex quo constat quoad rei veritatem quid teneri in hac re possit, simpliciter tamen neganda est hæc propositio absolutè prolata, quia tunc solùm dicitur aliquid simpliciter incipere esse, quando præcipuum suum esse acquirit. Unde vera est hæc propositio, *Deus factus est homo*, hæc è contra habetur falsa, *Homo factus est Deus*, quia supponit, ex modo significandi hunc hominem priùs fuisse, quàm fuit Deus.

VII. *Christo, nec per communicationem idiomatum vera unquâ contradictoria possunt competere.*

Hinc solùm noto, quia opposita & contradictoria prædicata de Christo ratione hujus mysterii enunciantur, vera tamen contradictoria non posse, nec per communicationem idiomatum ipsi competere; nunquam enim idem affirmatur & negatur de eodem secundùm idem: unde quia hæc est vera *Christus fuit ab æterno*, contradictoria est falsa, *Christus non fuit ab æterno*, si autem intelligatur reduplicativè de Christo secundùm humanitatem, est vera, ut diximus, quia humanitas non fuit ab æterno. Hæc notanda sunt circa modum loquendi in hoc mysterio, qua in re nunquam nimis cauti esse possumus, nam ut ex sancto Hieronymo refert S. Thomas quæst. 16. art. 8. Corp. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis.*

VIII. *Quo pacto, Christus fuerit unus.*

Quoad unitatem Christi, de quâ S. Thomas quæst. 17. dicendum, simpliciter in Christo dari unum esse, non tamen omnino simplex, sed per unionem substantialem naturæ humanæ cum personâ Verbi. Quomodo autem humanitas Christi non existat per existentiam Verbi, ostensum est suprà, Disputatione quadragesimâ nonâ, sectione primâ.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

De voluntate & merito Christi.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ ad Christi voluntatem pertinent.

I. *Sintne in Christo duæ voluntates.*

PRIMUM, quod circa voluntatem Christi inquirit sanctus Thomas, est an in Christo fuerint duæ voluntates. Hac in re Apollinaris, qui negabat in Christo esse animam rationalem, negabat consequenter voluntatem in eo creatam. Monothelitæ obscuriùs loquebantur, ipsorum tamen hæresis in hoc sita erat, vel quòd concessâ naturâ humanâ in Christo negarent in eo voluntatem, vel quòd omnem illius tollerent operationem.

II. *Fide certum est duas in Christo fuisse voluntates.*

Dicendum nihilominus in Christo duas fuisse voluntates, humanam & divinam, seu duas naturas, ad operandum proportionato sibi modo expeditas. Conclusio est de Fide, & definita in 6. ac 7. Synodo: Item Lucæ 22. ait Christus, *Non mea voluntas sed tua fiat*; & alibi: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ratio est, quia voluntas & proprietates sequuntur naturam, non Personam, quare in divinis, licèt sint tres Personæ, una tantùm est voluntas; ergo è contra cum in Christo sint duæ naturæ, quamvis una tantùm sit Persona, erunt in eo duæ voluntates. Quod etiam fuerit voluntas humana in Christo, probatur, venit enim ut per merita sua nos a peccato eriperet, mereri autem nisi per voluntatem creatam non potuit. Quod etiam habuerit voluntatem, non solùm quoad potentiam proximè expeditam, sed etiam quoad actum & exercitium, probatur, quia meruit nobis Christus reconciliationem cum Deo, nósque verè redemit, factus obediens usque ad mortem, quod sine actibus humanæ voluntatis fieri nullo modo potuit. Nec obedientiam tantùm, sed omnium etiam aliarum virtutum operationes elicuit, iis exceptis quæ peculiarem cum ipso repugnantiam involvebant.

Voluntas naturam, non personam sequitur.

Meruit nobis Christus peccatorum remissionem, quod sine humanâ voluntate fieri non potuit.

III. *Vera in Christi animâ fuit tristitia.*

Vera etiam tristitia in anima Christi fuit, tum in horto, tum præcipuè in cruce, quam expressit illis verbis, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me.* Quo pacto verò stare hæc potuerit cùm gaudio beatifico, gravis multis Theologis visa est difficultas. Cano ut hoc fieret, dicit Christum impedivisse per intervalla gaudium beatificum, ut locum daret tristitiæ: quam tamen sententiam rejicit Suarez ut omnibus Theologis contrariam: & probatur ex loco illo Canticorum, c. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus*: quem locum de spineâ coronâ, & de die passionis intelligunt S. Gregorius Nissenus, Sanctus Bernardus, S. Thomas, & alii, qui diem passionis fuisse Christo verè diem lætitiæ affirmant.

Christus gaudium beatificum nunquam impedivit.

IV. *Varia incommoda ex sententiâ Cani dicentis Christum per intervalla intermisisse gaudium beatificum.*

Deinde, si hæc ratio Cani quidquam probet, probaret Christum per magnum vitæ spatium fuisse gaudio beatifico orbatum, cum totâ penè vitâ tristitiam senserit Christus ob hominum peccata. Præterea eodem modo asserere quis posset Christum non fuisse perfectè beatum quoad animam, sed ad aliquod etiam tempus intermisisse visionem beatificam, ut plus pateretur, cùm

cùm gaudium illud non sit minùs ex naturâ suâ perpetuum, quàm visio.

V. *Gaudium & tristitia circa diversum objectum non repugnant simul in eâdem animâ, saltem in ordine ad divinam potentiam.*

Dicendum itaque: Etsi assensus & dissensus, amor & odium, gaudium & tristitia circa idem non possint esse simul in eodem subjecto, cùm unus actus destruat formale objectum alterius, quando verò non sunt de eodem ut eodem, sicut hìc contingit, non multo majorem dicunt repugnantiam, saltem in ordine ad divinam potentiam, quàm calor & frigus in summo. Dolebat ergo Christus summè de peccatis, gaudebat verò de Deo viso, & summo illo fructu, quem ex passione suâ hominum generi proventurum videbat.

VI. *Objic. Gaudium & tristitiam de diversis objectis posse citra miraculum simul in eâdem animâ consistere.*

Dices: Nisi sint de eodem objecto nullum videtur miraculum ut simul conjungantur, etiam in gradu intenso, sicut in amore & odio, assensu & dissensu contingit. Respondeo negando antecedens, & quoad gaudium beatificum non videtur difficultas, cùm ex naturâ suâ constituat hominem in ultimo perfectionis statu, cui repugnat omnis tristitia, quare non potest eam secum in eâdem animâ sine miraculo compati. Imò idem videtur de omni gaudio intenso, quod experientiâ constat impedire tristitiam de quovis alio objecto, saltem in gradu intenso, quod videtur tribui diverso modo tendendi utrinsque, licèt propriè contraria non sint.

VII. *Quo pacto de morte suâ & tormentis gaudebat & dolebat Christus.*

Dices secundò: Etiam de eodem objecto habebat Christus summum gaudium & tristitiam, summè enim tristabatur de morte suâ & tormentis, de quibus tamen per visionem beatificam repræsentatis summè gaudebat. Respondetur: Etiamsi de morte suâ & tormentis doluerit simul & gavisus sit Christus, non tamen eodem modo; de iis ergo dolebat ut erant mala naturæ, gaudebat verò ut erant media ad hominum salutem conducentia, quam maximè desiderabat Christus. Deinde Pater Suarez ait non necessariò gaudere beatos de objecto quovis secundario, quod vident in Deo, quamvis necessariò gaudeant de Deo, sicut licèt necessariò ament Deum, non tamen necessariò amant proximum, & reliqua omnia, quæ in Deo intuentur.

SECTIO SECUNDA.

Alia nonnulla inquiruntur circa voluntatem Christi.

I. *Quoad actū efficacem certum est humanam & divinam Christi voluntatem maximè inter se fuisse semper concordes.*

Quæres: Utrùm humana Christi voluntas & divina semper fuerint inter se conformes, vel aliquando contrariæ. Quoad actum efficacem, communis est & certa omnium sententia semper fuisse inter se conformes, unde de se ait Christus: *Non quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me*, & de eodem Christo dicitur Psalmo 36. *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui.*

II. *Quid sentiendum de actibus inefficacibus humanæ voluntatis.*

Quoad actum inefficacem difficultas aliqua est ex eo quòd Christus in horto mortem aliquo modo per humanam voluntatem fugiebat, quam tamen divina voluntas efficacitor volebat ut subirer. Quoad hoc dico primò: Licèt Christus aliquo modo mortem fugerit, non fuisse tamen ipsius voluntatem contrariam divinæ, nec enim voluntati absolutæ mortis subeundæ opponitur voluntas conditionata eandem vitandi, ita Cardinalis de Lugo disp. 15. de Incarnatione n. 17. ubi hoc modo explicat hunc actum inefficacem Christi vitandi mortem, volo fugere mortem si Deus cum indifferentiâ exoratus annuere voluerit.

III. *Quamvis quoad objectum materiale aliquid nolebat humana Christi voluntas, quod divina volebat, non tamen erant discordes.*

Secundò tamen dico: Etiamsi quoad objectum materiale, aliquid vòlebat vel nolebat inefficaciter humana Christi voluntas, quod divina efficaciter volebat, ut constat ex illis verbis à Christo prolatis: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, simpliciter tamen etiam in hoc duæ illæ voluntates erant conformes: ita Suarez disp. 38. sect. 4. & communis Theologorum.

IV. *Actus ille, quo Christus mortem refugiebat ut malam naturæ, erat honestus.*

Ratio est: Quia actus ille, quo refugiebat Christus mortem inefficaciter ut malam naturæ, erat bonus & honestus, quem humana Christi voluntas non ex inconsideratione, & indeliberatè, sed cum plenâ deliberatione eliciebat, imò divina voluntas volebat ut humana actum illum eliceret, ergo non magis videtur ob hunc actum difformis humana voluntas divinæ, quàm divina sibi. Confirmatur: Per hunc actum humana voluntas implebat divinam, ergo non erat illi quoad eum difformis, imò non est necessarium dicere fugisse mortem humanam Christi voluntatem inefficaci illo actu ut præceptam, sed merè secundùm se, ut ostenderet infirmitatem naturæ humanæ, qui actus cùm esset bonus, & cum plenâ deliberatione elicitus, nullo modo displicebat Deo, nec retardabat à morte, prout erat præcepta, summâ promptitudine subeundâ.

V. *Virtùm humana Christi voluntas efficax semper fuerit impleta.*

Ultimò quæritur: An humana Christi voluntas semper fuerit impleta, & quæstio est de voluntate efficaci, nam inefficacem non semper impletam fuisse jam ostensum est. Ad hoc dicimus: Quicquid humana Christi voluntas absolutè & efficaciter voluit, semper fuisse perfectum. Ratio est primò: Christus enim nihil nisi prudentissimè voluit, & quod efficere se posse noverat, ergo illud solum efficaciter voluit, quod potuit ad effectum perducere. Deinde hoc idem ostenditur ex summâ potestate Christo ut homini collatâ, quam illius dignitas & perfectio exigebat. Tertiò: Quia planè frustraneè & otiosè quis aliquid efficaciter vel per se, vel per alios attentaret, quod novit non efficiendum, imò videtur hoc omnino impossibile. Quartò: Christus siquidem novit quicquid Deus in omnibus vult voluntate beneplaciti, ergo si aliquid vellet efficaciter quod non esset habiturum effectum, vellet aliquid efficaciter, quod sciret esse contrarium voluntati divinæ, quod licèt beatis fortè quoad aliqua saltem objecta & decreta, quæ non noverant, non repugnet, cùm Angeli sancti fuerint sibi in rebus bonis contrarii, Christo tamen, qui illa novit, repugnat. Unde Sanctus Augustinus in quæstionibus veteris & novi testamenti: *Impossibile est*, inquit, *ut Salvatoris voluntas non impleatur, nec debet velle, quod scit fieri non debere.*

VI. *Quomodo intelligēdus sit locus ille Marci 7. Voluit latere, & non potuit.*

Objici hìc solet locus ille Marci 7. ubi de Christo dicitur: *Domum ingressus voluit latere, & non potuit*, ergo aliquid volebat Christus per humanam voluntatem efficaciter, quod non fuit impletum. Respondeo, illam voluntatem non fuisse simpliciter efficacem, sed solùm secundùm quid, nempe volebat Christus quantum erat ex se latere, non tamen omnino absolutè, cùm sciret nunquam se illud affecuturum.

VII. *Objic. Agatho Papa dicere videtur voluntatem*

Urgebis: Agatho Papa in Epistolâ decretali relatâ in sextâ Synodo, ex his Scripturæ sacræ locis probat duas fuisse in Christo voluntates, quod scilicet aliquid voluerit, quod efficere non potuerit,

Christi efficacem non semper fuisse impletam.

potuerit, quod, inquit ille, de humanâ voluntate dici debet, & de actu efficaci ejusdem, cùm etiam divina voluntas quoad actus inefficaces effectum non sortiatur. Propter hoc Caietanus quæst. 13. art. 4. & Vasquez disp. 58. c. 2. aiunt hanc voluntatem Christi fuisse efficacem, & consequenter voluntatem ejus efficacem non semper fuisse impletam quoad ea, quæ erant per alios facienda.

VIII. *Ostenditur hoc Agathonis dictum non arguere efficacem humanæ Christi naturæ voluntatem aliquando cariisse effectu.*

Respondeo tamen, voluntatem illam non fuisse omninò efficacem: ad illud Agathonis dico, non inde præcisè Pontificem deducere argumentum, propterea fuisse in Christo humanam voluntatem, quia fuit aliqua voluntas, quæ non sortita est effectum, sed quæ non potuit sortiri, id est, quæ positis omnibus ex parte sui ad opus requisitis, adhuc non habuit vires ad illud efficiendum, præsertim si dependeat illud in executione ab aliis, in quos naturalem potestatem non habuit Christi voluntas. Hoc autem de divinâ voluntate dici non potest, utpote quæ ita in suâ potestate habet creaturas omnes, ut possit eas quocumque velit inflectere, & ad quævis munera uti pro libito. De Deo proinde nunquam dici potest non effecisse id quod volebat, & quòd illius voluntas in actu primo non potuit seu non habuit vires sufficientes, ex quo patet optimè probare Pontificem esse in Christo aliam voluntatem præter divinam.

IX. *Pontifex & Concilium tum ex verbis ipsis in horto prolatis, tum ex modo ea proferendi duas infert in Christo fuisse voluntates.*

Addo Synodum & Pontificem collegisse duas in Christo voluntates, tum ex modo, quo Christus verba illa in horto protulit, cum tristitiâ scilicet & timore, quorum affectuum non est capax voluntas divina; tum quòd oraverit verba proferendo: *Pater si possibile est*, &c. Oratio autem in divinam voluntatem cadere non potest: tandem ex verbis ipsis, dicit enim Christus: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, ubi apertè distinguuntur duæ voluntates.

SECTIO TERTIA.

Per quos actus meruerit Christus.

I. *Hæc tantùm quæstio restat circa meritum Christi discutienda.*

HÆc sola quæstio circa meritum Christi nobis discutienda restat, reliqua enim omnia ad illud spectantia tractavimus disputatione 47. præcipuè sectione tertiâ, in illâ enim disputatione fusè dictum est de merito Christi, declaratúmque quid sibi, quid nobis, quid antiquis Patribus, quid Matri meruerit: Hanc verò quæstionem in hunc locum distuli.

II. *De voluntate solùm humanâ loquimur, & ejus actibus.*

Sermo autem est de voluntate humanâ Christi, & actibus ab eâ elicitis, per increatam enim voluntatem nihil mereri potuisse certum apud omnes est, tum ob alias rationes, tum quia meritum est inferioris respectu superioris, Deus autem sibi inferior non est, nec una persona divina respectu alterius, præsertim cùm voluntas & operationes omnes liberæ, quæ ad meritum necessariò requiruntur, sint omnibus communes.

III. *Quæres: Vtrùm Christus meruerit per actus amoris Dei.*

Difficultas solùm est in præsenti: Utrùm meruerit Christus per actus amoris Dei, per aliarum enim virtutum operationes meruisse jam diximus, cùm nihil obstet nisi præceptum, quod tamen libertatem in Christo sufficientem ad meritum non sustulisse supra ostendimus.

IV. *Prima sententia est Christum per actus amoris Dei nihil meruisse.*

Pater Vasquez disp. 74. cap. 3. ait, Christum per actus amoris Dei nihil meruisse. Ratio ipsius est: Quia cùm libertas requiratur ad meritum, anima Christi, cùm à primo conceptionis instanti viderit Deum, non potuit eum non amare, consequenter per actus amoris non meruit.

per actus amoris Dei nihil meruisse.

Dicendum nihilominus cum Sancto Thoma hîc, quæst. 19. art. 3. Suarez disp. 39. sect. 2. Valentia quæst. 19. puncto 2 & aliis, meruisse Christum etiam per actus amoris Dei. Ratio est, primò, cùm enim Christus habuerit scientiam, non solùm beatam & intuitivam Dei, sed etiam abstractivam, utraque est apta ad fundandum amorem, ut enim diverso modo cognitiones tendunt in objectum, ita & potest ad ipsas sequi amor diversus, eadem enim diversitas objectiva, quæ relucet in cognitionibus, relucere etiam potest in actibus amoris ad eas consequentes, sicut namque quò plures videntur in Deo creaturæ, eò perfectiùs videtur Deus, & consequenter amatur, ita quando in modo cognoscendi est tanta diversitas, ut hîc contingit, magna esse debet diversitas in modo amandi. Confirmatur: Nam non videtur major ratio cur cognoscat Deum duplici cognitione, quàm quòd duplici amore eum amet.

V. *Probabilius tamen est Christum meruisse per actus amoris Dei.*

Dices: Posito quod Christi anima viderit Deum, non potuit eum non amare, ergo quod duobus actibus illum amet, cùm non necessitetur, nisi ad unum solùm, parum refert ad meritum. Respondeo negando consequentiam: Esto enim non tantùm conferat ad laudabilitatem & meritum, amare Deum hîc & nunc pluribus actibus dum necessariò quis illum debet amare, ac si nullam omninò ad hoc haberet necessitatem, non tamen est dubium, quin sicut laudem mereretur is, qui cùm amare debeat, amat intensiùs, quàm cogitur, ita & qui extensiùs, seu qui plures actus elicit.

VI. *Quamvis Christus per amorem ortum ex visione beatificâ non potuerit non amare Deum, alius tamen amor fuit omnino liber.*

Dicendum secundò, per actus etiam charitatis ortos ex visione beatificâ Christum meruisse. Aliqui conclusionem hanc ita defendunt, ut illum ipsum actum, quo Christus & beati amant Deum, dicant necessariò esse etiam amorem proximorum, sicque licèt ad Deum terminetur necessariò, ad hos tamen terminari liberè, sicut, inquiunt, idem actus voluntatis divinæ est amor necessarius respectu Dei & attributorum ipsius, respectu tamen rerum creatarum liber.

VII. *Meruit etiam Christus per actus amoris ortos ex visione beatificâ.*

Sed hoc videtur difficile, ut nimirum idem indivisibilis actus simul liber sit & necessarius, cùm in hoc involvi videatur aperta contradictio, nempe ita procedere actum illum à voluntate, ut sit in potestate voluntatis illum cohibere, qui est conceptus actus liberi, & ut hoc non sit in illius potestate, quæ est essentia actus necessarii. Quod autem additur de voluntate liberâ Dei, est in se summum mysterium, nec extendi debet ad voluntatem creatam, præsertim cùm ob rei difficultatem negent multi posse Deum aliquid velle liberè sine mutatione aliquâ in creaturis factâ.

VIII. *Hoc tamen dici nullo modo potest, eundem scilicet actum simul esse liberum & necessarium.*

Secundò itaque dicunt alii: Posse amorem ortum etiam ex visione beatâ esse liberum & laudabilem. Ponunt itaque per visionem beatam repræsentari Deum, & in illo creaturas, quo posito asserunt, licèt quidem beatus videns Deum necessitetur ad amanda intrinseca, quæ in Deo videt, nempe Deum ipsum, non tamen extrinseca, videlicet creaturas: unde inquiunt, si eliciat actum, quo amet Deum & creaturas, facit plus quàm necessitas visionis exigat: ita Valentia quæst. 19. p. 2. Moncæus disp. 9. sect. 9. Lugo disp. 27. num. 4. & alii, quæ sententia jam magis declarabitur.

IX. *Dicunt alii ideo actum amoris beatifici esse possse meritorium, quia potest esse vel de Deo tantùm, vel simul cum creaturis.*

X. *Ostenditur actum amoris Dei ortū ex visione beatificâ posse esse liberum.*

Quoad hoc in primis censeo, posse actum amoris ortum ex visione beatâ esse liberum; si enim beatus videns Deum ex multis actibus, vel solo numero distinctis, quos cognoscit se posse elicere illo instanti, eligat hunc potiùs, quàm illum, clarum videtur illum actum esse liberum, esto enim necessitetur ad amandum Deum, non tamen ad amandum hoc numero actu, si plures sint in illius potestate, ergo hic actus ita elicitur, ut potuerit non elici, & consequenter elicitur liberè.

XI. *Ulteriùs declaratur quo pacto actus amoris ortus ex visione Dei possit esse meritorius.*

Secundò mihi etiam videtur probabile, posse dari actum amoris ortum ex visione beatâ, qui non liber tantùm sit, sed meritorius, in prædicto enim casu, cùm hi actus sint valdè diversi, nempe amare Deum solum, & amare illum simul cum creaturis, actus ille, quo beatus Deum & creaturas amat, plus facit quàm ex necessitate cogatur, cùm ex vi visionis præcisè non teneatur per actum amoris ferri in creaturas, ergo licèt ille actus qui fertur in Deum solum, non sit meritorius, is tamen, qui simul fertur ad creaturas potest esse meritorius, cùm ad hoc beatus non cogatur. Sicut si quis necessariò dare Petro debeat nummum aureum vel argenteum, etsi necessitetur ad alterum, si tamen det aureum meretur laudem & gratitudinem ex parte Petri quoad illud, quo nummus aureus excedit argenteum.

XII. *Neque ex hac assertione sequitur actum illum esse simul liberum & necessarium.*

Dices, hinc sequi contra supradicta, actum illum esse simul necessarium & liberum, cùm ut est amor Dei procedat à voluntate necessariò, ut amor creaturarum liberè. Respondeo, hunc actum simpliciter & adæquatè esse liberum, cùm simpliciter potuisset non elici, optimè enim stat indeterminata necessitas ad aliquid in genere, & tamen in particulari liberè posse illud haberi, sicut quivis necessariò est in aliquo loco, in quovis tamen loco in particulari est liberè. Et, si ulteriùs quis inferat esse actum illum meritorium & non meritorium, quæ non minùs sunt contradictoria, quàm liberum & necessarium: negatur sequela, simpliciter enim est meritorius, ad hoc enim sufficit quod sub unâ ratione habeat quòd sit meritorius, ut in exemplo nummi aurei proximè ostensum est. Et eodem modo probare quis posset quemvis actum liberum voluntatis esse liberum, & non liberum, vitalem & non vitalem, cùm in quantum ens est, aut accidens nec liber sit, nec vitalis, sic enim omnia entia, & accidentia libera essent & vitalia. ut ergo actus ille sit meritorius, sufficit quòd ita elicitur ut potuerit non elici, & aliquid addat vel ex parte objecti, vel modi tendendi, ad quod non habebat necessitatem.

Nec etiam sequitur prædictum actum esse meritorium & non meritorium.

XIII. *De quo actu amoris erga creaturas, orti ex visione beatificâ, in præsenti loquamur.*

Quando autem dicimus actum amoris prout fertur in creaturas esse liberum, intelligimus de actu, qui directè in eas foratur, volendo scilicet eas actu ponendas esse à parte rei, ut ad gloriam Dei faciunt, volendo nimirum ut homines in terrâ ipsum benè agendo honorent, ut Sancti in cœlo ipsum laudent, &c. non autem loquimur de indirectâ tendentiâ in creaturas, sic enim qui amat omnipotentiam Dei amare necessariò debet creaturas tanquam illius terminum, ipso facto enim quòd vult Deo omnipotentiam, vult etiam illi creaturas, saltem eo modo, quo omnipotentia illas respicit.

XIV. *Quid dicendum de actu amoris beatifici, quo Christus amaret creaturas propter Deum.*

Hinc à fortiori constat, actum illum ortum ex visione beatâ, quo Christus amaret creaturas propter Deum, ita ut Deus sit solùm finis *cui*, non *cujus gratia*, sicut in priori actu, posse esse liberum & meritorium. Nec in hoc multo major est difficultas, quàm de actu, quo amamus creaturas propter Deum in viâ, ex parte enim objecti eodem modo tendunt hi duo actus, & sola diversitas est quòd sequatur diversas cognitiones. Quando verò Theologi dicunt visionem beatificam tollere indifferentiam ad amandum Deum, & amorem beatificum semper esse necessarium, solùm volunt esse necessarium hoc sensu, nempe quòd beatus non possit non ipsum amare, non tamen ita ut simpliciter tollatur indifferentia ad hunc actum potiùs, quàm illum ex multis possibilibus.

XV. *Virtùm Christus per actus in entitate naturales virtutum acquisitarum meruerit, diversa sunt Theologorum sententia.*

Ultimò hîc quæri potest, an Christus per actus naturales in entitate virtutum acquisitarum meruerit. Quoad hoc eadem est difficultas de Christo, & aliis justis, spectatque ad materiam de gratiâ, vel merito, ubi qui concedunt actum naturalem in substantiâ elicitum ab homine in gratiâ existente, sufficere ad præmium supernaturale, hîc idem dicunt de Christo, qui verò id negant, hîc procedunt consequenter: quam quæstionem latè discussi Tomo præcedente, disp. 113. sectione decimâ, & sequentibus.



DISPV-

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA OCTAVA.

De Oratione Christi.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur quædam circa orationem Christi: ubi an pro nobis nunc oret in cœlo.

I. *Quid sit oratio.*

RATIO, ut docet S. Thomas 2.2. quæst. 83. art. 10. est actus inferioris deprecantis superiorem, ut se adjuvet; unde manifestè deducitur, si Christus esset tantùm Deus, non posse ipsum orare; Deus enim nec re aliquâ indiget, nec superiorem habet, cui reverentiam exhibeat, quare nec una Persona Divina potest ad alteram orationem dirigere, cum omnes æquales sint, & eodem intellectu, voluntate, & potentiâ operentur.

II. *Christum, dum in hac vitâ mortali versabatur, & pro se & pro nobis oraſſe certum est.*

De humanâ ergo Christi voluntate est sermo, quæ & superiorem habet, & ope indiget. De hoc ergo quæritur primò: Utrùm Christus dum cum hominibus in terris versaretur aliquando oraverit. Circa hoc dicimus Christum in hac vitâ & pro se, & pro nobis verè oraſſe: Conclusio est communis, & variis Scripturæ sacræ locis probata, Lucæ enim c. 6. v. 12. dicitur: *Exiit in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei*; Lucæ etiam 22. v. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua*; Joan. 17. v. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.*

III. *Objic. Non videtur potuisse Christi mentem de novo ad Deum ascendere.*

Dices: Oratio est *ascensio mentis ad Deum*; mens autem Christi non poterat de novo ad Deum ascendere, cum à primo conceptionis instanti fuerit per visionem beatam & amorem semper Deo conjunctissima. S. Thomas hîc, art. 1. ad 3. ad hoc argumentum sic respondet, per ipsam visionem beatam potuisse Christum orare, in quantum scilicet per ea quæ vidit in Verbo, moveri potuit ad actus charitatis circa proximos exercendos, & ad aliquid à Deo pro iis postulandum. Secundò dici potest: Christum per novos actus scientiæ infusæ potuisse mentem ad Deum denuo elevare, & res quascumque pro se, aut nobis petere.

IV. *Verùm Christus pro nobis nunc oret in cœlo.*

Major difficultas est circa secundum quod hic discuti solet, nempe an Christus pro nobis nunc oret in cœlis. Affirmat Suarez Disp. 45. sect. 2. Primò, quia hoc in Scripturâ clarè affirmari videtur, Joan. enim 14. ait Christus discipulis, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*: ad Rom. 8. *Christus JESUS qui mortuus est, imo qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Unde S. Augustinus in præfatione Psalm. 85. sic habet: *Oratur in formâ Dei, orat in formâ servi, orat pro nobis, orat in nobis; & oratur à nobis*, &c. Hanc sententiam tenet S. Bonaventura, Abulensis, Toletus, & alii, apud Suarium citatum, & videtur expressa mens S. Thomæ in 4. Distinctione 15. quæst. 4. art. 6. ad primùm, & alibi.

V. *Actus orationis nullo modo Christum dedecet.*

Rationes pro hac sententiâ sunt primò, quia oratio Christum non dedecet, vel namque eum dedecet ut Deus est, vel ut beatus, non primùm, quia non orat ut Deus, sed ut homo, alioqui nec in terris oraſſet: nec etiam dedecet secundum, tum quia reliqui Beati pro nobis orant nunc in cœlo, tum quia non est incompossibilis status impassibilitatis cum oratione. Deinde Christus in cœlo alios actus religionis exercet circa Deum; illum enim laudat, gratias agit, &c. quidni ergo & eum pro nobis oret.

SECTIO SECUNDA.

Sententia negans Christum pro nobis nunc orare in cœlo.

I. *Negant alii Christum in cœlo existentem pro nobis nunc orare.*

CONTRARIUM tenet Vasquez hîc, Disp. 82. c. 2. secutus Rupertum, qui acerrimus est in hoc defendendo. Asserunt ergo hi Auctores dici Christum interpellare pro nobis, agere advocatum, &c. non orationes ullas fundendo, sed solùm ostensione vulnerum, & merita sua antiquâ Patri repræsentando: quo etiam modo loquuntur Patres aliqui, ut S. Gregorius, S. Anselmus, & alii: & hæc est prima probatio hujus sententiæ.

II. *Quo sensu nonnulli ex SS. Patribus negent Christum pro nobis in cœlo orare.*

Respondeo tamen: licèt Patres dicant Christum non orare per servilem corporis prostrationem, & lacrymas, quod dicunt statum beatitudinis dedecere, aliqui tamen ex iis, ut S. Ambrosius, expressè docent eum rogando & obsecrando Patrem interpellare, ergo non merâ ostensione vulnerum, nec sola repræsentatione meritorum præteritorum, nisi aliqua nova oratio addatur. Nonnulli verò ex Patribus solùm negant Christum orare ut Deus est.

III. *Dices: Si Christus in cœlo oraret, mereretur.*

Secundò hoc probat Vasquez: si enim Christus in cœlo oraret mereretur, cum omnis oratio videatur meritum aliquod includere, præsertim si sit efficax, & impetret id quod postulat. Respondetur: meritum connotare opus factum in viâ, quæ conditio si desit, esto impetret quod petit non erit meritum, quod à fortiori urget in principiis Vasquez, qui ait, viam esse essentialiter requisitam ad meritum.

Tertiò arguit: Christus in hac vitâ perfecit totum negotium nostræ salutis, ergo non est quod amplius quidquam in cœlo postulet. Respondetur: Etsi Christus generatim omnia dispoſuerit in terrâ, quæ ſpectant ad redemptionem humani generis, conſtitutionem Eccleſiæ, Sacramenta, &c. non tamen ita ſingula inſtituit ſigillatim, ut non pendeant multa etiamnum à peculiari ejus curâ, quâ de causâ eum dixit Apoſtolus manere vivum ad interpellandum pro nobis. IV. *Non ita ſigillatim omnia ad Eccleſiam pertinentia diſpoſuit in hoc mundo Chriſtus, quin multa etiãnum à peculiari ejus curâ dependeant.*

Arguitur quartò: Hic ſiquidem communis videtur ſenſus Eccleſiæ, nunquam enim dicimus in ullis orationibus, Chriſte ora pro nobis, ſed *miſerere noſtri*, ſi autem oraret in cœlis, non eſt cur id dicere non poſſemus. Reſpondet Suarez ſimpliciter non eſſe uſurpandum illum loquendi modum, ut longiſſimè fugiamus errorem Arrii, vel Neſtorii, tum etiam quia cùm perſonam aliquam compellamus, ſolemus titulo eum maximè honorifico compellare. Privatim tamen, inquit ipſe, non eſt cur non poſſit quis, qui rationes iſtas diſtinguere novit, & Chriſtum conſiderare ut hominem, hoc modo orare, & petere ut æterno Patri merita ſua pro nobis repræſentet, orationéſque noſtras cum ſuâ conjungat. V. *Cur in Litaniis, & publicis orationibus ſemper dicimus, Chriſte miſerere nobis, non Ora pro nobis.*

Quintò: Chriſto poſt reſurrectionem collata eſt poteſtas plena diſponendi de omnibus; qui autem plenam habet poteſtatem, non eſt cur oret ut aliquid fiat, cùm in illius manu ſit de re quavis pro libito diſponere. Reſpondetur cum Sancto Thoma hîc, & quæſt. 24. art. 4. ad 3. licèt Chriſto ut homini aliquo modo collata ſit ampliſſima poteſtas, hanc tamen exercere debuit ſervato ordine divinæ diſpoſitionis, qui eſt ut Deum honorando, & petendo, merita ſua Chriſtus in nos derivet, ſaltem nihil obſtat quo minùs potentiam ſuam hoc modo exerceat. VI. *Quamvis Chriſto poſt reſurrectionem data ſit omnis poteſtas, uſus tamen hujus poteſtatis ſubjiciebatur divinæ diſpoſitioni.*

Dicendum itaque videtur, Chriſtum aliquo modo pro nobis in cœlis orare, cùm concipi aliàs nequeat quo pacto dicatur pro nobis verè interpellare; nec enim merita ſua vel vulnera ſine peculiari aliquo actu intellectus aut voluntatis Patri poteſt oſtendere, non tamen orat ſervili illo modo cum gemitu & ſuſpiriis, ut in terris, ſed alio modo nobiliori. Nec arguit defectum poteſtatis, cùm in hoc dici poſſit habere plenam poteſtatem, quòd de plurimis per ſe poſſit diſponere, & de omnibus ſi Patrem oret, quod eſt habere moralem poteſtatem circa omnia. VII. *Nullo ergo modo videtur negandum, Chriſtum pro nobis aliquo modo orare in cœlis.*

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA NONA.

De Subjectione, Sacerdotio, Mediatione, & Regno Chriſti.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Chriſtus ſit ſervus, & ſubjectus Patri.

IN Quæſtione vigeſimâ tres præcipuè voces diſcutit S. Thomas, quo pacto ſcilicet Chriſto conveniant, *Minor*, *Subjectus*, *Servus*. Quoad primum (ut omittam Arrii hæreſim dicentis Filium in divinis eſſe creaturam & conſequenter minorem Patre) Clitoveus in Divum Damaſcenum lib. 1. de Fide c. 11. ut refert Suarez lib. 3. de Trinitate. cap. 10. aſſerit Paternitatem ſecundùm perfectionem ſuam relativam dicere majorem perfectionem quàm dicat filiatio formaliter, quo modo aliquos ex græcis Patribus explicat dicentes Patrem eſſe majorem Filio, non naturâ, ſed dignitate Perſonali, quam proinde inæqualitatem exerceri vult in ipsâ entitate Patris & Filii, nec tamen hoc quidquam derogare exiſtimat perfectioni ſimpliciter, quæ conſiſtit in ſolâ naturâ, eadémque in omnibus tribus perſonis reperitur. I. *Qua ratione Chriſtus ſit minor Patre.*

Hæc tamen ſententia, cùm non ita perfectè conſulat æqualitati divinarum Perſonarum, non eſt admittenda, nam in illo eminentiſſimo modo communicationis, quo æternus Pater naturam communicat Filio, non eſt meliùs nec beatiùs dare quàm accipere. Solùm ergo eſt minor Chriſtus Patre quòad humanitatem, ut habetur in Symbolo Athanaſii, *æqualis Patri ſecundùm divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.* Unde ad vitandum periculum erroris nunquam eſt abſolutè concedenda hæc propoſitio, *Chriſtus eſt minor Patre;* imò ſimpliciter eſt falſa, cùm ſimpliciter fiat comparatio inter ipſas Perſonas. Sed de hac latiùs dictum eſt in materia de Trinitate. II. *Hic procedendi modus non ſatis tollit æqualitatem divinarum perſonarum.*

Quoad ſecundùm de ſubjectione, notandum ſubjectionem, de qua hîc loquimur, idem eſſe ac capacitatem præcepti, cui Chriſtum ſubjectum fuiſſe ſupra oſtendimus, ſive ſermo ſit de præceptis naturalibus, ſive poſitivis, quorum aliqua Chriſto à Patre impoſita fuiſſe certum videtur: unde S. Cyrillus in Epiſtolâ 10. ſic ſcribit: *Non ignoramus quòd cùm Deus ſit, & homo ſub Deo factus ſit, ſecundùm legem humanitatis naturæ competentem.* Chriſtus ergo ut homo, & jure & facto ſubjectus fuit III. *Subjectio in præſenti idem eſt ac capacitas habendi præcepta.*

fuit Deo, *jure*, quia præceptis ejus parere tenetur; *facto*, quia semper ad omne quod præceptum erat exequendum, promptissimam habuit voluntatem.

IV. *Quid de hac propositione sentiendum, Christus subjectus fuit Patri.*

Hanc verò propositionem, *Christus subjectus fuit Patri*, licèt in rigore vera sit, quemadmodum simpliciter est verum dicere, *Christus fuit obediens Patri*, sicut simpliciter fuit homo, & habuit humanam voluntatem subjectam simpliciter divinæ, S. Thomas tamen absolutè renuit propositionem illam admittere, ob periculum Arianæ hæresis, aitque expedire addere particulam illam, *in quantum homo.* Minùs tamen hic requiritur determinatio illa, *in quantum homo*, quàm in illâ voce *minor*, cùm ibi fiat comparatio in perfectione simpliciter & absolutè, quæ absolutè æqualis est in Christo & Patre. Si autem hæc subjectio referatur ad Verbum, erit simpliciter necessaria determinatio: Si enim quis dicat, *Christus est subjectus Verbo*, ponere videtur distinctionem Personarum inter Christum & Verbum, & incurrere hæresim Nestorianam quare addendum, *in quantum homo*, quæ tamen particulæ non tam necessariò sunt addendæ si quis diceret, *Christus est subjectus sibi*, cùm hic sufficienter ex modo significandi importetur identitas suppositi, licèt propositio aliundè sit falsa, cùm nullus esse possit major vel minor, inferior vel superior sibi.

V. *Matri sponte Christus secundùm carnem subjecit.*

Matri verò, seu parentibus, non de jure, & ex debito, sed sponte secundùm carnem subjecit se Christus, juxta illud Lucæ 2. v. 51. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.* Hæc ut notat Suarez hîc, Disputatione 43. sect. secundâ, est communis Doctorum sententia.

VI. *Quid de servitute hac in re sit dicendum.*

De servitute, etsi difficultas magnâ ex parte sit de modo loquendi, major tamen est inter Auctores controversia, quæ de hac præcipuè propositione procedit: utrum scilicet Christus, quà homo, sit servus Dei, non servitute ex peccato contractâ, sed ratione creationis. Notandum verò, licèt servitus subjectionem importet, non tamen omnem subjectionem esse servitutem, alioquin quisquis alteri obedientiam debet, esset illius servus, quod falsum est, ut constat in filio respectu parentis. Servitus ergo præter subjectionem dicit, ut planè quis subsit dominio alteriùs.

VII. *Docent nonnulli Christum, etiam ut hominē, non posse appellari servum Dei.*

Vasquez ergo Disp. 8. acriter contendit non posse Christum, etiam ut hominem, vocari servum Dei: quem sequitur Lugo Disp. 28. sect. 3. quamvis dicat quæstionem esse de nomine. Præcipua hujus sententiæ probatio desumitur ex auctoritate Concilii Francofordiensis contra Elipandum, qui Christum, ut filium adoptivum, ita servum vocabat: Contra quem in suâ Epistolâ sic scribit Adrianus Papa: *Tantâ nimirum vos temeritas dementiâ deludit, ut adoptivum eum filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ, & (quod pudet dicere) servum eum impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosâ fauce susurrare. Cur non veremini quæruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare:* hæc Pontifex, estque præcipuum fundamentum hujus sententiæ.

VIII. *Negare videntur Patres Christum dici posse servum Dei.*

Secundò probatur auctoritate Patrum: Sanctus enim Athanasius Sermone 3. contra Arrianos, de Christo ait, ipsum servum esse appellatione, non veritate, ad eum modum, inquit, quo *Filius se solet servum nominare*: de quo etiam sanctus Leo sermone primò de Nativitate sic scribit: *Assumpta est forma servi sine conditione servili*, &c. Tandem, ut alios omittam sanctus Augustinus: *Dominus noster etiam in formâ servi non servus, sed in formâ etiam servi Dominus fuit.*

IX. *Ratio prima est, quia Christus non est Filius adoptivus, ergo nec servus.*

Rationes etiam variæ afferuntur: primò, quia Christus, etiam ut homo non est filius adoptivus, ergo à fortiori non servus, cum longè magis aliena sit à filio naturali conditio servitutis, quàm adoptionis.

X. *Secundò arguunt, servus namque non communicat in bonis domini.*

Secundò, & præcipuè, quia hoc differt servus à non servo, quod non communicet in bonis ipsius domini, ut habet Aristoteles primo Politicorum, cap. 3. ipsumque servi nomen hoc præ se ferre videtur; si enim in bonis & honore cum domino communicet, quâ ratione servus dici poterit, sed Christus qua homo, communicat in bonis Dei; cùm enim personaliter fuerit ipsi unitus, necessariò in excellentiâ & majestate omnibusque adeo bonis cùm ipso communicat. Quamvis ergo Christus fuerit subjectus Deo, eique in omnibus obediens, sicut Filius Patri, sine omni tamen conditione servili.

SECTIO SECUNDA.

Verius est Christum ut hominem esse servum Dei.

I. *Dicendum cum S. Thoma Christum ut hominem esse servum Dei.*

CONTRARIA nihilominus sententia est probabilior, quam tenet Sanctus Thomas q. 2. art. 1. & 2. Suarez Disput. 44. sect. 1. & alii. Ratio conclusionis est: Quia in Christo respectu Dei reperitur sufficiens fundamentum relationis servitutis, ergo non est cur dici non possit servus: antecedens probatur, relatio servitutis, quam habet creatura quævis ad Deum non est aliud, quàm essentialis dependentia ipsius à Deo per creationem, ratione cujus ita est subordinata Deo, & sub illius potestate ac dominio, ut possit de illâ disponere in ordine ad quosvis usus, & pro libito destruere, sed Christus secundùm humanam naturam non minùs pendet à Deo, nec minùs est sub illius potestate & dominio, quàm res aliæ creatæ, ergo. Major probatur, tum ex communi consensu omnium, in hoc statuentium relationem servitutis creaturæ ad Deum, & dominii Dei ad creaturam, tum ex S. Cyrillo Alexandrino lib. 4. de Trinitate, dicente: *Servile factum esse quicquid productum est ex nihilo*; ubi creationem assignat pro adæquatâ ratione servitutis creaturæ ad Deum.

Humana Christi natura, non minùs quàm res aliæ creatæ est sub potestate & dominio Dei.

II. *Objic. Ad servitutem insuper requiris ut non communicet in bonis.*

Dices cum Vasquez, & aliis: Præter titulum creationis, qui est quid positivum, requiri etiam aliquid negativum, nempe ut non communicet in bonis; hoc enim si fiat, non erit servus, unde juxta leges, si quis ancillam in uxorem ducat ipso facto desinit esse ancilla, & ob hanc etiam causam filius non est servus, quia jam communicat in bonis cum Patre sicut illa cum marito, ergo cùm Christus communicet in bonis, nempe honore, excellentiâ, &c. cum Patre, esto ab illo dependeat, non tamen est servus respectu illius.

III. *Resp. Longè diversam esse rationē uxoris & filii respectu mariti & patris, & humanæ Christi naturæ respectu Dei.*

Sed contra: Ratio enim cur communicatio in bonis eximat uxorem & filium à conditione servili, est primò, quia per eam constituitur æqualitas quædam, quod in Christo ut homine respectu æterni Patris non reperitur, cùm ut homo sit minor Patre: deinde restringitur per eam potestas mariti, & patris, ita ut non possit de uxore & filio plenè disponere, nempe vendendo, donando, &c.

at verò non obstante hac communicatione in bonis, humana Christi natura est perfectissimè Deo subjecta, ita ut possit non solùm ei mandata imponere, sed etiam annihilare pro libito, unde manet in eâ relatio servitutis, sicut maneret in uxore & filio, si esset in parente & marito potestas disponendi de iis pro libito, vendendo, donando, &c. & per hoc solvitur secundum argumentum pro primâ sententiâ, sectione præcedente positum.

IV. *Christus in Scripturâ vetere sæpè appellatur servus.*

Secundò probatur ex Scripturâ veteri, ubi Christus servi nomine frequenter compellatur, ut Isaiæ 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum*, quod de Christo exponitur Matth. 12. Item Zachariæ 3. *Adducam servum meum orientem*: Isaiæ 52. *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur & elevabitur, & sublimis erit valdè*: qua de re scribens S. Cyrillus ait, si quis dicat servum eum appellari propter vocem Sanctorum Prophetarum, nullo modo offendi decet, cognoverunt enim per revelantem eis Spiritum Sanctum, quòd Verbum ex Deo Patre fieret homo.

V. *Non tollè dixerit quis hæc Scripturæ testimonia intelligenda esse allegoricè.*

Dices, Christum à Prophetis appellatum esse servum allegoricè tantùm, non secundùm rei veritatem. Sed contra: Scripturæ enim semper in sensu proprio accipi debent, ubi sine incommodo possunt, alioqui occasionem præberemus hæreticis eas ad sensus metaphoricos pro libito detorquendi, eâdem enim facilitate quâ Catholici nonnulli dicunt explicandas esse propositiones illas metaphoricè, in quibus Christus servus dicitur, quæ sunt frequentissimæ, dicent hæretici explicandas simili modo esse illas, quibus dicitur Deus homo, & homo Deus, imò nihil ex Scripturis certò probari poterit.

VI. *Dum Christus in novo Testamento vocat Deum Dominum, eâdem operâ vocat se servum.*

Probatur tertiò ex novo testamento, in quo primus locus est Matth. 11. ubi æternum Patrem alloquens dicit Christus: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ*, ubi Patrem Dominum suum vocat, ergo ipse respectu illius est servus. Dices: Non vocare illum Dominum suum, sed Patrem & Dominum cœli & terræ. Sed contra: nam Sanctus Athanasius Sermone 3. contra Arrianos, ex hoc loco probat Verbum, postquam formam servi accepit, & opus sibi à Patre impositum inchoavit, Patrem Dominum suum vocasse, dum enim, inquit, vocat eum Dominum cœli & terræ, & inter res creatas humanitas etiam Christi contineatur, appellando eum Dominum cœli & terræ, suum etiam Dominum appellat. Quare tandem sic concludit Sanctus Athanasius: *Meritò igitur quia nos servi, cùm talis effectus erat, quales nos eramus, servus appellatur.*

VII. *Ex illis verbis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum, refert S. Thomas Christum se servum Patris esse professum.*

Ulteriùs probatur ex illò Joannis 20. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*, quibus verbis ait Sanctus Thomas hîc, articulo secundo, Christum se patris servum professum esse, ac proinde idem esse *Deum meum*, & *Dominum meum*: quod etiam insinuare videtur Concilium Alexandrinum in Epistolâ contra Nestorium, ubi dicit Christum, licèt verus Deus esset, ut hominem æquè ac nos se Deo subditum fateri: Imò nomen Dei ac Domini etsi sit diversum, & hoc potestatis sit, illud naturæ, ubi tamen ad creaturas refertur alterum, refertur utrumque, cùm æquè latè pateant, respectu enim cujuscumque creaturæ Deus habet titulum Dei, respectu ejusdem habet titulum Domini, cùm illius potestati necessariò subdatur.

VIII. *Docent Patres Christum ut hominem esse servum Dei.*

Quartò probatur hæc sententia ex Patribus, quorum testimonia latiùs videri possunt in Suario, loco citato. Sanctus ergo Cyrillus Epistolâ 10. sic de Christo scribit: *Servi Dei nos sumus secundùm naturam, ipse Dominus quidem non secundùm naturam, quia Deus, sed servus factus est quia verè homo.* Idem Sanctus Chrysostomus in verba illa Apostoli ad Philip. 2. formam servi accipiens: *Sicut*, inquit, *in formâ Dei perfectus est Deus, ita in formâ servi perfectus est servus*: & alibi: *Quid humilius servo? tamen hoc fieri dignatus est, ut nos liberos faceret.* Clarissimè etiam Sanctus Augustinus variis locis, præcipuè verò Epistolâ 178. *In quâ infirmitate humanitatis*, inquit, *non solum subditum, sed etiam servum evidentissimè confitemur, ipso dicente, ego servus tuus*, &c.

IX. *Quam servitutem à Christo exclusérit Adrianus Pontifex, & Concilium Francofordiense.*

Circa auctoritatem Adriani, & Concilii Francofordiensis supra positam, septem diversas explicationes affert Pater Suarez, inter quas duæ præter cæteras videntur probabiles. Prima est: Concilium non excludisse à Christo quamcumque servitutem respectu Dei, sed illam tantùm, quæ contrahitur ex peccato. Hanc verò fuisse mentem Concilii suadetur, tum quia ad probationem suæ sententiæ adducit verba S. Leonis Serm. 2. de Nativitate dicentis, assumpta est de Matre hominis natura, non culpa, creata est forma servi sine conditione servili: Conditio autem servilis eo loco idem est ac status peccati; & rem eandem diversis verbis ac modo docet Pontifex. Secundò: Eo quòd Adamus liber primò productus sit, & non factum esse servum nisi per peccatum, unde probat Concilium Christum fuisse liberum, & ingenuum, ergo illam solam servitutem voluit Concilium excludere à Christo, quam agnoscebat ex peccato provenisse Adamo: ad hanc rem sic scripsit in Epistolâ suâ Adrianus: *Nos per illum adoptivi sumus, non ille nobiscum adoptivus, nos per illum à servitute liberati, non ille nobiscum servus*: quibus verbis affirmat Pontifex Christum non fuisse servum illâ servitute, à quâ nos liberavit, hæc autem fuit sola servitus peccati, ab aliâ enim servitute, quæ sequitur conditionem creaturæ, nec liberavit nos Christus, nec liberare potuit. Et hoc sensu accipiendus est Pontifex cùm dicit Christum à Prophetis vocatum esse servum per tropum & figuram, quia scilicet assumpturus erat carnem in similitudinem carnis peccati, & pœnam peccatis debitam subiturus.

Aliunde probatur Concilium hoc loco sermonem instituisse tantùm de servitute peccati.

X. *Secundò dici potest, eum damnatum fuisse à Concilio Elipandum, quòd ita Christum servum esse docuerit, ut negaverit eum esse filium Dei naturalem.*

Alia expositio est, Elipandum, quem damnat Concilium, fuisse Nestorianum, & in Christo posuisse suppositum etiam creatum, & consequenter dixit fuisse eum purum hominem, & servum, & in filium Dei fuisse instar aliorum hominum adoptatum, quem errorem damnat Pontifex & Concilium, definitque Christum non esse purum servum, seu ita servum, ut non fuerit etiam filius naturalis, non tamen omnem ab eo servitutem excludit.

XI. *De qua servitute locuti sint alii Patres.*

Ad alios Patres dico, ipsos vel hoc eodem sensu esse locutos, ut clarum videtur de Sancto Augustino, qui Christum non ita servum esse dicit, ut simul non fuerit Dominus, vel loquuntur de servitute contractâ ex peccato, quæ est mens Sancti Athanasii, & Sancti Leonis in argumento citati, Sanctus verò Damascenus, dum dicit eos, qui Christum servum vocant, eum cum Nestorio dividere, apertè loqui videtur in priori sensu, & excludere solùm appellationem puri servi. Imò utraque expositio Patrum eodem videtur recidere, ipso facto enim quòd esset purus homo, esset etiam ex se peccato obnoxius, non minùs

minùs quàm alii homines, quod etiam fortè intendebat Elipandus, dum ipsum leprosum vocitabat. Quod si quis contendat nomen servi absolutè prolatum importare, ut qui servus est, sit omnino, seu secundùm omnia sub dominio alterius, clarum est Christum non esse servum, cùm quoad suppositum non sit sub dominio Dei, sed ei in omnibus æqualis, sicque totalis recidet in quæstionem de nomine.

SECTIO TERTIA.

De Sacerdotio & Mediatione Christi.

I. *Indubitatum est Christum verè & propriè fuisse Sacerdotem.*

CHRISTUM verè ac propriè Sacerdotem esse fide certum est, tum ex definitione Concilii Tridentini sess. 22. can. 1. & 2. tum ex Epistolâ ad Hebræos, ubi Apostolus ex professo probat Christi sacerdotium. Unde psal. 109. vers. 4. de Christo dicitur: *Tues Sacerdos in æternum.* Ratio est: Quia Christus ex hominibus assumptus est, & constitutus à Deo pro hominibus in iis, quæ sunt ad Deum, nempe ad ipsos cum Deo reconciliandos, quem in finem se, & vitam suam per verum sacrificium cruentum verus ipse Sacerdos simul & hostia in arâ Crucis obtulit. Deinde, ut docet Concilium Tridentinum loco citato, obtulit se Deo Patri in cœnâ, instituens simul & offerens Eucharistiæ sacrificium, illudque modò ut supremus Pontifex & Sacerdos, Sacerdotum ministerio quotidie in Ecclesiâ offert.

II. *Quamvis Christus in Cruce non se interfecerit, verè tamen se sacrificavit.*

Dices: Christus non se sacrificavit in Cruce, cùm se non interfecerit, ergo quoad hoc non fuit Sacerdos. Respondetur, verè Christum in Cruce se sacrificasse, licèt se non interfecerit, ad sacrificium enim non requiritur ut ipsa hostiæ mactatio physicè à Sacerdote perficiatur, sed sufficit quòd moraliquodam modo ab ipso assumatur, & in sacrificium offeratur, quod fecit Christus voluntariè se Patri in cruce offerendo.

III. *Hinc tamen non sequitur Martyres sacrificare seipsos, dum se ad mortem offerunt.*

Quòd si urgeas, hinc sequi Martyres se in sacrificium offerre, & agere Sacerdotes, cùm mortem volentes acceptent. Respondeo, disparem esse rationem de Martyribus & Christo, primò, quia Martyres non sunt à Deo constituti ut offerant sacrificium: Secundò, & præcipuè quia licèt Martyres voluntariè mortem acceptarint, ita tamen eam acceptarunt ut nec tyrannos impedire potuerint quo minùs morte eos afficerent, nec in ipsis tormentis vitam diutiùs conservare, quàm naturæ leges patiebantur, horum autem utrumque erat in potestate Christi, unde diverso modo se obtulit, quàm Martyres, & peculiari ratione animam posuit.

IV. *Christus fuit Rex simul & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.*

Fuit ergo Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, Rex simul & Sacerdos, seque sub speciebus panis & vini Deo in sacrificium obtulit. Hoc tamen ita intelligendum est, non quod sacerdotium Christi ejusdem fuerit ordinis cum sacerdotio Melchisedech, hic enim typus tantùm erat & figura Christi, ac proinde sacerdotium Christi multis gradibus excellebat sacerdotium Melchisedech, & propterea dicitur Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, quia hic singularem præ se tulit figuram sacerdotii, & sacrificii Christi.

V. *Quatenus Sacerdotium Christi sit æternum.*

Quæres: quo pacto Christi sacerdotium sit æternum. Respondetur, quia Christus per suos ministros quotidie offert sacrificium incruentum, qua in re ipse est primarius offerens, & hoc sacrificium ad finem usque sæculi, quod in divinis literis æternum appellatur, permanebit. Deinde dignitas sacerdotalis in Christo semper manebit, ut postea dicetur. Tertiò: Sacerdotium Christi durat semper quoad effectus, reconciliationem scilicet nostram cum Deo, Sanctorum beatitudinem, &c.

VI. *Objic. Sequi Christum fuisse etiam Sacerdotem secundùm ordinem Aaron.*

Dices: Si Christus ideò sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, quòd sacerdotium Melchisedech fuerit typus sacerdotii Christi, ergo similiter Christus erat Sacerdos secundùm ordinem Aaron, cùm sacerdotium & sacrificium Aaron non minùs repræsentaverint sacerdotium & sacrificium cruentum Christi, quàm Melchisedech incruentum. Negatur consequentia: Quia sacrificia legalia tantùm repræsentabant sacerdotium Christi secundùm statum vitæ passibilis, per quod sacrificium absolvenda erant sacrificia omnia legalia. Sacrificium verò, & sacerdotium Melchisedech repræsentabant sacrificium & sacerdotium Christi ut erat in æternum duraturum, vel in Ecclesiâ militante, ubi Christus primariò semper hoc sacrificium offert, sicque in Hebræo *in æternum* idem est quod in sæculum: vel in triumphante, ubi Christus perpetuò mysterium hoc commemorat, & gratias agendo Sacerdotis munus in æternum exercebit. Unde sicut lex scripta, quamvis legem gratiæ præfiguraverit, non tamen dici potest hæc esse secundùm ritum legis scriptæ, quæ per legem gratiæ est abolita per Christum, ita nec sacerdotium: lex verò naturalis non est abolita per Christum, ergo nec sacerdotium Melchisedech, quod erat sacerdotium legis naturæ, sed perfectum est per Christum, cujus typum gessit.

Quo pacto sacrificium & sacerdotium Melchisedech repræsentabat sacrificium & sacerdotium Christi.

VII. *Secundùm quam naturam Christus fuit Sacerdos & Mediator.*

Quæres: Secundùm quam naturam sit Christus Sacerdos, & eadem est quæstio de mediatore. Pater Canisius libro primo de Corruptelâ Verbi Dei, & Bellarminus libro primo de Christo mediatore referunt & refutant hæreticos, qui Christum secundùm divinitatem mediatoris munus integrè obeuntem ponunt.

VIII. *Verbum per communicationem idiomatum dici potest Mediator Dei & hominū.*

Dicendum hunc hominem, & consequenter Verbum & Deum per communicationem idiomatum dici posse mediatorem Dei & hominum, nec in hoc major est difficultas, quàm in titulo redemptoris. Si tamen tribuamus singula singulis, suppositum divinum est principium *quod* cui tribuitur actio mediandi, principium verò *quo*, seu à quo actio illa procedit, est humanitas. Nec divinitati ergo nec humanitati in abstracto potest Mediatoris munus adscribi: ratio est clara, quia nec divinitas sine humanitate exercere potest actus mediandi, seu satisfactorios & meritorios, nec humanitas sine divinitate, cùm sine hac condignè meritoria remissionis offensæ hominum & reconciliationis peccatorum cum Deo nulla opera esse possint.

SECTIO QUARTA.

De Regno Christi.

I. *Dicit aliqui Iudæorum regnum hæreditario*

QUOAD regnum Christi, quorundam opinio fuit, Christum tanquam filium Beatæ Virginis, vel saltem ut filium legalem Joseph, fuisse hæreditario jure Regem Judæorum, quod

jure Christo fuisse debitum.

nonnullis Scripturæ testimoniis probant, ut ex illo Jeremiæ: *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit: & tu Bethleem terra Juda nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel*, Mich. 5. Deinde interroganti Christum Pilato, *Tu es Rex Judæorum?* respondit Christus, *Tu dicis.*

II. *Dicendum nihilominus, Christum nullum jus hæreditarium humanum, habuisse in regnum Judæorum.*

Contrarium tamen est tenendum, Christum scilicet nullum jus humanum hæreditarium habuisse in regnum Judæorum: quare prior sententia ab omnibus rejicitur, ut notat Tannerus hîc, quæst. 7. dub. 4. num. 66. Ratio est primò: Regnum quippe illud in Scripturâ Messiæ promissum, non fuit temporale, sed spirituale, ergo nullum est fundamentum asserendi Christum fuisse temporalem Regem Judæorum. Secundò: Quia nullo modo ostendi potest regnum temporale Judæorum ad Beatam Virginem, vel Sanctum Josephum pertinuisse, præsertim cùm ex Scripturâ ostendatur regiam stirpem Davidis jam dudum in Jeconiâ cessasse, de quo dicitur Jeremiæ 22. vers. 30. *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Quæ tamen verba, ut notat S. Hieronymus, intelligenda sunt de regno temporali, Christus enim quoad regnum spirituale sedit postea in solio David, & regnum illud retenturus erat in æternum. Quare in captivitate Babylonicâ cessavit successio in regnum, & substituti sunt Judices.

III. *Regnum Christo in Scripturâ promissum fuit spirituale,*

Certum autem est & indubitatum apud omnes, Christum ratione regni spiritualis habuisse jus & potestatem indirectam utendi rebus omnibus temporalibus, potestas enim spiritualis Christi debebat esse perfecta, & consequenter habere debuit vim utendi omnibus in ordine ad finem suum: quare cùm temporalia ad spiritualia tanquam ad finem ordinentur, potestas spiritualis illius manca fuisset, si dominium hujusmodi indirectum in res temporales non habuisset: quo sensu verum est quod de se dixit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.*

IV. *Habuerit ne Christus dominium etiam directum in Reges hujus mundi, & regna.*

Quæritur: Utrùm habuerit Christus dominium etiam directum in Reges & regna temporalia. Hac in re rejiciendus in primis est error Marsilii Patavini damnatus à Joanne XXII. Dicebat enim Christum non solùm non fuisse Regem temporalem, sed etiam jure fuisse Regibus subjectum & ad solvenda tributa, & alias eorum ordinationes servandas obligatum. Hoc ergo errore omisso,

V. *Christus dominium directum habuit in omnes res creatas.*

Dicendum, Christum ut hominem habuisse excellens quoddam dominium directum in omnes res creatas, ita ut de iis potuisset disponere: ita Suarez, Vasquez, & alii. Probatur primò ex illo Apocalypsis, ubi dicitur Christus *Princeps Regum terræ*, & cap. 19. appellatur *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Item primæ ad Corinthios 15. de Christo dicitur: *Omnia subjecta sunt ei, præter eum qui subjecit ei omnia*: tandem de se dicit Christus Matthæi ultimo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ*: quæ omnia apertè probant collatam esse Christo potestatem quandam ad res omnes, & consequenter regnis omnibus & Regibus eum fuisse superiorem.

Objicitur primò illud Joannis 18. ubi Christus de se dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, ergo Christus non habuit potestatem regiam temporalem. Respondetur in primis ex hoc testimonio haberi Christum fuisse Regem, hoc enim nomine se hîc appellat; quod verò dicat regnum suum non esse de hoc mundo, solùm negat se potestatem illam habere more aliorum Regum, nempe eo titulo acquisitam, quo illam acquirunt ipsi, nec etiam eo modo esse administrandam, per milites scilicet, & vires externas, quibus contra Judæos se defenderet. Unde de hoc Christi regno ait Sanctus Chrysostomus Homiliâ 82. in Joannem: *Erat quidem Rex Christus, non talis, qualis ab hominibus fit, sed talis ut homines Reges faceret.* Et Sanctus Augustinus tractatu 115. ait non dixisse Christum, Regnum meum non est *hîc*, seu in hoc mundo, sed non est *hinc*, nec de hoc mundo.

VI. *Obij. Dixisse Christum, Regnum meum non est de hoc mundo.*

Resp. Negare talium Christum se potestatem habere instar aliorum regum.

Objicitur secundò: Christi regnum ubique in Scripturis dici spirituale, ergo nullum argumentum est, quo probetur fuisse temporale. Respondetur: Licèt regnum ejus, quod prædicabatur à Prophetis, fuerit spirituale, nil tamen obstat quo minùs potestatem etiam temporalem habuerit disponendi de rebus omnibus terrenis. Neque hoc obstat quo minùs Christus hortaretur homines ad contemptum rerum terrenarum, & amorem paupertatis, ad hoc namque sufficiebat non habuisse Christum usum & dominium terrenum ejusmodi rerum, & splendorem illum ac pompam, quâ Reges in hoc mundo utuntur.

VII. *Esti regnum Christi à Prophetis prædicatum, fuerit spirituale, non obstat quo minùs etiam habuerit dominium temporale.*

Objicitur tertiò: Hinc sequi Reges omnes, qui tempore Nativitatis Christi erant in mundo, fuisse orto Christo regnis suis privatos. Negatur consequentia: Dominium enim Christi altioris ordinis erat, & non tollebat dominium privatum Regum, sicut nec illud tollit dominium Dei, quod habet in res omnes excellentissimum. Ad quam rem appositè S. Augustinus loco citato: *Regnum meum non est de hoc mundo, tacitè*, inquit, *dixit ad omnes Reges terræ, nolite timere, non impedio dominationem vestram.* Multo minùs sequitur quod inferunt aliqui, terrenos omnes Reges esse vicarios Christi, non enim eos loco suo substituit, nec leges ullas condidit, quas ab iis in terrenarum rerum administratione loco suo observari voluit, sicut fecit in spiritualibus, quod tamen Regibus respectu suorum substitutorum familiare est. Quare cùm Sanctus Thomas dicit Augustum Cæsarem à nato Christo fuisse ipsius vicarium, intelligendus est, quod habuerit Christus ejusmodi superiorem potestatem in Augustum & alios Reges, ut potuerit illos regnis suis pro libito privare, non tamen quod strictè fuerit illius vicarius, sicut dicuntur subinde divites Dei œconomi.

VIII. *Neque inde sequitur, nato Christo Reges omnes tunc in mundo existentes, fuisse regnis suis privatos.*

Ratio autem horum omnium est, quia humanitas Christi per unionem fuit infinitè dignificata: sicut ergo ratione hujus dignitatis non decebat ut Christus quâ homo subesset ulli Principi terreno, ita conveniens fuit ut cunctis esset superior, iisque imperaret, & de rebus omnibus disponeret pro libito, quâ potestate usum illum putant aliqui, quando dæmones in porcos dimisit, quando etiam in die palmarum jussit discipulos adducere asinam, & interrogantibus respondere: *Dominus ejus opus habet.*

IX. *Ratione ostenditur Christum habuisse dominium in omnia orbis regna.*

DISPU-

DISPUTATIO SEXAGESIMA.

De Filiatione Christi in ordine ad Deum.

SVPPONIMVS hic contra Arrianos, Christum quatenus est Verbum Patris, esse Filium Dei naturalem, ab eodem ab æterno genitum, ejusdem cum illo naturæ & substantiæ: unde per communicationem idiomatum, certum etiam est, Christum hominem esse Filium Dei naturalem, juxta illud primæ Ioannis cap. 5. Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus: *quod etiam ex aliis Scripturæ locis apertè deducitur.*

SECTIO PRIMA.

An Christus ut homo sit Filius Dei adoptivus.

I. *Dixit Elipandus Christum fuisse Filium Dei adoptivum.*

ELIPANDUS Archiepiscopus Toletanus, sicut Christum, ut supra vidimus, purum servum, ita Filium adoptivum esse affirmabat: contra quem cum sequacibus hac etiam in parte scribit Adrianus Papa, & Concilium Francofordiense verbis supra relatis. Hanc nihilominus sententiam tenet Durandus, & inclinare in eam videntur nonnulli ex Scotistis; dicunt enim probabile esse Christum fuisse filium adoptivum: licèt in modo sententiam suam explicandi dissentiant.

II. *Admitti nullo modo potest, Christum esse Filium adoptivum.*

Dicimus tamen cum sancto Thoma quæst. 23. artic. 4. P. Suarez Disput. 49. sect. 1. Vasquez Disp. 6. & omnibus communiter, nullâ ratione posse Christum vocari Filium adoptivum, quantumcumque addatur, etiam *in quantum homo*. Ratio est, quia esse adoptivum, est esse quoad naturam extraneum à substantiâ adoptantis, & solo affectu ei unitum ad participationem in bobis. Hoc desumitur ex Concilio Arausicano circa finem, ubi sic habet: *Quid est adoptio, nisi Charitatis copulatio, quâ Pater adoptione sibi copulat Filium, quem proprium non habet:* & in libro Sacrosyllabo, qui ponitur in Concilio Francofordiensi, sic habetur: *Porro adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptivus.* Cum ergo Christus non sit alienus à Deo, sed per intimam unionem ei conjunctus non potest dici Filius adoptivus, quæ vox necessariò importat negationem conjunctionis substantialis cum adoptante. Unde in eodem libro dicit Concilium Francofordiense: *Carnem ineffabiliter ex Virgine assumpsit, non adoptavit.*

Quisquis est adoptivus, alienus esse debet & extraneus in naturâ ab adoptante.

Hæ ergo duæ propositiones videntur à Concilio damnatæ: *Christus homo est Filius adoptivus Dei; Christus ut homo non est Filius naturalis Dei:* Elipandus enim, Fœlix, & alii illorum sequaces non negabant Christum esse Filium naturalem Dei, sed dicebant hoc ipsi competere ut Deo, nullo modo homini; sub hâc enim conditione dicebant ipsum esse Filium adoptivum: quæ apertè ostendunt hos hæreticos fuisse in re Nestorianos, & Christum divisisse in duas personas, creatam & increatam, dum in eo constituebant duos filios, naturalem, qui ipsi competit ut Deo, & adoptivum, qui eidem tribuatur ut homini, licèt utrum Concilium hanc propositionem damnaverit, *Christus in quantum homo est Filius adoptivus*; lis sit inter Auctores, Suarez negat, affirmat Vasquez, uterque convenit eam propositionem esse falsam.

III. *Duæ circa rem hanc propositiones à Concilio damnatæ.*

Dices: Christus ut homo habet gratiam habitualem, hujus autem effectus formalis est reddere Filium adoptivum, ergo dici poterit Christus ut homo Filius adoptivus, saltem secundùm quid, qui modus loquendi reperitur apud nonnullos Catholicos. Respondetur: quamvis hi Catholici in longè alio sensu loquantur, quàm Hæretici, qui Christum ut hominem filium adoptivum dicebant, distinguendo in eo personas, quod non faciunt Catholici, sed solùm ratione gratiæ habitualis: Respondeo inquam, nec ratione hujus dici posse Filium adoptivum, cùm Concilium ad adoptionem requirat, ut sit persona omnino extranea quæ adoptatur, quod, cùm humanitas vera & substantiali nexu uniatur Divinitati, affirmari de Christo non potest. Gratia ergo habitualis sola non tribuit denominationem Filii Dei adoptivi, sed ulteriùs requiritur ut sit negatio veræ & realis conjunctionis cum Deo, quod in Christo reperiri non potuit, ut constat.

IV. *Objic. Christus habuit gratiam habitualem, hæc autem denominat Filiũ adoptivum.*

Dices

V. *Objic. Humanitas secundùm se est Deo extranea, ergo per assumptionem adoptatur.*

Dices secundò: Humanitas Christi secundùm se sumpta est Deo extranea, cui proinde, quòd unita sit Verbo, magna facta est gratia, ergo ex affectu assumpta est, ergo habet conceptum adoptionis. Negatur consequentia: licet enim in hoc facta sit humanitati gratia, quòd Verbo unita fuerit, hoc tamen non sufficit ad conceptum adoptionis, sed ulteriùs requiritur, ut etiam post assumptionem adhuc maneat extranea, quod hic non contingit. Unde quamvis ex affectu & amore erga ipsam contulerit in eam Deus hoc beneficium, cùm tamen ex hoc amore effecta sit Deo non extranea, tollitur ipso facto conceptus adoptionis. Quod si in quibusdam legibus dicatur, posse nepotem adoptari ab avo, à quo tamen non est extraneus: Ratio hujus est, quia non in ita arcto gradu conjungitur Nepos Avo in ordine ad fruendum bonis, ac conjungitur per adoptionem ratione constitutionis legum, quæ hæc invertunt pro libito, humanitas verò arctissimè per verum & substantialem nexum conjungitur Deo, & quo arctior reperiri non potest, præter identitatem.

VI. *Objic. Nonnulli ex sanctis Patribus asserere videntur Christum fuisse Filium Dei adoptivum.*

Restat solùm difficultas circa mentem quorundam ex Patribus, qui Christo subinde adoptionem tribuere videntur, sanctus enim Irenæus lib. 3. adversus hæreses, cap. 21. ait per adoptionem illum factum esse filium Dei: idem docet Marius Victorinus, quos duos fatetur Vasquez Disp. 89. c. 15. esse in hac sententia: alii tamen cum Suario Sect. 2. aiunt S. Irenæum loqui, non de adoptione Christi, sed de nostrâ per Christum. De Victorino minùs dicunt laborandum aliqui, cujus non tanta in hac re est auctoritas, cum Rhetor fuerit, non Theologus. Ambigua etiam est mens sancti Hilarii adducti à S. Thoma hîc, quæst. 23. art. 4. in argumento, *Sed contra*, qui de Christo sic loquitur, *ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur*: quem S. Thomas, S. Bonaventura, & alii Scholastici impropriè hac in parte locutum asserunt. Vasquez verò ait locum mendosum esse, & in quibusdam libris inveniri, *Carnis humanitas adoratur*, non adoptatur.

SECTIO SECUNDA.

Quo sensu Christus ut homo sit Filius Dei naturalis.

I. *Christus ut homo est per communicationem idiomatum Filius Dei naturalis.*

Dico primò: Christus ut homo, seu Verbum, etiam ut subsistens in naturâ humanâ, & per communicationem idiomatum est Filius Dei naturalis. De hac conclusione non videtur dubium; sicut enim dicitur, *Hic homo creavit cœlos, produxit Spiritum Sanctum*, &c. ita quidni dici poterit, *Hic homo est Filius Dei naturalis.* Hoc fortasse, & nihil aliud vult Adrianus & Concilium Francofordiense, dum definiunt Christum secundùm humanitatem, seu ut hominem, esse Filium Dei naturalem, nempe Verbum, etiam ut in humanitate, esse Filium Dei naturalem, nec per unionem ad carnem dignitatem illam amisisse.

II. *Declaratur ulteriùs qua hac in re sit sententia Cœcilii Francofordiensis.*

Quòd autem hæc sit mens Concilii, probatur, adducens enim locum illum Sancti Pauli ad Romanos 9. *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula:* ibi loquens de Christo secundùm carnem, Apostolus dicit eum esse Deum, ex quo infert Concilium, si verus Deus, etiam est verus filius, & si verus filius, nequaquam adoptivus, ergo non aliud vult Concilium, quàm Christum secundùm carnem esse filium eo sensu, quo ab Apostolo vocatur verus Deus, cùm itaque hic homo sit Deus per communicationem idiomatum, eodem etiam modo erit filius Dei naturalis. Postea afferens Concilium auctoritates Patrum sic ait: *Hæc testimonia ideo posuimus, ut cognoscatis Deum ac Dominum nostrum JESVM CHRISTVM in utraque naturâ esse & unigenitum & primogenitum non adoptivum, sed magnum Deum.* Vult ergo Concilium in utrâque naturâ esse Christum filium naturalem, sed eo tantùm modo, quo in utraque natura est magnus Deus, nempe specificativè, ut scilicet is, qui est in utrâque naturâ, sit magnus Deus, & filius naturalis. *Christus, inquit Concilium, in utraque natura est & Unigenitus & primogenitus.*

III. *Objic. Ergo solùm damnat Concilium hæresim Nestorii, Elipandus autem non erat Nestorianus.*

Dices primò: Si Pontifex & Concilium solùm definiant Christum ut suppositum humanæ naturæ esse filium Dei naturalem, ita ut idem sit suppositum humanæ & divinæ naturæ, non condemnassent nisi hæresim Nestorii, Elipandus autem Nestorianus non fuit. Respondetur tamen hoc definire Pontificem, & nihil aliud: ad illud de Elipando, dico illum verè Nestorianum fuisse, nam in Epistolâ synodali dicitur hæc hæresis olim cum Nestorio damnata, deinde Elipando objiciunt Patres, quòd cùm aliis hæreticis dixisset anathema, Nestorium tamen omisisset, quod indicium erat Elipandum cum Nestorio conspirasse: ad cujus etiam confirmationem facit quod in libro sacrosyllabo in hoc Concilio recitato vocetur hæresis veternosa, & olim penitus detruncata.

IV. *Declaratur quid voluit Concilium, dum ait Christum, non secundùm divinitatem tantùm, sed etiam humanitatem fuisse Filium Dei naturalem.*

Dices secundò: Pontificem asserere Christum, non secundùm divinitatem solùm, sed etiam humanitatem esse Filium Dei naturalem. Respondetur non aliud his verbis velle Pontificem, quàm suppositum illud, etiam ut in naturâ humanâ, seu hunc hominem esse Filium naturalem Dei, neque ex unione ad humanitatem dignitate illâ excidisse, neque hunc hominem esse purum hominem. Cùm ergo Pontifex affirmat Christum secundùm humanitatem esse Filium Dei naturalem, non aliud vult, quàm eum non solùm ut Deus est, sed ut subsistit in humanâ naturâ esse Filium Dei, nec per Incarnationem factum esse à Deo extraneum.

V. *Christus tamen non est ut homo Filius Dei naturalis, Filiationis increatâ humanitatem afficiens.*

Dico secundò: Christus non eo sensu est *ut homo* filius Dei naturalis nempe filiatione increatâ humanitatem per unionem hypostaticam afficiente: est contra Suarez hîc, Disput. 49. sect. 1. & 2. Vasquez Disp. 89. cap. 4. & alios: tenere tamen videtur Valentia quæst. 33. p. 1. Lugo Disp. 31. sect. 3. & Scotistæ communiter. Ratio deducitur primò ex definitione filii naturalis, qui censetur is, qui per naturalem generationem à Patre procedit, generatio autem juxta Philosophum est *origo viventis à vivente, ut à principio conjuncto in similitudinem naturæ*, per unionem autem hypostaticam non accipit humanitas naturam divinam per veram generationem, & consequenter Christus quà homo hoc sensu non est filius Dei naturalis. Quod si quis dicat non esse filiationem hanc propriissimam illam, sed aliam inferioris ordinis: Contra est, Patres enim de Filiatione propriâ loquuntur, novam autem inducere est philosophari pro libito. Confirmatur: Patres Filium in divinis consubstantialem Patri esse probant ex eo quòd in Scripturis dicatur Filius

Filius Dei: quæ tamen ratio nil concluderet, si per unionem præcisè accipere aliquid posset veram rationem filii naturalis.

VI. *Ex aliâ sententiâ sequitur Christum esse Filium naturalem totius Trinitatis.*

Secundò probatur: quia in contrariâ sententiâ sequeretur Christum quâ hominem esse filium naturalem totius Trinitatis, atque adeo Spiritus Sancti & sui: quod licèt admittant Suarez & Vásquez, est tamen expresè contra Patres, & in primis contra S. Augustinum l. 2. de Trinitate, cap. 10. ubi ait vocem illam cælitus delapsam, *Hic est Filius meus dilectus*, &c. ad solum Patrem esse referendam, alioqui sequeretur, inquit, Christum esse Filium Spiritus Sancti, aut suum. Idem docet Concilium Toletanum undecimum, ubi dicunt Patres, Christum Jesum nullo modo Spiritus Sancti filium credi, vel intelligi posse, idque non solùm per generationem æternam, sed nec generatione conceptionis ex Virgine.

VII. *Si Pater (idem est de Spiritu Sancto) assumeret naturam humanam, homo ille non esset filius naturalis Dei.*

Dico tertiò: Si Pater aut Spiritus Sanctus assumeret naturam humanam, non esset homo ille filius Dei naturalis: ita Auctores pro priori conclusione citati. Ratio est: quia homo in hoc casu non procederet à Deo per veram & realem generationem naturalem ex substantiâ ipsius generantis. In hoc tamen casu dici posset homo ille Pater Verbi æterni, vel Spiritus Sanctus, sicut juxta sanctum Thomam dici posset Deus.

VIII. *Quamvis dictus homo non esset filius naturalis, non tamen foret filius adoptivus.*

Objicitur primò: Si Pater assumeret naturam humanam, homo ille non esset Filius adoptivus, ergo naturalis. Negatur consequentia: esto enim ob unionem ad Verbum, longè altiorem titulum habeat ad gloriam & bona Dei participanda, quàm nos per gratiam habitualem, non tamen propterea sequitur esse Filium naturalem, adoptivus autem esse non potest, cùm non sit persona extranea: sicut si Angelus assumeret naturam humanam, communicando illi suam personalitatem, homo ille non esset filius naturalis Angeli. Ad filiationem ergo naturalem requiritur ut habeat naturam alterius, non quomodocumque sibi communicatam, sed ita ut accipiat naturam per veram generationem, vel ipsius naturæ, vel saltem suppositi ex substantia generantis.

IX. *Dices: Humanitas per hanc unionem habet jus ad gloriam, ergo Christus hoc etiam modo est Filius Dei naturalis.*

Objicitur secundò: Humanitas per unionem ad Verbum habet verum jus ad bona Dei, & vitam æternam, ergo, est hæres, ergo Christus ut homo reduplicando ipsam humanitatem est Filius Dei naturalis. Respondetur non quodvis jus ad bona Dei constituere Filium vel adoptivum vel naturalem; licèt enim arguat Apostolus, est Filius, ergo hæres, non tamen è contra: sic enim Spiritus Sanctus esset Filius Dei, cùm habeat jus essentiale ad bona Dei.

X. *Gratia habitualis quo pacto reddat nos filios.*

Nec propterea gratia habitualis reddit nos filios, quia dat jus ad gloriam, sed quia dat jus illud peculiari modo, nempe per adoptionem, quæ est assumptio personæ extraneæ ad curam paternam, & hæreditatem, sicut si esset filius, quemadmodum filiatio naturalis est illa, quæ fundatur in verâ & propriâ generatione naturali; jus autem quod ex unione merè consistit, licèt perfectius sit jure resultante ex adoptione, imò & fortasse filiatione naturali inter Patrem creatum & Filium, non tamen constituit filiationem. Unde nec omnis sanctitas est filiatio, ut de gratiâ habituali constat in Christo, sed ut sit filiatio adoptiva, dari debet personæ extraneæ, ut sit naturalis, per veram & propriam generationem conferatur necesse est. Filiatio itaque adoptiva non univocè, sed analogicè convenit cum naturali, quatenus est quædam illius imitatio.

XI. *Obj. Adrianum Papam verba illa, Hic est Filius meus dilectus, &c. referre ad totam Trinitatem.*

Objicitur tertiò: Adrianum in sua Epistola referre vocem illam: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; ad totam Trinitatem: tota enim, inquit, Trinitas in homine Christo complacuit. Respondetur, cùm sanctus Augustinus, Hilarius, Cyrillus, Cyprianus, ac Patres communiter, & Concilium primum Toletanum verba illa referant ad solum Patrem, incredibile est Adrianum his omnibus contraire voluisse, & toti Trinitati adscribere, imo expresè ait Pontifex illam fuisse solius Patris. Verùm est quidem, Adrianum verbum illud *complacui*, ad totam Trinitatem referre, non quòd tota Trinitas illud dixerit, sed quòd Pater dixerit, ex eo quòd omnes Personæ in Christo homine complacebant sibi etiam in eodem complacuisse.

XII. *Sermo in Scripturâ ut plurimùm est de amore notionali æterni Patris in Filium æternum.*

Rationem verò hujus optimè reddit Lugo, quia quandocumque sermo est in Scripturâ sacrâ de amore Patris æterni in Filium æternum, intelligendum est de amore notionali, nempe quo producunt Spiritum Sanctum, unde Spiritus Sanctus non solet dici amare Filium: quando ergo dicitur omnes tres Personas complacuisse in Filio, verosimile est sermonem esse de Christo ut homine, seu de amore terminato ad humanam ipsius naturam: per quod tamen non aliud intendit Pontifex, quàm hominem illum, in quo complacebant, verè fuisse Filium Dei.

DISPV-

DISPUTATIO SEXAGESIMA PRIMA.

De Adoratione Christi.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quædam circa naturam Adorationis.

I. *Adoratio in quo differat ab honore.*

ADoratio hoc ab honore differt, quòd superior honorare inferiorem possit, & Deus hominem, adorare autem non possit; adoratio quippe ex conceptu suo est nota venerationis ac submissionis internæ ergà personam quam adoramus ex apprehensione excellentiæ in ipsa repertæ: honor verò est nota excellentiæ sine submissione. Adoratio itaque licèt interdum cultum soli Deo debitum significet, tribuitur tamen etiam nonnunquam creaturis, unde Bersabee dicitur adorasse Davidem, quod & in aliis contigisse constat. Hæ tamen duæ adorationes longissimè inter se distant, & plusquam specie differunt; altera enim latria seu θεοσέβεια dicitur; altera δουλία, seu cultus creaturæ debitus.

II. *Quid adoratio requirat ex parte intellectus, quid ex parte voluntatis.*

Ad adorationem itaque ex parte intellectus ordinariè requiritur apprehensio excellentiæ, ex parte voluntatis volitio submittendi se alteri, tandem requiritur nota submissionis, & in hoc ultimo sita est adoratio. Hinc infero cum Patre Lugo Disput. 23. sect. 2. contra Suarez hîc, Disp. 51. sect. 1. & 2. & Vasquez Disp. 95. num. 18. actum externæ adorationis fictè exhibitum sine apprehensione excellentiæ, esse veram adorationem, ut si quis fidem interiùs servans incensum offerat idolis. Ratio est, quia adoratio est signum internæ submissionis, ad hoc autem non requiritur ut verè sit in animo interna submissio, sicut cum quis dicit se videre vel intelligere quod nec videt nec intelligit, propositio illa vocalis est tam signum illius, atque si verè videret & intelligeret.

III. *Si quis tamen irrisoriè genu ante idolum flecteret, non esset adoratio, sed contemptus.*

Dices primò: Ergo si quis irrisoriè ante idolum genu flecteret, illudque hoc modo adoraret, esset vera adoratio. Nego consequentiam, quia ex modo quo fit, sufficienter ostenditur non esse signum internæ adorationis, sed potiùs contemptus.

IV. *Objic. Si non sit submissio interna, signum illud est falsum, ergo non est vera adoratio.*

Dices secundò: Submissio illa externa est signum submissionis internæ, ergo si non sit submissio interna, hoc signum est falsum, cum significet id quod non est; ergo non est vera adoratio. Distinguo primum consequens: ergo hoc signum est falsum, id est, non est conforme rei signatæ, concedo; non participat veram rationem signi, nego, & negatur ultima consequentia; ad veram enim adorationem sufficit quod sit signum submissionis internæ, sive illa adsit, sive non; quisquis enim alterum intuetur seriò quoad externam operationem idolo incensum offerentem, æquè existimabit ipsum habere actum submissionis internæ, ac si verè illum haberet.

V. *Quæres: Sitne ad adorationem necessariò actus aliquis externus.*

Quæres: Utrùm ad adorationem requiratur actus aliquis externus, an compleri adoratio possit ad intra. Magna hîc est controversia inter P. Suarez & Vasquez, quorum hic affirmat requiri semper actum externum, ille negat, quod videtur probabilius: primò & à priori, quia adoratio definitur, *submissionis erga aliquem nota*, nulla autem est ratio cur non possit dari interna nota submissionis, æquè ac externa. Confirmatur: sicut namque homines verbis externis sibi invicem loquuntur, ita Angeli loquuntur internis conceptibus, quare ergo sicut verbis externis possumus Deum adorare, quod frequenter facimus, dum dicimus *Adoramus te Christe*, &c. non etiam poterimus id præstare internis.

VI. *Homines in sacris Literis dicuntur in spiritu adorare Deum.*

Secundò probatur: Sæpè in Scripturâ sacrâ dicuntur homines in spiritu adorare Deum, qui & veri adoratores à Christo vocantur Joannis 4. ergo non requiritur externa aliqua operatio. Confirmatur: Angeli in suâ republicâ potuissent se adorare, & cultum sibi invicem exhibere, quod quamvis Vasquez neget, videtur tamen ad perfectè institutam rempublicam, qualis illa fuisset Angelorum, omnino spectare. Difficulter etiam intelligitur quomodo signo aliquo externo fieri possit, quod alii volunt. Confirmatur secundò: Hinc enim sequeretur hominem, qui usum membrorum sui corporis non haberet non posse Deum adorare. Cùm ergo dari possit interior nota submissionis sicut exterior, non est cur ad adorationem requiratur actus externus.

VII. *In quo actus ille sita sit interna adoratio.*

Quæres secundò: Quis sit actus ille internus, in quo consistit adoratio. Respondetur, universim illum esse, qui est nota seu testificatio submissionis, sicut adversarii dicere debent non quamvis actionem externam esse adorationem, sed illam, quæ vel ex naturâ suâ, vel hominum institutione est nota submissionis internæ, alioqui per ambulationem, aut studium, posset quis alterum adorare. In particulari verò decidi hæc quæstio debet secundùm diversas in materiâ de Angelis sententias, qui enim dicunt locutionem internam consistere in actu intellectus, dicent similiter hanc notam submissionis in eodem consistere; qui verò locutionem hanc statuunt actum voluntatis dirigentem conceptus ad alios, dicent consequen-

consequenter adorationem internam in eo consistere. Quam quæstionem fusè discussi Tomo præcedente, disputatione septuagesimâ quintâ.

VIII. *Adoratio est actus religionis.* Quæres tertiò: Cujus virtutis actus sit adoratio? Respondetur, esse actum religionis, cùm particulari modo spectet ad cultum Dei. Et quamvis imperari possit à charitate, non tamen est actus charitatis, sicut nec conculcatio imaginis crucifixi ex odio Dei est actus odii, sed sacrilegii. Ratio verò cur actus religionis non sint actus Theologici est, quia non feruntur immediatè & formaliter in Deum ut in objectum formale, sed in honestatem peculiarem illorum actuum, ut latiùs diximus in materiâ de Fide, Spe, & Charitate.

IX *Divisio adorationis in* Latriam, Douliam, & Hyperdouliam. Dividitur adoratio in *Latriam*, quæ est cultus tributus Deo, *Duliam*, quæ Sanctis, & *Hyperduliam*, quæ est cultus ob singularem sanctitatem conferri solitus Beatissimæ Virgini exempli gratia. Pater Vasquez disp. 99. num. 18. ait ne analogicè quidem de his tribus dici adorationem. Videtur tamen probabiliùs de iis dici etiam univocè, nec enim huic obstat distantia objectorum, sic enim nec visio aut amor Dei, & creaturæ convenirent univocè, cùm tanta hîc sit distantia objectorum. Id verò notandum, quando tribuitur cultus latriæ Deo ob diversa ejus attributa, licèt moraliter loquendo cultus sit ejusdem rationis, cùm omnia Dei attributa sint inter se æqualia, & realiter identificata cum essentiâ, metaphysicè tamen loquendo, cultus ille latriæ, quo adoratur Deus ratione sapientiæ est diversus specie ab illo, quo adoratur ratione justitiæ, & sic de aliis.

SECTIO SECUNDA.

De adoratione Humanitatis Christi.

I. *Possitne Christi humanitas adorari cultu* Latriæ. QUÆSTIO est, Utrùm adorari possit *Latriâ?* Non ita ut ratio ipsa formalis, ob quam adoratur, sit ipsa humanitas, hoc enim certum est fieri non posse, sed utrùm humanitas ut *quod* adorari possit latriâ, etsi non ut ratio formalis propter quam adoratur. Supponimus enim Christum hominem adorari posse latriâ, cùm hoc de fide sit, & in Concilio non semel definitum. Ratio etiam evidens id convincit, Christus enim realiter est Deus, & consequenter ratione suppositi non est dubium quin debeatur ipsi cultus divinus.

II. *Potest Christi humanitas adorari* Latriâ, *simul cum Verbo.* Dicendum primò, humanitatem Christi adorari cultu latriæ simul cum Verbo posse, ita scilicet ut idem numero actus *latriæ* feratur in totum Christum, ratio tamen formalis cur hoc modo adoratur, non est humanitas, sed Verbum. Ita Suarez disp. 53. sect. 2. Lugo disp. 34 sect. 2. Vasquez disp. 95. cap. 2. aitque esse de fide, & definitum in Concilio Alexandrino, estque frequens loquendi modus apud Sanctos Patres, utpote quem usurpat S. Damascenus, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Leo, & alii.

III. *Eadē veritas probatur ex Cōcilio Tridentino.* Probatur primò ex Concilio Tridentino, quod sessione 13. cap. 5. & canone 5. definit Eucharistiæ Sacramentum adorandum esse *latriâ*, ergo non soli Christo, sed speciebus etiam exhibetur illa adoratio, cùm Christus solus non sit Sacramentum, ergo cùm humanitas non minùs constituat unum totum cum Verbo, quàm Species panis cum Christo, non minùs ratione Verbi adorari poterit, & debebit humanitas partiali adoratione *Latriæ*, quàm in Sacramento species. Confirmatur exemplo, quo uti solebat S. Cyrillus, quia sicut totus homo adoratur cultu Duliæ, ita ut cultus ille feratur non ad animam solùm, sed corpus, ratione tamen solius excellentiæ in animâ residentis, ita & totus Christus etsi ratione excellentiæ in solo Verbo existentis.

IIII. *Diverso modo terminatur hic actus ad Verbum, & ad humanitatem.* Notandum verò, quamvis idem actus adorationis terminetur in hoc casu ad humanitatem & Verbum, diversâ tamen ratione, ad Verbum enim terminatur hæc adoratio propter excellentiam suam, ad humanitatem verò propter excellentiam Verbi: unde humanitas non dicitur per hunc actum adorari simpliciter, sed coadorari, Verbum autem & Deus dicitur simpliciter, & per se adorari, quia adoratur omnino independenter ab ullâ excellentiâ non propriâ. Diverso tamen modo adoratur hîc humanitas, quàm imago Christi, licèt enim excellentia Verbi non sit eo modo propria humanitatis, quo est propria Verbi, verè tamen est excellentia humanitatis per veram & physicam illius unionem in eodem supposito, per quam constituit perfectissimè unum cum Christo. Quod si quis propterea nolit esse *Latriam*, quia non terminatur ad humanitatem propter ipsam humanitatem, sed Verbum, quæstionem fecerit de nomine.

V. *Quo sensu dicant nonnulli ex Patribus, humanitatem Christi non esse adorandam Latriâ.* Et hoc sensu intelligendi sunt S. Damascenus, Sanctus Epiphanius, & alii nonnulli ex Patribus, dum negant humanitatem Christi adorari *Latriâ*; solùm enim volunt, non eodem modo exhiberi cultum humanitati quo divinitati, sed huic per se & simpliciter, illi ratione hujus, & cum hac conditione implicitâ, nempe quamdiu fuerit pars hujus suppositi. Eundem tamen cultum quoad substantiam non negant humanæ Christi naturæ & divinæ simul exhiberi.

VI. *Videtur etiā posse sacrificiū illi partialiter unà cum Verbo offerri.* Quæres: Utrùm etiam sicut humanitas Christi partialiter adoratur unà cum Verbo, ita partialiter etiam illi offerri possit sacrificium unà cum Deo. Negat Vasquez disp. 96. num 61. Probabilius tamen videtur, quod asserit Pater Suarez disp. 52. sect. 2. nihil in hoc reperiri implicantiæ.

VII. *Quamvis humanitas non habeat supremum dominium, toti tamen Personæ offerri potest sacrificium.* Dices cum Vasquez citato, Sacrificium Deo offerri in testimonium supremæ illius potestatis & dominii, & in quantum est Auctor vitæ & mortis, hæc autem humanitati non competunt, ergo. Respondetur: Licèt quidem hæc humanitati non competant, sicque per se & sigillatim offerri illi sacrificium non possit, nil tamen vetat quo minùs offerri sacrificium possit toti personæ, ut agnoscamus potestatem, quam habet ratione unius partis, ut hîc contingit in Christo.

VIII. *Sub aliquâ ratione adorari humanitas Christi potest* Douliâ, *vel* Hyperdouliâ. Dicendum secundò cum Sancto Thoma q. 29. art. 2. posse humanitatem, consideratam cum excellente gratiâ habituali, & aliis dotibus supernaturalibus, adorari duliâ, vel potiùs hyperduliâ, ob eximia dona, quæ in se continet. Hæc conclusio est contra Vasquez loco citato, qui eam acerrimè impugnat: Sed probatur, nil enim impedit quo minùs concipi possit Christi humanitas cum solis donis creatis; esto enim revera sit unita Verbo, mente tamen concipi potest sine illo, sicut & Verbum sine humanitate, vel materia sine formâ, aut anima sine corpore, cui tamen de facto est unita, sed humanitas sic considerata non est apta adorari alio cultu, quàm hyperduliæ,

hyperduliæ, ergo. Confirmatur primò: Potest Christus amari & laudari ob illa dona, cur ergo non etiam adorari. Confirmatur secundò: Sanctis ob dona gratiæ & gloriæ debetur cultus *duliæ*, quidni ergo & Christo cultus *hyperduliæ*.

IX. *Practicè tamen & moraliter, hoc respectu humanitatis Christi rarò contingit.*

Hoc quidem speculativè verum est, practicè tamen & moraliter, ut notat Suarez, rarò contingit, cùm persona quævis ut plurimum maximo cultu ex omnibus sibi debitis adoranda sit. Si tamen quis distinguere norit has duas excellentias, poterit utroque modo Christum adorare: sicut illi, qui esset simul Rex & Comes, posset quis in testimonium utriusque dignitatis honorem utrique dignitati congruum exhibere, & duobus donis distinctis utrumque in eo titulum agnoscere, nec tribuendo illi honorem Comitis, negatur honor Regis. Sic etiam quando Deum adoramus non tenemur semper ob omnia illius attributa cultum ei præbere, sed præscindimus unum attributum ab alio, & non semper cogitamus de perfectissimo, nec ob illud venerationem Deo exhibemus, quod tamen nulli vertitur vitio.

X. *Adoratio quâ coleretur Christi humanitas ob sanctitatem increatam, non esset perfectissima.*

Dicendum tertiò, adorationem illam, quâ coleretur humanitas, etiam propter sanctitatem increatam, quam sibi habet unitam, non esse perfectissimam *Latriam*, sed imperfectam. Ratio est, quia non sufficit ad perfectam adorationem *Latria* ut adoretur res aliqua propter summam Dei excellentiam, quam habet quocunque modo, sed modo omnium perfectissimo, nempe per identitatem, & necessariò, quod tamen humanitati non competit.

XI. *Quando humanitas Christi adoratur propter unionem ad Verbum, Verbum per actum illum propriè non adoratur.*

Ratio autem ulteriùs est, quando enim adoratur humanitas propter unionem ad Verbum, licèt quidem excellentia Verbi sit ratio impulsiva, propter quam movemur ad hunc cultum humanitati præstandum, Verbum tamen ibi verè & propriè non adoratur: sicut quando adoramus Sanctos ob gratiam & gloriam, non adoramus ipsam gratiam aut gloriam; cùm ergo *Latria* sit cultus Deo datus, hæc adoratio non potest esse propriè *Latria*.

XII. *Quo sensu docent Cœcilia Christum unâ tantùm adoratione esse adorandum.*

Dices: Concilia definiunt Christum unâ tantùm adoratione adorandum esse, nos autem plures ei adorationes tribuimus, ergo adversamur Conciliis. Respondetur, solùm docere Concilia non quacumque ratione consideratum, sed secundùm Personam unâ tantùm adoratione colendum esse, non duabus, ita scilicet ut una adoratio ad Christum spectare videatur, altera ad Verbum, hoc enim saperet errorem Nestorii: quoad naturam tamen quinta Synodus docet non necessariò esse unâ adoratione adorandum, ne aliquo modo confundi videantur naturæ. Respondetur secundò, non obstante hac definitione Concilii, certum esse posse Verbum per se adorari non adoratâ directè humanitate, ergo solùm volunt Concilia non ita esse duas adorationes, ut una terminetur ad Verbum, alia ad Christum, quasi Verbum non esset de intrinseco conceptu Christi.

XIII. *Cùm Beatissima Virgo alios omnes Sanctos in gratiâ longo superet intervallo, meretur cultum omnium cultu præstantiorem.*

Circa adorationem Deiparæ debitam, cùm in gratiâ & dotibus supernaturalibus Sanctos, non singulos tantùm, sed omnes simul sumptos, ut asserunt Theologi, longo superet intervallo, peculiarem etiam cultum, quem *hyperdulian* vocant, sibi vendicat. Qui etiam cultus eidem ut Mater Dei est, debetur, cùm *Latria* soli Deo debeatur. Quod verò afferunt hæretici contra cultum Virginis auctoritatem Sancti Epiphanii reprehendentis quasdam mulierculas, quæ imaginem Virginis circumferebant, & liba ei ac alia dona offerebant, solùm eas hoc nomine reprehendit Sanctus Epiphanius, quod sacrificium illi offerre viderentur.

SECTIO TERTIA.

De cultu Sanctarum Imaginum.

I. *Non licitum solùm, sed etiam sactus est sanctarâ imaginum usus.*

NON licitum tantùm, sed sanctum esse imaginum sanctarum usum, contra nostri temporis hæreticos, tota testatur antiquitas. Probatur primò duabus imaginibus à Christo ipso efformatis, alterâ ad Abagarum Edessæ Regem missâ, cujus meminit Sanctus Damascenus, & alii auctores antiqui, alterâ tempore passionis in syndone efformatâ, quarum utraque hodie Romæ asservatur. Sanctus item Sylvester Constantino ostendit imagines Sanctorum Petri & Pauli, quas apud se servabat. Præterea Sanctus Lucas varias Christi & Beatissimæ Virginis imagines pinxisse antiquissimi referunt Auctores: Ac proinde hoc tantâ auctoritate firmatum est, ut refragari citra temeritatem nullus possit.

II. *Objic. illud Deuteronom: Non facies tibi sculptile.*

Objiciunt hæretici nostri verba illa Scripturæ sacræ Deuteronomii 4. & 5. *Non facies tibi sculptile*, ergo non est licitus imaginum usus. Peter Suarez cum aliis viris doctissimis negat fuisse à Deo prohibitas quascumque imagines, sed idola tantùm, & falsorum Deorum simulacra; alioqui non esset licita quarumcumque imaginum efformatio, quod apertè falsum est. Vasquez tamen ob summam illius populi ad Idololatriam propensionem, quarumcumque imaginum ad cultum aptarum efformationem fuisse illis hominibus prohibitam existimat: ait tamen hoc præceptum cæremoniale tantùm fuisse, sicque in lege gratiæ unâ cum reliquis cæremoniis fuisse abrogatum. Imo à Deo etiam tempore legis scriptæ fuisse in hoc præcepto dispensatum constat, cùm duos Cherubinos juxta arcam poni præceperit, & serpentem æneum à Moyse in deserto confici, ergo sicut tunc licuit Moysi serpentem illum, qui erat typus quidam Christi erigere, quidni nobis Christi imagines efformare & custodire licebit.

III. *Temerarium nunc esset negare posse Dei ac Trinitatis imagines efformari.*

Nec Christi tantùm & Sanctorum, sed Dei ac Trinitatis imagines efformare licet, cujus contrarium etsi Catholici nonnulli olim tenuerint, nunc tamen, saltem sine temeritate sustineri non potest. Probatur primò ex septimâ Synodo, actione 5. ubi approbatur imago Spiritus Sancti instar columbæ efformata, quod in eâ specie aliquando apparuisset: cùm ergo Deus in formâ corporeâ subinde sese hominibus ostenderit, non est cur etiam in formâ corporeâ depingi non possit. Deinde quamvis Deus corpus & diversas illius partes non habeat, variæ tamen humani corporis partes illi ad exprimendas illius perfectiones in sacris literis ascribuntur, quidni ergo humanâ specie exprimi per imaginem eo modo poterit, quo per verba in Scripturâ sacrâ exprimitur.

IIII. *Licitè asservatur Imagines, ut cultus iis aliquis exhibeatur.*

Ulteriùs dicendum contra hæreticos, non solùm asservari imagines licitè posse ad inducendum nos in memoriam Dei, & Sanctorum, sed ita ut cultus etiam aliquis iis exhibeatur. Hoc in primis probatur ex veteri testamento, ubi rebus quibusdam inanimatis, eò quòd peculiari modo Deo sacræ erant, cultus & adoratio exhiberi jubebatur, ergo non est cur imagines Dei, & Sanctorum

Sanctorum adorari similiter non possint, antecedens probatur ex illo Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est*, & Psalmo 131. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*, quæ de arcâ testamenti intelliguntur: præterea mensæ propositionis tabernaculo, & aliis peculiarem quendam cultum exhibitum à Judæis fuisse asserit S. Damascenus, & septima Synodus actione tertiâ.

V. *Non persona tantùm in honore posita, sed res etiâ ad personam illam spectantes cum honore sunt tractãdæ.*

Ratio autem hujus est, quia lumine naturæ notum est non solùm personam in honore positam cum honore tractandam esse, sed res etiam omnes, quæ peculiari modo eam referunt: sic in naturalibus imagines Regum, ac thronos honorificè tractant homines; quis ergo sanæ mentis hoc Sanctorum imaginibus exhiberi posse neget, cùm Sancti non solùm Reges sint, utpote qui regnum cœlorum possident, sed Regibus omnibus mundanis multò excellentiores, pro majori autem & diversâ excellentiâ major & diversus honor debetur. Confirmatur: Ob respectum erga Regem nulli unquam licuit impunè illius imaginem conculcare, & injuriâ afficere, ergo à fortiori fas non erit Sanctorum imagines hoc modo tractare; quare ergo, sicut ob respectum erga Sanctos tenentur omnes ad abstinendum ab injuriis eorum imaginibus inferendis, non etiam iisdem possunt cultum aliquem Sanctorum intuitu exhibere, sicut enim injuria in imaginem redundat in Sanctum, ita & honor.

VI. *Quares qui modo adorari possint imagines?*

Controversia est inter Auctores de modo, quo adorari possint imagines, utrùm nimirum imagines per se sint adorandæ, an solùm cum exemplari, & propter ipsum, quam quæstionem acerrimè disputant Suarez & Vasquez, ille enim cum Bellarmino, & aliis docet imaginem per se coli posse cultu aliquo, & adoratione inferiori cultui illi, qui per se & directè exhibetur exemplari, Vasquez verò & alii nolunt adorationem internam & submissionem ullo modo ferri ad imaginem ipsam, sed ad solum prototypon, ita ut quia concipiendo excellentiam in prototypo cui vult se submittere, & apprehendens aptum modum significandi hanc suam subjectionem erga prototypon esse, ut osculetur ipsius imaginem, de facto hanc ei reverentiam exhibet.

VII. *Imagini propter se nullus exhiberi cultus potest.*

In primis in confesso est apud omnes imagini propter se nullum cultum exhiberi posse, sed solùm intuitu exemplaris; nec enim lapis & lignum quidquam in se habent, ob quod solitariè & absolutè sumpta exhiberi illis cultus debeat. Unde non potest adorari imago, quin eodem actu adoretur etiam exemplar: cujus ratio ulterior est, quia adoratio secundùm omnes est pars justitiæ, unde ex conceptu suo tendere debet ad solvendum id quod alicui naturæ rationali debitum est. Licèt ergo, quando adoratur imago simul cum exemplari, actus ille adorationis, prout terminatur ad imaginem, non sit actus justitiæ respectu illius, cùm erga lignum aut lapidem justitia esse non possit, semper tamen actus adorationis internus est actus justitiæ respectu alicujus.

VIII. *Submissio interna est duplex.*

Ad quæstionis itaque resolutionem notandum, submissionem internam, cujus nota est adoratio externa, esse duplicem: prima & præcisa, qua agnoscimus rem aliquam esse nobis digniorem, & excellentiorem, cui proinde nos verè subjicimus, & illi inferiores nos agnoscimus, hunc autem cultum nullus prudenter habere potest imagini, cùm nullus prudenter existimare possit rem inanimatam se esse digniorem. Alia autem est submissio, qua licèt non velit quis agnoscere aliquid esse se præstantius, vult tamen intuitu alterius dare illi meliorem locum, aperire caput, tractare honorificè, &c. sicut etiam homines subinde æquales sese invicem honoris causâ tractare solent.

IX. *Aliqua interna adoratio terminatur ad Imaginem.*

Hoc ergo posito non videtur dubium quin aliqua etiam interna adoratio terminetur ad imaginem, & non ad solum exemplar, quando enim quis cultum illum externum, ut apertionem capitis, genuflexionem, exosculationem, &c. exhibet imagini, licèt quidem id totum præstet intuitu exemplaris, verè tamen vult cultum illum exhibere imagini, cùm habeat voluntatem actiones illas externas dirigendi ad imaginem. Confirmatur: Alioqui non verè adorarentur imagines, quas tamen verè & propriè adorandas esse docet septima Synodus.

X. *Ad hoc ut Imago dicatur adorari non sufficit quòd coram eâ fiat genuflexio.*

Dices: Sufficit quòd fiat genuflexio coram imagine, ad hoc ut dicatur imago adorari. Contra, etiam fit coram pariete, & tamen non adoratur paries, & si in eâdem imagine pingantur aliqui non digni honore, ut milites crucifigentes, vel dæmon tentans Christum, quæro cur potiùs Christus adoretur, quàm illi, cùm genuflexio æqualiter fiat coram omnibus, ergo peculiaris ordinatio voluntatis requiritur ut actiones illæ externæ referantur potiùs ad unum objectum & rem repræsentatam, quàm ad aliam, sed hæc non est cur non sit aliqua submissio, & adoratio interna, ergo.

XI. *Quid velint Cõcilia, dum dicunt imagines non adorari in spiritu.*

Dices secundò, docere Concilia imagines non adorari in spiritu, ergo non debet interna adoratio ad eas dirigi. Respondeo, per adorationem in spiritu intelligere Concilia adorationem illam, quâ volumus aliquid alteri significare, quæ solùm intervenit in naturâ spirituali, & intellectuali, imaginem verò adoramus tantùm cultu quasi materiali & inanimato, quicquid enim significare volumus, non intendimus significare imagini, sed exemplari, ratione cujus adoramus imaginem, sicque respectu illius tantùm est actio illa adoratio in spiritu. Secundò dici posset, ideo respectu exemplaris tantùm, non imaginis, vocari à Patribus adorationem in spiritu, quia respectu illius tantùm solvitur id quod ex justitiâ debetur, quod in imagine deficit, cùm non sit natura spiritualis, intellectualis, & capax actus justitiæ.

XII. *Objs. affirmare Patres cultũ illum non imagini, sed exemplari esse exhibendum.*

Dices tertiò cum Vasquez cap. 14. affirmare Patres cultum illum non imagini, sed exemplari esse exhibendum; & ut alios omittam, quos fusè affert Vasquez, luculenta præ cæteris sunt verba Sancti Augustini lib. 3. de Doctrinâ Christianâ cap. 9. ubi ait: *Qui verò veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significationémque intelligit, non hoc veneratur quod videt, & tangit, sed illud potiùs, quo talia cuncta referenda sunt.*

XIII. *Resp. non ita intelligendos esse Patres ut negent cultum esse exhibendum Imagini.*

Respondetur, certum esse hos Patres non ita intelligendos, ut velint imaginem non adorari, cùm contrarium definiatur in Conciliis, unde nec hoc affirmat S. Augustinus verbis proximè citatis, sed solùm dicit potiùs, seu magis principaliter adorari exemplar, cujus intuitu hæc omnia fiunt. Solùm ergo volunt Patres non adorari imagines adoratione absolutâ, seu propter se, sed tantùm respectivâ, & propter exemplar, hæc verò adoratio tantùm distat ab absolutâ, quæ exhibetur exemplari, ut comparatione illius vix censeatur adoratio: sic qui alterum amat amore concupiscentiæ, esto verè illum amet, dicitur tamen se amare non amicum.

XIV. *Potest quis se aliquâ ratione submittere prudenter interdum rei inanimatæ.*

Dices quartò: Estque præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ, imago cùm sit inanimata, & rationis incapax, est etiam incapax adorationis seu submissionis, quis enim lapidi se prudenter submittat. Nego antecedens: Potest enim homo aliquo modo se prudenter submittere rei inanimatæ, non quidem propter se, ut aiunt, sed propter aliud. Urgebis: Ergo potest quis servum se profiteri imaginis. Nego consequentiam: Tantùm enim vult se illi submittere quoad actus aliquos externos, quos tamen imagini intuitu exemplaris exhibendo, solùm dicere volumus exemplar ipsum esse dignum quod tractetur honorificè, & nobis præferatur. Quod confirmatur, quando enim adoramus Christum, adoratio illa non ad solam Christi divinitatem terminatur, sed etiam ad carnem, & illi etiam nos submittimus, licèt in se sit res quædam irrationalis.

XV. *Imago, quâvis sit res inanimata, est tamen capax alicujus cultus interni.*

Dico itaque, posse imagines vero aliquo cultu adorari, etiam interno, respectivè tamen & in ordine ad exemplar. Nec refert imaginem, cùm natura rationalis non sit, non esse capacem injuriæ, sic enim etiam dicimus non esse capacem adorationis in spiritu, ut vidimus, seu ut adoratio est actus justitiæ, quâ alicui id solvimus quod ei ex justitiâ debetur, hoc enim modo solùm exhibemus cultum exemplari. Secundariò tamen, si non injuria, saltem contumelia aliqua infertur etiam imagini.

XVI. *Hic cultus imagini exhibitus nec est perfecta latria, nec dulia, sed imperfecta juxta diversitatem exemplaris.*

Quæres: Quis sit hic cultus, quem exhiberi dicimus imagini? Nec enim videtur Latria, cùm hæc soli Deo debeatur, nec Dulia, hæc enim solis datur Dominis. Respondetur, nec perfectam esse Latriam, nec Duliam, sed imperfectam & secundariam juxta diversitatem exemplaris. Quare vocari potest Latria materialis, si sit imaginis Christi aut Dei: quo sensu ait Sanctus Thomas Crucem adorari Latriâ. Unico ergo actu adoratur imago & exemplar, sed inæqualiter, hoc magis, illud minùs, sicut actus amoris, quo quis alterum diligit propter Deum, esto & hominem diligat & Deum, inæqualiter tamen, magis Deum, minùs hominem. Sic etiam dicunt Philosophi eodem actu visionis videri duos colores, vel in activitate inæquales, vel quorum alter est remotior, ibi ergo est manifestum, eundem actum posse inæqualiter ferri in duo objecta: quod etiam constare videtur casu quo quis eodem actu, qui simul fides esset & scientia respectu duorum objectorum, alterum per actum illum sciret, alterum crederet.

Quod si quis contendat voluntatem illam, quâ quis intuitu prototypi vult adorare imaginem, non esse adorationem internam, quia non est voluntas submittendi se tanquam servum imagini, vel quod non id faciat ex affectu solvendi id quod imagini debetur ex justitiâ, quæstionem fecerit de nomine, gratis enim dici videtur nullius submissionis notam esse adorationem, nisi illius, quæ sit animo submittendi se tanquam servum, aut ex affectu solvendi debitum justitiæ, quæ vocatur adoratio in spiritu, aperire enim caput rei alicui, dare meliorem locum, genu ante illam flectere, sine dubio est aliqua submissio.

XVII. *Aliqui totam hanc controversiam de cultu imaginis reducunt ad quæstionem de nomine.*

Licèt verò possit imago adorari simul cum exemplari, non tamen potest simul cum eodem orari: Ratio est, quia adoratio terminari potest ad rem inanimatam, oratio verò nequaquam, sed ad solum principium intellectuale, quod potest preces percipere. Dices: Oramus totum Christum, caro autem Christi non est quid intellectuale. Respondeo, disparitatem esse, licèt enim caro Christi non sit quid intellectuale, constituit tamen unum compositum cum animâ, quod compositum percipit preces tanquam principium totale *quod*, licèt anima sola sit principium quo. Imago verò nec est principium formale exaudiendi, nec unum totale principium cum exemplari constituit.

XVIII. *Quamvis adorari imago possit simul cum exemplari, non tamen simul cum eo orari.*

Quod de Imaginibus diximus, eodem modo de aliis rebus sacris, calicibus scilicet, reliquiis, & sanctissimo nomine JESU dici potest, quæ omnia non propter se, sed propter personas, ad quas referuntur adorari possunt, semper tamen adorato simul exemplari, vel re significatâ, ita ut adoratio prout ad illa terminatur sit relativa tantùm, absoluta verò prout ad exemplar, & rem significatam.

XIX. *Idem de sanctissimo nomine JESV, reliquiis, & aliis hujusmodi est dicendum.*

Sancti autem ipsi cultu Duliæ, non respectivo tantùm, sed absoluto coluntur, ob dotes supernaturales, quas in se habent. Unde quamvis Crux adoretur latriâ materiali, & respectivâ, Beatissima Virgo tamen, etsi sola hyperduliâ adoretur, perfectiùs tamen colitur, quàm Crux, quia internus servitutis affectus ad eam absolutè, & ultimatè ob dignitatem Matris Dei, seu consanguinitatis cum Christo, & affinitatis cum totâ Trinitate dirigitur: sicut prorex habet sibi collatam à Rege quandam dignitatem, ratione cujus, cùm natura rationalis sit, adorari & coli potest.

XX. *Sancti cultu dulia absoluto coluntur.*

Tractatûs de Divini Verbi Incarnatione Finis.

DISPUTA-

DISPUTATIO SEXAGESIMA SECUNDA.

DE SACRAMENTIS in genere.

SACROSANCTVM Incarnationis Christi mysterium, tot bonorum, quæ à Dei benignitate in humanum genus profecta sunt, fontem & originem, cùm quinquaginta novem tertiæ partis quæstionibus exquisitissimè more suo pertractasset Doctor Angelicus, nunc ad Sacramentorum, quæ tanquam uberrimi gratiæ rivi è fontibus Salvatoris profluxerunt, declarationem progreditur. Ad hæc Sacramenta prophetico spiritu allusisse videtur Isaias, dum dixit, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Non de fontibus fluminis Ægypti, *inquit S. Hieronymus,* sed de fontibus IESV, qui in Evangelio clamabat, qui sitit veniat ad me. *Hos nimirum in Ecclesiâ manere voluit benignissimus Dominus tanquam perenne, sapientiæ dicam, an bonitatis, singularisq; in nos amoris benevolentiæq; argumentum. Sancti igitur Doctoris vestigiis insistentes Disputationem isthic de Sacramentis instituemus, nonnullis tamen cum eodem de iisdem in genere præmissis: circa quæ, discutienda præcipuè sunt quatuor, eorum scilicet essentia, necessitas, & effectus duplex, gratia scilicet & character.*

SECTIO PRIMA.

De naturâ Sacramenti generatim sumpti.

I. *Nostri temporis hæretici divina hæc Sacramenta omni modo impugnant.*

SACRÆ Fidei, Catholicæque religionis hostes hac tempestate nullum non moverunt lapidem, ut divinos hosce fontes, per quos gratia aliáque cœlestia charismata in hominum animos derivantur, vel obstruerent penitus, vel illorum præstantiam ac dignitatem imminuerent, mortalésque in quorum subsidium solatiumque institutæ sunt, ab eorum receptione averterent. Nostratum ergo partium est, ut & eximia hæc munera, & in iis largitoris munificentiam declaremus, quantumque & ad gratiam, cæterásque animi opes comparandas, ipsamque etiam cœlestem beatitudinem obtinendam conferant, ostendamus. Primò autem omnium in quo natura & essentia Sacramentorum sita sit declarandum.

II. *Præcipua hæc est difficultas circa veteris Legis Sacramenta.*

Difficultatem hac in re faciunt veteris Legis Sacramenta, quæ cùm & Sacramenta passim vocentur, & à nostris multum differre dicantur; nostra enim & continent gratiam, & eam digne suscipientibus conferunt, illa verò gratiam non causabant, sed solùm eam per Christi passionem ac mortem dandam figurabant, ut habetur in Concilio Florentino post ultimam Sessionem, in decreto Eugenii IV. ad Armenos. Hæc ergo omnia

omnia sub eâdem definitione complecti, rationémque unam illis ac nostris communem assignare non parum videtur difficile, nisi ejusmodi utrisque naturam ascribamus, quæ sacramentalibus, id est, aliis Ecclesiæ cæremoniis ac ritibus, quæ Sacramenta non sunt, competat. Ad hoc verò clariùs intelligendum, quædam de Sacramenti nomine præmittenda.

III. *Sacramentum variè sumitur: primò pro juramento.* Sacramentum, ut optimè Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 8. & Coninck hîc in explicatione primi articuli, variè sumitur: primò prout idem sonat ac juramentum, qui ferè prophanis Scriptoribus est usus hujus vocis.

IV. *Secundò, Sacramentum idem est ac signum rei sacræ.* Secundò sumitur Sacramentum pro signo rei sacræ: quo sensu, non septem illis solis, quæ Ecclesia Sacramenta nuncupat, competit vox illa, sed aliis etiam omnibus cæremoniis ac ritibus, tam Synagogæ, quàm Ecclesiæ, quæ plus semper continebant quàm præ se in externâ specie ferebant. Hoc sensu parabolæ omnes, ipsaque etiam Apocalypsis dici posset mysterium & Sacramentum: quo sensu Sanctus Augustinus libro 8. de Genesi ad literam cap. 4. Lignum vitæ vocat Sacramentum Christi.

V. *Sumitur etiam Sacramentum pro re quavis arcanâ.* Tertiò usurpari solet Sacramentum, seu mysterium pro re quavis arcanâ, & hoc sensu idem est Sacramentum quod secretum: sic Tob. 12. vers. 7. dicitur: *Sacramentum regis abscondere bonum est*, & ad Ephesios 1. vers. 9. ut notum nobis faceret Sacramentum voluntatis suæ, quo sensu mysterium deductum volunt auctores à græcis vocibus μύω, quod claudo significat, & στόμα, quasi quod sacrum & arcanum est, silentio sit premendum.

VI. *Sacramentum insuper vitum aliquem significat, qua homines Deo dicantur.* Quartò accipitur Sacramentum pro cæremoniâ, quâ homines peculiari aliquâ ratione Deo dicantur, qui proinde mystæ dicebantur à verbo μυέω, quod est initio, seu sacris imbuo. Unde Cicero secundo de Legibus ait mysteria vocari initia, quibus ex agresti vitâ exculti ad humanitatem sumus, tanquam ea sint vitæ principia.

VII. *Tandem Sacramentum denotat id, quod sanctitatem & significat, & confert.* Quintò demum Sacramentum, seu mysterium denotat id quod sanctitatem aliquam & significat, & suscipientibus confert, quo sensu de eo hic est sermo. Solùm noto frustra in orthodoxos debacchari nostri temporis sectarios, quasi Sacramenti nomen in peregrinos sensus detorqueant, primò enim ipsi in idem recidunt, cùm duo saltem Sacramenta admittant. Deinde eâ Patrum, Doctorum, totiúsque adeò Ecclesiæ auctoritate firmatus est hic istius vocis usus, ut frustra obloquantur hæretici.

VIII. *Sacramentum, ut hic sumitur, esse debet quid sensibile, & consequenter materiale.* Sacramentum itaque, de quo hîc loquimur, esse debet signum sensibile, & consequenter materiale quiddam, & sensibus subjectum, ut docent Theologi communiter in quarto, dist. 1. & Sanctus Thomas hac quæstione, art. 4. quod etiam clarè tradit Sanctus Augustinus, tum alibi, tum libro 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 1. licèt enim nil vetet quo minùs instituere possit Deus rem spiritualem tanquam signum practicum gratiæ, nempe ad cujus præsentiam semper conferatur, actum verbi gratia aliquem intellectus, aut voluntatis Angelicæ, non tamen esset Sacramentum prout hic de Sacramento loquimur, nempe signum & Sacramentum humanum, ad homines in unius Ecclesiæ & Dei cultûs formâ continendos, quod optimè docet Sanctus Augustinus lib. 10. contra Faustum, cap. 11. his verbis: *In nullum religionis nomen convenire possunt homines, nisi aliquo signaculorum, vel visibilium Sacramentorum consortio colligentur, quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum.*

Dices: Character impressus in quibusdam Sacramentis, est quid spirituale, & consequenter insensibile, idem est de contritione, & tamen sunt materia, hæc Pœnitentiæ, ille Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, ergo non est de conceptu Sacramenti, ut sit quid sensibile. Confirmatur: Christus prout in Eucharistiâ existit modo spirituali, & consequenter insensibili, & tamen constituit Sacramentum, ergo. IX. *Objic. Character & contritio sunt quid spirituale, & tamen sunt materia Sacramenti.*

Respondetur, non esse necessarium ut quicquid constituit Sacramentum sit sensibile per se, sed sufficit quòd per aliud rationem illam sortiatur, ut contritio per confessionem, character per ablutionem vel unctionem, Christus per species panis & vini, sub quibus existens per modum cibi spiritualem animæ refectionem significat, sicut ablutio corporis, ejusdem animæ ablutionem. Ut verò totum recipiat denominationem sensibilis, sufficit quòd aliquid sensibile includat, quâ de causâ homo sensibilis dicitur, quamvis altera ejus pars spiritualis sit, & insensibilis. X. *Respondetur, ut quid constituat Sacramentum sufficere quod sit sensibile per aliud.*

SECTIO SECUNDA.

In quo formaliter consistat essentia Sacramenti?

EX quatuor illis, quæ ad perfectam cujusque rei cognitionem inquirenda à Philosophis præscribuntur, primum, nempe *an sit*, in præsenti supponendum, cùm sacrarum literarum testimonio constet septem Sacramenta, seu sacra symbola ad gratiam nobis impertiendam, ac peculiaria ad effectus varios auxilia, ab humani generis redemptore esse Ecclesiæ relicta. Hic ergo secundum, quid nimirum sit Sacramentum peculiariter inquiremus, variisque diversorum hac de re placitis in præsenti sectione relatis, quid nobis verisimilius videatur, sectione sequente aperiemus. I. *Dari Sacramenta, sacrarum Literarum testimonio constat.*

Pater Suarez hîc, disp. 1. sect. 4. & P. Vasquez hîc, disp. 128. cap. 2. nonnullos referunt ex antiquioribus Theologis, qui affirmare videntur Sacramentum definiri non posse; cùm enim inquiunt, sit ens per accidens, sicut essentiam non habet unam, ita nec unicâ definitione explicari potest. Sed hoc facilè rejicitur, Sacramentum enim licèt non sit tam perfectè unum ac homo, aut compositum quodvis physicum, non tamen ita disparatè se habent inter se illius partes, ut in essentiam & definitionem unam coalescere non possint, ad hoc enim sufficit illius partes aliquam ad se dicere habitudinem. Unde sicut definitur exercitus & oratio, sic non est cur definiri nequeat Sacramentum. II. *Dicunt aliqui Sacramentum, utpotè ens per accidens, definiri non posse.*

Hoc ergo rejecto, Pater Vasquez citatus, in hoc ait sitam esse essentiam Sacramenti, ut veram sanctitatem significet, licèt nec illam, nec ullam aliam conferat: quam suam sententiam fundat in communi illâ definitione Sacramenti, quòd sit *signum visibile invisibilis gratiæ*, hoc autem signum vult esse merè speculativum, non practicum, quæ etiam opinio videtur esse communis Thomistarum. Sed contra: Hac enim ratione multa admitti debent in numerum Sacramentorum, quæ communi Theologorum consensu excluduntur, qualia III. *Prima sententia est, Sacramentum esse signum merè speculativum vera gratia.*

qualia in Lege veteri sunt transitus maris rubri, aqua profluens è petrâ, comestio agni paschalis, manna, & pleraque sacrificia, quæ tamen Sacramenta non erant etsi gratiam per Christum dandam figurarent.

IV. *Objic. Manna, esum agni paschalis, & reliqua hujusmodi, paucis tantùm, non omnibus gratiam significasse.*

Dices cum Patre Vasquez, hæc quæ proximè retulimus significasse quidem gratiam, idque ex divinâ institutione, sed paucis tantùm, non passim omnibus, quod tamen ad rationem Sacramenti requiritur. Sed contra primò: Sic enim multa Sacramenta non in lege solùm veteri, sed etiam nova non essent Sacramenta, cùm omnibus passim gratiam non significent, sed doctioribus tantùm. Contra secundò: Non magis requiritur significatio in Sacramento, quàm in sacrificio, sicut enim Sacramentum est signum gratiæ, ita per sacrificium protestamur Deum esse auctorem vitæ & mortis, ut cum Sancto Thoma 2. 2. quæst. 85. art. 2. docent communiter Theologi, unde S. Thomas ibidem sacrificium statuit in ratione sacri signi, hæc tamen ejus significatio omnibus non innotescit, ergo non est de ratione vel Sacramenti vel sacrificii, ut illius significatio passim ab omnibus cognoscatur, quod clarè constat in sacrificio illo, quod præcepit Deus Abrahæ Genes. 22. ut scilicet filium suum Deo in holocaustum offerret, cujus tamen significatio, soli fortassis Abrahæ erat nota, cùm tamen verum esset signum à Deo institutum.

V. *Quid ad rationem & conceptum signi sufficiat.*

Ad rationem ergo signi sufficit quòd ab aliquo auctoritatem publicam habente, Republica scilicet vel Principe, ad rem talem significandam instituatur, esto omnibus illius significatio non innotescat. Sic Adamus signa instituit ad placitum, rebus scilicet omnibus sua adaptavit nomina, ad quorum tamen significationem, & ut rationem signi obtinerent, non erat necesse ut alii homines, licèt plurimi tunc fuissent, illam scivissent, & perinde quoad hoc est quod Adamus statim post suam creationem illa nomina imposuisset, vel postea cùm multos habuit posteros, ergo à fortiori Christus, qui caput est & princeps Ecclesiæ, poterit hujusmodi signa instituere, quæ ut rationem signi obtineant, nil opus tunc ut omnibus vel maximè etiam hominum parti illorum significatio innotescat.

VI. *Dicunt alii ad rationem Sacramenti requiri ut aliquam sanctitatem & significet & conferat.*

Tertiò dicunt alii, de ratione Sacramenti esse, ut & significet & conferat aliquam sanctitatem, sive illa vera & perfecta sit, nempe interna animæ sanctitas & gratia, sive legalis & imperfecta, qualem conferebant antiqua Sacramenta & cæremoniæ: per hoc autem excluduntur à ratione Sacramenti pleraque ex iis, quæ contra priorem sententiam adduximus; transitus enim maris rubri, aqua profluens ex petrâ, & alia hujusmodi, esto gratiam per Christum dandam significarent, nullam tamen omnino gratiam vel sanctitatem conferebant: ita Cano & alii.

VII. *Sed contra, ut hoc enim modo procedendo prima tonsura esset Sacramentum.*

Contra tamen hoc est, multæ namque sunt in Lege nova cæremoniæ, sanctitatem aliquam conferentes, quæ tamen Sacramenta non sunt, ut prima tonsura per quam cæremoniam incipit homo dicari cultui divino, quæ proinde aliquam sanctitatem confert, Sacramentum tamen non est, nec ordo ut ex communi Theologorum sententiâ optimè declarat Vasquez hic, Disputatione 236. cap. 1. & Coninck Disput. 20. dub. 1. Idem est de consecratione Abbatis, aquâ lustrali, & cæteris ejusmodi, absolutio etiam ab excommunicatione & censuris Ecclesiasticis secundùm hanc sententiam esset Sacramentum; sicut enim excommunicatio macula quædam legalis est, ita absolutio ab illâ, est quædam legalis sanctificatio, sicut in lege veteri per lotiones quasdam & sacrificia expiabantur homines à legalibus immunditiis, quas ex contractu mortuorum, & aliis causis contraxerant.

VIII. *Conceptum Sacramenti in hoc statuunt alii, ut imperfectam sanctitatem conferendo, veram significet.*

Quartò itaque Suarez Disp. 1. sect. 2. duo ait esse de conceptu Sacramenti, primùm ut aliquam sanctitatem, saltem imperfectam suscipienti conferat; secundum ut conferendo imperfectam, veram animæ sanctitatem significet: hoc autem, inquit, nulli quod Sacramentum non sit, competit. In hac etiam sententia est P. Coninck art. 4. dub. 1. & multi ex Recentioribus. Contra tamen est: nam chrisma, sal, saliva, & alia in Baptismo adhiberi solita, aliquam sanctitatem, saltem imperfectam conferunt, & veram, ac dona Spiritus Sancti significant; ergo erunt Sacramenta. Idem dicunt aliqui sequi de primâ tonsurâ, consecratione Abbatis, professione religiosâ, & aliis similibus, quæ tamen nullus ait esse Sacramenta.

IX. *Hinc inferunt nonnulli Sacramenta veteris Legis fuisse vera Sacramenta.*

Addit Pater Coninck n. 20. sicut legalis quædam sanctitas erat propria Legis antiquæ, ita veram sanctitatem, quæ in gratiâ & Spiritus Sancti donis consistit propriam esse præsentis status Ecclesiæ post Christum, quæ propterea Lex gratiæ dicitur: unde, inquit, ille, Sacramenta veteris Legis licèt veram sanctitatem non conferrent, erant tamen vera Sacramenta, quia conferebant sanctitatem suo statui propriam, quod, cùm nostris Sacramentalibus non competat, excludit ea à ratione Sacramentorum.

X. *Sed contra hos est, nam legalis sanctitas, non minùs propria est Legis nova, quàm veteris.*

Sed contrà primò: Nam legalis quædam sanctitas æquè propria est Ecclesiæ ac Synagogæ; habet enim Ecclesia ritus suos, & cæremonias non minùs quàm Synagoga habuit suos, vocatur autem Lex gratiæ, non quòd aliam sanctitatem non conferat, sed quòd Deus uberiùs jam gratiam & auxilia supernaturalia hominibus impertiatur, quàm ante adventum Christi. Contrà secundò: Si ergo in Lege veteri fuisset aliquid institutum ad conferendum gratiam ex opere operato more nostrorum Sacramentorum, Baptismus v. g. (quod affirmant multi de Circumcisione) sequeretur non fore Sacramentum, quod tamen valde videtur mirum.

SECTIO TERTIA.

Resolvitur quæstio circa essentiam & definitionem Sacramenti.

I. *Certum est ad Sacramenti constitutionem non sufficere signum speculativum, sed debet esse practicum.*

ID inprimis certum exploratumque esse debet, apud omnes, ad rationem Sacramenti non sufficere ut sit quid speculativum, sed esse necessariò debere signum practicum, seu causativum alicujus sanctitatis in eo qui Sacramentum suscipit. Hinc quantumcunque verba formæ Sacramenti Pœnitentiæ, *Ego te absolvo*, &c. vi suâ, & naturaliter significent emundationem à peccatis, nisi tamen practicè hanc emundationem significarent, id est significando conferrent, non constituerent Sacramentum, sed essent falsa, sicut de facto sunt falsa dum proferuntur à laico. Hoc posito.

II. *Maximæ circa naturam Sacramenti, generatim sumpti, est Auctorum discrepatia.*

Facilius multò hac in re est aliorum opiniones refellere, ut vidimus Sectione præcedente, quàm certi aliquid statuere, unde Pater Tannerus hic, Disp. 3. quæst. 1. dub. 1. octo diversas Sacramenti definitiones

definitiones refert quarum nulla Sacramenti essentiam penitus explicare videtur.

III. *Duo in Lege nova sunt sanctificationum genera.* Notandum ex S. Augustino variis in locis, præcipuè verò lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, duo esse sanctificationum genera, quæ ab Apostolo traduntur ad Hebræos 5. una sanctificatio, & præcipua est per gratiam habitualem, & vocatur sanctificatio simpliciter, cùm per illam vera conferatur animæ sanctitas. Alia est sanctificatio solùm secundùm quid, utpote per quam non confertur vera sanctitas, sed metaphorica tantùm, & secundùm quid, qualis per ritus & cæremonias antiquæ Legis conferebatur, & modò per nostras cæremonias confertur, non hominibus tantùm, sed aliis etiam rebus, ratione & vitâ carentibus.

IV. *De ratione Sacramenti generatim sumpti est, ut aliquam causet sanctitatem.* Dico primò: De conceptu Sacramenti latè sumpti est, non ut significet solùm speculativè, sed ut conferat & causet aliquam saltem sanctitatem: ita Suarez Disp. 1. sect. 2. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis, cap 12. & alii. Ratio est: alioquin enim multa essent Sacramenta, quæ non sunt, ut manna, transitus maris rubri, aqua profluens è petrâ, &c.

V. *De conceptu veri Sacramenti est, significando causare veram animæ sanctitatem.* Dico secundò: De conceptu essentiali Sacramenti propriè dicti est, significando causare veram animæ sanctitatem: Ita Hugo de Sancto Victore libro 1. parte 9. cap. 2. Magister in quarto, dist. 1. quem ibidem sequuntur S. Thomas a. 1. quæstiunculâ 3. & multi tenent ex Recentioribus. Probatur: Nam alioqui sacramentalia erunt Sacramenta, ut prima tonsura, aqua lustralis, præsertim si tollat venialia, ut docet Divus Thomas hîc, quæst. 87. art. 3. absolutio etiam ab excommunicatione, & aliis censuris Ecclesiasticis; hæc enim aliquo modo sanctificat, ut supra ostendimus, & reddendo homines expeditos ad suscipienda Sacramenta, & gratiam per illa recipiendam, veram sanctitatem significat. Hoc à fortiori sequitur in sacrificio missæ, non solùm ex parte rei oblatæ, quæ Sacramentum est, nempe Christus sub speciebus panis & vini contentus, sed etiam ex parte ipsius oblationis, prout actio transiens est, hanc enim sequitur esse Sacramentum, cùm & gratiam per Christi mortem hominibus collatam significet, & sanctificationem aliquam ei cui applicatur, ex opere operato conferat, nempe expiationem à reatu aliquo pœnæ temporalis.

VI. *Sacramentum ex ipsâ nominis impositione importat causationem gratiæ.* Secundò probatur: Sacramentum enim ex vi suâ, & nominis impositione importat causationem gratiæ, & non tantùm significationem illius speculativam. Hoc primò ostenditur ex S. Isidoro, qui lib. 6. Etymologiarum, cap. 18. tractans de origine hujus vocis, sic habet: *Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretiùs salutem operatur.* Deinde hoc idem disertè tradit Catechismus Romanus de Sacramentis, his verbis: *Latini Doctores signa quædam sensibus subjecta, quæ gratiam quam efficiunt, simul etiam declarant, Sacramenta commodè appellari posse existimârunt.* Unde definitionem Sacramenti, quam tradit S. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei, capite quinto: *Sacramentum est signum rei sacræ*: sic explicat idem Catechismus: *Sacramentum est invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram justificationem institutum.*

VII. *Sacramentum à sacrando dicitur.* Tertiò probatur: Sacramentum à sacrando dicitur, ut cum S. Thoma communiter docent Theologi, ergo ab illo desumit denominationem Sacramenti propriè & simpliciter, quod propriè sacrat, seu consecrat, & conjungit Deo, hoc autem est tantùm gratia habitualis, non legalis illa & cæremonialis sanctitas, ergo. Unde Sanctus Thomas in quarto, dist. 1. quæst. 1. art. 1. ait, Sacramentum simpliciter est, quod causat sanctitatem, quod verò significat tantùm, non est Sacramentum nisi secundùm quid. Nec verum est quod asserunt Soto & Bellarminus loco citato, Sanctum Thomam in tertiâ parte mutasse sententiam, cùm nullibi extet hæc sententiæ revocatio: nec quod hîc eandem doctrinam expresse non repetat, sequitur ipsum illam revocasse, mos enim Sancti Thomæ est cùm sententiam aliquam mutat, eam expresse revocare, ut constat variis locis, nam 3. parte, quæst. 12. a. 2. Corp. expresse revocat sententiam negantem Christo scientiam acquisitam, quam tamen dicit sibi in distinctionibus placuisse.

VIII. *Veteris Legis Sacramenta non erant propriè & strictè Sacramenta.* Hinc infero, Sacramenta veteris legis verè & strictè Sacramenta non fuisse, sed reductivè solùm, & secundùm quid, esto enim cum Sacramentis nostris in nonnullis conveniant, non tamen prout hoc nomine importantur: ita expresse Divus Thomas loco citato, & insinuat Catechismus Romanus supra, num. 5. & 6. ubi per rem sacram, cujus signum est Sacramentum, quam & significare debet & efficere, ait à divinarum rerum Scriptoribus intelligi gratiam habitualem. Cùm ergo Sacramenta veteris legis gratiam habitualem non contulerint (Circumcisionem excipio, de quâ postea redibit sermo) unde ab Apostolo ad Galatas 4. vers. 9. vocantur *infirma & egena elementa*, ad Colossenses 2. vers. 17. Sacramenta veteris legis vocat *umbram futurorum*: ad Hebræos 7. vers. 18. dicit *reprobationem eorum factam esse propter infirmitatem & inutilitatem*: ibidem & cap. 9. universim cæremonias & Sacramenta veteris legis ait esse *justitias carnis, & sanctificare ad emundationem carnis*: ergo non sunt propriè & strictè Sacramenta. Unde Sancti Patres, & Concilia nunquam Sacramenta illa vocant directè Sacramenta, sed cum addito Sacramenta veteris legis, nec ullam Sacramenti definitionem tradunt, quæ illis propriè conveniat.

Antiquæ Legis Sacramenta ab Apostolo vocantur, infirma & egena elementa.

IX. *Vera Sacramenti novæ Legis definitio.* Infero secundò, quomodo definiri debeat Sacramentum, nempe, *Sacramentum est res vel cæremonia sacra sensibilis, ad gratiam tum significandam, tum causandam stabiliter instituta.* Hanc Sacramenti definitionem apertè insinuare videtur Catechismus Romanus locis proximè citatis, & sufficienter probata est ex dictis.

X. *Quanvis ratio sacrificii communis sit sacrificiis antiquæ Legis & novæ, non tamen ratio Sacramenti.* Dices primò cum Patre Suarez disp. 1. sect. 2. Ratio sacrificii est communis sacrificio novæ legis cum sacrificiis antiquæ, ergo & Sacramenta. Negatur consequentia: Ratio enim formalis sacrificii in hoc consistit, quod *res aliqua peculiari modo Deo offeratur in testimonium supremi illius in res omnes dominii.* Hæc ergo ratio in omnibus sacrificiis reperitur propriè & rigorosè, non tamen reperitur eadem ratio Sacramenti in Sacramentis Legis novæ & Mosaicæ, ut ostensum est.

XI. *Objic. Ergo nostra Sacramentalia æquè sunt Sacramenta ac Sacramenta antiquæ Legis.* Dices secundò, hinc sequi, nostra Sacramentalia æquè esse Sacramenta ac Sacramenta legis antiquæ. Respondeo nostra Sacramentalia eam sanctitatem & significare & conferre ut in Lege veteri potuissent dici Sacramenta si in illâ lege fuissent instituta, ut rectè Coninck quæst. 60. dub. 4. num. 20. Non sunt autem Sacramenta novæ Legis quia non conferunt veram sanctitatem: si quis autem contendat debere jam vocari saltem

saltem Sacramenta secundùm quid, non litigabimus de nomine. Et hæc objectio solvi debet in omni ferè sententiâ.

XII. *Obj. sequi verba illa Christi ad Magdalenã, Remittuntur tibi, &c. fuisse Sacramentum.*

Dices tertiò: Verba illa quibus Christus Magdalenæ dixit Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*, causabant gratiam, ergo erant Sacramentum. In primis negant communiter Auctores per illa verba collatam ipsi fuisse gratiam, aut peccata remissa, sed asserunt solùm fuisse signa remissionis & gratiæ priùs collatæ, nam antea dixerat Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: Si verò contulerint gratiam, dicunt aliqui verba illa fuisse Sacramentalia, seu alicujus Sacramenti: alii tamen negant illa & similia fuisse Sacramentum, quod inquiunt, significat aliquid stabile, ut ex definitione supra assignatâ constat.

XIII. *Martyrium Sacramentũ sit necne dicetur sectione sequente.*

Dices quartò: Saltem sequitur Martyrium esse Sacramentum, cùm & gratiam conferat, & pœnam omnem auferat ex opere operato, ita ut opus non sit orare pro Martyribus; ergo non rectè per hoc explicatur natura Sacramenti, sic enim octo erunt novæ Legis Sacramenta. Hæc objectio petit Sectionem sequentem.

SECTIO QUARTA.

An Martyrium sit Sacramentum.

I. *Asserit Major Martyrium esse Sacramentum.*

MAIOR in quarto, Dist. 4. q. 3. affirmat: cui si objicias hinc sequi plura esse in Lege novâ Sacramenta quàm septem, negat consequentiam; Martyrium enim, inquit, ad Baptismum pertinet, quâ de causâ passim appellatur Baptismus sanguinis. Communis tamen Theologorum sententia cum Divo Thoma quæst. 66. art. 11. negat Martyrium esse Sacramentum: ita Suarez hîc, Disp. 29. sect. 3. ad tertium argumentum, Vasquez Disp. 153. quæst. 1. num. 41. Coninck quæst. 60. articulo 4. dub. 1. & alii. Rationem autem hujus assignare non ita videtur facilè.

II. *Quorundã vanio est quia non confert gratiam ex opere operato.*

Dicunt ergo aliqui, ideo Martyrium non esse Sacramentum, quia in eo non confertur gratia ex opere operato, more Sacramentorum, sed solùm ex propriâ dispositione. Sed contra primò: quicquid enim sit, an dicatur Martyrium conferre gratiam ex opere operato, saltem Patres Martyrium quoad vim delendi peccata aliquo modo æquant Baptismo; unde Tertullianus sic scribit: *Martyribus nulla delicta possunt imputari, quibus in lavacro vita ipsa deponitur*; & alibi: *Quis non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat; omnia enim huic operi delicta donantur.* Contra secundò: Sacramenta enim universim non excludunt omnem dispositionem propriam, ut constat in pœnitentiâ, ad quam requiritur saltem attritio, sicut ad Baptismum in adultis. Contritio autem sicut in communi sententiâ non requiritur, vel ad Baptismum vel ad Pœnitentiam, ita nec ad Martyrium.

III. *Innocentes Martyres pro Christo interfecti nullam habebant propriam dispositionem.*

Contra tertiò: Parvuli pro Christo interfecti, sunt veri Martyres, sed illi nullam omnino habuerunt propriam dispositionem, cum rationis expertes fuerint; ergo in illis conferebatur gratia ex opere operato: major, licèt nonnulli de eâ dubitent, videtur omnino certa, nam sancti Patres Innocentes pro Christo occisos semper vocant Martyres. Sic Origenes Homiliâ 3. in diversos, de Innocentibus hisce loquens: *Horum*, inquit, *& memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur, secundum integrum ordinem Sanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occisorum, & ut ipsa Bethleem primitiæ Domino Martyrum, in qua natus est ipse Salvator, obtulisse videatur*; hæc ille. Do iisdem etiam infantibus sic Sermone primo in solemnitate Epiphaniæ loquitur S. Leo: *Necari omnes Bethleem parvulos jubet*, &c. *sed quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit cœlo: & quibus nondum sanguinis impendit redemptionem, jam Martyrii tribuit dignitatem.*

IIII. *Appellantur Protomartyres.*

Pulchrè verò hanc Innocentium horum dignitatem declarat Auctor de Stellâ & Magis, ac nece Innocentium, inter opera Divi Cypriani; inprimis enim eos *Protomartyres*, appellat, quod *in ordine sanctorum Martyrum primum habeant locum*: & non multò post: *Hi nuper cruore lacteo loti primitias baptismi martyrio consecrarunt tradentes posteris formam, ubi necessitatis articulos excluserit moram, non minus ad lavacrum animæ sanguinem efficacem, quàm sanctificatas verbis solemnibus aquas. Idem occisio quod mersio operatur, quæ extinctam peccati vitam, virtutémque emortuam utriusque rei continet Sacramentum.*

V. *Gratiam per Martyrii conferri docent alii Patres.*

Idem docet S. Bernardus, Beatus Laurentius Justinianus, & alii plurimi ex Patribus, inter quos clarissimè hoc ipsum tradit S. Augustinus tum alibi, tum libro 3. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 4. ubi de his Innocentibus pro Christo interfectis, quos Martyres appellat loquens, sic habet: *Sed quid eis præstitit gratia, nisi ut erueret eos de potestate tenebrarum? Præstitit eis Christus, ut pro Christo morerentur: præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur.*

VI. *Ecclesia eorum festum sub titulo Martyrum celebrat.*

Tandem, quod caput est, Ecclesia illorum festum sub titulo Martyrum celebrat, & in oratione eosdem appellat, *Innocentes Martyres*, & in Hymno, *Salvete flores Martyrum, vos prima Christi victima*, &c. Ergo per martyrium obtinuerunt gratiam, nec satisfacit quod respondent aliqui, Ecclesiam ideo Innocentum festum celebrare, quia per circumcisionem gratiam fuerant adepti: Contra enim est primò, quia honor quo eos afficit Ecclesia majorem innuit sanctitatem, quàm sit ea quæ per circumcisionem acquiritur, ergo censet ob Martyrium gratiam iis uberiorem fuisse collatam, quod non circumcisione solùm sed Baptismo etiam suo modo efficacius esse docent Patres, & copiosiorem gratiam conferre, per Martyrium quippe non in figurâ solùm commoriuntur Christo, ut in baptismate contingit, sed verè morti illius conformantur, ut affirmat D. Clemens lib. 5. Constitut. Apostolicarum, cap. 7. Deinde multi ex Infantibus illis non erant circumcisi, cùm inter eos verosimile sit nonnullos fuisse Gentilium filios, saltem non est dubium multos ante octavum diem ætatis fuisse occisos, cùm tamen ante eum diem circumcisio conferri non deberet.

VII. *Gratis quidam ita dicunt acceleratum fuisse usum rationis.*

Respondent alii, ex peculiari privilegio acceleratum iis fuisse rationis usum, cujus beneficio per actus internos gratiam meruerunt. Sed contrà: gratis enim hoc dicitur, imo contra judicium Ecclesiæ, quæ eos innocentes appellat per antonomasiam, non solùm quia nunquam peccarunt; hoc enim sensu si quis ad quadragesimum annum vitam cum pleno rationis usu sine peccato protraheret, esset innocens; sed quòd peccare per ætatem non potuerint, ut benè Coninck num. 119. Deinde in Hymno vocat eos Ecclesia *Simplices*, id est

id est doli ob defectum rationis incapaces. Et certè eadem probabilitate posset quis dicere acceleratum iis fuisse sermonem, & voce Christum fuisse confessos: sicut ergo ab omnibus tanquam certum tenetur, usu linguæ caruisse, quòd ab Ecclesiâ vocentur infantes, ita & usu rationis, cum ab eâdem vocentur Innocentes, & simplices.

VIII. *Martyrium in multis differt à Sacramentis.* Ad argumentum itaque in fine Sectionis præcedentis propositum respondetur, in multis differre Martyrium à Sacramentis; in primis enim in Sacramentis omnibus requiritur ut qui ea applicat, habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & utendi re aliquâ vel cæremoniâ ad gratiam conferendam institutâ, horum autem neutrum facit tyrannus vel satelles, qui est minister Martyrii, imò licet habeat contrariam intentionem, adhuc Martyrium habebit effectum, ad quod aliud non est necessarium, quàm ut occidatur quis in odium Christi, vel veræ religionis ac Fidei. Unde ex parte applicantis nihil aliud est Martyrium quàm actio prava, atque injusta, quam tantùm abest ut Deus instituat, ut etiam prohibeat, ut bene Suarez hîc, Disp. 29. sect. 3. §. *Vnde ad tertium.*

IX. *Martyrium non est signum à Deo institutum ad conferendâ gratiam.* Non est ergo Martyrium signum à Deo institutum, & licèt quidem Deus in compensationem vitæ temporalis, quam amittit Martyr, conferat ei ex speciali privilegio gratiam, & æternam vitam, hoc tamen est præter omnem intentionem applicantis, & provenit ex Dei liberalitate, qui facit ex malo bonum, ficut si Deus quoties Petrus Paulum infamaret, convitiis & opprobriis peteret, bonis spoliaret, &c. in compensationem illarum injuriarum decerneret dare Paulo gratiam, nullus credo dicet mendacia illa, convitia, rapinas, & furta Petri esse Sacramenta; ergo nec erit Sacramentum, si eum occidat, licèt in hujus injuræ compensationem det Deus gratiam. Sacramenta ergo sunt causa gratiæ, ut actiones Dei per suos ministros, occisio verò Martyris est actio dæmonis per suum ministrum, tyrannum scilicet, vel satellitem, ut optimè Bellarminus de Baptismo, cap. 6. quod coincidere videtur cum eo quod docet Vasquez citatus

X. *In sacramentis omnibus Deus est agens principale.* Confirmatur hæc solutio: in Sacramentis omnibus Deus est agens principale, sic quando Sacerdos absolvit dicitur Deus absolvere, consecrare, cum consecrat, baptizare cum baptizat, &c. unde inquit sanctus Augustinus, *Petrus baptizat, Deus est qui baptizat; Paulus baptizat, Deus est qui baptizat*, & sic de aliis: sed Deus non dicitur afficere martyrio; ergo longè alio modo se habet actio per hæc ab applicante, quàm actiones Sacramentorum, quæ peculiariter censentur actiones Christi, in quantum scilicet peculiari modo cum illo tanquam uno agente morali conjungitur administrans Sacramenta.

XI. *Obiic. Etiam Sacerdos ministrans Sacramentum, interdum peccat.* Dices: Subinde contingit actionem qua minister conficit Sacramentum, esse peccaminosam; ergo quod applicans Martyrium peccet, nihil obstare videtur, quo minùs Martyrium sit Sacramentum. Nego consequentiam: quantumcumque enim Sacerdos absolvens, vel consecrans peccet, dicitur tamen Christus tunc consecrare & absolvere, non tamen dicitur applicare Martyrium. Christus ergo in tantum dicitur concurrere cum ministro Sacramentorum, in quantum minister habet generalem intentionem faciendi quod facit vel intendit Christus, & Ecclesia, in quantum verò intentionem suam detorquet ad pravum aliquem finem, id ut privata persona facit, non ut minister Christi.

XII. *Dicimus posse Martyrium conferre gratiam ex opere operato.* Hinc infero cum Patre Suarez citato, posse esse quæstionem de nomine, utrum Martyrium conferat gratiam ex opere operato; si enim per conferre hoc modo gratiam intelligatur opus ipsum Martyrii dare gratiam, ut veram & propriam causam illius; sic, inquit ille, negari potest Martyrium conferre gratiam ex opere operato: si verò per conferre hoc modo gratiam nil intelligatur aliud, quàm posito opere illo tanquam conditione, Deum ex speciali privilegio ultra omne meritum, vel etiam absque eo infundere homini illi gratiam, sic admitti potest ille loquendi modus. Quoad verò ut in rebus physicis, ita & in moralibus dari possit aliquid per modum causæ, & aliud per modum conditionis, postea ostendemus.

SECTIO QUINTA.

Alia quædam inferuntur circa Martyrium.

I. *Vtrùm Martyrium habuerit hoc privilegium ante adventum Christi.* QUÆRES primò: Utrùm hoc privilegium conferendi gratiam, modo Sectione præcedente assignato, concessum iis fuerit, qui ante Christi adventum Martyrium subierunt. Probabilior videtur pars affirmativa; ita Suarez hîc, Disp. 29. sect. 3. ad tertium, Henriquez libro secundo de Baptismo, cap. 36. num. 2. & alii, videturque sententia sancti Gregorii Nazianzeni Orat. de Machab. ubi circa finem sic loquitur: *Hoc denique Martyrii (facinus) victimis illis, quæ postea pro Christo cæsæ sunt, nequaquam minorem laudem gloriamq; promeretur.* Ratio est: ideo enim, ut ex Patribus colligitur, martyrio privilegium conferendi gratiam à Deo est concessum, quia est vera & perfecta conformatio & configuratio cum morte Christi, quamvis non actu positâ, à Deo tamen prævisâ, quod ut in aliis multis, ita & in hoc sufficit ad movendum Deum, ut hoc Martyrio, etiam ante Christi mortem impertiret.

II. *Obiic. hoc Martyrii privilegium fundatur in promissione Christi, ergo non potuit esse ante adventū Christi.* Dices: Hoc Martyrii privilegium fundatur in illis Christi verbis Matthæi c. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*; hoc autem non nisi post adventum Christi promulgatum est, cùm ejus promulgatio ab ipso Christo provenerit, usus autem privilegii nemini ante ejus promulgationem conceditur. Respondetur, hoc Martyrii privilegium, non pro omni tempore in illo Christo dicto fundatum fuisse, sed in conformitate illâ cùm morte & passione Christi, numero præcedente explicato. Convenientissimum verò fuit, ut Christus hoc Martyrii privilegium in lege Evangelicâ per expressam promissionem omnibus qui ejus fidem amplexuri erant, promulgaret, utpotè qui videbat tot mortem pro eo subituros, ut hoc pacto animos iis adderet ad acerbissima illa supplicia perferenda.

III. *Quænam ad Martyrii requiratur dispositio.* Quæres secundò: Quænam dispositio requiratur ad Martyrium. Quoad parvulos non utentes ratione, certum est nullam requiri, cùm nullius actus interni liberi sint capaces, sed sufficit eos propter Christum occidi. Unde ulterius existimo infantes, qui in utero matris propter Christum interficiuntur, Martyrii fructum non minus consequi, quàm eos, qui extra uterum mactantur: ita Scotus, Gabriel, Paludanus, Scotus, Sylvester, Toletus lib. 2. c. 22. Vasquez Disp. 1. 153. cap. 7. & alii: quamvis non desint qui sentiant contrarium. Quod si objicias, infantem in utero Matris non posse

posse consequi Baptismum ergo nec Martyrium; negatur consequentia, disparitas est manifesta, ad Baptismum namque requiritur, ut infans abluatur, quod, dum est in utero materno, fieri non potest, at verò existés in utero matris potest occidi, quod, & nihil aliud requiritur ad Martyrium, si fiat propter Christum. Infantes verò qui olim post circumcisionem in odium Christi occisi sunt, plus gratiæ consecuti sunt, quàm ii qui circumcisi non erant, cùm per Martyrium aucta sit gratia quam acceperant in circumcisione; sicut & modo infans occisus post baptismum, majorem gratiam haberet, quàm qui occideretur ante baptismum, cum is acciperet gratiam baptismi fluminis & sanguinis.

IIII. *Quæ dispositio in adultis ad Martyrii palmam obtinendam sit necessaria.*

In adultis verò pro dispositione ad Martyrium requirit Vasquez hic, Disp. 153. cap. 3. charitatem perfectam, & si in peccato mortali sint, Contritionem. Verius tamen est quod docet Suarez hic, Disp. 29. sect. 1. Bellarminus citatus, Lessius l. 3. de Jure & Justitiâ, c. 1. n. 45. Tannerus, Coninck, Valentia, P. Præpositus q. 8. art. 2. dub. 8. & alii passim, non requiri in peccatore nisi attritionem. Ratio est, Patres quippe affirmant Martyrium suo modo habere vim delendi peccata, & in hoc illud æquant baptismo, ut supra vidimus, ergo non requirit contritionem: sic enim non per se, sed per contritionem conferetur delere peccata, contritio siquidem, & amor Dei supra omnia sine Sacramento vel Martyrio tollit peccata.

V. *Martyrium in parvulis tollit originale, ergo habituale in adultis, posità attritione.*

Secundò probatur: Martyrium enim in parvulis habet hunc effectum, sicut baptismus; quidni ergo in adultis, hoc namque privilegium non est datum ætati, sed causæ, ut benè Præpositus n. 33. Tertiò Martyrium secundùm omnes tollit omnem reatum pœnæ, unde Ecclesia nunquam orat pro Martyribus, imo Innocentius tertius capitulo, *Cum Marthæ de celebratione Missarum, §. Tertio loco,* dicit: *Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre*; ergo censet totum debitum pœnæ per Martyrium auferri, ergo & tollit culpam, cùm Patres eodem modo loquantur de unâ ac de alterâ. Quando verò Concilium Tridentinum in procemio Sessionis septimæ dicit omnem veram justitiam, vel incipere, vel cœptam augeri, vel amissam reparari per Sacramenta, nempe ex opere operato, solùm loquitur de mediis ordinariis.

VI. *Cæscius peccati mortalis tenetur, instâte Martyrio, conari elicere actũ contritionis.*

Addit tamen Suarez, quem sequitur Lessius, Coninck, Præpositus, & alii, si quis instante Martyrio sit sibi conscius peccati mortalis, teneri conari elicere actum contritionis, sicut & baptizari, si baptizatus non sit, confiteri si possit; hæc enim sunt ordinaria ad salutem media, quæ proinde non sunt in illo articulo omittenda: qua de causâ communiter docent Theologi, teneri parentes filios suos Martyrio statim post afficiendos baptizare, si possint. Deinde lege charitatis propriæ tenetur quis uti mediis omnino securis, qualis est contritio, ad quam etiam cùm quis potest confiteri, tenent aliqui obligari hominem in articulo mortis, cùm tamen longè certiùs sit attritionem sufficere cum Sacramento, quàm cùm Martyrio.

VII. *In somnis etiam occisus potest esse Martyr.*

Si ergo quis, etiam in somnis occidatur in odium Christi aut veræ religionis & Fidei, aut alicujus virtutis ex motivo supernaturali, consequitur palmam Martyrii, ad quam in justo probabile est non requiri aliud quàm consensum habitualem moriendi potiùs, quàm virtutem & justitiam deserendi, qui in omnibus justis reperitur. In peccatore requiritur & sufficit retractatio peccati, saltem per attritionem.

VIII. *Quo tẽpore gratia conferatur in Martyrio.*

Quæres tertiò: quo tempore conferatur gratia in Martyrio? Cajetanus 2. 2. quæst. 124. art. 2. in solutione ad quartum dicit conferri in ipsâ morte, seu in primo instanti, quo anima est deunita à corpore, & homo jam non est. Sed contra primò: Quia sic contingere posset frequenter, ut qui in viâ nunquam fuit in gratiâ, moreretur in gloriâ. Secundò: qui nunquam habuissent fidem pertingerent ad beatitudinem, multi verbi gratiâ parvuli nunquam baptizati, pro Christo tamen occisi.

IX. *Datur gratia in Martyrio paulo ante mortẽ.*

Dicendum ergo cum Suarez disp. 29. sect. 3. fine, Coninck quæst. 66. art. 12. dub. 3. & aliis, si homo desinat extrinsecè, & per primum non esse, seu in instanti, dari gratiam in aliquo instanti paulo ante mortem, quando jam naturaliter non potest non solùm diu vivere, sed nec ullo sensu uti, tunc enim moraliter censetur Martyrium consummasse, & esse mortuus, cùm non ampliùs vivat vitâ hominis, sed tantùm plantæ. Quòd si Deus hominem illum miraculosè servaret, tunc spectaret ad divinam providentiam illum ita gubernare, & confirmare in gratiâ, ut ampliùs eam non amitteret, tum quia hoc valdè consentaneum est dignitati Martyrii, tum divinâ bonitate dignius, ut hominem, quem ille solus miraculosè à paradisi januâ revocat, in acquisito beatitudinis jure semper conservet. Et quoad hoc eadem est difficultas de Martyre, quem Deus post mortem ad vitam revocaret. Addit P. Præpositus n. 35. si sæpiùs quis vel mortem pro Christo passus suscitaretur, vel morti proximus miraculosè ab eâ eriperetur, posse eum sepiùs esse Martyrem, & frequenter Martyrii gratiam obtinere.

X. *Verùm latro Christum in Cruce confessus, fuerit Martyr.*

Quæres quartò: Utrùm bonus latro, qui Christum in Cruce confessus est, fuerit consecutus Martyrium? Communis sententia est eum propriè Martyrem non fuisse, quamvis S. Augustinus lib. 1. de animâ cap. 9. eum Martyrem appellet. Ratio autem est, ille enim non propter Christum, sed ob culpas à se commissas mortem subiit, non autem pœna, sed causa facit Martyrem. Quare idem S. Augustinus lib. 4. de Baptismo, cap. 22. negat eum fuisse Martyrem. Non ergo ratione Martyrii, sed contritionis gratiam, & peccatorum remissionem obtinuit: quo sensu accipiendum est dictum illud Auctoris de Cœnâ Domini apud Sanctum Cyprianum: *Latrocinium damnationem meruerat, & supplicium, sed cor contritum mutavit in Martyrium,* dando scilicet gratiam, quæ per Martyrium dari solet. Suppares Martyribus, inquit Pater Tannerus, sunt qui, dum infectis peste ministrarent, eâdem contagione, ex hoc charitatis officio correpti, mortem oppeterent: qui proindè olim pro Martyribus culti sunt, ut ex Romano Martyrologio 28. Februarii constat.

XI. *Qui pro fide pugnantes occiduntur in bello, utrũ censendi sint Martyres?*

Quæres quintò: Utrùm ii, qui in bello pro Fide pugnantes occiduntur, inter Martyres sint recensendi? Respondetur, eos propriè Martyres non esse, neque enim ut Christiani, sed ut milites ab hostibus victi, moriuntur. Ut ergo quis propriè Martyrio afficiatur non debet tyranno resistere, sed quietè permittere se occidi exemplo Christi, *qui cùm pateretur non comminabatur, sed tanquam ovis coram tondente se obmutuit,* Christi autem passio Martyrii fuit exemplar. Quare cùm Phocas Imperator eos, qui hoc modo in bello mortem oppetierant, inter Martyres ascribi vellet, restiterunt illi Orientis Episcopi, ut refert

refert Baronius in Martyrologio, decimâ nonâ die Aprilis.

Tandem veriùs esse existimat Vasquez, disputatione 153. num. 66. ut quis Martyrii dignitatem obtineat, ex parte causæ sufficere ob quamcumque virtutem defendendam eum occidi; quod facilius admitti potest, si ex motivo supernaturali id ille acceptet, & aliquâ ratione ad Deum referat. Ratio autem est, nam hic verè patitur propter justitiam.

DISPUTATIO SEXAGESIMA TERTIA.

De materiâ & formâ Sacramentorum.

I. *DVPLICITER disputare possumus de formâ Sacramentorum; vel enim sermo esse potest de institutione divinâ, respectu cujus tam res, quàm verba seu complexum ex utrisque est subjectum, seu substratum, vel sermo esse potest de verbis ipsis, quæ respectu rerum censentur forma, de quâ simul cum materiâ agemus sectionibus sequentibus.*

II. *Circa significationem verò notandum primò, licèt de facto res, quæ assumuntur ad Sacramenta constituenda, habeant naturalem quamdam similitudinem cum effectu Sacramenti, ut absolutio cum emundatione à peccato, & sic de cæteris, potuisset tamen Deus in signum practicum effectus sacramentalis aliquid aliud assumere, quod nullam haberet naturalem cum effectu illo proportionem, imò quod quoad apparentiam externam esset contrarium, quod etiam de verbis verum est: unde si Deus pro formâ absolutionis institueret hæc verba:* Ego te ligo, *vel* stringo, *& per illa stabiliter conferret gratiam, quis negaret verba illa esse signa gratiæ, sicut in naturalibus, tunc aliquid est signum alterius; quando ut plurimum cum eo connectitur, ut fumus est signum ignis, vestigium animalis, &c.*

III. *Notandum secundò, etsi verba in Sacramentis adhiberi solita, & vocantur formæ Sacramentorum, significent, saltem pleraque ex primâ suâ institutione, quam habent ab hominibus, effectum Sacramenti, ut tamen illum verè significent, requiri institutionem divinam, alioqui erunt falsa: Institutio tamen Dei non reddit veras propositiones illas, verborum significationem mutando, sed objectum per illa significatum ponendo, cui hac ratione propositiones conformantur, alioqui futuræ*

futuræ difformes, & consequenter falsæ. Vnde si laïcus diceret: Ego te absolvo, *falsum diceret.*

Duplex ergo videtur esse ratio signi in verbis Sacramentalibus, IV.
prima speculativa, quam accipiunt ex impositione hominum, per quam habent ut objecta illa quæ significant, hominibus in mentem revocent: altera practica, quam conjuncta cum rebus accipiunt, ex impositione Dei, & efficiunt gratiam, qualem significationem habere possent, licèt ex impositione hominum objecta illa non significarent, ut ostensum est

Notandum tertiò: Circa hanc institutionem divinam, non esse V.
majorem difficultatem quo modo per eam constituantur Sacramenta in ratione signi, quàm in institutione humanâ quoad primam verborum impositionem: unde dico esse denominationem extrinsecam, iis à voluntate divinâ provenientem, sicut valor monetæ provenit à voluntate Principis. Nec puto velle aliud P. Vasquez. Disp. 128. cap. 8. num. 42. & 43. dum dicit rationem signi in Sacramento esse ens rationis; capit enim latè ens rationis pro omni denominatione procedente ab actu rationis, non quòd debeat ibi intercedere figmentum aliquod, quo sensu à nonnullis impugnatur.

SECTIO PRIMA.

An Sacramenta novæ Legis perficiantur rebus & verbis.

I. *Supponendum Sacramentum esse quoddam compositum*

SACRAMENTUM, uti diximus, & apud omnes est in confesso, est quoddam compositum, in quo proinde suo modo materia & forma reperitur, sicut verò in naturalibus anima, quamvis sit forma respectu materiæ, est tamen subjectum respectu unionis, idem contingit in præsenti. In variis autem Sacramentis datur & materia proxima & remota, materia namque proxima in Baptismo est ablutio, materia remota est aqua. Aliquando verò materia remota Sacramenti destruitur, ut in Eucharistiâ contingit, ubi panis & vinum, quæ sunt materia illius remota, per consecrationem destruuntur, & sub eorum accidentibus ponitur corpus & sanguis Christi. Nunc ergo quo pacto res & verba sint materia & forma Sacramentorum disquiremus.

II. *Pleraque Legis veteris Sacramenta non erant in verbis instituta.*

Veteris legis Sacramenta non fuisse in verbis instituta, saltem pleraque, videtur certum, ut de circumcisione, agno paschali, & aliis docent omnes communiter. Rationem hujus assignat Sanctus Thomas art. 6. quia cùm status veteris legis esset obscurus, viverentque in umbrâ (utpote quibus necdum sol justitiæ illuxerat, & omnia ipsis in figuris contingebant, ut docet Apostolus) non debebant illorum Sacramenta constare verbis, quæ ex omnibus signis humanis sunt clarissima ad res quasvis declarandas, ut docet Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 3. Hic ergo modus instituendi Sacramenta servatus est legi gratiæ, in quâ sicut erat major lux, ita clarior modus significandi eam decebat.

Controversia verò procedit de solo materiali Sacramentorum, si comparentur respectu institutionis divinæ, & quærimus, utrùm illud quod in Sacramentis voluit Deus esse signum practicum, seu effectivum gratiæ, sint res & verba, an res solæ, aut sola verba, & si rebus & verbis constent, utrùm verba sint forma aliquo modo respectu rerum; quod enim verba sint materia respectu impositionis divinæ, nil obstat quo minùs possint esse forma respectu alterius, sic dialectici dicunt prædicatum esse formam respectu subjecti, quod tamen respectu copulæ est subjectum; idem est in composito physico inter unionem & formam, hæc enim respectu materiæ est forma, respectu unionis subjectum. III. *Status præsentis controversiæ.*

Prima conclusio: Sacramenta omnia regulariter perficiuntur rebus & verbis: ita contra Durandum communis Theologorum sententia cum Divo Thoma hîc, art. 6. & constat discurrendo per omnia Sacramenta, ac de Baptismo in particulari ait Apostolus ad Ephesios 5. v. 26. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*, unde universim de Sacramentis ait S. Augustinus tractatu 80. in Joannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Tandem definitum hoc est in Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. ad Armenos, ubi postquam septem Sacramenta enuntiasset, subjungit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri.* IIII. *Sacramenta omnia rebus & verbis regulariter perficiuntur.*

V. *Matrimonium nihilominus nutibus aut aliis signis fieri potest.*

Dixi *regulariter* ob Sacramentum Matrimonii, quod nutibus aut aliis signis fieri potest: Unde Pontifex specialiter excipit Matrimonium, postea enim de hoc Sacramento in particulari loquens ait: Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.

VI. *Objic Pœnitentia Sacramentum solis verbis videtur constare.*

Dices Pœnitentiam constare solis verbis, confessione scilicet & absolutione, ergo non omnia Sacramenta constant rebus. Respondent aliqui, satisfactionem esse partem Pœnitentiæ, ergo ingrediuntur etiam res. Contra primò: Satisfactio non est pars essentialis Pœnitentiæ, sed tantùm integralis, nec ad eam simpliciter requisita. Contra secundò: Satisfactio etiam interdum solis verbis perficitur, ut si cui ob Pœnitentiam sacramentalem injungantur preces aliquæ voce recitandæ, ergo hîc totum Sacramentum perficitur verbis.

VII. *Respond. Prater confessionem requiri etiam dolorem internum.*

Respondeo ergo ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri non externam solùm confessionem, sed etiam dolorem internum, ut est clarum, & definit Pontifex in decreto illo §. *Quartum Sacramentum*, ubi ait quasi materiam Pœnitentiæ esse actus pœnitentis, nempe cordis contritionem, & oris confessionem. Secundò dico, Pontificem ibi loqui etiam de materiâ remotâ Sacramentorum, unde pro materiâ Eucharistiæ assignat panem & vinum, quæ tamen constat non esse materiam illius proximam, sed solùm remotam, ergo etiam peccata assignari possunt pro materiâ remotâ Pœnitentiæ, illa autem constat esse res: & quamvis multa etiam sint peccata oris, non tamen sequitur, licèt quis illa sola confiteatur, Sacramentum tunc constare solis verbis, cùm nullum sit peccatum oris, quod non oriatur ex peccato cordis, *De corde enim exeunt cogitationes malæ, falsa testimonia, & blasphemiæ*, ut ait Christus Math. 15. vers. 19.

VIII. *Dices, Matrimonium aliquando constare videtur solis verbis, aut solis rebus.*

Quo pacto verò Matrimonium, quod est contractus quidam, non consistat aliquando ex solis verbis, ut quando Matrimonium perficitur verbis tantùm, aliquando ex solis rebus, ut quando perficitur per realem traditionem corporum, controversia propria est in illâ materiâ tractandâ, qua de re videri poterit Pater Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio, disp. 5. & Vasquez tomo 4. in tertiam partem, in tractatu de Sacramento Matrimonii, disp. 13. qui varias afferunt hac in re Auctorum sententias: Quidam enim asserunt Sacramentum Matrimonii constare verbis tanquam formâ, & consensu conjugum tanquam materiâ: Alii, quos sequitur Vasquez pro materiâ assignant corpora contrahentium. Tertiò, alii pro materiâ & formâ assignant sola verba contrahentium, & prioris verba dicunt esse materiam, posterioris formam.

IX. *Dicit multi verba contrahentium in Sacramento Matrimonii esse materiam subratione traditionis, & formam sub ratione acceptationis.*

Alii quartò, quos sequuntur Bellarminus, Sanchez, & Suarez hîc, disp. 2. sect. 1. dicunt verba contrahentium esse materiam & formam hujus Sacramenti, materiam sub ratione traditionis, formam sub ratione acceptationis, traditio enim sine acceptatione est quid adhuc imperfectum, & per acceptationem perfici, & compleri videtur, tanquam per formam: Unde ait hæc sententia verba (idem est de nutibus & reali traditione) æquivalere duabus rationibus, quæ reperiuntur diversæ in aliis Sacramentis, ut in ordine verbi gratia ubi traditio materiæ est realiter distincta à verbis, unde non incongruè possunt verba in Matrimonio dici virtualiter & materia & forma: materia, quatenus sunt traditio; forma quatenus inducunt obligationem, ut constat.

X. *In Sacram. to Matrimonii semper reperiuntur verba & res, vel formaliter, vel æquivalenter.*

Proinde in hoc Sacramento semper interveniunt res & verba, vel formaliter, vel æquivalenter: Et hoc sufficere videtur ad mentem Eugenii, qui peculiariter excipit Matrimonium, ut vidimus. Quod etiam universim non debeat ita strictè & ad literam intelligi Pontifex, quando ait in Sacramentis res esse materiam, & verba formam constat, nam ipsemet Pontifex, postquam hoc dixit, ait §. *Quartum Sacramentum* materiam Pœnitentiæ esse actus pœnitentis, cordis contritionem, oris confessionem, &c. ubi pro materiâ assignat verba. Solùm ergo vult Pontifex, ut plurimum res esse materiam, & verba formam, non quòd contrarium, in aliquibus saltem Sacramentis aliquando non possit contingere.

XI. *In Sacramentis non requiritur propria materia & propria forma.*

Neque hîc requiritur propria materia, & propria forma, sed solùm cum proportione quâdam, & analogicè, ac proinde nec distinctio semper realis; Imò nec aliæ conditiones ad veram compositionem requisitæ, ut optimè declarat Suarez disp. 2. sect. 2. cùm enim Sacramentum non sit compositum physicum, sed morale, non est hîc requirenda strictè dicta materia vel forma, imò nec coëxistentia physica quoad tempus, sed solùm coëxistentia moralis, unde in Baptismo dicunt Auctores sufficere, si forma *Ego te baptizo*, & ablutio, quæ est materia, moraliter conjungantur, licèt physicè altera aliquantulum præcedat, aut sequatur, quod idem de Confirmatione & Extremâ Unctione, ac suo modo de Ordine docet Suarez, quia in his materia est actio ipsius ministri, indicata per pronomen demonstrativum aut verbum præsentis temporis.

XII. *Quæ propinquitas inter materiam & formam requiratur in Matrimonio.*

In Matrimonio, cùm sit contractus, ea requiritur propinquitas inter traditionem & acceptationem, quanta in humanis contractibus. In Pœnitentiâ autem, quæ fit per modum judicii, majus potest intervallum interjici, sicut inter accusationem & absolutionem in judiciis humanis: unde potest hodie confitens cras absolvi. Ideo verò fortassis Pontifex res assimilat materiæ, verba formæ, quia sicut in generationibus rerum materia ex se est indeterminata & indifferens ad varia composita constituenda, & determinatur ad hoc compositum specie à formâ, ita res, aqua verbi gratia, oleum, &c. imò ablutio & unctio, quæ dicuntur materia proxima aliquorum Sacramentorum, sunt indifferentia ad alios usus, & determinantur ad Sacramenta conficienda per verba, quæ longè clariùs effectus sacramentales significant, ut supra diximus. Perres verò non intelliguntur substantiæ semper corporeæ, ut crasso modo res hasce capientes, volunt hæretici, sed res etiam spirituales, ut actus voluntatis, contritio scilicet, & consensus contrahentium in Sacramento Matrimonii, ut affirmant aliqui, juxta dicta superiùs.

XIII. *Sacramenta quæ in usu consistunt, constant rebus & verbis tanquam ex partibus intrinsecè constituentibus.*

Secunda conclusio: Sacramenta, quæ in usu consistunt, qualia sunt præter Eucharistiam omnia, constant rebus & verbis tanquam ex partibus intrinsecè constituentibus. Hæc conclusio est contra Scotum, qui etsi fateatur ad Sacramenta requiri res & verba, & consequenter utrisque perfici, ut supra vidimus, negat tamen universim Sacramenta constare rebus & verbis tanquam ex partibus, nam Pœnitentiam dicit consistere in solâ formâ, absolutione scilicet Sacerdotis, quamvis materia concurrere debeat tanquam

quam aliquid prærequisitum. Soto verò omnia Sacramenta constare ait ex solâ materiâ, quia in illâ continetur adæquatè tota significatio Sacramenti. Nostram tamen conclusionem tenet expressè Sanctus Thomas hîc, art. 9. ad secundum, & Theologi antiqui in quarto, dist. 1. Suarez hîc, disp. 2. sect. 2. & omnes communiter.

XIV. *Conclusio apertè ostenditur contra Sotum.*

Probatur primò conclusio fundamento oppositio rationi, quam affert Soto: Significatio Sacramentorum non consistit in solâ materiâ, sed etiam in formâ, ergo hæc non minùs est pars Sacramenti, quàm illa, consequentia est clara. Antecedens probatur, verba, quæ sunt forma Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ exempli gratiâ, non minùs clarè & expressè significant effectum illorum Sacramentorum, quàm res, ut asserit S. Thomas hîc, imò clariùs, ut ex ipsis verbis constat, & propterea addita sunt secundùm omnes, ut materiam determinarent aliquo modo ad significandum effectum, quem causat Sacramentum, quod in absolutione, quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ, est clarissimum.

XV. *Institutio divina non minùs cadit supra verba, quàm supra res, ergo verba sunt pars Sacramenti.*

Probatur conclusio secundò: Illud omne constituit Sacramentum ut pars, supra quod cadit institutio divina, nam in illo reperitur vera ratio signi Sacramentalis, sed non minùs sunt instituta verba ad gratiam & effectum sacramentalem significandum, quàm materia, seu res, ergo. Minor probatur: Apostolus enim loco supra citato non minùs dicit Ecclesiam mundatam esse Verbo vitæ, quàm lavacro aquæ, ergo utrumque est pars Sacramenti Baptismi. Confirmatur: Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. de Sacramento Pœnitentiæ, ait ejus vim præcipuè sitam esse in formâ absolutionis, ergo hæc est pars constituens hoc Sacramentum.

XVI. *Ostenditur Sacramentũ pœnitentiæ non consistere in solâ formâ.*

Hinc tertiò probatur conclusio contra Scotum; docet enim Concilium vim Sacramenti Pœnitentiæ præcipuè sitam esse in formâ, ergo non in solâ formâ, sed confessio etiam, & actus pœnitentis sunt pars hujus Sacramenti. Confirmatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. citato, ubi Pontifex assignat pro partibus Sacramentorum materiam & formam, ergo constituuntur ex iis tanquam ex partibus intrinsecis.

XVII. *Obvic. Asserere Concilium Florentinum personam ministri ingredi constitutionem Sacramenti.*

Dices: Etiam dicit Pontifex personam Ministri ingredi, tanquam aliquid constituens Sacramentum, ait enim Sacramenta tribus perfici, *rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri*, ergo minister ingreditur ut pars intrinsecè constitutiva Sacramenti. Negatur consequentia: Solùm enim assignat ministrum tanquam causam efficientem, causa autem efficiens ex conceptu suo concurrit extrinsecè, materia autem & forma per se loquendo concurrunt intrinsecè ad compositionem rerum, quarum sunt partes. Fortasse tamen ex hac auctoritate Eugenii non ducitur efficax argumentum, cùm pro quibusdam Sacramentis assignet Pontifex materiam extrinsecam, ut panem & vinum pro Eucharistiâ, quæ tamen illam intrinsecè non constituunt.

XVIII. *Obvic. in artificialibus, qualia sunt Sacramẽta, materia importatur in recto, forma in obliquo.*

Dices secundò cum Soto: In compositis artificialibus, ut Cathedrâ significatur semper subjectum, seu materia in recto, forma in obliquo, sed Sacramenta sunt composita artificialia, ergo, &c. Respondetur, inprimis antecedens esse dubium: sed illo admisso, negatur consequentia, in Sacramentis enim & materia & forma significant effectum sacramentalem, & conferunt gratiam, de utrisque etiam eodem modo loquitur Scriptura, Concilia, & Patres, non est ergo cur utrumque intrinsecè Sacramentum non constituat, & in recto importetur. Deinde regula illa de arte factis hîc etiam tenere potest, nam non solùm materia, sed etiam forma Sacramentorum, nempe verba subsunt ulteriori formæ, nempe institutioni divinæ, quæ per hoc nomen *Sacramentum* importatur in obliquo, nam respectu hujus & res & verba sunt subjectum, seu substratum, ut supra diximus, cùm utraque simul, & non sigillatim sumpta, instituantur ad gratiam conferendam.

Addo, licèt quidem hoc nomen *Sacramentum* significet res, & verba in recto, non tamen esse necessarium ut aliquid sit pars alicujus compositi importari illud in recto, nam hæc vox *homo* prout significat compositum ex personalitate divinâ & naturâ humanâ, non importat in recto nisi subsistentiam divinam, alioqui hæc propositio *Deus est homo* esset falsa, cùm Deus non sit humanitas & subsistentia divina, sed realiter ab hoc composito distinctus, sicut includens ab incluso: Quod idem affirmari communiter solet de his concretis accidentalibus, album, dulce, &c.

XIX. *Vt res aliqua sit pars compositi, non requiritur ut importetur in recto.*

Dixi in conclusione, sex illa Sacramenta, quæ in usu & actione consistunt, constare intrinsecè rebus & verbis, de Eucharistiâ enim, licèt idem affirmet Suarez, & Tannerus, est tamen in hoc peculiaris difficultas suo loco examinanda.

XX. *Difficultas circa Sacramenta, quæ in usu consistunt.*

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm ad Sacramenta requirantur ex Christi institutione, res & verba determinata?

I. *Quid de Sacramẽtorum institutione sentiat Concilium Tridentinum.*

Concilium Tridentinum sess. 7. canone 1. sic habet: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à IESV CHRISTO Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, anathema sit.* Deinde sessione 21. cap. 2. ait: *Præterea declarat hanc potestatem in Ecclesiâ fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ magis expedire judicaret.* Quærimus ergo, Utrùm ita Christus Sacramentorum substantiam instituerit, ut etiam certam in specie cuique materiam & formam determinaverit, vel hanc potestatem Ecclesiæ reliquerit.

II. *Inane hæreticorum commentum.*

Inprimis rejiciendum hîc est hæreticorum commentum, qui certam verborum formam in Sacramentis tanquam superstitiosam respuunt, & solùm requiri aiunt verbum concionatorium, ad fidem scilicet excitandam, non consecratorium, quod certum ac determinatum est. Rejiciendum, inquam, hoc est, primò enim cur magis superstitiosum erit uti certâ verborum formâ, quàm determinatâ materiâ, aquâ exempli gratia in Baptismo, quam tamen superstitionis arguere non audent hæretici, cùm instituta sit à Christo, ergo nec superstitiosa erit forma, cùm ab eodem Christo sit instituta: Nec est cur quis concionem ad Baptismum necessariam esse affirmet, primò quia baptizandi concionis ut plurimum capaces non sunt, pueri verbi gratia ratione non utentes, tum quia etsi in adultis requiratur prævia ad Baptismum instructio, hoc tamen non est de essentiâ Baptismi, cùm tota hujus essentia

reperiatur in Baptismo parvulorum, sed solùm debet præmitti, unde Matthæi ultimo prius dixit Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes*, deinde subjungit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Catechismus itaque præcedit Baptismum, non est pars illius.

III. *In omnibus Sacramentis non est eadem materia restrictio.* Dicendum primò, non in omnibus Sacramentis, eodem modo esse definitam materiam, sed in aliis majorem esse restrictionem, in aliis minorem: ita Suarez disp. 2. sect. 3. & alii. Probatur: In Baptismo enim requiritur aqua naturalis, in extremâ Unctione oleum. In Sacramento autem Pœnitentiæ solùm requiritur confessio dolorosa, sive dolor ille sit contritio, sive attritio, sive de peccato mortali, sive veniali. In Eucharistiâ dubium est quàm latè pateat materia illius remota, de quo latiùs ibi. Quod etiam dici solet de balsamo in Confirmatione. Quid de materiâ Ordinis tenendum sit dicetur postea.

IIII. *Qua alteratio accidentalis materia efficiat confectioni Sacramenti.* Dico secundò: Mutatio solùm accidentalis materiæ, non officit confectioni Sacramenti, nisi alteratio sit ejusmodi, ut & res nomen amittat, & in ordine ad usum notabiliter mutetur. Prima conclusionis pars probatur, sive enim aqua calida sit, sive frigida, panis azimus aut fermentatus, sufficit illa ad Baptismum, hic ad validam Eucharistiæ confectionem. Secunda etiam pars ostenditur, res enim in Sacramentis frequenter spectari debent, non secundùm speciem solùm physicam, sed in ordine ad humanum usum, quia Sacramenta instituta sunt in ordine ad actiones humanas, quibus iis uti possimus: unde panis est materia Eucharistiæ, massa verò nondum cocta sive specie physicâ à pane differat, sive non, non est materia consecrationis, cùm non sit cibus humanus: & idem esse dicitur de succo in uvis adhuc incluso, esto specie non differat ab expresso, unde capite *cùm omne* de consecratione, & alibi non semel prohibetur ne fiat hujusmodi consecratio, quia liquor ille pro eo statu non est in formâ potabili, sed est cibus potiùs quàm potus: & idem affirmant aliqui de vino congelato, de quo postea.

V. *Differentia inter Matrimonium & alia Sacramenta circa materiam.* Notanda solùm differentia inter Matrimonium & reliqua Sacramenta; cùm enim materia aliorum Sacramentorum sint res physicæ, ut aqua in Baptismo, oleum, Balsamum, panis, vinum, &c. Materia hæc non est in potestate Ecclesiæ, quæ efficere non potest ut illud, panis, aqua, aut oleum non sit quod panis, aqua, oleum est, nec ut sit quod non est: at verò Matrimonium cum in contractu consistat, qui est res moralis, magis subjacet hujus Sacramenti materia potestati Ecclesiæ, quàm aliorum Sacramentorum; Christus enim solum instituit ut contractus validus inter fideles esset Sacramentum, ut tamen talis vel talis contractus sit validus, reliquit potestati Ecclesiæ, quæ jam facit ut clandestina Matrimonia, & absque præsentiâ parochi, non sint Sacramenta, faciendo nimirum ut non sint contractus validi.

Ecclesia etiâ formas Sacramentorũ, non formaliter, sed materialiter mutare potest. Sicut Ecclesia mutare hoc modo potest formas omnium Sacramentorum, non quidem efficiendo ut verba quæ faciunt sensum, quem de facto faciunt verba sacramentalia, non sint forma valida, si applicentur, sed faciendo ut verba, quæ de facto hoc significant, ampliùs id non significent, sed aliud: unde si statuerent homines ut vox *corpus* non significaret ampliùs corpus, sed lapidem vel lignum, & lapis, aut lignum corpus, si quis super hostiam consecrandam pronuntiaret hæc verba, *Hoc est corpus meum*, non consecraret, sed dicere deberet, *Hoc est lapis*, vel *lignum meum.* Ecclesia ergo materiam vel formam Sacramentorum mutare non potest, sed eo modo quo à Christo instituta sunt non aliter iis necessariò uti debet.

Circa formas Sacramentorum dicendum tertiò cùm sancto Thoma hîc, Suarez Disp. 2. sect. 4. & omnibus communiter, hoc universim statui posse, illam solam formæ mutationem obstare quo minùs validè conficiatur Sacramentum, quæ variat sensum verborum. Ratio optima est quam assignat Suarez, quia sensus est anima verbi, unde si idem sensus maneat, idem Verbum moraliter manere censetur. VI. *Qua forma mutatio obstat confectioni Sacramenti.*

Hinc, ad particularia descendendo, mutatio idiomatis accidentalis est, unde quovis idiomate validè confici possunt Sacramenta, modò sensus idem perseveret, quod clarum est, alioquin omnes eâ linguâ in Sacramentis uti deberent, qua usus est Christus. Potest tamen Ecclesia certam linguam præscribere, in qua vel omnia, vel aliqua saltem Sacramenta conficiantur, quo in casu alterius linguæ usus, licèt validus, esset tamen illicitus. Imo ut ait Cajetanus hîc, art. 7. & Coninck quæst. 60 art. 8. num. 68. possunt diversa idiomata misceri modò sensus non mutetur. Tertiò si in eodem idiomate substituantur alia verba, ut *Ego te abluo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, est mutatio solùm accidentalis, ut ait Suarez, & Coninck, licèt Vasquez contrarium affirmet Disp. 144. & videtur opinio D. Thomæ quæst. 66. art. 5. ad septimum: cujus ratio est, quia requiritur in Baptismo professio Fidei de personis Divinis maximè vulgari modo, notiones autem *Genitoris, Geniti, & Procedentis* tantùm doctioribus, ut plurimum innotescunt. Sed quicquid sit de his verbis in particulari, certum est multa verba mutari posse sine mutatione sensus, & consequenter facient formam validam. Non sufficit autem *Baptizo te in nomine Trinitatis*, cum confusè solùm, & non distinctè significet tres personas, quarum tamen explicita invocatio & confessio ad Baptismum requiritur. VII. *Quo vis idiomate validè confici possit Sacramentum.*

Quartò, transpositio verborum nisi mutet sensum, aut corrumpat, est accidentalis, *ut ego baptizo te*, idem est si activum mutetur in passivum, unde valida habetur forma, quâ in Baptismo utuntur græci, qui loco nostræ formæ, *Ego te baptizo*, &c. dicunt: *Baptizetur servus Christi*, &c. Quintò, imperfecta verborum prolatio non obstat valori formæ, ut constat ex capite *Retulerunt* de consecratione, dist. 4. ubi cùm Sacerdos quidam latinæ linguæ ignarus, baptizans aliquos, pro formâ dixisset: Baptizo te *in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, decrevit Zacharias Papa non esse rebaptizandos, quia nimirum in illis circumstantiis hæc verba idem astantibus significant, ac forma communi modo prolata. VIII. *Qua verborum transpositio reddat Sacramentum invalidum.*

Dices: Si quis loco *Patris* ponat *Matris*, forma non est valida, & tamen non major fit mutatio in verbo, quàm cum loco *patris* ponitur *patria*, ergo neque hæc forma valet. Nego consequentiam: Ratio est, quam assignat Sanctus Thomas art. 7. ad tertium, quia mutatio in principio dictionis faciliùs mutat sensum, quàm in fine, cùm frequentissimus apud Latinos mos sit terminationes vocum in fine in inflexionibus variare, salvo eodem sensu. Aliquando tamen etiam IX. *Si quis loco Patris ponat Matris, forma non est valida.*

etiam mutatio in fine mutat sensum, sicut in principio. Deinde per positionem verbi *Matris* detorquetur propositio ad alium sensum maximè obvium, qua de causâ ex naturâ suâ non videtur apta forma Sacramenti, sed alium præ se sensum ferre. Attendi ergo semper debet utrùm verba, quæ variantur, in his circumstantiis mutent, vel corrumpant sensum, ut cognoscatur num forma sit valida, nec ne. Hinc excusantur nationes quædam, quæ aliquid in verborum initiis subinde addunt, ut pro Spiritus dicunt Espiritus: illi etiam, qui ob linguam impediorem balbè, aut blæsè verba pronuntiant.

X. *De additione, vel subtractione verbi alicujus in formâ.*

De additione, vel subtractione alicujus ex parte formæ, idem judicium esto, si enim quod additur aut subtrahitur, relinquat sensum integrum, non corrumpit formam: unde qui in formâ Eucharistiæ relinqueret particulam *enim*, licèt peccare possit, eam vel ex negligentiâ, & maximè ex contemptu prætermittendo, validè tamen consecraret, ut docet Sanctus Thomas art. 8. corp. sicut & in additione, si quis diceret, *Baptizo te in nomine Patris omnipotentis, Filii sapientis, & Spiritus Sancti paracleti*, ut ait Vasquez disp. 129. cap. 7. num. 103. De interruptione formæ idem asserit Sanctus Thomas, & cum eo Theologi, si enim tanta sit, ut communi hominum judicio non censeatur una oratio, corrumpit formam, si tamen sit moralis propinquitas, ut si postquam dixit, *Ego te baptizo*, aliqua intercedat mora, vel etiam aliud quis breviter interloquatur, ut ait Suarez, & Coninck, ac postea subjungat, *In nomine Patris*, &c. non obstat veritati: quæ tamen, sicut & additio omnis, valdè cavenda est, ut monent omnes, tum quia sunt contra consuetudinem & præceptum Ecclesiæ, tum etiam, quia hac ratione valor Sacramenti subinde exponitur periculo.

XI. *Si quid additum in medio formæ, faciat sensum hæreticum, corrumpit formam.*

Hinc deducitur, quid de particularibus quibusdam casibus, hic proponi solitis, circa additionem dicendum; si enim id quod in medio formæ additur faciat sensum verum & catholicum, non obstat veritati formæ, ut ostensum est, si verò faciat sensum hæreticum, ut si Arianis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris*, vel *Patris increati, Filii creati*, &c. secundùm omnes corrumpit formam, quia ut forma sit vera, debet secundùm communem conceptum & acceptionem verborum facere verum sensum, quod hìc evenire non potest. Addit tamen Coninck, si Arianus baptizans diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, quem puto majorem, Filii, quem puto minorem*, &c. verè eum baptizare; nil enim refert quid ipse putet, nec quod habeat intentionem explicandi suam hæresim; verba enim ipsa significare, etiam in illis circumstantiis verum Patrem & Filium: si verò quædam interserat, quæ nec directè spectant ad sensum formæ, nec illum vitiat, perinde facit, ac si de aliis rebus tantisper interloqueretur.

XII. *Quid censendum de verbis additis in fine.*

Quod si verba addantur in fine, tunc vel vera sunt, & sic non corrumpunt formam, unde forma consecrationis græcorum qui ad verba illa, *Hoc est corpus meum*, addunt tanquam partem formæ, *quod pro vobis tradetur*, ab omnibus habetur valida: vel verba quæ adduntur sunt falsa, & sensum reddentia hæreticum, ut, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti minoris*, in quo casu communis sententia est, formam non esse validam, si intendat illa omnia proferre per modum unius propositionis, cùm simpliciter non baptizet in nomine Trinitatis, sed illa particula *minoris* in fine adjecta destruit significationem verborum, nec enim baptizat in nomine veri Spiritus Sancti, sed minoris, & hoc verba præ se ferunt.

XIII. *Objic. Verba illa in tempore immediatè præcedente erant vera, ergo particula minoris subsequens non potest reddere illa falsa.*

Dices: Verba illa in hoc instanti, vel tempore præcedente, antequam proferatur particula *minoris*, erant vera, ergo tunc habebant effectum, ergo particula illa adveniens non potest efficere, ut non habeant, ergo nec quo minùs sit Baptismus. Contra primò: Si quis diceret *Pater est Deus corporeus*, nullus negat propositionem esse simpliciter falsam, & tamen in illo priori antequam proferretur ultima particula erat vera, quod in mille aliis propositionibus, quas sibi quisque formare poterit, reperietur.

XIV. *Deinde sequeretur hanc formam non esse falsam, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii minoris, & Spiritus Sancti.*

Contra secundò: Ergo neque hæc forma erit falsa, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii minoris, & Spiritus Sancti.* Dices, diversam esse hìc rationem, cùm antequam tota forma proferatur, appareat sensus falsus. Contra: Si sensus sit falsus, est quia particula *minoris* addita post particulam *Filii* reddit eam falsam, sed non reddit juxta hanc sententiam, ergo: probo minorem, particula *Filii* pro illo priori tempore prolata habet verum sensum juxta hanc sententiam, ergo alia particula adveniens non potest ipsam reddere falsam, ergo prædicta forma erit vera. Quod si dicant hi Auctores, particulam *Filii*, ut habeat verum sensum completum pendere ab additione, vel non additione particulæ significationem illius corrumpentis, certè non video cur idem dici non debeat de particulâ Spiritus Sancti, idque licèt addatur in fine. Confirmatur: Si quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii minoris quoad humanitatem*, non esset falsa propositio, ergo sicut particula *minoris* pro illo priori non reddit propositionem falsam, quia verba sequentia illam determinant ad verum & catholicum sensum, ita nec particula *Filii* pro illo priori erit determinatè vera, sed indifferens quasi, & apta determinari ad verum vel falsum per verba sequentia.

XV. *Non videtur negari posse, quin verba sequentia multum faciant ad veritatem propositionum.*

Contra tertiò: Si Arianus quispiam extra Baptismum diceret, hoc vel illud agam in nomine Patris & Filii minoris Patre, nullus dicet propositionem illam esse veram, quamvis pro illo priori non appareret illius falsitas, ergo necessariò concedi debet veritatem propositionum pendere à verbis etiam sequentibus, si faciant ex intentione loquentis unam propositionem. Confirmatur: Arianus potest aperire mentem suam, & facere propositionem falsam, sed non potest aliis verbis clariùs id præstare, quàm dicendo: *In nomine Filii & Spiritus Sancti minoris*, ergo.

XVI. *Ulterius ostenditur verbum additum in fine, posse corrumpere formam.*

Contra quartò: Nam juxta Sanctum Thomam quæst. 60. art. 8. corpore, & omnes communiter, si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis Mariæ*, si intendat baptizare in nomine Beatæ Virginis sicut in nomine Trinitatis, non est Baptismus, & tamen secundùm hanc sententiam esset, cùm pro aliquo priori prolata sit forma sufficiens, si autem additio horum verborum reddat formam irritam & falsam, ergo & additio alterius, & in utroque casu dicendum, pro illo priori sensum propositionis esse suspensum, & nec verum adhuc nec falsum, quia necdum tota propositio est prolata: sicque semper attendendum est quæ verba intendat loquens in eundem sensum & propositionem compingere: & quoad hoc perinde est, ut ait Sanctus Thomas, utrùm

verba mutantia sensum ponantur in initio propositionis, medio, an fine: si quis verò hac formâ verborum solùm intendat ex devotione in Virginem, opem illius baptizato implorare, est verus Baptismus, ut ait Sanctus Thomas ibidem, & perinde est ac si diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beata Virgo te adjuvet.*

XVII. *Aliud est quando verbum in fine additum mutat, & quando non mutat sensum.*

Dices: Si id quod additur in fine, esset verum, ut si quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti paracleti*, in instanti quo absolveretur Sancti, Sacramentum conferret suum effectum, non expectatâ sequente voce, ergo & licèt addatur aliquid contrarium sensui prioris verbi. Nego consequentiam: In priori namque casu verbum quod additur facit eundem sensum cum præcedentibus, sicque moraliter est idem cum illis quoad efficaciam, unde non est cur expectari debeat: at si quis adderet particulam *minoris*, etiam illa particula *Spiritus Sancti* non faceret in audientibus eundem sensum, quem fine illâ faceret, sicque cùm hæc sumi debeant, non metaphysicè, sed moraliter, licèt quasi transeunter, & per modum apprehensionis cujusdam fluentis concipiant fortasse homines in illo priori verum Spiritum Sanctum, verba tamen hæc permanenter (qui modus præcipuè spectari debet in significatione verborum morali & humano modo acceptorum) hoc non significant, sed contrarium.

XVIII. *Potuit Deus ita instituere Sacramenta, ut determinationem materiæ hominibus penitus relinqueret.*

Notandum hìc cum Suarez Disp. 2. sect. 3. & in commentario articuli quinti, potuisse Deum instituere Sacramenta, non determinando materiam eorum & formam in specie, sed hominibus hanc determinationem penitus relinquendo, iisque permittere ut quas vellent res ad Sacramentorum confectionem assumerent, & qui dicunt fuisse in lege naturæ Sacramentum, quo parvuli ab originali liberabantur, asserunt non fuisse certam à Deo ad hoc cæremoniam assignatam, sed unicuique integrum fuisse quamvis assumere.

SECTIO TERTIA.

De intentione Ministri ad Sacramentorum confectionem necessariâ.

I. *Plurimi, maximèque diversi hac in re sunt dicendi modi.*

Mirum est quot quamque varii, hac in parte sint inter Theologos dicendi modi. S. Thomas hic, quæst. 40. art. 8. & in 4. Dist. 3. quæst. 1. art. 2. quæstiunculâ tertiâ, Divus Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 13. §. 3. D. Bonaventura in 4. Dist. 3. art. 2. quæst. 3. Halensis 4. part. quæst. 13. memb. 3. art. 3. asserunt formam etiam accidentaliter mutatam esse invalidam, si per eam quis intendat novum ritum & errorem inducere in Ecclesiam: quam etiam sententiam tenere videtur Sotus, si ritus ille non sit ab Ecclesiâ toleratus.

II. *Asserunt nonnulli, si quis aliquid accidentale addat formæ, putans illud esse essentiale, formam esse invalidam.*

Scotus verò in 4. Dist. 3. q. 3. Gabriël ibidem art 2. Concl. 3. & Richardus volunt formam esse invalidam, si quis aliquid, quamvis in se accidentale addat formæ, putans illud esse essentiale, aut aliquid demat formæ existimans esse essentiale, etsi revera essentiale non sit. Quisquis enim, inquiunt, ritum, Ecclesiæ traditioni contrarium, inducere intendit, intendere nequit facere quod facit Ecclesia: qui etiam aliquid addere vel demere vult, quod putat esse essentiale, esto de facto tale non sit; non potest, inquiunt, intendere conficere verum Sacramentum, cùm intendere nequeat, nisi tale Sacramentum, quod existimat per hæc verba, quæ censet invalida, fieri posse, quod judicio ipsius est nullum.

III. *Quid de Verbis facientibus sensum ambiguum Auctores aliqui eximii sentiant.*

Suarez hìc, Disp. 2. sect. 5. quem sequitur Coninck, ait invalidum reddi Sacramentum, quoties per aliquam formæ mutationem, illius sensus redditur ambiguus, si is qui talem formam profert, intendat sensum falsum, vero excluso. Si quis exempli gratia, hac formâ utens in baptismo: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filia*, &c. si per hanc vocem intendat filiam veram. Quod etiam docere videtur Vasquez. Quid hac in re dicendum sit, sequentibus conclusionibus aperiam.

IIII. *Omittens id quod putat necessarium ad essentiam Sacramenti, non conficit ut plurimùm Sacramentum.*

Prima conclusio: Erroneè putans aliquid esse simpliciter necessarium, vel ex parte materiæ, vel formæ ad validam Sacramenti confectionem, licèt verè non sit necessarium, ut si quis existimet infusionem aquæ in vinum esse absolutè necessariam ad consecrationem, vel invocationem Trinitatis ad absolutionem, & tamen vel hanc vel illam omittat, regulariter loquendo non conficit Sacramentum, non defectu vel materiæ vel formæ, sed intentionis debitæ. Ratio est, quia qui putant aliquid esse simpliciter necessarium ad alicujus consecutionem, & illud omittit, non potest moraliter loquendo habere efficacem intentionem finis, sicut nec habere potest is, qui medium unicum, quod ad illius consecutionem necessarium putat, non amplectitur, ut equitandi vel navigandi, qui equum vel scapham non vult conscendere.

V. *In aliquo tamen casu possit is conficere Sacramentum.*

In casu tamen metaphysico posset is validè conficere Sacramentum, ut si haberet hanc intentionem generalem, volo facere quicquid per hanc materiam vel hanc formam verborum fieri potest, tunc enim cùm hæc materia & forma in re sit sufficiens, & consequenter ponatur conditio, quam ille requirit, voluntas ipsius conditionata transit in absolutam, sicque habet intentionem faciendi Sacramentum, quantumcumque ex errore putet verba quæ profert, ad hoc non sufficere.

VI. *Pronuncians formam debitam super materiam requisitam, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, validè conficit Sacramentum.*

Secunda conclusio: Quandocumque minister profert debitam formam super materiam requisitam, & habet intentionem generalem faciendi quod Christus instituit, vel quod Ecclesia, vel Christiani faciunt, valida conficit Sacramenta, quantumcumque intendat suum errorem significare, aut novum ritum in Ecclesiam inducere: Ita Suarez Sect. 5. Vasquez, Coninck, Layman Tractatu 1. de Sacram. c. 4. n. 5. & alii. Ratio est, quia error speculativus non impedit quo minus absolutè habeat intentionem faciendi quod facit Christus, hoc autem sufficit ad confectionem Sacramenti.

VII. *Manenchat generali intentione, tam Arianus quàm Calvinista validè conficit Sacramenta.*

Hinc infero primò, Arianum proferentem consuetam formam Ecclesiæ validè baptizare, licèt ipse intendat inæqualitatem personarum, & naturæ distinctionem significare. Infero secundò Calvinistam intendentem per formam baptismi significare, non deletionem, sed solum occultationem peccatorum validè etiam baptizare. Infero tertiò, Græcum intendentem inducere ritum consecrandi in fermentato tanquam quid essentiale Eucharistiæ, aut verba illa, *quod pro vobis tradetur*, tanquam de essentiâ formæ consecrationis, aut utentem formâ illâ baptismi,

baptizetur

baptizetur servus Christi, tanquam necessariâ, validè consecrare & baptizare. Probatur quia baptismus Arianorum semper à Patribus, & in particulari à Concilio primo Arelatensi habitus est validus. Item sanctus Augustinus ubique supponit baptismum Donatistarum fuisse validum, qui tamen affirmabant de necessitate Sacramenti esse, ut minister esset fidelis, vel justus, & hunc ritum inducere nitebantur in Ecclesiam. Deinde baptizati ab hæreticis nostri temporis essent rebaptizandi, quod tamen dici non debet.

VIII. *Si hæreticus quispiam intentionem haberet potius non cõficiendi Sacramentum, quàm suum errorem non significandi, non esset validum Sacramentum.*

Si tamen eâ quis malitiâ reperiatur Hæreticus, ut absolutam habeat intentionem potiùs non conficiendi Sacramentum, quàm suum errorem non significandi, seu nisi verba errorem illum non significent, non baptizat, ut docet Pater Coninck art. 8. n. 61. Vasquez & alii: hic enim non haberet omnino intentionem faciendi quod instituit Christus, vel quod facit Ecclesia. Quo etiam sensu capiendum est id quod ait S. Thomas hîc, art. 8. tales non censeri intendere facere id quod facit Ecclesia. Hic tamen modus intentionis vix in quoquam reperiri potest, ut notat Pater Suarez Disp. 13. sect. 2. cùm & nimiam reflexionem arguat, & pertinaciam.

IX. *In intentionibus contrariis videndum semper quid præcipuè intendat minister.*

Pro his ergo & similibus notandum, quando intentiones sunt hoc modo perversæ & contrariæ, ut cum minister intendit facere quod instituit Christus, non tamen quod facit Ecclesia Romana, &c. tunc inquam observandum quid præcipuè & primariò intendat; si enim primariò & efficaciter intendat facere, quod instituit Christus, alia intentio non est efficax, sed conditionata tantùm, id est nolo facere quod facit Ecclesia Romana, nisi illa faciat quod fecit Christus: sicut, inquit, Pater Layman citatus, qui maximè desiderat & optat habere equum suum quem amisit, licèt equum, qui ipsi offertur putans ex errore speculativo non esse suum, respuat, cum tamen verè sit ipsius, adhuc simpliciter & absolutè vult habere equum suum, & hæc secunda voluntas in errore illo fundata solùm est conditionata, & tantùm in re dicit, nolo hunc equum, posito quod non sit meus, semper enim positâ hac voluntate, vult absolutè suum. Si tamen primariò & absolutè intendat non facere quod facit Ecclesia Romana, etiamsi sit illud quod facit Christus, tunc non conficit Sacramentum, quia omnino non habet intentionem debitam.

X. *Minister cum verbis ambiguis, si habeat rectam intentionem generalem, validum conficit Sacramentum.*

Tertia conclusio: Licèt verba sint ambigua, ut si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia*, &c. intendens etiam sensum falsum, nempe significare secundam personam esse sexus fœminei, adhuc validè baptizat, modò habeat generalem intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ratio est, quia jam antecedenter ad secundariam intentionem ponitur alia sufficiens, & per illam præoccupantur verba ad verum sensum, unde alia secunda intentio solùm est secundaria, conditionata, & inefficax, & efficaciter vult baptizare in illorum nomine, in quorum baptizat Ecclesia, quare hac intentione stante, secunda non potest reddere verba invalida.

XI. *Quamvis verba corruptè proferantur, si tamen stet recta intentio, validè redditur Sacramentum.*

Quarta conclusio: Quamvis verba corruptè proferantur, etiam cum intentione inducendi novum ritum in Ecclesiam, adhuc validè Sacramentum conficitur, nisi intentio ministri talis sit, ut tollat intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Hoc postremum, & nihil aliud intendit Zacharias Papa cap. *Retulerunt* ad Bonifacium dicens non esse iterum baptizandos illos, qui per formam illam corruptam *In nomine Patria*, &c. fuerant baptizati, nisi baptizans intenderet errorem inducere, aut hæresim, talem scilicet intentionem habens, quæ intentionem faciendi quod facit Ecclesia tollat, vel reddat inefficacem. Quo etiam sensu accipiendus est S. Thomas art. 7. ad tertium, dum ait eum, qui ex industriâ corruptè profert verba Sacramentalia, non videri intendere facere quod facit Ecclesia, sed potiùs per jocum, aut contemptum proferre formam, & non cum intentione baptizandi.

XII. *Quid si quis intendat baptizare, sed non conferre effectũ Sacramenti.*

Quinta conclusio: Si quis habeat intentionem baptizandi, sed non conferendi effectum Sacramenti, adhuc validè baptizat: Ita Suarez disp. 13. sect. 2. & alii communiter, stat enim absoluta & efficax voluntas conficiendi Sacramentum, licèt ex errore putet posse ministrum suspendere & separare voluntate suâ effectum à Sacramento. Quòd si ita esset malitiosa ejus intentio, ut si necessariò conferenda sit gratia, nolit conficere Sacramentum, tunc idem dicendum quod in secundâ conclusione asseruimus.

XIII. *Quadruplex est intentio.*

Quadruplex distingui solet intentio: Prima *interpretativa*, quæ remota dicitur, cùm vult quis rem aliquam non immediatè in se, sed in causâ, & reperitur in voluntario tantùm indirecto, ut cùm quis sciens se in somnis semper solere proferre verba consecrationis, aut Baptismi supra materiam aptam, confert se ad capiendum somnum: Secunda *habitualis*, quæ quoad præsens ea dicitur, cùm præcessit actualis intentio conficiendi Sacramentum, quæ tamen postea nullo modo influit in effectum, licèt enim habitualiter maneat, cùm non sit retractata, solùm tamen habet se concomitanter ad Sacramenti confectionem, non antecedenter, quod proinde eodem modo fieret, sive hæc intentio præcessisset, sive non. Tertia *actualis*, quæ per se nota est. Quarta demum *virtualis*, sic dicta, quod cùm actualis intentio præcesserit, per quam excitatur quis primò ad aliquid agendum, successione tamen quadam continuatâ, licèt cesset prima intentio, res aliqua perficitur. Intendit quis exempli gratiâ celebrare Missam, ex vi hujus intentionis ad sacristiam se confert, vestes induit, librum & reliqua necessaria disponit, idque licèt prima intentio cessârit, unde confectio Sacramenti, & celebratio dicitur ex intentione illâ virtuali procedere.

XIV. *Interpretativa & habitualis intentio ad validam Sacramenti confectionem non sufficiunt.*

Prima & secunda intentio non sufficit, ita Suarez hîc disp. 13. sect. 3. Vasquez, Coninck, Bellarminus, & alii communiter. Ratio est, quia ad confectionem Sacramenti requiritur ut humano quis & rationali modo dispenset mysteria Dei, quod hîc non intervenit, ut constat, & præterea secunda intentio nullo modo est causa actionis, ut dictum est. Licèt ergo actio illa sequatur ad primam intentionem liberam, non tamen sequitur tanquam actio humana & libera, sed modo naturali & irrationali, quòd non sufficit ad confectionem Sacramenti, & ut quis operari dicatur tanquam minister Christi, sicut enim dispensatio horum mysteriorum, ut eo quo decet modo fiat, requirit secundùm omnes ut fiat à naturâ rationali, ita etiam ut fiat rationali modo: illa ergo actio non est propriè voluntaria in se, sed solùm per modum objecti, sicque non est voluntaria, sed volita, sicut & actio canis, si homine instigante aliquem morderet, ut benè Coninck quæst. 64. art. 8. num. 74.

Unde licèt dormiens suscipere validè possit baptismum, non tamen conficere, suscipiens enim non est principium efficiens, sed solùm subjectum recipiens, & propterea non requiritur in suscipiente intentio tanquam principium humanæ actionis, sed solùm per modum dispositionis, ut scilicet subjectum sit capax, seu non repugnans Sacramento. Deinde hoc argumentum probaret nullam omnino requiri intentionem in conficiente Sacramenta, cùm nulla frequenter requiratur in recipiente, ut constat in pueris & amentibus, qui aliquorum Sacramentorum sunt capaces.

XV. *Quamvis dormiens possit validè suscipere baptismum, non tamen conficere.*

Dices primò: Sæpè contingit ut quis distractè, vel ex imbecillitate, vel negligentiâ mysteria divina peragat, & tamen validè consecrat, cùm proveniant illæ omnes actiones à primâ intentione, ergo & dormiens idem validè præstabit. Negatur consequentia: Etsi enim quis distractè subinde se gerat, semper tamen est aliqua, tenuis saltem advertentia dirigens actiones illas, ratione cujus dicuntur humano modo & liberè fieri, licèt ob consuetudinem non semper illam homines percipiant. Quod verò sit aliqua hujusmodi confusa cogitatio continuata proveniens à primâ intentione, vel inde constat, quia si mens aliò omnino trahatur, ita ut cogitatio illa interrumpatur, cessat illicò actio exterior, nec nisi intentio nova habeatur, progredi quis potest, ut rectè Coninck num. 71.

XVI. *Objic. Sufficit ad validam Sacramenti confectionem intentio virtualis, ergo & interpretativa.*

Dices secundò: Si quis hodie non habeat solum propositum offerendi cras Sacrum pro Paulo, sed etiam nunc applicet sacrificium illud, etsi postea nihil de eâ re cogitet, ipso facto quod cras celebret, est sacrificium illud Paulo applicatum, ergo intentio merè habitualis potest aliquid postea operari. Respondeo, disparitatem esse, quia voluntas, qua offertur sacrificium non debet esse operativa, sed merè applicativa, unde sufficit habitualis voluntas, at verò voluntas Sacramentum conficiendi, esse debet voluntas operativa, quare habitualis, quæ merè concomitanter se habet, non sufficit ad illud faciendum.

XVII. *Objic. Voluntas, quâ hodie quis applicat sacrificium crastinum Paulo, sufficit ut cras maneat ei applicatum.*

Actualis intentio sine dubio sufficit, imò optima est ad Sacramenta conficienda, sed non est necessaria, imò moraliter haberi semper non potest, unde sufficit intentio virtualis. Probatur, quia humana imbecillitas non patitur semper hujusmodi reflexionem, & attentionem actualem, unde eam in Sacramentorum confectione requirere, est magnam occasionem scrupulis, & dubitationibus circa Sacramenti valorem, præbere, ut ait Suarez supra §. *Alterapars.* Deinde virtualis intentio sufficit in aliis negotiis ad ea humano & rationali modo peragenda, quidni ergo sufficiet ad conficienda Sacramenta.

XVIII. *Actualis intentio optima est ad conficienda Sacramenta.*

Dices: Si quis habitum alicujus rei contraxit, operatur subinde per eum, ergo habitualis intentio hoc sensu accepta æquivalet virtuali, & sufficiet ad confectionem Sacramenti. Respondeo, diversissimum esse utriusque concurrendi modum, actio enim, quæ in somnis oritur ab intentione hac habituali, non oritur ab eâ per continuatam seriem operationum humanarum, sicut in intentione virtuali contingit, sed ex aliquo ab intentione actuali relicto, quod vi suâ, & sine subordinatione ad eam, effectum illum operatur, unde quantumvis ante somnum intentio illa retractetur, adhuc eodem modo habet effectum, quod in virtuali intentione non reperitur, hæc enim si efficaciter retractetur, cessat ulterior conatus circa effectum.

XIX. *Objic. Operatur quis per habitum contractum, ergo & per intentionem habitualem.*

SECTIO QUARTA.

Deducuntur quædam Corollaria circa intentionem ministrantis Sacramenta.

IN primis notandum, formas Sacramentorum, *Baptizo te, absolvote, Hoc est corpus meum*, &c. requirere certam aliquam personam, aut materiam supra quam cadant, idque sine errore substantiali; cùm enim actio procedat ex intentione, non debet actio ferri ad unum, intentio ad aliud, sed supra eandem omnino rem. Si autem quis absolvat Petrum putans esse Paulum, aut pronunciet verba consecrationis supra duas hostias, quas in manibus tenet, putans esse tantùm unam, validè consecrat has, absolvit illum, nisi ita determinaret suam intentionem, ut intendat non absolvere illum, nisi sit Petrus, nec hanc materiam consecrare, nisi sit una tantùm hostia, quod tamen vix unquam contingit, sed intendunt omnes communiter, sicut intendere debent, absolvere & consecrare materiam & personam, quam habent præsentem. I. *Sacramentorum forma certam aliquam personam aut materiam requirunt, supra quam cadant.*

In Matrimonio tamen, ut notant Auctores communiter error personæ semper est substantialis, quia ob gravissimum onus Matrimonii, semper censentur homines limitare suam intentionem ad talem determinatam personam. Imò & in aliis humanis contractibus idem solet contingere, ut in emptione & venditione. Aliquando etiam idem evenire potest in aliis Sacramentis, si nimirum timeret quis, ne persona aliqua supponeretur ordinanda, vel baptizanda, quam ordinare aut baptizare non expediret. II. *In Matrimonio, ob gravissimum illius onus, error personæ semper est substantialis.*

Quæres: Utrùm collatio Sacramenti conditionata sit valida? Respondetur: Si conferatur sub conditione præsente vel præteritâ esse validam, si posita fuerit conditio: ita omnes communiter, imò aliquando juxta jura conferri debet sub conditione de præterito, ut cùm rationabiliter dubitatur, utrùm validè quis sit baptizatus, conferri ei debet Baptismus sub hac conditione, vel verbis expressâ, vel saltem mente habitâ, nempe si non sit baptizatus, intentio autem conditionata nullo modo nisi gravi de causâ haberi debet. III. *Quid censendum de Sacramento collato sub conditione.*

Si verò conditio sit de futuro, dupliciter intelligi potest, vel ita ut dicat, si ex restituturus te absolvo, & tunc conditio non tam est de futuro, quàm de præsenti, & sensus est si jam verum est dicere, vel si Deus sciat te postea restituturum, *te absolvo*, & tunc, licèt neget Coninck num. 88. videtur tamen collatio valida, ut ait Suarez, si conditio tunc sit ponenda, dicit tamen hoc gravissimum sacrilegium continere, quia homo ille exponitur periculo carendi Sacramento. Unde ulteriùs addit: Si quis baptizetur sub hac conditione, nempe, si sit prædestinatus, esse rebaptizandum, quod etiam asserit, licèt conditio de futuro sit ejusmodi, ut ex futuro eventu post aliquod tempus constare possit, ut si quis dicat: *Ego te baptizo, si Deus sciat te per annum victurum.* IIII. *Conditio de futuro duobus modis capi potest.*

Alio modo intelligi potest intentio de conditione futurâ, nempe ita ut apponatur conditio de futuro ad suspendendum absolutum consensum, & intentionem, donec conditio ponatur, sicque dicit nolo te baptizare vel absolvere, usque dum V. *Conditio de futuro ad suspendendum consensum reddit Sacramentum invalidum.*

talis

talis conditio ponatur, & tunc volo, vel tunc habebo intentionem absolutam. Hæc intentio reddit Sacramentum invalidum, excepto solo Sacramento Matrimonii: ita Suarez & Coninck citati, & est communis. Ratio est: Quia ut Sacramentum sit validum, debet conjungi intentio simul cum materiâ & formâ, unde si quis postquam puerum asperserit aquâ, incipit habere intentionem ipsum baptizandi, nihil facit, hîc namque intentio ministri non coëxistit ulli parti materiæ & formæ Sacramenti, tunc enim solùm est absoluta intentio, quando ponitur conditio, conditio autem non ponitur nisi postquam tota materia & forma Sacramentorum transiit.

VI. *Diversa hac in parte ratio est de Sacramento Matrimonii.*

De Matrimonio est peculiaris ratio, cùm enim consistat in contractu, cujus naturam Christus non mutavit, sed ad esse Sacramenti elevavit, contractus autem alii, ut validi sint, pendere possint à conditione de futuro contingente, poterit etiam Matrimonium, multi tamen Doctores asserunt Matrimonium contractum per verba de præsenti sub conditione honestâ de futuro contingente, positâ conditione solùm habere vim sponsalium, & ut sit Matrimonium debere eos denuò absolutè contrahere. Sed quicquid sit de hoc, ratio diversitatis inter Matrimonium & alia Sacramenta est primò, quia est contractus, ut diximus: Secundò, quia positio materiæ aliorum Sacramentorum non potest pendere à conditione futurâ, cùm sint res merè physicæ: Tertiò, & præcipuè, quia Matrimonium essentialiter consistit in consensu exteriùs manifestato, non autem manifestatur absolutè per verba præcedentia, nisi conditione positâ. Unde in plurimis differt Matrimonium ab aliis Sacramentis, potest enim quis illud contrahere per procuratorem seu substitutum, cùm tamen nullus baptizari aut absolvi possit pro alio: nutibus similiter perfici potest, cùm nihilominus alia Sacramenta essentialiter requirant verba, & sic de aliis.

VII. *Ad Sacramentorum confectionem non sufficit quòd quis habeat solùm intentionem actûs illum externum faciendi.*

Ex his omnibus infero cum Valentia hîc, disp. 3. quæst. 5. puncto 3. Suarez disp. 13. sect. 2. Vasquez 138. & aliis communiter, non sufficere ad validam Sacramentorum collationem, ut quis tantùm intentionem habeat faciendi actum illum externum, ut volebat Catharinus cum aliis quibusdam, aut ut joco faciat, ut dicebat Calvinus, Lutherus, & alii hæretici, sed requiritur ut ministrans habeat intentionem faciendi quod faciunt Christiani, primò enim hoc definitum est in Florentino & Tridentino, ubi dicitur, requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & idem definit Leo decimus in bullâ contra Lutherum. Ubi clarum est aliam requiri intentionem præter voluntatem faciendi actionem illam externam, sine hac enim voluntate actio externa fieri moraliter non potest, nec ad hoc declarandum opus esset definitione Pontificis, aut Ecclesiæ.

VIII. *Cum ministri Sacramentorum sint dispensatores mysteriorum Dei, habere debent rectâ intentionem.*

Ratio est, quia ministri Sacramentorum gerunt se ut dispensatores mysteriorum Dei, ac proinde habere debent intentionem agendi aliquid loco Christi, & consequenter faciendi quod instituit Christus. Secundò, quia non sufficit mera intentio faciendi rem, sicut, ut rectè Coninck, si quis famulum suum mittat ut hero emat equum, is autem emat sibi, licèt opus externum præceptum impleat, non tamen agit ut minister & famulus illius defectu solius intentionis.

IX. *Objic. Sanctum Athanasium puer alios pueros per jocum baptizasse.*

Dices: Sanctus Athanasius puer alios pueros per jocum baptizavit, quem tamen Baptismum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus: & similem refert historiam Nycephorus libro 3. Historiæ, cap. ultimo, de quodam puero Judæo ab aliis pueris per ludum baptizato Constantinopoli, qui similiter Baptismus ibidem pro valido est habitus. Respondetur, dupliciter posse aliquid fieri per jocum, primò, ita ut joco fieri idem sonet ac fictè, sicut cùm per ludibrium adoratur idolum, quo sensu sumi debet Sanctus Thomas art. 10. corp. & ad secundum, dum dicit intentionem jocosam obstare veritati Sacramenti. Secundò fit aliquid per jocum, id est animi oblectandi causâ, etsi verè quis intentionem habeat rem illam præstandi, & hoc postremo modo potest aliquid per jocum fieri seriò, cùm verè rem illam intendat operans, licèt ob recreationem intendat: hoc posteriori modo censetur S. Athanasius fecisse, quod & de altero puero existimandum est.

Si verò intendat quis conferre Sacramentum, non tamen effectum Sacramenti, seu gratiam, confert tamen utrumque, gratia quippe necessariò sequitur Sacramentum, nisi ponatur obex in suscipiente, si verò duo baptizati intenderent inire contractum Matrimonii, non tamen facere Sacramentum, ut contingere posset, si duo nati inter Christianos educentur inter infideles, in hoc inquam casu, vel potest contractus separari à Sacramento, inter tales contrahentes, & tunc validum esset Matrimonium illud in ratione contractus, & non erit Sacramentum, ut vult Vasquez disp. 138. num. 63. vel hæc duo separari non possunt, & tunc nihil facerent nolentes facere Sacramentum, ut docet Suarez disput. 13. sect. 2. & alii communiter.

X. *Quid si duo baptizati intenderent contrahere Matrimonium, non tamen conficere Sacramentum.*

SECTIO QUINTA.

De intentione illius, qui Sacramentum suscipit.

QUÆSTIO est de adultis ratione utentibus, parvulis siquidem & perpetuò amentibus Baptismus, Confirmatio, & Ordo sine ullâ intentione validè conferri possunt. Pœnitentiæ & Matrimonii capaces illos non esse certum est, cùm ad illa requirantur actus liberi suscipientium. Extremæ etiam Unctionis incapaces sunt parvuli, quamvis Beata Virgo Sacramentum hoc ex hac vitâ decessura receperit, ut affirmat Albertus Magnus, Sylvester, & alii, quos sequitur Pater Canisius lib. 1. de Beatâ Maria cap. 9. nec enim ut quis recipiat hoc Sacramentum requiritur ut aliquando peccarit, cùm forma sit conditionalis solùm, seu potentialis, quasi dicatur indulgeat tibi Deus, si quid peccâsti, vel conferat tibi Deus gratiam sufficientem ad delendam omnem maculam, quæ per sensus contrahi solet: deinde hoc posito dicunt ut validè suscipiatur hoc Sacramentum sufficere quòd quis libertate utatur, & capax sit spiritualis auxilii ad insidias & oppugnationes inimici in ultimo vitæ articulo, quæ tunc vehementiores esse solent, superandas, hic autem effectus parvulis conferri non potest. Eucharistia, cùm Sacramentum sit antequam suscipiatur, à quocumque sumitur, sumitur verum Sacramentum.

I. *De solis ratione utentibus procedit quæstio.*

Quid requiratur ut quis sit capax Sacramenti Extremæ unctionis.

De adultis ergo quoad quatuor Sacramenta procedit controversia, Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & Extremam Unctionem; Pœnitentiam

II. *Quæstio in adultis procedit de Ba-*

ptismo, Confirmatione, Ordine & Extremâ Unctione.

Pœnitentiam enim & Matrimonium requirere actus recipientium illa Sacramenta certum est, de Sacramento autem Eucharistiæ nulla est difficultas, ut proximè ostensum est.

III. *Adultus negativè solùm se habès non suscipit validè Sacramentum.*

Qui ergo solùm negativè se habet, non suscipit validè Sacramentum, multo minùs qui positivè repugnat: prima pars est contra Caietanum, sed communis Doctorum sententia. Secunda traditur ab Innocentio III. capite *Majores* de Baptismo, nec decuit Christianis sacris quempiam animo repugnante imbui. Unde cùm Eugenius IV. in decreto ad Armenos requirit tantùm tria ad valorem Sacramenti, intelligi debet de iis, quibus formaliter Sacramentum perficitur, præsupponitur autem subjectum dispositum, alioqui posset non baptizatus validè confirmari. Eodem modo probatur prima pars, & alioqui posset homo sine ullo consensu cogi ad servandas leges Ecclesiæ. Nec refert quod in parvulo non requiratur ullus consensus, sic enim nec ad collationem gratiæ parvulo requirit Deus fidem, requirit tamen in adulto; cùm enim ratione, & libertate utatur, justificari debet libero & rationali modo.

IIII. *Ad baptismum validè suscipiendũ sufficit consensus vi vel metu extortus.*

Sufficit tamen ad Baptismum consensus vi vel metu extortus, imò & voluntas habitualis, seu non retractata, & subinde sola implicita: unde ait Coninck quæst. 64. art. 8. dub. 5. Si quis velit fieri Christianus, & doleat de peccatis prout per ea meretur pœnas inferni, licèt nunquam de Baptismo audierit, validè baptizatur, quia talis implicitè censetur petere Baptismum, & de extremâ Unctione quotidiana praxis id probat: idem affirmat Coninck de Confirmatione, non tamen de Ordine, tum quia nullus eum generali illo desiderio petere censetur cùm non sit Sacramentum omnibus necessarium, tum ob tantam status mutationem, quam secum fert.

V. *Vt quis validè absolvatur requiritur petitio explicita.*

Ad Pœnitentiam non sufficit implicita illius petitio, quæ est ipso facto, quo quis catholicè vivat, eo enim ipso censetur velle ea sibi Sacramenta adhiberi quæ Ecclesia morientibus conferre solet, sed hæc non est sufficiens ut quis Sacramentaliter absolvatur, sed requiritur ut aliquo modo explicitè, & actu externo Sacramentum petat, actus enim pœnitentis sunt pars hujus Sacramenti.

VI. *Ad validam Sacramenti susceptionem non sufficit voluntas interpretativa, seu in causâ.*

Tandem addo ad Sacramentum validè suscipiendum non sufficere voluntatem interpretativam, qua quis censetur aliquid velle in causâ, unde si quis prævidens fore ut in somno ab aliquo baptizetur, vult dormire, non validè suscipit Sacramentum, susceptio enim illa est ei simpliciter involuntaria, cùm possit ipse quantum est ex se nolle suscipere, unde simpliciter censetur invitus.

SECTIO SEXTA.

An Christus determinatè instituerit materiam & formam Sacramenti Ordinis.

I. *Varia diversis temporibus in variis regionibus fuit Sacramenti Ordinis administratio.*

Diversus Ecclesiæ in Sacramenti hujus administratione usus, quem jam inde ab Apostolorum tempore apud varias nationes in diversis orbis partibus viguisse cernimus, occasionem huic quæstioni præbet, meritóque cum Theologis quærimus, quid hac in parte sentiendum sit, cùm decursu temporis alium & alium in diversorum ordinum collatione & susceptione tam quoad materiam, quàm formam ritum observatum fuisse ex antiquorum monumentis constet. Hinc Innocentius IV. cap. *Presbyter de Sacramentis non iterandis* sic habet: *Vnde credimus quòd nisi essent formæ postea inventæ sufficeret ordinatori dicere, sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba: sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit.*

II. *Verùm Christus particulares pro Sacramento Ordinis ceremonias instituerit.*

Quæstio itaque est, Utrùm ita Christus determinaverit in particulari hanc materiam & formam, ut non solùm generatim instituerit ut in Ecclesiâ esset Sacramentum Ordinis, sed ut per has in particulari cæremonias, & tenorem verborum perficeretur, ita ut horum usus sit de jure divino, nec penes Ecclesiam sit potestas cæremonias illas mutandi, atque his omissis, alias illorum loco substituendi.

III. *Omnia septem Sacramenta fuerunt immediatè à Christo instituta.*

Supponit hæc quæstio Sacramenta novæ legis fuisse omnia immediatè à Christo instituta, esto enim olim Hugo de Sancto Victore, & Magister, hic in 4. dist. 23. ille libro 2. de Sacramentis extremam Unctionem à S. Jacobo institutam fuisse asseruerint, Halensis verò 4 parte de Sacramento Confirmationis, & alii Confirmationem post tempora Apostolorum institutam ex peculiari instinctu Spiritus Sancti fuisse dixerint in Concilio Meldensi, fide tamen jam certum est, omnia septem Sacramenta instituta fuisse immediatè à Christo, id enim definit Tridentinum sess. 7. can. 1. ut supra vidimus, & sess. 14. can. 1. eandem doctrinam de extremâ Unctione in particulari tradit, de quâ tamen maxima fuit difficultas, aitque à S. Jacobo solùm fuisse hoc Sacramentum promulgatum. Deinde Sanctus Paulus primæ ad Corinthios cap. 4. ait, Apostolos solùm fuisse dispensatores, ac proinde non institutores mysteriorum Dei.

IIII. *Ostenditur Sacramentum Confirmationis nũ fuisse institutũ in Concilio Meldensi.*

Nec potuit primò institui Sacramentum Confirmationis in Concilio Meldensi, cùm Sanctus Clemens, Divi Petri discipulus, & quartus post eum Pontifex, Sacramenti hujus mentionem faciat libro tertio Constitutionum Apostolicarum cap. 16. Hoc autem longè contigit ante Concilium Meldense, ut constat.

V. *Materiam ordinis Christus in particulari non determinavit.*

Dicendum ergo est, Christum non determinasse in particulari materiam & formam hujus Sacramenti, sed Ecclesiæ permisisse, ut cæremoniam quamcunque sensibilem potestatis, quæ per Ordinem confertur, significativam, in Sacramenti hujus materiam assumeret. Hanc sententiam multi tenent ex recentioribus, præsertim Romæ propter consuetudinem Græcorum: item Lugo de Sacramentis disp. 2. sect. 5. Præpositus de Sacramento Ordinis, dub. 10. qui alios nonnullos citat, cui etiam opinioni favere videtur Bellarminus lib. de Ordin. cap. 9. §. ultimo, quam insuper doctrinam tradit Arcudius de Concordiâ Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in Sacramentorum administratione lib. 6. cap. 4.

VI. *Declaratur, quo pacto non eadem semper fuerit materia Ordinis.*

Ratio conclusionis est: Cùm namque in Ecclesiâ Romanâ, materia in consecratione Sacerdotum sit porrectio vasorum, seu instrumentorum, ut vocant, nempe calicis cum vino, & patenæ cum hostiâ, ut communis Ecclesiæ praxis demonstrat, & habetur in Concilio Florentino in decreto ad Armenos, Ecclesia tamen Græca, ut constat ex iis, qui Romæ degunt, non utitur hac cæremonia in consecratione Sacerdotum, sed solâ manus impositione, dicente Episcopo: *Divina*

Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat seu promovet venerabilem Diaconum in Presbyterum: qui ritus cùm Romæ, sciente & consentiente Summo Pontifice, fiat, nullus jure de illius valore dubitaverit, præsertim cùm ex iis, qui hoc modo ordinantur multi fiant Episcopi, imò & subinde Cardinales, ut testantur qui Romæ vixerunt, ergo non est ita determinata in particulari materia aut forma hujus Sacramenti, ut nulla fieri in eâ possit ab Ecclesiâ mutatio.

VII. *Idem ostenditur auctoritate Concilii Florentini.*

Confirmatur: In Concilio Florentino, ad quod unà cum Episcopis Occidentalibus venerunt Orientales omnes cum Patriarchâ Constantinopolitano, & Imperatore Joanne Paleologo, nunquam expostulabant hac de re Patres Latini cum Græcis, quod tamen sine dubio fecissent, si ordinationem illam validam fuisse non existimassent, res enim maximi momenti fuisset, cùm nec Sacerdotes, nec Eucharistæ, aut Pœnitentiæ Sacramenta, ut nihil de aliis dicam, inter se Græci habuissent; qui enim ab ipsis res longè minoris momenti quærebant, ut cur aquam ferventem in calicem funderent, cur mortuos oleo ungerent, &c. Certè de hac re, quæ gravissima est non tacuissent.

VIII. *Docet Gregorius IX. manus impositionem fuisse ritum ab Apostolis introductum.*

Secundò probatur ex cap. Presbyter de *Sacramentis non iterandis*, ubi Gregorius nonus dicit manus impositionem fuisse ritum ab Apostolis introductum, ergo non est hæc in particulai cæremonia à Christo pro materiâ Ordinis instituta. Nec valet explicatio, quam afferunt nonnulli, Pontificem ideo vocare manus impositionem ritum ab Apostolis inductum, non quòd eam instituerint ipsi, sed quòd primi eâ usi fuerint, hoc enim modo absolutio à peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ posset dici ritus ab Apostolis inductus, cùm primi eam exercuerint.

IX. *Sententia affirmans solam impositionem manuum esse veram materiam consecrationis Presbyteri.*

Auctores aliqui volunt totam essentiam ordinationis Sacerdotii consistere in solâ impositione manuum, sicque aiunt hanc materiam esse utrique Ecclesiæ eandem, & à Christo institutam: ita Divus Bonaventura in 4. dist. 24. ratio illius est, quòd à Conciliis & Patribus semper dicantur Sacerdotes per manuum impositionem ordinari.

X. *Concilium tamen Florentinum expresè docet contrarium in decreto ad Armenos.*

Hoc tamen post Florentinum videtur sustineri non posse, cùm in decreto ad Armenos Pontifex contrarium expresè docere videatur his verbis: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*: & paulò post: *Formâ sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hæc autem verba proferuntur quando Episcopus porrigit panem & vinum, ergo tunc confertur illa potestas: imò Sacerdotes omnes tunc ordinati consecrant statim postea cum Episcopo, ut praxis in hujusmodi Ordinationibus ostendit.

XI. *Ex duabus ordinationibus partialibus integratur ordinatio Sacerdotis.*

Ordinatio itaque Sacerdotis duabus partialibus ordinationibus perficitur, sine quibus non est quis completè Sacerdos, primâ, quâ confertur ei potestas super corpus Christi verum, & est potestas excellentior: secundâ, quâ eidem confertur potestas super corpus Christi mysticum, quæ est potestas absolvendi, & datur in fine Missæ, cùm Episcopus manus ei imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris peccata*, &c. unde prima potestas stat sine secundâ, cùm ab eâ omnino independenter conferatur, non tamen secunda sine primâ, cùm potestas in corpus mysticum Christi supponat potestatem in verum. Per utranique verò confertur gratia sacramentalis, & imprimitur character partialis, ut aiunt, ex quibus unus integratur perfectus ordo sacerdotalis.

XII. *Modus Latinorum propius accedit ad modum, quo utebatur Christus.*

Græci verò utramque potestatem sub eâdem formâ, & solâ manuum impositione conferunt, quam tamen Latini distinctiùs per duos diversos ritus & formas illis correspondentes tribuunt, imo propiùs accedit Latinorum consuetudo ad modum, quo Christus Apostolos Sacerdotes consecravit, hoc enim ipse præstitit in nocte cœnæ per traditionem corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Deinde post resurrectionem secundam potestatem eisdem contulit, quando insufflavit & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c.

XIII. *Diversa Græcorum & Latinorum consuetudo in ordinatione Diaconi.*

Idem dicunt multi de Diaconatu, quem Græci solâ manuum impositione, & unicâ verborum formâ tribuunt, Latini tamen clariùs & explicatiùs per duplicem partialem materiam, & duplicem similiter formam, primò enim Episcopus imponens ordinando manum dicit: *Accipe Spiritum Sanctum & robur ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*: Deinde tradens librum Evangeliorum dicit: *Accipepotestatem legendi Evangelium in Ecclesiâ Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini, Amen.* Unde, licèt multi dicant collationem diaconatus consistere in solâ traditione libri Evangeliorum, imò Vasquez disputat. 238. num. 735. oppositum temerarium esse dicat, & erroneum, ob auctoritatem Florentini, sine dubio tamen est opinio valdè probabilis, quæque & in Scripturâ sacrâ, Conciliis, & Patribus magnum habeat fundamentum, qui per impositionem manuum gratiam sacramentalem conferri asserunt: Imò Richardus, Sotus, Bellarminus de Sacramento Ordinis cap. 6. & alii affirmant in primitivâ Ecclesiâ nondum scripto Evangelio, fuisse Diaconos solâ manus impositione ordinatos, quamvis Henriquez, & alii dicant, etiam tunc, loco libri Evangeliorum datam fuisse chartam, in quâ scripta erant mysteria Fidei: Coninck etiam disp. 20. num. 65. affirmat, simul cum impositione manuum Episcopi conjunctam tunc fuisse traditionem alicujus rei, quâ Diaconi officium designaretur. Florentinum autem ibi non intendit rituale aliquod condere, & exactam Sacramenti Ordinis materiam describere, cùm pro minoribus nullam omnino assignet, sed aliqua ibi ponit, pro reliquis tam quoad materiam, quàm formas hujus Sacramenti eos ad Pontificale Romanum remittit.

XIV. *Christus in ultimâ Cœnâ, per aliam materiam & formam Apostolos ordinavit, quâm modò utitur Ecclesia.*

Ex his tertiò probatur conclusio: Christus in ultimâ cœnâ per verum Sacramentum ordinavit Apostolos Sacerdotes, ut docet Vasquez disputat. 239. cap. 1. Ruardus art. 17. Præpositus de Sacramento Ordinis num. 87. aitque esse communem Theologorum sententiam, sed materia in illorum consecratione fuit Eucharistia, seu corpus & sanguis Christi, forma verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, ergo Christus non determinavit in particulari materiam aut formam hujus Sacramenti, cùm jam alia passim in Ecclesiâ sit hujus Sacramenti materia, alia forma.

XV. *Christus formas Sacramentorum non determinavit.*

Confirmatur primò: Christus formas Sacramentorum non determinavit in particulari, sed generatim solùm, nempe instituendo ut essent verba,

in particulari non determinavit.

verba, quæ actionem conferentis significent, unde non solùm diversis linguis, sed etiam modo diverso formæ Sacramentorum à variis usurpantur, ubi enim latina Ecclesia pro formâ Baptismatis hâc utitur: *Ego te baptizo*, Græca dicit: *Baptizetur servus Christi*, & similem formam in Sacramento Pœnitentiæ validam esse affirmat Scotus in 4. dist. 14. quæst. 4. Suarez disp. 19. n. 4. Tannerus de Pœnitentiâ quæst. 1. num. 40. & alii. Confirmatur secundò: Matrimonii materiam & formam instituit Christus consensum contrahentium exteriùs expressum, verba autem aut signa hujus expressionis non determinavit: quod idem est de externâ peccatorum manifestatione ad Sacramentum confessionis requisitâ. Confirmatur tertiò: Licèt Christus materiam Confirmationis determinaverit Chrisma ex oleo & balsamo, per Episcopum benedicto, ut tradit Florentinum in decreto ad Armenos, verba tamen, quibus benediceretur reliquit determinationi Ecclesiæ, ut cum aliis docet Suarez disp. 33. sect. 2. cùm ergo in aliis rebus à se immediatè institutis, & in aliis Sacramentis Christus ultimam determinationem reliquerit Ecclesiæ, quidni idem dici poterit de materiâ Ordinis.

In Matrimonio forma non determinatur peculiariter.

SECTIO SEPTIMA.

Argumenta contendentia Christum materiæ & formæ ordinis in particulari determinationem Ecclesiæ non reliquisse.

I. *Dices: Ex nostrâ sententiâ sequi, tam Sacerdotes quàm Diacones modò, multo ante ordinatos esse, quàm sint.*

OBJICITUR primò: Ex dictis inferri videtur Sacerdotes in latinâ Ecclesiâ, antequam iis tradatur calix & patena cum vino & hostiâ, esse jam consecratos Sacerdotes, cùm impositionem manuum accipiant, quæ est materia sufficiens, ac proinde porrectionem horum instrumentorum non esse materiam Ordinis contra Florentinum. Confirmatur: Nam saltem videntur ordinati Diaconi ante traditionem libri Evangeliorum. Respondeo negando sequelam, esto enim sola impositio manuum sit materia sufficiens, ut constat ex praxi Ecclesiæ Græcæ, non tamen sufficit sine formâ, sicut nec in ullo alio Sacramento: impositio autem manuum diu fit ante pronuntiationem formæ, ut constat ex Pontificali Romano, dum enim manus iis imponit, nihil dicit Pontifex, & postea variæ orationes ac cæremoniæ intercedunt inter hanc manuum impositionem & consecrationem, induuntur enim ordinandi, unguntur, &c. ita ut multum temporis, præsertim si in Sacro solemni ordinentur, inter impositionem illam manuum & formam, quâ potestas consecrandi iis confertur, interponatur.

II. *Manuum impositionē simul cum verbis illis eam comitantibus putant multi esse cæremoniam tantùm accidentalem Diaconi.*

Ad confirmationem Vasquez disp. 238. c. 4. ait manus impositionem cum verbis illis: *Accipe Spiritum Sanctum & robur ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*, nihil omnino facere, sed esse cæremoniam merè accidentalem; quia prædicta verba generalia sunt, & cuilibet ordinationi convenire possunt, nec ullum Diaconi munus denotant, quod tamen in formis, quibus consecrantur Sacerdotes videmus expressum, & in omnibus Sacramentis reperitur: idem tenet Valentia q. 1. punct. 3. Præpositus citatus, num. 99. & Pater Ludovicus Mæratius in tractatu de Ordine, d. 6. sect. 1. & videtur mens Divi Thomæ in 4. distinct. 24. quæst. 2. art. 2. & 3. ad 5.

III. *Probabilius tamen est, illam manuum impositionē esse partialem materiam ordinationis Diaconi.*

Contrarium tamen, nempe illam manus impositionem esse partialem materiam Ordinis diaconi, est communius; tenet Sotus, Ledesma, Hosius in Confes. Polonica, cap. 50. Bellarminus de Ordine, cap. 9. Henriquez lib. 10. c. 8. num. 2. Coninck disp. 20. num. 62. Tannerus disp. 7. quæst. 2. num. 59. Gamachæus de Sacramento Ordinis cap. 4. Doctor Kellisonus quæst. 3. 7. art. 3. dub. 2. & multi ex recentioribus. Unde quartum Concilium Carthaginense cap. 4. ubi de modo ordinandi Diaconos agitur, sic habet: *Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum supra caput ejus ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Imò Concilium Tridentinum sess. 23. can. 4. de Sacramento Ordinis definit illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, esse efficacia & causativa gratiæ, sic enim ait: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum, anathema sit:* quam definitionem gratis ad solam consecrationem Sacerdotis quis determinaverit, cùm Concilium loquatur universaliter, & iisdem generalibus verbis utatur in consecratione Episcopi, cujus forma est, *Accipe Spiritum Sanctum*, ut constat in Pontificali Romano.

IV. *Quando per illa verba, Accipe Spiritum sanctum, Diacono dicta, conferatur gratia.*

Mihi media via hîc procedi posse videtur, & dici, per illa verba Diacono dicta, *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. conferri quidem gratiam, & characterem imprimi, non tamen tunc quando proferuntur, sed postea, quando completè ponitur materia & forma, nempe traditio libri Evangeliorum, & prolatio alterius partis, formæ scilicet, *Accipe potestatem*, &c. Nec enim ad causandum gratiam, & characterem imprimendum requiritur ut metaphysicè coëxistant omnes partes vel materiæ vel formæ, sed sufficit coëxistentia moralis. Licèt ergo partialis illa forma, *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. non imprimat characterem quando profertur, vel ob indeterminationem, vel aliam causam, postea tamen unà cum aliis imprimit: sic verba illa Sacerdoti in fine Missæ dicta, *Accipe Spiritum Sanctum*, non causant gratiam vel characterem tunc, sed quando reliqua verba sunt prolata, nempe, *quorum remiseris peccata remittuntur iis*, &c.

V. *Hæc doctrina clarè ostenditur in ordinatione Ostiarii.*

Confirmatur hoc primò ex modo, quo ordinantur Ostiarii juxta Pontificale Romanum, quibus omnibus dicit Episcopus: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur*, & postea successivè accedunt singuli, ac manu dexterâ tangunt claves Ecclesiæ, nec ulli imprimitur character, donec eos tetigerit, & tamen si quinquaginta vel sexaginta essent eodem tempore ordinandi, magnum sine dubio intercederet intervallum inter prolationem formæ & tactum ultimi, ex iis, qui ordinantur. Confirmatur secundò in Acolytis, quibus candelabrum cum cereo eodem modo successivè singulis tangendum traditur, dicente omnibus simul in initio Episcopo: *Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* Imò in his duplex est materia partialis, & duplex forma, nam postea Episcopus urceolum vacuum singulis successivè etiam tangendum tradit dicens: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* & dicunt Auctores non imprimi characterem, nec gratiam

gratiam conferri, donec utraque cæremonia sit perfecta, sed ab ambabus indivisibiliter pendere effectum illum, sicut collatio gratiæ in extremâ Unctione pendet à quinque unctionibus cum quinque formis diversis, nec ante ultimam unctionem peractam cum suâ formâ, effectus Sacramenti tribuitur.

VI. *Penes Ecclesiam est Sacramenti Ordinis materiam pro libitu mutare.*

Hinc infero, penes Ecclesiam esse, sicut primò instituere seu determinare materiam hujus Sacramenti, ita & eandem pro libito mutare, & novam assignando efficere ut prior materia, aut forma non sit sufficiens. Unde mihi non placet quod à quibusdam affirmari video, nempe materiam omnem, quæ aliquando in usu fuit, semper necessariò esse validam: hoc, inquam, non placet, sicut enim si Princeps varios dignitatum gradus subditis conferre vellet, modum tamen seu cæremonias, quibus conferrentur, iis permitteret, qui pro libito eas mutare possent, ita ut nunc hæ valeant nunc illæ, quod & de valore monetæ constat, idem puto in præsenti, cùm quoad hoc in rebus sacris & prophanis nulla sit diversitas. Sicque tandem ad hanc sententiam accedit Coninck num. 65. & Gamachæus in fine capitis quarti, quantumvis in initio reluctetur.

VII. *Dices: Ergo Christus Sacramentum Ordinis per se immediatè non instituit.*

Objicies secundò: Hinc sequi Christum per se Sacramentum Ordinis non instituisse, sed illius institutionem reliquisse Ecclesiæ, hæc enim materiam ejus & formam, in quibus adæquatè situm est hoc Sacramentum, determinat. Confirmatur: Hinc enim ulteriùs sequitur Ecclesiam posse mutare substantiam Sacramentorum, quid enim magis de eorum substantiâ, quàm materia & forma, ex quibus constant tanquam ex partibus intrinsecis: sequela autem est contra Tridentinum sess. 21. cap. 2. supra citatum.

VIII. *Resp. Declarando quid sit immediatè instituere Sacramenta.*

Ad argumentum negatur sequela: Ad hoc enim ut Christus dicatur immediatè instituere Sacramenta, sufficit quod illorum numerum, efficaciam, & ritum aliqua saltem generali ratione instituerit, ut si Apostolis dixerit velle se ut certis quibusdam cæremoniis & verborum formâ ad rem illam accommodatâ, ministros ad hæc & illa munera in particulari in Ecclesiâ obeunda consecrent, licèt quæ in particulari sint illæ cæremoniæ, iis determinandum reliquerit: sicut si Deus ordinaret ut in Sacro Sacerdotes honestâ aliquâ veste uterentur, non determinando nec materiam ejus nec formam, & Ecclesia postea determinaret ut esset talaris & serica, quis dicet vestem sacerdotalem esse ab Ecclesiâ institutam, & non immediatè à Deo, sicut & foret festum aliquod, cujus observationem præciperet, licèt illius tempus & modum relinqueret determinationi Ecclesiæ. Quod si quis dicat ex eo quòd Ecclesia diem statuat, & nunc hoc nunc illo anni tempore & ritu diverso festum illud celebret, Ecclesiam substantiam illius mutare, cùm adhuc moraliter maneat idem festum, quæstionem fecerit de nomine.

IX. *In Sacramento Ordinis, quantumcunque mutentur cæremoniæ, & verba, idem manet effectus.*

Et per hæc patet ad confirmationem, præsertim cùm in Sacramento Ordinis, quantumcunque mutentur cæremoniæ & verba, idem maneat effectus, & character imprimatur. Neque hoc est instituere Sacramenta, cùm Ecclesia non designet simpliciter materiam & formam hujus Sacramenti, nempe ordinando ut simpliciter sit in Ecclesiâ tale Sacramentum, ut dicebat Halensis de Sacramento Confirmationis, sed cùm Christus ordinaverit hoc Sacramentum & materiam illius simpliciter, Ecclesiâ designat illam secundùm quid, statuendo nimirum ut sit hæc potiùs, quàm alia: sicut si Rex statuat, ut milites ad talis civitatis præsidium mittantur, Generalis hos in particulari designat, qui tamen non dicitur simpliciter eò milites mittere, sed Rex, ille verò hos solùm potiùs mittere quàm alios. Sed de his hactenus.

DISPUTATIO SEXAGESIMA QUARTA.

De primario Sacramentorum novæ Legis effectu, nempe gratiâ.

ABSOLVTIS iis quæ ad Sacramentorum essentiam pertinent, eorumq; materiâ & formâ, ac cæteris, quæ ad illorum confectionem requiruntur declaratis, nunc de primario eorum effectu, & ob quem præcipuè instituta sunt, agendum, nempe gratiâ, & quo pacto eam veluti cælestes quidam carnales in mortalium animas derivent explicandum, nihil quippe ad Sacramentorum dignitatem & excellentiam cognoscendam magis conducit, quàm ut divina hæc iis à Christo indita virtus declaretur. Nec habitualem tantùm gratiam, sed actualia etiam auxilia, suo quodque muneri, particularíque hominum statui congrua subministrant, ut in sequentibus ostendetur.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Sacramenta novæ Legis physicè gratiam causent, an solùm moraliter.

I. *Supponendum, in aquâ & aliis ejusmodi rebus dari potentiam obedientialem.*

VT huic quæstioni & difficultati, quæ celeberrima est, maximéque inter Doctores controversa, sit locus, supponendum, in aquâ cæterisque rebus in Sacramentis adhiberi solitis, dari potentiam obedientialem, seu aptitudinem quandam, ut divinâ virtute eleventur ad effectus quosdam supra vim iis à naturâ inditam producendos; frustra enim quæritur, utrùm aqua in Baptismate gratiam physicè producat, si eam physicè producere nec divinitùs possit. Nonnulli proinde disputationem de potentiâ obedientiali hic instituunt, cùm tamen hanc quæstionem in Philosophiâ, disput. 26. & 27. Physicorum latè discusserim, eò Lectorem remitto.

II. *Malè docent hæretici Sacramenta per solam Fidei excitationem justificare.*

Antequam verò disputationem scholasticam inter Theologos discuti solitam aggrediar, statuendum tanquàm dogma fidei, contra Calvinum lib. 4. Institutionum, cap. 14 & alios hujus temporis hæreticos, Sacramenta non tantùm excitando fidem, quam solam dicunt ipsi justificare, sed per se gratiam suscipientibus conferre. Hæc est veritas catholica, in Concilio Florentino apertè tradita his verbis: *Hæc nostra Sacramenta & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Idem etiam expresè docet Concilium Tridentinum sess. 7. can. 6. de Sacramentis. In hac etiam veritate tradendâ multi sunt Sancti Patres, quos citat Bellarminus lib. 2. de effectu Sacramentorum. Sic Sanctus Augustinus tractatu 80. in Joannem: *Vnde*, inquit, *tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Quod etiam clarè docet Tertullianus, & alii. Et sanè si Sacramenta tantùm excitent fidem, non est cur applicentur parvulis, nondum ratione utentibus, qui nullum fidei actum habere possunt. Res hæc magis declarabitur infra numero quinto.

III. *Prima sententia affirmat Sacramenta novæ Legis physicè producere gratiam.*

Hac ergo hæreticâ positione rejectâ, prima sententia est P. Suarez hîc, disp. 9. sect. 2. Valentiæ, quæst. 3. punct. 1. Bellarmini, libro 2. cap 11. Tanneri, tom. 4. disp. 3. quæst. 3. d. 2. Albertini 2. principio Philos. Coroll. 3. Mæratii de Sacramentis, disp. 4. sect. 2. & aliorum, qui affirmant Sacramenta novæ Legis, non moralem solùm, sed etiam physicum instrumentalem influxum habere in gratiam.

IV. *Thomistarum opinio est Sacramenta mediatè tantùm proximè producere gratiam physicè.*

Citantur etiam pro hac sententiâ Thomistæ, qui tamen in re eam non tenent, sed affirmant Sacramenta influere quidem in gratiam, verùm mediatè solum, producendo scilicet immediatè dispositionem aliquam, ut characterem vel ornatum quendam animæ, & hanc dispositionem immediatè producere gratiam, sicut, inquiunt, calor ab igne productus producit solus immediatè ignem, ignis verò remotè: ita Capreolus, Paludanus, Thomas de Argentinâ, & alii. Sed hoc

hoc refellitur, quidni enim æquè poterunt Sacramenta producere gratiam, ac dispositionem illam, vel æquè ac potest ipsa dispositio, si difficultas sit quòd gratia creetur. Deinde in Sacramentis quæ non imprimunt characterem, quæ fingi potest dispositio?

V. *Dicunt alii Sacramenta non producere gratiâ, sed ejus unionem.*

Alii ergo cum Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. a. 1. dicunt, Sacramenta non ad ipsam gratiam immediatè concurrere, eo quòd creetur, sed ad solam illius unionem, sicque efficere homines gratos, quamvis ipsam gratiam non efficiant, sicut generatur homo ob generationem unionis, licèt anima creetur. Sed hoc etiam est falsum, cur enim non æquè producere effectivè poterunt Sacramenta gratiam ipsam, ac unionem, cùm neutra naturâ suâ creetur, gratia enim non est forma per se subsistens, & immortalis, sicut est anima, ut propterea petat creari, cùm sit dependens ab animâ tanquam à subjecto: nec etiam ex eo quòd supernaturalis qualitas sit, petit creari, cùm actus Fidei, Spei, Charitatis, & visionis beatificæ sint in entitate supernaturales, & tamen ab animâ, vel illius potentiis producuntur: sicque Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. & can. 11. docet gratiam recipi in animâ, & eidem inhærere, quæ eductionem significant.

VI. *Docent Concilia & Patres Sacramenta continere & causare gratiam.*

Deinde Concilia & Patres non solùm affirmant Sacramenta causare hominem gratum, sed etiam causare & continere gratiam ipsam, quod secundùm illos non producunt, sed continent solam unionem, sicut nec animam rationalem producit, qui producit unionem illius cum corpore. Quando verò dicimur creati in Christo, nova creatura, &c. non est sermo de creatione physicâ gratiæ in nobis, sed solùm de creatione morali, nempe ut sicut illud physicè creari dicitur, ad quod subjectum non concurrit, ita morali creatione produci gratia dicitur, quod in primâ justificatione nullis ex parte subjecti præcedentibus meritis infunditur, sicque fit ex nihilo in genere moris.

VII. *Secunda sententia ait Sacramenta, non physicè, sed moraliter ad gratiæ productionem concurrere.*

Secunda itaque sententia affirmat, Sacramenta non physicè, sed moraliter ad gratiæ productionem in animâ concurrere: ita Vasquez hìc, disput. 132. cap. 5. Coninck quæst. 62. art. 4. Præpositus quæst. 62. art. 4. num. 57. Salas 1. 2. tract. 7. disp. 1. num. 15. & illi omnes, qui negant potentiam obedientialem latam: ex aliis verò Gamachæus quæst. 62. cap. 5. Kellisonus quæst. 62. art. 1. dub. 2. estque inter recentiores frequentissima.

VIII. *Sacramenta novæ Legis aliquo modo causare gratiam, est indubitatum.*

Prima conclusio: Sacramenta novæ Legis aliquo modo causant gratiam. In hac conclusione conveniunt Auctores utriusque sententiæ, estque veritas catholica definita in Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. ad Armenos, idem etiam habet Concilium Tridentinum sess. 7. can. 6. 7. & 8. ubi definitur contra hæreticos nostri temporis Sacramenta nostra continere, conferre, & dare gratiam, & non solùm esse signa excitantia fidem, ut volebant hæretici. eadem veritas habetur in Concilio Milevitano & Arausicano: in Symbolo etiam Nicæno dicitur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Deinde Lucæ 3. differentia ponitur inter Baptismum Joannis & Christi, quod Joannes baptizabat in aquâ, Christus autem Spiritu Sancto & igni: Ad Ephesios etiam 5. vers. 29. dicitur Christus mundare Ecclesiam lavacro aquæ, ad Tit. 3. vers. 3 *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis:* actorum 8. & 19. Per manus Apost. dicitur dari Spiritus Sanctus, & in aliis Scripturæ locis similia habentur; quæ omnia significant per Sacramenta verè conferri gratiam, non quidem tanquam per causas principales, ut falsò nobis imponunt hæretici, dicentes asserere nos Deum potestatem suam physicam in Sacramenta & res corporeas transtulisse, & has solas sine Deo gratiam conferre. Solùm ergo conferunt gratiam ut causæ instrumentales, unà cum Deo principali agente, vel eum moventia ad gratiam infundendam, vel simul cum eo tanquam instrumenta ab ipso elevata ad gratiæ infusionem concurrentia. Consonant his Sancti Patres, unus pro aliis sufficiat Sanctus Augustinus supra, n. 1. relatus. Videatur Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, cap. 6. & 7. Coninck quæst. 62. art. 1. dub. 1. Tannerus disp. 3. quæst. 3. dub. 1. qui optimè hæc declarant.

Sacramenta, non ut causæ principales, sed ut instrumentales conferunt gratiam.

IX. *Nova Legis Sacramenta semper sunt causa morales gratiæ.*

Secunda conclusio: Sacramenta novæ Legis semper sunt causæ morales gratiæ: in hac etiam conclusione non multum discrepant utriusque sententiæ Auctores, hoc enim concedit Suarez disp. 9. sect. 2. Albertinus 2. principio Philosophico, Coroll. 2. num. 4. Tannerus citatus, dub. 2. num 33. Mæratius disp. 4. sect. 1. & alii, licèt simul dicant esse causas physicas. Probatur conclusio: Illa censetur causa moralis alicujus effectus, quæ causam physicam movet ut eum producat, sic enim consulens, præcipiens, aut rogans habetur causa effectus, qui illius suasu, mandato, aut rogatu fit, esto ille ad ejus effectionem physicè non concurrat, sed Sacramenta cum debitâ dispositione susceptâ, sive physicè ad gratiam concurrant, sive non, movent Deum ad illam producendam, & in animam suscipientis infundendam, ergo sunt causa illius moralis.

X. *Sacramentum Eucharistiæ potest physicè producere gratiam in animabus suscipientium.*

Tertia conclusio: Sacramentum Eucharistiæ potest physicè producere gratiam in animabus recipientium. Ratio est, quia cùm quicquid est in hoc Sacramento, sit permanens, nulla apparet implicantia cur sicut aqua elevari potest ad producendam gratiam vel Angelum, ita non possint illæ species simul cum corpore Christi producere eandem gratiam.

XI. *Omnes quorundam Sacramentorii partes non possunt gratiam physicè producere.*

Quarta conclusio: Ex iis Sacramentis, quæ in usu & actione consistunt, omnes partes non possunt physicè gratiam sacramentaliter producere. Ratio videtur clara, nam hæc Sacramenta intrinsecè constant verbis pro formâ, hæc autem proferuntur successivè, unde quando ultimum verbum vel syllaba est, præcedentia verba & syllabæ desierunt, ergo non possunt gratiam per modum Sacramenti producere, esto Deus singulas fortè syllabas & litteras ad eam efficiendam elevare potuisset. Probatur consequentia: Sacramenta causant gratiam per suam formam ut significativam, seu ut completum aliquem sensum continentem, sed non est completus sensus antequam absolvatur ultimum verbum aut syllaba, ergo ante illius prolationem non possunt prima verba aut syllabæ quidquam facere, sed nec faciunt quando profertur ultima syllaba, ergo: Probatur minor, quando profertur ultima syllaba in hac formâ, *Ego te absolvo*, priora verba & syllabæ non existunt, ergo nunquam possunt physicè gratiam sacramentaliter producere, ac proinde neque hæc Sacramenta possunt propriè gratiam physicè conferre, cùm Sacramentum verba intrinsecè includat, & consequenter successionem, nec unquam Sacramentum esse potest simul, verba siquidem necessariò ponuntur successivè,

successivè, & antequam postrema proferantur, priora jam desierunt, unde ad summum ultima syllaba producere eo modo potest gratiam, non totum Sacramentum.

XII. *Sacramentum Matrimonii potest physicè producere gratiam.* Addo tamen, nullam apparere repugnantiam quo minùs per Sacramentum Matrimonii possit gratia physicè produci. Ratio est, quia non requirit essentialiter verba ore prolata sicut requirunt cætera Sacramenta, sed sufficit consensus contrahentium quovis modo expressus, cùm ergo possit scripto consensus exprimi, & verba in scriptione, licèt formentur successivè, postea tamen maneant simul omnia, non est cur elevari à Deo non possint ad gratiam producendam, sicut elevari possent ad alium quemvis effectum.

XIII. *Non obstat physica Sacramentorum productioni, quòd nihil operari possit in distans.* Aliqui inde probant Sacramenta non posse physicè producere gratiam, quia subjectum, in quo est producenda gratia, sæpè est distans, nihil autem agere potest in distans, antecedens constat in absolutione. Hoc tamen argumentum non est efficax, licèt enim res connaturaliter agere non possit in distans, sic tamen supernaturaliter, ut communis habet sententia.

XIV. *Quando Sacramenta per ultimam sui syllabam producerent gratiam.* Secundò: Alii hanc sententiam de efficientiâ physicâ Sacramentorum impugnant, quòd non appareat quando Sacramentum etiam per ultimam sui particulam vel syllabam causare possit. Sed ad hoc respondere possunt adversarii, eo tempore Sacramenta producere gratiam physicè, quo alii asserunt producere moraliter, eo scilicet instanti vel tempore, quo verum est dicere, jam Sacramentum esse, de quo plura postea.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam de Physicâ & Morali causalitate Sacramentorum.

I. *Quamvis Sacramenta possent physicè producere gratiâ, non est tamen cur ea hoc modo operari dicamus.* QUINTA conclusio: Licèt Sacramenta physicè producere possent gratiam, non tamen est cur hoc modo illa operari dicamus: ita opinantur recentiores multi, qui potentiam obedientialem, & in aliis rebus, & in Sacramentis admittunt. Ratio est primò, quia cùm nulla sit urgens necessitas vel à ratione, vel auctoritate ducta, ut postea videbimus, concursum hunc physicum in Sacramentis astruendi, cúmque aliunde difficilis sit, non est cur eum de facto hìc intercedere quis asserat, nec enim res fidei sine urgente aliquâ necessitate debemus difficiliores reddere, sed captu quàm possumus facillimas, ut & à rudibus & infidelibus commodiùs queant intelligi.

II. *Causalitas physica Sacramentorum respectu gratiæ est superflua.* Secundò probatur: Causalitas physica gratiæ in Sacramentis est superflua, ergo non astruenda: Antecedens probatur, in Sacramentis semper reperitur concursus moralis sufficiens ad infallibiliter movendum Deum ad gratiam eorum intuitu producendum, ut fatentur adversarii, ergo superfluus est omnis concursus physicus: quòd verò semper sit concursus moralis sufficiens, probatur, sunt enim Sacramenta signa quædam, ad quorum positionem obligavit se Deus ad gratiam suscipienti infallibiliter conferendam, ergo non est cur alium iis concursum assignemus.

III. *Objic. causalitas physica est de dignitate Sacramentorum.* Dices, spectare ad dignitatem & perfectionem nostrorum Sacramentorum, ut non moraliter tantùm, sed etiam physicè gratiam conferant. Respondetur: Ex eo quòd possint gratiam physicè producere, sufficienter salvari illorum perfectionem, perfectio enim arguitur ex vi & potentiâ aliquid producendi, non ex facto; si enim res quæpiam possit aliquid præstare, non est minùs perfecta quòd illud non præstet, esset tamen si non posset. Sic in tractatu de Incarnatione diximus cum communi Theologorum, nihil detrahi valori & perfectioni operum Christi, quod de facto non meruerint in actu secundo multa præmia, ad quæ in actu primo erant sufficientia, arguisset tamen in iis imperfectionem, si mereri præmia illa non potuissent. Si quis verò velit argui aliquam etiam perfectionem ex actuali collatione gratiæ, sufficienter hæc salvatur in causatione morali: sicut non derogat passioni Christi quòd non fuerit causa physica nostræ justificationis, sed solùm causa moralis.

IV. *Verba Sacramentalia causant gratiam ut sunt significativa, ergo moraliter.* Probatur tertiò: Voces illæ ac syllabæ in Sacramento causant gratiam ut significativæ, ergo moraliter, antecedens constat, voces enim in Sacramentis causant ut signa sunt, ergo ut significativæ: unde si mutaretur consensu publico, ut fieri potest, significatio horum verborum, *Ego te baptizo*, &c. quantumcunque simul cum ablutione proferrentur, etiam cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non magis producerent effectum sacramentalem, quàm si quis diceret, *paries est albus:* Consequentia itaque probatur, significatio verborum non est quid physicum, ergo non potest operari physicè, ergo non potest movere Deum tanquam causa physica, seu ut conjungat cum eâ concursum, unde verbum ut verbum, seu ut vox significativa est, non potest elevari ad agendum physicè.

V. *Hic concursus moralis traditur à Concilio Tridentino.* Quartò probatur: Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait causam efficientem justificationis nostræ esse solum Deum, causam verò meritoriam esse Christum, tandem instrumentum esse Baptismum, qui peculiari modo est instrumentum Christi, Baptismum enim tanquam medium ad merita sua nobis applicanda instituit. Cùm ergo juxta Concilium Baptismus sit instrumentum causæ moralis, nempe Christi, innuit ipsum etiam instrumentum esse causam solùm moralem.

SECTIO TERTIA.

Argumenta pro Physicâ causalitate Sacramentorum.

I. *Frustra pro concursu physico Sacramentorum objicitur S. Thomas.* OBJICITUR primò Sanctus Thomas, quem acriter contendunt adversarii asserere Sacramenta physicè producere gratiam. Sed sectione sequente ostendetur Sanctum Doctorem solùm admittere influxum eorum moralem, non physicum.

II. *Dices: Explicari non posse hunc concursum moralem.* Objicitur secundò: Explicari non posse hunc concursum moralem, quem affirmamus inesse Sacramentis ad causandum gratiam: nec enim impetratoriè hoc faciunt, ut vult Vasquez, & alii, sæpè etenim causant gratiam in suscipiente, quando sunt opera mala, ut dum quis puerum baptizat simoniacè, illa ergo actio nihil mereri potest, cùm sit prava, & non præmio, sed pœnâ digna. Huic etiam objectioni satisfiet sectione sequente, ubi declarabitur in quo concursus hic moralis consistat.

Objicies

III. *Dices: Sacramenta ratione ultimæ syllabæ producere possunt physicè gratiam, sicut sphæricum ratione unius puncti tangit planum.*

Objicies tertiò contra quartam conclusionem: Etsi omnes partes Sacramenti causare non possint gratiam physicè, cùm physicè non existant quando Sacramentum est completum, ultima tamen syllaba tunc operari potest, & ratione illius totum Sacramentum causare dicitur gratiam, sicut homò videre dicitur quamvis tantùm videat ejus oculus, & sphæricum tangit planum, licèt unum tantùm illius punctum tangat punctum alterius. Confirmatur: Totus homo baptizatur, etiamsi aqua unam tantùm illius partem abluat.

IV. *Resp. Actionem illam, non propriè, sed denominativè tantùm competere reliquis formæ partibus.*

Contra primò: Hæc namque ad summum probant denominativè competere actionem illam reliquis formæ partibus, non tamen verè ab illis procedere. Contra secundò: Nam nullo modo physicè tribui potest hæc actio aliis partibus Sacramenti; esto enim corpus sphæricum dicatur ratione puncti illius tangere planum, & homo ratione oculi videre, ideo hoc est quia est quædam inter hæc connexio, & à naturâ ordinatur oculus & punctum ad hæc munera: at verò inter ultimam illam syllabam & verba præcedentia nulla est physica connexio, multo minùs inter verba & aquam vel oleum, sed merè faciunt unum per accidens, nec alio modo concurrere possunt ad gratiam producendam, quàm movendo Deum moraliter ad concurrendum cum ultimâ illâ syllabâ ad gratiæ effectionem, ad quam cum eâ non concurreret, nisi verba illa præcessissent. Nec ob ultimam illam syllabam magis dici potest Sacramentum producere gratiam, quàm sphæricum illud tangere planum physicè, si totus globus præter planum illud annihilaretur in instanti antequam tangit, ut benè Coninck, num. 126. Idem dico ad confirmationem, & præterea aliquid ibi est peculiare, id enim quod in Baptismo præcipuè spectatur, est anima, hæc autem eadem est per totum corpus diffusa.

V. *Dices: Scriptura, Concilia, & Patres asserere videntur Sacramenta physicè conferre gratiam.*

Objicitur quartò contra quintam conclusionem: Sacra Scriptura, Concilia, & Patres passim affirmant Sacramenta conferre gratiam, animam abluere, auferre peccata, regenerare credentes Deo, unire nos Christo, & similia: unica pro reliquis sufficiat auctoritas Sancti Sylvestri Papæ, qui ad Constantinum ad Baptismum accedentem sic loquitur: *Hæc aqua, Imperator, divinâ virtute per invocationem vivificæ Trinitatis conceptâ, sicut exteriùs corpus hominis abluit, ita etiam interiùs animam mundat, & splendidiorem radiis solaribus efficit.* Aliæ Sanctorum Patrum auctoritates videri possunt apud Suarium hîc, disp. 9. sect. 2. qui maximè urget hoc argumentum, estque sine dubio præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ.

VI. *Patres interdum dicunt solum Deum cõferre gratiam, non Sacramenta.*

Sed contra primò: Patres enim similiter non Sacramenta, sed solùm Deum aiunt conferre gratiam, sic enim ait Sanctus Augustinus Epistolâ 23. ad Bonifacium: *Aqua exhibens extrinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus Sanctus operans intrinsecè beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Deo:* & Sanctus Hieronymus Isaiæ 4. citans illud Matthæi 3. *Ego vos baptizo in aquâ*, &c. *Ex hoc*, inquit, *discimus, quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum.*

VII. *Malè Sanctos Patres nonnulli explicant, quòd scilicet tantùm velint Sacramenta non esse causas principales gratiæ.*

Nec sufficit si dicas, solùm negare Patres Sacramenta hoc facere ut causas principales, cùm enim simpliciter negent aquam hoc facere, excludere videntur omnem concursum physicum illius, etiam ut elevatæ, anima enim ut elevata verè producit actum fidei & charitatis, & gladius verè vulnerat hominem: vel si licet adversariis hæc dicta Patrum explicare de solo concursu principali, quidni nobis priora explicare licebit de concursu physico, cùm simpliciter adhuc verificari possint de concursu morali, imò & subinde debeant, ut videbimus.

VIII. *Non Baptismũ tantùm, sed etiam aquam dicunt Patres conferre gratiam.*

Contra secundò: Patres enim non solùm dicunt Baptismum, sed etiam aquam mundare animam, & producere gratiam, ut in proximè citatâ Sancti Sylvestri auctoritate videre licet, & tamen certum videtur aquam in Baptismo plerumque nec secundùm se totam, nec ullam sui partem gratiam physicè producere, plerumque enim aspersio aquæ ad Baptismum requisita finitur antequam tota forma absolvatur, quâ de causâ dicunt etiam adversarii solam ultimam syllabam formæ gratiam producere.

IX. *Affirmant etiam Patres Sacramenta dare auxilia actualia.*

Contra tertiò: Non minùs dicunt Patres & Theologi Sacramenta conferre, dare, & causare in animabus recipientium gratiam actualem, seu peculiaria quædam auxilia, & tamen hæc certum est physicè non produci à Sacramentis, vel ullâ eorum parte, cùm non dentur in ipsâ collatione Sacramenti, sicut datur gratia habitualis, sed postea, tempore opportuno, quando jam transiit Sacramentum, ut ex communi Theologorum tradit Suarez hîc, disp. 8. sect. 2. & tamen hîc propriè verificantur dicta Patrum, ergo idem dici potest de gratiâ habituali, etsi solùm concurrant ad gratiam habitualem moraliter, sicut concurrunt ad actualem.

X. *Docet S. Augustinus Baptismum, etiam dum revivîscit, gratiam causare, eam autem tunc non causat physicè.*

Quartò: Sacramenta, si ponatur obex, non dant gratiam quando sumuntur, sed postea quando aufertur obex, & Sacramenta reviviscunt, & tamen tunc dicunt Concilia & Patres Baptismum dare, conferre, & causare gratiam, ut constat ex Divo Augustino in libro de Baptismo contra Donatistas lib. 1. cap. 12. & lib. 3. cap. 13. ubi dicit Baptismum cum fictione susceptum, ablato obice operari salutem animæ, cùm tamen tunc certum sit non causare eam physicè, sed solùm moraliter. Quintò: Baptismus non solùm dicitur dare gratiam, & tollere peccata, sed etiam pœnam peccatorum, quam tamen physicè non tollere certum est. Sextò: Peccator dicitur causa suæ damnationis, quam tamen non producit physicè, sed tantùm moraliter.

XI. *Eodem modo dicunt Concilia & Patres Passionem Christi mundare nos, ac affirmant hoc fieri à Sacramentis.*

Septimò: Nihil frequentius in Scripturâ, Conciliis & Patribus, quam passionem & sanguinem Christi sanctificare & justificare nos, mundare nos à peccatis, &c. quæ tamen de solâ causalitate morali intelligi debere certum est, ergo sicut hæc dicta verificantur de solo concursu morali, verificari etiam poterunt dicta de Sacramentis, quæ asserunt esse plena sanguine Christi, esse fontes Salvatoris, &c. sicque eodem modo ea concurrere ad justificationem nostram insinuant, ac concurrit ipse Christi sanguis & passio.

XII. *Patres, dum de causalitate Sacramentorũ loquuntur, intelligendi sunt de causâ morali.*

Respondetur ergo, Patres sicut in aliis locutionibus, ita etiam in iis, quæ de Sacramentis affirmant, intelligendos esse de causalitate causæ moralis, quæ etiam vera est causa, & simpliciter denominat aliquem agentem: Sic Judæi dicuntur occidisse Christum, & secundò Regum, c. 12. dicitur David interfecisse Uriam gladio filiorum Ammon. Et licèt aliquando causa moralis dicatur non esse causa, sicut qui disponit materiam, & movet Deum ad creandum animam rationalem, non dicitur creare vel producere animam, ratio illius est, quia juxta subjectam materiam significatur solùm esse sermonem de causalitate physicâ,

physicâ, dum enim qui disponit materiam & producit unionem dicitur esse causa compositi, & illud producere & non animam, sensus est in eo genere causæ non esse causam animæ, quo est causa compositi, quamvis in alio esse possit, & dicere hic & nunc non producere animam, est solùm dicere non producere in illo genere causæ, de quo ibi est sermo.

XIII. *Interdum causa etiam physica alicujus rei negatur esse illius causa.*

Imò aliquando quod est causa physica alicujus rei, negatur esse ejus causa, & illud producere: sic lib. 2. Machabæorum cap. 7. dixit Mater Machabæorum ad filios: *Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem*, &c. & tamen illa & ipsorum membra compegit, efficiendo corporis organizationem, & vitam donavit, unionem inter corpus & animam producendo: hæc autem omnia soli Deo ascribit, quia is tantùm dicitur aliquid simpliciter donare, qui cum scientiâ & libertate donat; nec enim propriè Sol nobis donat lucem, aut terra fruges, cùm donum ex communi conceptu liberalitatem sonet: sic etiam gratias prævenientes dicitur Deus facere in nobis sine nobis, licèt nos etiam physicè illas producamus.

XIV. *Dices: Si Sacramenta non producãt gratiam physicè, sunt sicut signa & verba magica.*

Objicitur quintò: Si Sacramenta non causent gratiam physicè, non magis erunt causa gratiæ, quàm signa & verba magica ex pacto cum dæmone inito sunt causa illorum effectuum, quæ dæmon ad illorum positionem operatur. Respondetur: Latam esse disparitatem, licèt enim in hoc conveniant, quòd neutra habeant influxum physicum in suum effectum, differunt tamen, tum ex parte effectus, cùm illa in effectum supernaturalem tendant, hæc naturalem, tum modi tendendi, hæc enim nituntur pacto dæmonis mendaci & fallibili, illa infallibili promissione Dei, quæ nec deficit unquam, nec deficere potest.

XV. *Dices: Nisi Sacerdos per absolutionem gratiam physicè producat, solus Deus pœnitentem à peccatis solvit.*

Objicies sextò: Sacerdos verè absolvit à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, hoc autem fieri non potest sine aliquo concursu physico ad remissionem illam, & consequenter ad infusionem gratiæ, alioqui, non Sacerdos, sed solus Deus ad verba Sacerdotis illum à peccatis solvit. Sed contra: Si enim peccata remitterentur per condonationem extrinsecam, adhuc vera essent verba Sacerdotis, *Ego te absolvo*, & verè absolveret, sicut nunc absolvit à reatu pœnæ, & tamen nihil physicè in eo producit, quem à pœnâ absolvit. Respondeo ergo Sacerdotem verè peccata remittere, ad hoc tamen non est necessarium ut remissionem illam physicè producat, sed moraliter, quæ est vera operatio: unde etiam in humanis Judex verè absolvit reum, & unus homo alteri remittit injuriam absque eo quòd quidquam in illo physicè producat.

XVI. *Dices: Patres mirantur vim Sacramentorũ, ergo innuũt ea operari physicè.*

Objicies septimò: Patres mirantur vim Sacramentorum, & quòd res ex se tam viles, ut est aqua exempli gratia, tam miros effectus operentur, ergo intelligunt effectus illos physicè à Sacramentis procedere. Nego consequentiam: Mirantur enim Patres Deum, Christi merita & suam omnipotentiam rebus tam infirmis adeo certâ lege annexuisse, ut iis debitè positis, infallibiliter conferat gratiam, quod vel inde constat, quòd Patres mirentur hanc vim præcipuè in aquâ, quam tamen supra ostendimus vix unquam posse physicè, ad gratiam in Baptismo conferendam physicè concurrere, maximè verò hîc elucet Dei potentia, cùm enim rebus tam vilibus ad tam nobiles effectus utitur, ostendit se nullius operâ indigere ad quævis facienda, idque sive physicè res illæ concurrant, sive non, sicut maximè commendatur Christi potentia, quòd tam infirmis instrumentis in mundi conversione usus sit, licèt illi hominum conversionem physicè operati non sint, sed solus Deus, qui auxilia gratiæ, per quæ convertebantur, in iis operabatur.

XVII. *Quamvis Christi humanitas operata fuisset miracula physicè, nullam inde deduceretur argumentum ad Sacramenta.*

Objicies octavò: Christi humanitas miracula operabatur physicè, ergo & per Sacramenta efficit physicè gratiam, quia hæc non minùs sunt actiones Christi, quàm actiones physicæ ab humanitate profluentes. In primis negari potest antecedens: deinde, eo concesso, negatur consequentia, disparitas est, quia Sacramenta non sunt physicæ actiones Christi, sed solùm morales, quare licèt operationes physicè ab eo procedentes, physicè causent gratiam, non tamen sequitur operationes illius morales debere hoc modo operari, sed solùm moraliter, & modo sibi proportionato.

XVIII. *Dices: Sunt nova Sacramenta non producunt gratiam physicè, non sunt præstantiora Sacramentis Legis antiquæ.*

Objicies nonò: Si nostra Sacramenta non causent gratiam physicè, sed solùm moraliter, non erunt præstantiora Sacramentis Legis veteris, quæ tamen ab Apostolo vocantur egena elementa, & reprobata ob imperfectionem, & inutilitatem, ut supra vidimus, ergo debemus in ipsis statuere causalitatem physicam, ut Sacramenta illa superarent. Confirmatur: Patres etiam & Concilia, Florentinum præsertim & Tridentinum simpliciter dicunt nostra Sacramenta esse perfectiora antiquis. Sed contra: Si enim Sacramenta antiqua continuerint & contulerint gratiam moraliter, & habuerint divinam promissionem hoc modo sibi infallibiliter annexam, certè non possunt censeri egena elementa, cùm collatio moralis gratiæ sit simpliciter collatio illius, quo pacto autem illud est egenum elementum, quod simpliciter ditat hominum animas, & inutile, quod tantum donum atque est gratia, ipsis verè confert, alioqui sanguis Christi dici posset quid egenum, & passio inutilis, cùm non alio modo hoc conferat passio quàm moraliter.

XIX. *Argumentum illud probat Sacramenta veteris Legis, non continuisse, & consequenter non contulisse gratiam.*

Hoc ergo argumentum probat Sacramenta antiquæ Legis gratiam non contulisse, de quo suo loco, ubi si dixerimus cum Suario, & aliis Circumcisionem contulisse gratiam, tunc assignabimus in quo nostra Sacramenta superaverint antiqua: certè Patres & Concilia in confirmatione allata videntur in hoc perfectionem nostrorum Sacramentorum præ antiquis statuere, quòd illa gratiam non conferebant, sed tantùm figurabant, sic enim ait Florentinum in decreto ad Armenos: *Sacramenta novæ legis multum differunt à Sacramentis legis antiquæ; hæc enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant, nostra verò Sacramenta & continent gratiam, & dignè suscipientibus eam conferunt.*

SECTIO QUARTA.

Corollaria quædam de mente S. Thomæ circa causalitatem Sacramentorum: ubi moralis hæc eorum causalitas magis declaratur.

I. *Asserit S. Thomas Sacramenta*

QUÆRES primò: Quæ sit mens Divi Thomæ circa causalitatem Sacramentorum, utrùm physicam an moralem in iis gratiæ causationem statuerit.

non physicè, sed moraliter causare gratiam.

statuerit. Dicendum Sancti Thomæ sententiam esse Sacramenta solùm causare gratiam moraliter, quam proinde opinionem multi ex ipsius discipulis amplectuntur, ut Melchior Cano, Martinus Ledesma, & Franciscus Victoria apud Vasquez hîc, disp. 132. cap. 5. num. 74.

II. *Eo modo docet S. Thomas Sacramenta nostra concurrere ad gratiam, sicut vox hominis concurrit ad actum intellectus in audiente.*

Hanc verò esse mentem Divi Thomæ ostenditur primò ex quæstione 62. art. 4. ad primum, ubi ait eo modo Sacramenta concurrere ad gratiam, quo vox hominis concurrit ad actum intellectus in audiente producendum, vocem autem certum est ad actum illum non concurrere physicè eum producendo, cùm sit quid spirituale, vox autem materiale quiddam & corporeum. Deinde vox non movet nisi ut significativa, ut supra diximus, significatio autem non est quid physicum, sed morale, nempe impositio hominum, ac proinde non potest quidquam physicè producere.

III. *Aliis etiam in locis hoc idem tradit sanctus Doctor.*

Secundò idem constat ex quæstione 60. art. 1. ad primum, ubi ait Sacramenta esse in ratione signi, nec importare causalitatem, certum autem videtur eum hîc solùm loqui de causalitate physicâ, quam dicit Sacramenta non denotare, tum quia adfert exemplum medicinæ, & dicit Sacramenta non causare sanctitatem sicut medicina causat sanitatem. Non tamen excludit S. Thomas causalitatem moralem, cùm essentiam Sacramenti simpliciter dicti in hoc constituat, quòd causet gratiam: & quæstione 62. art. 1. corp. sic habet: *Respondeo dicendum, quòd necesse est dicere Sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam causare*: cùm ergo secundùm ipsum non causent physicè, sicut medicina, debent causare moraliter. Deinde quæstione 64. art. 1. ait solum Deum esse causam principalem immediatè producentem effectum Sacramenti, quia solus Deus est immediatè in animâ, nihil autem agere potest in distans; hæc autem ratio eodem modo probat de instrumentali causâ, præsertim cùm instrumentum communiter immediatiùs conjungatur cum effectu, quàm causa principalis, ut patet in omnibus instrumentis artis. Nec ullibi reperitur à Sancto Thoma Sacramenta physicè & immediatè concurrere ad gratiam, aut effectum ullum sacramentalem.

IV. *Varia objiciuntur ex S. Thoma, quibus asserere videtur Sacramenta plus quam moraliter producere gratiam.*

Dices: Sanctus Thomas quæstione 62. art. 1. corp. ait Sacramenta operari & conferre gratiam hominibus, & non solum Deum ad eorum præsentiam gratiam producere & infundere. Confirmatur: Eodem loco rejicit Sanctus Doctor exemplum denarii plumbei, per quod aliqui explicabant modum, quo Sacramenta conferunt gratiam: Item non probat exempla, quibus ad idem explicandum utitur S. Bernardus Sermone de Cœnâ Domini ante medium, nempe sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversas esse traditas Sacramentis.

V. *Resp. In illis locis solùm asserere S. Thomam Sacramenta verè operari.*

Respondetur, nos non asserere Sacramenta non operari, & gratiam non producere, imò conclusio nostra est directè contraria, dicimus enim operari moraliter esse verè operari, ut supra ostensum est sectione præcedente. Ad confirmationem dico Sanctum Thomam ideo rejicere exempla de libro, baculo, & annulo, ut patet ex contextu, quia sunt mera signa collationis illius officii, vel dignitatis jam collatæ, non quæ ab ipsâ confertur, ut contingit in Sacramentis respectu gratiæ. Exemplum verò denarii plumbei ideò rejicit, quia inquit non confert jus ad pecuniam, vel aliud quidpiam recipiendum, sed est tantùm signum hominem habere aliunde jus ad illam pecuniam, nempe ex ordinatione vel promissione Regis: Sacramenta autem non supponunt aliunde jus habitum, sed illud conferunt, nihil autem horum arguit causalitatem physicam, cùm fieri omnia possint per moralem.

VI. *Objicitur aliis D. Thomæ locis ad concursum physicum Sacramentorum adstruendus.*

Secundò objicitur. id quod dicit S. Thomas quæst. 62. art. 4. ubi astruere videtur concursum physicum in Sacramentis. Sed cùm ibi comparet efficientiam Sacramentorum causalitati vocis, vox autem influere physicè in actum intellectus nequeat, præsertim cùm secundùm præcipuam rationem, per quam movet, nempe ut significativa est, sit quid morale, ut vidimus, clarum videtur Sanctum Thomam non aliam in Sacramentis ponere causalitatem respectu gratiæ, quàm moralem. Quando verò S. Thomas dicit Sacramenta esse causas instrumentales gratiæ, solùm vult prærequiri tanquam quid movens Deum causam principalem ad effectum illum producendum, & hæc est instrumentalis virtus prævia, quam in Sacramentis requirit ad gratiæ collationem.

VII. *Declaratur in quo hæc moralis Sacramentorum causalitas constet.*

Quæres secundò: In quo sita sit hæc moralis causalitas Sacramentorum. Respondeo cum Patre Coninck quæst. 62. art. 4. num. 131. & aliis, in hoc consistere, quod Sacramentum ritè susceptum det homini titulum quendam ad gratiam recipiendam, ita ut hujus signi intuitu debeatur, esto aliàs omnino esset indebita. Unde sicut posito in materiâ calore ut octo, & reliquis dispositionibus ad ignem, materia illa habet jus physicum ad formam ignis, & Deus à dispositionibus illis determinatur ad formam ignis in eâ producendum, ita hîc à positione Sacramenti determinatur Deus ad gratiam, vel primò producendam in Sacramentis mortuorum, vel augendam in vivorum.

VIII. *Plumbetum non dat jus ad pecuniam recipiendam, sed est tantùm signum juris aliundè habiti.*

Jure ergo optimo rejicit Sanctus Thomas exemplum plumbeti, hoc enim non dat jus ad pecuniam, sed solùm significat hominem aliunde habere jus ad pecuniam illam recipiendam, sicque ad summum est quædam significatio tituli, & juris aliunde habiti, & veluti applicatio, sicut ignis habet virtutem producendi calorem vel ignem, debet tamen applicari passo, quæ applicatio non est virtus ignis, sed merè quædam conditio.

IX. *Ut in physicis, ita & in moralibus quædam sunt causæ, quædam conditiones.*

Notandum itaque, sicut in physicis quædam sunt causæ, utpote à quibus procedit actio, quædam conditiones, à quibus non procedit, ut est approximatio causæ: ita etiam in moralibus quædam sunt conditiones, quamvis non tam clarè hîc cernatur discrimen inter causam & conditionem, cùm neutra concurrat physicè. Illud ergo in moralibus est causa, quod movet ad effectum ponendum, illud conditio, sicut in physicis, quod est circumstantia requisita per modum cujusdam applicationis illius motivi. Exempli gratia, præcipit Petrus Paulo famulo suo ut quoties audit horologium, ad ipsum accedat, vel eleëmosynam det pauperi, id quod movet Paulum ut ad herum accedat, vel det eleëmosynam, est præceptum Petri, sonus autem horologii est tantùm conditio, seu applicatio illius præcepti, sicut approximatio est applicatio ignis, & tantùm conditio ut agat, tota autem combustio procedit ab igne.

X. *Sacramenta*

Sacramenta ergo non sunt meræ conditiones supponentes aliunde in Deo motivum ad confe-

non sunt tãtùm conditiones, nec supponunt, sed sunt motivum ad conferẽdam gratiam.

rendam gratiam, sed sunt illud quod primò movet Deum ad gratiæ collationem. Sunt verò Sacramenta causæ morales instrumentales, tum quia instrumenta Christi, qui per sua merita est causa moralis principalis, ut supra vidimus ex Tridentino sess. 6. cap. 7. tum quia sicut prorex est substitutum & instrumentum quoddam, quo Rex in administratione Reipublicæ utitur, ita Sacerdos vel alius minister Sacramenti se habet respectu Christi, unde etiam sicut Sacerdos ipse, ita omnia, quibus in hoc ministerio utitur, sunt instrumenta respectu ejusdem Christi.

XI. *Quo tempore Sacramẽta conferant gratiam.*

Quæres tertiò: Quo tempore Sacramenta conferant gratiam? Sermo est quando cum debitâ dispositione suscipiuntur, quo enim tempore Sacramenta fictè suscepta gratiam conferant, dicetur postea. Sermo etiam est de solâ gratiâ habituali, gratiæ siquidem actuales, seu auxilia peculiaria ex vi Sacramentorum collata, non statim semper dantur quando Sacramentum suscipitur, licèt suscipiens tunc non ponat obicem, sed postea tempore opportuno conferuntur, ut per Sacramentum Confirmationis datur postea confirmato auxilium speciale ad confitendam fidem quando datur occasio, & idem est de Sacramento Ordinis, Matrimonii, &c. quando autem Sacramenta suscipiuntur, confertur solum jus ad tale auxilium debito tempore obtinendum. Character verò in Baptismo, Confirmatione, & Ordine tunc imprimitur, quando Sacramentum confertur.

XII. *Quo sensu dicat Concilium Tridentinum homines interdũ justificari per votum Sacramenti.*

Sermo itaque est de gratiâ habituali, de quâ affirmant aliqui apud Suarium disp. 8. sect. 1. & Coninck quæst. 62. art. 1. dub. 4. Sacramenta antequam sint, conferre subinde gratiam, quod nimirum Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. & alibi dicat homines nonnunquam justificari per votum Sacramenti. Sed mens Concilii tantùm est, gratiam tunc dari ex opere operantis intuitu actus alicujus boni, quem vocat Concilium votum Sacramenti. Si autem tunc Sacramentum gratiam conferret, sufficeret sola attritio, hæc enim est dispositio sufficiens. Contritio verò ita causat gratiam, ut eam causet sive Sacramentum sequeretur, sive non, ergo non confert eam tunc Sacramentum.

XIII. *Objic. Passio Christi gratiam contulit antequã esset, ergo idem præstare possunt Sacramenta.*

Dices: Passio Christi contulit gratiam antiquis Patribus, antequam esset, quidni ergo idem dicemus de Sacramentis, præsertim nos, qui solùm in iis ponimus causalitatem moralem. Respondetur, hoc argumentum probare, potuisse Christum hoc instituere, nempe ut intuitu Sacramenti nondum positi, sed solùm postea ponendi daretur gratia, de facto tamen non habemus fundamentum dicendi ita esse, cùm solùm ratione Sacramenti positi gratia promittatur. Aliud verò est de passione Christi, quia ex ordinatione Dei, Christus solus eam subire debebat pro omnium hominum salute, ac proinde etiam præcedentibus prodesse debuit, at Sacramenta instituta sunt ut sumantur à singulis, & ut non aliis, quàm suscipientibus prosint.

XIV. *Eo instanti confert Sacramentum gratiam, quo verum est dicere Sacramentum esse cõpletum.*

Existimo itaque cum Suario disp. 8. sect. 2. §. *Ultimus ergo*, Coninck quæst. 62. art. 1. dub. 4. num. 62. & aliis, Sacramentum conferre gratiam eo instanti, in quo jam verè dici potest esse consummatum & completum. Ratio est, quia à Theologis communiter dicitur dari gratiam intuitu Sacramenti positi, Sacramentum autem non est positum aut perfectum ante illud instans, sicut si Deus decrevisset dare aliquid ubi talis hora est completa aut perfecta, in ultimo instanti illius horæ dare illud deberet. Quamvis etiam Sacramenta, quæ in actione consistunt, sint entia successiva, non tamen sunt sicut aliæ res successivæ, quæ essentialiter sunt tales, ut motus & tempus, tempus enim tunc solùm dicitur esse, quando aliquid illius est positum, & aliquid testat ponendum: aliter autem se res habet in Sacramento, hoc enim quamdiu aliquid illius est ponendum, nondum est, ubi verò omnia requisita tam ex parte materiæ, quàm formæ sunt posita, Sacramentum est, & confert effectum: quod etiam de illis mensuris motus, quæ terminum involvunt, quales sunt hora, dies, annus, &c. verum est.

XV. *Objic. Entia successiva non incipiũt per primum sui esse.*

Dices: Entia successiva non incipiunt per primum sui esse juxta Philosophos, ergo non potest poni Sacramentum in instanti, ut nos asserimus. Respondeo, res successivas in opere completo seu perfecto posse incipere per primum sui esse, sicut de horâ diximus; licèt enim ponatur & fluat successivè, terminatur tamen & completur in instanti. Quando ergo tantum aquæ in Baptismo contigit corpus, ut censeatur illud abluere, & ultima illa syllaba ita pronuntiata est, ut sufficiat ad significationem, confertur gratia, etiamsi postea adhuc perseveret infusio aquæ & syllabæ illius prolatio, omnis enim ulterior infusio & pronunciatio perinde se habet atque si non esset.

SECTIO QUINTA.

Alia quædam inquiruntur circa causalitatem Sacramentorum.

I. *Sacramenta omnia gratiam & virtutes infusas conferunt dignè ea suscipientibus.*

QUÆRES quartò, quem effectum conferant Sacramenta? In primis omnia causant gratiam habitualem simul cum habitibus infusis charitatis, & aliarum virtutum supernaturalium in animabus ritè suscipientium, seu non ponentium obicem: ita Theologi omnes, & exipsâ definitione Sacramenti constat, nempe quod sit signum sensibile, ad nostram justificationem institutum. Deinde definitur hoc in Florentino, in decreto ad Armenos, ubi dicuntur novæ legis Sacramenta, & continere gratiam, & dignè suscipientibus conferre. Idem habetur in Tridentino sessione 7. can. 6. 7. & 8.

II. *Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem.*

Deinde tria Sacramenta Baptismus scilicet, Confirmatio, & Ordo animæ characterem imprimunt indelebilem: ita Florentinum citatum, & Tridentinum sess. 7. can. 9. & sess. 23. can. 4. qua de causâ iterari non possunt, ut ibidem traditur.

III. *Singula insuper Sacramenta conferunt peculiarem quãdam gratiam quæ Sacramentalis appellatur.*

Præter hæc verò, singula Sacramenta conferunt gratiam quandam, quæ sacramentalis dicitur, estque unicuique propria, ut declarat Florentinum in decreto Eugenii: sicut enim Sacramenta in se sunt diversa, ita & ad diversos fines instituuntur, & consequenter diversam gratiam conferunt ad peculiarem finem, ad quem instituuntur Sacramenta, conducentem, quid verò sit hæc gratia dubitant Auctores.

IV. *Quidnam sit hæc gratia Sacramentalis.*

Quidam asserunt gratiam sacramentalem esse habitum quendam peculiarem, intuitu cujusque Sacramenti infusum. Verius tamen est quod affirmat Suarez hic, disp. 7. sect. 3. Coninck art. 2. & alii, gratiam sacramentalem non consistere in aliquo habituali, sed in specialibus quibusdam, & abundantioribus auxiliis actualibus, intuitu

Sacramen-

Sacramenti opportuno tempore collatis, ad quæ, quando quis recipit Sacramentum, acquirit jus quoddam peculiare. Ratio est, quia gratia sacramentalis est illa, quæ peculiari modo juvat inclinando ad virtutem aliquam, puta professionem fidei faciendam, castitatem conjugalem servandam, &c. habitus autem supernaturales, cùm sint per modum potentiæ, dant simpliciter posse, non inclinant, ergo egemus peculiari aliquâ inclinatione, quæ vel in illustratione intellectus, vel voluntatis motu, secundùm diversas opiniones consistit.

V. *Per Sacramenta simul cum gratiâ infunduntur principia habitualia omnium virtutum.*

Deinde: Quòd non sit opus aliquid habituale (characterem excipio) per Sacramenta infundi, probatur; antecedenter enim ad multa Sacramenta infunduntur principia habitualia omnium virtutum, ergo nullus est habitus infundendus per illud Sacramentum, unà quippe cum gratiâ habituali, quâcumque demum ratione hæc infundatur, simul infunduntur omnes habitus supernaturales. Nec satisfacit si quis dicat intensiorem habitum unius alicujus virtutis, professionis fidei exempli gratia, per confirmationem infundi, quàm per Baptismum, primò enim hoc non sufficit ad diversitatem Sacramentorum, & effectuum, quos conferunt: Deinde habitus supernaturales omnes, sicut cum gratiâ semper infunduntur, ita quoad intensionem sequuntur intensionem gratiæ; si ergo non confirmatus habeat plus gratiæ, quàm confirmatus, etiam habebit intensiorem habitum fortitudinis, seu virtutis ordinatæ ad profitendum fidem.

VI. *Hæc tamen peculiaria auxilia, aliunde quàm per Sacramenta haberi possunt.*

Hæc tamen specialia & abundantiora auxilia, quæ per Sacramentum conferuntur, non eam connexionem habent cum illo, ut per alia etiam media obtineri non possint, sicut & ipsa gratia habitualis, licèt per Sacramenta conferatur, non tamen ita iis alligatur, ut sine illis acquiri non possit. Unde quis non confirmatus potest per orationem, & alia ad hoc intentum adhibita abundantius auxilium ad fidem in persecutione, & periculo illius negandæ confirmandam à Deo obtinere, quàm habet alius confirmatus, qui hujusmodi media non adhiberet. Nec tamen hinc sequitur Sacramentum Confirmationis esse superfluum, juvat enim ad hujusmodi auxilia ex speciali quodam titulo, & sine peculiari illâ operantis impetratione habendâ, & ex opere, ut aiunt, operato.

VII. *Quid sit conferre gratiam ex opere operantis, & ex opere operato.*

Quæres quintò: Quid sit conferre gratiam ex opere operantis, & operato. Respondeo cum Vasquez hîc, disp. 131. cap. 1. & Suarez disp. 7. sect. 1. tunc conferri gratiam ex opere operantis, quando intuitu solius operis meritorii, saltem de congruo, seu dispositionis subjecti præcisè datur, ita ut danda fuisset, licèt nihil aliud fuisset positum: Ex opere verò operato tunc datur gratia, cùm vel non omnino attenditur meritum suscipientis, ut in Baptismo parvulorum, vel subinde actus aliquis bonus requiritur per modum dispositionis ex parte suscipientis, ut in Sacramento Pœnitentiæ attritio, non tamen ratione illius data fuisset gratia, sed exigitur ulteriùs opus aliquod, quod parum refert sitne bonum & meritorium, an non, imò potest esse malum & demeritorium, ut si Sacerdos intentione malâ, etiam mortaliter, absolvat, aut baptizet, ubi clarum est dari gratiam absoluto & baptizato, non ex opere operantis, cum nullum opus meritorium sufficiens ad gratiam obtinendam ponatur, sed ex opere operato, intuitu nimirum operis illius externi, quod ex se nullam habet cum gratiâ proportionem.

VIII. *Præsentem quæstionem de Sacramentis, commodè declarare videtur satisfactio per merita, & per indulgentias.*

Declarari hoc potest exemplo satisfactionis; sicut enim mereri, ita & satisfacere quis potest pro pœnâ peccatis debitâ, vel ex opere operantis per opera bona & meritoria, vel ex opere operato per indulgentias. In hoc verò postremo modo satisfaciendi non spectatur utrùm opus sit meritorium, seu in individuo bonum, an non, unde ut docet Suarez tomo quarto in tertiam partem, disp. 52. sect. 6. cum communi Theologorum, & videtur opinio Sancti Thomæ in quarto, dist. 20. quæst. 1. art. 3. sufficit ad indulgentiam quod sit opus honestum in specie, sicque licèt in individuo vitietur opus illud circumstantiâ aliquâ malâ, & reddatur venialiter peccaminosa, adhuc sufficiet ad lucrandum indulgentias. Unde si injungatur largitio eleëmosynæ, licèt quis illam ob vanam gloriam, vel humanos respectus largiatur, si habeat animum opus illud præstandi ob intentionem indulgentiarum, illas lucrabitur. Imò aliquando moraliter videtur impossibile ut opus injunctum pro lucrandis indulgentiis, sit ita usquequaque bonum, ut ex parte saltem circumstantiis quibusdam malis non vitietur, ut si injungatur concio audienda, aut aliquid hujusmodi. Sicut ergo opus ex suo genere bonum, licèt malè fiat, sufficit juxta communem sententiam ad implendum præceptum, ita & ad lucrandas indulgentias, quod enim potest præcipi, potest ob honestum finem injungi, & exigi, idque eodem modo.

SECTIO SEXTA.

Vtrùm Sacramenta omnia conferant æqualem gratiam.

I. *Difficultas procedit de Sacramentis ejusdem rationis.*

Quæstio procedit de Sacramentis ejusdem rationis, quid enim de Sacramentis diversæ rationis sentiendum sit, dicetur in fine sectionis, ubi peculiaris est difficultas in Sacramento Eucharistiæ, quod cùm Sacramentorum omnium absque omni comparatione sit præcipuum, utpote quod Christum ipsum Deum & hominem in se continet, ut dignitate, ita & efficacia Sacramenta cætera multis gradibus excedit. Quantam verò gratiam in actu secundo suscipientibus conferat, loco dicto declarabitur. Præsens ergo controversia versatur circa Sacramenta ejusdem rationis, seu numero tantùm, non specie diversa, utrùm scilicet Baptismus, vel parvulis ratione necdum utentibus, vel adultis æqualem dispositionem habentibus æqualem conferat gratiam.

II. *Prima sententia docet, Sacramenta numero tantùm distincta, interdum conferre gratiam inæqualem.*

Prima sententia est negativa: Ita Gabriël in quarto, dist. 4. quæst. 2. art. 2. concl. 7. Paludanus in 4. dist. 4. quæst. 1. Cajetanus q. 64. art. 1. in idem propendere videtur Scotus in 4. dist. 4. quæst. 7. & Major quæst. 3. Non tamen eodem modo procedunt hi Auctores; quamvis namque inæqualem interdum gratiam in eorumdem Sacramentorum susceptione, vel ubi nulla præcedit dispositio, ut in infantibus, vel ubi æqualis, ut in quibusdam adultis, conferri omnes asserant, Gabriël nihilominus majorem hanc gratiam, non virtute Sacramenti, sed ex merâ Dei benevolentiâ, Scotus, & Cajetanus, vel ex devotione Ministri, vel ex Dei prædestinatione ad majorem gloriam, ad quam major gratia in viâ est dispositio, dari affirmant.

Secunda

III. *Secunda sententia affirmat Sacramenta numero tantùm distincta pro diversitate dispositionis, æqualem vel inæqualem gratiam cõferre.*

Secunda sententia ait ejusdem rationis Sacramenta, ut hujus vel illius personæ Baptismum, æqualem æqualiter, inæqualem inæqualiter dispositis gratiam conferre. Hanc sententiam apertè tradit Sanctus Thomas 3. parte, quæst. 69. a. 8. & in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 3. Divus Bonaventura art. 1. quæst. 3. Capreolus dist. 5. q. 1. a. 1. Sotus dist. 6. quæst. 2. & alii, quos afferemus numero sequente, qui dicunt Sacramenta instituta esse instar causarum naturalium, hæ autem in subjectis æqualiter dispositis, æqualem semper producunt effectum, ut quotidianâ constat experientiâ.

IV. *Æqualiter dispositis Sacramenta ejusdem rationis æqualem gratiam habitualem conferũt.*

Dicendum primò: Æqualiter dispositis Sacramenta ejusdem rationis æqualem gratiam habitualem (de hac enim simul cum habitibus infusis eam sequentibus est sermo) conferre. Hæc est communis Theologorum sententia: eam præter citatos tenet Suarez, & Coninck. hic, q. 62. a. 1. dub. 3. ille, disp. 7. sect. 5. Hoc primò insinuatur in Concilio Tridentino sess. 7. can. 7. de Sacramentis in genere, ubi ex parte Dei dicuntur Sacramenta certâ lege conferre gratiam, cùm ergo ex parte dantis gratiam per Sacramenta, nempe Dei sit æqualitas, & etiam ex parte suscipientis, & tandem in Sacramento ipso, quod ejusdem rationis in utroque esse suppono, non sit inæqualitas, non apparet unde sit inæqualitas in effectu, ut juxta dicta numero præcedente in simili argui solet in causis naturalibus.

V. *Sequi videtur in contrariâ sententiâ, ob æqualia merita dari præmium inæquale.*

Confirmatur: Si enim ubi æqualis est dispositio, & Sacramentum idem, detur gratia inæqualis, & supra exigentiam dispositionis & Sacramenti, quidni etiam dicere possumus ob eadem merita dari præmium inæquale.

VI. *Ex merito ministri non datur major gratia uni quàm alteri æqualiter dispoſito.*

Unde nec ex merito vel impetratione ministri, ubi eadem est suscipientium dispositio datur major huic gratia, quàm illi. Hæc videtur esse mens Sancti Augustini libro 4. de Baptismo, cap. 20. Sancti Ambrosii, & Sancti Nanzianzeni oratione 40. de Baptismo, ubi comparat Ministrum bonum vel malum sigillo ferreo vel aureo, quod quantumvis perfectius unum sit quàm aliud, eundem tamen relinquit effectum: Unde S. Chrysostomus homiliâ de reditu suo ex Asiâ sic habet: *Multi me absente baptizati sunt, & quid tunc? nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei: Absente me baptizati sunt, sed præsente Christo sunt baptizati.*

VII. *Quid fieri deberet, si Deus duos ad inæqualẽ gloriam prædestinaret.*

Si ergo Deus duos prædestinet ad inæqualem gloriam, non debet propterea necessariò iis infundi in Baptismo inæqualis gratia, sed spectat ad divinam providentiam ut alter non moriatur donec medium aliquod ei applicetur, quo majorem gloriam obtineat. Si autem ex merito vel impetratione ministri major uni gratia infundatur, quam alteri in Baptismo, quidni dicamus postea etiam alicui augeri gratiam ex alterius merito, & hac ratione parvulus vel adultus, etiam dormiens, posset magnum gratiæ & consequenter gloriæ augmentum recipere, quod nullus concedit, nec enim est ulla ratio, cur si semel per meritum alterius, possit alicui augeri gratia, non possit augeri iterum & sæpiùs, ut benè Suarez loco citato.

VIII. *Communis Ecclesiæ praxis ostendit ex merito ministri nihil gratiæ accrescere baptizato.*

Deinde communis praxis Ecclesiæ est contraria, nunquam enim orat pro parvulis ut iis gratia augeatur, quod tamen operæ pretium esset facere, si putaretur iis posse augeri gratiam. Imò nec pro adulto unquam quis orat, ut Deus ei gratiam justificantem immediatè augeat, sed quando oramus ut Deus alicui det gratiam, vel augeat gratiam ut subsistat in tentationibus & persecutionibus, intelligimus gratiam actualem, seu inspirationes; quo sensu capiendum est quod in oratione quadam dicit Ecclesia: *Omnipotens sempiterne Deus da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*, nempe actualis per inspirationes bonas, & gratiam excitantem, unde addit, *& ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Hoc autem manifestè est intelligendum de gratiâ actuali, illa enim est, quæ facit ut faciamus, seu ut per habitus infusos operemur.

IX. *De Lege ordinariâ non potest quis alteri mereri gratiam habitualem, & gloriam immediatè.*

Non potest ergo quis alteri de lege ordinariâ mereri immediatè gratiam habitualem & gloriam, quia cùm hæc sint præmium substantiale meriti, & meritum de lege ordinariâ sit in ordine ad proprium subjectum perficiendum, sicut & gratia, ad quam sequitur, quæ est semen gloriæ proprio tantùm subjecto de lege ordinariâ, ut in tractatu de Incarnatione diximus, cùm inquam quisque accipere debeat præmium substantiale adæquatum proprio merito, nihil relinquitur in hoc genere, quod mereri possit alteri, sed unusquisque secundùm propria merita gratiam obtinet & gloriam, juxta illud Apostoli secundæ ad Corin. 5. *Vt referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.*

X. *Potest nihilominus quis mediatè gratia habitualis augmentum mereri alteri.*

Mediatè tamen potest unus alteri augmentum gratiæ mereri, merendo scilicet ipsi præmium aliquod accidentale, bonam nimirum inspirationem, & peculiare quoddam auxilium, cui cooperando majorem gratiam obtineat. Unde nec ipse Christus per merita sua gratiam justificantem cuiquam communicavit, nisi vel se is per actus proprios disposuit, vel susceperit aliquod Sacramentum. Nec alio modo quàm hoc præstat bonus minister malo, nempe quòd impetret à Deo auxilium aliquod speciale, quo suscipiens Sacramentum excitetur, ut meliùs se ad effectum Sacramenti recipiendum disponat.

XI. *Dices: Angeli in gratiâ & gloriâ sunt inæquales, ergo & homines, qui eorum locum supplent, erunt in isdem inæquales.*

Objiciunt adversarii, homines creatos fuisse, ut Angelorum, qui per peccatum è cœlo in infernum præcipites ruerunt, sedes restaurarent, cùm ergo Angeli omnes in beatitudine, & consequenter in gratiâ, cùm qua pari passu procedit beatitudo, sint inæquales, homines, qui eorum loca supplent, esse similiter debent in gloriâ & gratiâ inæquales. Quod verò Angeli sint in gloriâ & gratiâ inæquales constat, quo namque naturâ sunt præstantiores, eo excellentiorem gradum gloriæ in patriâ, & gratiæ in viâ sunt adepti, omnes verò Angeli sunt specie distincti, ergo naturâ inæquales.

XII. *Hæc objectio quadam supponit dubia, quadam falsa.*

In multis peccat hæc objectio, & quædam supponit dubia, quædam falsa. In primis ergo gratis dicitur homines ad restaurandas Angelorum sedes fuisse creatos, ita nimirum, ut si illi non peccassent, homines creati non fuissent. Sed etiamsi demus ad hunc finem eos creatos fuisse, non tamen sequitur directè unumquemque tantùm, & nec plus nec minus gloriæ consequi, quàm habuisset Angelus ille, cujus locum supplet. Imò multi jam in cœlo sunt beati, qui vitam in summâ sanctitate virtutúmque exercitatione per longam annorum seriem traducentes, multo plus gratiæ consecuti sunt, quàm ullus ex apostatis illis Angelis unquam habuit, & consequenter in cœlo plus jam habent gloriæ, quàm habuissent illi si stetissent: quod de Virgine nullus negare potest.

XIII. *Etsi beati omnes esse*

Tertiò: Quamvis admittatur Sanctos omnes fore in beatitudine inæquales, inde non habetur

debere

deberent in gloriâ, sicut in gratiâ, inæquales, non tamen infundi deberet inæqualis gratia in baptismo.

debere ipsis in Baptismo infundi gratiam inæqualem, sed illam consequi poterunt per actus meritorios inæquales, quos post Baptismum decursu vitæ exercuerunt, sicque plus gratiæ, non ex opere operato in Baptismo, sed ex opere operantis per bonos actus acquirere.

XIV. *Non subsistit quod tamquam fundamentum supponunt, nempe omnes Angelos differre specie.*

Præterea id quod affertur tanquam fundamentum hujus sententiæ non subsistit, ideo scilicet Angelos omnes esse in beatitudine inæquales, quia differunt specie, tomo enim præcedente, disp. 69. ostendi ex communi Patrum sententiâ Angelos non solùm posse esse ejusdem speciei, sed de facto specie omnes non differre, quod de illis saltem intelligendum est, qui sunt ejusdem ordinis, quamvis illi, qui sunt diversi ordinis, & maximè diversæ Hierarchiæ, specie distinguantur. Tandem licèt Angeli omnes inter se differrent specie, inde tamen non sequitur eos esse in perfectione inæquales, in Philosophiâ enim disp. 5. de Animâ, sect. 1. & tomo præcedente disp. 69. sect. 3. probavi posse res duas vel plures specie diversas, esse in perfectione æquales.

SECTIO SEPTIMA.

Alia quædam circa æqualitatem vel inæqualitatem gratiæ collatæ per Sacramenta.

I. *Infantes ante usum rationis baptizati æqualem in baptismo gratiam accipiunt.*

EX dictis infertur, infantes ante usum rationis baptizatos æqualem omnes in Baptismo gratiam accipere: existimo tamen majorem eos recipere gratiam, quàm olim recipiebant pueri in circumcisione, nam sanguis Christi actu effusus efficacior est ad dona nobis spiritualia obtinenda, quàm cùm tantùm prævidebatur effundendus. Adultus tamen plus gratiæ recipit, quàm parvulus; quamvis namque parvulus cum solo originali accedat, adultus cum actualibus, cùm tamen hæc in ratione obicis tollantur per attritionem, & varii insuper actus Fidei ac Spei, aliæque operationes bonæ ab eo eliciantur, hæc positiva dispositio capaciorem eum reddit ad uberiorem gratiam recipiendam juxta dicenda conclusione sequente. Addo ulteriùs: Etsi infans in utero matris justificatus postea baptizetur, talem nihilominus esse posse dispositionem cum qua adultus, etiam postquam peccatum actuale commisit, accedit ad Baptismum, ut Sacramentum plus ei gratiæ, quàm illi parvo conferret.

II. *Melius dispositus majorem semper per Sacramentum accipit gratiam.*

Dicendum secundò: Meliùs disposito Sacramentum ejusdem rationis semper majorem gratiam confert: ita communis Theologorum. Probatur primò ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi loquens de Baptismo sic habet: *Renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem.* Ratio autem est primò, quia res omnes naturales, quo passum est meliùs disposítum, eo fortiùs agunt, ergo gratis hoc negaretur de Sacramentis. Deinde æquitati maximè consentaneum videtur, ut qui diligenter se præparavit, & ad Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ accedit cum longè meliore dispositione, attritione, verbi gratia ut centum, plus gratiæ capiat, quàm alter, qui cum attritione solùm remissâ accedit, & non tantam adhibuit diligentiam. Præterea homines hoc modo excitantur ad meliùs se disponendum ad Sacramentorum susceptionem, quod tamen non tantâ curâ, imò frustra & sine fructu facerent, si nihil ipsis gratiæ ex dispositione illâ accresceret.

III. *Obj. Meliùs dispositus plus gratiæ recipiet, non ratione Sacramenti, sed dispositionis.*

Dices, aliquid ampliùs gratiæ recepturum eum, qui est meliùs dispositus, non ratione Sacramenti, sed ipsius dispositionis, quæ si continuetur, & perstet in ipsâ susceptione Sacramenti, informata gratiâ acceptâ in Sacramento erit meritoria, & conferet augmentum gratiæ. Sed contra primò: Frequenter enim contingit aliquem, qui summâ diligentiâ ad Sacramentum se disposuit, & actus intensos Fidei, Spei, & attritionis elicuit, postea in ipsâ susceptione Sacramenti ab omni actu cessare, ergo hic omnem illum laborem perdit, nec melioris conditionis est, quàm alter, qui parum diligentiæ adhibuit. Contra secundò: Saltem frustra quis ante susceptionem Sacramenti actus intensos eliceret, sed sufficeret post susceptionem in his se actibus exercere, per quod valdè diminueretur fervor credentium, & diligentia in præparatione sui ad Sacramenta.

IV. *Attritio illa informata gratiâ non potest in eodem instanti mereri augmentum gratiæ.*

Contra tertiò: Quia attritio illa jam informata gratiâ non potest in eodem instanti mereri augmentum gratiæ, ut de contritione communiter affirmant Theologi in materiâ de gratiâ, & ostendi supra in tractatu de Incarnatione, alioqui in eodem instanti sequeretur infinitum augmentum gratiæ ob idem opus, ut discurrenti patebit.

V. *Quid de diversa ratione Sacramentis circa inæqualem gratiæ collationem existimandum.*

Dicendum tertiò, circa Sacramenta diversæ rationis nihil posse certi statui; licèt enim inter Sacramenta omnia, Sacramentum Eucharistiæ sit, ut dixi, sine comparatione perfectissimum, cùm Christum ipsum verum Deum & hominem, ac Sacramentorum institutorem contineat, imò ad hoc Sacramentum tanquam ad finem ordinentur reliqua sex, ut cum Sancto Thoma hîc, q. 65. art. 3. docent Theologi communiter, non tamen est certum, Eucharistiam plus gratiæ conferre, quàm Baptismum, aut aliqua alia Sacramenta cum æquali dispositione suscepta: cùm enim institutum sit hoc Sacramentum in ordine ad continuam nutritionem, & consequenter sæpiùs recipi debeat, non videtur necessarium, ut quoties recipitur, toties uberiorem conferat gratiam, quàm Baptismus, Confirmatio, aut Ordo, quæ semel tantùm suscipiuntur, ut benè Suarez in commentario hujus articuli. Nihil tamen est certi, & Sanctus Thomas hac in parte simpliciter præferre videtur Eucharistiam cæteris.

DISPUTATIO SEXAGESIMA QUINTA.

De gratia Sacramentali.

SACRAMENTA omnia ad habitualem gratiam suscipientibus conferendam instituta esse ostendimus; gratiam, inquam, quæ est vita animæ, vel primò dandam, vel augendam, conservandamq;, ac denique si interciderit, restituendam. Cùm ergo Concilium Florentinum hac de re peculiariter agat in decreto Eugenii IV. ad Armenos, operæ pretium erit, quæ illic ad rei hujus declarationem tradita sunt attexêre; non parum enim ad ea quæ in sequentibus dicentur intelligenda conducent: Per Baptismum, *inquit*, spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratiâ, & roboramur in Fide: nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam-unctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter, per Matrimonium corporaliter. *In præsenti itaque Disputatione, à quonam ex hisce Sacramentis prima gratia, à quo secunda in hominum animas transfundatur, inquirendum.*

SECTIO PRIMA.

Quæ Sacramenta conferant primam gratiam.

I. *Status præsentis difficultatis proponitur.*

QUÆSTIO est, utrùm saltem per accidens possint omnia Sacramenta conferre primam gratiam; per se enim non esse omnia ad hunc effectum instituta, videtur certum, sicut nec ad augmentum, aliqua namque, ut Baptismus & Pœnitentia ordinantur per se primò ad tollendum peccatum originale, vel actuale, hæc autem sine primâ infusione gratiæ non tolluntur, utpote quæ simul cum gratiâ stare non possunt: Confirmatio verò & Eucharistia per se institutæ sunt ad augmentum gratiæ, cùm hæc sit ad nutriendum, illa ad renatis in baptismate robur conferendum ordinata, unde utraque supponit subjectum vivere, & consequenter gratiam primò collatam, quæ est vita animæ. Alia verò Sacramentâ, cùm ad tollendum peccatum vel originale vel actuale mortale non ordinentur, non conferunt primam gratiam, sed illius tantùm augmentum.

II. *Sacramenta omnia posse augmentum gratiæ conferre certum est.*

Omnia verò Sacramenta posse conferre augmentum gratiæ, quando ritè suscipiuntur ab homine in gratiâ constituto, omnino certum est, & definitum à Florentino dicente Sacramenta novæ legis, & gratiam continere, & dignè suscipientibus conferre, dignè autem suscipit qui est in gratiâ, cùm nullum ponat obicem. Idem habet Tridentinum sess. 7. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus quantum est ex parte Dei, sed aliquando & aliquibus, etiamsi ritè ea suscipiant, anathema sit*: ergo secundùm Concilium quandocumque recipiuntur dignè, dant aliquam gratiam: sed ab homine in gratiâ suscipiuntur dignè, ergo gratiam in eo augent.

Illud

III. *Malè dicunt aliqui nullū Sacramentum conferre primam gratiam.*

Illud verò non placet quod cum Gabriële, Majore, & Petro Soto dicunt recentiores aliqui, nempe nullum Sacramentum, ne Baptismum quidem, aut Pœnitentiam, adultis conferre primam gratiam, nec facere ex attritis contritos, sed semper dari gratiam in illis Sacramentis per contritionem, quam tanquam dispositionem necessariam ad illa requirunt. Hoc, inquam, non placet, quia hæc Sacramenta per se primò sunt instituta ad tollendum peccatum originale & actuale, quâ de causâ vocantur Sacramenta mortuorum, at secundùm hanc sententiam nunquam Baptismus in adultis, Pœnitentia verò nunquam omnino effectum suum consequeretur: secundò & præcipuè, quia non esset facilior via consequendi gratiam cum Sacramentis, quàm sine iis. Deinde difficilius esset consequi gratiam in novâ lege, quàm in vetere, hic enim non solùm necessarius esset actus contritionis sicut ibi, sed præterea grave onus confessionis, quod in illâ lege non requirebatur.

IV. *Quando infunditur gratia, infunduntur eâdem proportione habitus supernaturales.*

Quando verò per Sacramentum aliquod infunditur prima gratia, vel illius augmentum, eâdem proportione infunduntur & augentur dona & habitus supernaturales virtutum infusarum, ut communis habet Theologorum sententia, tum quia qui dat formam dat consequentia ad formam, & eâdem proportione cum formâ, cum quâ habent peculiarem connexionem, tum quia Concilium Tridentinum sess. 6. definit homines justificari per susceptionem gratiæ & donorum, ex quibus adæquatam ait constitui justitiam.

V. *Quinque Sacramenta vivorum possunt per accidēs conferre primā gratiam.*

Dicendum itaque, licèt quinque illa Sacramenta, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, & *Matrimonium*, instituta per se & primariò sint ad augmentum gratiæ, non ad eam primò causandam, per accidens tamen possunt primam gratiam conferre: Ita Divus Thomas q. 72. art. 7. ad 2. de Confirmatione, & quæst. 79. art. 3. corp. de Eucharistiâ, quem illius discipuli sequuntur, Cajetanus ibidem, Divus Antoninus 3. parte, titulo 14. cap. 12. §. 6. Sotus in 4. dist. 9. quæst. unicâ, ubi asserit eum, qui præmissâ confessione & contritione suo judicio probabili, accedit ad Eucharistiam, non peccare, imò si aliqua in eo latent peccata, per hoc, inquit, Sacramentum remittuntur. Richardus in 4. dist. 9. art. 2. quæst. 1. Durandus & Paludanus, etsi ambiguè loquantur, addendo *forte*, Suarez hîc, disp. 7. sect. 2. Valentia disp. 8. quæst. 1. punct. 3. Coninck quæst. 62. num. 42. Tannerus tom. 4 disp. 3. quæst. 3. num. 141. Præpositus quæst. 79. art. 3. dub. unico, num. 18. Sylvester verbo *Eucharistia*, cap. 4. num. 3. Gamachæus 3. parte, quæst. 79. cap. 1. conclusione 2. de Eucharistiâ, Kelliso. 3. parte, quæst. 79. art. 3. conclusione 2. & alii: Contrarium tamen tenet S. Bonaventura, Gabriël, Alexander, Vasquez tom. 3. in 3. parte, disp. 205. cap. 4. quem sequitur Mæratius, disp. 33. sect. 3.

VI. *Ostenditur Sacramenta vivorum non conferre per se primam gratiam.*

Prima pars conclusionis probatur, nullibi enim constat hoc modo esse instituta hæc Sacramenta, & alioqui posset quis quodvis Sacramentum ad peccatum remittendum assumere, saltem cùm non potest habere Sacramentum Pœnitentiæ, idque cum solâ attritione, & illâ dispositione, quæ sufficit ad Pœnitentiam, quod est contra communem sensum, & sententiam omnium.

VII. *Qui invincibiliter putans se esse in gratiâ accedit ad aliquod ex Sacramentis vivorum attritus, recipit gratiam.*

Secunda pars ostenditur, Sacramenta namque conferunt gratiam omnibus ea suscipientibus, qui non ponunt obicem, sed qui invincibiliter ignorat se esse in peccato mortali, aut cùm solùm sit attritus putat se contritum, & accedit ad sacram communionem, vel aliud Sacramentum, nullum ponit obicem, ergo. Aliud est de illo, qui sciens se esse tantùm attritum aliquod ex his Sacramentis suscipit, cùm enim sciat se cum tali dispositione accedere non debere, ipso facto peccat, & ponit obicem: Si verò bonâ fide putet se esse in gratiâ, & suscipit Sacramentum, nullus ponitur obex qui obstet receptioni gratiæ.

VIII. *Idem probatur ex Sacramento pœnitentiæ, quod ordinatur ad tollenda peccata explicata in confessione.*

Secundò probatur: Pœnitentiæ Sacramentum institutum est ad tollenda peccata in confessione explicata, & tamen indirectè remittit peccata mortalia, quæ bonâ fide omittuntur, vel ex oblivione, vel ex ignorantiâ, quod sint peccata, ergo licèt hæc Sacramenta instituta sint ad per se, & directè conferendum augmentum gratiæ, indirectè tamen, ubi bona fides intervenit, poterunt conferre primam. Tertiò: Baptismus & Pœnitentia non minùs per se & directè instituta sunt ad conferendum primam gratiam, quàm Confirmatio & Eucharistia ad dandum gratiæ augmentum, & tamen non obstante hac institutione possunt illa Sacramenta augere gratiam, quando eam jam inveniunt infusam, ergo & hæc licèt sint per se instituta ad gratiam augendam, poterunt nihilominus, ubi non inveniunt obicem, dare primam, præsertim cùm primus gradus gratiæ non sit excellentior, imo minùs excellens, quàm secundus.

IX. *Neque hinc sequitur hæc quinque Sacramenta esse Sacramenta mortuorum.*

Dices: Ergo hæc quinque Sacramenta sunt Sacramenta mortuorum. Nego consequentiam; sicut enim Baptismus & Pœnitentia, licèt gratiam augeant in iis, in quibus eam repetiunt, non tamen propterea sunt Sacramenta vivorum, ita nec ista mortuorum. Ad hanc ergo denominationem spectandum est ad quid primariò & directè Sacramentum quodvis sit institutum, si ad vitam dandam, est Sacramentum mortuorum, cùm supponat mortem in subjecto, si ad gratiam, quæ vita animæ est, augendam, est Sacramentum vivorum, cùm non nisi à spirituali vitâ viventibus per se debeat suscipi.

X. *Objic. Eucharistia significat tantùm gratiam nutrientem, ergo illam solam confert.*

Dices secundò: Eucharistia (idem est cum proportione de reliquis quatuor) non significat nisi gratiam nutrientem, quæ ut per se patet, est secunda, non prima, sed nullum Sacramentum potest conferre gratiam nisi quam significat, ergo. Sed contra: Hoc enim argumentum probaret Baptismum non posse conferre augmentum gratiæ, sed solùm primam, cùm ex naturâ suâ conferat gratiam abluentem, seu vivificantem. Si autem dicant hoc esse per accidens in Baptismo & Pœnitentiâ, idem cum proportione dicant de aliis, quando conferunt primam. Respondetur itaque, Eucharistiam, Confirmationem, & alia tria Sacramenta, etiam quando conferunt primam gratiam, conferre gratiam quam significant, gratia enim nutriens est gratia, quæ ex denominatione, quam habet ex eo quod detur per Eucharistiam, petit auxilia specialia per quæ juvetur peculiari modo anima ad vitam seu gratiam, quam habet, perpetuò augendam, quamvis gratia nutriens secundùm omnimodam denominationem nutrientis supponat aliquid gratiæ in subjecto.

XI. *Vt gratia det jus ad diversa auxilia, non est necessarium eam esse specie diversam.*

Ad hoc autem ut gratia per Eucharistiam, vel Confirmationem, & alia Sacramenta infusa det jus ad diversa auxilia, & constituat diversam gratiam sacramentalem, non est necessarium ut gratia in singulis Sacramentis collata, sit specie substantiali & intrinsecè diversa, sed sufficit quòd specie

specie accidentali, seu ex diversâ denominatione extrinsecâ differant, eadem enim numero quæ datur per Confirmationem, & dicitur gratia roborans, dátque jus ad auxilia conducentia ad fidem in occasionibus profitendam, eadem, inquam, numero si collata fuisset per Ordinem, vel extremam Unctionem, dedisset jus ad auxilia, ad rectè obeundum munus sacerdotale, exempli gratia, vel ad resistendum dæmoni in articulo mortis. Quod declaratur in opinione aliorum, qui licèt dicant gratiam habitualem secundùm se non habere oppositionem cum peccatis venialibus, habere tamen prout confertur in Sacramento Pœnitentiæ, de quo alibi.

SECTIO SECUNDA.

De dispositione ad effectum Sacramenti recipiendum requisitâ.

I. *Certum est dispositionẽ aliquam ad effectum Sacramentalem requiri.*

DISPOSITIONEM aliquam ad hoc ut Sacramenta gratiam conferant, in suscipiente requiri, omnino est indubitatum, Concilium enim Florentinum & Tridentinum sess. 7. can. 6. asserunt Sacramenta non nisi dignè suscipientibus, & obicem non ponentibus gratiam conferre: quibus verbis clarè significant ad fructum ex Sacramentis percipiendum aliquam dispositionem in suscipientibus esse necessariam. Sermo autem est de adultis, parvulis namque sine ullâ dispositione Baptismum gratiam conferre Catholicus nemo dubitat. Idem est de aliis Sacramentis, quæ ritè confici, & applicari parvulis possunt: unde si post Baptismum (qui semper præmitti debet ad effectum aliorum Sacramentorum) parvulo adhiberetur Confirmatio, haberet effectum.

II. *An in peccato mortali existenti sufficiat attritio.*

Quærimus ergo, quænam dispositio in iis adultis, qui in peccato mortali sunt requiratur ut gratiam per Sacramenta recipiant, & peccati remissionem obtineant, utrùm scilicet necessaria sit contritio, an sufficiat attritio.

III. *Dicunt aliqui, ut Sacramenta gratiam in mortali existentibus conferant, requiri contritionem perfectam.*

Prima sententia ait ad hoc ut Sacramenta gratiam suscipientibus in mortali existentibus conferant, requiri contritionem perfectam: ita Magister in 4. dist. 4. & 18. Ockam quæst. 8. § *Quantum ad secundum*, Gabriel distinct. 4. & 14. quæst. 2. art. 2. dicens hanc inter antiquos fuisse communem sententiam. Idem docet Halensis 4. parte, quæst. 8. membro septimo, art. 2. & quæst. 14. membro 2. art. 1. Divus Bonaventura in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 1. Hugo & Richardus de Sancto Victore, ille Tomo 3. in summâ, tractatu 5. cap. 11. hic tractatu de potestate lig. cap. 12. Argentina distinct. 18. art. 3. Major dist. 18. quæst. 1. Abulensis in defen. p. 1. cap. 6. Marsilius quæst. 12. art. 2. & alii. Hi ergo dicunt attritionem non sufficienter tollere obicem, nec plenam continere peccati retractationem, ac proinde ad hoc munus, & peccati remissionem obtinendam requiri asserunt perfectam contritionem.

IV. *Alii requirunt contritionem saltem existimatam.*

Secunda sententia vult ad hoc ut Sacramenta conferant effectum, requiri contritionem saltem probabiliter existimatam, quamvis re ipsâ talis non sit: ita Navarrus in summâ, cap. 1. n. 39. Vega in Tridentinum, lib. 13. cap. 13. Victoria Relect. 1. de Potestate Ecclesiæ, sect. 3. Ledesma 2. parte 4. quæst. 20. art. 1. Soto in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 7. hoc asserit de Sacramento Pœnitentiæ, ad Baptismum siquidem sufficere ait attritionem, etiam cognitam. Ratio horum est, quia existimant ad tollendum peccatum in ratione obicis, hujusmodi saltem actum contritionis esse necessarium.

V. *Alii demum asserunt ad gratiam per Sacramenta conferẽdam sufficere attritionem cognitam.*

Tertia denique sententia, eáque multo inter Doctores communior, affirmat, ut Sacramenta, etiam in illo, qui peccato mortali immediatè ante eorum receptionem extitit, effectum suum seu gratiam producant, sufficere attritionem ex motivo supernaturali, quamvis non putetur contritio, sed suscipiens, eam cognoscat esse attritionem.

VI. *Hæc sententia tam inter antiquos quàm recentiores Theologos est communissima.*

Hanc sententiam expresè docet S. Thomas 3. parte, quæst. 68. art. 4. eandémque antea tradiderat in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. & dist. 18. quæst. 1. art. 3. ad 1. Scotus in 4. dist. 14. q. 4. art. 3. Paludanus dist. 17. quæst. 8. Capreolus dist. 17. quæst. etiam 8. art. 3. Durandus in 4. dist. 5 quæst. 2. num. 7. & dist. 18. quæst. 2. n. 6. Palat. dist. 4. disp. 3. & dist. 18. disp. 2. Adrianus de Confessione quæst. 5. Richardus in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 1. Sylvester verbo *Confessio* 1. quæst. 21. & verbo *Contritio* 1. quæst. 1. Divus Antoninus 3. parte, titulo 14. cap. 19. §. 5. Canus relectione de Pœnitentiâ, p. 5. ad 2. Suarez 3. parte, tomo 3. disp. 7. sect. 4. & disput. 28. sect. 2. Toletus in summâ lib. 2. cap. 21. & libro 3. cap. 10. Valentia disp. 4. quæst. 3. punct. 3. §. *Sed quæstio* & disp. 7. quæst. 8. punct. 3. §. *Est igitur tertia.* Henriquez lib. 4. cap. 26. Vasquez disp. 158. cap. 4. & alii.

VII. *Certum est peccatum mortale cõmissum in suscipiens Sacramenti impedire infusionem gratiæ.*

In primis certum omnino est peccatum mortale in ipsâ Sacramenti susceptione commissum impedire infusionem gratiæ, tum quia peccatum etiam habituale, multò magis actuale repugnat cum gratiâ, tum etiam quia Sacramenta solùm conferunt gratiam non ponentibus obicem, nullus autem potest major obex poni, quàm peccatum mortale.

VIII. *Adultus cum solo originali ad Baptismum accedens non eget etiam attritione.*

Dico secundò: Si quis adultus ad Baptismum accedat cum solo originali, non requiritur in eo ad effectum Sacramenti, nempe gratiam & remissionem peccati obtinendam, attritio, vel dolor de illo peccato: ita Suarez disp. 7. sect. 4. Vasquez, Coninck, quæst. 62. dub. 2. num. 27. & omnes communiter. Ratio est, quia dolor & Pœnitentia non requiritur nisi ob peccata ab ipso peccatore commissa, ut qui se à Deo avertit peccando, pœnitendo se convertat, cùm ergo peccatum originale non sit propriâ voluntate commissum, sed alienâ, nec per illud homo se voluntariè à Deo averterit, non requiritur ut actu per dolorem se iterum convertat.

IX. *Quæ dispositio ad gratiæ collationem requiratur in accedente cum solo originali.*

Aliqua tamen dispositio ad hoc requiritur, saltem Fides & Spes, & aliqualis ad Deum conversio, per desiderium scilicet divinæ amicitiæ, & propositum in eâ perseverandi per observationem mandatorum; rationi enim maximè consentaneum est, ut benè Coninck, ut sicut nullus, etiam inter homines, in alterius amicitiam admittitur, qui eam non expetit, & propositum habet in illâ permanendi, ita à fortiori hoc requiratur ut quis in Dei amicum admittatur. De parvulis alia ratio est, cùm enim suæ voluntatis dominium non habeant, non potest ab iis exigi voluntarius consensus ad divinam amicitiam, unde sicut propriâ voluntate non peccarunt, ita per voluntatem Christi in Sacramento iis applicatam poterunt justificari, & gratiam recipere.

Dico

X. *Actualis aliqua dispositio non requiritur ut Sacramenta conferant augmentum gratiæ.*

Dico tertiò: Ut Sacramenta conferant augmentum gratiæ non requiritur aliqua dispositio actualis, sed sufficit hominem esse in gratiâ: ita Sanctus Thomas, quæst. 79. art. 8. Suarez citatus, & alii communiter. Ratio est, quia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: Unde ulteriùs addit Sanctus Thomas, Scotus, & alii; licèt quis in ipsâ receptione alicujus Sacramenti peccaret venialiter, adhuc Sacramentum illi collaturum gratiam, peccatum enim veniale, cùm sit levis tantùm offensa, nec obicem ponit, nec ita indignum reddit suscipientem, ut ratione illius ei denegetur augmentum gratiæ; cùm enim ea sit hominum fragilitas, ut proclive ipsis sit in hujusmodi offensas labi, verisimile est Christum in Sacramentorum institutione se humanæ fragilitati accommodasse ad effectum ex opere operato percipiendum, cùm præmium ex opere operantis collatum non impediatur per veniale peccatum, quod actum contritionis vel opus meritorium comitaretur, ut docet Scotus in 4. dist. 4. quæst. 7. Unde malè Caietanus 3. parte, quæst. 79. art. 1. & contra Sanctum Thomam docet, si quis dum sacratissimam Eucharistiam sumit peccet venialiter, aut etiam mente evagetur, nullum inde fructum percipere: quod pejus Petrus Soto lectione 9. de Sacramentis in genere, & lectione 8. de Confessione extendit ad reliqua Sacramenta.

XI. *Conscius sibi peccati mortalis accedere ad Sacramentum debet, saltem cum attritione.*

Dico quartò: Conscius sibi peccati mortalis non cum fide solùm accedere ad Sacramentum mortuorum debet, sed cum actuali detestatione peccati, saltem per attritionem, non tamen requiritur perfecta contritio: ita Doctores cõmuniter. Tres partes habet conclusio, postrema de contritione præter dicta superiùs probatur ex Concilio Tridẽtino sess. 14. cap. 4. ubi dividens contritionem in perfectam & imperfectam, quam communiter attritionem vocamus, quam ait extra Sacramentum licèt non sufficiat ad peccatorem justificandum, in Sacramento tamen, inquit, eum ad gratiam disponit: ubi cùm intendat Cõcilium declarare quænam dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ recipiendum requiratur, debuit eam nobis tradere quæ per se requiritur & sufficit, non quæ solùm per accidens, alioqui mutilam tradidisset doctrinam de Pœnitentiâ, ut benè Coninck num. 32. sed de hoc fusiùs alibi.

XII.

Secunda verò conclusionis pars, quod scilicet requiratur attritio, saltem virtualis, probatur tum ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi dispositiones ad justificationem enumerat Fidem, Spem, & odium peccati, tum etiam quia quamdiu non retractat peccatum mortale commissum, censetur moraliter in eo permanere: tum denique, quia rationi consõnum est, ut qui per peccatum grave se avertit à Deo, & convertit ad creaturas, & hoc modo voluntariè privavit se amicitiâ divinâ, in eandem denuò non admittatur nisi sese iterum ad Deum per aliquam illius peccati detestationem convertat. In Sacramento tamen Pœnitentiæ requiritur formalis dolor de peccato illo, non tam per modum dispositionis, quàm ex eo quòd sit pars Pœnitentiæ, ut supra diximus ex Florentino in decreto ad Armenos. *Variè ostenditur ad effectum Sacramentalem, seu gratiam confortandam requiri saltem attritionem.*

XIII. *Declaratur quare is qui accedit ad Sacramentum, habere debeat actũ Fidei.*

Prima etiam pars probatur: Si enim debeat habere dolorem aliquem supernaturalem, qui est pius aliquis affectus voluntatis, debet etiam habere actum Fidei supernaturalem in intellectu, à quo actus voluntatis reguletur. Deinde, ut ait Apostolus ad Hæbreos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator est*, quem locum explicat Tridentinum sess. 6. cap. 6. de dispositione ad justificationem in Sacramento: deinde, ut eodem loco affirmat Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

XIV. *Conscius peccati gravis, si ad aliquod ex Sacramentis vivorum accedat, tenetur elicere actum Contritionis.*

Dico quintò: Conscius sibi peccati mortalis, si accedat ad Sacramenta vivorum, tenetur ex necessitate præcepti elicere actum veræ contritionis: sic Suarez disp. 7. sect. 4. Coninck quæst. 62. art. 1. num. 39. & alii. Ratio est, quia hæc quinque Sacramenta non sunt per se instituta ad remissionem peccati, sed vitam supponunt in suscipiente, ergo ad ea accedens tenetur hanc dispositionem in se curare: si tamen invincibiliter putet se esse contritum, licèt solùm sit attritus, recipiet per accidens primam gratiam juxta dicta, & virtute horum Sacramentorum fiet de attrito contritus. Si quis verò peccati mortalis conscius ad Eucharistiam accedere velit, debet Sacramentaliter, si copia detur Confessarii, confiteri, quantumvis videatur sibi contritus, ut declarat Trid. sess. 13. cap. 7. Si tamen necessitas urgeat, & Confessarius haberi non possit, potest contritus, etiam ad Eucharistiam accedere, ut declarat Concilium ibidem: ut autem ad reliqua Sacramenta accedat, non requiritur confessio, sed sufficit contritio.



DISPUTATIO SEXAGESIMA SEXTA.

De Sacramentorum Reviviscentiâ.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Sacramenta cum fictione suscepta reviviscant.

I. *Validè interdum suscipitur Sacramentum, & tamen non fructuosè.*

ALIUD est Sacramenta validè sumi, aliud fructuosè; sicut enim in rebus materialibus in dies videmus, quantumcunque agens aliquod, ignis exempli gratia, statuatur aptus ex se ad calorem in manu producendum, si tamen interponatur obex, corpus scilicet aliquod opacum, impeditur quo minùs habeat illum suum effectum, corpore verò illo amoto eum habet, & manum calefacit, idem contingere interdum videtur in Sacramentis, quæ ratione obicis, sive ille positivus sit, sive negativus, fructum in recipientium animabus non producunt, ablato verò obice operantur, & fiunt fructuosa. Hinc de Baptismo peculiariter loquens Sanctus Augustinus libro primo de Baptismo, cap. 2. sic habet: *Tunc valere incipit ad salutem Baptismus cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitiâ, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Hæc itaque quo pacto contingant præsenti disputatione declarabimus.

II. *Status præsentis difficultatis proponitur.*

Quæstio ergo est: Utrùm quando ea, quæ ad substantiam Sacramenti spectant, ponuntur, nempe materia, forma, & debita tam conferentis, quàm suscipientis intentio, sicque validè confertur Sacramentum, ratione tamen vel alicujus peccati in ipsâ susceptione commissi, vel defectus dispositionis, non ad validam, sed fructuosam Sacramenti susceptionem requisitæ, nempe doloris de peccato priùs commisso, ob defectum cujus dispositionis non confertur gratia, & Sacramentum est validum, sed informe. Quæritur inquam, utrùm postea, ablatâ tam fictione, seu obice, Sacramentum (Baptismus exempli gratia) reviviscat, & gratiam conferat. Fictio autem non eo sensu hîc capitur à Theologis, quo sumi solet cùm dicimus fictè aliquid fieri, id est sine verâ intentione, ut fictè dicitur adorari idolum quando adoratur derisoriè, hæc enim esset fictio opposita valori & substantiæ Sacramenti, ut rectè Suarez hîc, in commentario articuli noni, sed fictio in præsenti idem est ac obstaculum, seu obex positus ad effectum Sacramenti consequendum. Ideo verò dicitur fictio, quia qui sine debitâ dispositione ad Sacramentum accedit alium se exteriùs exhibet, nempe talem, qui aptus sit ad recipiendum Sacramentum, alius reipsa est, si autem conscius hujus indispositionis accedat, dicitur fictio formalis; si inscius, materialis, ut in simili dicunt omnes de mendacio.

Quid fictionis nomine hic intelligat Theologi.

III. *Dicunt aliqui sublatâ fictione per Contritionem, dari quidem gratiam, sed ratione Contritionis, non Sacramenti.*

Varii hac in re sunt dicendi modi: Affirmant nonnulli quandò quis cum fictione ad Baptismum accedit, postea ablato obice per contritionem, conferri quidem effectum Baptismi, seu gratiam illam, quæ per Baptismum collata fuisset, si non interfuisset fictio, Baptismum tamen nihil circa gratiam illam operari, vel physicè, vel moraliter, sed intuitu solius contritionis dari, nec alio modo ascribitur Baptismo, quàm quòd contritio, ut hunc effectum tribuat, supponat Baptismum susceptum, alioqui gratiam non conferret: ita aliqui apud Suarium Disp. vigesima octavâ, sect. quartâ.

IV. *Præcitata opinio adversatur Patribus & Theologis.*

Sed contra primò: Hæc enim sententia expressè repugnat Sancto Augustino lib. 1. de Baptismo, cap. 11. & lib. 3. cap. 13. Sancto Cypriano, & aliis Patribus, ac Theologis, cum Sancto Thoma dicentibus Baptismum impeditum per fictionem quo minùs effectum haberet quando recipiebatur, postea ablatâ fictione incipere eum habere. Quòd autem hæc sit mens Augustini, patet, ipse enim ubique hoc tribuit Baptismo, eò quòd sit opus Christi, qui, ut frequenter docet Sanctus Augustinus, in omni baptizante baptizat. Unde libro 7. contra Donatistas, cap. 10. ait, Baptisma esse quoddam semen Christi, quo Ecclesia, etiam per hæreticos generat filios, quod & lib. 6. cap. 5. affirmat & in homine justo, & in homine injusto semper sanctum esse, neque æquitate alicujus augetur, neque alicujus iniquitate minuitur.

V. *Clarè asserit S. Augustinus baptismum fictè susceptum, obice ablato tribuere effectum.*

Quod verò semen hoc, nempe Baptismus, licèt subinde non statim conferat effectum ob fictam susceptionem, seu obicem positum, non tamen perdat intrinsecam vim, sed tandem ablato obice tribuat effectum, clarè docet Sanctus Augustinus loco proximè citato, ubi loquens de hæretico fictè ad Baptismum accedente, & illius effectum non percipiente defectu dispositionis debitæ, nempe vinculi, unionis & Charitatis cum Ecclesiâ, subjungit: *Si ab illâ perversitate correctus, & à separatione conversus venerit ad Catholicam pacem, sub eodem Baptismate quod acceperat, peccata dimittuntur, propter vinculum Charitatis, sub quo Baptismate peccata ejus tenebantur propter sacrilegium divisionis:* ubi per vinculum Charitatis non intelligit actum Charitatis erga Deum, ut volunt aliqui, sed nexum Charitatis cum Ecclesiâ, quem per schisma ruperat, illud enim vinculum ut dispositionem ad fructum Baptismi percipiendum requirit, defectus cujus eum priùs reddiderat infructuosum.

Nec

VI. *Malè dicunt aliqui S. Auguſtinum his locis ſolùm velle Baptiſmum tollere reatum pœnæ peccatis debitæ.*

Nec verum eſt quod affirmant aliqui, Sanctum Auguſtinum his locis ſolùm velle per Baptiſmum in hoc caſu remitti tantùm pœnas temporales peccatis ante commiſſis debitas; libro enim tertio, cap. 13. ait illum ipſum Baptiſmum, qui propter diſcordiam operabatur mortem, propter pacem intus operari ſalutem. Eodem loco ait Baptiſmum ablatâ fictione valere ad dimittenda peccata, & libro 1. cap. 12. ad remiſſionem peccatorum prodeſſe. Unde Vaſquez diſp. 159. cap. 3. ait negari non poſſe Sanctum Auguſtinum affirmaſſe Baptiſmum, ablatâ fictione dimittere peccata, numero tamen 33. cap. 3. & capite 4. ait ſibi probabilius eſſe per Baptiſmum fictè ſuſceptum nullam unquam culpam, ne originalem quidem auferri, ſed pœnam tantùm temporalem; cujus etiam mentis videtur eſſe Scotus in 4. d. 4. quæſt. 5. Gabriël quæſt. 1. artic. 3. & alii nonnulli.

VII. *Baptiſmum reviviſcentem verò tollere peccata probatur ex Concilio Tridentino.*

Contra præcedentem ſententiam eſt ſecundò: Nam juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. & 14. in lege gratiæ nullum peccatum remittitur niſi per aliquod Sacramentum in re vel in voto, ergo originale peccatum & actualia ante Baptiſmum commiſſa ſi remittantur, etiam per contritionem, remitti debent per Sacramentum aliquod in re vel in voto, ſed non poſſunt remitti per Pœnitentiam, quia cùm commiſſa ſint ante Baptiſmum, non ſunt ſubjecta clavibus, nec cadunt ſub juriſdictionem Eccleſiæ, cujus Baptiſmus eſt janua, ergo remitti debent per Baptiſmum, ſed non per Baptiſmum in voto, quia qui fictè baptizatus eſt, non eſt capax voti Baptiſmi, cùm ulteriùs baptizari non poſſit, ergo tolli debent per Baptiſmum jam ſuſceptum.

VIII. *In illâ ſententiâ non rectè tribuitur remiſſio peccatorum Baptiſmo.*

Quòd vero volunt hi Auctores aſcribi Baptiſmo effectum illum remittendi peccata ante commiſſa, quia contritio ut hoc præſtet dicere debet ordinem ad Baptiſmum, & ſic requirit eum præceſſiſſe, hoc inquam non ſufficit ut Baptiſmus dicatur tollere & remittere peccata illa, & operari ſalutem; ſic enim remiſſio peccatorum quæ fit per Pœnitentiam tribui deberet Baptiſmo, cùm Pœnitentia effectum illum producere non poſſet, niſi Baptiſmus præceſſiſſet, imò effectus cujuſvis Sacramenti attribui poſſet Baptiſmo.

IX. *Dicunt alii peccata ante Baptiſmum commiſſa tolli directè per actum Contritionis, concomitanter per Baptiſmum.*

Alii ſecundò dicunt peccatum originale & alia ante Baptiſmum commiſſa, quando Baptiſmus fictè ſuſcipitur, tolli poſtea directè & per ſe per actum contritionis, concomitanter verò per Baptiſmum materialiter & per accidens. Sed contra primò: Hoc enim quod eſt tollere peccata concomitanter, vel eſt verè tollere; tunc autem coincidunt hi Auctores cum verâ & communi ſententiâ, vel Baptiſmum tollere concomitanter ſolùm eſt contritionem tollere peccata illa, ſed ſupponere Baptiſmum jam ſuſceptum, & hoc eſt quod proximè impugnavimus.

X. *Quotiès peccatum mortale tollitur per accidens abuno Sacramento, id fit cum ordine ad aliud Sacramentum.*

Contra ſecundò: Quandocumque peccatum aliquod mortale tollitur per accidens & concomitanter ab aliquo Sacramento, ſemper fit hoc cum ordine ad aliud Sacramentum, à quo tollitur per ſe, ut quando Sacramentum Euchariſtiæ per accidens dat primam gratiam, & tollit peccatum mortale, ad quod munus non eſt per ſe & directè inſtitutum, ſemper hoc fit cum ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ: at verò peccatum originale & mortalia ante Baptiſmum commiſſa non poſſunt reſpicere per ſe Pœnitentiam, ut oſtenſum eſt, ergo Baptiſmum, non per votum illum ſuſcipiendi, cùm iterari non poſſit, ergo per ordinem ad Baptiſmum jam ſuſceptum. Sit ergo.

XI. *Baptiſmus infructuosè ſuſceptus, recedente fictione reviviſcit.*

Prima concluſio: Baptiſmus validè, ſed infructuosè ſuſceptus recedente fictione confert gratiam, & tam peccatum originale, quàm actualia ante Baptiſmum commiſſa tollit: ita Sanctus Auguſtinus locis citatis, Sanctus Thomas q. 69. art. 10. Suarez diſp. 28. ſect. 4. Coninck q. 62. artic. 1. dub. 5. num. 72. Tannerus Tomo 4. diſp. 4. quæſt. 3. num. 61. & eſt communis ſententia Theologorum. Ratio eſt, quam in impugnatione contrariæ ſententiæ poſuimus, nam effectus Baptiſmi non poteſt conferri ab alio Sacramento, fictè autem ſuſceptus iterari non poteſt, ergo debet reviviſcere, ne homo in perpetuum illius effectu orbetur.

XII. *Nullum eſt peccatum quod per aliud quod Sacramentum directè nequeat remitti.*

Confirmatur primò: Nullum quippe eſt peccatum, quod non poſſit directè remitti per aliquod Sacramentum, quod tamen contingeret in hoc caſu. Confirmatur ſecundò: Sequeretur enim illum, qui fictè ſuſcipit Baptiſmum non poſſe omnino juſtificari niſi poſt Baptiſmum peccet, quod tamen parum videtur probabile: ſequela probatur, nam non poteſt juſtificari per Baptiſmum, ut affirmant adverſarii, ſed nec per Pœnitentiam, hæc enim non tollit peccatum indirectè, niſi tollendo aliud directè, nullum autem peccatum commiſſum ante Baptiſmum directè ſubeſt clavibus, ergo.

XIII. *Videtur etiàm quod in hoc caſu nec per Contritionem poſſit peccatum remitti.*

Dices, poteſt juſtificari per contritionem: Contra: In tantum poteſt juſtificari per contritionem, in quantum contritio eſt votum alicujus Sacramenti, ſed contritio hîc non eſt votum ullius Sacramenti, ergo: probatur minor, non Baptiſmi, quia jam præteriit, non Pœnitentiæ, in tantum enim contritio eſt votum Pœnitentiæ, in quantum involvit propoſitum illam ſuſcipiendi, ſed in hoc caſu non involvit, ergo: probatur minor, nullum habet peccatum hic homo, quod ſit materia Pœnitentiæ, & conſequenter confiteri non poteſt, nec ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ.

XIV. *Baptiſmus, etiam quoad remiſſionem pœnæ reviviſcit.*

Secunda concluſio: Baptiſmus non quoad gratiam ſolùm habitualem, & habitus infuſos eam comitantes, ſed quoad remiſſionem pœnæ peccatis ante Baptiſmum commiſſis debitæ, & gratiam actualem, ſeu ſpecialia auxilia per Baptiſmum conferri ſolita reviviſcit: ita Auctores citati cum Sancto Thoma. Ratio eſt, quia natura Baptiſmi eſt, ut non ſolùm det gratiam, & conſequenter tollat peccata tam originale, quàm actualia, ſed etiam pœnas iis debitas, ergo quando tollitur obex conferet eundem effectum, cùm nihil obſtet quo minùs hoc ante præſtiterit præter obicem, ſed hic jam aufertur, ergo.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam ſtatuuntur circa reviviſcentiam Sacramentorum.

I. *Baptiſmus reviviſcens tollere poteſt ſolum originale, & mortalia, non tamen ſemper venialia.*

TERTIA concluſio: Licèt Baptiſmus reviviſcens, omnia peccata ante Baptiſmum commiſſa tollat, & conſequenter pœnas iis debitas, poteſt tamen contingere, ut ſolùm originale & mortalia tollat, non venialia, ſaltem omnia, nec pœnas iis reſpondentes. Quoad hoc poſtremum res eſt clara; nunquam enim, peccato non remiſſo, remittitur pœna ei debita, cùm

cùm causa pœnæ remaneat. Quoad prius itaque probatur: Potest auferri obex, & fictio respectu mortalium peccatorum quamvis non auferatur respectu venialium, potest enim quis habere dolorem mortalium peccatorum, & retinere complacentiam circa aliqua venialia, ergo venialia hæc non tolluntur tunc per Baptismum. Neque hoc mirum videri debet, nam si quando Baptismus confertur adulto, haberet is dolorem & detestationem mortalium, & complacentiam alicujus venialis, remitterentur illa, non istud. Baptismus autem reviviscens non alio modo remittit peccata, quàm primò collatus. Utrùm autem quando postea tollitur obex quoad venialia, Baptismus quoad illa etiam reviviscat, incertum, affirmat Suarez sect. 4. negant alii, utrumque probabile.

II. *Confirmatio & Ordo si fictè suscipiantur, ablato obice reviviscunt.*

Quarta conclusio: Confirmatio & Ordo, si validè suscipiantur sed infructuosè, postea ablato obice reviviscunt: ita Sanctus Thomas in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2. qu. 3. ad tertium, Suarez disp. 28. sect. 6. Coninck quæst. 62. art. 1. dub. 5. num. 75. Tannerus disput. 3. quæst 3. dub. 4 n. 131. & alii contra Sotum in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. & Vasquez disp. 161. cap. 2. qui hoc adscribunt soli Baptismo.

III. *Offenditur hæc duo Sacramenta reviviscere.*

Probatur tamen conclusio primò ratione Sancti Augustini, quæ in his Sacramentis æquè urget ac in Baptismo, sunt enim opus Christi vim habens sanctificandi, perpetuò manens incorruptum propter indelebilem characterem, ergo eodem modo conferent effectum ac Baptismus: quo etiam arguendi modo utitur Sanctus Thomas. Secundò: Quia cùm hæc Sacramenta à Deo ordinata sint ad subveniendum hominibus ad ea ritè peragenda, quæ ad statum, in quo per illa constituuntur, pertinent, non videtur expediens, ut quis perpetuò iis auxiliis orbetur quæ per hæc Sacramenta conferuntur, & licèt hæc ratio solùm probet directè de gratiâ actuali, seu auxiliante, consequenter tamen probat de habituali, seu justificante, quæ est radix & fundamentum ad auxilia actualia obtinenda.

IV. *Dices: Hæc duo Sacramenta non sunt absolutè ad salutem necessaria, sicut Baptismus.*

Objicit Vasquez, hæc Sacramenta quamvis iterari non possint, non tamen sunt ad salutem simpliciter necessaria, ergo licèt reviviscat Baptismus, non tamen est cur quis dicat ista reviviscere. Respondetur: Etsi non sit simpliciter necessarius ad salutem horum Sacramentorum effectus, est tamen necessarius secundùm quid, seu valdè conducens ad finem horum Sacramentorum consequendum, & licèt Sanctus Augustinus de solo Baptismo hoc affirmet, non tamen negat de aliis, & ratio ipsius non minùs de iis probat, quàm de Baptismo.

V. *Probabile est Matrimonium etiam & Extremam-Unctionem, si fictè suscipiantur, revivisc ere.*

Quinta conclusio: Idem probabiliter de Matrimonio & Extremâ Unctione dicendum: ita Suarez, Tannerus, Coninck, & alii conclusione præcedente citati. Ratio est, quia aliquâ ratione sunt initerabilia hæc Sacramenta, illud vivente conjuge, unde hominem constituit in statu perpetuo quodammodo & immutabili, hoc durante eâdem ægritudine: non est ergo cur hujusmodi hominem dicamus privari toto illo tempore auxiliis iis, quibus ad benè ex hac vitâ migrandum esset disponendus, & ut benè Suarez loco citato, si non posset homo suscipiens fictè Extremam Unctionem postea ablatâ per Pœnitentiam fictione, fructum Sacramenti consequi, sine causâ ita institutum fuisset hoc Sacramentum, ut durante eâdem infirmitate iterari non possit.

VI. *Quid si quis obicem non tollat, nisi post mortem conjugis, aut recuperatâ valetudine.*

Quæres: Quid sentiendum si obex toto eo tempore, quo durat necessitas effectus horum Sacramentorum non tollatur, sed solùm cessante illâ necessitate, ut si quis non agat Pœnitentiam ante mortem conjugis, nec antequam valetudinem recuperaverit, sed tunc primò dispositionem ad effectum Sacramenti consequendum necessariam ponit. Coninck num. 76. & 77. negat tunc reviviscere hæc Sacramenta, cùm Matrimonium non ampliùs perseveret, sed iterari possit, nec ulla ampliùs sit effectus illius Sacramenti necessitas, quod etiam affirmat de Extremâ Unctione. Suarez utrumque putat probabile, primum ob rationem jam positam, secundum, quia sicut in lege cessante illius fine non statim cessat legis obligatio, quando cessatio finis tantùm est negativa, non contraria, ita inquit contingere potest in fine Sacramenti, etsi enim occasione illius finis sit institutum, cùm tamen sit quid bonum & sanctum, conferetur effectus etiam cessante fine negativè, ut contingit in lege.

VII. *Eucharistia Sacramentum fictè susceptum non reviviscit.*

Sexta conclusio: Probabilius videtur Sacramentum Eucharistiæ non reviviscere: ita Sanctus Thomas in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. qu. 3. ad 3. Durandus, Major, Sanctus Bonaventura, Halensis, Coninck num. 78. Tamerus num. 133 Suarez disp. 64. sect. 8. Probatur primò: Si enim Eucharistia reviviscere, sequeretur aliquem, qui millies sacrilegè ad sacram communionem accessisset, si postea ipsum verè facti pœniteat, ingentem simul gratiæ cumulum recepturum, quod indignum videtur. Secundò & à priori, quia cessant hîc rationes, ob quas alia Sacramenta diximus reviviscere, nempe quia vel iterari non possunt omnino, vel saltem per se loquendo, non per diuturnum tempus, ut in Matrimonio contingit & Extremâ Unctione, Sacramentum autem Eucharistiæ sæpiùs frequentari sine difficultate potest. De Sacramento Pœnitentiæ quid sentiendum sit, suo loco dicetur.

SECTIO TERTIA.

Quæ dispositio ad Sacramentorum reviviscentiam requiratur.

I. *Effectus alicujus Sacramenti impeditur dupliciter, vel defectu dispositionis impeditur.*

Duobus modis contingere potest effectum Sacramenti impediri per fictionem, vel merè defectu dispositionis debitæ, ut si quis bonâ fide accedat ad Baptismum sine dolore & detestatione peccatorum, quæ ante Baptismum ab eo sunt commissa, vel ita ut in ipsâ susceptione committatur aliquod peccatum, ut si voluntatem habeat committendi homicidium, furtum, & cætera, aut si sciens attritionem requiri ad effectum Baptismi, adhuc sine eâ accedit.

II. *Ut Baptismus reviviscat, in quibusdam casibus sufficit attritio.*

Prima conclusio: In eo qui inculpabiliter fictus accedit, & nec in ipsâ susceptione Baptismi, nec post eum jam susceptum peccavit mortaliter, sufficit sola attritio, ut Baptismus reviviscat, & peccatum originale ac reliqua omnia ante Baptismum commissa tollat: ita Doctores communiter, paucis exceptis, quos supra retulimus, qui ad omne Sacramentum, ut fructuosè susciptatur, requirunt contritionem. Probatur conclusio: Baptismus siquidem idem est reviviscens & primò susceptus, ergo eadem dispositio, quæ sufficit ad effectum Baptismi quando confertur, sufficiet postea, cùm nullum novum impedimentum jam ponatur quod non

non fuit in susceptione Baptismi, nam ut supponimus, nullum novum peccatum est commissum, Baptismus autem eandem habitudinem ad omnia peccata ante ipsum commissa retinet, ubi novum non invenit obicem.

III. *Nunquam negat S. Augustinus attritionem interdum sufficere ut Sacramentum reviviscat.*

Dices, totum fundamentum, quod habemus ad asserendum Sacramenta reviviscere, desumitur ex Sancto Augustino, sed Sanctus Augustinus nunquam asseruit sufficere in hoc casu solam attritionem, ergo. Contra: Nec unquam negavit; nec enim Sanctus Augustinus hanc quæstionem disputat, imò non aliam requirere videtur dispositionem, quàm unionem cum Ecclesiâ: potest tamen nostra sententia ex Sancto Augustino colligi; dum enim dicit Sacramenta quando reviviscunt, remittere peccata vi suâ, & ex opere operato, non videtur quomodo possit talem dispositionem ut necessariam requirere, quæ per se ad peccata delenda sufficiat; cùm ergo peccatum ante Baptismum commissum, in tantum sit obex, in quantum est interpretativè voluntarium, & attritio illud tollat in hac ratione voluntarii, sufficienter tollit obicem; nec enim, ut volunt aliqui, ad hoc ut tollatur obex debet tolli peccatum simpliciter, sed in ratione voluntarii, ut insinuare videtur Sanctus Thomas quæst. 69 art. 10.

IV. *Baptismus etiam subinde reviviscit per attritionem respectu peccatorum in ipsâ Baptismi susceptione commissorum.*

Secunda conclusio: Peccata etiam in ipsâ baptismi susceptione commissa, si ante instans illud quo Baptismus validè completur, perficiantur, remittuntur per eundem Baptismum reviviscentem, & ad illorum remissionem sufficit attritio. Ratio est eadem de his peccatis, ac de aliis ante Baptismum commissis, cùm hæc etiam re ipsâ ante Baptismum committantur; non enim est Baptismus completus antequam materia ejus & forma complete sint posita.

V. *Peccatum quod ante Baptismum perfectum committitur, potest per hunc ipsum Baptismum remitti.*

Tertia conclusio: Si quis tamen ante pronunciationem ultimæ syllabæ formæ habeat attritionem de peccato illo tempore susceptionis Baptismi commisso, probabile videtur remitti illud cum originali & reliquis omnibus per ipsum Baptismum tunc collatum. Probatur: Quia tunc eo tempore, quo gratia per Sacramentum est conferenda, nullus ponitur obex, ergo non impedit efficaciam Sacramenti, ergo Sacramentum tunc habebit effectum, critque & validum & formatum, cùm omnia non ad valorem solùm, sed etiam ad effectum ponantur.

VI. *Res hac declaratur exemplo ex naturalibus desumpto.*

Quod ulteriùs declaratur: Licèt enim lignum, quando quis incipit primò illi applicare ignem, non sit sufficienter dispositum ad formam ignis recipiendam, si tamen ante ultimum instans quo jam est ignis applicatus, & potens agere in materiam illam, sit dispositum, ignis agit, & formam suam producet; sic licèt quando primò incipit applicari Sacramentum per aspersionem aquæ & prolationem formæ, subjectum non sit dispositum ad gratiam & effectum Sacramenti, si tamen sit dispositum quando Sacramentum jam est applicatum, habebit effectum.

VII. *Peccatum commissum antequam Baptismus plenè perficiatur, non est materia confessionis.*

Quarta conclusio: Hoc peccatum non magis est materia confessionis, quàm sint alia peccata ante Baptismum inceptum commissa. Probatur: nam juxta Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. de Pœnitentiâ, peccata ante Baptismum commissa non subsunt clavibus, cùm Ecclesia, ut docet Apostolus primæ ad Corinthios 5. de iis, qui foris sunt non judicet, foris autem est qui non est baptizatus, cùm Baptismus sit janua Ecclesiæ, ac proinde cùm ante ultimæ syllabæ pronunciationem non sit quis baptizatus, peccatum omne quod ante illius prolationem committitur, & perficitur, fit à non baptizato, & non est materia confessionis.

VIII. *Peccatum durans illo instanti quo completur Baptismus, non potest tunc remitti per Baptismum.*

Quinta conclusio: Si peccatum aliquod tempore Baptismi commissum, duret illo instanti, quo jam completur Baptismus, non potest remitti tunc per Baptismum. Ratio est clara; Baptismus enim non potest remittere peccatum eo instanti quo peccatum est; sic enim simul esset & non esset peccatum illud, sed eo instanti, quo Baptismus completur peccatum illud est, ut supponitur, ergo, & cætera.

IX. *Majorem gratiam meliùs dispositè confert Sacramentum reviviscens.*

Sexta conclusio: Sacramentum reviviscens majorem gratiam confert meliùs dispositè: ita Vasquez disp. 159. num. 59. Tannerus hîc, disp. 3. quæst. 3. num. 71. Præpositus quæst. 63. art. 10. num. 18. Suarez verò disp. 28. sect. 4. §. *duos potùi*, problematicè utrumque defendit, scilicet & Sacramentum reviviscens positâ meliori dispositione plus gratiæ conferre, & non dependere in intensione gratiæ ab intensione & perfectione dispositionis, sed quacumque dispositione positâ gratiam semper minimam dari quando Baptismus fictè susceptus reviviscit, & similem illi quæ datur infantibus: sed in hanc partem §. *atque in hunc modum* magis propendet. Coninck verò quæst. 62. art. 1. dub. 6. fine, secundum absolutè amplectitur.

X. *Ratio Assertionis est, quia Sacramentum reviviscens idem est ac primo collatum.*

Nostra tamen conclusio probatur primò: Sacramentum enim idem est reviviscens & primò susceptum, ergo non minùs est efficax, si ponantur omnia paria dum reviviscit, quàm dum primò confertur, sed quando primò confertur dat gratiam secundùm diversitatem dispositionis, ergo & quando reviviscit. Confirmatur: Baptismus reviviscens quoad alios effectus eodem modo se habet sicut quando primò confertur; tollit enim omnem pœnam temporalem peccatis ante Baptismum commissis debitam, ut fatetur Pater Coninck dub. 5. num. 74. confert jus ad gratiam actualem & specialia auxilia, ut admittit idem numero 75. non de Baptismo solùm, sed de Confirmatione etiam & Ordine, quidni ergo idem dici poterit de diversitate effectus secundùm diversitatem dispositionis. Confirmatur secundò: Res omnes quò perfectiores dispositiones inveniunt in subjecto, eò perfectiùs operantur, & perfectiorem in illud formam inducunt, ergo & Sacramentum.

XI. *Meliùs dispositè dari intensiorem gratiam per Sacramentum reviviscens, ostenditur ex Concilio Tridentino.*

Secundò probatur: Nam ut supra vidimus disp. 64. sect. 6. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. universim affirmat quando justificamur gratiam infundi secundùm propriam cujusque dispositionem. Confirmatur: Sicut namque in primâ justificatione, ita & in reviviscentiâ, præsertim si inculpatè fictus accessit, videtur rationi consonum, ut qui elicit attritionem ut centum plus gratiæ recipiat, quàm alter, qui solùm habet attritionem ut duo, alioqui frustra omnem conatum illùm adhiberent homines, item redderentur negligentes in se ad effectum Sacramenti recipiendum præparando, & argumenta omnia hîc recurrunt, quæ loco proximè citato posuimus in primâ susceptione.

XII. *Non refert dispositionem illam non esse dispositionem ad Sacramentum, sed ad effectum Sacramenti.*

Dices primò: Dispositio illa non est dispositio ad Sacramentum, sed ad effectum Sacramenti. Contra: Nec in primâ susceptione; Baptismus enim sine hac dispositione, ut supponimus, est verum Sacramentum, alioqui non esset validus & informis. Respondetur ergo, sufficere quòd sit dispositio ad effectum Sacramenti; de hoc enim

procedit quæstio: unde etiam in aliis rebus dispositiones requiruntur, non ut causa sit, sed ut operetur, calor scilicet intensus in passo, non conducit ut ignis producturus alium ignem, sit, sed ut formam ignis in subjecto producat.

XIII. *Objic. Sacramenta applicari non debere ad effectum incertum.*

Dices secundò cum Patre Coninck citato, non debere applicari Sacramenta ad effectum incertum, hoc autem sequi videtur in nostrâ sententiâ, jam enim Baptismus est collatus, effectus verò est incertus, cùm major vel minor esse possit pro diversitate dispositionis. Respondetur, Deum non applicare merita Christi per Sacramentum ad effectum incertum; per Sacramentum enim fictè susceptum non omnino applicat Christi merita ad ullum effectum, nec nisi positis dispositionibus & omnibus ad effectum requisitis: sic etiam non applicat Deus concursum suum cum causis naturalibus ad incertum effectum, sed prævisis dispositionibus in particulari ad hoc vel illud metallum concurrit cum Sole ad illud producendum, cum dispositionibus ranæ ad ranam, plantæ ad plantam, &c.

XIV. *Etiam juxta adversarios non semper applicantur Sacramenta ad certum effectum, non prævisis dispositionibus.*

Idem cum proportione est de Sacramentis, præsertim cùm etiam juxta adversarios plura vel pauciora peccata venialia per Baptismum vel primò collatum, vel reviviscentem tollantur juxta diversitatem dispositionis, ergo universim non est verum applicari per Sacramentum merita Christi ad certum effectum non prævisis dispositionibus. Antea ergo non erat voluntas omnino absoluta, sed conditionata, positis autem conditionibus transit in absolutam.

XV. *Objic. Ergo homini illi peccatum & fictio prodest.*

Dices tertiò: Ergo illi, qui fictè accedit, prodest fictio illa & peccatum, qui enim recipit Sacramentum cum attritione ut duo, minùs gratiæ sacramentalis accipiet quàm alter, qui fictè accessit, & postea atteritur cum dolore ut decem. Respondetur, hunc plus gratiæ recipere, non tamen ratione peccati, sed melioris dispositionis, peccatum verò aut indispositio potiùs einocuit, cùm effecerit ut gratiâ toto illo tempore caruerit, si enim ad Sacramentum dispositus accessisset, gratiam tunc accepisset, & si cum perfectâ dispositione, gratiam intensam.

SECTIO QUARTA.

Adjiciuntur nonnulla, circa dispositionem ad Reviviscentiam Sacramentorum requisitam.

I. *Baptismus per Contritionem revivisces plus gratiæ confert, quàm revivisces per attritionem.*

SEPTIMA conclusio: Quando Baptismus reviviscit per contritionem, plus gratiæ confertur subjecto, quàm si per attritionem reviviscaret. Probatur primò, quia contritio est melior dispositio, quàm attritio, ergo vel ex hoc capite perfectior erit illius effectus. Secundò, quia sicut in naturalibus pluralitas causarum juvat ad perfectiorem effectum, ita & in supernaturalibus; cùm ergo hîc concurrat simul contritio & Baptismus, effectus erit præstantior. Quod etiam dicendum, si quando fortè duo Sacramenta, Baptismus exempli gratia & Pœnitentia simul in eâdem gratiæ collatione conjungerentur: de quo postea.

II. *Baptismus per contritionem revivisces non dat primam gratiam, sed gratiæ augmentum.*

Conclusio octava: Quando Baptismus reviviscit per contritionem, Baptismus non confert primam gratiam, nec aufert peccatum, sed solum dat augmentum gratiæ, saltem formaliter loquendo, nam realiter fortè utraque simul primam gratiam producit, ac proinde in hoc sensu formali non ex æquo tanquam una vel duplex causa totalis, ut volunt recentiores aliqui, concurrit Baptismus & contritio ad eandem gratiam, sed contritio in hoc casu dat primam gratiam, Baptismus illam auget: ita Vasquez disp. 159. cap. 3. num. 22. & clariùs disp. 160. c. 2. n. 24. ac probabile putat Coninck quæst. 62. art. 1. d. 6. num. 101.

III. *Ostenditur Sacramentum in hoc casu non conferre primam gratiam, sed tantum gratiæ augmentum.*

Secunda pars conclusionis manifestè sequitur ex primâ; si enim contritio pro aliquo priori operetur, quàm Baptismus, & in illo priori gratiam aliquam conferat, jam pro illo priori peccata omnia remittuntur, ergo operatio Baptismi in posteriori naturæ subsequens, esto ad gratiam aliquam terminetur, non tamen ad remissionem peccatorum.

IV. *Contritio hic & nunc est dispositio ad effectum Baptismi, ergo pro illo priori confert gratiam.*

Prima itaque pars: Quòd scilicet contritio in hoc casu pro aliquo priori tollat peccata omnia, probatur; contritio est dispositio requisita ut baptismus operetur & gratiam conferat, sed pro illo priori confert gratiam, ergo pro aliquo priori confert gratiam, quàm eam conferat Baptismus. Confirmatur: Contritio ut conferat gratiam est independens à Baptismo, sive enim esset in hoc casu aliquis Baptismus, qui reviviscaret, sive non, gratiam conferret; nec enim minores habet vires contritio in his circumstantiis, quàm in ullis aliis, sed Baptismus ut gratiam hic & nunc conferat pendet à contritione, ergo contritio in collatione gratiæ est prior, quàm Baptismus, ergo pro illo priori operatur, & peccatum tollit, ergo pro posteriori non potest illud tollere Baptismus, sed solùm gratiam per contritionem datam augere.

V. *Pars semper est prior toto, cùm ergo Contritio hic sit pars Baptismi ut operantis, erit prior illo.*

Secundò probatur: In composito aliquo semper pars est prior toto, ergo contritio hic in productione gratiæ priùs est operativa, quàm Baptismus: patet consequentia, contritio est pars, & ut pars seu secundùm se sumpta, est apta producere gratiam, Baptismus autem non nisi ut totum quoddam agit, seu ut conjunctus cum contritione, sed totum, seu quod non operatur nisi ut conjunctum cum alio est posterius in virtute operandi illo quod non habet hujusmodi dependentiam, & ut pars etiam aptitudinalis operatur, ergo.

VI. *In illo signo quo Baptismus est potis agere, contritio agit, & producit gratiam.*

Probatur tertiò: Baptismus est potens producere gratiam uno signo seriùs quàm contritio, ergo pro illo priori signo aget contritio, & in eodem signo, quo Baptismus est potens producere gratiam, jam gratia existit, ergo non potest esse effectus Baptismi, cùm causa & effectus pro eodem signo esse non possint.

VII. *Objic. Etsi una ex concausis sit posterior aliâ, potest tamen utraque simul ad eandem effectûs concurrere.*

Dices: Quòd una ex concausis sit naturâ posterior aliâ non obstat quo minùs per modum unius causæ totalis concurrere simul possint ad tertium aliquem effectum; sic enim licèt species visibilis materialiter producatur ab oculo, in quo recipitur, de facto tamen simul cum oculo concurrit ad actum visionis, nec priùs concurrit oculus quàm species, vel è contra, sed utrique indivisibiliter respondet effectus. Respondetur, latam esse disparitatem; nec enim oculus solus sine specie, nec species sine oculo potens est producere visionem, ac proinde neutra causa est pro ullo priori apta operari quàm totum, hic verò Contritio est causa sufficiens sine Sacramento, non econtra. Unde in exemplo allato, si oculus solus sine specie esset potens producere visionem, pro eodem signo quo speciem produceret, produceret visionem; species autem tunc cum

cum oculo ad visionem non concurreret nisi pro signo sequente, sicque vel ad illam conservandam, vel intendendam.

VIII. *Aliud hic est de Contritione & Baptismo, ac de duobus actibus meritoriis circa augmentum gratia.*

Unde non est paritas in exemplo quod afferunt, ad suam sententiam declarandam, dicunt enim eodem modo se habere in hoc casu contritionem & Baptismum ad primam gratiam, sicut se habent duo actus meritorii in eodem instanti eliciti ad illius augmentum, ad quod respondeo, vel actus istos meritorios esse inter se subordinatos, fidem exempli gratia & Charitatem, tunc autem dico nullam esse rationem cur cùm fides sit prior charitate, non possit priùs quàm illa operari, & mereri augmentum gratiæ, cùm operetur instar causæ necessariæ: si autem ponantur duo actus meritorii disparati, ut actus patientiæ & temperantiæ, non est mirum illos concurrere per modum unius causæ totalis, cùm neuter actus pro ullo priori aptus sit priùs operari, quàm alter, sicque concurrunt simul, licèt ad majorem gratiam, quàm daretur ob ullum ex iis sigillatim sumptum, hoc autem non contingit inter contritionem & Baptismum.

IX. *Hæc doctrina non pugnat cum eâ, quam supra tradidimus.*

Hinc infero: Si nihil aliud quàm hoc velit sententia illa, quam superiore sectione impugnavi, non esse eam omni ex parte improbandam, re tamen verâ aliud volunt illius Auctores, cùm & contritionem in eo casu ad gratiæ infusionem necessariam esse asserant, & Baptismum nullam gratiam conferre, quod est negare Baptismum unquam revivisscere contra Sanctum Augustinum, & Theologos communiter: quod verò ibidem diximus nullum peccatum remitti nisi per Sacramentum, vel votum Sacramenti, intelligi debet de voto saltem implicito aut conditionato, contritio autem in hoc casu est hoc modo votum baptismi, licèt sit jam susceptus; contritus enim ita ex vi contritionis est dispositus, ut si non esset susceptus Baptismus, eum susciperet.

SECTIO QUINTA.

Quid de ipso peccato fictionis, & aliis tempore Baptismi commissis. sentiendum.

I. *Peccatum fictionis, & mortalia post Baptismum fictè susceptum commissa remitti nequeunt per solum Baptismum revivisscentem*

PRIMA conclusio: Probabilius mihi videtur peccatum ipsum fictionis, seu indignam susceptionem Sacramenti, & à fortiori mortalia omnia post Baptismum fictè susceptum, antequam reviviscat, commissa, non posse tolli per solum Baptismum revivisscentem & attritionem, sed necessariò requiri simul cum Baptismo concursum Pœnitentiæ aut alterius Sacramenti, vel contritionis, quæ sit votum Pœnitentiæ: ita Sanctus Thomas quæst. 69. art. 10. ad secundum, Suarez disp. 28. sect. 5. Vasquez disp. 159. cap. 3. n. 22. Coninck quæst. 62. art. 1. dub. 6. num. 95. & alii.

II. *Procedit conclusio de eo, qui intendit susciperè Sacramentum, habet animum grave aliquod peccatum committendi.*

Declaratur conclusio: Accedit adultus quispiam ad Baptismum cum animo verè illum suscipiendi, simul tamen habet animum furandi, aut aliud peccatum committendi, sciens autem hoc impedire effectum Sacramenti ponit sponte obicem, & committit peccatum Sacrilegii, quod vocatur peccatum fictionis, estque distinctum à reliquis secundùm peculiarem malitiam impediendi effectum Sacramenti. Non tamen ad peccatum fictionis est necessarium, ut in instanti quo completur Baptismus habeat voluntatem committendi aliquod aliud peccatum, sed sufficit si advertens attritionem vel aliquem alium actum esse necessariam dispositionem ad fructum Sacramenti, hanc tamen dispositionem negligat, & hoc peccatum tantùm habet malitiam fictionis, seu Sacrilegii; si enim per aliud peccatum impediat fructum Sacramenti, peccatum illud habet duplicem malitiam, nempe in propriâ specie, & sacrilegii.

III. *Peccatum fictionis aliquo modo subsequitur Baptismum.*

Ante probationem conclusionis supponendum, juxta Sanctum Thomam, & omnes peccatum fictionis esse subsequens aliquo modo Baptismum, licèt in eodem cum eo instanti reali finiatur, & verè esse hominis baptizati: ad cujus intelligentiam notandum ex Suario disp. 28. sect. 5. Vasquez disp. 159. & aliis, peccatum fictionis quà tale, naturâ subsequi Baptismum, & impressionem characteris; Baptismus enim & character impressus, est naturâ prior gratiâ, eámque exigit, nisi ponatur obstaculum, unde peccatum fictionis quà tale posteriùs aliquo modo naturâ accedit, quàm Baptismus & character, & interponit se quasi inter illum & effectum alioqui sequuturum, sicut ignis productus in materiâ ligni cum calore ut septem, petit statim habere calorem ut octo, si tamen unus gradus frigoris sit in subjecto, impedit quo minùs calorem illum habeat.

IV. *Peccatum fictionis est peccatum commissum post Baptismum.*

Probatur itaque conclusio primò: Peccatum fictionis quà tale est peccatum commissum post Baptismum, ut fatentur omnes, nam ut benè Vasquez citatus, priùs est esse baptizatum, quàm malè baptizatum, ergo est materia Sacramenti Pœnitentiæ & subjectum clavibus, & consequenter Pœnitentia ordinatur ad hoc peccatum remittendum, quod etiam affirmat Sanctus Thomas, & omnes, sed in contrariâ sententiâ sequitur nunquam posse Pœnitentiam remittere hoc peccatum, ergo: sequelâ probatur, peccatum fictionis semper priùs vel naturâ, vel tempore tollitur, quàm ponatur Sacramentum Pœnitentiæ, ergo Pœnitentia nunquam potest illud tollere, & consequenter frustra à Christo fuisset instituta ad hoc peccatum auferendum.

V. *Priùs semper vel naturâ vel tempore peccatum fictionis tollitur, quàm existat pœnitentia.*

Quòd vero priùs naturâ semper vel tempore tollatur peccatum fictionis antequam existat Pœnitentia, probatur; nam juxta priorem sententiam ad hoc peccatum remittendum, imò & omnia alia ante & post Baptismum fictè susceptum commissa, sufficit attritio cum Baptismo revivisscente, sed semper ante Sacramentum Pœnitentiæ completum elici debet attritio, ergo semper priùs remittitur peccatum fictionis, quàm ponatur aut poni possit Pœnitentia, ergo sine ullâ causâ institutum fuisset hoc modo Sacramentum Pœnitentiæ, cùm semper supponat effectum suum primarium, ad quem præcipuè ordinatur, positum. Confirmatur: Propterea communiter rejiciunt Theologi opinionem illam, quæ ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requirit contritionem tanquam dispositionem necessariam, quia scilicet Sacramentum Pœnitentiæ nunquam tribueret suum effectum, nec peccatum remitteret, cùm semper illud supponat remissum.

VI. *Objic. Peccata priùs remissa sunt materia Sacramenti pœnitentiæ.*

Dices primò: Secundùm communem sententiam peccata vel per contritionem, vel Sacramentum Pœnitentiæ priùs deleta, sunt materia confessionis, & non licitè solùm, sed laudabiliter subjiciuntur clavibus, & tamen in his semper Pœnitentia supponit effectum suum collatum, cùm

cùm deleta jam sint illa peccata. Respondetur primò: Saltem Sacramentum Pœnitentiæ potest hæc peccata secundùm se remittere, per accidens autem est quòd sint remissa, cùm nihil præcedens Pœnitentiam illa necessariò tollat: unde nil mirum si sint illius materia, peccatum autem fictionis nunquam potest per Pœnitentiam auferri secundùm hanc sententiam, quod tamen & est contra Sanctum Thomam articulo illo decimo, & Sanctum Augustinum libro primo de Baptismo contra Donatistas cap. 12. ubi sic habet: *Sicut enim in illo qui fictus accesserat, fit ut non denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione, & verâ confessione purgetur*, &c. ubi docet Sanctus Augustinus per confessionem & Sacramentum Pœnitentiæ auferri peccatum fictionis.

Resp. Posse saltem hæc peccata secundùm se à Sacramento pœnitentiæ remitti.

VII. *Quas ob causas peccata priùs deleta subjiciantur clavibus.*

Deinde peccata priùs deleta non iterum subjiciuntur clavibus ut denuò remittantur; hoc enim esset actum agere, sed vel quia sumus incerti an adhuc sint remissa, vel ut à secundariis quibusdam vinculis, quibus per peccata irretiuntur homines, ulteriùs per Pœnitentiam liberentur, ut vult Caïetanus, & alii: vel tandem ut indignitas ad suscipienda divina beneficia, quæ semper post peccatum manet in hac vitâ, magis ac magis per Sacramentum Pœnitentiæ minuatur, ut contendit Coninck disput. 4. de Pœnitentiâ dub. 8. qua de re dicetur postea.

VIII. *Peccatum fictionis directè & per se spectat ad pœnitentiam.*

At verò ad Sacramentum Pœnitentiæ directè & per se spectat hoc peccatum tanquam per illud remittendum, ut docent Patres: Imò Concilium ipsum Tridentinum sess. 14. cap. 1. & 2. expresè docet, in hoc differre Sacramentum Pœnitentiæ à Baptismo, quod hic peccata eorum quæ foris sunt respiciat, Pœnitentia verò minimè, sed ad hanc peccata illa sola & omnia spectent, quæ committuntur à domesticis fidei, & hoc remedium iis institutum esse asserit tanquam secundam post naufragium tabulam, & directè ac per se ordinatum esse ait hoc Sacramentum ad tollendum peccata post Baptismum commissa, sed secundùm hanc sententiam Sacramentum Pœnitentiæ nunquam potest hoc peccatum remittere, ergo instituitur ad effectum impossibilem, cùm instituatur ut destruat id quod est destructum, quod non minùs est impossibile, quàm si causa aliqua à naturâ instituta fuisset ad ignem extinctum extinguendum.

IX. *Objic. Idem secundùm probabilem sententiam potest secundò producere seipsum.*

Dices secundò: Idem potest producere se secundò juxta probabilem sententiam, quam secutus sum in physicis, ergo potest dari forma aliqua, quæ essentialiter supponat effectum suum jam positum: Patet consequentia: hæc secunda actio, quâ res producit se, est vera illius rei productio, & tamen necessariò supponit rem illam jam pro aliquo priori productam, quod enim operatur, sit necesse est, esse autem non potest sine actione aliquâ productivâ. Respondetur, maximam esse differentiam, hîc enim res non privatur eo effectu ad quem dicit ordinem; nec enim petit producere se primò & simpliciter, sed solùm secundò & secundùm quid; hæc enim secunda actio non est productio simpliciter, cùm non sufficiat ad rem vel primò ponendam, vel conservandam extra causas, Pœnitentia autem omnino destituitur suo effectu, ad quem primariò ordinatur, cùm semper necessariò supponat Baptismum in actu primo proximo ut reviviscat, & saltem attritionem, quâ positâ priùs semper quàm existat Sacramentum Pœnitentiæ reviviscit Baptismus secundùm hanc sententiam, & peccatum illud tollit. Deinde diversa ratio est de productione rei & destructione; inconceptibile enim est quomodo id quod destructum est, possit iterum destrui nisi iterum producatur, at verò cur secundò res à se producatur vel conservetur potiùs, nulla est implicantia, sicut juxta communem sententiam potest res aliqua secundò vel reproduci, vel conservari à suo effectu, ut ignis A. ab igne B. quem actu producit.

Resp. Latam esse disparitatem inter illud & Sacramentum pœnitentiæ respectu remissionis hujus peccati.

Dices tertiò: Etiam in destructione potest aliquid ad hunc effectum ordinari, in quo tamen semper prævenitur ab alio, ergo & hoc habere potest Pœnitentia: antecedens probatur, forma ignis exempli gratia, sicut & quævis alia substantialis, habet à naturâ quòd possit expellere formam ligni aut aliam quamvis substantialem, & tamen semper prævenitur in hoc effectu, idque ab eo quod ad sui existentiam petit, & consequenter directè & per se, ergo; probatur minor, semper priùs ad productionem formæ cujuscumque substantialis debent exigentiâ illius formæ esse in passo dispositiones ad formam illam requisitæ, sed hæ destruunt formam præcedentem, destruere enim (de causali destructione est sermo) nihil est aliud, quàm petere subtractionem concursus divini, hanc verò petunt dispositiones proximæ ad aliam formam, cùm auferant dispositiones ad illam, nulla autem forma existere potest naturaliter sine dispositionibus, ut constat, ergo &c.

X. *Objic. Etiam in destructione potest aliquid semper prævari effectu, ad quem ordinatur.*

Respondetur primò: Licèt concederemus totum, nihil contra præsentem assertionem, forma enim substantialis ordinatur ad destructionem alterius secundariò solùm & indirectè, sicut & formæ accidentales; habent enim alia munera, ad quæ à naturâ ordinantur, hæ ut disponant subjectum ad inductionem formæ substantialis, ut eam juvent in operationibus, &c. illa ut constituat compositum, ut sit prima radix operationum & cætera, destructio autem non intenditur primariò & directè à naturâ; nemo enim intendens ad malum operatur. Sacramentum verò Pœnitentiæ primariò institutum est ad delenda peccata omnia hominis baptizati, & domestici fidei, ut supra vidimus ex Tridentino, & secundùm Patres eodem modo respicit Pœnitentia hoc peccatum, atque alia post Baptismum commissa

XI. *Resp. Quamvis totum hoc de formis concederetur, nihil faceret contra nostram assertionem.*

Secundò ad argumentum respondetur negando antecedens, & ad probationem, minorem, ad cujus probationem dico dispositiones ad formam ignis exempli gratia, non petere directè & immediatè destructionem formæ ligni, sed mediatè tantùm, nempe per formam ignis, ad quam disponunt. Ad cujus intelligentiam notanda signa rationis, quæ hîc intercedunt. In primo ergo signo agens (ignis exempli gratia) est applicatum passo, in secundo inducit suas dispositiones, in tertio expelluntur dispositiones contrariæ, & forma ignis introducitur, in quarto demum expellitur forma ligni: itaque expulsio dispositionum ligni, & productio formæ ignis sunt in eodem signo, & effectus disparati respectu productionis dispositionum formæ ignis, ergo sufficiente prioritate exiitit forma ignis ad expellendum formam ligni, nec supponit effectum ad quem ordinatur, nec ob oppositionem formalem & immediatam cum formâ ligni tollunt dispositiones ignis formam ligni, sed solùm mediatè & quasi impediendo finem ad quem ordinatur, cùm operari sine dispositionibus non possit, esse autem est propter operari.

XII. *Dispositiones ad formam ignis non petunt immediatè expulsionem formæ ligni.*

Secundò

XIII. *Peccatum fictionis est peccatum subjectum clavibus, ergo tolli nequit per solum Baptismum.*

Secundò probatur conclusio: Peccatum fictionis est peccatum subjectum clavibus, ergo non potest tolli per solum Baptismum. Dices, non posse per se, sic tamen per accidens. Contra primò: Non ob aliud peccata clavibus subjiciuntur, quàm ut Ecclesia de iis judicet, nec ob aliud de iis debet ferre judicium Ecclesia, nisi quia per se loquendo ipsi datur, ut in foro Pœnitentiæ remittantur: cùm ergo omnino non possit hoc peccatum remittere, nec per se, nec per accidens, non spectat ad illius judicium. Contra secundò: Quandocumque, ut supra dixi, aliquod peccatum remittitur per accidens ab uno Sacramento, semper est in ordine ad aliud Sacramentum, à quo remitti deberet per se; sic quando Eucharistia aut aliud Sacramentum vivorum tollit per accidens peccatum in homine accedente bonâ fide, sit hoc cum ordine ad Pœnitentiam, ad quam peccati illius remissio spectat per se.

SECTIO SEXTA.

Alia quædam circa peccatum fictionis.

I. *Qui novit se à peccato illo cessasse antequam absolvatur Baptismus, non eget contritione, nec Sacramento Pœnitentiæ ut peccatum illud remittatur.*

Hinc infero: Si constaret illum, qui fictus accessit ad Baptismum cessare ab actuali illo peccato eo tempore vel instanti, quo Baptismus perficitur, non egere ipsum vel contritione vel Sacramento Pœnitentiæ ut peccatum illud remittatur, sed sufficere attritionem cum Baptismo reviviscente; rarò tamen hic casus contingit, ut advertit Suarez in eo, qui humano modo operans accedit ad Baptismum.

II. *Ad qua peccata remittenda requirantur simul Baptismus & Sacramentum Pœnitentiæ.*

Casu itaque quo fictus quispiam accedit ad Baptismum, requiritur per se loquendo Baptismus & Pœnitentia ad gratiam illi homini conferendam. Ratio est, quia sunt peccata diversæ rationis remittenda, nempe ante & post Baptismum; peccatum enim fictionis esse simpliciter peccatum post Baptismum commissum, & fatentur omnes, & præter dicta probatur, quia sicut actus boni eodem etiam instanti, quo gratia confertur, eliciti, si naturâ illam sequantur, sunt simpliciter hominis justificati, & vivi membri, ut ostenditur ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 32. & fatentur Theologi communiter, ita cùm hoc peccatum naturâ subsequatur characterem impressum, & Baptismum collatum, est simpliciter hominis baptizati. Cùm ergo unum peccatum mortale pro præsenti statu remitti non possit sine alio, cùm gratia, sine quâ de facto nullum peccatum remittitur, æqualem dicat oppositionem cum omnibus, consequenter gratia conferri non potest, nisi per eam causam, quæ peccata illa tanquam materiam suam respicit, sicque non nisi per Baptismum simul & Pœnitentiam, Baptismus ob peccatum originale requiritur, & alia ante Baptismum commissa, Pœnitentia ob peccatum fictionis, & alia post Baptismum jam susceptum.

III. *Objic. Peccatum fictionis indirectè saltem, & per accidens hic & nunc tollitur per Baptismum.*

Dices: Baptismus hîc indirectè saltem & per accidens tollit peccatum fictionis, & reliqua post Baptismum commissa, confert enim simul cum Pœnitentiâ primam gratiam, per quam peccata omnia ante commissa remittuntur, quidni ergo id præstare poterit cum attritione sine Pœnitentiâ. Confirmatur: Ut Sacramentum conferat effectum impeditum per obicem, sufficit quòd tollatur obex, sed obex sufficienter tollitur per attritionem, ut supra diximus de Confirmatione & Eucharistiâ conferentibus per accidens primam gratiam; nec enim tolli obicem est tolli peccatum simpliciter, sed in ratione voluntarii, hoc autem modo tollitur dum retractatur per attritionem, alioqui nunquam sufficeret attritio ut Baptismus & Pœnitentia tollerent peccata, quæ propriè ad ipsa pertinent.

IV. *Resp. Ostendendo quare ob causam nequeat Baptismus, ut indirectè quidem peccatum fictionis remittere.*

Ad argumentum respondetur, rationem cur non possit Baptismus id præstare esse, quia cùm aliunde habeamus ex Concilio Tridentino & Patribus hoc peccatum spectare ad Sacramentum Pœnitentiæ tanquam per illud remittendum, si Baptismus positâ attritione posset illud remittere, sequeretur Pœnitentiam nunquam posse illud remittere, nec per se, nec per accidens, cùm per se requirat Pœnitentia talem dispositionem antecedentem, per quam una cum Baptismo semper necessariò tollitur hoc peccatum, sicque frustra Christus hoc modo Sacramentum Pœnitentiæ instituisset, imò impossibile est, ut hoc modo illud instituerit.

V. *Attritio respectu diversorum Sacramentorum, diversimodè tollit obicem.*

Ad confirmationem dico, attritionem respectu diversorum Sacramentorum diversimodè tollere obicem, respectu Baptismi ad peccata ante Baptismum, & Pœnitentiæ ad peccata post Baptismum commissa, per se, respectu Confirmationis & aliorum Sacramentorum per accidens: ubi ergo sunt diversæ rationis peccata tollenda, ut hîc contingit, tollet quidem obicem, sed respectu causæ sufficientis ad hæc peccata tollenda, ad quorum unum requiri Pœnitentiam jam ostensum est.

VI. *Baptismus & pœnitentia in gratiâ conferendâ se hîc invicem juvant.*

Juvant se ergo invicem Baptismus & Pœnitentia ad gratiam hîc conferendam, sicut duo levantes idem pondus, ad quod unus solus est impar, vel sicut species & potentia ad actum visionis: vel potiùs in re morali, sicut, si quis per duas actiones, quibus injuriam duobus diversis inferens infamiam contraxisset, à quâ perdignitatis alicujus collationem esset liberandus. Verum est quidem à quocumque conferretur hæc dignitas, tolleretur infamia, conferri tamen à neutro potest sine concursu alterius.

VII. *Non leve ex Concil. Trid. desumitur argumentum ad ostendendum tam Baptismum quàm pœnitentiam ad peccati fictionis remissionem requiri.*

Quod verò fundamentum habeat hæc sententia in Concilio Tridentino, præter dicta constat ex sessione illâ 14. cap. 2. citato, ubi docet Concilium omnes, qui peccato aliquo, quale peccatum fictionis esse ostendimus, contaminati sunt, debere ante tribunal Pœnitentiæ tanquam reos sisti, ut per Sacerdotum sententiam ab eo liberentur. Tandem in fine capitis sic habet: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

VIII. *Quo sensu dicat S. Thomas peccatum fictionis tolli per pœnitentiam, reliqua per Baptismum.*

Quando verò Sanctus Thomas artic. illo 10. ad secundum dicit peccatum fictionis tolli per Pœnitentiam, reliqua verò per Baptismum, intelligendus est formaliter, nempe tribuendo singula singulis, rationem cur hîc requiratur Pœnitentia, esse peccatum fictionis, cur Baptismus alia peccata, licèt utrumque Sacramentum ad hunc effectum indivisibiliter concurrat. Secundò alii, & probabiliter dicunt, solùm velle Sanctum Thomam peccatum fictionis tolli directè per Pœnitentiam, non per Baptismum, licèt realiter ab hoc etiam tollatur, seu ita tolli, ut cesset omnis obligatio illud amplius confitendi, quod non fit quando per accidens per Eucharistiam, aut aliud Sacramentum datur prima gratia, & peccata remittuntur. Notandum verò Sanctum

Thomam

Thomam hîc nunquam asserere peccatum fictionis priùs tolli per Pœnitentiam, sed solùm illo ablato per Pœnitentiam, Baptismum tollere reliqua, nempe formaliter, & modo jam dicto.

IX. *Remissis per Baptismum reviviscentem peccatis, pœna etiam omnes peccatis ante Baptismum commissis debita remittitur.*

Secunda conclusio: Quando Baptismus reviviscit per Pœnitentiam, non solùm tolluntur peccata omnia mortalia, sed etiam pœnæ iis peccatis debitæ, quæ ante Baptismum fuerant commissa, non tamen omnis pœna respondens peccatis post eum commissis: ita Sanctus Thomas ad tertium: ratio est, quia licèt Baptismus in hoc casu necessariò tollat peccata commissa post Baptismum, cùm unum mortale remitti in hoc statu non possit sine alio, at verò pœnæ unius peccati mortalis remissio non est necessariò connexa cum remissione pœnæ alterius, saltem in ratione temporalis, ac proinde non alio modo pœna horum peccatorum remittetur, quàm si Baptismus non reviviscceret.

Tertia conclusio: Confirmatio, aut aliud Sacramentum fictè susceptum non reviviscit per solam attritionem, sed vel requiritur contritio, vel Pœnitentia. Ratio est eadem quæ pro primâ conclusione; Pœnitentia enim per se est instituta ad tollenda peccata omnia post Baptismum commissa, juxta dicta, unde de hoc peccato minor videtur difficultas quàm de fictione in Baptismo, cùm hoc non naturâ solùm, sed tempore Baptismum sequatur. X. *Confirmatio fictè susceptum non reviviscit per solam attritionem.*

Quarta conclusio: Si, ubi quis Baptismum fictè suscepit, postea eliciens actum attritionis accedat ad aliud Sacramentum præter Pœnitentiam, Confirmationem exempli gratia, vel Eucharistiam, putans bonâ fide se esse contritum, recipiet gratiam: ita Suarez sect. 5. conclusio. 4. Ratio est, quia quodvis Sacramentum, ut supra diximus, bonâ fide susceptum, potest per accidens conferre primam gratiam, & ex attrito facere contritum. XI. *Fictè Baptizatus accedens attritus ad Confirmationem putans se esse contritum, recipit gratiam.*

DISPUTATIO SEXAGESIMA SEPTIMA.

De Sacramentis Legis Scriptæ, & Legis Naturæ.

VARIA in Lege scripta fuisse Sacramenta indubitatum est; sacra enim Scriptura hoc apertè diversis locis indicat, ut in libro Exodi, Levitici, Numerorum, & Deuteronomii. Vnde in Concilio Florentino, decreto ad Armenos asserit Eugenius Pontifex Sacramenta Novæ Legis multùm differre à Sacramentis antiquæ. Evidenter ergo supponit Sacramenta quædam in antiquâ Lege extitisse: sed sicut veteris Legis Sacerdotium, seu Aaronicum in Sacerdotium Christi est mutatum, ita & antiquæ Legis Sacramenta, in Sacramenta Novæ: cùm enim umbræ tantùm fuerint ac figuræ nostrorum, his institutis cessarunt antiqua.

SECTIO PRIMA.

An Sacramenta Legis Mosaïcæ gratiam suscipientibus contulerint Ex opere operato.

I. *Quatuor antiqua Legis Sacramenta, Circumcisionem, Agnum Paschalem, Purificationes, & Consecrationem Sacerdotum numerat Doctor Angelicus.*

SANCTUS Thomas primâ secundæ, quæst. 102. art. 5. veteris legis Sacramenta ad quatuor reducit: *Circumcisionem*, quæ erat nota populi Dei, cui in lege nova successit *Baptismus*: *Agnum Paschalem*, quæ umbra quædam fuit, & figura *Eucharistiæ*, in hac quippe vera Agnus continetur qui hominum animas pascit ac nutrit: *Purificationes*, quibus in lege gratiæ respondet Sacramentum *Pœnitentiæ*; ut enim apud populum Israëliticum homines per illas ab immunditiis legalibus mundabantur, ita nunc per pœnitentiam mundamur à peccatis, ac demum ad Sacerdotum *consecrationem*, cui apud nos succedit *Ordo*.

II. *Confirmationi, Extremæ unctioni & Matrimonio dispositio*

Tribus aliis Legis novæ Sacramentis nullum respondebat in lege vetere Sacramentum, *Confirmatio* namque plenitudinem gratiæ, quæ legis novæ propria est, significat: *Extrema-unctio*

nio nullum respondebat in Lege vetere Sacramentum.

dispositio immediata est & præparatio ad ingressum in cœlum, cujus aditus ante Christi passionem ac mortem erat præclusus. Denique *Matrimonium*, quod naturæ nostræ cum verbo conjunctionem factam significat, estque Sacramentum, ante hanc conjunctionem, tale non erat, sed ad meram humani generis propagationem deserviebat.

III. De Circumcisione, conulerit necne gratiam, procedit quæstio.

Difficultas itaque præcipua est de *Circumcisione*, Utrùm gratiam contulerit; quoad alia enim antiquæ legis Sacramenta, nullus fermè est, qui ea gratiam ex opere operato contulisse affirmet; de Circumcisione autem non levis est inter Auctores controversia, affirmantibus aliis, aliis negantibus, imò ex æquo ferè hac in parte inter se, ut videbimus, sunt divisi.

IV. Prima sententia docet Circumcisionem contulisse gratiam.

Prima ergo sententia est affirmativa: ita Scotus in 4. dist. 1. quæst. 6. §. *de Potentiâ*, Gabriel quæst. 4. art. 1. Divus Bonaventura art. 1. q. 5. Paludanus quæst. 6. art. 4. Durandus quæst. 7. Aureolus quæst. 6. art. 7. Marsilius quæst. 2. a. 1. conclusione 2. addens Circumcisionem æqualem cum Baptismo gratiam contulisse, Argent. q. 3. art. 3. ad secundum: quam etiam sententiam quoad parvulos tenere videtur Tannerus hîc, disp. 4. quæst. 3. dub. 5. num. 147. & 157. hi itaque docent Circumcisionem in lege antiquâ gratiam ex opere operato contulisse.

V. Dicunt alii per Circumcisionē parvulis datam semper fuisse gratiam, non tamen ex opere operato.

Patet Suarez hîc, disp. 10. sect. 2. quem sequi videtur Coninck quæst. 62. art. 6. & Tannerus citatus num. 160. mediâ viâ procedit; ait enim parvulis per Circumcisionem datam semper infallibiliter fuisse gratiam, non tamen ex opere operato; quod enim, inquit, hoc modo confert gratiam, confert omnibus, adultis autem non conferebatur gratia per Circumcisionem, sed ex propriâ dispositione per contritionem. At sanè, si hæc sola sit differentia, nulla videtur ratio, cur saltem parvulis non dederit gratiam Circumcisio ex opere operato; nulla enim est repugnantia, cur institut non possit Sacramentum, quod his conferat gratiam, non illis, sicut de Sacramento Ordinis dici solet respectu fœminarum, imò & qui Circumcisionem contulisse gratiam dicunt, concedere debent fuisse pro solis viris institutam, non pro fœminis.

VI. Dicendum Circumcisionem, nec parvulis, nec adultis gratiam contulisse ex opere operato.

Secunda itaque, & vera sententia affirmat, nec adultis, nec parvulis Circumcisionem ex opere operato contulisse gratiam: ita docere videtur Sanctus Thomas hîc, quæst. 62. art. 6. ad tertium, & quæst. 70. art. 4. Capreolus, Ferrara, Sotus, Ledesma, & alii: Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, cap. 13. & sequentibus, Vasquez disp. 184. cap. 3. Mæratius disp. 5. de Sacramentis, sect. 1. & 2. Præpositus tertiâ parte, q. 62. art. 6. dub. 2. & plurimi ex recentioribus.

VII. Ex variis Scripturæ locis ostenditur nullum ex Sacramentis veteris legis gratiam cōtulisse ex opere operato.

Probatur primò ex Scripturâ, nam ad Galat. 4. versu 9. vocat Apostolus Sacramenta antiquæ legis infirma & egena elementa, & ad Colos. 2. versu 17. Sacramenta veteris legis vocat tantùm umbram futurorum, non potuisse accedentes perfectos facere, aut auferre peccata, mundare conscientias, &c. quod tamen de iis dici non posset, si verè gratiam contulissent; ad Hebræos etiam 7. versu 18. dicit reprobationem eorum factam esse propter infirmitatem & inutilitatem: ibidem, & capite nono universim Sacramenta & cæremonias veteris legis ait esse *justitias carnis*, deservire ad emundationem carnis, &c. Confirmatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. ad Armenos, ubi à Sacramentis veteris legis nostra multum differre dicuntur: *Illa enim*, inquit Pontifex, *non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.* Idem insinuat Tridentinum sessione 7. can. 2. de Sacramentis in genere.

VIII. Objic. Circumcisio non fuit Sacramentum legis veteris.

Dices, hæc intelligi ab Apostolo & Concilio de aliis Sacramentis, non de Circumcisione, hæc namque non fuit propriè Sacramentum legis veteris, cùm instituta ante illam fuerit. Unde Joannis septimo dicitur, non ex Moyse fuisse Circumcisionem, sed ex Patribus. Sed contra: Nam etsi Circumcisio instituta fuerit aliquo tempore ante legem, fuit tamen quædam illius inchoatio, & ad eam præparatio, ut benè Suarez sect. 2. unde simul cum lege duravit, & cessante illâ cessavit, ac proinde sive simul cum lege instituta fuerit, sive non, cùm tamen lex eam amplexa sit tanquam præcipuam cæremoniam, & quasi januam aliorum omnium Sacramentorum, negari nequit fuisse verè ac propriè Sacramentum veteris legis, sicque Apostolus quando dicit ad Hebræos 7. reprobationem factam esse præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem, præcipuè loquitur de Circumcisione, imò ad Galatas, & alibi præcipua causa cur probat inutilitatem legis antiquæ, est ut iis dissuadeat Circumcisionem.

IX. Clarè ex Scripturâ ostenditur Circumcisionem fuisse Sacramentum veteris legis.

Quod verò Circumcisio fuerit Sacramentum veteris legis, constat apertè ex illo Joannis septimo, ubi dicitur homo accipere circumcisionem in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi. Licèt etiam Concilium Florentinum & Tridentinum expresè non nominent Circumcisionem, cùm tamen universim de Sacramentis, quæ in usu erant in lege vetere sermonem instituant, & eo sensu quo Scriptura & Patres de iis loquuntur, non est dubium quin eam in suis definitionibus comprehendant.

X. Objic. Hæc de antiquâ legis Sacramentis solùm intelligi post promulgationem Evangelii.

Dices secundò, hæc intelligi de Circumcisione, & aliis antiquæ legis Sacramentis post adventum Christi, & promulgatum Evangelium; tunc enim erant egena elementa, non tamen ante. Sed contra: Nam ut benè Bellarminus c. 14. fine, Apostolus loquitur de Circumcisione quando erat adhuc in vigore; ait enim utilem esse circumcisionem multum per omnem modum, quod tamen intelligi non potest post promulgatum Evangelium; tunc enim Circumcisio, si non mortifera, saltem erat mortua. Deinde ait cæremonias illas esse umbram & figuras, quod jam dici nequit postquam sunt abrogatæ.

XI. Nec satisfaciunt qui dicunt nostra Sacramenta causare gratiam physicè, circumcisionem verò moraliter.

Existimant aliqui satisfacere se auctoritati Conciliorum, si dicant nostra Sacramenta causare gratiam physicè, Circumcisionem verò moraliter: alii si dicantur Sacramenta nostra plus gratiæ conferre, Circumcisio minus. Sed contra utrosque est, quòd Concilium Florentinum expresè dicat Sacramenta antiqua non contulisse gratiam suscipientibus, sed figurasse tantùm per passionem Christi nobis dandam. Deinde non possent dici infirma & egena elementa, reprobari ob inutilitatem, &c. si enim infallibiliter gratiam contulerint, parum refert ad utilitatem utrùm id physicè fecerint, an moraliter.

XII. Parùm etiam refert utrum Circumcisio hac in parte fuerit causa an conditio.

Eodem modo refelluntur qui dicunt Circumcisionem non contulisse gratiam tanquam causam, sed conditionem; contra enim est, quia si tanquam conditio infallibiliter haberet sibi annexam gratiam, non posset vocari inutilis, infirmum & egenum elementum, &c. maximè enim prodesset.

Deinde non posset à Concilio dici tantùm figurare gratiam per Christum dandam.

XIII. *Ex S. Paulo ad Romanos apertè ostenditur Circumcisionem non contulisse gratiam* Secundò probatur nostra sententia ex illo Apostoli ad Romanos tertio, ubi de Circumcisione loquens sic habet: *Quid amplius Judæo est, aut quæ utilitas Circumcisionis? Multum per omnem modum, primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Cùm ergo Apostolus dicat primam & præcipuam utilitatem Circumcisionis esse, quòd Judæi receperint legem Dei, & Scripturas, manifestum est non contulisse gratiam; tunc enim hunc Circumcisionis effectum tanquam præcipuum nominasset Apostolus.

XIV. *Ex Philone Judæo & Josepho probatur Circumcisionem non contulisse gratiam.* Confirmatur: Philo Judæus in libro, quem scripsit de Circumcisione, ubi omnes illius causas ex professo enumerat, nullibi vel leviter insinuat fuisse eam institutam in remedium peccati. Josephus etiam libro antiq. cap. 12. hanc solam institutæ Circumcisionis causam reddit, nempe ut esset signum quoddam & tessera, per quam populus ille à reliquis gentibus discerneretur, & tamen, ut benè Bellarminus, libro illo 2. cap. 15. Si qui nosse possent ad quid instituta fuisset Circumcisio, hi vel maximè, utpote qui & doctissimi erant in suâ gente, & eo tempore vivebant, quo adhuc vigebat Circumcisio.

XV. *Communis est Patrum sententia Circumcisionem non contulisse gratiam.* Tertiò probatur ex Patribus: Ex quibus viginti præter Sanctum Augustinum affert Bellarminus citatus, unum hîc vel alterum attexam. Primò itaque Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone sic habet: *Quin etiam ex eo quòd non possunt fœminæ circumcidi, intelligitur signi causa datam esse Circumcisionem, non pro opere justitiæ.* Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 30. *Circumcisionem*, inquit, *non quasi justitia consummatricem; sed in signo dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ.* Sanctus Athanasius oratione in illud: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, expressè docet Circumcisionem aliud nihil fuisse, quàm figuram & umbram Baptismi, qui vera est & spiritualis Circumcisio. Tertullianus libro contra Judæos cap. 1. *Providens*, inquit, *Deus quòd hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus.* Idem docet Sanctus Cyprianus, Ambrosius, & alii: quin etiam idem subinde affirmat Sanctus Augustinus, tum alibi, tum in Psal. 73. ubi comparans inter se Sacramenta nova & antiqua sic scribit: *Sacramenta non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem.* Item quæst. 25 in lib. Numerorum dicit, si per se attendantur Sacramenta vetera nullo pacto possunt mederi, si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in iis inveniri poterit purgatio peccatorum. Sed de mente Sancti Augustini plura postea.

XVI. *Plurimi, & antiquissimi quique Patres docuerùt Circumcisionem non contulisse gratiam.* Ex quibus & aliis habemus, etsi fortè nonnulli ex Patribus subinde insinuare videantur contrarium, plures tamen & antiquissimos quosque à nobis stare. Constat etiam falsò dixisse Durandum in 4. dist. 1. quæst. 1. num. 9. nostram sententiam esse contra dicta omnium Sanctorum: multò vero minore ratione dixerunt alii oppositum esse de fide.

XVII. *Aliud apud Hebræos fuit peccati originalis remedium, ergo Circumcisio hoc non habuit.* Probatur quartò; fuisse enim aliud remedium peccati originalis apud Hebræos præter Circumcisionem videtur certum, & consequenter hanc non fuisse, cùm non sit verosimile Deum tot diversa remedia in lege vetere instituisse ad peccati illius remissionem, cùm unicum tantùm instituerit in lege gratiæ. Antecedens verò probatur: In primis enim hoc remedium non fuit institutum pro fœminis, quas tamen remedio non fuisse destitutas omnino certum videtur: deinde adhiberi non poterat Circumcisio ante octavum diem, imò aliquando ratione invaletudinis, aut aliâ de causâ Circumcisio diutiùs subinde differebatur, sicut in deserto ratione itineris per totos quadraginta annos non fuerant circumcisi, & tamen si qui vel ante octavum diem, & tempore illo ante Circumcisionem fuissent mortui, non est dicendum fuisse ipsis præclusam viam omnem ad salutem.

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contendentia antiquæ legis Sacramenta contulisse gratiam.

OBJICIES primò: Eâdem ratione movetur Deus modo ad gratiam ex Christi meritis jam positis, ac olim ex iisdem futuris, cùm ergo quædam ex antiquis Sacramentis denotarent Christum venturum, videntur eodem modo movisse Deum ad gratiam eorum intuitu conferendam, quo eum nunc movent nova. Respondetur, eodem modo tunc motum fuisse Deum ex parte meritorum Christi, non tamen ex parte actionum Sacramentalium, utpote quæ non censebantur actiones Christi, nec institutæ ad dandam gratiam, sed erant egena elementa, ut in superioribus est declaratum. I. *Dices: Eodem modo movebatur olim Deus ad dandam gratiam ex meritis Christi ponendis, ac jam movetur ex iisdem positis.*

Objicies secundò Innocentium III. cap. *Majores de Baptismo*, ubi expressè docere videtur Circumcisionem gratiam contulisse; exinde namque probat Baptismum conferre gratiam, quòd successerit Circumcisioni: unde, inquit, sicut per Circumcisionem tollebatur peccatum originale, ita & tolli debet per Baptismum, alioqui minùs esset efficax Baptismus, quàm Circumcisio. II. *Dices secundò: Innocentium III. ideò docuisse Baptismum tollere peccatum originale quia successit Circumcisioni.*

Nec sufficit si quis cum Patre Vasquez disp. 84. cap. 4. Mæratio disp. 5. de Sacram. sect. 3. n. 7. ac sect. 5. num. 3. & quibusdam aliis respondeat, gratiam quidem collatam fuisse in Circumcisione, & peccatum originale remissum, non tamen per Circumcisionem: hoc inquam non sufficit; Pontifex enim eodem loco expressè asserit per Circumcisionis mysterium remissum fuisse originale: unde tandem in hoc solùm præfert Baptismum Circumcisioni, quòd sit remedium universalius, cùm non ad viros tantùm extendatur, sed etiam ad fœminas. Deinde quòd Circumcisio, licèt peccatum originale remiserit, viam tamen ad cœlum adhuc clausam reliquerit, quam aperit Baptismus. III. *Respondent aliqui voluisse tantùm Innocentium in Circumcisione sublatum fuisse peccatum originale, non tamen per Circumcisionem.*

Respondetur itaque cum Patre Præposito q. 62. art. 6. dub. 2. num. 89. & aliis, in definitionibus Conciliorum & Pontificum non esse necessarium, ut rationes omnes eandem habeant certitudinem, quàm habet conclusio, seu res illa, quæ definienda assumitur: in præsenti autem id, de quo consulebatur Pontifex, solùm erat utrùm Baptismus utiliter parvulis administraretur, & peccatum in iis originale, gratiam infundendo remitteret, ad quod respondet Pontifex affirmativè; id verò quod addit, Baptismum comparando cum Circumcisione, est præter illud, quod hîc inquirebatur: neque nititur definitio Pontificis his rationibus, sed sententiâ illâ Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* Si autem in rigore velint IV. *Respondetur, rationes in definitionibus non necessariò habere eandem certitudinem cum conclusione.*

velint adversarii intelligi hunc textum, non parvulis tantùm, sed etiam adultis gratiam collatam per Circumcisionem fuisse asserant necesse, cùm universim dicat Pontifex Baptismum illi successisse, hoc tamen negat Suarez, & plurimi contrariæ sententiæ Auctores.

V. *Dici etiam potest Pontificem locutum tantùm fuisse in sensu permissivo.*

Secundò dici potest Pontificem locutum ibi solùm fuisse in sensu quasi conditionato & permissivo, ac si diceret esto doctrina illa de Circumcisione sit vera, quod scilicet originale remiserit, & locus ille Gen. 17. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo, quia pactum meum irritum fecit*, intelligatur de parvulis, & morte spirituali, à quâ circumcisio liberaret, adhuc præstantiorem esse Baptismum, qui non solùm peccatum tollit, sed cœlum recludit.

VI. *Dices: S. Augustinus, quem multi ex Patribus sequuntur, ait peccatū originale per Circumcisionem fuisse deletum.*

Objicies tertiò Sanctum Augustinum libro 16. de Civitate Dei cap. 27. & lib. 2. de Nup. & Concupisc. cap. 11. & alibi sæpè docentem per Circumcisionem deletum fuisse peccatum originale; probat verò Sanctus Augustinus ex loco genetis proximè citato. Sanctum Augustinum multi ex Patribus sequuntur, ut Sanctus Gregorius, Beda, Prosper, Fulgentius, & alii.

VII. *Ostendimus supra S. Augustinum negasse Circumcisionem hoc fecisse.*

Respondetur primò, Sanctum Augustinum locis à nobis supra citatis affirmare contrarium. Secundò dico: Esto inficiari fortè non possimus Sanctum Augustinum fuisse in illâ sententiâ, cùm tamen plures & antiquiores Patres contrarium expresè doceant, non est tanta hac in parte illius auctoritas, quamvis sit maxima, ut propter eam tot alios Patres relinquamus, præsertim cùm sententiam suam fundet Sanctus Augustinus in illo loco Geneseos, addendo ei has particulas *octavo die*, quæ tamen nec in hebræo, nec vulgatâ nostrâ lectione habentur, & ex illorum verborum occasione vult sententiam illam, *delebitur anima illa de populo suo*, intelligi de parvulis, & morte spirituali.

VIII. *Appositissimum in rem hanc sancti Augustini dictum.*

Opportunè ergo hîc venit illa Divi Augustini sententia, quam ponit Epistolâ III. ubi sic habet: *Neque enim quorumlibet disputationes quamvis Catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus quod aliter senserint, quàm veritas habet divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis: talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum:* hæc doctissimus & humillimus Sanctus Augustinus. Cùm ergo maximum ad id quod tenemus asserendum in Scripturis & Patribus fundamentum habeamus, salvâ honorificentiâ tanto Patri debitâ, ipso veniam dante Divo Augustino, ab eo dissentimus.

IX. *Locus ille Geneseos, Delebitur anima illa de populo suo, ab aliis Patribus intelligitur de solis adultis.*

Locus ergo ille Geneseos, à Divo Justino Martyre, Sancto Chrysostomo, & interpretibus communiter intelligitur de solis adultis, & pœnâ mortis temporalis propter transgressionem pacti à Deo initi, non cum Adamo, de non comedendo pomo vetito, sed Abrahamo de Circumcisione, quam volebat Deus ut omnes ejus posteri sub pœnâ mortis susciperent, nam statim post præceptum illud positum subdit Deus: *Masculus*, &c. *delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, nempe pactum tunc initum.*

X. *Nec deleri de populo suo, significat semper damnari; nec apponi ad Patres. vel populum suum salvari.*

Nec convincit id quod in confirmationem suæ sententiæ adfert Sanctus Augustinus, nempe verba illa, *delebitur anima illa de populo suo*, arguere mortem spiritualem, & damnationem; sicut, inquit, econtra juxta phrasim Scripturæ *apponi ad Patres* vel populum suum, idem significat ac salvari; hoc inquam non videtur convincere, tum etiam juxta modum loquendi Scripturæ, *apponi ad Patres suos* non semper significat idem ac salvari, cùm Danielis 13. vers. 65. dicatur Astyages appositus ad Patres suos, & de Ismaële Gen. 25. vers. 17. dicit Scriptura mortuus est, & appositus ad populum suum, quem non est certum fuisse salvatum.

XI. *Quamvis non per Circumcisionē, in Circumcisione tamen deletum plerumque in parvulis fuit peccatum originale.*

Addo tamen, verisimile esse, plerumque, licèt non per Circumcisionem, tamen in Circumcisione remissum fuisse parvulis peccatum originale: hoc & nihil amplius volunt aliqui ex Patribus. Injunctum itaque erat Hebræis, ut parvulis suis fidem ad originalis remissionem applicarent: Injunctum erat similiter, ut parvulos octavo die circumciderent, nisi ob instantem mortem citiùs, aut ob invaletudinem aliámve causam seriùs peragenda nonnunquam esset hæc cæremonia. Sicut ergo duo alia præcepta, nempe purificationis fœminarum, & pueri recens nati oblationem simul conjungebant, ita & verisimile est eos in his duobus præceptis feciſse.

SECTIO TERTIA.

Quædam de Sacramentis Legis naturæ.

I. *Dicebant aliqui nullum pro parvulis in lege naturæ ad originalis peccati remissionem institutum fuisse remedium.*

QUÆRES primò: Utrùm in lege naturæ institutum fuerit aliquod Sacramentum ad peccatum originale in illo statu tollendum. Vasquez 3. parte, quæst. 61. disp. 165. cap. primo recentiores quosdam suppresso nomine citat, qui dicebant nullum à Deo pro parvulorum justificatione institutum fuisse remedium, sed parvulos omnes, qui ante Christi adventum ex hac vitâ decesserunt, fuisse damnatos. Sed & malè de divinâ misericordiâ sentiunt hi Auctores, & videtur hoc eorum pronunciatum apertè esse contra Apostolum 1. ad Timotheum 2. vers. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri. Neminem volens perire*, ut ait Divus Petrus Epistolâ 2. cap. 3. v. 9. quo pacto enim voluisset Deus hos parvulos salvos fieri, si nullum iis ad peccati originalis subtationem remedium providisset; finem quippe dici nequit velle, qui non vult media ad illum consequendum necessaria.

II. *Planè tenendum est parvulis in lege naturæ aliquod à Deo institutum fuisse remedium.*

Negari ergo nullo modo debet remedium aliquod parvulis in lege naturæ fuisse à Deo institutum: ita cum Magistro in 4. dist. 1. scholastici, estque communis Sanctorum Patrum sententia. Hinc Innocentius III. cap. *Majores de Baptismo*, *absit*, inquit, *ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis miseritors Deus, qui neminem vult perire aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Quâmvis verò Pontifex directè loquatur contra hæreticos negantes per Baptismum gratiam parvulis collatam fuisse, & originale peccatum remissum, nihilominus ratio ejus ad omnem statum extenditur, quod scilicet *Deus neminem velit perire.*

III. *Hoc tamen remedium pro parvulis in lege naturæ institutum, non fuit Sacramentum.*

Probabilius tamen mihi videtur quod docet Sanctus Thomas in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 2. ad 2. Halensis 4. parte, quæst 14. memb. 1. a. 2. § 2. Sotus dist. 1. quæst. 2. art. 3. concl. 5. & dist. 2. quæst. 1. art. 4. §. *Alterum verò*. Vasquez 3. p. quæst. 61. disp. 165. & alii, remedium aliud non fuisse

fuisse Sacramentum, sed à peccato originali liberatos parvulos & justificatos fuisse fide parentum, vel eorum, qui ipsorum curam gerebant, quæ fides per actum merè internum ad illos dirigebatur, sicque esse non potuit Sacramentum, cùm Sacramentum sit signum sensibile, & consequenter includat necessariò actionem aliquam externam. Quamvis autem fortasse cæremonia aliqua externa concomitanter adhibita fuisset, nihil tamen ad remittendum originale, & gratiam parvulis dandam conferebat, sed in illâ non per illam infantes justificabantur, ut supra diximus de Circumcisione, & plura addentur numero sequente.

IV. *Per quid in Lege scriptâ tollebatur peccatum originale.*

Quæres secundò, per quid in lege scriptâ tollebatur originale, si per Circumcisionem non tolleretur? Respondetur, in adultis sine contritione, vel dilectione Dei super omnia nunquam fuisse ablatum, in parvulis verò sufficiebat sola fides vel parentum, vel aliorum, imò fortè non est improbabile, sicut apud nos Baptismus validè conferri potest à quolibet, quo tamen non obstante certi quidam ministri sunt ad id muneris peculiariter destinati, ita etiam olim fides à quovis applicata ad justificandos parvulos sufficisset: probabile inquam est hoc munus ad nonnullos speciali modo spectasse, sive ii parentes fuerint, sive alii: ita Sanctus Thomas hîc, q. 70. art. 4. ad 2. & in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 6. qu. 2. & ad Hannibaldum ibidem, art. 2. Vasquez hîc disp. 165. & alii, idémque videtur de lege naturæ.

V. *Dicunt Patres solam Fidem ante Christi Evangelium ad expiationem parvulis sufficisse.*

Probatur primò ex Sancto Gregorio libro 4. moralium cap. 3. ubi dicit parvulis suffecisse solam fidem: idem habet Beda lib. 1. in Lucam c 8. & Sanctus Bernardus Epistolâ 77. ubi sic habet: *In nationibus verò quot quot inventi fideles sunt, adultos quidem fide & sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem etiam solam fidem profuisse, imò sufficisse credimus.* Quod verò dicant hi Patres adultos per fidem & sacrificia fuisse expiatos, non sunt intelligendi quasi dicant sacrificia cum attritione ipsis gratiam contulisse, sed sacrificia tanquam opera pia fuisse ab illis adhibita, per quæ contritionem à Deo impetrarent, ut benè notat Vasquez cap. 3. num. 22. Ratio demum est, quia si fuisset aliquid hujusmodi ad remedium originalis à Deo institutum, non est verosimile nullam in Scripturis de eo futuram fuisse mentionem.

VI. *Existimo Fidem illam in applicante non debuisse necessariò esse formatam, sed sufficisse informem.*

Quæres tertiò: Utrùm hæc fides debuisset esse formata, an sufficisset informis? Vasquez citatus requirit fidem formatam. Verius tamen videtur quod docet Suarez, & alii, nempe sufficisse informem, cùm nulla urgens ratio sit, cur requiratur fides formata.

VII. *Objic. Ergo faciliùs olim parvuli ab originali liberabantur, quàm modò.*

Dices: Ergo olim faciliùs parvuli ab originali liberabantur, quàm modò in lege gratiæ, cùm jam non requiratur actio solùm externa, sed etiam restricta ad determinatam materiam, aquam scilicet, defectu cujus etsi reliqua adsint omnia, evenire posset infantem cum originali mori, & è cœlo perpetuò excludi. Negatur sequela: Tunc enim requirebatur fides explicita unius mediatoris, quæ actio vel ob tarditatem hominum ad credendum, vel ignorantiam, quæ latissimè grassabatur, vel etiam secundùm se difficilior erat quàm actio baptizandi, licèt ad certam materiam & formam adstringatur; hæc enim à quovis, etiam infideli, adhiberi validè potest, modò adsit intentio faciendi quod facit Ecclesia.

VIII. *Non sequitur, etsi sola*

Neque ex nostrâ sententiâ sequitur quod inferunt aliqui, nempe si sola fides sufficeret sine actione aliquâ externâ, nihil esse cur parvuli adhuc in utero materno existentes liberari ab originali non possent; hoc inquam non sequitur, tum quia sicut institutio, ita limitatio effectus hujus fidei ad Deum spectat, in quibus circumstantiis applicari eam & valere voluerit, tum etiam quia, ut rectè Sanctus Thomas in 4. dist. 1. q. 2. a. 1. infans quamdiu est in utero matris non est aliquid sensibile distinctum à matre, & consequenter non capax cui ab Ecclesiâ aliquid applicetur. Cùm tamen, ut tum ex sacris, tum prophanis Scriptoribus habetur, puerorum natalitia magna semper solemnitate celebrarentur, probabile est in illâ solemnitate plerumque fuisse iisdem parentum fidem applicatam, ut in simili diximus de circumcisione. *Fides olim sufficeret, potuisse infantes, in utero materno ab originali peccato liberari.*

IX. *In statu innocentiæ nequaquam aliqui futura fuisse Sacramenta.*

Quæres quartò: Utrùm in statu innocentiæ debuerint esse aliqua Sacramenta, si diutiùs durasset; de facto enim nullum in eo fuisse Sacramentum docent omnes communiter, Matrimonium namque à Christo elevatum primò est in Sacramentum, ut insinuat Tridentinum sess. 24. ta. Negat Valentia hîc, quæst. 2. Tannerus q. 2. d. 1. & alii. Probabilius tamen mihi videtur quod ait Suarez disp. 3. sect. 3. convenientia etiam illi statui, si diutiùs durasset fuisse Sacramenta aliqua, quibus homines gratiam habitualem ex opere operato auxissent. Nec refert quòd Angelis instituta non fuerint Sacramenta; sic enim nec Angeli sunt redempti: deinde Angeli ob præstantiam naturæ potuissent multo perfectiores actus elicere, & gratiam augere, homines autem magis peculiaribus egent subsidiis. Nec etiam Sacramenta omnia ex conceptu suo sint medicinalia, cùm & Beata Virgo aliqua receperit, quæ tamen medicinâ non egebat.

SECTIO QUARTA.

Adjiciuntur alia nonnulla circa naturam & proprietates Sacramentorum.

I. *Soli homines viatores sunt capaces Sacramentorum.*

QUÆRES quintò: Quinam sint capaces Sacramentorum? Certum inprimis est, solos homines viatores esse eorum capaces, nullus autem est hominum viatorum, qui alicujus saltem Sacramenti, ad minimum Baptismi, capax non sit. Joannes Hus, & Wiclefus solos prædestinatos, nonnulli ex hujus temporis hæreticis solos justos esse Sacramentorum capaces perperam affirmant. Parvuli & perpetuò amentes baptismum, Confirmationem & Ordinem, quamvis nullam habeant ea suscipiendi intentionem, validè recipiunt. Cur Pœnitentiæ, Matrimonii & Extremæ Unctionis capaces non sint dixi supra, disp. 63. sect. 5. dum de intentione requisitâ ex parte suscipientis, ubi etiam dictum est de adultis.

II. *Christus quà homo, id est per merita ab humanâ illius voluntate procedentia, dignificata tamen à Verbo instituit hæc Sacramenta*

Quæres sextò: Utrùm Christus quà homo instituerit nostra Sacramenta? Respondetur, Christum quà hominem, id est per merita procedentia ab humanâ illius voluntate, dignificata tamen à Verbo instituisse Sacramenta, non solùm singulorum materias determinando, sed etiam valorem singulis & efficaciam tribuendo. Suis itaque meritis impetravit condignè Christus, ut Deus hanc vim singulis Sacramentis in nomine Christi administrandis conferret: cùm enim merita ipsius essent infiniti valoris, non ad Sacramenta

menta tantùm vivorum, sed etiam mortuorum instituenda sufficiebant, cùm sufficerint ad peccati cujusvis remissionem. Si autem quis, eo quòd Christus per merita dignificata à Verbo velit eum, non ut hominem, sed ut hominem Deum Sacramenta instituisse, quæstionem fecerit de nomine.

III. *Possint puræ creaturæ committi institutio Sacramentorum.* Quæres septimò: Utrùm puræ creaturæ committi possit Sacramentorum institutio. Inprimis existimo posse puram creaturam suis meritis à Deo impetrare potestatem instituendi Sacramenta vivorum, saltem quoad effectum qui ipsis per se & primariò competit, augmentum scilicet gratiæ; cùm enim ipsa gratia non excedat merita puræ creaturæ, non etiam excedet causa gratiæ, & consequenter hæc Sacramenta. Aliud est de Sacramentis mortuorum, & vivorum etiam quoad effectum remittendi peccata; cùm enim remissionem peccati mortalis mereri de condigno nulla pura creatura possit, ut ostendimus in tractatu de Incarnatione, disp. 45. consequenter nec Sacramenti, quod illud remittat, institutionem mereri poterit. Unde inquit Sanctus Thomas hic, quæst. 64. art. 4. corpore, potest Deus puræ creaturæ tantam gratiam conferre, ut illius merita operentur ad Sacramentorum effectus, & ut ad invocationem nominis ipsius sanctificarentur Sacramenta, & ut ipse possit Sacramenta instituere.

IV. *Quinam sint ministri Sacramentorum.* Quæres octavò: Quinam sint ministri Sacramentorum? Respondetur cum Sancto Thoma, quæst. 64. art. 7. corpore, solos homines esse ministros ordinarios Sacramentorum, cùm iis solis & non aliis, quantum ex Scripturis colligere possumus, Christus hanc potestatem reliquerit. Unde ait Apostolus ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum:* si tamen ut ibidem advertit Sanctus Thomas, aliquod sacramentale ministerium à Sanctis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, & ex peculiari Dei commissione fieri credendum, sicut templa quædam ab Angelis consecrata passim dicuntur, & Sanctum Amphilochium per Angelos ordinatum fuisse Episcopum refert Nicephorus lib. 11. c. 2. Dæmonibus verò, si quod Sacramentum administrare videantur, nulla adhibenda fides.

V. *Animæ separatæ non possunt administrare Sacramenta.* Animæ ergo separatæ, licèt characterem retineant, Sacramenta nihilominus administrare non possunt, quia hominibus solis collata videtur ea potestas, alioqui anima jam damnata posset baptizare, consecrare, ordinare Sacerdotes in inferno, &c. quæ per se videntur absurda; & sicut anima separata non potest vel baptizari, vel sacros ordines recipere, ita nec baptizare, aut ordines conferre. Imò solis hoc concessum videtur hominibus, vel adhuc viventibus, vel post mortem in vitam iterum mortalem resurgentibus, ob rationes proximè positas. Et probabiliùs videtur Deum potiùs talem iis potestatem non concedere, quàm illâ concessâ eos ab ejusdem exercitio cohibere, nempe ne Sacerdotes damnati consecrent, Episcopi ordinent Sacerdotes in inferno, & cætera. Nec Sanctus Thomas ad 2. id concedit, sed solùm omittit, cùm id negare necesse non esset ad solutionem argumenti, ut bene notat Coninck ad hunc articulum.

VI. *Qui ex officio Sacramenta administrant, tenentur esse in gratiâ.* Quæres nonò: Utrùm Ministri Sacramentorum teneantur dum ea, & quæ circa illa sunt, ministrant, esse in gratiâ? Respondetur, eos qui ex officio ad id munus consecrantur, teneri, non tamen sub mortali nisi materia sit gravis: ita Doctores communiter. Prima pars probatur ex illo Sancti Dionysii de Ecclesiasticâ Hierarchiâ cap. 1. ubi sic ad Timotheum loquitur: *Ipsosq; Reverendissimos Præsules monebis, mundè ut mundâ contingant.* Secundò ex responsione Nicolai primi ad Bulgaros, ubi interrogatus an liceret Communionem recipere à malo Sacerdote, respondet licere: *Quoniam mali*, inquit, *bona administrando se tantum lædunt.* Tertiò ex Gregorio IX. cap. ultimo de temporibus ordinationum, ubi ait *Sacerdotes in peccato mortali existentes, monendos esse, & sub interminatione divini judicii obtestandos, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis ordinibus non ministrent.* Quartò, quia apud omnes gentes semper cautum fuit, ut tractantes sacra essent mundi, nec in lege Moysi cœcus quisquam aut claudus, vel alium defectum habens, ad altare admittebatur: cùm ergo nostra Sacramenta longè perfectiora sint, major etiam requiritur sanctitas.

VII. *Multa, quæ ad Sacramenta pertinent, in peccato mortali exercere, non est mortale.* Secunda etiam pars constat, quia materia levis in omni re excusat à mortali; unde functiones Ordinum minorum exercere, imò Epistolam aut Evangelium in summo Sacro in mortali cantare, non est mortale, multo minùs concionari, cùm ad hoc munus non sint ministri peculiariter ab Ecclesiâ deputati. Ex quo etiam sequitur, Laïcum in absentiâ clerici baptizantem non peccare mortaliter. De contrahentibus verò Matrimonium in mortali, etsi probabile sit eos committere sacrilegium, non solùm ex indignâ susceptione Sacramenti, sed etiam ex eo quòd indignè illud administrent, ut insinuat Suarez hic, disp. 16. sect. 4. contrarium tamen probabiliter dici potest, cùm non sint ad id munus peculiariter ab Ecclesiâ per consecrationem deputati, sed solùm sit iis ex necessitate permissum, cùm materia & forma hujus Sacramenti in ipso contractu debuerint constitui.

DISPUTATIO SEXAGESIMA OCTAVA.

De Charactere.

PRÆCIPVVM Sacramentorum effectum, nempe gratiam habitualem latè declaravimus in præcedentibus, nunc de secundario eorum effectu, Charactere scilicet, agendum, qui quamvis non ab omnibus, ut mox dicetur, à quibusdam tamen Sacramentis, animabus suscipientium imprimitur. Hoc verò singulare quiddam est, & Legi novæ peculiariter concessum; in Lege enim vetere homines non interiùs in animâ, & spiritualiter, sed exteriùs in carne, & corporali signo notabantur, Circumcisione scilicet, per quam à cæteris gentibus distinguebantur. Hinc Sanctus Chrysostomus Homiliâ 2. in Epist. ad Ephesios: Obsignati, *inquit*, sunt & Israëlitæ, sed Circumcisione, quemadmodum pecudes. *Hujus ergo characteris natura ac proprietates hìc sunt explicandæ.*

SECTIO PRIMA.

Vtrùm aliqua novæ Legis Sacramenta imprimant Characterem.

I. *Tria tantùm Sacramenta imprimere characterem certa est Theologorum sententia.*

ALIQUA, inquam, omnia enim Characterem suscipientibus non imprimere, hæc scilicet quatuor, *Eucharistiam*, *Pœnitentiam*, *Extremam-Vnctionem*, & *Matrimonium*, certa est Theologorum omnium sententia, atque ex Concilio Florentino & Tridentino ad hoc deducitur argumentum; dum enim de aliis tribus Sacramentis tantùm, *Baptismo* scilicet, *Confirmatione*, & *Ordine* affirmant imprimere Characterem, de reliquis quatuor id negare videntur. Deinde asserunt ideo hæc tria Sacramenta iterari non posse, quia imprimunt characterem. Hinc ergo optimè deducitur alia quatuor, cùm iterari possint, Characterem non imprimere. Quare audiendi non sunt quidam ex antiquis Theologis, qui quamvis dicta quatuor Sacramenta Characterem non imprimere assererent, aiebant tamen ea ornatum quendam, etiam in indignè suscipientium animabus producere. Sed hæc sententia planè est rejicienda, cùm sine ullo, vel ex Scripturâ, vel Patribus fundamento, ullâve ratione validâ, sic conficta.

II. *De Baptismo tantùm,* De tribus ergo tantùm Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine procedit quæstio, circa quæ etiam non idem olim fuit omnium dicendi modus. Durandus siquidem, ut mox videbimus, verbo tenus Characterem admittebat, re ipsâ tamen negabat. Scoto & Gabrièli imprimatur necne Character res dubia videbatur. Caïetano etiam non admodum placet hæc Characteris impressio, in eam proinde tanquam in rem novam obloquitur. Hæretici denique, tam novi, quàm antiqui omnino negant per hæc etiam tria Sacramenta imprimi Characterem: ita Wicklephus apud Waldensem Tomo 2. de Sacramentis, cap. 10. idémque affirmant nostri temporis sectarii, Lutherus, Calvinus, & alii. *Confirmatione, & Ordine procedit quæstio.*

Constans tamen modò Theologorum omnium assertio est, eáque fide certa, tria hæc Sacramenta, *Baptismum* scilicet, *Confirmationem*, & *Ordinem* characterem imprimere. Hanc verò doctrinam falsò dicunt Novatores ab Innocentio III. primò fuisse traditam cap. *Majores de Baptismo*, cùm & ibidem faciat mentionem Pontifex aliorum, apud quos passim ea vigebat opinio, & ex nonnullis Scripturæ testimoniis non obscurè deducatur, ut 2. ad Corinthios 1. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:* ad Ephesios 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis, qui est pignus hæreditatis.* III. *Fide certum est Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem.*

Quæ & alia Scripturæ loca, adjunctâ auctoritate Patrum, qui passim de Charactere mentionem faciunt, & *Baptismum* peculiariter vocant signaculum & sigillum, satis clarè probant intentum. Characterem itaque in Sacramentis quibusdam imprimi, apertè docet Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Sanctus Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, IV. *De charactere passim mentionem faciunt sancti Patres.*

Nazianzenus, Sanctus Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & alii, qui videri poterunt apud Bellarminum libro 2. de Sacramentis, c. 21. Tandem definita est hæc veritas, non ab Innocentio III. solùm quoad Baptismum, sed in Concilio Florentino, in decreto Eugenii IV. ad Armenos, & Tridentino sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere.

V. *Cur hæc tria Sacramenta præ aliis, imprimant characterem.*

Ratio autem cur hæc tria Sacramenta, non alia imprimant Characterem, videtur esse, quòd per illa homines peculiari modo tanquam milites & ministri Christi ad specialia quædam munera & officia deputentur. Per Characterem itaque *Baptismi* signantur primò homines tanquam milites Christi, & distinguuntur ab exercitu & militibus diaboli. Per characterem *Confirmationis*, peculiari modo deputantur homines ad certamen fidei contra persecutores subeundum. Tandem per characterem *Ordinis*, deputantur peculiariter homines ad ministranda Sacramenta. Cùm ergo hæc tria Sacramenta constituant homines stabiliter in hujusmodi ministeriis, congruum fuit, ut Characterem iis, quo ab aliis, qui peculiari modo ad hæc munera deputati non sunt, distinguerentur, imprimerent.

VI. *Ostenditur malè dixisse Durandum, characterem ab his tribus Sacramentis impressum, esse tantùm relationem rationis.*

Hinc infertur ex communi sententiâ Theologorum contra Durandum, qui solùm nomine tenus admittit Characterem, re tamen negat, cùm dicat tantùm esse relationem rationis, infertur inquam, Characterem esse aliquid reale, ab animâ distinctum, quod vel ex eo constat, quòd Concilia & Patres dicant eum imprimi animæ, hoc autem denotat veram & physicam productionem; sicut ex simili arguunt Theologi gratiam esse aliquid physicum, ab animâ realiter distinctum, quòd à Conciliis dicatur animæ infundi.

VII. *Hæc Durandi sententia circa impressionem characteris, jam sine errore in Fide sustineri non potest.*

Suarez itaque hîc, disp. 11. sect. 2. ait hanc Durandi sententiam jam sine errore in fide sustineri non posse ob definitiones Florentini & Tridentini. Addit Bellarminus citatus cap. 19. sententiam illam vix distingui ab hæresi hujus temporis, Vasquez tamen hîc, disp. 184. cap. 2. conatur sententiam Durandi ab omni censurâ vindicare, cùm ipse saltem aliquid morale in animâ per illa tria Sacramenta relictum esse concedat: hoc tamen non videtur satisfacere auctoritati Conciliorum asserentium Characterem peculiariter per illa Sacramenta imprimi, omnia autem relinquunt post se aliquid morale, nempe jus ad peculiaria auxilia cujusque Sacramenti fini propria.

VIII. *Nec etiam placet, quod affirmant nonnulli, characterem scilicet esse relationem realem.*

Nec etiam placet quod cum Scoto in 4. dist. 6. quæst. 10. dicunt aliqui, nempe Characterem esse relationem; si enim loquatur hæc sententia de relatione prædicamentali, contra est primò; relatio enim prædicamentalis est ad terminum tantùm existentem, Character autem si sit relatio, respicit & Baptismum præteritum, & auxilia futura; nec enim apparet quis alius sit illius terminus, vel saltem cur hæc non sint. Contra secundò: Ad relationem juxta Philosophos non datur per se motus, at verò ad Characterem datur per se motus, & per se ordinatur Baptismus ad illum imprimendum. Tertiò: Non minùs in Extremâ-Unctione, & Matrimonio consurgit relatio conjugati & uncti, quàm in his tribus relatio baptizati, confirmati, & ordinati, ergo omnia Sacramenta imprimunt Characterem. Si autem solùm velit Scotus Characterem esse relationem transcendentalem, vera est illius sententia, nec differt à communi; respicit enim Character auxilia, ad quæ jus quoddam confert, & similiter operationes ab iis procedentes.

SECTIO SECUNDA.

De Naturâ & causis Characteris.

I. *In Christo nullus fuit Character.*

QUÆRES: Utrùm in Christo fuerit aliquis Character. Respondetur negativè: ita Sanctus Thomas 3. parte, quæst. 63. art. 5. *corpore*, & omnes præter Mayronem in 4. dist. 7. quæst. 5. art. 13. qui Christum primo conceptionis suæ instanti hos omnes characteres habuisse affirmat. Rationem conclusionis assignat Sanctus Thomas loco citato, Christus namque habuit plenam spiritualis Sacerdotii potestatem, ejus autem fideles aliquam hujus spiritualis potestatis habent participationem, cujus participationis, non plenitudinis, ex naturâ suâ signum est Character. Deinde Christus increato divini verbi charactere insignitus est, modóque longè perfectissimo, unde non est cur imperfectioribus hisce insigniatur. præterea militum, ovium, ac servorum proprium est signo aliquo, seu charactere notari, non Ducis, Pastoris, & Domini.

II. *Malè affirmant aliqui Christum habuisse characterem Ordinis, eo quòd sit summus Sacerdos.*

Quare, non est etiam admittendum quorundam apud Halensem 4. parte, quæst. 8. memb. 8. art. 1. §. 11. & Sanctum Thomam in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. quæst. 5. placitum docentium in Christo, non quidem alios, characterem tamen Ordinis existere, quòd nimirum Christus sit summus Sacerdos. Hoc, inquam, nullo modo est admittendum ob jam dicta, & quia Christus eminentiori absque omni comparatione modo fuit Sacerdos, quàm nos, ut est per se manifestum.

III. *Beatissimam Virginem Baptismi & Confirmationis habuisse characterem, est probabile.*

Quoad Beatissimam Virginem probabile est, eam Baptismi & Confirmationis characterem habuisse; sicut enim capax fuit primarii effectus Sacramentorum, nempe gratiæ, ita & secundarii, videlicet characteris Baptismi & Confirmationis; Ordinis enim fuit incapax. Quòd verò sanctissima hæc Virgo per Sacramenta fuerit capax augmenti gratiæ, constat; nec enim in primo instanti conceptionis omnem gratiam recepit, ad quam fuit electa, ut non rectè affirmavit Gabriel, sed cumulatam illam quam tunc accepit gratiam, tum meritis suis, & virtutum actibus, quos toto vitæ tempore elicuit excellentissimos, tum Sacramentorum susceptione, præsertim Eucharistiæ (quam diebus singulis eam sumpsisse plurimi affirmant) mirum in modum auxit.

IV. *Extremam-unctionem recepisse beatissimam Virginem, communior habet sententia.*

Extremam etiam Unctionem Beatam Virginem recepisse communior habet opinio: hujus proinde Sacramenti, non propterea parvuli sunt incapaces, quia nunquam peccârunt, sed quia tentationibus hostis humani generis, contra quas hoc Sacramentum in illo articulo peculiariter munit, impeti non possunt, qua de re in peculiari, quem de hoc Sacramento instituemus tractatu, iterum redibit sermo. Plura etiam in tractatu de Ordine dicentur de Ordinis charactere.

V. *Trium horum Sacramentorum character est signum indelebile.*

Est itaque Character à tribus illis Sacramentis impressus, *Baptismo* scilicet, *Confirmatione*, & *Ordine*, signum quoddam spirituale & indelebile, quâ de causâ iterari hæc Sacramenta non possunt. Manent ergo hi characteres, etiam in animabus à corpore separatis, quare si Christianus, postquam est mortuus, ad vitam denuò suscitetur, baptizari iterum, ut postea dicemus, non debet, nec

Sacerdos si ad vitam revocetur iterum ordinari, ut etiam affirmat Sanctus Thomas lectione septimâ in caput 11. Epistolæ ad Hebræos.

VI. *Non docet Concilium ideo hæc Sacramenta imprimere characterē, quia iterari non possunt, sed ideo non posse iterari, quia imprimunt characterem.*

Dices: Nec iterari Matrimonium potest, & tamen non imprimit characterem. Respondetur primò, non affirmare Concilium ideo imprimere characterem, quia iterari non possunt; sic enim nec benedictio calicis, aut templi consecratio iterari possunt, & tamen characterem non imprimunt, sed quòd docet Concilium, solùm est ideo iterari non posse, quia characterem imprimunt.

VII. *Matrimonium, etiam cum eâdem personâ, in quibusdam casibus potest iterari.*

Secundò respondetur, iterari Matrimonium posse, altero conjuge mortuo. Urgebis, saltem cum eâdem personâ iterari non potest. Respondetur in quibusdam casibus posse, ut si vir mortuus resuscitaretur; morte enim dissolvitur Matrimonium juxta illud Apostoli ad Corinthios 7. vers. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat.* Unde resurgens vir ejus non posset sine novo contractu ei cohabitare, & consequenter posset denuò cum eâ contrahere, cùm tamen Sacerdos resuscitatus non denuò ordinetur, aut baptizentur rursus vel confirmentur, qui à mortuis resurgunt, quia scilicet hi habent characterem, non conjuges. Imò etiam subinde possent sine miraculo iidem conjuges denuò contrahere; si enim post Matrimonium ratum & non consummatum alter conjux emitteret professionem in religione approbatâ; hoc enim casu dissolvetur Matrimonium. Unde si postea ex dispensatione Pontificis rediret ad sæculum, posset iterum cum eâdem personâ contrahere.

VIII. *In quanam ex quatuor qualitatibus sit character.*

Quæres: In quâ ex quatuor speciebus qualitatum à dialecticis assignari solitis, nempe dispositione & habitu, potentiâ & impotentiâ, passione & passibili qualitate, formâ & figurâ sit Character. Thomistæ communiter, quos sequitur Henriquez, & Valentia, Characterem in secundâ specie collocant: Suarez, Vasquez, & alii in primâ: Halensis, S. Bonaventura, Ocham cum aliis in tertiâ: Richardus, & alii, quos sequitur Salas tomo 1. in primam 2. tract. 20. disput. 8. sect. 3. in quartâ, & eum dicunt esse figuram quandam spiritualem, alii ad nullam, alii ad omnes has species spectare asserunt.

IX. *Character statui nequit in potentiâ.*

Non videtur Character, ut volunt Thomistæ, statui in conceptu potentiæ; vel enim est potentia activa, vel receptiva: non hæc; neque enim auxilia & operationes supernaturales recipiuntur in Charactere, sed in animâ aut illius potentiis, nec tandem character Baptismi disponit ad characteres aliorum Sacramentorum; sic enim fœminæ possent ordinari Sacerdotes.

X. *Character nec potest esse potentia activa, nec passiva.*

Quòd vero Character non sit potentia activa physica, probatur: nam ut supra diximus, nullum aliud requiritur principium physicum ad actus quosvis supernaturales eliciendos præter habitus supernaturales. Deinde characteribus Diaconi & Subdiaconi nullus actus respondet qui validè exerceri non possit à Laico. Unde nec est cur dicamus characterem Sacerdotis aut Episcopi ad alios characteres physicè concurrere, dum Episcopus Sacerdotem aut alium Episcopum ordinat, character quippe non magis est potestas ad Sacramentum Ordinis conferendum, quàm Pœnitentiæ in Sacerdote, cùm quod confertur, ex vi verborum conferatur: quandoquidem ergo aliquos characteres habemus non esse physicè operativos, nil est cur idem non asseramus de omnibus. Videatur Suarez hic, disp. 11. sect. 3. ubi hæc fusissimè prosequitur.

XI. *Character est qualitas supernaturalis in primâ specie qualitatis.*

Dicendum ergo cum Suario disp. 11. sect. 3. Vasquez disp. 134. num. 70. & aliis, Characterem esse qualitatem supernaturalem in primâ qualitatis specie, & consequenter habitum seu qualitatem permanentem, ornantem subjectum in ordine ad se, & potestatem ei moralem conferentem ad aliquid vel efficiendum, vel recipiendum. Character itaque *Baptismi* dat potestatem ad alia Sacramenta validè suscipienda: Character *Ordinis* ad actus aliquos sacros in Ecclesiâ exercendos: *Confirmationis* denique character licèt propriè non sit potentia, aliquâ tamen ratione est, cùm sit adscriptio quædam in militiam Christi, & dispositio ad Sacramenta quædam decenter suscipienda.

XII. *Character semel impressus manet semper, etiam in damnatis.*

Manet verò semper character semel impressus, etiam in damnatis. Quamvis autem sit qualitas supernaturalis, non obstat statui damnatorum, cùm nihil eorum vel culpæ minuat, vel pœnæ, nec sit principium physicum elicitivum alicujus actus tendentis ad salvationem. Licèt etiam maneat ad eorum confusionem, non tamen videtur intuitivè à damnatis, sed à solo Deo & beatis, cùm sit res in entitate supernaturalis, à damnatis verò cognoscitur tantùm per species abstractivas, sicut hunc cognoscunt fuisse Regem, illum Comitem, & cætera.

XIII. *Dici non improbabiliter potest character spectare ad quartam speciem qualitatis.*

Mihi tamen non videtur improbabile, posse aliquo modo spectare characterem ad quartam speciem qualitatis, ut vult Salas; cùm enim non videatur implicare qualitas supernaturalis, quæ peculiari modo respiciat gratiam & res supernaturales, ac servitutem Christi, sicut gemitus, lachrymæ, risus, & cætera, significant res quasdam naturales, non est cur negemus characterem Baptismi de facto esse ejusmodi: imò nisi dicatur respicere ex naturâ suâ res aliquas supernaturales, non est cur sit necessariò quid supernaturale, cùm res quævis naturalis assumi possit ad placitum ad significandum aliquid supernaturale, sicut de facto vox *gratia*, *lumen gloriæ*, *visio beatifica*, &c. res supernaturales significant.

XIV. *Characteres in ipsâ animâ substantiâ subjectâtur, non in potentiis, licèt ab realiter ab animâ dicantur distingui.*

Recipitur Character in ipsâ substantiâ animæ, tum quia potentiæ non distinguuntur ab animâ, ut in Philosophiâ dixi, tum quia esto distinguerentur, adhuc cùm Character non sit propriè quid operativum, sed spectans ad ornatum & perfectionem, congruentiùs est, ut in ipsâ animæ substantiâ immediatè, quàm in potentiis, recipiatur. Dices, saltem character est potentia moralis ad aliquas operationes, ergo debet esse in eâ potentiâ, ad quam spectant illæ operationes. Contra primò: Ergo deberet Character esse & in voluntate, & intellectu, cùm det jus ad operationes utriusque potentiæ. Contra secundò: Gratia dat jus ad visionem beatificam, visio ad dotes corporis glorioſi, & tamen nec illa est in intellectu, sed in solâ animâ, neque hæc in corpore, sed in intellectu, ergo similiter licèt Character det jus & ad operationes intellectus & voluntatis, poterit esse in animâ.

DISPU-

DISPUTATIO SEXAGESIMA NONA.

De Baptismo.

BAPTISMVS, *ut notat Doctor Angelicus hic, quæst. 66. art. 1. variis nominibus appellatur, quorum singula aliquem ejus effectum denotant. Primò vocatur* Regeneratio, *quæ appellatio quamvis cuicumque justificationi applicari suo modo possit, peculiarem nihilominus cùm Baptismo habet connexionem, per illum siquidem fit absolutè prima sanctificatio, destructo peccato illo in quod, culpâ primi parentis, lapsum fuerat humanum genus, eóque sublato homo, ut ait Concilium Tridentinum Sess. 6.* De membro Adæ, fit membrum Christi, & Filius Dei. *Secundò Baptismus appellatur* Signaculum, *vel* Sigillum, *quod nomen Sanctus Thomas ab effectu Baptismi, seu charactere desumptum esse existimat: Baptismo autem præ reliquis Sacramentis imprimentibus characterem peculiariter convenit hæc appellatio, quia per illum ejusmodi character imprimitur, quo Christi ejúsque Ecclesiæ membra designamur. Tertium Baptismatis nomen, quod ex Sancto Damasceno refert Divus Thomas, est* Custodia, *seu* Præsidium, *quæ appellatio ideo fortè data est Baptismo, quòd omnibus qui illius impressum sibi habent characterem, peculiare detur auxilium ad eos in Ecclesiâ conservandos. Quartum Baptismi nomen est* Illuminatio, *quòd nimirum homines per illum illuminentur, desumptumq; videtur ex Sancto Paulo ad Hebræos sexto, ubi Baptizatos appellat Illuminatos, nihilq; apud Græcos Patres frequentiùs, quàm ut Baptismus* φωτισμὸς *vocetur.*

Plurima verò, quæ tum ad Baptismum, tum Confirmationem pertinent, generatim in tractatu de Sacramentis in genere discussimus, pauca ergo tantùm quæ peculiariter circa hæc duo Sacramenta supersunt dicenda, in hac & sequente Disputatione adjicientur.

SECTIO PRIMA.

Discutiuntur quædam ad Sacramentum Baptismi spectantia.

I. *Quamvis hæretici tam novi quàm antiqui, Baptismi excellentia & efficacia detraherent, nullus tamen eum unquam negavit.*

DE Baptismi existentiâ nullus, etiam ex hæreticis, vel novis vel antiquis hactenus dubitavit: etsi namque olim Pelagiani, & quidam etiam ex nostri temporis hæreticis illum nullam gratiam in suscipientium animos derivare, nec boni quidquam iis præstare dixerint, imo reipsa Joannis baptismate quoad peccati remissionem non esse efficaciorem, omnes nihilominus eum dari asserebant: Secta tamen illa *Flagellantes* nominata, Baptismum aquæ jam cessasse, & in Baptismum sanguinis esse mutatum homines deliri dictitabant.

II. *De tempore institutionis Baptismi est inter Auctores controversia.*

Datur ergo, ut omnes fatentur, Sacramentum Baptismi ab ipso Christo institutum: quamvis autem de institutionis tempore nonnulla fuerit inter Auctores dissensio; Halensis enim quartâ parte, q. 8. memb. 2. & alii nonnulli, & probabile existimat

existimat Cano lib. 8. de locis Theologicis, c. 5. Christum illud post passionem suam instituisse affirmant, fuisse tamen illud à Christo ante passionem institutum, communis est Theologorum sententia cum Sancto Thoma 3. parte, quæst. 66. art. 2. & Sancto Augustino tractatu 15. in Joannem, & alibi sæpè. Probatur primò, quia Joannis 3. vers. 22. dicitur Christus per discipulos baptizasse, & versu 26. referuntur discipuli Joannis Baptistæ apud eum conquerentes quòd Christus per discipulos baptizaret, hic autem baptismus erat verus Baptismus, & gratiam conferebat; baptizabat enim Christus ut institutor novæ legis à Patre constitutus, & ad hoc in mundum missus. Unde quando Sanctus Chrysostomus, S. Leo, & Rupertus dicunt institutum fuisse post resurrectionem, intelligendi sunt de generali præcepto baptizandi respectu totius mundi, seu quando ejus obligatio omnibus incumbebat..

III. *Quo vita sua tempore Christus Baptismi Sacramentum instituerit.*

Circa tempus verò vitæ, quo Christus hoc Sacramentum instituit, est controversia; Sancti enim Patres frequenter dicunt tunc fuisse Baptismum à Christo institutum, cùm ipse à Joanne baptizatus est; hoc autem solùm intelligi debet institutum fuisse secundùm adumbrationem tantùm quandam, quæ fiebat dum materia ibi sanctificaretur contactu Christi, forma autem obscurè ibidem significabatur dum tres personæ illic innotescerent. Paulò ergo post institutus fuit à Christo Baptismus; institutio enim requirit exteriorem aliquam voluntatis legislatoris manifestationem, quæ tunc non est facta.

IV. *Baptismi definitio.*

Definitur Baptismus à Theologis cum Sancto Thoma hîc, art. 1. *Ablutio corporalis facta sub hac verborum formâ, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Unde secundùm eundem Sanctum Thomam & omnes Theologos contra Hugonem de Sancto Victore, quem impugnat hîc Sanctus Doctor, materia proxima Baptismi est ablutio, hæc autem in eo consistit, ut aqua aliquo modo successivè contingat, seu decurrat per corpus; unde una aquæ guttula non sufficit, ut vult Vasquez, & Henriquez. Etsi autem peccaret is, qui puerum in puteum animo eum baptizandi projiceret, validè tamen baptizaret. Ex quibus clarè constat trinam immersionem non esse ad Baptismum necessariam, licèt adhiberi debeat ubi est in usu, imò nulla immersio requiritur, sed sufficit infusio.

V. *Materia Baptismi remota est aqua naturalis.*

Materia remota Baptismi est aqua naturalis: ita Concilium Lateranense cap. *Firmiter*, Florentinum in decreto ad Armenos, & Tridentinum sess. 7. de Baptismo; ex præcepto tamen esse debet benedicta. Quævis immutatio aquæ calida nimirum sit an frigida, ex thermis, acetosa, salsa, &c. non impedit, nec aliqua alterius rei admixtio nisi nimia sit. Unde lixivium & decoctio carnium juxta Sanctum Thomam est materia sufficiens Baptismi, quod etiam de tenui cerevisiâ affirmat Coninck quæst. 66. art. 4. dub. 1. n. 23. quæ, inquit, comparari potest aquæ lutulentæ. Idem est de aquâ tenuiter vino mixtâ. Saliva ergo, sudor, lachrymæ, & alii humores non sunt materia Baptismi, sicut nec aqua rosacea, aut alius liquor ex herbis vel aliis rebus expressus, cùm non sint aqua naturalis. Glacies, etiam nix, &c. quamdiu talia sunt, non sunt materia Baptismi.

VI. *Quantum aquæ ad Baptismum sit necessarium.*

Minima aquæ guttula, ut dixi, non sufficit, sed in eâ quantitate esse debet, ut per eam fieri possit ablutio. Aqua baptismatis, ut etiam supra dixi, quantum fieri potest debet ex præcepto esse benedicta, quæ si congeletur, non eget novâ benedictione postquam resolvitur. Si materia, quæ in Baptismo adhibita est, sit dubia, Baptismus sub conditione est iterandus.

VII. *Quæ pars corporis lota sufficiat.*

Quænam corporis pars lota sufficit ad Baptismum dubitant Auctores; etsi enim omnes conveniant validè baptizari, si caput, pectus, aut scapulæ abluantur, si tamen sola manus, pes, aut digitus tingatur aqua, plurimi negant validum esse Baptismum, neque hoc modo conferendum, nisi in casu necessitatis, & etiam esse sub conditione iterandum: quod etiam, ut dixi, semper faciendum, quando materia dubia (quæ in casu necessitatis applicari potest) fuerit adhibita. Si ad infantem in utero materno aqua pervenire possit, putatur eum validè baptizari. Non sufficit si abluatur sola pellis secundina, multo minùs vestes.

VIII. *Consueta Baptismi formâ.*

Quoad formam Baptismi hæc est consueta & ab omnibus approbata, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In quâ formâ notandum primò debere exprimi saltem implicitè & indirectè actionem prout procedit à personâ ministri, quod tamen non requiri directè & explicitè, constat ex formâ Græcorum approbatâ in Concilio Florentino, *Baptizetur talis servus Christi*, &c.

IX. *Exprimi in formâ Baptismi debet persona baptizanda.*

Deinde debet exprimi secundùm omnes persona baptizanda; sicut enim materia Baptismi debet versari circa certam personam, ita & forma, cùm significet effectum circa illam producendum. Ex quibus deducitur non posse aliquem baptizare se, quod commune est omnibus Sacramentis, quæ in actione consistunt, & quoad Baptismum in particulari probatur ulteriùs ex capite *debitum de Baptismo*, ubi hoc definitur, & explicatur exemplo generationis, per quam nemo potest generare seipsum, Baptismus autem est spiritualis quædam generatio, & vocatur Sacramentum regenerationis. Deinde Christus hoc modo Baptismum instituit dicens: *Baptizantes eos*: Apostoli etiam hac ratione semper leguntur fecisse, & ab ipsis ad hæc usque tempora fuit communis praxis Ecclesiæ. Non tamen est necessarium ponere particulam *te*, sed aliquid æquivalens, nempe nomen proprium, vel appellativum, ut *baptizo Petrum*, vel *baptizo dominationem tuam.* Tertiò requiritur ut dicatur *in nomine*, non *in nominibus*, ut significetur unitas in essentiâ, auctoritate & virtute trium personarum.

X. *Sitne necessaria invocatio explicita trium Personarum.*

Solùm ergo superest examinanda ultima pars formæ, nempe *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & inquirendum, an necessaria sit ad Baptismum explicita invocatio trium Personarum.

XI. *Ostenditur explicitam trium Personarum invocationem esse ad Baptismum necessariam.*

Dicendum requiri: Probatur primò, nam Matthæi ultimo dicit Christus, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ubi secundùm Patres omnes traditur forma Baptismi. Secundò idem docet Florentinum in decreto ad Armenos. Pelagius etiam Papa capite *si revera*, ait nullum esse Baptismum collatum in nomine Christi: Zacharias etiam Papa capite *In Synodo Anglorum*, expressè ait nullum esse Baptismum, si vel una persona omittatur: idem testantur Sanctus Damascenus, Origenes, S. Cyprianus, Sanctus Augustinus, S. Isidorus, & alii Patres, quos fusè Suarez citat disp. 2. sect. 13. & Vasquez tomo 2. in tertiam partem, disp. 143. Ratio est, quam insinuat Zacharias Papa loco citato, quia Baptismus est Sacramentum fidei, per quod Ecclesiam

clesiam ingredimur, qua de causâ conveniens fuit, ut præcipuum fidei mysterium perfectè exprimeret; unde trium Personarum in eo clara fieri debet mentio.

XII. *Objic. Aliquos olim baptizatos fuisse in nomine Christi.* Dices cum Caietano hîc, art. 5. qui contrarium censet, secutus Magistrum in quarto, distinct. 3. in actibus Apostolorum referri fuisse aliquos baptizatos in nomine Christi, seu in nomine Domini JESU. Respondent aliqui, Christum in initio cum Apostolis hac in re dispensasse, ut clarior fieret nomen Christi: quam responsionem indicat Sanctus Thomas hic, art. 6. ad primum.

XIII. *Declaratur quid olim fuerit baptizari in nomine Christi.* Sed quicquid sit de hoc. Respondeo baptizari in nomine Christi idem esse ac baptizari in baptismate instituto à Christo, ut opponeretur baptismati Joannis, vel aliter ita scilicet, ut nomen Christi poneretur in ipsâ formâ baptismatis, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus* JESU CHRISTI, &c. Quod enim omnes tres Personæ debuerint, etiam in initio Ecclesiæ nominari in formâ baptismatis, probatur ex illo Actorum 19. ubi cùm Sanctus Paulus quosdam rogasset an accepissent Spiritum Sanctum, respondissentque illi, se nec si Spiritus Sanctus esset, audivisse; subjecit Apostolus: *In quo ergo baptizati estis*, ergo expressè supponit Apostolus, debuisse in baptismate nominari omnes tres personas, cùm non in Christo solo, sed & in Spiritu Sancto debuerint illi baptizari. Quod etiam confirmatur ex canone 49. & 50. Apostolorum, ubi expressè præscribitur, ut baptisma conferretur *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nullâ factâ mentione baptismatis in nomine solius Christi, cujus tamen eo tempore sine dubio fuisset facta mentio, si Baptismus ille fuisset validus.

XIV. *Dices: Assuevisse Nicolaum Pontificem, Judæũ validè baptizare in nomine Christi.* Difficiliùs objicitur ex Nicolao Papa in capite *A quodam Iudæo*, ubi cùm ab ipso quæsitum fuisset, utrùm Baptismus à Judæo aut Pagano collatus, esset validus? Respondet, si datus sit in nomine Christi, vel in nomine Sanctæ Trinitatis (unum quippe, inquit, idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius) esse. Ad hoc respondet Suarez disp. 21. sectione 4. Vasquez disp. 143. cap. 4. Valentia tomo 4. disp. 4. quæst. 1. punct. 3. Coninck quæst. 66. art. 6. num. 53. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 12. & lib. de Baptismo cap. 3. Henriquez lib. 2. cap. 10. qui multos citat, Tannerus tomo 4. disp. 3. quæst. 1. dub. 3. Præpositus quæst. 66. art. 6. dub. 4. num 54. Mæratius tom. 3. tract. de Baptismo disp. 3. sect. 2. aitque esse communem Theologorum consensum: hi ergo omnes & alii asserunt Pontificem hoc non definiendo dixisse, cùm istud ab eo quæsitum non fuerit, solúmque definivisse Judæum aut Paganum validè posse baptizare, hocque esse de fide, aliud verò ut privatum Doctorem addere, nempe validè baptizare, etiamsi in nomine Christi tantùm baptizet, & in hoc, inquiunt hi Auctores, erravit.

XV. *Dicunt alii, Pontificem non de formâ Baptismi locutum esse, sed de intentione ministri.* Secundò dicunt aliqui Pontificem ibi non loqui de formâ Baptismi, sed de intentione, nempe validè illum baptizasse, si habuerit intentionem conferendi Baptismum in nomine Trinitatis, seu Christi, hoc est non per modum cæremoniæ Judaicæ, sed ritus Christiani.

XVI. *Certum nihilominus videtur, Pontificem de formâ Baptismi hîc esse locutum.* Sed hæc solutio stare non potest, primò, quia non sciebatur certò esse Judæus, ergo non erat tantùm periculum conferendi per modum cæremoniæ Judaicæ. Secundò & præcipuè, quia Pontifex dicit non esse baptizandos si baptizati fuerint in nomine Christi, prout Sanctus Ambrosius exponit, certum verò videtur Sanctum Ambrosium libro. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. qui est locus à Pontifice citatus, docere Baptismum esse validum solo nuncupato nomine Christi, imò quâvis ex tribus Personis, licèt reliquæ taceantur: & hoc modo Sanctum Ambrosium intelligit Sanctus Thomas, & omnes: nec se refert S. Ambrosius ad Sanctum Lucam, & licèt referret, hoc tamen nihil faceret, nam ipse hoc modo exponeret Sanctum Lucam, nempe sufficere Baptismum collatum in nomine solius Christi, voce exteriùs prolato, quamvis reliquæ personæ taceantur, modò fide teneantur ut est clarum ex contextu, ergo Pontifex idem affirmat. Quare standum videtur priori solutioni, quæ est omnium penè Auctorum, & dicendum id quod directè petitum est à Pontifice fuisse, utrùm baptismus ex eo quòd à Judæo collatus sit, fuerit invalidus? cui respondet Pontifex non esse, & hoc est de fide, quòd verò addat, licèt conferatur in nomine Christi tantùm, ponit ut privatus Doctor, cùm hoc ab eo quæsitum non sit.

SECTIO SECUNDA.

Alia ad Sacramenti Baptismatis cognitionem necessaria: & primò de Baptismo Fluminis, Flaminis, & Sanguinis.

I. *Quotuplex sit Baptismus.* QUÆRES primò: Quotuplex sit Baptismus? Respondetur, si loquamur de Baptismo propriè dicto, illo scilicet, quem sectione præcedente declaravimus, esse tantùm unicum, juxta illud Divi Pauli ad Ephesios 4. vers. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Si verò latiùs sumatur hæc vox *Baptismus*, est triplex: Baptismus *fluminis*, *flaminis*, & *sanguinis*. Baptismus *fluminis* est ille, qui per aquam naturalem, seu elementarem fit, & verba consueta, quem proinde Pius V. Catechismus vocat *Sacramentum regenerationis, per lavacrum aquæ in verbo vitæ*, alludens ad illud Christi Joannis 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto*, &c. & Divi Pauli ad Ephesios 5. vers. 26. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.*

II. *Baptismus Flaminis est in quibusdam cæsibus contritio, seu amor Dei super omnia.* Baptismus *flaminis* est contritio, seu amor Dei super omnia, si prima liberatio à peccato etiam originali, & gratiæ infusio per hujusmodi actum habeatur. Ad hunc actum refertur illud Isaiæ 1. vers. 16. *Lavamini: mundi estote*: & Ezechielis 36. vers. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*: & hac de causâ vocatur *Baptismus Pœnitentiæ*. Quamvis ergo per hunc Baptismum, seu contritionem corpus non abluatur exteriùs, anima tamen lavatur interiùs, sicque vera & perfecta contritio, quoad remissionem peccati tam originalis, quàm personalis, & gratiæ ac virtutum infusionem, supplet locum Baptismi, non tamen quoad impressionem characteris, unde, & sæpiùs iterari potest, & post eum Baptismus fluminis & sanguinis suscipi.

III. *Quare hæc contritio vocetur Baptismus Flaminis.* Ideo autem vocari videtur Baptismus *flaminis*, quia in interno animi motu ex speciali Spiritus Sancti inspiratione situs est, & Baptismi votum seu propositum includit. Quare si quis post baptismum *flaminis*, seu actum contritionis, in his circumstantiis

circumstantiis elicitum morerctur, ac rursus revocaretur ad vitam, deberet Baptismo *flumnis* baptizari, sicut etiam deberet Catechumenus, si postquam subiit Martyrium, denuò resuscitaretur. Quemadmodum similiter, si quis post susceptum Baptismum, cum aliquo peccato gravi, quod vel propter oblivionem vel inopiam Confessarii non fuit confessus, Martyrium subiret; si postea revocaretur ad vitam, teneretur peccatum illud confiteri, sicut teneretur si postquam talia vulnera accepisset, ex quibus infallibiliter mors sequeretur, copia ei Confessarii daretur.

IV. *Baptismus Sanguinis est Martyrium.* Denique Baptismus *sanguinis* idem est ac martyrium, quod quis pro Christo, aut verâ religione ac justitiâ subit, de quo fusè dictum est supra, disp. 62. sect. 4. & 5. ubi quam dispositionem in adultis requirat; in parvulis enim, ut ibidem vidimus, nullam exigit, latè declaravimus. De effectu etiam Martyrii, & quo pacto gratiam conferat, dictum est in superioribus.

V. *Minister ad validè conferendum Baptismum est quivis, etiâ laicus, hæreticus, & paganus.* Quæres secundò: Quis Sacramenti Baptismi sit minister? Respondetur, Ministrum ad validè conferendum Baptismum esse quemvis, etiam Laicum & fœminam, hæreticum & paganum, peculiari tamen modo ad Sacerdotem spectat ratione sui ordinis, licèt sine jurisdictione licitè quivis non possit. Diacono verò committi potest à pastore, ut solemniter baptizet. In casu etiam necessitatis Sacerdos Diacono, is Subdiacono, hic aliis Clericis, illi Laïcis, viri fœminis præferendi, quamvis inversio hujus ordinis in aliis præterquam in Sacerdote, mortale non sit, nec solùm non contra jus alienum, sed nec graviter contra reverentiam huic Sacramento debitam. Justi etiam sunt præponendi iis, qui sunt in peccato, nisi adsit Sacerdos. Plures possunt simul eundem baptizare sicuti eandem hostiam consecrare: potest etiam idem plures simul aspergendo baptizare validè, dicendo: *Ego vos baptizo*, imò & in casu necessitatis licitè.

VI. *A die Pentecostes obligare cœpit baptismus.* Quoad necessitatem Baptismi dico, postquam obligare cœpit, quod fuit à promulgatione illius, quæ facta est in die Pentecostes, ante quod tempus non erat mortuum antiquum testamentum, etsi in morte Christi lethale vulnus acceperat, & ad interitum inclinabat, quo sensu dicitur tunc à Patribus interemptum, nempe moraliter, & licèt etiam conditum sit in morte Christi novum testamentum, mansit tamen usque ad Pentecosten clausum & obsignatum, nec obligabat: Dico, inquam, post hoc tempus fuit semper necessarius ad salutem Baptismus, ut definit Tridentinum sess. 6. cap. 4. ob locum illum Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. & Patres universim affirmant, dicente Sancto Augustino de origine animæ cap. 9. & alibi, *hoc dicendum si velis esse Catholicus.* Quare falsa & temeraria ab omnibus censetur opinio Caietani dicentis, ubi non est copia Baptismi parvulos fidelium fide parentum exteriùs manifestatâ, iisque applicatâ salvari posse: quæ sententia jussu Pii V. fuit expuncta quæstione 68. articulo primo & secundo.

VII. *Quicquid olim fuerit, tenetur jam quivis adultus, quam primum cò modè potest, baptismum suscipere.* Tenetur jam quivis adultus primâ oblatâ commodâ occasione baptizari, quamvis ex justâ occasione Baptismus interdum differri possit, nempe ut melius quis instruatur, ut cum majore solemnitate peragatur, suóque & aliorum fructu, &c. Quæ autem voluntas & dispositio ad Baptismum suscipiendum sit necessaria, & quo pacto fictè susceptus reviviscat, fusissimè declaratum est supra in tract. de Sacramentis in genere, disp. 66.

Circa Baptismum Joannis, certum de fide est contra quosdam nostri temporis hæreticos, Baptismum Joannis non habuisse eandem efficaciam cum Baptismo Christi; hoc enim definitum est à Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Baptismum Ioannis habere eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* Idem, fatentibus etiam sectariis, passim docent Sancti Patres. Differentia autem inter utrumque Baptismum est, quòd Baptismus Joannis, etsi homines per Pœnitentiam ex illius susceptione justificari potuerint, cùm nimirum ad hujusmodi Pœnitentiæ actum habendum, Joannis Baptismus juvaret, ex opere tamen operato, quod facit Baptismus Christi, gratiam non conferebat. VIII. *Baptismus Joannis multo minoris virtutis & efficacia fuit, quàm Baptismus Christi.*

Sicut Christus, ut impleret omnem justitiam, baptizatus fuit à Joanne, ita ipse Joannem baptizavit, sicut dixerat Joannes: *Ego à te debeo baptizari.* Verisimile etiam est, Christum Matrem suam propriis manibus baptizasse, & insuper Petrum. Henriquez lib. 2. de Baptismo, cap. 5. num. 3. Christum præterea dicit baptizasse Andræam, & Jacobum ac Joannem. IX. *Beatissimæ Matri Virgini Christum ipsum suis manibus baptismum administrasse, est verisimile.*

Baptismi capaces sunt omnes & soli homines, ad hos enim omnes & solos baptizandos missi sunt à Christo Apostoli, Marci ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Soli enim homines, non Angeli, sunt Baptismi capaces. Neque hoc solummodo intelligendum videtur de illis hominibus, qui naturali viâ & modo ab Adamo sunt propagati, sed de iis etiam, qui à Deo miraculosè crearentur, quamvis peccatum originale non contraherent, ablatio namque peccati originalis non est unicus effectus Baptismi. Toto vitæ tempore homo est capax Baptismi usque ad ultimum instans; tamdiu enim est capax consequendi salutem. Primo verò instanti post animæ à corpore separationem Baptismi est incapax. Quare turpiter errarunt Cataphryges qui mortuos baptizabant, aut vivum aliquem loco mortui stolidè existimantes Baptismum etiam mortuis prodesse. X. *Omnes, & soli homines sunt Baptismi capaces.*

Quæres tertiò: Utrùm baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi? Affirmabat olim S. Cyprianus cum 71. Episcopis Africæ in Concilio Carthaginensi secundo: sed quoad hoc punctum Stephanus Papa peculiari hac de re scriptâ Epistolâ Concilium illud reprobavit. Contrarium ergo, baptizatos scilicet ab hæreticis non debere iterum baptizari, veritas catholica est, definita in Concilio Tridentino, sess. 7. can. 4. de Baptismo his verbis: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum: anathema sit.* XI. *Baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi.*

Quæres quartò: Si unus materiam applicet, puerum scilicet abluat, alius formam pronunciet, utrùm Baptismus sit validus? Partem affirmativam tenet Marsilius in 4. quæst. 4. art. 4. d. 11. Rubio quæst. 1. favetque Caietanus hîc, q. 67. art. 6. Omnino tamen tenendum est contrarium cum communi Theologorum sententiâ, quam docet S. Thomas hîc, quæst. 67. art. 6. ad 3. Sanctus Bonaventura, Halensis, Scotus, Gabriël, & alii ex antiquis. Ex recentioribus verò idem tenet Suarez hîc, disp. 23. sect. 3. Vasquez disp. 148. cap. 4. Valentia quæst. 3. punct. 2. Henriquez libro 2. cap. 12. & alii communiter. Ratio est, nam ut ait S. Thomas, alioqui sequitur formam Latinorum, quæ ab omnibus censetur vera, fore falsam; falsum enim dicit qui ait: XII. *Vt baptismus sit validus, ab eodem aqua infunde nda est, & verba pronunciandа.*

Ego,

Ego te abluo, seu baptizo, si non ipse, sed alius eum abluat, seu aquam in eum injiciat, vel illum aquæ immergat. Imò ut loco citato ostendit Sanctus Thomas, neque hæc forma esset valida, *Nos te baptizamus*: nec ulla commoda forma in hoc casu adhiberi potest. Sic etiam non est validus Baptismus, si unus unam, alius aliam formæ partem pronunciet.

XIII. *Quid si puero jamjam morituro adstarent tantùm duo, mancus alter, alter mutus.*

Quare si contingeret puero necdum baptizato, & jamjam morituro astare tantùm duos, alterum mancum, qui eum abluere non possit, alterum mutum; in hoc etiam casu Baptismus ab iis collatus non esset validus: sicut si contingeret unum tantùm, cúmque mutum adesse, in hoc inquam casu, si is aquam injiceret, & formam signis seu nutibus, eo modo quo muti loqui solent, exprimeret, Baptismus absque dubio esset invalidus, quamvis Paludanus in casu necessitatis putet eum esse validum, sed eodem modo dicere posset, si in casu necessitatis deesset aqua naturalis, posse rosaceam, aut aliud quidpiam loco aquæ applicari, & alia hujusmodi. Addit tamen Suarez disp. illâ 23. sect. 3. §. *Ad ultimam verò*, in casu illo quando tantùm adessent mancus & mutus, posse puerum eo modo baptizari juxta aliam sententiam; præstat enim potiùs Baptismum dubium suscipere, quàm nullum, postea tamen si daretur occasio, Baptismus ille esset sub conditione iterandus.

SECTIO TERTIA.

An filii infidelium possint invitis parentibus baptizari.

I. *Sermo tantùm est de infantibus.*

DE solis infantibus est sermo; adulti enim, seu qui ad rationis usum pervenerunt, cùm hac in parte sui juris sint, ut tum validè, tum licitè baptizentur, à parentum voluntate non pendent. Sermo etiam non est de validitate Baptismi parvulorum; certum enim est contra Durandum, Marsilium, Paludanum, & Catharinum, horum Baptismum, quantumvis reluctantibus parentibus fiat, esse validum. Quærimus itaque utrùm infantes infidelium, hoc est eorum, qui nunquam fuerunt baptizati, licitè baptizentur invitis parentibus, posse namque filios hæreticorum invitis parentibus baptizari, saltem ut plurimum, est indubitatum. Per hæreticos verò non illos tantùm intelligimus, qui post susceptum Baptismum lapsi sunt in hæresim, sed illos etiam, qui postquam sunt baptizati, in Judaismum etiam vel paganismum inciderint; horum enim infantes certum est Ecclesiam habere jus baptizandi, quantumvis parentes reluctentur, nam & ipsosmet parentes ad fidem servandam cogere potest, cùm directè subsint potestati, & jurisdictioni illius spirituali.

II. *Quorumcumque infidelium infantes in articulo mortis licitè invitis parentibus baptizantur.*

Prima conclusio: Infantes infidelium, seu eorum qui nunquam baptizati sunt, sive politicè Principibus Christianis quoad potestatem temporalem subjecti sint, sive non, in præsenti mortis articulo licitè baptizantur, præsertim occultè, quantumvis invitis ac reluctantibus parentibus: ita Valentia hìc, quæst. 3. punct. 3. Suarez to. 3. in tertiam partem, sect. 3. §. *Ex his autem*: Vasquez disp. 155. cap. 2. Henriquez lib. 2. cap. 25. num. 4. Soto, Divus Antoninus, & alii. Ratio est, quia in hoc casu nec periculum est apostasiæ, seu ne puer postea labatur in infidelitatem, nec sit injuria parentibus, cùm infans in hoc articulo sit moraliter extra parentis potestatem, cùm parentis jus tunc in puero propemodum sit extinctum.

III. *Extra mortis periculum, infidelium, qui servi non sunt, infantes contra parentum voluntatem baptizari licitè non possunt.*

Secunda conclusio: Extra mortis periculum, infantes quorumcunque infidelium, etiam eorum qui protestati temporali Christianorum Principum subsunt, si servi Christianorum non sint, non possunt invitis parentibus baptizari. Quod de parentibus dixi, dici etiam debet de tutoribus, aliisque, sub quorum curâ & gubernatione existunt, idque nec privatâ auctoritate, nec publicâ: ita S. Thomas hìc, quæst. 68. art. 10. & 2. 2. quæst. 10. art. 12. quem Thomistæ omnes sequuntur, Cajetanus, Bannez, Capreolus, Paludanus, & alii: Divus Antoninus 2. parte, tit. 12. cap. 2. §. 4. Richardus in 4. dist. 6. art. 3. q. 3. Valentia quæst. 3. puncto 3. Suarez hìc, disp. 25. sect. 3. & 4. Vasquez hìc, disput. 155. cap. 2. Henriquez libro 2. cap. 25. num. 4. & alii. Scotus tamen, Gabriël in 4. dist. 4. & alii existimant illorum infidelium infantibus, qui politicè Christianis Principibus subsunt, Baptismum licitè conferri, quantumvis reluctentur parentes.

IV. *Frustra & inutiliter baptizarentur, cùm adulti moraliter loquendo sint professuri paganismũ.*

Ratio conclusionis est, hujusmodi namque infantes, cùm sine injuriâ abstrahi nequeant à parentibus, & jure naturæ eorum curæ ac dispositioni subsint, frustra ac planè inutiliter baptizantur, imò cum injuriâ Sacramenti, & includit sacrilegium, nam ut habetur in Concilio Toletano 4. cap. 59. fieri moraliter loquendo non potest, ut infantes baptizati, sub parentum infidelium curâ educati, eosdem cum iis errores adulti non profiteantur. Accedit educationem liberorum ipso naturali jure debitam esse parentibus: quare vel Sacramento, ut dixi, & Christianæ religioni injuria fieret, si sub parentum tutelâ relinquerentur, vel parentibus, si auferrentur. Marsilius verò & Sylvester verbo *Baptismus* 4 quæst. 7. unius ex parentibus consensum sufficere arbitrantur: quod verius videtur secluso periculo apostasiæ.

V. *Infans infidelium plane à parentibus separatus, potest sine eorum consensu baptizari.*

Si tamen infans aliquis, filius parentis infidelis, etiam nullo modo subjecti Principibus Christianis, ita abstractus esset à parentibus, ut nulla sit probabilitas fore ut parentibus reddatur, poterit sine ullo parentum consensu baptizari. At si puer aliquis mansurus sit sub parentum infidelium liberâ potestate, existimo eum non esse baptizandum, etiamsi uterque parens præbeat consensum. Quare etsi Navarrus libro 3. Consilio quinto de Baptismo, & quidam recentiores apud Azor tom. 1. lib. 8. cap. 28. quæst. 6. dicant, si parens infidelis petat ut ejus filius baptizetur ne infans fœteat, vel ut à dæmone, aut morbo aliquo per Baptismum liberetur, existimo nihilominus eum, sine magnâ cautelâ adhibitâ, ac securitate, fore scilicet ut parentes eum, ubi ad adultam ætatem pervenerit, non urgeant ad Judaismum vel Paganismum amplectendum, nec aliunde sit periculum ne in ritus illos & errores labatur, non esse ad Baptismum admittendum.

VI. *Si parentes infideles sint servi Christianorum, possunt eorum filii invitis parentibus baptizari.*

Dixi in conclusione, si Christianorum servi non sint; si enim Christianis dominis ut servi subjiciantur, possunt infantes potestate, quam in eos eorumque parentes habent domini, separati à parentibus, & licitè baptizari, quantumcunque reluctentur parentes. Neque, ut rectè ostendit Suarez citatus, hoc, ut prætendunt aliqui, est contra Sanctum Thomam, imò potiùs videtur esse

esse juxta illius mentem ; postquam enim hic, quæst. 68. art. 10. objecisset, cùm Judæi sint servi Christianorum, posse eorum filios licitè baptizari, respondet Judæos non esse propriè servos, sed politicè tantùm Christianis subesse, quo responso satis declarat, si verè & propriè essent servi, posse eos, reluctantibus etiam parentibus, licitè baptizari ; quod idem docet 2. 2. quæst. 10. a. 12. ad tertium. Hujus autem rei veritas à receptâ illâ passim doctrinâ pendet, posse scilicet ex vi potestatis, quam dominus in servos habet, filium à parente separari, si verò semel sit separatus, nec sit verisimile eum ampliùs ad parentem redicturum, nil obstat quo minùs licitè baptizetur, ut numero præcedente diximus de filio infidelis nullo modo subjecti Christianis. Quare existimo ulteriùs posse dominum vendere parentem in partes longinquas, ut habeat opportunitatem filium ejus baptizandi ; in hoc enim utitur jure suo, nec ullam ei facit injuriam.

VII. *Quid si alter ex parentibus sit infidelis, alter baptizatus.*

Si infans ex altero tantùm parente baptizato nascatur, S. Thomas in supplemento, quæst. 79. art. 4. ad 4. Sotus, Sylvester, & Henriquez libro 2. cap. 25. existimant eum posse utroque etiam parente invito baptizari, modò absit periculum apostasiæ. Ratio est ; cùm enim alter ex parentibus subjiciatur immediatè spirituali jurisdictioni Ecclesiæ, infans ratione illius eidem jurisdictioni subjicitur mediatè. Deinde in dubio, & æquali conditione stare potiùs oportet pro innocente, in tanto præsertim periculo, ac est amissio æternæ salutis.

VIII. *Quocumque modo infidelium filii redduntur mancipia Christianorum, possunt baptizari.*

Tertia conclusio : Probabilius etiam videtur quod affirmat Durandus in 4. distinct. 4. q. 6. Suarez, Vasquez, Valentia, Henriquez & alii, filios scilicet eorum infidelium, qui in bello à Christianis capti sunt, vel aliâ ratione illorum mancipia redduntur, posse invitis parentibus baptizari, modò ab iis abstrahantur, provideaturque ne ad eos cum periculo apostasiæ redeant. Quod etiam verius existimo de eorum infidelium infantibus captis, cum quibus justum bellum à Christianis geritur, quamvis eorum parentes necdum in Christianorum potestatem venerint : sicut enim alia bona possunt ab infidelibus illis citra injuriam auferri, ita & liberi, sicque abstracti, à parentibus, licitè baptizari : utrùm autem semper expediat, constabit ex sequentibus.

IX. *Volunt aliqui teneri dominos Christianos hujusmodi infantes baptizare.*

Imò ulteriùs aliqui affirmant, non solùm posse dominos Christianos infidelium infantes hoc modo jure belli captos baptizare, sed etiam teneri, nec posse eos reddere parentibus : ita sentire videtur Scotus, Gabriel, & alii nonnulli, idque universim asserunt de omnibus infidelium infantibus, quocunque modo in potestatem dominorum Christianorum pervenerint, & fiant mancipia.

X. *Verius est non obligari dominos baptizare hos infantes.*

Contrarium tamen cum communi Theologorum sententiâ videtur probabilius, nullam scilicet esse obligationem hos infantes baptizandi. Hæc, inquam, est communis ferè omnium sententia, docentium non expedire infantes hosce à parentibus abstrahi, ut baptizentur. Ratio autem assertionis est ; in primis enim hæc obligatio in nullo jure positivo fundatur, ut constat, nam ex jure gentium tenentur domini hos parvulos parentibus justum pretium pro eorum redemptione offerentibus reddere, juris autem gentium conservatio, & ad religionis ac fidei nostræ honorem apprimè spectat, Christianæque Reipublicæ utilitati ac dignitati maximè est necessaria. Cùm ergo jure divino nullus teneatur infantem, nisi in mortis periculo baptizare, non est unde hos infantes baptizandi obligatio oriatur.

SECTIO QUARTA.

Reliqua ad Baptismi notitiam requisita.

I. *Non tantùm licitum est, sed etiam expedit Christianorum infantes baptizare.*

NON tantùm licitè possunt, Christianorum infantes priùs baptizari, quàm possint liberè hoc velle, sed etiam expedit ut id fiat, imò est præceptum Ecclesiæ, ut eorum Baptismus diu non differatur. Duæ primæ partes definitæ sunt in Concilio Tridentino sess. 7. can. 13. de Baptismo, ubi Anathema ei dicit Concilium, qui affirmaret, præstare non baptizare parvulos, quàm eos non proprio actu credentes baptizare. Unde jam inde à nascente Ecclesiâ hanc semper inter fideles viguisse consuetudinem, ex Sanctis Patribus ostendit Suarez hìc, disp. 25. sect. 2. quare primo ad hoc opportuno tempore iis est conferendus Baptismus.

II. *Ostenditur dari præceptum baptizandi infantes.*

Hinc probatur tertia assertionis pars, debere scilicet eos, dum adhuc in infantiâ sunt, baptizari ; quamvis enim nullum hac de re, secluso periculo mortis, extet præceptum, communis tamen Ecclesiæ consuetudo, ut rectè Suarez citatus, vim legis seu præcepti habet, per quod obligantur illi, ad quos ea cura pertinet, ut eorum Baptismum diu non differant, & ferè differri non debet ultra octiduum : etiamsi, ut notat Pater Tannerus hìc, disp. 4. quæst. 3. dub. 1. mos olim in Galliâ fuerit, ut non alio, seclusâ necessitate, quàm Paschæ & Pentecostes tempore baptizarentur, ut ex Concilio Matisconensi II. can. 3. constat.

III. *Quinam hæretici baptismum parvulis conferendum esse negaverint.*

Hanc veritatem impugnârunt olim hæretici quidam tempore Sancti Bernardi, quos Petrobrusianos & Henricianos vocabant. Nostro etiam tempore hanc hæresim denuò suscitavit Balthasar Pacimontanus, qui ut ait Pater Tannerus citatus, quondam Professor fuit & Parochus Ingolstadii, ac tandem Viennæ unà cum uxore combustus facem prætulit Anabaptistis, ut eum hac in re sequerentur. Hi negabant Baptismum infantibus vel licitè, vel validè ante rationis usum conferri, quare ad adultam ætatem omnes, nonnulli ad trigesimum ætatis annum, quo tempore Christus baptizatus est, Sacramenti hujus administrationem differendam affirmabant. Sed facilè refelluntur ex dictis ; qui verò hoc eorum somnium fusiùs impugnatum videre cupit, consulat Bellarminum libro primo de Baptismo, capite octavo. In eodem etiam errore fuit Lutherus, docens sine propriâ & actuali fide Baptismum nemini prodesse. Occasionem verò, ut aliis hujus temporis hæresibus, ita huic etiam, more suo præbuit Erasmus in paraphrasi in Matthæum.

IV. *Quid sit timeatur fore ut infantis mors per baptismum accelerata.*

Quæres : Utrùm baptizari possit parvulus jam morti proximus, si vel per minimam aquæ aspersionem timeatur ne ei mors acceleretur ? Respondetur, casum moraliter esse impossibilem, præsertim si aqua calore modico temperetur, ac parum tantùm aquæ infundatur, & confestim abstergatur. Si verò admittatur casus, Soto in 4. dist. 3. art. 8. ait illum qui hoc modo infantem (idem est de adulto) baptizat, & mors inde sequitur,

sequitur, gravi se sacrilegio & homicidio astringere; addit Paludanus in 4. dist. 3. q. 3 eum, qui sic hominem baptizando mortem ejus accelerat, incurrere irregularitatem.

V. *Quo pacto in hoc casu infans non solum possit, sed debeat baptizari.*

Respondetur tamen cum Suarez hîc, disp. 31. sect. 3. §. *Secundò hinc colligo*, Tannero hîc, disput. 4. quæst. 1. dub. 2. num. 77. si infans ille jam agat animam, & moraliter certum sit illum statim expiraturum, debere cum moderatione proximè positâ de aquâ calore temperatâ, & reliquis baptizari; in hoc enim casu, quando imminet tantum periculum mortis æternæ, leve & moraliter nullum censendum est damnum illud, quod corpori ex Baptismo provenire potest; nec enim mors per hoc causatur, nec notabilis mortis acceleratio, tantilla autem vitæ abbreviatio in his circumstantiis nullius est considerationis. Aliud est, si puer projiceretur in puteum, vel aquâ venenatâ aspergeretur, quæ eum statim extinguit, hæ namque actiones per se ac directè ordinantur ad necem inferendam, sicque in hoc casu perinde est ac si aqua omnino non adesset.

VI. *Virum amentibus & furiosis conferri debeat Baptismus.*

Quæres secundò: Utrùm amentes sint baptizandi? Respondetur, si perpetuò fuerint amentes, & ab infantiâ usu rationis destituti, idem de ipsis formandum esse judicium ac de infantibus, & sunt baptizandi. Si verò amentes & furiosi habeant lucida intervalla, & rationis usu interdum fruantur, non in amentiâ, nisi sit periculum mortis, sed dum sui compotes sunt, debent baptizari, tunc namque sui curam gerere, animæque saluti non minùs prospicere possunt, quàm alii, qui in amentiam nunquam inciderunt. Si verò quispiam non baptizatus incideret in amentiam post usum rationis, & in eâ ad finem usque vitæ permaneat, baptizari non debet, etiam in articulo mortis, nisi voluntatem suscipiendi Baptismum, & dispositionem sufficientem ad illius fructum ante amentiam ostendisset.

VII. *Tria ceremoniarum Baptismi genera.*

Circa cæremonias Baptismi, in triplici sunt differentiâ, quædam siquidem Baptismum antecedunt, quædam comitantur, quædam sequuntur: quæ præcedunt sunt duodecim, quæ comitantur quinque, quinque etiam sunt quæ sequuntur, de quibus contra Calvinum pleràsque ex his cæremoniis rejicientem disputat Bellarminus libro primo de Baptismo, capite quarto. De iisdem etiam agit Suarez hîc, in articulum 8. quæstionis 67. Sancti Thomæ, Tannerus hîc, disp. 4. q. 3 dub. 4. & alii.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA.

De Sacramento Confirmationis.

BAPTISMVS, *ut suprà vidimus, est Sacramentum regenerationis, per cujus susceptionem, inquit Eugenius IV. in decreto ad Armenos,* Spiritualiter renascimur: *Confirmatio verò, ut ipsum nomen sonat, in gratiâ per Baptismum acceptâ nos confirmat ac roborat: hinc, immediatè subjungit idem Pontifex,* Per Confirmationem augemur in gratiâ, & roboramur in Fide. *Ad quam rem etiam appositè Melchiades Papa in suâ ad Episcopos Hispaniæ epistolâ decretali:* In Baptismo, *inquit,* regeneramur, ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur, *&c. Baptismi itaque tractatione absolutâ, recto ordine sequitur tractatus de Confirmatione, variáque circa eam inquirenda.*

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa Sacramentum Confirmationis annotantur.

I. *Tam Antiqui quàm novi hæretici negant Confirmationem esse Sacramentum.*

NOVATIANI olim teste Theodoreto, libro tertio hæretic. fabul. & Wicleffus apud Waldensem tomo secundo de Sacramentis, cap. 113. negabant Confirmationem esse Sacramentum. Idem ex summo, ut in alias res sacras, ita & in hoc Sacramentum odio faciunt nostri temporis hæretici, Lutherus libro de captivitate Babylonicâ, dum de Confirmatione, Calvinus libro quarto Institutionum, cap. 19. Philippus, Zuinglius, & alii, qui quamvis Confirmationem inter cæremonias Ecclesiasticas admitti posse asserant, qualis est benedictio aquæ, & similes, in numerum tamen Sacramentorum eam nullo modo admittendam affirmant.

II. *Sacramentum Confirmationis*

Nihilominus Sacramentum Confirmationis & verum Sacramentum esse, & ab Apostolorum ad hæc usque tempora apud Christianos semper usurpa-

est verum & proprium Sacramentum.

usurpatum, latè probat contra hujus temporis hæreticos Bellarminus lib. de Confirmatione, c. 3. 4. 5 & 6. ex totius Ecclesiæ consensu, *contra quem disputare*, inquit Sanctus Augustinus epist. 118. ad Januarium, *insolentissimæ insaniæ est.* Jam verò hoc definitum est in Concilio Trid. sess. 7. can. 1. & olim in usu erat apud Apostolos, qui per impositionem manuum conferebant baptizatis Spiritum Sanctum, id est gratiam & virtutes, quæ sunt dona Spiritus Sancti. Nec enim hoc de visibili donatione Spiritus Sancti, & dono linguarum intelligi potest, ut volunt hæretici, cùm omnibus donum linguarum collatum non fuerit, nec alia dona externa, ut constat ex primâ ad Corinth. cap. 12. vers. 8. & 29. *Alii datur sermo sapientiæ, alii gratia linguarum*, &c. *numquid omnes Prophetæ, numquid omnes linguis loquuntur*, &c.

III. *Sacramentum Confirmationis, non in Concilio Meldensi, sed à Christo ipso immediatè est institutum.*

Hoc Sacramentum non à Melchiade Papa, ut volunt hæretici, nec in Concilio Meldensi, ut vult Halensis, & alii quidam Catholici, sed immediatè à Christo institutum est. Hæc conclusio est de fide, & definita in Concilio Tridentino, sess. 7. can. 1. Probatur conclusio: Patres namque aliqui diu ante tempora Melchiadis, aut Concilii Meldensis mentionem faciunt hujus Sacramenti: Sanctus Dionysius cap. 4. de Eccles. Hierarc. expressè loquitur de confectione Chrismatis, quod capite secundo vocaverat *Deificum unguentum, quo signantur baptizati*, & eodem loco ait illud esse *divinæ generationis sacrosanctam perfectionem.* Idem habet Sanctus Clemens discipulus Sancti Petri, & IV. Pontifex libro tertio Constitutionum, cap. 16. *Episcopus*, inquit, *baptizatos Chrismate ungat*, & Epist. 4. docet nos per Episcopi consignationem septiformem Spiritus Sancti gratiam accipere, & eum, qui hanc sine necessitate omiserit, non esse perfectum Christianum.

IV. *Quando Christus hoc Sacramentum instituerit.*

Quæres: Quo tempore Christus hoc Sacramentum instituerit? volunt aliqui tunc esse institutum quando oblati sunt ei pueri, ut manus iis imponeret, & oraret. Sed licèt hæc fortè fuerit quædam Confirmationis adumbratio, non tamen institutio, cùm nec materia ejus ibi, nec forma à Christo assignaretur. Deinde illi parvuli non erant baptizati. Alii dicunt cum Scoto tunc institutum esse, cùm Christus post resurrectionem insufflavit in Discipulos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, & cætera. Sed contra hoc objici solet quod Spiritus in Confirmatione datur ad robur, non ad remittendum peccata. Sed de hoc plura postea. Alii demum volunt institutum fuisse in festo Pentecostes. Sed licèt Apostoli fuerint tunc confirmati, seu effectum hujus Sacramenti acceperint, altiori tamen modo id factum est, & non per Sacramentum.

V. *Christum in nocte Cœnæ Confirmationem instituisse, videtur probabilius.*

Probabiliùs ergo videtur Christum in nocte cœnæ Confirmationem inchoatè instituisse, modum scilicet, quo conferri deberet præscribendo, tum quia sæpiùs illâ nocte Spiritum Sanctum Ecclesiæ promisit, sicque verisimile est eum tunc Apostolos modum docuisse, quo esset fidelibus Confirmatio conferenda, omniáque præscripsisse quæ ad ritum Sacramenti hujus spectabant. Quod ulteriùs probatur ex Fabiano Papa Epist. 2. cap. 1. ubi sic habet: *In illâ die Dominus JESVS postquam cœnavit cum eis, & lavit eorum pedes (sicut à Sanctis Apostolu prædecessores nostri acceperunt, & nobis reliquerunt) Chrismα conficere docuit.* Et hinc fortè consuetudo illa Ecclesiæ ortum habuit singulis annis Chrisma illo die conficiendi. Tandem probabiliùs videtur Christum, antequam in cœlos ascendit, Ecclesiam suam quoad præcipua fundasse, inter quæ primum penè locum habent septem Sacramenta, quod ostendit non debuisse instituí hoc Sacramentum in die Pentecostes.

VI. *Post Resurrectionem nihilominus plenè perfecta est eius institutio.*

Completa tamen hujus Sacramenti institutio perfecta est post Christi resurrectionem, secundùm eum statum in quo & administrari posset, & recipi, quando Christus Joannis 20. dixit Discipulis suis: *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. tunc enim non solùm dedit eis potestatem remittendi peccata, sed etiam creavit eos Episcopos, ut communis fert opinio, & consequenter potestatem dedit hoc Sacramentum administrandi: atque ita, sicut Sacramentum Pœnitentiæ à Concilio Tridentino sess. 4. cap. 1. dicitur hoc loco præcipuè institutum, sic & dici potest institutum completè Sacramentum Confirmationis.

VII. *Materia remota Sacramenti Confirmationis confici debet ex oleo olivarum, & balsamo.*

Quoad materiam remotam hujus Sacramenti, confici debet ex oleo olivarum, & Balsamo. De primo nemo dubitat præter Canum, qui ait, vel solo oleo, vel solo balsamo conferri posse. Secunda pars est contra Caietanum, Navarrum, Soto, & Valentiam, qui dicunt sufficere solum oleum, omisso balsamo, quod aiunt tantùm esse necessarium ex præcepto. Probatur tamen, quia Concilium Florentinum assignat pro materiâ hujus Sacramenti Chrisma confectum ex oleo, & balsamo, ubi æqualiter loquitur de utroque tanquam de quodam præcedente confectionem Sacramenti: quod addo propter Sacramentum Pœnitentiæ, cujus licèt satisfactio sit pars integralis, non tamen essentialis, quia non requiritur ut quid præcedens Sacramenti confectionem. Sanctus etiam Dionysius cap. 4. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ parte 3. sic dicit: *Vnguenti quod perficiendi vim habet, perfusio, eum qui initiatus est, suavitate odoris fragrantem facit*, & cap. 4. ait illud unguentum refertum esse odoris suavitate. Deinde probatur, quia Chrisma secundùm omnes est materia hujus Sacramenti, & definit Tridentinum sess. 7. can. 2. poniturque in formâ. Sed Chrisma (quicquid sit de primâ vocis impositione) juxta usum totius Ecclesiæ semper significavit unguentum confectum ex oleo & balsamo, ergo.

VIII. *Dicendum videtur Innocentium Pontificem, ad Confirmationem non requiri balsamum.*

Objicies Innocentium III. cap. *Pastoralis de Sacramentis non iterandis*, ubi consultus Pontifex an Confirmationis Sacramentum in eo iterari debeat, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus: respondet Pontifex, quod *in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum.* Respondetur, plura ibi quæsita fuisse à Pontifice, ad quæ universim respondet, *nihil iterandum ex iis, quæ validè collata sunt, sed quod defuit, cautè supplendum.* Unde affirmant Doctores in hoc casu cæremonias accidentales non esse iterandas, ut adhibitionem patrini, alapam, &c. sed privatim sine ullâ solemnitate Sacramentum peragendum, non tamen alia non esse iteranda, imò hîc defuit unctio Chrismatis, quare hæc suppleri debuit.

IX. *Dicere nequeunt contraria sententia Auctores, quid in prædicto casu dicant suppleri.*

Et inquiro, quid hîc velint Auctores contrariæ sententiæ suppleri, num unctionem cum solo balsamo, at hæc nunquam fuit instituta à Christo, nec unctio hodie facta oleo, & post mensem balsamo, est unctio Chrismatis, hæc autem unctio defuit, ut constat. Deinde unctio fieri non potuit, nisi balsamo benedicto, balsamum autem solum nunquam solebat benedici. Tandem debuisset

debuisset repeti forma, nam quando ungebatur oleo, forma non erat vera, ut constat ex ipso capite, ubi dicitur non fuisse eum unctum Chrismate, sed oleo, nempe cathecumenorum, aut infirmorum; forma autem importat unctionem Chrismate factam.

X. *Qualis olei & balsami permixtio ad Chrismatis confectionem requiratur.*

Ad Chrisma tamen non est necessarium, ut singulæ partes olei substantialiter permisceantur balsamo, sed solùm, ut tanta quantitas adhibeatur illi mixto, quanta sufficit, ut omnes illius partes aliquo modo per illud alterentur, recipiendo scilicet ab eo odorem, & alias qualitates. Balsamum tamen Indicum, licèt diversæ sit speciei à Palæstino, est materia sufficiens ad conficiendum Chrisma. Unde Paulus III. & Pius IV. non dispensarunt cum Indis, ut illo Balsamo uterentur in conficiendo Chrismate, sed declarârunt esse materiam sufficientem.

XI. *De essentiâ hujus Sacramenti est, ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum.*

Essentiale est huic Sacramento ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum, quia hoc affirmat Concilium Florentinum: unde, licèt ex dispensatione Pontificis administrationem Sacramenti Confirmationis simplici Sacerdoti commissam aliquando esse dicat, de quo plura postea, Chrismate tamen, inquit, per Episcopum confecto: & idem nostris temporibus concessisse dicitur Gregorius XIII. Sacerdoti in Indiis, hac tamen lege, ut uteretur Chrismate consecrato ab Episcopo; quod etiam docet Sanctus Dionysius in Ecclesiasticâ Hierarchiâ, ubi ritum hujus Sacramenti describens dicit, *Chrisma debere confici ab Episcopo.* Tandem hæc semper fuit praxis Ecclesiæ: unde cùm Concilium Tolet. 1. can. 2. insinuat quosdam Sacerdotes confecisse Chrisma, in primis improbat illam consuetudinem, deinde non loquitur de Chrismate Confirmationis, sed de illo, quod Episcopi singulis annis ad suas Ecclesias parochiales tenentur destinare, & Parochi petere ad usum Baptismatis.

XII. *Dices cum Caietano, qui potest majus, potest minus, sed simplex Sacerdos potest consecrare Eucharistiam, ergo à fortiori Chrisma.*

Nec audiendus hac in re est Caïetanus, qui contra omnes Theologos ait sufficere Chrisma à simplici Sacerdote consecratum; qui enim, inquit, potest majus, nempe consecrare Eucharistiam, potest minus, nempe consecrare Chrisma. Sed nulla est consequentia; nec enim in naturalibus sequitur, potest ignis producere ignem, ergo & aërem, multo minùs sequitur hoc in causis moralibus, ubi omnia sunt ad arbitrium instituentis, qui unum potuit concedere non aliud, alioqui & posset simplex Sacerdos consecrare & templa & altaria, cùm possit Eucharistiam: & propter hanc rationem non valet in Sacramentis argumentum à paritate rationis, ut omnes affirmant.

SECTIO SECUNDA.

Reliqua ad Sacramenti Confirmationis declarationem necessaria.

I. *Chrisma quo hoc Sacramentum confertur, esse debet Chrisma illius anni.*

Diximus sectione præcedente materiam remotam Sacramenti Confirmationis esse Chrisma: quamvis autem ex gravi præcepto obligante sub mortali Chrisma esse debeat novum & recens, seu illius anni, annum more Ecclesiastico à Paschate ad Pascha, seu à feriâ quintâ Cœnæ Domini anni hujus ad feriam quintam sequentis computando: hoc tamen non requiritur ad valorem Sacramenti, sed quodvis Chrisma quamdiu manet substantialiter incorruptum, & odorem seu fragrantiam balsami retinet, est materia sufficiens, sive balsamum illud, ut supra diximus, sit Palæstinum, sive Indicum, sicut vinum, sive sit album, sive rubrum, Hispanicum vel Germanicum, est materia Eucharistiæ.

II. *Ostenditur dari præceptum grave utendi Chrismate ejusdem anni in Confirmatione.*

Quod verò sub peccato mortali sit obligatio in administratione hujus Sacramenti utendi novo & recente Chrismate, modo jam dicto, constat; in primis enim Fabianus Epist. 2. hoc ait esse necessarium ex Apostolicâ traditione. Idem etiam in variis Conciliis præcipitur, ut in Concilio Carthaginensi quarto, Concilio Vasensi, & Concilio Toletano primo. Quamvis autem hæc ita sint; non tamen arguunt, ut supra dixi, esse de necessitate Sacramenti; quòd enim Chrisma sit ejusdem vel alterius anni, modò verum sit & incorruptum, quid accidentale est valori Sacramenti, ut rectè Suarez hîc, disputat. 33. sect. 1. Cùm ergo nunquam in Conciliis dicatur hoc esse de essentiâ Sacramenti, non est cur quisquam hoc affirmet.

III. *Materia Confirmationis proxima est unctio Chrismatis.*

Materia proxima essentialis, sicut secundùm omnes in Baptismo est ablutio, ita in Confirmatione est unctio Chrismatis in formâ Crucis in fronte confirmandi ducta. De unctione eodem modo probatur ac de ablutione, quia nimirum hæc Sacramenta in actione consistunt. De formâ Crucis id docet Florentinum ad Armenos, Patresque passim affirmant, confirmátque communis praxis Ecclesiæ: tandémque ipsa Sacramenti forma indicat: *Signo te signo Crucis*, &c. in fronte verò debere Crucem fieri & probat praxis Ecclesiæ, & Patres ac Canones affirmant; quod etiam probatur ex fine Confirmationis, qui est, ut accipiamus robur ne erubescamus Crucem Christi, frons autem sedes verecundiæ est, ut ait Florentinum citatum, quod eodem modo requirit ut fiat Crux in fronte, atque ut omnino fiat. Tandem essentiale videtur ut immediatè formetur Crux manu Episcopi, & non mediatè solùm, medio scilicet aliquo instrumento, quia essentiale est huic Sacramento manus impositio, hæc autem, ut ex praxi constat, non est alia; quàm hæc Crucis efformatio.

IV. *Confirmationem sine unctione Chrismatis nunquam contulerunt Apostoli.*

Imò Apostoli nunquam hoc Sacramentum sine chrismate & unctione per solam manus impositionem contulerunt. Probatur, nam hoc Sacramentum secundùm Sanctum Dionysium est Sacramentum unctionis, & cap. 4. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ tradit modum conficiendi hoc unguentum, idque ex traditione, ut ait, Apostolicâ. Idem etiam docet Fabianus Pontifex Ep. 2. ad Orientales: idem etiam testatur Divus Clemens in constitutionibus Apostolicis. Deinde debuissent adhibere diversam formam, & sic facere diversum Sacramentum. Quod verò dicatur per impositionem manuum id præstitisse, non obstat, nam hæc unctio est manuum impositio; Sancti enim Patres, quorum tempore certum est adhibitam fuisse hanc unctionem, vocant nihilominus hoc Sacramentum, Sacramentum impositionis manuum.

V. *Qua sit forma Sacramenti Confirmationis.*

Forma hujus Sacramenti hæc assignatur in Concilio Florentino: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæ verba veliis æquivalentia sunt de essentiâ formæ. Bellarminus libro de Confir. cap. 10. ait hæc verba *Chrismate salutis* non esse essentialia, sed intelligi sub vocabulo Confirmo, sicut aqua sub voce Baptizo, aitque in antiquo rituali Romano, quod ordo Romanus dicitur,

dicitur, haberi hanc formam, ut refertur ab Alcuino: *Signa eos Domine signo Crucis, ego te confirmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Alii tamen dicunt expresè requiri illa verba, nec tam clarè intelligi per verbum *confirmo* materiam remotam hujus Sacramenti, quàm per verbum *baptizo* materiam remotam Baptismi: adduntque Alcuinum non retulisse totam formam.

VI. *Sacramenti Confirmationis ordinarius Minister est solus Episcopus.*

Ordinarius hujus Sacramenti minister est solus Episcopus, ut definitum est in Concilio Florentino, in decreto Eugenii, & Tridentino sess. 7. can 3. de Confirmatione: deinde ubi Diaconi aliquos baptizassent, ut Philippo contigit in Samaria, mittebantur Apostoli, quibus soli Episcopi jam in potestate Ordinis succedunt, ut confirmarentur. Imò Apostoli sibi hoc tanquam proprium sumpsisse leguntur, cùm tamen verosimile sit plures tunc Sacerdotes simplices fuisse, à quibus multi fuerant baptizati.

VII. *Quid velint Concilia & Canones, dum dicunt Sacerdotes ex permissione Episcoporum Chrismate unxisse infantes.*

Quando autem in Conciliis & Canonibus quibusdam insinuatur, Sacerdotes ex permissione Episcoporum signasse, & Chrismate unxisse infantes, sermo est de unctione aliquâ cæremoniali, quæ tamen tunc à solo usurpabatur Episcopo, cæremonia autem hæc, vel adhibita erat in Baptismo, vel exorcismis ad expellendum dæmonem. & cap. *Omni tempore de consecratione*, dist. 4. quod præcipuè citatur, subditur, nec liceat Presbytero, priùs Episcopo introire in baptisterium, quod signum est loqui de cæremoniis Baptismi: imò olim non licebat Sacerdoti, præsente Episcopo baptizare.

VIII. *Ex Concilio Florentino ostenditur posse ex commissione Summi Pontificis simplicem Sacerdotem administrare Sacramentum Confirmationis.*

Ex commissione tamen Summi Pontificis potest simplex Sacerdos Confirmationem administrare: ita omnes hodie communiter contra Durandum & Scotum. Probatur primò ex Concilio Florentino, ubi ex dispensatione Pontificis id aliquando factum esse refertur. Secundò Divus Gregorius, ut vidimus, ejusmodi facultatem concessit quibusdam Sacerdotibus in Sardiniâ, & Adrianus VI. aliique Pontifices pro nationibus quibusdam remotissimis, quò mitti commodè Episcopi non poterant. Dicere autem Pontificem in facto tam gravi errasse, sine injuriâ Sedis Apostolicæ fieri non potest.

IX. *Simplex Sacerdos ex vi suæ ordinationis habet potestatem remotam cõfirmandi.*

Neque hinc sequitur Pontificem quidquam mutare posse circa essentialia Sacramentorum; simplex enim Sacerdos habet ex vi suæ ordinationis potestatem remotam seu inchoatam confirmandi, quæ accedente commissione, seu delegatione Pontificis redditur completa. Non tamen propterea potest à Pontifice concedi simplici Sacerdoti, ut Chrisma conficiat & consecret; peculiaris enim contingere potest necessitas concedendi facultatem confirmandi, cùm omnibus locis, etiam per diuturnum tempus adesse nequeant Episcopi, vix autem potest contingere, ut alicubi longo tempore haberi nequeat Chrisma, cùm facilè quovis transferri possit.

X. *Omnis & solus homo baptizatus est subjectũ aptum Sacramenti Confirmationis.*

Subjectum capax hujus Sacramenti est quivis homo baptizatus. Si verò baptizatus non sit, non est subjectum aptum hujus Sacramenti, sicut nec Ordinis aut aliorum Sacramentorum, quorum omnium Baptismus est janua: unde infans baptizatus, non solùm validè, sed etiam licitè confirmari posset ante usum rationis, ut si timeretur diuturna absentia Episcopi, aut sit in articulo mortis, ut docet Suarez disp. 35. sect. 2. Tannerus, & alii. De amentibus, qui aliquando rationis usum habuerunt, eodem modo loquuntur Auctores sicut de adultis ratione utentibus, & consequenter possunt confirmari nisi constet in peccato mortali existentes in amentiam incidisse. Perpetuò etiam amentes possunt confirmari, ut docet Suarez ibidem, & alii.

XI. *Nullum extat præceptum accedẽdi ad Confirmationem.*

Quoad obligationem hoc Sacramentum suscipiendi, communis est sententia nullum esse præceptum ad illud accedendi, etiam commodâ oblatâ occasione, ac proinde secluso contemptu non esse peccatum, saltem grave, Confirmationem omittere: ita Sotus, Victoria, Navarrus, Henriquez, Valentia, Suarez, Coninck, Layman libro 5. tract. 3. cap. 5. qui alios citat. Cùm autem in quibusdam Canonibus dicitur, debere omnes confirmari, ut sint perfecti Christiani, intelligendum est de perfectione abundantiæ, non sufficientiæ, hæc autem perfectionis acquisitio non inducit ejusmodi obligationem.

XII. *Qui Confirmationem sine incommodo suscipere nequeunt, ad illius susceptionem nullo modo tenentur.*

Hinc à fortiori sequitur non obligari eos ad hoc Sacramentum suscipiendum, qui sine incommodo suscipere illud non possunt, ut non nisi cum vitæ aut bonorum periculo. unde parum habet probabilitatis quod inducere volunt nonnulli, teneri scilicet Catholicos in locis, in quibus viget persecutio Episcopum etiam cum ejusmodi periculo adire vel admittere, ut Confirmationis Sacramento roborentur ad fidem profitendam; hoc, inquam, parum habet probabilitatis, estque contra omnes Theologos, qui universim affirmant, vel omnino non esse obligationem Confirmationem suscipiendi, vel non nisi ubi commodè haberi potest: nec distinguunt inter tempus persecutionis aut non persecutionis, præsertim cùm vires, quas præbet Confirmatio ad fidem profitendam, possint aliis modis obtineri, nempe orationibus, &c.

XIII. *In initio Ecclesiæ parvuli & adulti conferebantur simul Baptismus & Confirmatio.*

In initio Ecclesiæ quando pauciores erant Christiani, & singulis annis bis tantùm extra mortis periculum conferebatur Baptismus parvulis simul & adultis, simul etiam iisdem conferebatur Confirmationis Sacramentum, imò & in quibusdam locis, Eucharistiæ, nunc verò crescente numero fidelium, sicut Eucharistia iis ante usum rationis non datur, ita nec Sacramentum Confirmationis, ut majore illud devotione suscipiant, cùm & finem, ad quem id suscipiunt, intelligant, & mysteria, ad quorum professionem suscipiunt, mente teneant.

XIV. *Annus ætatis septimus est ut plurimum ad Confirmationem suscipiendam assignatur.*

Septimus itaque annus illius susceptioni ut plurimum est assignatus; tunc enim plerumque pueris rationis lux oriri censetur. Aliqui volunt expectari initium ætatis adultæ, quam incipere dicunt circa annum duodecimum. Sed hoc non est necessarium, ut omnes ferè fatentur, unde in Catechismo Romano jussu Concilii Tridentini ad institutionem Parochorum compositio, circa hoc punctum sic habetur parte 2. cap. 3. num. 14. Illud etiam observandum est, omnibus quidem post Baptismum, Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minùs tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint, quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.

XV. *Ad quorum Sacramentorum susceptionem prærmitti debeat Confirmatio, ut licitè suscipiantur.*

Quæres, ad quæ Sacramenta præmitti debeat Confirmatio, ut licitè suscipiantur? In primis ad Baptismum præmitti non debet, cùm ille, ut diximus, sit Sacramentorum omnium janua, sine quo nullum omnino Sacramentum aut licitè suscipitur, aut validè. Difficultas præcipua est de Ordine; alia enim Sacramenta ante Confirmationem licitè recipi posse, communis est Theologorum

logorum opinio. De Ordine itaque, Tannerus & alii putant esse peccatum ad hoc Sacramentum accedere non præmissâ Confirmatione, idque probant ex eo, quòd Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de reformatione id præcipere videatur; ibi enim sic habetur: *Primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Unde deducunt hi Auctores, esse præceptum hac de re, quod graviter obliget, saltem suscipientem. Suarez tamen disp. 38. sect. 1. fine, Coninck quæst. 72. art. 8. num. 90. Navarrus cap. 22. num. 9. Soto in quarto dist. 7. art. 8. conclusione tertiâ, Victoria & alii existimant hoc non esse peccatum, saltem mortale, neque hoc loco Concilii ullum importâri aiunt præceptum.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA PRIMA.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

SANCTISSIMVM hoc Sacramentum jure optimo Sacramentum gratiæ appellatur, utpote quod fontem ipsum & auctorem gratiæ in se continet, ideóque legi gratiæ peculiariter fuit reservatum, ubi Christus per illud mille in nos gratias derivat. Quemadmodum enim in ejus nativitate Melliflui facti sunt cœli, *divinúsque ros in terram lapsus eam felicissimè irrigavit, ita cœleste hoc manna sumentium animos pascit ac nutrit, virtutumq; omnium floribus exornat: ad quem utrumque ejus effectum alludens Propheta Zacharias, excellentissimum hoc Sacramentum vocat* Frumentum electorum, & Vinum germinans Virgines. *Deinde S. Dionysius de Ecclesiasticâ Hierarchia capite tertio hoc Sacramentum Sacramentorum omnium consummationem esse ait & perfectionem. Ejus ergo natura, præstantia, dignitas hoc tractatu sunt explicandæ.*

SECTIO PRIMA.

An detur Sacramentum Eucharistiæ.

I. *Varii ex antiquis hæretici Sacramentum Eucharistiæ negabant.*

SANCTUS Epiphanius, Theodoretus, & alii referunt quosdam ex antiquis hæreticis, ut Archonticos & Messalianos, quorum illi Eucharistiam omnino negabant, hi nullius esse utilitatis asserebant. Alii verò, ut Petrobrusiani, quamvis Christum Sacramentum Corporis & Sanguinis sui in ultimâ cœnâ instituisse, & Apostolis sumendum tradidisse faterentur, negabant tamen eum potestatem hoc Sacramentum consecrandi aliis dedisse, adeóque post Christi mortem Sacramentum Eucharistiæ dicebant in Ecclesiâ non extitisse, sicque non fuisse perpetuum. Sed hæc hæreticorum somnia jam penitùs evanuerunt: unde nullus est ex hujus temporis sectariis, quamvis ad novitatem omnes maximè sint proni, qui hoc Sacramentum planè abrogare sit ausus.

Dicendum itaque dari Sacramentum Eucharistiæ, seu corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini verè & realiter contentum, idque fide certum est, & in variis Conciliis, ut Carthaginensi tertio, Lateranensi, Florentino, ac Tridentino definitum, ac denique hæc veritas ab Ecclesiâ jam inde ab ejus primordiis ut certa & indubitata per totum terrarum orbem perpetuâ traditione fuit recepta.

II. *Dari Sacramentum Eucharistiæ, Fide certum est.*

Probatur primò ex illo Matthæi 26. Marci 14. & Lucæ 22. *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Qui sermo*, inquit Pater Edmundus Campianus Ratione secundâ circa initium, *visus est ipsi Luthero tam potens, ut cùm etiam discuperet fieri Zuinglianus, quod eâ re plurimùm incommodare Pontifici potuisset: captus tamen & vinctus apertissimo contextu cederet; neque minùs invitus Christum verè præsentem in Sacramento sanctissimo fateretur, quam olim dæmones victi miraculis Christum Dei filium vociferari sunt.* Imò, ut de abrogandâ Missâ, ait ipse, cùm longam hac de re disputationem cum dæmone habuisset, ab eo nihilominus convinci non potuit, nec ullo modo induci, ut Christum

III. *Ex sacris Literis ostenditur Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini verè ac realiter contineri.*

sub panis & vini speciebus verè ac realiter præsentem esse negaret.

IV. *Aliis sacra Scriptura locis realis Christi in Eucharistiâ præsentia probatur.*

Probatur secundò; Joannis enim 6. loquens Christus de hoc Sacramento, seu corpore suo sub speciebus panis, *Ego*, inquit, *sum panis vitæ*, & postea: *Panis quem ego dabo, caro mea est, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, tandem vers. 59. concludit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Denique Apostolus 1. ad Corinthios 12. ad panis hujus & calicis sumptionem, necessarium esse docet, ut se homo probet, hoc est, ut ait Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 7. *Ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Hinc ergo colligitur, id, ad quod sumendum præparare se debet, esse verè Corpus & Sanguinem Christi; si enim aliud nihil esset quàm panis, ad quid tanta præparatio?

V. *In hac veritate defendendâ unanimi consensu conspirât Patres.*

Huic insuper veritati unanimi consensu subscribunt Patres: & ut ex plurimis eorum testimoniis pauca producam, S. Dionysius libro de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, cap. 3. parte 3. Sic hoc Sacramentum alloquitur: *O divinissimum, & sacrosanctum Sacramentum, obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi, & perspicuè nobis fac appareas; nostrosq; spirituales oculos, singulari, & aperto tuæ lucis fulgore imple.* Ex quibus ejus verbis manifestè habetur, eum hoc Sacramentum non merum fuisse panem existimasse, sed Christum sub speciebus illis verè fuisse contentum. Idem docet Tertullianus in libro de Resurrectione carnis: *Caro*, inquit, *corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* Hoc ipsum clarè probat Origenes, tum alibi, tum homiliâ septimâ in libro Nume: *Tunc*, inquit, *in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei, est verus cibus, sicut ipse dicit, Quia caro mea verè est cibus*: ubi quod Manna in figurâ significabat, hic ait verè & propriè contineri, corpus scilicet Christi, ergo non tropicè tantùm, ut volunt sectarii, sub his speciebus existit Christus, nam tropicè manna erat corpus Christi.

VI. *Patres ætatis omnium jam inde à nascente Ecclesiâ hoc idem apertè testantur.*

Idem etiam expressis verbis tradit S. Cyprianus, S. Athanasius, S. Irenæus, Justinus Martyr, S. Augustinus, S. Basilius, S. Chrysostomus, & alii passim, qui fusè referuntur distinct. 2. de Consecratione, eorúmque auctoritates per omnes jam inde à Christo ætates procedens copiosè affert Bellarminus tomo tertio, libro secundo de Sacramento Eucharistiæ per triginta octo capita, quæ apud ipsum videri poterunt. Duo tantùm testimonia iis quæ numero præcedente retuli, adjungam, primum S. Ambrosii, qui libro 4. de Sacramento cap. 5. sic loquitur: *Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Concludo tandem pulcherrimo hac de re dicto S. Joannis Damasceni sic libro 4. Fidei, cap. 14. de hoc mysterio loquentis: *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi: absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, hoc est meum, non figura corporis, sed corpus, non figura sanguinis, sed sanguis.*

VII. *Ex modo loquendi Patrum hoc idem ulteriùs declaratur.*

Antiquitatis ergo vox est, in sanctissimo hoc Sacramento corpus Christi & sanguinem verè ac propriè existere; Patres enim omnes hoc Sacramentum vocant corpus & sanguinem Christi: illud insuper appellant *tremenda mysteria, pretium nostrum*, &c. imò identidem dicunt hoc Sacramentum non esse figuram, sed verum corpus Christi, & in hoc ab agno Paschali, Manna & similibus distingui, sicut corpus differt ab umbrâ. Eucharistiam præterea adorandam & invocandam esse affirmabant, omniq́ue cultu ac veneratione prosequendam: quæ omnia clarissimè demonstrant existimasse eos divinum hoc Sacramentum non esse panem, sed Christum ipsum sub speciebus panis & vini contentum. Hinc etiam proveniebat, ut tantam curam ac diligentiam adhiberent, ne vel minima illius particula in terram decideret, qua in re non ita erant soliciti de pane illo quem in usum catechumenorum benedicebant; mos enim antiquus, ut refert S. Augustinus lib. 2. de peccat. meritis, cap. 26. olim viguit in Ecclesiâ, ut panis benediceretur, qui daretur cathecumenis, quem nihilominus, quamvis teste Sancto Augustino esset sanctus, non tamen mille & mille gradibus tanti faciebant ac sacrosanctam Eucharistiam, hanc namque ne conspici quidem sinebant ab infidelibus, vel catechumenis.

VIII. *Ethnici Christianis exprobrabant, quòd dum sacram Synaxin celebrarent, ad infantem comedendâ convenirêt.*

Denique ita hoc fidelium omnium animis insederat, Christum scilicet in hoc Sacramento contineri, & sub panis & vini speciebus sumi, ut teste Tertulliano in Apolog. cap. 7. Ethnici Christianis exprobrarent quòd, dum sacram Synaxin celebrarent, ad infantem comedendum convenirent. Averroes etiam Christianos vocat impios, eo quòd Deum suum manducent; quæ manifestè ostendunt, apud omnes pervulgatum fuisse existimasse Christianos quoties communicarent se Christum verè sub hoc Sacramento suscipere, non tropicè tantùm & figurativè, seu signum Christi, ut volunt nostri temporis sectarii; sic enim nec infantis comestionem, nec Dei sui manducationem iis unquam objecissent.

SECTIO SECUNDA.

In quo Eucharistiæ Sacramentum consistat.

I. *Status præsentis difficultatis proponitur.*

RATIO dubitandi inde oritur, quòd res variæ in hoc Sacramento contineantur, quæ ad illius constitutionem concurrunt, nempe corpus Christi, species, verba consecrationis, &c. de quibus inquirendum, Utrùm hæc omnia intrinsecè in eo tanquam veræ illius partes & constitutiva reperiantur? Ulterior etiam quæstio est, an hæc sola, vel alia insuper sint Sacramenti hujus essentia; nonnulli enim, ut videbimus, sumptionem de intrinseco illius conceptu esse affirmant. De singulis in hac disputatione agendum.

II. *Diversæ referuntur auctorum hac de re sententiæ.*

Primò itaque Sotus in 4. dist. 8. quæst. unicâ, art. 2. & alii solas species aiunt adæquatè constituere hoc Sacramentum. Durandus disputatione octavâ sectione secundâ vult illud in solâ consecratione consistere, Arteolus, & alii in sumptione. Gabriël verò, sicut in Sacramento Ordinis varii gradus constituunt diversa Sacramenta partialia, quæ tamen omnia unum integrant adæquatum Sacramentum Ordinis, ita in Eucharistiâ consecrationem, species consecratas, & sumptionem ait tria constituere partialia Sacramenta, licèt omnia unum integrent totale. Tandem Waldensi tribui solet opinio asserens solum corpus & sanguinem Christi constituere hoc Sacramentum, quem tamen Vasquez hîc, disputatione

tione centesimâ sexagesimâ septimâ numero decimo ab hac sententia liberare conatur.

III. *Communis Theologorũ sententia est, species panis & vini intrinsecè constituere hoc Sacramentum.*

Prima Conclusio: Species panis & vini intrinsecè constituunt hoc Sacramentum: ita communiter Theologi, qui videri poterunt apud Suarium hîc, disputatione quadragesimâ secundâ, sectione primâ, Vasquez disputatione centesimâ sexagesimâ septimâ, capite tertio, & alios. Ratio est primò, quia Concilium Tridentinum & Patres asserunt corpus Christi contineri in hoc Sacramento, quod manet post consecrationem: ergo species sunt quid constituens hoc Sacramentum, cùm nihil contineri possit in seipso, pars autem optimè intelligitur contineri in toto. Secundò, quia juxta Concilium Tridentinum sessione decimâ tertiâ, capite tertio, Eucharistia est *Symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ forma visibilis*, ergo corpus Christi solùm & sanguis non possunt adæquatè constituere hoc Sacramentum sine speciebus, cùm sine illis non sint signum sensibile.

IV. *Sacramentum consistit ex sensibilitate, sicq; includere debet aliquid sensibile intrinsecè.*

Dices: Sufficit quòd extrinsecè connotent species, unde tota ratio Sacramenti consistere poterit adæquatè in corpore Christi. Contra: Sacramentum consistit ex sensibilitate, ergo debet in se includere aliquid sensibile, & non illud extrinsecè solùm connotare; sic enim sensibilitas non esset de intrinsecâ constitutione Sacramenti contra omnes. Requiritur ergo & sufficit ad rationem Sacramenti, quòd aliquid in se sensibile includat, per quod reliqua reddantur sensibilia, licèt omnia quæ ad illius constitutionem spectant, per se sensibilia non sint; quod etiam in Sacramento Pœnitentiæ constat, ubi contritio non est sensibilis nisi per Confessionem, & generatim compositis physicis, igni, aquæ, homini, Leoni, & cæteris attribuimus sensibilitatem, cùm tamen eam per se non habeant, sed per accidentia.

V. *Dices: Species panis & vini sine verbis consecrationis non reddunt corpus Christi sensibile.*

Urgebis: Species solæ non reddunt corpus Christi sensibile in Sacramento, imo potiùs significant panem, ergo ut significent corpus Christi, debent sumi species ut subsunt verbis consecrationis, ergo vel Sacramentum hoc includit etiam tanquam partem sui verba consecrationis, vel non habet in se aliquid sensibile. Respondetur negando consequentiam; ad hoc enim ut dicatur in se includere intrinsecè aliquid sensibile, sufficit quòd signum aliquod includat, quod sit sensibile, licèt habitudo ad rem significatam non sit subjecta sensui, ut constat in omni signo ad placitum; sicut si quid sit signatum sigillo Principis, est signum sensibile illud pertinere ad Principem, licèt ipsa habitudo, quam dicit sigillum illud non sit sensibilis, cùm non significet nisi ex institutione præteritâ, quæ jam sensu percipi non potest.

VI. *Species simul cum corpore Christi causant gratiam.*

Dices secundò: Sacramenta novæ legis causant gratiam, sed species hîc non causant, sed solùm Corpus Christi, ergo: Responderi potest, quamvis species solæ non causent gratiam, causare tamen simul cum corpore Christi, ut ait Suarez disp. quadragesimâ secundâ, sect. tertiâ, Coninck quæstione septuagesimâ tertiâ, articulo primo, numero vigesimo quarto, & alii.

VII. *Dices: In cibo materiali substantia nutrit, non accidentia.*

Nec sequitur, etsi in cibo materiali sola substantia nutriat, non accidentia, idem fieri debere in hoc cibo spirituali, & consequenter species nihil debere efficere. Respondetur enim disparitatem esse, quòd cibus materialis non alio modo nutriat quàm ex eo quòd substantia alimenti convertatur in substantiam aliti, & una forma succedat alteri in eâdem materiâ: hic verò longè alio modo fit nutritio, nimirum per productionem alterius, nempe gratiæ, in quam nec species, nec corpus Christi convertitur, imò debent existere quando gratia producitur.

VIII. *Corpus etiã & Sanguis Christi sunt de intrinseco conceptu hujus Sacramenti.*

Secunda conclusio: Corpus etiam & sanguis Christi constituunt intrinsecè hoc Sacramentum: ita Auctores communiter, quos citant & sequuntur Suarez & Vasquez in primâ conclusione citati. Probatur primò ex Patribus; Sanctus namque Irenæus libro quarto, capite trigesimo quarto dicit Eucharistiam duabus rebus constare, alterâ terrenâ, alterâ cœlesti. Idem habet Sanctus Damascenus libro quarto, capite decimo quarto: *Duplices*, inquit, *sumus & compositi, par etiam fuit dari nobis cibum duplicem & compositum.* Deinde in Concilio Florentino illud dicitur esse hoc Sacramentum, quod à Sacerdote conficitur, Sacerdos autem non solas species conficit, nec corpus solum, sed corpus ut conjunctum cum speciebus, seu illud totum, ergo.

IX. *Eucharistia dat gratiam per modum cibi, hic autem cibus est corpus Christi.*

Secundò probatur: Sacramentum namque Eucharistiæ dat gratiam per modum cibi, id autem quod in hoc Sacramento præcipuè habet rationem cibi, est corpus Christi juxta illud Joannis sexto, versu quinquagesimo sexto: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo:* & versu quinquagesimo secundo: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vitâ.* Deinde versu quinquagesimo octavo: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me:* ergo id quod in hoc Sacramento præcipuè habet rationem cibi, est Corpus & Sanguis Christi.

X. *Quid sit in hac materiâ Sacramentum tãtùm, res tantùm, res simul & Sacramentum.*

Neque his obstat communis doctrina Theologorum tria statuentium in quovis Sacramento, *Sacramentum tantùm*, id scilicet quod tantùm significat, *rem tantùm*, nempe id quod significatur, & non significat, *rem & Sacramentum*, id nimirum quod & significatur & significat: quo sensu Innocentius III. capite *Cùm Marthæ de celebratione Missarum* ait in Sacramento Eucharistiæ Sacramentum tantùm esse species panis & vini, rem tantùm esse gratiam & charitatem, seu unitatem corporis Christi mystici, rem tandem & Sacramentum, esse corpus & sanguinem Christi. Respondetur, hoc nil facere contra nos; quando enim dicit Pontifex & Theologi, species esse Sacramentum, non intendunt hoc Sacramentum adæquatè consistere in speciebus, sed has ita significare, ut non significentur, cùm tamen corpus Christi & significetur per species, & gratiam significet.

XI. *Interdum id quod non constituit intrinsecè Sacramentum, dicitur res simul & Sacramentum.*

Licèt etiam in quibusdam Sacramentis id quod dicitur *res simul & Sacramentum*, nempe character in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non constituat intrinsecè Sacramenta illa, hoc tamen universim non est verum, nam juxta Suarium disp. quadragesimâ secundâ, sect. quartâ, & alios, Contritio est simul res & Sacramentum, & tamen intrinsecè constituit Sacramentum Pœnitentiæ. Cùm ergo corpus & sanguis Christi significent practicè gratiam, erunt quid intrinsecè constituens hoc Sacramentum, quod institutum est per modum cibi, ut diximus.

XII. *Quid in Sacramento Eucharistiæ*

Quæres: Utrùm Sacramentum Eucharistiæ importet in recto solas species connotando corpus Christi, an econtra corpus Christi in recto connotando

importetur in recto, quid in obliquo.

connotando species in obliquo, an demum utrumque in recto? varii sunt dicendi modi: Suarez citatus sectione quartâ, fine, hoc ultimum amplectitur, & quamvis fortè tota lis recidat in quæstionem de nomine, cùm omnes inter quos procedit hæc controversia admittant tam species, quàm corpus Christi, intrinsecè hoc Sacramentum constituere: Conformius tamen est modo loquendi, tam ipsius Christi, quàm Sanctorum Patrum, si dicamus hoc Sacramentum in recto importare corpus Christi, species in obliquo.

XIII. *Hoc ipsius Christi verba aperte indicant.*

Probatur: Christus enim Joannis sexto ait: *Panis quem ego dabo caro mea est*, &c. eodem modo loquuntur Patres, Sanctus Ambrosius libro de his qui initiantur, capite nono, *Sic*, inquit, *Sacramentum quod accipis Christi sermone conficitur, & in illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi:* eodem modo loquitur Justinus Martyr: *Hoc alimentum*, inquit, *apud nos vocatur Eucharistia*, hanc verò postea ait *esse carnem & sanguinem Christi*; qui modus loquendi aliis etiam Patribus familiaris est. Hæ tamen locutiones falsæ essent, si hoc Sacramentum in recto includeret, non corpus Christi solùm, sed etiam species; tunc enim non magis dici posset hoc Sacramentum est corpus aut caro Christi, quàm homo est anima aut corpus.

XIV. *Ratio est, quia in omni propositione verâ rectum prædicati identificari debet cum recto subjecti.*

Ratio est, quia ut propositio sit vera rectum prædicati identificari debet cum recto subjecti, quâ de causâ dicunt Theologi hanc vocem *homo* prout significat compositum ex personalitate divinâ & naturâ humanâ non importare in recto humanitatem, sed solam subsistentiam divinam, alioqui, inquiunt, hæc propositio *Deus est homo*, esset falsa, cùm Deus non sit humanitas & subsistentia divina, sed realiter ab hoc complexo distinctus, sicut includens ab incluso. Cùm ergo eodem modo corpus Christi distinguatur à corpore & speciebus, si ambo sumantur in recto, non minùs falsa erit hæc propositio, *Corpus Christi est Eucharistia*, quæ tamen frequens est apud Patres, quàm esset falsa hæc *Deus est homo*, si humanitas importaretur in recto.

XV. *Alio tamen modo explicari possunt Patres, & dici hoc Sacramentum includere etiam species in recto.*

Si tamen quis explicare velit Patres, ut dicant hoc Sacramentum esse corpus Christi, id est non esse meram illius umbram, ut erat Agnus Paschalis, & alia antiquæ legis Sacramenta, sed verè rem ipsam in se continere, dicere poterit eum Suario citato Sacramentum Eucharistiæ includere tam species, quàm corpus Christi in recto.

XVI. *Quæres an Sacramentum hoc ex iis etiam partibus constituatur, quæ illic sunt per cõcomitantiam.*

Quæres: Utrùm constituatur hoc Sacramentum intrinsecè ex iis solis Christi partibus, quæ ponuntur sub speciebus ex vi verborum, an etiam ex iis quæ illic sunt per concomitantiam. Respondetur, directè & per se constitui ex iis solis, quæ ponuntur ex vi verborum, unde sub speciebus panis ingreditur Sacramenti constitutionem per se solum corpus primariò, sanguis autem secundariò, & econtra sub speciebus vini, anima verò & divinitas utrobique: unde idem specie quoad hoc formaliter esset Sacramentum in triduo ac modo. Ratio autem probabilis esse potest, quia ea quæ solùm sunt per concomitantiam, nec sunt sensibilia per se, nec per verba, alioqui ex vi illorum ponerentur: sed de hoc plura postea.

SECTIO TERTIA.

An sumptio & consecratio sit pars hujus Sacramenti.

I. *Rejiciendi hic in primis sunt hæretici, qui negãt Christum esse in hoc Sacramento, nisi dum actu sumitur.*

Ut omittam hæreticos, qui Christum asserunt non esse præsentem in hoc Sacramento, nisi dum actu sumitur, ac proinde illud dicunt consistere in usu; hos inquam ut omittam, cùm fide certum sit Christum verè & realiter esse in Sacramento statim post consecrationem, idque permanenter, Gabriël distinctione octavâ, quæstione primâ, articulo tertio, dubio secundo affirmat Eucharistiæ sumptionem esse Sacramentum à Sacramento Eucharistiæ distinctum, tum quia alia Sacramenta consistunt in usu, ut constat, tum præcipuè quia per Eucharistiæ sumptionem confertur gratia, ergo est Sacramentum, cùm sit cæremonia sacra ad hoc à Christo instituta dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem, & qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

II. *Hæc Gabriëlis sententia nullo modo est admittenda.*

Sed hoc nullo modo est admittendum; tum quia est contra communem & ab omnibus receptam Theologorum sententiam, tum maximè quia contra universalem doctrinam Ecclesiæ: deinde concedere necessariò debet Gabriël plura Sacramenta quàm septem. Unde Pater Tannerus hic disputatione quintâ, quæstione tertiâ, numero quadragesimo septimo meritò ait hanc Gabriëlis opinionem esse periculosam. Ad rationes verò ab eo suprà allatas, decursu hujus sectionis satisfiet, ubi etiam lata inter hoc & alia Sacramenta quoad usum ostendetur disparitas.

III. *Pejus docet Aureolus sumptionem esse partem essentialem hujus Sacramenti.*

Secundò rejiciendum est Aureoli placitum relatum à Capreolo in quarto, distinctione octavâ, quæstione unicâ, articulo secundo, qui quamvis sumptionem non statuat Sacramentum ab Eucharistiâ distinctum, ait nihilominus sumptionem esse partem illius essentialem, sicque hoc Sacramentum ante usum non esse completum: quæ sententia, ut videbimus, est multò pejor præcedente.

IV. *Sumptio est tantùm applicatio, non pars Sacramenti Eucharistiæ.*

Prima conclusio: Sumptio Eucharistiæ, non est pars Sacramenti, sed solùm illius applicatio, ut effectum operetur: ita Sanctus Thomas quæstione septuagesimâ tertiâ, dum ait Sacramentum hoc perfici in ipsâ consecratione materiæ, ac proinde ante sumptionem. Idem habet quæstione septuagesimâ octavâ, articulo primo, ad secundum, ubi docet sumptionem esse tantùm usum hujus Sacramenti, & perfectionem secundam & extrinsecam illius, non primam, seu aliquid de conceptu illius constitutivo.

V. *S. Thomam sequuntur passim Theologi est hæc communis sententia.*

Sanctum Thomam sequuntur Capreolus, Soto, Ledesma, Suarez disp. quadragesimâ secundâ, sect. quartâ, Bellarminus libro quarto de Sacramento Eucharistiæ, capite primo & secundo, Valentia quæst. primâ, puncto tertio, Vasquez disp. centesimâ sexagesimâ tertiâ, capite tertio, numero vigesimo quinto, Tannerus disp. quintâ, quæst. tertiâ, numero quadragesimo sexto; Coninck quæst. septuagesimâ tertiâ, art. primo, num. vigesimo sexto, & alii. videtur etiam mens Concilii Tridentini sessione decimâ tertiâ, capite tertio, ubi differentiam inter illud & alia Sacramenta assignat, quod hæc tunc solùm vim sanctificandi accipiant, quando iis utimur, Sacramentum verò Eucharistiæ ante usum perficiatur.

Probatur

VI. *Dicitur hoc Sacramentum nutrire fideles, sumptio autem non nutrit.*

Probatur primò: Dicitur enim hoc Sacramentum cibus animæ, nutrire fideles, &c. unde sicut in cibo materiali sumptio non nutrit, sed est solummodo applicatio cibi, qui nutrit: idem contingit in præsenti. Secundò: Si namque sumptio esset pars hujus Sacramenti, Sacramentum ante usum non esset completum, quod licèt, ut vidimus, concedat Aureolus, ait tamen P. Tannerus numero quadragesimo septimo hoc esse plusquam falsum, & communi modo loquendi Conciliorum ac Patrum, ipsique sensui fidelium repugnare, præsertim cùm dicat Aureolus sumptionem esse partem essentialem hujus Sacramenti.

VII. *Sumptio ne quidem est pars integralis hujus Sacramenti.*

Nec etiam est pars illius integralis; materia enim adæquata remota hujus Sacramenti secundùm Patres & Concilia sunt panis & vinum, proxima autem solæ species consecratæ, & corpus ac sanguis Christi, dicitur siquidem hoc Sacramentum esse cibus animæ, sumi à fidelibus, asservari in viaticum, circumgestari, &c. quæ omnia contingunt ante sumptionem. Præterea conficitur hoc Sacramentum adæquatè à solo Sacerdote, ut docent Patres & Concilia, ergo ante usum Sacramentum est completum, præcipuè cùm ad usum applicari possit à Diacono.

VIII. *Differentia hac in parte inter sacrosanctam Eucharistiam, & alia Sacramenta.*

Hæc itaque est differentia inter hoc & alia Sacramenta, ut docet Sanctus Thomas citatus, quòd cùm illa in usu consistant, applicatio Sacramenti non distinguatur ab usu; usus enim per alium usum applicari non potest, sicut nec actio per aliam actionem produci, unde idem est Baptismus & applicatio Baptismi, nempe ablutio; Sacramentum verò Eucharistiæ servatur in cibum, & in viaticum, adoratur, circumgestatur, &c. quæ omnia sonant quid permanens. Requiritur tamen ad hoc ut gratiam conferat sumptio tanquam conditio necessaria, sicut in cibo materiali; unde si alio modo quàm per comestionem miraculosè collocaretur in stomacho, non conferret gratiam, cùm Christus non promiserit gratiam nisi manducantibus carnem suam, & sanguinem bibentibus, ac proinde iis non alio modo sumptis, quàm per modum cibi & potus, alioqui per merum contactum, ut si quis manu hostiam consecratam teneret, gratiam ei conferret.

IX. *Sicut solus cibus naturalis nutrit, nō comestio, ita Eucharistia sola, non sumptio.*

Quamvis autem sumptio ad effectum Sacramenti requiratur, non tamen causat gratiam, sed sola Eucharistia, sicut cibus tantùm naturalis nutrit, non comestio, sicque dicit Christus Joannis sexto, versu quinquagesimo octavo: *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Imò, ut notat Coninck citatus, numero vigesimo quarto, si corpus Christi miraculosè poneretur sub speciebus alterius substantiæ, particulâ carnis exempli gratia, & quis hoc sciens, tanquam Sacramentum particulam illam sumeret, nullam inde gratiam ex opere operato ex vi præsentis institutionis perciperet, per quæ responsum est ad argumentum Gabrielis.

X. *Consecratio propriè non est pars Sacramenti Eucharistiæ.*

Secunda conclusio: Quamvis latè loquendo consecratio dici posset pars constitutiva hujus Sacramenti, propriè tamen non est pars illius: ita Sotus in quarto, dist. octavâ, in responsione ad tertium: Vasquez disp. centesimâ sexagesimâ septimâ, capite tertio. Coninck quæst. octogesimâ tertiâ, articulo primo, num. octavo, & alii. Secundam conclusionis partem probant aliqui, quia verba non ingrediuntur hoc Sacramentum tanquam rectum. Sed contra: Latiùs enim patet pars quàm rectum, albedo siquidem est pars albi, humanitas est pars physicè componens hominem unà cum verbo, & tamen importatur solùm in obliquo, ut suprà diximus.

XI. *Sacramentum Eucharistiæ est quid permanens, verba autem transeunt.*

Probatur itaque: Sacramentum enim Eucharistiæ est quid permanens, ut constat ex Concilio Tridentino, sessione decimâ tertiâ variis locis, ubi docet hoc Sacramentum reservari in sacrario, proponi populo adorandum, ad ægrotos deferri, manducari, &c. quæ omnia sonant quid permanens: ergo verba consecrationis non constituunt tanquam pars hoc Sacramentum cùm non permaneant.

XII. *Nec satisfacit si quis dicat verba manere moraliter.*

Dices primò: Verba illa manent moraliter. Contra: Quæ de hoc Sacramento affirmant Patres & Concilia, sonant quid physicum, & consequenter partes illius debent physicè existere, & licèt in aliis Sacramentis, cùm consistant in successione, unâ parte existente dici possint existere, sicut tempus & res aliæ successivæ, non tamen res permanentes; unde nunquam existeret mensa, vel statua, si partes ita producerentur successivè, ut antequam ultimæ producuntur, primæ destruerentur.

XIII. *Diversissima in modo existendi est ratio de rebus successivis & permanentibus.*

Optimam hujus rationem reddit Coninck numero undecimo, quia cùm res successivæ non possint unquam totæ simul existere, nec fieri in iis distinguatur ab esse, solùm dicuntur existere in quantum producuntur modo sibi connaturali, nempe secundùm aliquam sui partem: res verò permanentes cùm existere simul secundùm se totas possint, non dicuntur existere nisi existentibus omnibus partibus. Imò in rigore rēs, quæ includit diversas partes fluentes non potest unquam propriè dici existere: unde nec Pœnitentia, nec aliud Sacramentum, quod in actione consistit, potest propriè dici existere quando altera illius pars non est, licèt componere possint partes illæ fluentes unum Sacramentum; sicut etsi partes longæ orationis successivè prolatæ componere possint invicem unam orationem, non tamen potest propriè dici oratio illa existere quando vel ultima, vel alia ejus pars existit.

XIV. *Objic. Hoc Sacramentum non est sensibile sine verbis, ergo per hæc constituitur.*

Dices secundò: Hoc Sacramentum non est sensibile per solas species, sed per verba, ergo etiam verba ingrediuntur illius constitutionem, cùm ingrediantur illius sensibilitatem, & rationem signi. Sed contra: Nec verba sine aliquo alio reddunt hoc Sacramentum sensibile; si enim Laicus quispiam verba consecrationis super species illas proferret, non efficeret signum gratiæ, ergo sicut præter species requiruntur verba consecrationis, ita præter hæc requiritur ut prolata sint à Sacerdote ritè ordinato, ergo etiam ordo Sacerdotalis erit pars Sacramenti Eucharistiæ; quod enim est pars partis, est pars totius, ordo autem Sacerdotalis est secundùm adversarios pars verborum consecrationis, ut verba consecrationis sunt. Idem dici posset de intentione suscipientis Baptismum ad valorem Sacramenti, & de ægritudine suscipientis Extremam-Unctionem.

XV. *Indirectè & impropriè multa dici possunt spectare ad alicujus rei essentiam.*

Respondetur itaque juxta primam partem conclusionis, si ea omnia vocare quis velit partes Sacramenti alicujus, quæ quovis modo ad illius confectionem sunt necessaria, consecrationem esse partem Sacramenti Eucharistiæ, sicut & institutio Dei ægrè à ratione partis hoc modo sumptæ excludi potest, & alia multa, ut discurrenti patebit. Partes autem propriè dictæ illæ solæ sunt, quæ præcipuo quodam modo præ aliis ad alicujus constitutionem concurrunt, quo modo

modo se habere videntur species & corpus Christi respectu Eucharistiæ. Quòd corpus Christi præcipuè spectet, non est dubium; quòd etiam species peculiari modo, & primariò Sacramentum hoc constituant, similiter videtur clarum; juvant enim præcipuè ad operationes omnes, quæ circa illud exerceri debent, ut ad asservationem, gestationem, sumptionem, &c. unde sicut propterea forma in compositis physicis est pars compositi quia est radix variarum operationum ad illud spectantium, ita species ob eandem rationem erunt pars propriè dicta Eucharistiæ, alia verò, ut verba consecrationis, spectabunt quidem, sed modo minùs principali, & tanquam connotata quædam seu circumstantiæ, si in rigore loqui velimus: & per hæc patet prima pars conclusionis.

XVI. *Objic. Concilium Florentinum dicere formam hujus Sacramenti esse verba Salvatoris.*

Dices tertiò, Concilium Florentinum in decreto Eugenii asserere formam hujus Sacramenti esse verba Salvatoris, ergo verba non minùs intrinsecè & tanquam partes constituunt hoc Sacramentum, quàm reliqua. Contra: Etiam dicit Concilium, panem & vinum esse illius materiam, & tamen certum est non esse partes hujus Sacramenti. Respondetur ergo, solùm velle Pontificem requiri verba consecrationis tanquam quid ad confectionem hujus Sacramenti necessarium, sicut etiam requiruntur panis & vinum. Dum autem dicit formam hujus Sacramenti esse verba Salvatoris, loquitur de materiâ & formâ ad confectionem hujus Sacramenti necessariâ, non de materiâ & formâ ex quâ constituitur; unde postquam dixit Pontifex verba Salvatoris esse formam, expressè subjungit, quibus hoc Sacramentum conficitur, quibus innuit se non loqui de partibus constituentibus hoc Sacramentum sicut de formis & partibus intrinsecè constituentibus alia Sacramenta, quæ cùm in usu & actione consistant, eadem est materia & forma quibus conficiuntur, & constituuntur, quod secus contingit in venerabili Eucharistiâ, quæ est res permanens.

SECTIO QUARTA.

Quomodo Sacramentum Eucharistiæ sit unum specie & numero.

I. *Sermo est de formali ratione hujus Sacramenti.*

DE formali ratione Sacramenti procedit hæc quæstio; materialiter enim loquendo res variæ, & specie distinctæ circa illud reperiuntur, ut duæ species panis & vini, duæ etiam formæ verborum eæque diversissimæ, per quas hoc Sacramentum conficitur. Deinde in sacrosanctâ Eucharistiâ sunt signa sacra maximè diversa, species quippe panis corpus secundùm se significant, species vini sanguinem, ergo constituunt diversa Sacramenta, non partialia, sed adæquata; nec enim qui Eucharistiam sub specie panis suscipit, suscipere dicitur partem Sacramenti, sed totum, ergo diversum specie Sacramentum integrum constituit ab eâdem Eucharistiâ sub specie vini: quæ magis declarabuntur numero sequente.

II. *Quanam unitas in hoc Sacramento requiratur.*

Notandum ex Sancto Thoma quæst. septuagesimâ tertiâ, art. secundo, corpore, dum de unitate hujus Sacramenti est sermo, non perfectam requiri unitatem, sed eam tantùm, quæ in rebus & signis artificialibus reperiri potest; nec enim in ullo Sacramento est perfecta unitas, cùm ex rebus diversissimis constent, ut Baptismus ex verbis & ablutione, Pœnitentia ex dolore interno pœnitentis, confessione, & absolutione, & sic de aliis. Solùm ergo hîc loquimur de unitate quâdam morali & proportionatâ ad unam signi rationem constituendam; res enim hîc varias & plusquam specie distinctas intervenire certum est.

III. *Quamvis Sacramentum Eucharistiæ plura in se specie distincta contineat, est tamen simpliciter unum specie Sacramentum.*

Quoad unitatem ergo specificam dico primò, Sacramentum Eucharistiæ, licèt materialiter in se plura specie includat, simpliciter tamen esse unum specie Sacramentum: ita Sanctus Thomas citatus, Sanctus Bonaventura, Halensis, Scotus, Durandus, & alii communiter in quarto, dist. octavâ, Suarez hîc, disp. trigesimâ nonâ, sect. tertiâ, Coninck in hunc articulum, & omnes communiter.

IV. *Optima hujus rei ratio assignatur à Doctore Angelico.*

Probatur primò ratione Sancti Thomæ: hoc quippe Sacramentum institutum est tanquam convivium spirituale, & adinstar convivii corporalis, quod non ad famem tantùm, sed etiam sitim extinguendam ordinatur, & ad hominem plenè saziandum; sicut autem cibus & potus in convivio corporali, etsi specie distincta, unum integrant convivium, ita & de spirituali dicendum, ubi eadem hominis refectio per gratiam expressiùs per utramque speciem significatur, quàm per alteram tantùm.

V. *Utraque species simul unum Christum integrè significat secundùm corpus & sanguinem.*

Secundò probatur: Nam utraque species simul significat perfectè unum Christum, secundùm corpus & sanguinem, unde sicut hæc, licèt specie distincta secundùm multorum sententiam conflant unum corpus integrum, ita & hæ duæ species illa repræsentantes unum conflant Sacramentum, deinde significat utraque species gratiam & etiam gloriam, quæ plenè satiat animam, sicut illa corpus.

VI. *Objic. Hæc à Patribus & Ecclesiâ interdum vocantur diversa Sacramenta.*

Dices: Qui suscipit speciem panis, dicitur, non partem Sacramenti, sed totum suscipere, quod etiam docet Tridentinum sessione vigesimâ primâ, canone tertio. Confirmatur: Patres subinde vocant diversa Sacramenta: eodem etiam modo loquitur Ecclesia in quadam collectâ dicens: *Sacramenta quæ sumpsimus*, &c. Respondetur cum Suario citato, & aliis, partem sæpè recipere denominationem totius, ut pars domus, est domus, pars horti, hortus, &c. quamvis omnes partes unum componant hortum & domum. Secundò dico, quoad effectum quamvis speciem esse convivium & Sacramentum, unde Laicus sub unâ specie sumit totum Sacramentum, cùm sumat totum Christum, una tamen species formaliter seu in ratione signi non ita perfectè est totum Sacramentum, cùm non perfectè significet quoad modum vel refectionem spiritualem, & expressionem partium Christi: unde ait Sanctus Bonaventura disp. undecimâ, art. secundo, quæstione secundâ, fideles accipere in unâ specie totum Sacramentum, quoad efficientiam, non quoad significationem.

VII. *Quando hoc Sacramentum dicitur plura, intelligendum hoc est materialiter, & secundùm quid.*

Ad confirmationem respondetur cum Sancto Thoma ad primum, Ecclesiam eodem loco vocare Eucharistiam unum Sacramentum, imo hic modus loquendi est frequentior: quando ergo dicitur hoc Sacramentum multa, intelligendum est materialiter & secundùm quid, ut ibidem, & in corpore ait Sanctus Doctor, vel ob plura signa partialia & mysteria in iis contenta, vel quia in fine sacrificii solerent plerumque fideles communicare, & sic aliquo modo plura Sacramenta suscipere, ut notat Suarez §. *Tandem Concilia.*

Dico

VIII. *Si Sacramentum Eucharistiæ solùm importet corpus & sanguinem Christi in recto, species in obliquo, omnes hostiæ consecratæ sunt unum numero Sacramentum.*

Dico secundò: Si cum Patribus supra citatis asseramus Sacramentum Eucharistiæ in recto solùm importare corpus & sanguinem Christi, species in obliquo, tunc omnes hostias consecratas, non solùm quæ in eodem altari sunt, aut pixide, sed etiam in toto orbe, esse unum numero Sacramentum, sicut si Verbum assumeret plures humanitates, esset tantùm unus homo, aut si eadem particula panis, una scilicet hostia in mille diversis locis statueretur, & in singulis esset diversa albedo, adhuc esset unum album. Hanc sententiam tenet Suarez disputatione trigesimâ nonâ, sectione quartâ; & præter dicta probari videtur ex illo Apostoli primæ ad Corinthios, versu decimo septimo, *Omnes idem corpus sumus, qui de eodem pane participamus.*

Sin verò quis velit species ingredi in recto, dicere poterit quoties species physicè discontinuatæ multiplicantur, tot esse diversa physicè Sacramenta: ita Vasquez disp. centesimâ septuagesimâ octavâ, capite secundo, si tamen physicè discontinuatæ species moraliter conjungantur, ut contingit de iis, quæ sunt in eâdem pixide exempli gratia, moraliter sunt unum Sacramentum; sicut enim est unum convivium licèt rebus diversis constet, ita & unum esse potest ferculum licèt illius partes sint discontinuæ. Quando autem moraliter censeatur unum numero Sacramentum, quando non, ut in aliis rebus, ita & in hac relinquendum est communi hominum æstimationi. IX. *Si species ingrediantur Sacramentum in recto, pro physicâ discontinuatione specierum sunt diversa physicè Sacramenta.*

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SECUNDA.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

Sacro-sanctam Eucharistiam, Sacramentorum omnium esse absque omni comparatione perfectissimum, in superioribus est demonstratum, cùm Christum Deum & hominem in se contineat, ubi etiam ostendimus ex divinissimo hoc Sacramento bona plurima excellentissimaq; in eos qui illud dignè suscipiunt, derivari. In præsenti ergo quærimus an non utile tantùm nobis sit, sed etiam necessarium.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm sumptio Eucharistiæ vel in re vel in voto, sit medium necessarium ad salutem.

I. *Duplex est necessitas, antecedens & consequens.*

Necessitas duplex est, antecedens & consequens: Necessitate ergo antecedente certum est Eucharistiam non fuisse ad salutem necessariam, cùm Deus multis aliis modis homines salvare potuerit sine Eucharistiâ, vel ullo omnino Sacramento, sicut & sine ipsâ Incarnatione. Sermo itaque tantùm est de necessitate consequente, nempe utrùm positâ institutione hujus Sacramenti, sit illius usus necessarius ad salutem, non necessitate solùm præcepti, sed medii, ita scilicet ut requiratur usus hujus Sacramenti ad aliquem effectum simpliciter ad salutem consequendam necessarium, sicut requiritur Baptismus.

II. *Hæretici quidam olim Eucharistiam simul cum Baptismo parvulis administrabat.*

Omitto antiquos quosdam hæreticos, qui ita necessariam ad salutem Eucharistiæ sumptionem existimabant, ut parvulis unà cum Baptismo Eucharistiam darent, quam consuetudinem apud nonnullos ex Græcis viguisse docent Auctores, & Armenis familiarem fuisse constat, imò eò usque processerunt aliqui, ut hominibus jam defunctis Eucharistiam ministrarent, ut refertur in sextâ Synodo, & in Concilio Antisiodorensi, Canone duodecimo, & Concilio Carthaginensi tertio, Canone sexto: ubi etiam fit mentio aliquorum apud quos in more erat etiam Baptismum defunctis administrare.

III. *Ex orthodoxis aliqui dixerùt Eucharistiam tam esse necessariam ad vitam spiritualē, quàm est cibus materialis ad corporalem.*

His verò omissis, Catholici nonnulli dixerunt Eucharistiam vel re, vel voto esse tam necessariam ad vitam spiritualem, quàm est cibus ad corporalem: ita Petrus Soto, Roffensis, & alii, & inclinare videtur Sanctus Thomas hìc, quæst. septuagesimâ tertiâ, articulo tertio, & quæst. septuagesimâ nonâ, articulo primo ad primum, & quæstione octogesimâ, articulo undecimo ad primum.

IV. *Aliqua, etiam in re posita, necessaria sunt ad salutem.*

Notandum primò cum Vasquez disput. centesimâ sexagesimâ nonâ, cap. primo, num. sexto, aliqua ita reipsa esse necessaria ad salutem consequendam, ut sine iis in re non positis haberi omnino salus non possit, qualia sunt in adultis auxilia gratiæ prævenientia, in parvulis Baptismus extra casum martyrii, &c. hæc verò licèt sint necessaria necessitate medii, non tamen præcepti,

cùm in nostrâ potestate non sint. Alia autem necessaria sunt & necessitate medii & præcepti, ut modò est fides in adultis. Alia tandem reipsa non sunt necessaria, sed solùm re vel voto, ut est Baptismus in adultis, & lapsis post Baptismum Pœnitentia.

V. *In quo necessitas medii differat à necessitate præcepti.*

Notandum secundò cum eodem, licèt non minùs ad salutem requiratur executio eorum, quæ necessaria sunt necessitate præcepti quàm medii, diversam tamen esse utriusque necessitatem, observatio namque præcepti obligantis sub mortali, solùm conducit negativè ad salutem, ne scilicet per illius transgressionem impedimentum aliquod saluti nostræ opponamus: ea verò quæ sunt necessaria necessitate medii, positivè concurrunt ad salutis consecutionem, quia secum aliquid semper afferunt, quod peccata tollat, & homines, si in peccatis sint justificet, quâ de causâ hæc ita sunt media, ut etiam sint remedia, ut notavit Petrus Soto apud Vasquez ibidem.

VI. *In eandem fere semper incidit utraque necessitas.*

Nonnunquam verò, imo penè semper in eandem incidit utraque necessitas, & consequenter illius executio & negativè, vitando scilicet peccatum, seu beatitudinis impedimentum, & positivè ad salutem concurrit, afferendo scilicet id quod infallibiliter gratiam confert, qualia sunt Baptismus & Pœnitentia. Quærimus ergo an Eucharistia sit hoc modo ad salutem necessaria?

VII. *Sumptio Eucharistiæ parvulis non est ad salutem necessaria.*

Prima conclusio: Sacramenti Eucharistiæ sumptio parvulis non est ad salutem necessaria. Probatur ex Concilio Tridentino sessione vigesimâ primâ, canone quarto, ubi sic habetur: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Et ratio est clara; certum enim est eos & gratiam per Baptismum recipere, & semel receptam amittere non posse, cùm peccare nequeant: unde si moriantur, in gratiâ morientur, & consequenter cœlum infallibiliter consequentur.

VIII. *Dices: Susceptionem Eucharistiæ esse parvulis necessariam in voto.*

Dices: Licèt hoc Sacramentum re susceptum non sit ipsis ad salutem necessarium, esse tamen necessarium in voto. Contra: Vel enim per votum Eucharistiæ intelligitur propositum illam suscipiendi, & hoc sensu certum est parvulos non debere habere illius votum, cùm nullum actum deliberatum elicere possint. vel per votum Eucharistiæ intelligitur quod licèt quidem per Baptismum obtineant justificationem, cum directâ tamen obligatione & onere recipiendi Sacramentum Eucharistiæ, sicut licèt per contritionem tollantur peccata omnia mortalia, hoc tamen fit cum obligatione suscipiendi Baptismum, si contritio illa sit ante Baptismum, vel accedendi ad Sacramentum Pœnitentiæ, si contritio sit de peccatis post Baptismum commissis. Unde contritio est quasi substitutum quoddam Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ sunt media primaria ad justificationem instituta, contritio autem solùm secundariò, & quasi loco illorum peccata tollit, & consequenter cum obligatione recipiendi illa tanquam media primaria. Parvulis verò nulla incumbit hujusmodi obligatio, ut constat, ergo &c. Quod magis explicabitur sectione sequente.

SECTIO SECUNDA.

Qua necessitate teneantur adulti Eucharistiæ Sacramentum suscipere.

NON pauci, nec infimæ notæ Theologi existimârunt, nullum dari præceptum divinum suscipiendi hoc Sacramentum: ita Halensis in 4. parte primâ, quæst. quinquagesimâ primâ, membro quarto, Divus Bonaventura dist. duodecimâ, art. quinto, quæst. primâ: Carthusianus in quarto, dist. nonâ, quæst. primâ, artic. primo: Ferrara libro quarto contra gentes, cap. sexagesimo primo: Caietanus tertiâ parte, quæst. octogesimâ, art. undecimo: Sylvester verbo *Eucharistia*, & alii. Ratio ipsorum est, quia nullum nec in Scripturâ apparet, nec ab Ecclesiâ aut Patribus traditur hujusmodi præcepti indicium. I. *Multi, & gravissimi Theologi affirmant, nullum dari præceptum divinum suscipiendi Eucharistiam.*

Secunda nihilominus sententia affirmat, à Christo Domino latum esse præceptum sacrosanctam Eucharistiam sumendi. Hanc ut probabiliorem, & magis piam amplectitur Sanctus Thomas, & non tantùm, quod de eo fatetur Caietanus, ut tutiorem. Eandem etiam opinionem sequitur Richardus in quarto, dist. duodecimâ, artic. sexto, quæst. undecimâ: Durandus in quarto, distinct. nonâ, quæst. secundâ, num. septimo: Paludanus in quarto, dist. nonâ, quæst. primâ, art. primo & secundo. Navarrus in summâ, cap. 21. num. 57. Soto quæst. 1. a. 11. Hanc sententiam, quia eam veriorem existimo, magis in particulari declarabo: hîc tamen præcipuè loquimur de necessitate medii; de necessitate enim præcepti fusè dicetur infrà, ubi prius de eo tractandi est locus. II. *Alii nihilominus dicunt, dari præceptum divinum à Christo latum sumendi Eucharistiæ Sacramentum.*

Secunda conclusio: Quamvis necessitate præcepti teneantur adulti Sacramentum Eucharistiæ certis quibusdam temporibus sumere, ut postea ostendemus, non tamen est iis medium necessarium, vel in re, vel voto ad justificationem obtinendam: ita Suarez hîc, disp. quadragesimâ, sect. primâ, Vasquez disp. centesimâ sexagesimâ nonâ, cap. tertio: Coninck quæst. septuagesimâ tertiâ, art. tertio, dub. unico, & alii. Ratio est; nec enim est instituta Eucharistia primariò ad conferendum primam gratiam, sed ad illius augmentum, & gratiam nutrientem, ut docet Florentinum in decreto ad Armenos §. *Quinto Ecclesiasticorum Sacramentorum*, & Tridentinum sessione decimâ tertiâ, capite secundo, dicens institutum esse hoc Sacramentum tanquam spiritualem animorum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ Christi: & ibidem, canone quinto damnat eos, qui dicunt præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum. Unde connaturaliter ad effectum suum præstandum supponit vitam in subjecto, quâ de causâ censetur ab omnibus Sacramentum vivorum. III. *Sacra Eucharistia sumpta nec in re, nec in voto est medium necessarium ad obtinendam justificationem.*

Hinc probatur secunda pars conclusionis; licèt enim lato quodam modo dici possit quivis adultus, dum justificatur, habere votum Eucharistiæ, in quantum præcepta est illius sumptio, sicut habet generale propositum, seu votum observandi omnia alia præcepta, non tamen potest dici justificari per votum Eucharistiæ propriè dictum; illud enim solùm est votum alicujus rei in justificatione, quod est solùm secundariò ordinatum ad conferendam IV. *Ostenditur Eucharistiæ sumptionem, nec in voto esse propriè medium necessarium ad justificationem.*

conferendam primam gratiam loco alterius, ad quod spectat illius collatio per se ut in contritione respectu Baptismi & Pœnitentiæ constat. Eucharistia autem non ordinatur per se ad primam gratiam conferendam, ergo, &c.

V. *Ad perseverantiam in gratiâ, & consequendam salutem, plurimùm conducit sumptio Eucharistiæ.*

Tertia conclusio: Etsi ad perseverantiam in gratiâ, & salutem consequendam plurimùm conducat Eucharistia, illius tamen sumptio non est ad perseverantiam & salutem consequendam necessaria, nec in re nec in voto, si loquamur de voto in proprio sensu: ita Auctores citati. Probatur: Nam sine Eucharistiâ in re susceptâ multi salutem consequuntur, non ex parvulis tantùm, sed etiam adultis, nec ullus dubitat quin si adultus statim post susceptum Baptisma, subitò moreretur consequeretur salutem.

VI. *Declaratur quo pacto sumptio Eucharistiæ non sit proprie medium necessarium ad salutem, ne quidem in voto.*

Quod etiam in voto non requiratur constat; licèt enim generale propositum servandi mandata, & consequenter Eucharistiam suo tempore sumendi, sit necessarium ad salutem, non tamen vel contritio, vel confessio est propriè votum Eucharistiæ, hoc est loco illius tribuens perseverantiam; si enim quis morti proximus post susceptum viaticum peccaret mortaliter, & eliceret actum contritionis, teneretur peccatum illud confiteri, non tamen Eucharistiam iterum sumere, ut fatentur omnes; ergo alio modo contritio est votum Pœnitentiæ, quàm vel Pœnitentia vel contritio Eucharistiæ; si enim essent in collatione perseverantiæ subordinatæ Eucharistiæ, quasi illius loco conferrent perseverantiam, deberet iterum sumi Eucharistia, ad quam hic effectus spectat per se, sicut quia contritio est votum Pœnitentiæ, debet Pœnitentia iterari.

VII. *Declaratur ulterius quomodo perseverantia non sit effectus Sacramentalis Eucharistiæ.*

Secundò probatur conclusio: Si enim perseverantia sit effectus hujus Sacramenti, cùm effectus Sacramentorum sit certus & infallibilis, quisquis dignè Eucharistiam susceipit, perseverantiæ donum reciperet, quod tamen est apertè falsum. Dices, perseverantiam homini dignè Eucharistiam suscipienti dandam, non absolutè, sed sub hac conditione, si non posuerit obicem, sicut in aliis Sacramentis: datur exempli gratia suo tempore speciale auxilium confirmato ad fidem profitendam, si non posuerit obicem. Sed contra: Quicquid enim sit de effectibus aliorum Sacramentorum, certè in hoc effectu locum habere non potest hæc responsio; hic enim effectus est, ut non ponatur obex, alioqui decretum divinum esset hoc, si dignè receperis Eucharistiam perseverabis, nisi non perseveraveris, cùm ponere obicem sit non perseverare.

VIII. *Res hæc exemplo alio Theologico declaratur.*

Exempli gratia, si Deus hoc pactum faceret cum Petro, si tale opus bonum feceris, non cades in tale peccatum, omnes censerent infallibiliter ipsum posito bono opere, nunquam in peccatum illud casurum; nec enim minus infallibiliter dabitur ipsi hoc præmium negativum de evitatione illius mali, quàm alteri datur præmium positivum, nempe gratia habitualis, ubi initum est de illâ pactum; & ridiculum videtur pactum Dei in priori casu esse: *Non cades in tale peccatum nisi posueris obicem*, cùm ponere obicem sit cadere; tunc enim pactum esset, *non cades nisi ceciderit.* Cùm ergo donum perseverantiæ sit vitare omne peccatum, pactum de perseverantiâ est pactum de non ponendo obicem, sicque tale pactum quale ponunt adversarii, destruit seipsum.

IX. *Objic. Non potest quis vivere sine cibo corporali, ergo nec sine cibo spirituali.*

Dices primò: Non potest homo vivere sine cibo corporali, ergo nec sine cibo spirituali, sed Eucharistia est cibus spiritualis, ergo. Contra: Ergo & in parvulis requiritur sumptio Eucharistiæ, cùm iis necessarius sit cibus corporalis. Respondetur itaque, argumentum ad summum probare aliquem cibum spiritualem requiri, cùm autem, sicut ubi sunt diversi cibi corporei, non requiritur determinatus cibus ad vitam sustentandam, ita nec ubi sunt plures cibi spirituales, unde cùm sint alii spirituales cibi præter Eucharistiam, nempe exercitatio amoris Dei, & omnium virtutum, non est cur Eucharistia, licèt utilissima censeatur ad vitam spiritualem conservandam necessaria. Deinde hoc argumentum probaret frequentem Eucharistiæ sumptionem esse ad salutem necessariam, cùm ita se res habeat in cibo corporali.

X. *Objic. Insinuare videtur Scriptura, Eucharistiæ sumptionem esse ad salutem necessariam.*

Dices secundò: in Scripturâ sæpè insinuari videtur necessitas Eucharistiæ ad salutem: Joannis sexto dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, item: *Qui manducat me ipse vivet propter me, & Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Respondetur in his postremis locis nullam insinuari necessitatem hujus Sacramenti, sed solùm promissionem conditionatam vitæ æternæ ei, qui dignè illud receperit; in hujusmodi enim locutionibus involvitur conditio, sicut cùm dicitur eos, qui dant eleëmosynas, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c. perventuros ad cœlum, sensus est, si reliqua servaverint, & hæc inter omnia opera bona peculiari modo ad effectum illum conducere, quod etiam facit Eucharistia inter Sacramenta. Quo etiam modo intelligi ab omnibus debent verba illa Matthæi ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Addo, loca hæc ab omnibus explicari debere, alioqui quævis sumptio Eucharistiæ ad cœlum consequendum sufficeret, quod nemo dicet.

XI. *Primus ille locus, quamvis aliquam necessitatem arguat, non tamen necessitatem medii.*

Priora autem verba, *Nisi manducaveritis*, &c. arguunt, aliquam necessitatem, non tamen semper necessitatem medii propriè dicti, sed tantùm præcepti; sicut cùm dicitur, nisi quis dies festos religiosè servaverit, aliena restituerit, &c. non intrabit in regnum cœlorum, arguitur quidem necessitas horum, non tamen necessitas medii, sed præcepti, & hoc sensu loquuntur Patres dum necessariam ad salutem asserunt esse Sacramenti hujus sumptionem: multi tamen ex iis, ut Sanctus Augustinus, Sanctus Cyprianus, & Innocentius solùm loquuntur de spirituali manducatione hujus Sacramenti per fidem, quo sensu ait Sanctus Augustinus parvulos hoc Sacramentum manducare, quia per fidem habitu illud credunt. Peculiari tamen ratione conducere videtur sumptio hujus Sacramenti ad gloriam corporis, ob realem conjunctionem corporum nostrorum cum carne gloriosâ Christi, quo sensu sumendus est Sanctus Cyrillus, dum necessariam esse ait Sacramenti hujus sumptionem ad gloriam corporis consequendam, nisi quis eum loqui dixerit de necessitate præcepti.

XII. *S. Thomas votum Eucharistiæ non alio modo necessarium esse dicit, quàm votum seu propositum omnium aliorum præceptorum.*

Hoc etiam sensu capiendus est Sanctus Thomas, vel quòd solùm requirat votum Eucharistiæ, sicut votum seu propositum omnium aliorum præceptorum; quod enim non velit Sanctus Doctor Eucharistiam esse necessariam necessitate medii, exinde primò constat, quòd hoc saltem in terminis nunquam asserverit: deinde supra, quæst. sexagesimâ quintâ, articulo quarto corpore, expressè docet duo tantùm Sacramenta, Baptis-

mum absolutè, Pœnitentiam verò iis qui post Baptismum sunt lapsi, esse ad salutem simpliciter necessariam; ordinem verò toti Ecclesiæ, reliqua autem solùm ait esse necessaria secundùm quid.

XIII. *Diverso modo intelligenda sunt verba Christi de Baptismo, & de Eucharistiâ.*

Nec obstat affinitas verborum illorum Joannis tertio, versu quinto: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; hæc enim verba, ut constat, latiùs patent, & sic comprehendere etiam possunt parvulos; illa verò, *Nisi manducaveritis*, &c. solùm erant prolata ad adultos, sicque important præceptum, cujus capaces non sunt parvuli.

XIV. *Votum in*

Solùm noto ad confusionem vitandam, quæ in hac quæstione esse solet maxima, votum variis modis sumi, primò latissimè, pro desiderio cujuscumque rei, etiam non necessariæ, quo sensu loquitur Tridentinum sessione decimâ tertiâ, capite octavo de iis qui per fidem & votum hujus Sacramenti spiritualiter communicant. Secundò strictiùs, pro desiderio & proposito saltem implicito rei alicujus obligantis, qualia sunt præcepta. Tertiò strictissimè, pro eo quod substituitur tanquam vicarium alterius ad effectum aliquem conferendum, quem licèt conferat, adhuc relinquit obligationem rem cujus hoc est vicarium, suscipiendi, quomodo se habet contritio in adultis respectu Baptismi, & Pœnitentiæ: & hoc solùm sensu negamus Eucharistiæ votum esse ad salutem necessarium. *hac materiâ tribus modis sumitur.*

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA TERTIA.

De Materiâ remota hujus Sacramenti.

EGIMVS in superioribus de materiâ permanente, & intrinsecè constituente hoc Sacramentum, Corpore scilicet & Sanguine Christi, & aliis, ex quibus tanquam ex partibus constat, nunc itaque de materiâ illius transeunte tractandum, illâ nimirum, quæ in consecratione, seu primâ Eucharistiæ constitutione destruitur, circa quam plurima & scitu dignissima, ut hac Disputatione constabit, à Theologis proponi ac discuti quæstiones solent.

SECTIO PRIMA.

Quænam sit Materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

I. *Fœdos Gnosticorum hac in re errores S. Thomas præ modestiâ noluit referre.*

VT omittam fœdos Gnosticorum hac in parte errores, quibus affine est turpe Manichæorum commentum, quos errores inquit Suarez hîc, disp. quadragesimâ tertiâ, sectione primâ Sanctus Thomas recensere propter modestiam noluit. Tres alios hac de re errores refert Sanctus Doctor hîc, quæst. septuagesimâ quartâ, articulo primo. Primus error illorum est, qui in pane & caseo hoc Sacramentum conficiebant, quos etiam refert Sanctus Epiphanius hæresi quadragesimâ nonâ, & Sanctus Augustinus libro de hæresibus, capite vigesimo octavo, indéque dicti sunt *Artotyritæ*, secundò *Cataphryges* sanguinem ex toto infantis alicujus corpore minutis punctionibus immaniter eliciebant, cúmque farinæ miscentes panem inde conficiebant, quem postea ad Eucharistiæ consecrationem impiè usurpabant.

Tertius error à Sancto Thoma relatus erat circa materiam sanguinis; quidam siquidem sobrietatis prætextu aquâ loco vini, in hujus Sacramenti confectione utebantur, inde dicti *Aquarii*. Hunc errorem præter alios quos refert Sanctus Isidorus, Sanctus Cyprianus, Sanctus Clemens Alexandrinus, & alii, amplecti necessariò debebant Manichæi, qui, ut testatur Sanctus Augustinus libro vigesimo contra Faustum, capite decimo tertio, & Sanctus Leo Papa sermone quarto quadragesimæ, vinum abominabantur. Alii verò vel lac solum, vel lac melle mixtum pro vino consecrabant. II. *Aquâ nonnulli loco vini in hujus Sacramenti confectione utebantur: unde dicti Aquarii.*

Alii denique, *Ophitæ* dicti, serpentem, utrefert Sanctus Augustinus citatus capite decimo septimo, & Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum capite septuagesimo quarto, juxta altare alebant, qui per Sacerdotis incantationem statis temporibus egressus panem lambebat, ex quo conficiebant Eucharistiam. Sed hæc mera sunt somnia, & contemnenda potiùs, quàm impugnanda. Quare ut ad rem accedam. III. *Ophitarum circa Eucharistiæ confectionem, ejusque materiam abusus.*

Materia hujus Sacramenti remota est panis & vinum: ita Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ quartâ, art. primo, & Theologi omnes, estque expresè IV. *Materia remota hujus*

Sacramenti est panis & vinum.

expresè definitum in Florentino, in decreto ad Armenos, & in Tridentino sessione decimâ tertiâ: & ob hoc Ethnici olim Christianos dicebant colere Cererem & Liberum, ut testatur Sanctus Augustinus libro vigesimo contra Faustum, capite tertio.

V. *Hanc assertionem apertè probat ipsum factum Christi.*

Probatur assertio apertè ex facto Christi: Fuit autem conveniens ut sub speciebus panis & vini, potiùs quàm aliarum rerum institueretur hoc Sacramentum, tum quia, ut ait Sanctus Thomas, sicut conveniens fuit ut ablutio spiritualis in aquâ institueretur, quia illa est quâ utuntur homines communiter in ablutione corporali, ita quia id quod communissimè adhibent homines in refectione corporis est panis & vinum, ideo convenientissimum fuit, ut Sacramentum, quod ad nutriendam animam per modum refectionis institutum est, sub speciebus panis & vini institueretur. Secundò ut etiam docet Sanctus Thomas ibidem, ad significandam unitatem Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum, quod constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis ex diversis granis conficitur, & vinum fluit ex diversis uvis.

VI. *Panis hic esse debet triticeus.*

Panis qui sit materia apta hujus Sacramenti esse debet triticeus: ita Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ quartâ, art. tertio, Suarez, Vasquez, Coninck, & omnes passim, estque definitum in Florentino, in decreto ad Armenos, & in literis unionis. Caietanus tamen, Tannerus, & alii putant Concilium ibi solùm assignare triticum tanquam materiam aptissimam. Verius nihilominus est Concilium loqui de materiâ necessariâ, alioqui ubi idem requirit aquam naturalem ad Baptismum, & vinum de vite ad Eucharistiam, posset quis dicere solùm loqui de materiâ aptissimâ.

VII. *Quid nomine tritici intelligatur.*

Per triticum autem intelligimus cum Sancto Thoma, Tannero disp. quintâ, quæst. secundâ, Layman de Sacramento Eucharistiæ, cap. secundo, Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, art. tertio, & aliis, non perfectissimum solùm triticum, sed omne illud granum, quod cum purissimo tritico affinitatem aliquam habet. Unde Sanctus Thomas ad secundum ait siliginem, seu secale esse materiam aptam, & idem docet Albertus Magnus, Paludanus, & alii, & probabile putat Soto de speltâ. Unde cùm Sanctus Thomas ad secundum negat speltam sufficere, intelligit, ut notat Soto, aliud genus frumenti durissimi, & ad conficiendum panem minùs apti, quo etiam modo intelligendus est dum ex farre negat confici posse hoc Sacramentum. Si tamen de aliquo dubitetur an triticum sit necne, non licet extra casum necessitatis materiam illam consecrare.

VIII. *Oriza, milium, hordeum, avena non sunt materia cõsecrationis.*

Avena itaque, oriza, hordeum, milium, & alia hujusmodi, quæ ab omnibus censentur non esse triticum, non sunt materia hujus Sacramenti, quamvis Gabriël lectione trigesimâ quintâ in canone Missæ dicat hordeum esse materiam aptam consecrationis, idque ita acriter, ut oppositum definire, dicat non esse tutum homini Theologo. Sed hoc modò sustineri non potest. Idem à fortiori est de leguminibus, & quibusdam radicibus, ex quibus apud nonnullas nationes quoddam panis genus confici solet. Amidum verò, licèt ex medullâ tritici fiat, tamen in ipsâ confectione corrumpitur, unde non est materia apta, ut cum Sancto Thoma ad quartum docent Auctores communiter. Debet verò misceri farinæ tritici aqua naturalis, non rosacea: nec etiam debet confici ex lacte, butyro, melle, &c. sic enim esset potiùs libum, quàm panis.

IX. *Malè docet Caietanus materiam sufficientem cõsecrationis esse farinam tritici mixtam aquâ rosaceâ.*

Caietanus putat farinam aquæ rosaceæ admixtam esse materiam sufficientem, quòd specie substantiali physicâ non differat ab aliâ. Sed quicquid sit de hoc, sufficit differre specie accidentali, nam in arte factis sufficit differentia in formâ artificiali & usuali; qua etiam de causâ massa farinæ cruda, vel oleo aut butyro frixa, aut aqua elixa non est materia hujus Sacramenti, ut communis habet opinio, licèt specie fortè non differant à pane communi modo cocto.

X. *Aliqua alterius rei admixtio veritati materiæ non obstat, modò non sit magna.*

Notandum verò hîc cum Sancto Thoma, & Auctoribus communiter, aliquam alterius rei admixtionem non obstare veritati hujus materiæ, modò magna non sit; tunc enim mutaret speciem. Si panis ita corruptus sit, ut solvatur species, non est materia apta hujus Sacramenti, secus si non planè corrumpatur ut notat Sanctus Thomas ad quartum.

XI. *Et azymus panis, & fermentatus est materia apta consecrationis.*

Tam panis azymus, quàm fermentatus est materia hujus Sacramenti: ita habetur in Florentino in literis untonis, ubi dicitur debere Sacerdotes sive occidentalis sive orientalis Ecclesiæ hac in parte propriam consuetudinem servare, ut illi in azymo, hi in fermentato consecrent, ita ut græco dum intra Ecclesiæ illius terminos commoratur, non liceat consecrare in azymo, aut latino in fermentato dum vivit intra limites Ecclesiæ latinæ.

XII. *Dicebant aliqui Latinum sacerdotem non posse validè consecrare in fermentato, nec Græcum in azymo.*

Nonnulli verò, latinis panem azymum, græcis fermentatum dicebant esse de necessitate Sacramenti, ita ut si illi in fermentato, hi in azymo consecrare tentarent, nihil facerent, nec Christum sub speciebus præsentem constituerent, sed est, inquit Suarez hîc, disp. quadragesimâ quartâ, sect. tertiâ, ineptissima sententia, & omni fundamento destituta.

XIII. *Liquor in uvis adhuc contentus non sufficit ad consecrationem.*

Quoad vinum dico quodvis & solum vinum de vite, idque ex uvis maturis expressum, non in iis adhuc contentum sufficere; si enim necdum sit expressum, cibus potiùs est, quàm potus, sicut pomum non est sicera. Rationem addit Coninck, quia non potest sufficienter designari per particulam *hoc*, cùm non contineatur liquor ille in uvâ ut in vase, sed tanquam pars in toto. unde licèt si sanguis contineretur in vase, possemus monstrato vase dicere, *hoc est sanguis*, non tamen id possemus congruè dicere monstrato homine: si verò uvæ maturæ non sint, non est liquor ex iis expressus vinum, nec potus humanus, sed potiùs acetum. Sufficit autem vinum recenter expressum, necdum defæcatum, non tamen ex uvis passis, seu exsiccatis; videntur enim substantialiter mutatæ. Etsi autem validè consecretur mustum, aut vinum recenter ex uvis expressum, unde etiam apud nonnullos in more erat ut primitiæ uvarum in calicem expressæ certo anni die consecrarentur, sicque Deo peculiari modo offerrentur, hoc tamen fieri licitè non potest, ut notat Suarez disp. quadragesimâ quintâ, sect. primâ, Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, articulo quinto, num. centesimo vigesimo quarto. Layman de Eucharistiâ capite secundo, numero sexto, & alii, quod tamen intelligi debet extra casum necessitatis, nam in necessitate id licere docent Coninck & Layman citati.

XIV. *Vinum congelatum validè consecratur.*

Circa vinum congelatum, Alanus, Armilla, & Angles dicunt non esse materiam validam consecrationis. Contraria tamen sententia est omnium penè Doctorum, quia verè vinum illud retinet

retinet substantiam vini. Monet tamen Suarez, si ante consecrationem contingat vinum congelari, consultiùs esse illud mutare, & aliud sumere: quod tamen inquit Layman citatus, intelligendum est si ex congelatione mutatio contingat in accidentibus, ita ut censeatur vinum aliquo modo corruptum, alioqui inquit ille, consultiùs erit illud iterum resolutum consecrare, quàm mutare. Quòd verò dicit Alanus Christum desinere esse sub speciebus statim atque vinum consecratum congelatur, ac proinde aliud vinum esse consecrandum, & est contra communem sententiam & praxim Ecclesiæ, nam in Missali Romano de defectibus Missæ dicitur, si vinum consecratum in calice congeletur, debere liquefieri & sumi.

Si tamen ante consecrationem congelatur, consultius videtur illud mutare.

XV. *Vinum congelatum est remotè potabile, & propterea est materia consecrationis.*

Dices, vinum congelatum non est potabile, ergo non est materia consecrationis. Distinguo antecedens: Non est potabile in actu secundo, & proximè, concedo; non est potabile ex naturâ suâ, & remotè, nego: hoc autem sufficit ut aliquid sit materia illius Sacramenti, cujus essentia non consistit in usu, sicut consistit Baptismus, quâ de causâ aqua congelata non est materia proxima illius, quia non est proximè apta ad ablutionem, in quâ tamen consistit essentia Baptismi.

XVI. *Dices: Ergo liquor adhuc in uvis existens est consecrabilis.*

Urgebis: Ergo liquor adhuc in uvis existens est materia consecrationis; æquè enim potabilis est ac vinum congelatum: sicut enim hîc requiritur sola liquefactio, ita ibi expressio. Negatur consequentia: Liquor enim ille in uvâ existens habet aliquid oppositum conceptui potus, cùm sit pars uvæ, & sub statu cibi, qui est status omninò oppositus, vinum autem congelatum non minùs est vinum, quàm aqua congelata est aqua, unde per se est potabile, & reducere se potest ab intrinseco ad potabilitatem proximam, ut benè Suarez disput. quadragesimâ quintâ, sectione primâ, fine: & penè eadem ratio est de vino congelato ac de pane, qui casu aliquo ita durus effectus est, ut comedi omnino non possit, nisi arte aliquâ reddatur mollior, ut notat Suarez ibidem, licitè tamen consecrari non potest vinum congelatum, unde peccaret graviter quisquis hoc attentaret, ut docent omnes.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm Christus panem azymum consecraverit, an fermentatum.

I. *Græcorum hac in parte error.*

Græcorum sententia vel error potiùs est, ut vidimus sectione præcedente, solùm panem fermentatum esse materiam aptam ad hoc Sacramentum, vel licitè vel validè conficiendum. Hic error, ut advertunt rerum Ecclesiasticarum Scriptores, mille viginti annis incepit post Christi adventum: hanc sententiam tenet Euthymius Matth. cap. vigesimo sexto, Nicephorus libro primo historiæ, capite vigesimo octavo, & in hoc errore etiamnum perstant Græci, eúmque mordicus defendunt. In eo autem hic eorum error fundatur, quòd Christum putent, non in azymo, sed fermentato consecrasse, & hoc modo Eucharistiam primò instituisse.

II. *Constans Latinorum sententia est, Christum consecrasse in azymo.*

Latini verò omnes econtrario affirmant Christum consecrasse panem azymum. Tota autem hæc controversia dependet à quæstione illâ quo die Christus sit mortuus, cujus discussio licèt ad interpretes Scripturæ spectet, non ad Theologos, breviter tamen dico Christum lunâ decimâ quintâ mortuum fuisse, in ipso solemni festo Azymorum, & consequenter cùm pridie quàm pateretur, in ipsâ cœnâ noctis præcedentis, venerabile Sacramentum instituerit, illud lunâ decimâ quartâ ad vesperam, cùm jam festum Azymorum, quod semper pridie post Solis occasum incipiebat, instituerit necesse est, cùm jam nemini per septem dies panem fermentatum domi habere liceret: ita Sanctus Thomas tertiâ parte, quæstione quadragesimâ sextâ, articulo nono, ad primum, Suarez Tomo secundo in tertiam partem, disp. quadragesimâ, sect. secunda, Bellarminus libro quarto de Eucharistiâ, cap. octavo, Vasquez hîc, disp. centesimâ septuagesimâ secundâ, Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, artic. quarto, dub. primo, & omnes communiter, præter Legionensem, qui cum Græcis dicit Christum lunâ decimâ tertiâ vespere ac Judæos agnum Paschalem comedisse asserit.

erasse in azymo.

III. *Dicunt aliqui Judæos eo anno Pascha suum in diem Sabbati transtulisse.*

Paulus verò Burgensis, quem sequitur Maldonatus, Psalmeron, & Petavius, qui Christum lunâ quidem decimâ quartâ agnum paschalem comedisse docent & Eucharistiam instituisse, Judæos tamen eo anno Pascha suum in diem Sabbati transtulisse, ne duæ solemnitates sibi immediatè succederent, ac proinde Christum Judæos quidem, sed non tempus comestioni Agni Paschalis assignatum prævertisse.

IV. *Ex sacris literis ostenditur Christum primo azymorum Eucharistiâ instituisse.*

Probatur nostra conclusio, nam Matthæi vigesimo sexto dicitur: *Primo die Azymorum accesserunt discipuli ad* Jesum *dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha*, ergo die illo, quo sub vesperam tenebantur omnes comedere agnum Paschalem, quod clariùs constat Marci decimo quarto, ubi dicitur: *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli*, &c. & tandem addit Sanctus Lucas capite vigesimo secundo: *Venit autem dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha*, quæ tam apertè probant Agnum Paschalem, comedi eo die debuisse, quo Christus illum comedit, & Sacramentum hoc instituisse, illumque fuisse initium primi diei Azymorum, cujus prima vespera incipiebat semper pridie post Solis occasum, sicut apud nos primæ vesperæ alicujus festi post meridiem diei præcedentis, ut ex Græcis multi, juxta Sanctum Thomam citatum, dicant hos tres Evangelistas errasse, & à Sancto Joanne correctos fuisse, in quo ut ait Coninck numero septuagesimo septimo se obstinatissimos hæreticos ostendunt, & malle ab Evangelio, quàm à suis erroribus recedere.

V. *Quo sensu dicat S. Joannes lotionem pedum, & consequenter institutionem Eucharistiæ contigisse ante diem festum Paschæ.*

Nec urgent quæ objiciunt adversarii; quod enim dicat Sanctus Joannes pedum lotionem, & consequenter institutionem Eucharistiæ contigisse ante diem festum Paschæ, intelligit secundùm communem modum computandi dies, nempe ab ortu Solis, sicut apud nos dies resurrectionis & alia festa incipere dicuntur vel post mediam noctem, vel mane orto jam Sole, licèt primas vesperas celebremus pridie.

VI. *Quid intelligatur per Pascha, dum Judæi nolebant ingredi Prætorium, ut non contaminarentur, sed comederent Pascha.*

Quòd verò noluerint ingredi Prætorium ne contaminarentur, sed comederent Pascha, per Pascha non intelligitur Agnus Paschalis, sed aliæ victimæ, quibus in Paschate vesci solebant. vocatur autem Parasceve Paschæ, non quòd antecederet Pascha, sed quòd in ipsum diem Paschæ inciderat, quem eo anno immediatè sequebatur Sabbatum quod solum habebat Parasceve; in aliis enim festis licebat cibos coquere, sicut & mortuos sepelire, & ea quæ ad id opus pietatis erant præparare.

præparare. Per quod cessat argumentum ductum à sepulturâ Christi: & licèt dixerint Pharisæi *non in die festo*, hoc tamen non ob religionem legis, sed ne tumultus fieret in populo dicebant, ubi verò ex occasione proditionis Judæ videbant posse Christum sine tumultu capi & occidi, vel in die festo id fieri malebant, quàm occasionem illam omittere.

VII. *Quomodo secundùm nostrum computum dies Pentecostes, qui incidebat semper in Dominicâ, potuerit esse quinquagesimus.*

Tandem quod affertur de die Pentecostes, qui erat quinquagesimus à secundo die Azymorum & incidit in Dominicam, quod tamen fieri non posset juxta nostrum computum, si enim numerentur septem hebdomadæ incipiendo à die Sabbati, qui in nostrâ sententiâ erat secundus Azymorum cùm Christus mortuus sit die primo, dies immediatè eas subsequens erit dies Sabbati: Respondet Coninck numero octogesimo septimo cum aliis, illo anno Pentecostem Judæorum verè incidisse in Sabbatum: quando autem Sanctus Lucas Actorum secundo ait: *Cùm complerentur dies Pentecostes*, intelligendum esse ait de Pentecoste Christianorum, ad quos scribebat, nempe de quinquagesimo post resurrectionem die; toto enim capite loquitur de resurrectione Christi, de conversatione ejus cum discipulis, ascensione in cœlum quadragesimo à resurrectione die, & tandem quinquagesimo venisse Spiritum Sanctum, ergo hoc etiam intelligit de quinquagesimo die post resurrectionem. Suarez citatus Tomo secundo, disputatione quadragesimâ secundâ ait: *Cùm complerentur dies Pentecostes*, significare idem ac cùm jam completum seu transactum esset festum illud, ac proinde sequente die. Vasquez disp. centesimâ septuagesimâ secundâ, capite duodecimo ait, septem illas hebdomadas computandas esse à secundo die Azymorum exclusivè. Quivis respondendi modus sufficit. Sed de his plura sacræ Scripturæ interpretes.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm aqua vino ex Ecclesiæ præcepto admixta, immediatè convertatur in Sanguinem.

I. *Dicebant Armeni in Christo unam tantùm esse naturam, ideoque aquam vino non esse admiscendam.*

ARMENORUM error fuit, ut notat Theophilactus Joannis decimo nono, aquam in consecratione calicis vino non esse admiscendam, quod, inquit Nicephorus, ideo non faciebant, ut Christum unius tantùm esse naturæ significarent. Hunc verò Armenorum errorem nonnulli Græcis etiam tribuerunt, quos tamen certum videtur in hoc errore non fuisse. Eundem errorem amplexus est Calvinus, quòd scilicet hæc aquæ vino admixtio in Scripturâ non reperiatur, Lutherus verò, ut refert Sanderus libro septimo visibilis Monarchiæ, Anno 1549. ait necdum se secum statuisse, utrùm in Missâ aqua vino sit admiscenda?

II. *Aqua ante consecrationem est vino permiscenda.*

Dicendum tamen, aquam vino ante consecrationem esse permiscendam; id enim apertè docet Florentinum in decreto Eugenii quarti ad Armenos, & Tridentinum sessione vigesimâ secundâ, capite septimo, ubi addit id ex præcepto Ecclesiæ fieri. Idem docet Alexander Papa septimus post Beatum Petrum, qui ait se id à Patribus accepisse. Rationem reddunt Concilia citata, tum quia Christus creditur primùm ita consecrasse, tum ad repræsentandum sanguinem & aquam, quæ ex latere Christi fluxerunt, tum denique ad significandum unionem populi Christiani cum Christo capite; aqua enim populum significat, ut constat Apocalypsis decimo septimo, versu decimo quinto, ubi dicitur: *Aquæ populi sunt.*

III. *Non rectè dixit Armachanus, hâc aquæ admixtionem esse ad validam Sacramenti confectionem necessariam.*

Unde ut docet Divus Thomas hic, quæstione septuagesimâ quartâ, artic. septimo contra Armachanum libro nono de quæstionibus Armenorum, cap. nono, non est hæc admixtio aquæ ad validam Sacramenti confectionem necessaria: primò quia Florentinum assignat pro materiâ hujus Sacramenti panem triticeum & vinum de vite, cùm tamen dicat materiam Confirmationis esse oleum mixtum balsamo, & licèt asserat admiscendam esse modicissimam aquam, hanc tamen non assignat pro materiâ necessaria, imo addit ob Ecclesiæ tam latinæ, quàm græcæ consuetudinem hoc debere fieri, & ab Armenis faciendum præscribit, ne ab universali Ecclesiæ consuetudine discrepent, non ob institutionem Christi, quod tamen addidisset si Christus hoc instituisset.

IV. *Auctoritate Iulii I. ostenditur vinum non mixtum aquâ esse materiam consecrationis.*

Præterea in eodem Concilio affertur auctoritas Julii I. qui fuit secundus post Beatum Sylvestrum Pontifex, qui ex Canonum præscripto id faciendum docet: deinde, si ante consecrationem non fuerit admixta aqua, Ecclesia non jubet admiscere & denuò consecrare, sed sumi id quod est consecratum, ergo censet esse materiam validam. Tertiò Concilium Tridentinum loco citato dicit hoc esse præceptum ab Ecclesiâ, quæ, etiam probant contra Hosium libro quarto de traditionibus, & Castro libro sexto, verbo *Eucharistia* hæresi septimâ, hanc mixtionem aquæ non esse ex præcepto divino.

V. *Sanctus Cyprianus, & alii solùm negant posse licitè consecrari vinum sine aquâ.*

Quando ergo Sanctus Cyprianus, aut alii Patres dicunt vinum solum non posse consecrari, loquuntur de licitâ consecratione; Sanctus enim Cyprianus, cujus auctoritas præcipuè urget, Epist. sexagesima tertia ad Cæcilium, eodem loco sic habet: *Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis*, id est ita ut non significet unionem nostri cum Christo, qui per aquam significamur. Unde Sanctus Thomas quæst. septuagesima quarta, articulo septimo ad primum, afferens hoc testimonium Sancti Cypriani intelligi eum debere asserit de convenientiâ, non de necessitate.

VI. *Quid ad exemplum à S. Cypriano allatum respondeat S. Thomas.*

Nec in exemplo quod affert Sanctus Cyprianus, nempe sicut ex farinâ solâ sine aquâ non potest confici Sacramentum corporis, ita nec ex vino solo, nisi aliquid aquæ admisceatur, Sacramentum sanguinis, in hoc namque exemplo, inquit Sanctus Thomas, non est spectanda omnimoda paritas, sed solùm sicut unum fieri non debet, ita nec aliud. vel etiam dici potest, solùm negare Sanctum Cyprianum, si vinum solùm consecraretur esse Sacramentum, ita completum in ratione significationis, cùm in eo casu non significet expresè unionem populi Christiani cum Christo capite, quod probatur ex loco Sancti Cypriani proximè citato, præsertim cùm ex definitionibus Conciliorum & Pontificum habeamus admixtionem hanc fieri ex solo Ecclesiæ præcepto.

VII. *Omnia quæ fecit Christus non sunt de necessitate hujus Sacramenti.*

Nec omnia quæ fecit Christus sunt de necessitate Sacramenti, alioqui non posset confici nisi in azymo. Debet tamen hæc mixtio fieri per modum cæremoniæ in ipso calice, non antequam infundatur, nec etiam tantum aquæ infundi debet ut potius censeatur aqua quàm vinum; neque enim aqua vino alterata, sed vinum aqua mixtum

est materia hujus Sacramenti. Quærimus ergo, casu quo tempore consecrationis remaneat aliquid aquæ non conversum in vinum, convertatur in sanguinem, vel in calice post consecrationem remaneat.

VIII. *Prima opinio affirmat, si aqua mixta vino, non fuerit mutata in vinum ante consecrationem, non converti in sanguinem.*

Prima sententia est Scoti in quarto, dist. undecimâ, quæst. sextâ, Soti in quarto, dist. nonâ, quæst. primâ, articulo sexto, estque communis Thomistarum, Suarez hic, disp. quadragesimâ quintâ, sect. quartâ, Vasquez disp. centesimâ septuagesimâ octavâ, cap. secundo, eâmque acerrimè defendit Tannerus disp. quintâ, quæstione secundâ, dub. sexto: Mæratii disp. quintâ de Eucharistiâ sect. quartâ, Gamachæi tertiâ parte, quæst. septuagesima quarta, cap. tertio, Kellisoni quæst. septuagesima quarta, cap. octavo, & aliorum, qui dicunt aquam vino admixtam, si ante consecrationem non fuerit in vinum mutata, non converti in sanguinem, sed manere in calice.

IX. *Probabilius tamen est, aquam hoc modo ex præscripto Ecclesiæ admixtam vino, immediatè simul cum vino converti in sanguinem.*

Secunda, & probabilior sententia affirmat, aquam vino ex Ecclesiæ præscripto admixtam, si ante consecrationem in vinum conversa non fuerit, converti immediatè simul cum vino in sanguinem: ita Cardinalis Alanus libro primo de Sacramento Eucharistiæ, capite decimo tertio, Cardinalis Baronius tomo duodecimo Annalium, sub finem anni 1188. qui duo hanc sententiam putant esse de fide: Toletus, Salmeron, Jansenius, Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, art. octavo, dub. unico, Præpositus ibidem, Layman de Eucharistiâ, cap. secundo, estque frequentissima inter recentiores opinio, & in Patribus maximum habet fundamentum.

X. *Prima & præcipua hujus sententiæ probatio desumitur ex Patribus.*

Probatur itaque primò ex Patribus, qui universim affirmant aquam vino mixtam converti in sanguinem; sic enim loquitur Alexander primus in Epistolâ ad omnes orthodoxos: *Non enim*, inquit, *debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur*, &c. ubi per offerri idem intelligitur, ac consecrari, ut secundùm communem usum Patrum & Conciliorum habetur. Unde hoc modo sæpè loquitur Concilium Tridentinum, ut sessione decima tertia, capite quarto, & sessione vigesima secunda, canone primo, ubi offerri Christi corpus idem esse dicit, quod consecrari, vel immolari.

XI. *Clarum S. Augustini & S. Ambrosii hac de re testimonium.*

Sanctus Augustinus, *Aqua*, inquit, *mittitur, & fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* Sanctus Ambrosius libro quarto de Sacramentis capite quinto: *Ante verba Christi calix est vino & aquâ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.* Sanctus Damascenus libro quarto de Fide, capite decimo quarto: *Panis, & vinum, & aqua, per invocationem divini Spiritus mirabili modo in corpus & sanguinem Christi vertuntur.* Algerus libro primo de Sacramento corporis Domini, capite decimo sexto: *Cum enim vinum pro Christo, aqua pro populo sacrificetur, & utrumque unus sanguis fiat*, &c. qui etiam modus loquendi aliis Patribus est familiaris, ita ut, inquit Coninck citatus, numero centesimo quadragesimo quarto, hoc antiquitatis vox fuisse videatur.

XII. *Objic. Hæc Patrum dicta intelligenda esse de conversione mediatâ.*

Dices cum Tannero & aliis, hæc omnia intelligi de mediata conversione, ita nimirum ut aqua convertatur quidem in sanguinem, si tamen priùs conversa fuerit in vinum. Sed contra primò; nullibi enim sic Patres loquuntur, sed expressè dicunt aquam & vinum, seu aquam cum vino converti in sanguinem, quod non magis propriè dici potest in sensu adversariorum, quàm si quis diceret frumentum, aut aquam quæ farinæ miscetur converti in corpus Christi, quam sine dubio omnes censerent esse impropriam locutionem, & tamen convertuntur in corpus mediatè. Contra secundò: Si mens Patrum fuerit aquam converti in sanguinem, modò priùs convertatur in vinum, mirum est eos hoc nunquam asseruisse: imò quando dicunt in calice plus vini esse debere quàm aquæ, nunquam eam rationem reddunt, quod priùs converti debeat in vinum, quàm in sanguinem, sed quòd significare debeat majorem esse majestatem Christi, qui per vinum in hoc mysterio repræsentatur, quàm sit fragilitas populi, qui repræsentatur per aquam, ut habetur ex Patribus, & expressè tradit Concilium Triburiense canone decimo nono.

SECTIO QUARTA.

Vlteriùs ostenditur aquam hoc modo admixtam vino, converti immediatè in sanguinem.

I. *Pro immediatâ aquæ in sanguinem conversione fecit auctoritas Innocentii III.*

Secundò probatur conclusio ex Innocentio tertio capite: *Cum Martha, de celebratione Missarum*, ubi propositum fuit Pontifici, Utrùm aqua cum vino in sanguinem convertatur? in hac autem quæstione aliquid dubium proponebatur Pontifici, nullus autem unquam dubitavit, utrùm si aqua ante consecrationem conversa fuisset in vinum, converteretur in sanguinem; hoc enim est certum, cùm tunc verè sit vinum æquè ac illud quod primò infusum erat calici, ergo quæstio erat prout verba sonant, Utrùm aqua, posito quod tempore consecrationis conversa non fuerit in vinum, convertatur in sanguinem; hoc enim sonant verba illa, *aqua cum vino*, nam sicut, si ibi non sit tunc aqua & vinum, falsum esset dicere Angelus videt aquam cum vino, ita & falsum esset dicere aqua cum vino convertitur in sanguinem.

II. *Tres hac de re à Pontifice referuntur sententiæ.*

Tribus ergo relatis sententiis, quarum prima dicebat aquam illam converti in aquam quæ fluxit de latere Christi: Secunda converti in sanguinem, modò priùs transeat in vinum, licèt, inquit Pontifex, id Physici negent, scilicet aquam unquam transire in vinum: Tertia aiebat manere aquam post consecrationem, & solùm esse extrinsecè mutatam per accidentia vini: tandem directè respondet quæstioni & dicit aquam cum vino in sanguinem transmutari; ubi vel nihil dicit Pontifex, vel affirmat aquam immediatè in sanguinem converti, cùm satisfacere debeat dubio sibi proposito.

III. *Secunda sententia conclusionem approbavit Pontifex, non rationem.*

Dices, Pontificem approbare secundam sententiam, hæc autem dicebat aquam converti in sanguinem, modò tamen priùs convertatur in vinum. Respondetur, Pontificem conclusionem illius approbare non tamen rationem, imò eam potiùs rejicit, & dicit à Physicis, seu Philosophis communiter negari aquam omnino in vinum converti, sed semper posse iterum per artem separari: unde postea ubi suam tradit sententiam, rationem illam non repetit, sed solùm dicit aquam cum vino converti in sanguinem, hocque probat, non ratione illâ philosophicâ, sed ex eo quòd hoc modo meliùs exprimatur unio Ecclesiæ cum Christo.

Deinde

IV. *Vlteriùs ostenditur Innocentium hoc loco docere aquam ante consecrationem in calice manentem transire immediatè in sanguinem.*

Deinde vel sequitur Pontificem desiniviſſe ſententiam illam philoſophicam, nempe aquam priùs converti in vinum, quod tamen nullus dicet, cùm illa ſententia adhuc ſit inter Philoſophos controverſa, imò eam Ariſtoteles non ſolùm nunquam docuit, ſed expreſsè negavit lib. primo de Generatione, cap. decimo, textu octogeſimo nono, ut oſtendit Coninck quæſt. ſeptuageſimâ quartâ, art. octavo, dub. unico, numero centeſimo ſeptuageſimo octavo: vel ſolùm ait Pontifex aquam converti in ſanguinem ſi priùs tranſeat in vinum, & hoc eſt nihil dicere, cùm de eo nemo dubitet, nec dubitare poſſit, ut oſtenſum eſt, imo ipſe Innocentius libro quarto de myſteriis Miſſæ, capite undecimo, apertè ſupponere videtur aquam immediatè tranſire in ſanguinem, nam in Sacramento, inquit, eſt trinitas ſpecierum, nempe panis, vinum, & aqua: unde veriſimile eſt eum in hac definitione conformiter ad doctrinam à ſe alibi traditam proceſſiſſe.

V. *Ex facto Chriſti probatur aquâ illam tranſire immediatè in ſanguinem.*

Tertiò idem probatur ex facto Chriſti, à quo aquam fuiſſe per conſecrationem immediatè in ſanguinem converſam, longè videtur probabilius: & imprimis nullus, opinor, dicet aquam manſiſſe in calice à Chriſto conſecrato, ergo debuit immediatè converti in ſanguinem, cùm Patres aquam illam adeo modicam fuiſſe nunquam indicent, imò Chriſtum juxta communem uſum aquam vino tunc immiſcuiſſe veriſimilius eſt; unde multis poſt annis conſuetudo erat in Eccleſiâ, ut duæ partes eſſent vini, tertia aquæ, quem morem in Germaniâ in uſu fuiſſe conſtat ex canone decimo nono Concilii Triburienſis ibidem, anno 895. celebrati.

VI. *Exigua mora inter admixtionem aquæ, & conſecrationem à Chriſto factam interceſſit.*

Quòd verò exigua etiam mora inter aquæ admixtionem & conſecrationem à Chriſto factam interceſſerit, probatur tum ex liturgiâ Sancti Baſilii, in quâ ſic habetur: *Similiter calicem vini nati è vite poſtquam cœnaverunt accepit, miſcuitq; aquis, gratias egit dicens*, &c. tum ex liturgiâ Sancti Jacobi, ubi dicitur: *Similiter poſtquam cœnavit accipiens calicem, & permiſcens ex vino & aquâ, & aſpiciens in cœlum ac oſtendens tibi Deo Patri, gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis dicens: Hic eſt*, &c. ex quibus conſtat continuata actionum ſerie hæc omnia à Chriſto fuiſſe præſtita, qua de cauſa, ut notant aliqui, Evangeliſtæ referentes factum Chriſti, ubi dixiſſent eum accepiſſe panem, &c. dum ad ſanguinis conſecrationem veniunt, non dicunt eum accepiſſe vinum ſicut priùs dixerant accepiſſe panem, ſed accepit, inquiunt, calicem, ut utrumque quod includebatur, comprehenderetur.

VII. *Frequenter contingit ut aqua tempore conſecrationis, necdum ſit in vinum converſa.*

Quartò probatur; frequenter enim neceſſariò manet aqua tempore conſecrationis, ut patet quando Sacerdos jamjam conſecraturus recordatur ſe aquam non immiſcuiſſe, quam proinde tunc apponere debet, & ſtatim conſecrare, deinde ſi in conſummatione advertat aquam loco vini in calice fuiſſe, tunc debet vinum ſumere, & admiſcens aquam conſecrare. Imò nunquam videtur curaſſe Eccleſia utrùm aqua fuiſſet priùs in vinum converſa, ut patet ex Concilio Triburienſi ſupra citato, ubi tertia pars dicitur poſſe eſſe ex aqua: & ex Honorio tertio, qui Innocentio ſucceſſit, hic enim capite *Pernitioſus de celebratione Miſſarum*, præcepit ut juxta conſuetudinem Eccleſiæ plus vini quàm aquæ in conſecratione adhiberetur, ergo illo tempore ſolùm erat omnibus curæ, ut plus vini eſſet in calice, quàm aquæ; ac proinde moraliter loquendo non poterat in vinum ante conſecrationem converti, præſertim ſi vinum erat tenue.

VIII. *Cur jam in Miſſâ modiciſſima aqua admiſceatur vino.*

Quod autem jam modiciſſima aqua admiſceri ſoleat, non eſt ut priùs convertatur in vinum, ſed primum factum eſt ut ſignificetur ſumma majeſtas & excellentia Chriſti ſuper populum Chriſtianum, ut Patres indicant, & habetur in Concilio Triburienſi.

IX. *Quam ob cauſam aqua aliquo tempore ante conſecrationem admiſceatur vino.*

Ideo verò miſcetur aqua aliquo tempore ante conſecrationem, quia cum eo tempore fiat oblatio materiæ conſecrandæ, convenientius videtur ut tunc tota materia offeratur ſimul, quàm ut ſigillatim poſtea per ſe offerretur aqua: ſicut etiam tunc hoſtiæ pro iis qui in fine Sacri ſunt communicaturi offeruntur. Ideo autem inter offertorium & conſecrationem aliquod temporis intervallum intercedit, quia conveniens fuit ut ritus aliqui & cæremoniæ ſuper materiam oblatam antè conſecrationem exercerentur, & orationes diverſæ ſuper eandem funderentur.

X. *Communis omnium in Eccleſiâ ſenſus fuiſſe videtur, hanc aquam immediatè converti in ſanguinem.*

Deinde, communem omnium ſenſum fuiſſe in Eccleſiâ aquam non converti in vinum priuſquam convertatur in ſanguinem, conſtat ex Gaufredo monacho apud Baronium anno 1188. qui ſcribens ad Epiſcopum Albanenſem tunc vicarium Pontificis, ait ſe in Galliam reverſum novam apud aliquos ventilatam quæſtionem inveniſſe, Utrùm ſcilicet ſubſtantia aquæ in calice cum vino mixtæ ſimiliter cum eodem vino in ſanguinem convertatur. In hac controverſiâ quidam aiebant converti immediatè in ſanguinem ſimul cum vino, alii vinum quidem converti, ſed aquam manere immutatam, ubi utraque opinio ſupponebat aquam tempore conſecrationis manere non converſam in vinum, alioqui nullus fuiſſet locus controverſiæ.

XI. *Eo tempore ſemper aliquid aquæ manebat non converſum in vinum.*

Imò eo tempore moraliter loquendo ſemper aliquid ſaltem aquæ manebat tempore conſecrationis non mutatum in vinum, cùm non diu eſſet ante tempora Honorii tertii, quando, ut vidimus, id ſolùm curæ erat ut plus vini tempore conſecrationis eſſet in calice, quàm aquæ. Subjungit Baronius: *Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, non invenimus, ſed aliud reſcribere non potuiſſe certum eſt, quàm quod credidit & cuſtodivit ſemper ſancta Romana Eccleſia, nimirum, aquam ſimul & vinum tranſſubſtantiari in ſanguinem Chriſti*: Hæc ille.

SECTIO QUINTA.

Argumenta contendentia aquam non converti immediatè in ſanguinem.

I. *Objicies: Dicere S. Thomam aquam ita converti in ſanguinem, ut priùs convertatur in vinum.*

OBJICIES primò Sanctum Thomam quæſt. ſeptuageſimâ quartâ, art. octavo, ubi dicere videtur aquam converti in ſanguinem, ita tamen ut priùs convertatur in vinum. Reſpondetur, aſſerere quidem hoc Sanctum Doctorem, & addere poſſe eam in vinum converti, & propterea expedire ait modicam tantummodo aquam admiſceri, ut in vinum convertatur; nunquam tamen affirmat Sanctus Thomas non poſſe aquam in ſanguinem converti, niſi prius convertatur in vinum; imo in variis hujus quæſtionis articulis contrarium non leviter inſinuat. De mente tamen

tamen Sancti Doctoris plura dicentur infrà in fine Sectionis.

II. *Objic. Dicere Cœcilium Florentinum vinum esse materiam hujus Sacramenti, ergo aqua non est.*

Objicies secundò Concilium Florentinum dicens materiam hujus Sacramenti esse vinum cui aqua miscenda; ergo juxta Concilium solum vinum est materia consecrationis, cùm de eo tantùm, non de aquâ affirmet esse materiam Sacramenti. Confirmatur: Christus enim non præcepit aquam vino admiscери in calice consecrando; ergo non est fundamentum dicendi ipsum instituisse eam pro materiâ hujus Sacramenti.

III. *Resp. Concilium verbis illis innuere aquam esse materiam hujus Sacramenti, non solam, sed vino mixtam.*

Ad argumentum respondetur ex verbis illis satis constare Concilium includere aquam in materiâ hujus Sacramenti, non tamen solam, sed vino mixtam. Ratio autem cur rem hanc eo loquendi modo exprimat, est ut significet vinum esse materiam necessariam, aquam verò, quamvis vino mixta, sit materia sufficiens, non tamen esse de necessitate Sacramenti, sicut est vinum.

IV. *Ad cõfirmationem dico, Christum in Sacramenti hujus institutione abstraxisse à vino puro & usuali.*

Ad confirmationem dico, sicut secundùm omnes circa materiam corporis instituit Christus solummodo panem in genere, abstrahendo ab eo quòd habeat sibi admixtum fermentum, salem, &c. ita etiam pro materia sanguinis instituit vinum, sive purum, sive aqua mixtum & usuale. Adde, quod Christus verbo non fecit, fecit exemplo, nam ut Sectione præcedente vidimus, in primâ Sacramenti hujus institutione, aquam vino miscuit, eamque statim consecravit.

V. *Objic. Innocentium III. nullam opinionis nostræ fecisse mentionem, ergo eam non definivit.*

Objicies tertiò non potuisse Innocentium definire, quod nos eum definivisse dicimus, nempe aquam immediatè transire in sanguinem, sive priùs convertatur in vinum sive non, cùm nullam hujus opinionis mentionem fecerit. Respondetur secundam sententiam à Pontifice relatam duas partes complecti, nempe aquam converti in sanguinem, ita tamen ut priùs convertatur in vinum: quoad unam ergo partem, nempe quod aqua transeat in sanguinem amplectitur illam sententiam, modum autem, quæ est secunda illius pars carpit & rejicit, ut suprà vidimus. Cùm ergo dogmaticè hic loquatur Pontifex, absolutè dicit abstrahendo ab opinionibus aquam converti in sanguinem, sive priùs convertatur in vinum, sive non.

VI. *Objic. Catechismum Romanum asserere, judicio Doctorum aquam illam debere priùs converti in vinum.*

Objicies quartò: in Catechismo Romano de Sacramento Eucharistiæ, numero decimo sexto affirmari modicam aquam infundendam esse, quod Ecclesiasticorum scriptorum sententiâ & judicio aqua illa in vinum convertatur. Respondetur, quoad mentem Ecclesiasticorum scriptorum satis constare ex dictis, cùm & in Concilio Triburiensi, & decreto Honorii III. appareat, vel non multo plus vini appositum olim fuisse, quàm aquæ, vel saltem tertiam partem fuisse aquam, unde tota converti in vinum tam parvo tempore non poterat. Imo ex Gaufredo Monacho patet hunc non fuisse eo tempore sensum Ecclesiæ, ipseque Innocentius modum illum carpit potiùs, & rejicit, quàm probat. Denique Patres omnes suprà citati dicunt aquam cum vino in sanguinem converti: ac proinde Theologi, qui Catechismum illum composuerunt, explicandi sunt de conversione latè sumpta, quoad apparentiam externam, & quoad denominationem vini prædominantis in illo mixto. Et sanè præstat eos hoc modo explicare, quàm dicere eos Patribus omnibus contradixisse. Certè eò minorem habet auctoritatem hoc eorum testimonium, quòd nitatur auctoritate Honorii *Capite pernicioſus*, quem dicunt affirmare secundùm consuetudinem rationabilem Ecclesiæ generalis *longè* plus vini quàm aquæ adhibendum esse, cùm tamen particula *longe* non reperiatur in illo decreto, sed solùm quod plus vini quam aquæ debeat adhiberi.

VII. *Dicet: Concilium Trid. definire vinum cõverti in sanguinem, nullâ factâ mentione aquæ.*

Objicies quinto Concilium Tridentinum sessione decima-tertiâ, canone secundo, ubi definit substantiam vini converti in sanguinem, nullâ factâ mentione aquæ. Respondetur, Concilium ibi solùm agere contra hæreticos negantes ullam fieri conversionem in corpus & sanguinem Christi, unde hoc satis erat ad intentum Concilii; licèt ergo nullam faciat aquæ mentionem, non tamen propterea damnat eos, qui asserunt aquam converti; sic enim damnaret Patres, qui unâ voce affirmant aquam cum vino in sanguinem converti. Secundò dici potest per vinum intelligi ea omnia, quæ concurrunt ad vinum usuale componendum, ex quibus vinum juxta communem hominum usum & acceptationem est aqua, juxta illud Sapientiæ nono, *Comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*; non tamen est necessarium ut singulæ partes sint vinum, sicut nec singulæ partes Chrismatis sunt Chrisma, Balsamum enim Chrisma non est, licèt totum ex oleo & Balsamo resultans sit Chrisma. Hoc etiam modo intelligendi sunt Patres, si qui dicant materiam consecrationis esse vinum; nec enim aliud vinum possunt requirere, quàm illud quod consecrabat ipse Christus, quod valde verisimile est, dum illud consecrabat, fuisse aquâ mixtum.

VIII. *Dicet: Asserere Concilium post conversionem non manere nisi species panis & vini.*

Objicies sextò idem Concilium eodem loco dicens, ita panem converti in corpus, & vinum in sanguinem, ut tantùm maneant species panis & vini, sed in nostrâ sententiâ manent etiam species aquæ; ergo contradicit Concilio. Respondetur, Concilium quando dicit manere tantùm species panis & vini, solùm vult, non manere illorum substantiam, sed tantùm species, seu accidentia, ita ut ly *tantùm* solùm excludat substantiam panis & vini, non alias species. Et hoc modo ab omnibus explicari debet Concilium, nam certum est aliquando manere aliquid præter species panis & vini, ut cum consecratio immediatè sequitur mixtionem. Fortè tamen Concilium per vinum & species vini intelligit vinum mixtum, & usuale, cui aliquid aquæ solet admisceri.

IX. *Objicies: Dicere Concilium Tridentinum, sub singulis specierum partibus, separatione factâ, manere totum Christum, ergo & sub speciebus aqua.*

Objicies septimò Concilium ibidem canone tertio, ubi definit sub singulis specierum partibus separatione factâ manere totum Christum, ergo si separentur species aquæ adhuc sub illis manebit totus Christus; ergo & aqua sola est materia apta consecrationi. Quicquid sit de priori parte hujus objectionis, negatur ultima consequentia; sic enim licèt anima separata retineat characterem Baptismi, aut Sacerdotii, quem habuit impressum dum erat unita corpori, non tamen sequitur posse illi, dum separata est à corpore, characterem imprimi: sic etiam licèt aqua mixta vino sit materia consecrationis, non tamen sequitur esse materiam quando per se sumitur à vino separata.

X. *Dicunt alii quoad mansurum Christum sub speciebus aquæ separatis.*

Quoad primam verò partem objectionis Pater Coninck & alii putant mansurum Christum sub speciebus aquæ separatis, idque ob hanc auctoritatem Concilii. Alii tamen negant, quia aqua non est materia hujus Sacramenti nisi mixta vino: unde licèt species aquæ hoc modo separatæ non corrumpantur substantialiter, corrumpuntur tamen in ratione materiæ hujus Sacramenti, sicut licèt vi ignis multum aquæ è farinâ exhaletur dum coquitur panis, multi tamen dicunt aliquid aquæ

aquæ in pane cocto manere, & consequenter sub speciebus aquæ illius manere corpus Christi. Imò affirmat Suarez, & alii plurimi, massam farinæ aquâ mistæ necdum coctam, non differre specie substantiali à coctâ, & tamen si separetur aqua illa à farinâ, non maneret sub illius speciebus Christus.

XI. *Ad locum Concilii numero nono citatum dico, loqui illic Concilium contra hæreticos dicentes totum Christum non esse sub singulis speciebus.*

Ad Concilium dici potest loqui solùm contrà hæreticos affirmantes eùm qui alteram tantùm speciem sumeret, aut etiam minimam illius particulam, non tantum sumere quantum alter, qui utramque speciem sumit, contra quos definit Concilium sub singulis particulis separatis manere totum Christum, ita tamen ut maneant species panis & vini, quod non contingit, si aqua vel à farinâ, in pane, vel à vino in calice separetur. Loquitur etiam Concilium de separatione humano modo factâ, humano autem modo non potest fieri separatio, quin aquæ species semper maneant quicquid arte fieri posset in aliquo casu metaphysico.

XII. *Dices: Ergo si aliquid mellis, vel aliud hujusmodi esset mixtum vino converteretur in sanguinem.*

Objicies octavo, hinc sequi quidvis vel vino vel pani admixtum, esse materiam consecrationis: unde si in calice esset aliquid mellis, aut aquæ rosaceæ, vel aliud hujusmodi, consecraretur, & sub illius speciebus mixtis speciebus vini maneret Christus. Dicunt aliqui, non quamvis aquam, sed illam solam, quæ secundùm cæremoniam Ecclesiæ in altari miscetur vino, esse materiam consecrabilem: unde si mixtio aquæ fieret antea in dolio, non converteretur, inquiunt, aqua illa in sanguinem Christi, esto tempore consecrationis maneret in calice. Alii asserunt quicquid est liquidi in calice cum majori parte vini mixtum converti simul cum vino in sanguinem: ita expressè Alanus. Unde ait, si aliquid mellis, aquæ rosaceæ, &c. esset in calice, convertendum in sanguinem.

XIII. *Probabilius videtur illud omne quod ad panem usualem, & vinum usuale conficiendū adhiberi solet, converti in sanguinem, non alia.*

Si tamen cuiquam prior modus respondendi nimis arctus videatur, & hic Alani nimis latus, mediâ viâ procedere poterit, & dicere illud omne quod solet ab hominibus passim adhiberi ad panem usualem conficiendum, & vinum usuale, esse materiam consecrationis, alia verò quæ vel consultò vel casu admiscerentur, non converti in corpus & sanguinem Christi, idque licèt in tam parvâ parte admisceantur, ut compositum ex illis possit simpliciter & absolutè dici panis aut vinum. Unde in pane fermentato fermentum illi admixtum est materia consecrationis cùm sit id quod per se ab hominibus admisceri soleat ad panem usualem conficiendum. Quod etiam de aquâ quæ in exiguâ saltem quantitate in pane recenter cocto interdum manet, dicendum est: cùm etiam ad vinum usuale admisceri ab hominibus soleat aqua, consequenter aqua illa est materia consecrationis. Panis itaque usualis est vel azymus vel fermentatus, ac proinde uterque est materia, licèt non necessaria, at sufficiens hujus Sacramenti. Vinum etiam usuale est vel purum vel aquâ mixtum; sicque utrumque est materia sufficiens, neutrum materia necessaria.

XIV. *Mens S. Thomæ hac in parte est incerta,*

Quoad mentem Sancti Thomæ nonnulla dicta sunt supra: non ergo est dubium quin obscuriùs loquatur; in quarto enim, dist. undecimâ, art. quarto, in argumento *Sed contra* supponere videtur aquam ante consecrationem semper transmutari in vinum; quod etiam insinuare videtur tertiâ parte, quæst. septuagesimâ quartâ, artic. octavo. At verò quæst. septuagesimâ quartâ, art. sexto, in argumento *Sed contra*, & in corpore docet ex Alexandro Papa in Epistolâ ad omnes orthodoxos, inter Missarum solemnia in calice Domini offerri (id est consecrari, ut supra vidimus ex Tridentino) non vinum tantùm, nec aquam tantùm, sed vinum aquâ permixtum. Deinde ad secundum dicit hanc esse aquam refectionis, quod tamen dici non posset, nisi sub illius speciebus esset sanguis Christi. Item articulo octavo ait nihil aquæ manere debere in calice post consecrationem, quia totum adorari non posset adoratione latriæ: At certum est aliquando totam aquam non posse converti priùs in vinum, ut cùm immediatè ante consecrationem miscetur, ergo debet transire immediatè.

XV. *Quo modo explicari possit S. Thomas, dum dicit aquam priùs mutari in vinum.*

Quando ergo dicit Sanctus Thomas aquam priùs converti debere in vinum quàm in sanguinem, intelligi potest de conversione quoad immutationem quandam, quæ vocari solet conversio humana, seu in ordine ad sensus hominum. Certè licèt mens Sancti Thomæ sit hac in parte aliquantulum dubia, negari tamen non potest quin Sancti Patres clariùs loquantur pro nostrâ sententiâ, quàm Sanctus Thomas pro contrariâ.

SECTIO SEXTA.

De Præsentiâ, Quantitate, & Determinatione Materiæ.

I. *Certum est materiam esse debere moraliter præsentem,*

QUOAD præsentiam materiæ, certum est debere esse moraliter præsentem: quando autem sit moraliter præsens, relinqui debet communi hominum judicio, nec certa aliqua regula assignari potest. Soto affirmat non esse dubium si sit intra decem passus, quin consecrari possit; si autem non sit intra centum, certum esse ait non posse. Debet ergo materia esse sensibiliter præsens, non quidem ita ut sensu aliquo percipiatur, cùm & cœcus consecrare, & hostiæ etiam in pixide clausâ consecrari possint, sed ita ut quantum est ex situ & distantiâ sensu percipi queat; hoc enim sufficit, ut verificari de eâ possit pronomen *hoc*, si tamen aliquam de eâ notitiam habeat.

II. *Possitne materia à tergo posita consecrari.*

Materia à tergo posita consecrari non potest, Sacerdote more consueto ad altare stante, nisi vel eam contingat, vel unam moraliter faciat cum materiâ ante oculos positâ. Nec consecrari possunt hostiæ, inter quas & Sacerdotem paries est interjectus, aut sub mappâ altaris, cùm non sint appositæ in aliquo ad eas continendas, & Sacerdoti ad hoc munus præsentandas destinato: in quo est differentia de hostiis aut vino in pixide aut calice tecto; quando enim hoc modo apponuntur, facilè percipere possunt audientes, eum de tali re loqui, non autem quando priori modo.

III. *Moles cujuscũque magnitudinis non potest consecrari, sed tantùm partes quæ censentur Sacerdoti propinquæ.*

Materia cujusvis magnitudinis consecrari non potest, ut affirmant omnes contra Vasquez, sed solùm pars, quæ est præsens sacrificanti, tota autem illa materia, si protenderetur ad aliquot miliaria non posset dici præsens, sicut modò non est nobis præsens totus aër usque ad cœlum, vel sphæram ignis, nec homini in littore ambulanti præsens est totum mare, alioqui dicere quis posset, partem illam terræ, quæ est apud Antipodas, esse nobis præsentem. Nullæ ergo partes sunt præsentes, nisi quæ sunt propinquæ.

IV. *In quavis minimâ hostiæ parti-*

Quoad parvitatem, nulla pars tam parva est, in quâ post consecrationem separatâ non maneat totus Christus, non tamen potest quævis minima particula

eulâ post consecrationem separatâ manet totus Christus.

particula ante consecrationem separata consecrari. Prima pars probatur; tamdiu enim manet Christus sub speciebus illis, quamdiu sub illis maneret substantia panis, ac proinde in quavis parte quæ ante consecrationem, factâ divisione maneret panis, manet corpus Christi. Probabile tamen est, sicut in aliis mixtis datur minimum naturale, ita & in pane, ac proinde posse contingere, ut solâ divisione desinat corpus Christi esse sub minimis quibusdam particulis, imò verisimile est ipsas species in tam parvis partibus existere incorruptas non posse.

V. *Cur ante consecrationem quævis minima pars separata nequat consecrari.*

Secunda etiam pars probatur; si enim adeo parva sit particula, ut ab hominibus acutissimos sensus habentibus percipi non possit, non potest demonstrari per particulam *hoc*. Nec valet, non potest consecrari ejusmodi particula separata, ergo nec sub eâ in toto consecratâ post separationem Christi corpus conservari; sic enim, ut supra dixi, anima separata recipere characterem non potest, quem tamen in conjunctione cum corpore receptum, postea retinet, nec opus est ut per particulam demonstrativam conservetur ibi corpus Christi sicut ut primò ponatur: si tamen ex his minimis particulis discontinuis fieret cumulus, non apparet cur consecrari non possent.

VI. *Sacerdos consecrans determinare sibi debet certam materiam.*

Debet verò consecrans certam materiam determinare; si enim vagè feratur ejus intentio, nihil facit: unde si unam vel sex ex viginti hostiis propositis consecrare intendat, nullam aut nullas sex in particulari designando, nullam consecrat. Ratio est, quia intentio ministri essentialiter requiritur ad valorem Sacramenti, & sicut actio transiens non potest ferri nisi in materiam determinatam, ita nec cognitio practica eam dirigens, ut effectum sortiatur.

VII. *Mediam hostiæ partem consecrare potest Sacerdos, aliâ mente non consecratâ.*

Potest etiam Sacerdos mediam hostiam consecrare, si certam mediam partem designet. Optimus verò modus se habendi in consecratione est, ut intendat Sacerdos consecrare omnem materiam sibi in altari præsentem juxta morem Ecclesiæ, ut notant Auctores. Quoad calicem verò dicit Suarez optimum esse, ut intendat quis totum illum humorem consecrare, qui per modum unius continui ibi continetur. Addit tamen Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, art. secundo, dub. tertio, num. quadragesimo tertio, expedire illas etiam guttas in intentione comprehendere, quæ proximè continuo liquori, calici intrinsecus adhærent, ne agitatione calicis materia non consecrata misceatur consecratæ.

VIII. *Alia ad intentionem Ministri circa consectionem Sacramentorum spectantia, tractata sunt suprà, Disp. 69.*

Reliqua quæ ad intentionem, & determinationem materiæ spectant, colligi possunt ex iis, quæ generatim de intentione ministri ad confectionem Sacramentorum necessariâ diximus supra de Sacramentis in genere, disp. sexagesimâ tertiâ, sect. tertiâ. Videatur Layman de Sacramento Eucharistiæ capite secundo, Toletus lib. secundo, capite vigesimo quinto, Suarez hic, disputatione quadragesimâ tertiâ, Vasquez disp. centesimâ septuagesimâ primâ, Valentia disputatione sextâ, quæstione secundâ, & alii, qui de his fusè tractant.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA QUARTA.

De transsubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

I. *Quinam hoc tempore veram præsentiam corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ probent cõtra hæreticos.*

VERVM Christi Corpus & Sanguinem simul cum animâ & divinitate in hoc Sacramento contineri, contra hæreticos id negantes luculentissimè probat Bellarminus libro primo, secundo, tertio, & quarto de Sacramento Eucharistiæ, Vasquez disp. 179. Suarez quæst. 75. artic. primo, Valentia disp. 6. quæst. 3. Coninck quæst. 75. Alanus, Sanderus & alii. Hæc veritas fusè declarata est suprà, nunc

II. *Ex divinis Literis ostenditur Christum in Eucharistiâ verè ac realiter existere.*

Probatur breviter primò ex Scripturâ, nam Matthæi 26. & Marci 14. dicit Christus: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus: *& addit:* quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur; *quibus verbis tanquam fulmine quodam confodiuntur hæretici, licèt ut eorum vim effugiant mirum sit, in quot se partes versent: unde ante aliquot annos liber prodiit, qui horum quatuor verborum:* Hoc est corpus meum; *ducentas diversas explicationes contineat, cum tamen constanter Patres ea de verâ & reali Christi in hoc Sacramento præsentiâ intelligant. Idem constat ex aliis Scripturæ locis, ut Ioannis sexto:* Caro mea verè est cibus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo; *& similia, quæ superiùs attulimus.*

III. *Hæc etiam veritas à variis Conciliis est definita.*

Definitum præterea hoc est in Concilio Lateranensi, item in Florentino & Tridentino, sempérque in Ecclesiâ Catholicâ hanc doctrinam viguisse constat, & contrariam à toto Orbe ut falsam & hæreticam fuisse explosam, coactusq; est Berengarius illius auctor eandem publicè recantare.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm hæc Transsubstantiatio in conceptu suo formali involvat actionem productivam Corporis aut Sanguinis Christi.

I. *Quæ ad Transsubstantiationẽ spectãt, tum in genere, tum ut ad hoc mysterium pertinet, fusissimè declarata sunt in Philosophiâ.*

QUÆSTIONEM tum de transsubstantiatione generatim sumptâ, tum eam ad hoc mysterium applicando, conversionem panis scilicet & vini in corpus & sanguinem Christi, fusissimè tractavi disputatione tertiâ de generatione per totam. Quare cùm nihil ibi dictis addendum occurrat, eò Lectorem remitto, ut in aliis quæstionibus in Philosophiâ tractatis sæpiùs feci, ne actum agam & idem inutiliter repetam. Quæstionem etiam illam an idem possit secundò producere seipsum, quæ à nonnullis hoc loco tractari solet, latè discussi disputatione decimâ nonâ Physicorum, nec opus est quidquam hic adjicere.

SECTIO SECUNDA.

Qua ratione per consecrationem destruatur substantia panis, & fiat hæc conversio.

I. *Quorundam opinio est, nihil hic intervenire physicum pugnans cum substantiâ panis.*

PATER Coninck quæst. 75. art. 4. dubio 5. num. 160. P. Tannerus hîc, quæst. 4. num. 95. & alii nonnulli asserunt nihil in hac conversione intervenire, quod ullo modo physicam repugnantiam habeat cum substantiâ panis, proinde totam rationem desitionis panis, reducunt in voluntatem divinam, quæ hic & nunc vult posito sub speciebus panis & vini corpore & sanguine Christi, destrui illorum substantiam, sicque statuunt conversionem solùm moralem, quam etiam sententiam tenet Scotus in quarto, distinct. 11. quæst. 4.

II. *Per hanc sententiam totum poni videtur, quod ad veritatem verborum requiritur.*

Hæc sententia fortè ponit totum quod ad verificanda verba requiritur; verba enim, ut vera sint, non requirunt nisi ut Christus sub illis speciebus sit, & panis non sit, sicque erit conversio moralis, per quam dicatur panis desinere in corpus Christi, de quo plura postea: hic tamen si possit deberet inveniri repugnantia aliqua physica inter corpus Christi & substantiam panis, cùm illa sit magis propria conversio, & hæc à Patribus comparetur conversionibus naturalibus, in quibus semper ex conceptu suo terminus unitus dicit oppositionem physicam cum termino destructo.

III. *Suarez duplicem hic statuit actionem.*

Pater Suarez hîc, disputatione 50. sectione 6. ut conformiter ad opinionem suam de conversione consistente in actione, defendat, substantiam panis desinere ex vi alicujus actionis, ponit duplicem actionem, primam productivam corporis Christi, & per hanc præcisè ait non destrui substantiam panis; sicut enim corpus Christi secundùm se non dicit oppositionem cum pane, ita nec actio illius productiva. Præter hanc itaque aliam statuit actionem, per quam producat Deus in accidentibus modum per se existendi, per quem existunt, inquit, vel subsistunt accidentia independenter à suo subjecto, nempe substantiâ panis, ad hujus ergo actionis positionem simul cum actione productivâ corporis Christi desinit, inquit, ipsa substantiâ panis, utpotè quæ jam spolietur suis dispositionibus, sine quibus naturaliter existere non potest.

IV. *Contra, quamvis enim substantia panis non sustentet accidentia illa, non tamen propterea debet perire.*

Sed contra: Licèt namque ponatur in accidentibus hujusmodi modus, per quem reddantur independentia à substantiâ panis tanquam à subjecto sustentationis, non tamen propterea spoliatur hæc suis dispositionibus; disponunt enim accidentia suum subjectum, non in quantum ab eo in genere causæ materialis producuntur, sed in quantum illud informant, non minùs autem informarent si crearentur, quàm si generarentur. Si retinerent unionem informationis; nec enim minùs esset ignis calidus aut aqua frigida si calor aut frigus crearentur, quàm modò sunt: sicut corpus non minùs denominatur animatum & vivens ab animâ rationali, quàm ab animâ equi, vel plantæ, licèt hæc generetur, creetur illa.

V. *Accidentia conservata concursu creativo, aquè juvare possunt substantiam in suis muneribus, quàm conservata concursu generativo.*

Confirmatur primò: Accidentia conservata concursu creativo non minùs apta sunt ad juvandum substantiam in suis muneribus, quàm si generarentur, unde calor non minùs ageret & produceret calorem, vel etiam ignem simul cum igne, quàm modò, sicut constat de facto in speciebus Eucharisticis, quæ etsi conserventur sine subjecto, non minùs tamen agunt, quàm aliæ species similes, quæ adhuc insunt substantiæ panis. Confirmatur secundò: Si Deus concursu creativo conservaret formam ignis, non puto quemquam dicturum debere connaturaliter perire materiam illam, cùm connaturaliter maneat sub animâ rationali creatâ, ergo & manere potest materia, licèt formæ accidentales creentur, quod etiam argumentum fieri posset de ubicatione, quamvis de facto educatur ex potentiâ rei ubicatæ.

VI. *Dicunt alii, ideo hic desinere substantiam panis, quia corpus Christi elevatur ad species illas efficienter conservandas.*

Alii propterea dicunt substantiam panis hîc desinere, quia corpus Christi elevatur ad conservandum efficienter species illas, per quam efficientiam privatur, inquiunt, efficienter substantia panis quibusdam conditionibus ad existendum requisitis. Sed contra: Nam præterquam quòd non privetur illis conditionibus, ut proximè ostensum est, non sufficit ad conceptum conversionis, ut terminus *ad* vel *in quem* per modum causæ efficientis dicat aliquam oppositionem cum termino qui destruitur, sed opponi illi debet aliquo modo formaliter, alioqui etiam converteretur substantia panis in Deum, cùm ille etiam unà cum corpore Christi concurrat ad physicam illam specierum conservationem.

VII. *Nonnulli volunt substantiam panis opponi corpori Christi ratione quantitatis.*

Tandem nonnulli volunt ideo substantiam panis hîc desinere, & converti in corpus Christi, quia licèt substantia Christi secundùm se non habeat repugnantiam cum substantiâ panis, habet tamen, inquiunt, ratione quantitatis, quæ incompossibilis est cum substantiâ panis ratione quantitatis in eâ receptæ. Sed contra primò: Substantia enim & quantitas Christi in Eucharistiâ existunt modo spirituali, & non faciunt molem, & consequenter non habent hoc titulo repugnantiam vel cum substantiâ, vel quantitate panis, cùm existant penetrabiliter, non impenetrabiliter. Contra secundò: Si enim ratione quantitatis haberet repugnantiam corpus Christi cum substantiâ panis, maximè quia habet repugnantiam cum quantitate, de facto tamen stat penetratum cum panis quantitate, ergo nihil est hic quod petat destructionem substantiæ panis, cùm desinere hoc titulo non deberet, nisi ad destructionem quantitatis, quæ tamen hic non destruitur.

VIII. *Vera ratio cur substantia panis desinat, est, quòd corpus Christi ita uniatur accidentibus panis, ut hæc illud contineant, ac demonstrit.*

Omissis ergo variis aliorum dicendi modis existimo cum P. Moncæo, & Albertino, quod etiam multi tenent ex Recentioribus, ideo desinere hic substantiam panis, quia corpus Christi unitur speciebus panis, ita ut hæ illud contineant, & demonstrent, illisque motis moveatur illud; cùm ergo accidentia ob suam limitationem habeant, quòd unam tantùm substantiam continere hoc modo, & quasi vestire possint, sicut forma substantialis ob eandem limitationem non potest nisi unum subjectum simul informare, vel materia unà formâ informari, sicut sequitur, ipso facto quod nova forma uniatur materiæ, debere priorem cedere, ita & hîc contingit respectu substantiæ panis & vini positâ unione corporis & sanguinis Christi cum speciebus.

IX. *Objic. Unio corporis Christi cum speciebus est supernaturalis, ergo*

Dices: Unio hæc est supernaturalis, ergo non petet destructionem substantiæ panis, cùm non petat deunionem accidentium ab illa; unio enim supernaturalis non repugnat in eodem subjecto unioni naturali, sicut nec habitus supernaturalis temperantiæ habet in eadem anima repugnantiam

non repugnat unioni naturali accidentis in cum substantiâ panis.

nantiam cum habitu naturali intemperantiæ, cùm qui intemperanter diu vixit, & postea resipiscit, & recipit gratiam quam habitus omnes supernaturales comitantur, non minùs se proclivem sentiat ad actus intemperantiæ, quàm antea.

X. *Respondetur primò, hanc unionem forte non esse in entitate supernaturalem.*

Respondetur, in primis fortè hanc unionem non esse in entitate supernaturalem; quod enim non possit produci ab ullo agente naturali non sequitur esse entitativè supernaturalem, sicut nec actio creativa qua hæc accidentia conservantur sine subjecto, potest secundùm communem sententiam poni ab ullo agente naturali, & tamen non est in entitate supernaturalis. Deinde dicunt nonnulli probabiliter, res aliquas supernaturales dicere repugnantiam cum naturalibus; aiunt enim actum supernaturalem, saltem valdè intensum alicujus virtutis non posse stare cum actu naturali ejusdem virtutis, cùm insumi dicant totam vim potentiæ, & animæ attentionem in viâ per actum illum supernaturalem, quod tamen est alterius loci.

SECTIO TERTIA.

Inferuntur varia circa modum Eucharistiæ Sacramentum conficiendi.

I. *Fide certum est Eucharistia Sacramentum per veram conversionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi confici.*

HINC infero, secundùm fidem asserendum esse, Sacramentum Eucharistiæ confici per veram conversionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: ita enim docet Concilium Florentinum in decreto ad Armenos his verbis: *Substantia panis in corpus, substantia vini in sanguinem convertitur.* Idem latiùs definitur in Concilio Tridentino sessione decimâ tertiâ, capite quarto, & communis videtur Patrum consensus, qui licèt voce conversionis omnes non utantur, verbis tamen æquivalentibus rem declarant.

II. *Hoc ex ipsis Christi verbis infertur.*

Imò conversionem hanc ex ipsis Christi verbis inferri tenendum est, quod expressè habetur in Tridentino, loco proximè citato: *Quoniam*, inquit, *Christus corpus suum id quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, idq; nunc denuò Sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.* Quare minùs cautè asserit Scotus non aliunde quàm ex Ecclesiæ definitione haberi, hic intercedere conversionem, cùm tamen Concilium doctat haberi ex verbis Christi.

III. *Hæc conversio est vera transsubstantiatio.*

Tandem hæc conversio est vera transsubstantiatio, quod habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, canone primo, & clariùs in Tridentino capite quarto, & canone secundo, ubi docet hanc conversionem aptissimè à Catholicâ Ecclesiâ transsubstantiationem appellari, per quod verbum intelligunt Patres transitum seu desitionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

IV. *Frustra hæretici in nomen transsubstantiationis invehuntur.*

Frustra ergo hæretici nostri temporis in hanc vocem invehuntur, eámque novam, barbaram, & portentosam appellant, cùm aptissimè rem explicet, semperque apud Scriptores omnes tam Ecclesiasticos, quàm profanos mos fuerit, rebus novis nova nomina aptare; sic enim inventum est vocabulum ὁμοούσιος, seu consubstantialis, & filio aptatum in divinis, nomen θεόκος, seu Dei-para, Trinitas, Incarnatio, & alia hujusmodi.

Ex his sequitur, non manere in Eucharistiâ materiam panis, unitam animæ Christi, ut volebat Durandus, quod non tantùm est contra Concilium definiens converti totam substantiam panis in corpus Christi, & totam substantiam vini in sanguinem, soláque manere accidentia, sed ulteriùs sequeretur non esse idem corpus in Eucharistiâ & in cœlo, nec esse illud corpus in Eucharistiâ, quod pro nobis morti traditum est, contra verba Christi.

V. *Malè dixit Durandus manere materiam panis unitam animæ Christi.*

Deinde, divisâ hostiâ periret aliquid de corpore Christi, & illius anima desineret informare id quod antea informabat, sicque corruptâ hostiâ corrumperetur corpus Christi, & ex illo generarentur vermes, quæ licèt non censeat Durandus esse incommoda, parum tamen sunt dignitati Christi consentanea. Quare hæc sententia Durandi à nonnullis censetur error in fide, à nonnullis etiam hæretica.

VI. *Aliud inconveniens quod ex hac Durandi sententiâ nascitur.*

Sequitur ulteriùs non manere in Eucharistiâ rationem aliquam entis vel substantiæ, quæ antea erat in pane, quæ sententia tribuitur Caietano. Probatur: Nam ratio entis & substantiæ non distinguitur à ratione specificâ panis, ergo hac destructâ non potest manere illa. Deinde implicat rationem aliquam quæ identificatur cum pane, postea identificari cum corpore Christi, quod tamen videtur velle hæc sententia, tandem non potest stare cum definitione Tridentini asserentis totam substantiam panis converti in corpus Christi, & totam substantiam vini in sanguinem.

VII. *Non rectè etiam Caietanus dixit rationem aliquam entis vel substantiæ, quæ erat in pane, manere in Eucharistiâ.*

Sequitur etiam non manere post consecrationem subsistentiam panis; quamvis enim distinguatur realiter à panis substantiâ, non tamen est accidens, Concilium autem definit post verba consecrationis prolata, non manere quidquam de pane, nisi tantùm accidentia, ut habetur expressè in Tridentino sessione decimâ tertiâ, canone secundo.

VIII. *Post consecrationem non manet panis subsistentia.*

Præterea sequitur contra nonnullos Thomistas, inter quos præcipuus est Bannez, non manere in Eucharistiâ existentiam panis. Hæc sententia, ut omittam rationes philosophicas, quibus ostenditur existentiam non distingui ab essentiâ, ex quo capite satis refellitur, impugnatur argumento Theologico; sequeretur enim contra definitionem Concilii, non manere in Eucharistiâ duntaxat accidentia panis; existentia enim substantiæ, esto ab eâ distinguatur, tamen secundùm ipsos Thomistas non est accidens; ergo non manerent sola accidentia panis.

IX. *Multo minùs manet in Eucharistiâ existentia panis.*

Ex his à fortiori sequitur contra Lutherum, & alios nostri temporis hæreticos, non manere in Eucharistiâ simul cum corpore Christi substantiam panis, & substantiam vini cum sanguine, quibus facem hac in parte prætulit Berengarius, qui postquam in quibusdam Conciliis coactus fuisset hæresim, qua Christi in Eucharistiâ præsentiam negabat, recantare, in aliam incidit, nempe simul cum Christo esse ibi substantiam panis & vini, quod tamen postea in Concilio Romano sub Gregorio VII. negare coactus est, & veram conversionem substantiæ panis ac vini in corpus & sanguinem Christi agnoscere.

X. *Lutheri hæresis, qui panem simul cum Christo in Eucharistiâ existere aiebat.*

Tandem hinc etiam deducitur, salvâ fide sustineri non posse, quod tribuitur Ruperto, licèt Suarez eum ab hoc errore vindicare conetur, nempe manere in Eucharistiâ substantiam panis, unitam tamen hypostaticè verbo, ac proinde

XI. *Non rectè Rupertus dixit manere in Eucharistiâ sub-*

stantium panis, unitam tamen hypostaticè Verbo.

sicut semel fuit pro nobis verbum incarnatum, ita docet hic Auctor sæpiùs esse Impanatum: unde Bellarminus libro tertio de Eucharistiâ, capite undecimo, ait Rupertum fuisse primum auctorem erroris de *Impanatione* per unionem hypostaticam.

XII. *Hunc errorem optimè confutavit Algerus, qui eodem cum Ruperto tempore floruit.*

Hunc errorem, sicut & alios de Eucharistiâ eo tempore exortos acutissimè refutavit Algerus, qui eodem tempore cum Ruperto vixit, ut notat ibidem Bellarminus, & contra eum est primò, nam hæc doctrina expressè est contra Tridentinum sessione decima-tertiâ, canone secundo, ubi sic habet: *Si quis dixerit, in Sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cùm corpore & sanguine Domini nostri* Jesu Christi, *negaveritq; mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini; anathema sit:* in hac vero Ruperti sententia manet substantia panis unita hypostaticè verbo, & consequenter non conversa in corpus Christi, ergo.

XIII. *Rejicitur ulteriùs hic Impanationis error ex illis Christi verbis,* Panis quem ego dabo, caro mea est.

Secundò contra illum est; Christus enim Joannis sexto ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est,* unde licèt in hac sententiâ dici possit panis corpus Christi, id est corpus unitum verbo, non tamen caro Christi, nam propter solam unionem panis cum carne, in eadem subsistentiâ non potest panis dici caro, sicut nec verè dici potest corpus Christi est anima, licèt uniatur in eodem suppositò, cujus ratio est, quia prædicationes quæ fiunt per communicationem idiomatum, solùm dicuntur de supposito, partes autem non sunt suppositum.

XIV. *Patres omnes asserunt dari nobis in Eucharistiâ corpus Christi quod sumptū à Virgine, quodq; pro hominibus fuit affixum cruci.*

Tertiò, Matthæi vigesimo sexto dicit Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; unde Patres omnes asserunt in Eucharistiâ dari nobis corpus Christi carneum sumptum de Virgine, & quod pro hominibus fuit affixum Cruci, & verba, corpus illud primariò significant. At secundùm sententiam Ruperti, verba hæc solùm directè significant corpus panaceum, & vis ac significatio eorum ad hoc primariò tendit ut panem uniant hypostaticè verbo.

XV. *Nulla ratio est, cur Verbum uniat se hypostaticè pani.*

Deinde, ut optimè notat Bellarminus citatus, nulla urgens ratio est, cur verbum uniat se hypostaticè pani, cùm tamen secundùm Patres & Theologos, gravissima requiratur causa, ut Deus naturæ ulli creatæ, etiam Angelicæ hoc modo uniatur. Præterea cùm unio hypostatica sit res in se adeò excellens, & donum omnium maximum, non est verisimile de novo toties diebus singulis fieri.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA QVINTA.

De Sacramentali præsentiâ Christi in Eucharistiâ.

EANDEM rem non definitivè tantùm; hoc enim fide certum est ex mysterio Eucharistiæ, sed etiam circumscriptivè poni posse in duobus locis, latè ostendi Disputatione trigesima-quintâ Physicorum, dum de ubicatione, neque hoc loco de eâ re quidquam adjiciam, cum quæstio sit Philosophica, & in Philosophia discussa.

SECTIO PRIMA.

Quâ ratione existat Christus in hostiâ consecratâ.

I. *Circa modum quo Christus sub panis & vini speciebus in hoc Sacramento existit, non parva est inter Auctores dissensio.*

EXplicatis terminis *à quo* & *ad quem* transsubstantiationis in hoc mysterio, dum per eam constituitur Christus sub panis & vini speciebus, destructâ utriusque subsistantiâ, aliisque circa hanc conversionem difficultatibus expeditis, nunc de præsentiâ ipsâ Christi sub speciebus, modóque existendi ejus dicendum; qua in re non parva est inter Theologos dissensio, opinionúmque varietas. Quid mihi verisimilius videtur, hac sectione declarabo.

II. *Præsentia quam Christus habet in Eucharistiâ, divarsissima ratione est à præsentiâ quam habet extra Sacramentum.*

Supponendum in primis tanquam certum, præsentiam hanc, quam habet Christus in Sacramento diversissimæ rationis esse à præsentiâ illâ quam habet extra Sacramentum; primò enim, hac non obstante penetratur Christus cum speciebus panis & vini, quod præsentiæ ejus naturali non competit. Deinde, ejusmodi est hæc præsentia, ut non solùm non adimat penetrationem corporis Christi cum quantitate, sed nec ipsarum partium corporis Christi inter se, ut postea videbimus.

Totum

III. *Fide certum est, totum Christum sub utraque specie contineri.*

Totum Christum sub utrâque specie contineri fide certum est, & definitum tum in Florentino, in decreto ad Armenos, tum Tridentino, sessione decimâ tertiâ, canone tertio contra hæreticos nostri temporis: tum etiam olim à Julio primo contra hæreticos quosdam intinctores dictos, quod panis species intinctas speciebus vini ad complementum communionis dabant, hoc facto innuentes existimare se sanguinem sub speciebus panis non contineri. A quo etiam errore immunes fortè non erant hæretici illi, qui communionem sub utrâque specie necessariam esse asserebant. Contra hunc errorem facit præterea auctoritas Patrum omnium, qui unâ voce affirmant totum Christum sub utrâque specie contineri; probaturque apertè ex ipsis verbis Christi Joannis sexto, ubi ait: *Ego sum panis vivus*, & postea: *Qui manducat me vivet propter me*, &c.

IV. *Certum insuper est, sub singulis specierum partibus divisis esse totum Christum.*

Deinde, sub singulis specierum partibus divisis esse totum Christum non minùs certum est, & definitum in Tridentino sessione decimâ tertiâ, canone tertio, his verbis: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquâque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ totum Christum contineri, anathema sit.* Ratio est, quia juxta communem doctrinam Theologorum tamdiu manet Christus sub speciebus panis, aut vini, sub quibus per consecrationem semel fuit constitutus, quamdiu maneret substantia panis, si ibi ante divisionem fuisset: unde nisi in partes adeo exiguas dividantur species, ut sint minores minimo naturali, si panis habeat minimum, manebit sub iis Christus.

V. *Prima nonnullorum sententia est, Christum semel tantùm esse in quavis hostiâ, ita ut totus toti hostiæ, & pars parti respondeat.*

Quod ergo in præsenti quærimus est, Utrùm in singulis hostiæ partibus ante divisionem sit tota Christi substantia. Qua in re opinantur aliqui Christum semel tantùm esse in unaquaque hostiâ, ita ut totus toti hostiæ, & pars parti respondeat: post fractionem verò dicunt totum Christum similiter esse sub singulis partibus, sicut in speculo contingit, in cujus fractis partibus eodem modo est tota facies sicut antea in speculo integro: ita Albertus in quarto, distinctione decima tertiâ, articulo undecimo, & alii nonnulli.

VI. *Hæc sententia ab omnibus meritò rejicitur.*

Sed hæc opinio ab omnibus rejicitur, tum quia in parvâ hostiâ non potest hoc modo statui totus Christus sine magnâ constipatione & indecente partium contorsione, nec si panis major humano corpore consecraretur, sine rarefactione & magnâ corporis Christi dilatatione, tum quia quoties vel hostia frangitur, vel duæ partes vini seorsim consecratæ commiscentur, desineret Christus esse sub partibus, & denuò constitueretur in toto, vel desineret esse in toto, & esset in partibus, tum denique, quia est contra Concilia & definitiones Pontificum, quas postea afferemus, in quibus habetur Christum totum esse in singulis hostiæ partibus præsentem. Unde Vasquez disp. centesimâ octogesimâ octavâ, cap. secundo Albertum excusat; dicitque eum solùm velle Christum esse semel in totâ hostiâ ante separationem, id est non esse ibi per plures præsentias, non tamen negare quin sit in toto, & singulis partibus per eandem præsentiam.

VII. *Secunda sententia affirmat Christum esse totum in toto, & totum in quibusdam partibus, non in omnibus.*

Secunda sententia tribuitur Sancto Bonaventuræ, Halensi, Gabrieli & aliis, ac planè eam tenere videtur Pater Coninck hic, quæstione 76. artic. tertio, num. 49. licèt difficulter illam concipi posse affirmet. Docet itaque hæc sententiâ, Christum ante divisionem esse totum in toto, & totum instar Spiritus in singulis illis hostiæ partibus, quæ tantam habent quantitatem, ut si ante consecrationem separarentur ab invicem, maneret in iis substantia panis, quæ proinde vocantur partes minimæ, seu minimi naturalis, & sunt tantum finitæ: in iis verò partibus quæ his minores sunt, & vocantur partes minores minimis ait Christum esse quidem totum, sed semel tantum instar rei materialis, ita ut totus toti, & pars parti respondeat.

VIII. *Hæc sententia habet omnes difficultates communis opinionis, & alias superaddit.*

Hæc sententia minus placet quàm præcedens, nam præterquam quod non salvet loquutiones Conciliorum, & Pontificum, ut postea videbimus, habet difficultates omnes communis sententiæ asserentis Christum esse totum in toto & totum in quavis parte modo spirituali, & præterea alias addit multo graviores. Quòd habeat difficultates omnes communis sententiæ patet; si enim sit modo spirituali in ullâ parte minimâ, ergo ibi recurrit difficultas infiniti, & æquè ratione illius partis debet solvere quomodo Christus non sit infinities ibi replicatus, ac debet communis sententia ratione spiritualis existentiæ in totâ hostiâ, nam in quâvis parte minimâ sunt infinitæ partes proportionales, in quibus singulis non minùs debet esse totus Christus spirituali modo replicatus quàm est anima rationalis in quavis minimâ parte corporis, aut Angelus in simili parte spatii, in qua tamen ita sunt, ut sint in minore & minore in infinitum.

IX. *Ostenditur, juxta præditam sententiam sequi Christum non esse omnino in hostiâ consecratâ.*

Quod verò superaddat peculiarem difficultatem probatur, secundùm hanc enim sententiam sequitur Christum non esse omnino in hostia consecratâ. Probatur: nulla enim est pars minima, in qua non sint duæ vel plures minores minimâ, cùm omnes hujusmodi partes componantur ex minoribus; si enim sumatur media pars illius partis minimæ, est minor minimâ, sed non est juxta hanc sententiam in ullâ parte minore minimâ, ergo est in neutrâ medietate illius partis, ergo nec in totâ illâ parte: sicut optimè quis argueret, anima est in neutra medietate digiti, ergo non est omnino in digito.

X. *Cùm partes minores minimis sint sibi invicem unitæ, faciùt unam partem, sicq; vel in illis etiam est Christus, vel non est omnino in ullâ.*

Dices, hæ duæ medietates, cùm sint sibi invicem unitæ faciunt unam minimam. Contra, non minùs quævis pars minor minimâ est unita parti sibi simili, quàm hæ duæ medietates, quare ergo similiter non constituet unam partem minimam cum illâ, sicque nulla erit in speciebus illis pars minor minimâ, cùm nulla sit quæ non uniatur alteri parti sibi simili, uniri autem ipsi, est componere unam minimam partem cum illâ, sicque ante discontinuationem nulla est pars minor minimâ, si completè sumatur pars minor minimâ, completè enim sumpta connotat separationem ab aliis, alioqui quævis pars ejusdem magnitudinis cum hac, erit minor minima, nec est major ratio cur una sit minor minimâ quàm alia, præsertim cùm omnes in pane & vino sint homogeneæ.

XI. *Non satis se expediunt hi Auctores ab argumentis contra priorem sententiam allatis.*

Præterea, vel in partibus illis minoribus minimis dicunt hi Auctores non esse omnino Christum, vel esse modo quantitativo, ita ut totus sit in totâ illâ parte, & pars in parte illius, primum non audent asserere, sequeretur quippe non esse Christum in totâ hostiâ, si ergo dicant secundum, sicut dicunt, jam contra eos faciunt nonnulla ex argumentis contra primam sententiam allatis.

XII. *Christus est totus in totâ, & to-*

Dicendum itaque, Christum post consecrationem non solùm esse totum in tota hostia, sed etiam totum in quavis ejus particula: ita Sanctus Thomas

tus in qualibet parte hostiæ consecratæ.

Thomas hîc, & Theologi communiter. Probatur primò ex Concilio Tridentino sessione 13. licèt enim canone tertio dicat Christum esse totum sub singulis partibus hostiæ, separatione facta, in fine tamen capitis tertii de eadem re tractans omittit particulas illas *separatione factâ*, & absolutè ait Christum totum esse sub singulis hostiæ partibus; sic enim habet: *Totus & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.*

XIII. *Docet Hilarius Pontifex, in quacunque parte specierum est pars Christi, esse totũ Christum.*

Secundò probatur ex capite *ubi pars* distinctione 2. de consecratione, in quo capite expressè docet Hilarius Pontifex in quacumque parte specierum est pars Christi, esse totum Christum, per quod manifestè refellitur, non solùm prima sententia, quæ ponebat Christum semel tantùm in hostiâ præsentem, & modo quantitativo, sed etiam secunda, quæ ipsum hoc modo statuit in quavis parte minore minimâ. Suppono autem in præsenti effectum formalem quantitatis non consistere in actuali impenetrabilitate, sed solùm in radicali; Christus enim hîc retinet suam quantitatem, sicut etiam retinuit in nativitate, & resurrectione, & cùm ad discipulos ingressus est januis clausis, cùm tamen in his casibus actu penetraretur cum aliis rebus quantis.

XIV. *Objic. Ergo præsentia Christi sub quavis hostiâ sunt infinita.*

Dices: Si in singulis partibus illarum specierum sit totus Christus, ergo tot habet præsentias, quot sunt partes in speciebus, sed partes specierum sunt infinitæ, ergo & præsentiæ. In primis dico secundam sententiam non effugere hanc difficultatem, cùm in quavis parte minimâ ponat Christum replicatum in singulis partibus specierum sicut anima replicatur in quavis parte corporis. Respondetur itaque, vel hanc præsentiam esse indivisibilem & nullas habere partes, ut aliqui volunt, tunc autem nulla quoad hoc est difficultas: vel est divisibilis, tunc verò dicimus, sicut ipsa quantitas constituit simpliciter unam quantitatem finitam, quamvis in se contineat infinitas partes integrales, seu communicantes, ita licèt hæc præsentia in se habeat infinitas partes integrales, constituere poterit unam præsentiam finitam, nec Christus in hostiâ erit infinities simpliciter, sed tantùm secundùm quid, ut omnes fateri debent de animâ Christi, & respectu specierum, quibus subest, & corporis quod informat.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm totus Christus, non in partibus tantùm, sed etiam in punctis seu indivisibilibus hostiæ existat.

I. *Prima sententia negat Christum in indivisibilibus hostiæ existere.*

Prima sententia est negativa: ita conformiter ad suam sententiam sectione præcedente numero quinto relatam Albertus; dum enim ait totum Christum semel tantùm esse sub unâ hostiâ, partibus verò hostiæ, non totum corpus, sed partes ejus partibus hostiæ respondere, à fortiori dicet totum Christi corpus non respondere indivisibilibus.

II. *Ex iis etiam qui totum Christum sub singulis hostiæ partibus præsentem negant multi Christum esse sub indivisibilibus.*

Ex iis autem, qui Christum sub singulis partibus hostiæ totum contineri dicebant, Scotus in quarto, dist. 10. quæst. 9. negat contineri sub indivisibilibus, idem tenet Richardus dist. 10. art. sexto, quæst. 2. Mayro quæst 2. ex recentioribus verò Vasquez hîc, disp. 184. cap. quarto, negat Christum præsentem esse sub hisce indivisibilibus. Idem docet Henriquez lib. octavo, cap. vigesimo septimo, num. quinto, asserens contrariam sententiam, quam ipse aliquando tenuerat esse falsam, & contra torrentem Doctorum, atque in publicâ thesium defensione Salmanticæ à magistris omnibus meritò fuisse rejectam. Quæstio autem supponit dari in continuo hujusmodi indivisibilia.

III. *Secunda & probabilior sententia ait Christum, non sub partibus tantùm, sed sub singulis etiã indivisibilibus totum contineri.*

Secunda nihilominus, eáque probabilior sententia affirmat, positis hujusmodi indivisibilibus, Christum, sicut sub singulis partibus specierum, ita & sub singulis etiam partium indivisibilibus verè & realiter totum esse præsentem: ita Capreolus in quarto, dist. 10. quæst. 4. Sotus dist. 49. quæst 4. art. sexto, addens non licere Theologo hoc negare, Nunnez quæst. 76. art. tertio, Valentia hîc, quæst. 4. punct. tertio, Suarez hîc, disp. 52. sect. 3. Albertinus Tomo secundo de prædicamento *ubi*, corollario primo, dubio quinto, Tannerus hîc, disp. quintâ, quæst. quintâ, dubio primo, numero decimo quarto, & alii.

IV. *Docet S. Thomas ita Christum esse sub speciebus, sicut Angelus est in palmo spatii.*

Hæc quoque videtur mens Sancti Thomæ, qui Christum eo modo ait esse sub speciebus panis, quo Angelus est in palmo spatii, Angelus autem intimè præsens hujusmodi spatio, nequit esse præsens illius partibus, & non indivisibilibus, alioqui præsentia illius non esset continua, imò divideretur in omnes suas partes: idem ergo est de præsentiâ Christi sub speciebus, sicut si anima rationalis in corpore, partibus ejus tantummodo esset præsens, non indivisibilibus, foret necessariò in infinitas, imò omnes suas partes divisa illius præsentia.

V. *In illorum sententiâ, qui indivisibilia dicũt esse intimè partibus præsentia, magis urget prædictum argumentum.*

Hoc argumentum à fortiori urget in eorum sententia, qui dicunt indivisibilia in continuo, non consecutivè se habere ad partes, sed intimè cum iis penetrari; in hac enim sententia evidens videtur totum Christum intimè præsentem seu penetratum esse cum indivisibilibus specierum, cùm partes ipsæ, quarum singulis intimè præsens est totus Christus sint cum indivisibilibus penetratæ: sicut si duo Angeli vel animæ sint in eodem palmo spatii, eíque adæquatè correspondeant, implicat contradictionem ut tertius Angelus, imo homo, vel quodcumque etiam corpus existens in illo spatio, sit uni ex illis Angelis vel animabus intimè præsens, non alteri. In sententiâ autem partes & puncta statuente sibi invicem consecutivè urget argumentum numero præcedente positum.

VI. *Objic. Prædictum argumentum non habet vim, nisi in sententiâ præsentiam Christi sub speciebus ponente divisibilem.*

Dices: Hoc argumentum non habet locum nisi in opinione præsentiam Angeli & corporis Christi ponente divisibilem, si autem statuatur indivisibilis, cessat difficultas; cùm enim nullæ omnino in eâ sint partes, evidens est non posse dividi in infinitas. Contra primò: Sectione enim sequente ostendemus hanc corporis Christi præsentiam sub speciebus respectu spatii divisibilis statui debere divisibilem. Contra secundò, si dinamque dicatur hæc præsentia esse indivisibilis, eadem imo fortasse major est difficultas; sicut enim si corpus Christi sit partibus tantùm specierum præsens, non indivisibilibus, sequitur præsentiam divisibilem dividi in partes infinitas, ita si præsentia hæc sit indivisibilis, & solis partibus præsens, non indivisibilibus specierum, sequitur dari infinitas præsentias totales indivisibiles, cùm si Christus non sit intimè præsens indivisibilibus, toties

toties interrumpatur hæc præsentia atque interrumpitur præsentia divisibilis adeoque infinities.

VII. *Debere præsentiam corporis Christi coëxistere punctis spatii probatur exemplo durationis Angelicæ.*

Rem hanc optimè declarat Suarez citatus exemplo durationis Angelicæ, quæ quia continua est, non partibus tantùm temporis coëxistit, sed punctis, alioqui non esset continua, sed singulis instantibus interrupta. Quod hic dicitur de coëxistentia durationis respectu punctorum temporis, ut sit continua, idem dici debet de præsentia Angeli vel corporis Christi respectu punctorum loci, quibus tam respondere debet, ut sit permanenter continua, quàm duratio instantibus temporis, ut sit continua successivè.

VIII. *Præcipua ratio cur Christus sit sub indivisibilibus speciarum.*

Ratio autem præcipua conclusionis est, ibi enim est corpus Christi post consecrationem, ubi antea erat aliquid substantiæ panis, sed sub indivisibilibus quantitatis erat aliquid substantiæ panis, indivisibilia scilicet quibus partes panis inter se uniuntur, & sine quibus substantia panis esset in omnes suas partes divisa; ergo etiam sub indivisibilibus quantitatis est corpus & sanguis Christi, idque sive indivisibilia illa substantiæ panis dicantur panis, cùm constent ex indivisibilibus materiæ & indivisibilibus formæ panis, sive tantùm termini substantiæ panis; si enim sint panis, convertuntur per se in corpus Christi, si verò tantùm vocentur termini, convertuntur saltem per concomitantiam; omnes enim partes converti nequeunt nisi unà cum iis convertantur indivisibilia, ob rationes jam dictas.

IX. *Objic. Ergo sola panis superficies posset consecrari.*

Dices: Ergo potest quis consecrare solam superficiem sine partibus. Primò, P. Suarez citatus putat, admissis indivisibilibus terminativis, hoc non repugnare. Secundò tamen, & forte melius dicit negari posse sequelam; indivisibile enim licèt spectet ad constitutionem panis, non tamen est panis, nisi cum partibus, ac proinde nisi cum illis consecrari non potest, sicut materia circa quam, seu subjectum Baptismi est homo, & licèt effectus Baptismi recipiatur in anima, hæc tamen sola baptizari non potest, & fortasse clarius hoc constat in pane qui consistit ex aquâ & farinâ, secundùm multos, & tamen aqua sola consecrari non potest, potest tamen unà cum farina, ut affirmant plurimi.

X. *Objic. Ergo divisâ hostiâ Christus novam præsentiam acquirit sub utraque superficie terminativâ.*

Dices secundo: Hinc sequi, quando divisa hostia, pro una superficie continuativa emergunt duæ terminativæ, Christum amissa priori præsentia in illa superficie, acquirere duas novas in superficiebus jam emergentibus, quod tamen sine nova consecratione videtur fieri non posse. Respondetur primò, videri mihi probabile non debere necessariò reddi Christum postea præsentem his superficiebus, sed solùm partibus illis & punctis supra quæ pronunciabatur forma consecrationis, idémque puto dici posse quantumcumque vel dividantur species, vel denuo inter se uniantur, quod à fortiori dicerem, si species vini non consecrati unirentur speciebus vini consecrati.

XI. *Nonnulli tamen asserunt, nil in hoc esse incommodi, si Christus sub novas illas superficiebus redderetur præsens.*

Secundò responderi potest, quod cùm Suario sectione illa tertia dicunt Recentiores aliqui, nullum esse inconveniens ut mutatis his indivisibilibus, Christus relicta præsentia quam sub illis habuit, statuatur sub novis; hoc enim, inquiunt, naturali quadam sequela sit ad primam Christi collocationem sub speciebus; neque hoc censetur mutare præsentiam simpliciter, sed solùm secundùm quid, cùm non occupet novum spatium, sed idem diverso modo terminatum.

SECTIO TERTIA.

Sitne hæc Christi præsentia sub speciebus, & unio cum iisdem divisibilis, an indivisibilis.

I. *Dicunt nonnulli, unionem & præsentiã Christi sub speciebus, tam ex parte specierum, quàm corporis Christi esse indivisibiles*

VOLUNT aliqui & præsentiam & unionem Christi cum speciebus esse omnino indivisibilem, & ex parte specierum & corporis Christi instar ubicationis Angelicæ in multorum sententiâ; unde, inquiunt, sicut hæc mutatâ vel minimâ parte spatii tota perit, & alia totalis emergit, ita ablatâ vel minimâ parte vel specierum, vel corporis Christi; tota, inquiunt, unio & præsentia destruitur, & illius loco alia totalis succedit.

II. *Aliorum opinio est, unionem istam præsentiam, & actionem productivã corporis Christi, divisibiles esse ex parte corporis, indivisibiles verò ex parte specierum.*

Alii affirmant tam unionem hanc quàm præsentiam, & actionem corporis Christi in Eucharistia productivam, esse divisibilem ex parte corporis Christi, ita ut alia sit pars unionis, & præsentiæ quæ terminatur ad manum, alia quæ ad pedem, caput, &c. sicque, inquiunt, si auferretur pars aliqua corporis Christi, non destrueretur tota unio, præsentia, vel actio, sed illa sola pars earum, quæ huic parti respondet: dicunt tamen hanc unionem, actionem, & præsentiam esse indivisibiles ex parte specierum, ita scilicet ut quævis minima pars unionis, quæ respicit unam solam partem corporis Christi, & divisibiliter, respiciat omnes partes specierum, & consequenter indivisibiliter, cùm constituat quamvis partem sub omnibus speciebus, unde minima parte specierum ablata dicunt perire totam illam unionem, & novam emergere, sicut qui unionem inter corpus & animam in homine ponunt spiritualem, & indivisibilem, dicunt ablata quavis parte corporis totam unionem deperdi, & aliam illius loco succedere.

III. *Actio conservativa corporis Christi in Eucharistiâ est divisibilis.*

Existimo tamen quoad actionem conservativam corporis Christi non esse indivisibilem, sed eandem qua conservatur Christi corpus in cœlo; licèt enim quoad species panis & vini cùm auferatur subjectum, quod in genere causæ materialis concurrebat ad earum productionem, & conservationem, necessariò mutari debeat actio, & illas necesse sit conservari per actionem creativam, at verò circa corpus Christi nullum principium actionis tollitur, unde quamvis existat diverso modo in Sacramento, quàm in cœlo, hoc tamen non arguit debere mutari actionem, sed sufficit eidem actioni dari similem modum existendi, ei quam habet Christus ipse.

IV. *Si actio conservativa corporis Christi identificaretur cum unione, non esset eadem cum actione in cœlo.*

Verum quidem est, si diceremus, quod affirmant recentiores aliqui, nempe actionem productivam corporis Christi in Eucharistiâ esse simul unionem ejusdem cum speciebus, tunc necessariò deberet esse diversa, cùm actio in cœlo hoc non habeat, diversum autem prædicatum arguit entitatem diversam. Nullam tamen video necessitatem identificandi actionem cum unione, unde cùm prior actio sufficiat ad id præstandum, ad quod requiritur actio, non est cur mutetur, sed solùm ut addatur illud quod deest ad conversionem faciendam, nempe unio.

V. *Unio, si ad partes Christi corporis tantùm terminaretur, posset esse indivisibilis.*

Quoad unionem verò, si terminaretur tantùm ad partes corporis Christi, etsi nullam videam repugnantiam cur non possit esse indivisibilis licèt diffundatur per spatium aliquod, ut ad latitudinem hostiæ, ita nec est ulla necessitas, etsi tantùm

ad partes corporis Christi terminaretur, eam statuendi indivisibilem. Prima pars probatur; cùm enim omnes partes corporis Christi sint diffusæ per illud spatium, ubique habet suum terminum adæquatum. Secunda etiam pars constat: sicut enim sunt plures uniones totales possibiles inter eadem extrema, ut inter idem corpus & eandem animam, ita nulla apparet repugnantia, cur non sint possibiles uniones partiales inter eadem omnino extrema.

VI. *Vnio hæc inter corpus Christi & species est ex parte specierum divisibilis.* Tandem dico, hanc unionem esse divisibilem ex parte specierum, ita ut si tollatur una pars quantitatis vel alterius accidentis, non necessariò periret debeat tota unio, sed illa solùm ejus pars, quæ tali specierum parti correspondet. Ratio est, quam fusè tradidi disp. 13. Physicorum, sect. 5. & 6. quia cùm unio secundùm omnes sit relatio transcendentalis per modum actualis exercitii ad suum terminum, implicat ut sit ibi ubi non est ejus terminus, cùm ergo tota quantitas non sit in omni parte hostiæ consecratæ, nec potest in omni ejus parte esse tota unio, si quantitatem respiciat indivisibiliter, alioqui sicut in uno loco potest esse sine suo termino adæquato, ita & in uno tempore, saltem inadæquato, imo sicut potest in loco inadæquato esse sine termino totali, ita & sine omni termino, in quo loco sequeretur esse & non esse unionem, unio enim actu non uniens videtur quid omnino impossibile, cùm omnes constituant modos tanquam actualia exercitia, & eorum entitatem dicant esse actum secundum: sed de hoc alibi.

VII. *Objic. Si unio sit divisibilis ex parte corporis Christi, dabitur infinitū actu.* Dices, si hæc unio statuatur ex parte corporis Christi divisibilis, sequitur infinitum actu secundùm partes determinatæ magnitudinis; cùm enim sint in corpore Christi infinitæ partes, quæ omnes extenduntur per totam magnitudinem hostiæ, erunt etiam infinitæ partes unionis, æqualis magnitudinis cum hostiâ. Respondetur primò, vel ob hoc argumentum statui posse hanc unionem indivisibilem ex parte corporis Christi, ita ut licèt sit diversitas in partibus unionis secundùm diversitatem partium specierum, unaquæque tamen minima pars unionis terminetur ad totum Christum. Secundò dico, licèt statuatur divisibilis unio ex parte Christi, ita ut sit diversa unio quæ terminatur ad unam partem & ad aliam, omnes tamen simul facere unam unionem totalem. Et quoad hoc eadem est difficultas de quantitate hostiæ, quæ secundùm profunditatem dividi potest in infinitum, non tamen sunt ibi partes simpliciter infinitæ, quia sunt proportionales & communicantes, hæcque est difficultas continui, & rebus omnibus communis.

VIII. *Dices: Si Christus sit in hostiâ cõsecratâ indivisibiliter, sequitur nullam omnino illic esse ejus partem.* Objicies primò contra hanc indivisibilem præsentiam Christi in Eucharistiâ; sequitur enim nullam esse Christi partem in hostiâ consecratâ, non manum, non caput, non oculum, &c. Probatur sequela: Singulæ partes habent certam figuram, ut oculus est globosus, manus habet hanc, caput illam figuram, &c. at in Eucharistia omnia sunt penetrata, ergo nulla omnino est figura.

IX. *Resp. Figuram esse duplicem, organicam & situalem.* Respondetur, figuram duplicem esse, organicam alteram, seu entitativam, alteram situalem, seu localem. Partes ergo corporis Christi in Eucharistiâ retinent priorem figuram, quæ nihil aliud est, quàm talis dispositio, seu compositio partium in ordine ad se. Unde cùm non discontinuentur ullæ partes corporis Christi per positionem sub speciebus, manet eadem figura organica, sicut & in manu extensa & plicata, in homine stante & sedente, &c.

X. *Partes corporis Christi in Eucharistiâ non habent figuram situalem.* Verum quidem est figuram situalem seu localem partium corporis non habere Christum in Eucharistiâ, cùm illa connotet talem partium extensionem in ordine ad locum. Ideo verò adhuc retinent partes corporis Christi figuram entitativam seu organicam, quia retinet adhuc Christus partes entitativas taliter inter se connexas, ut petant talem situm; oculus exempli gratia in Eucharistiâ est circularis organicè, quia habet partes undique taliter distantes à centro, & quæ si suæ relinquerentur naturæ, in talem se situm redigerent.

XI. *Dices: Si Christus indivisibiliter sit sub Sacramento, omnes ejus partes æquales inter se distant.* Objicies secundò: Si corpus Christi indivisibiliter statuatur sub speciebus, sequitur non magis distare unam partem ab aliâ, quàm reliquas omnes, quod tamen videtur omnino falsum; magis enim distat pes à capite, quàm collum vel humerus. Respondetur eodem modo, distinguendo duplicem distantiam, quantitativam & localem: hæc in eo consistit, quod partes occupent partes spatii, ita inter se localiter distantes: illa nihil aliud est quàm quod inter unam partem & aliam tanta quantitas interjiciatur secundùm naturalem illam compositionem, quanta sufficeret, si naturæ suæ relinqueretur ad tantum spatium replendum. Secunda ergo distantia reperitur inter partes corporis Christi in Sacramento, non prima.

XII. *Corpus modo indivisibili existens non potest naturaliter dividi.* Quæres: Utrùm corpus aliquod existens modo indivisibili, sicut existit corpus Christi in hoc Sacramento, possit dividi. Respondetur loquendo naturaliter, & de materiali divisione, quæque instrumento corporeo fiat ut cultro, vel alio hujusmodi, non posse. Nulla tamen est repugnantia, quo minùs possit Deus discontinuationem unius partis ab aliâ efficere, lineam aliquam, vel superficiem destruendo, imò & cur nequeat aliquam partem annihilare, relictis reliquis.

SECTIO QUARTA.

Quid sub speciebus ponatur ex vi verborum, quid per concomitantiam.

I. *Lutherus hanc distinctionem ut inanem & inutilem rejicit.* Cochlæus libro secundo Miscellanearum capite nono refert Lutherum prædictam distinctionem à Theologis passim usurpatam in hac materiâ, de iis scilicet rebus, quæ ex vi verborum, & quæ per concomitantiam in Sacramento ponuntur, risisse, & ut inanem planè ac inutilem rejecisse. Hæc tamen distinctio, non Theologorum tantùm omnium authoritate, sed ipsius etiam Concilii Tridentini calculo est firmata; sessione enim decimâ tertiâ, capite tertio eam expresè tradit, ac sigillatim quid in hoc Sacramento ex vi verborum, quid per concomitantiam ponatur, exprimit. Quare, inquit Suarez hîc, disp. 51. sect. 3. licèt non sit manifesta hæresis dictam distinctionem negare, nullus tamen citra ingentem temeritatem, & gravem errorem illam negare potest.

II. *Totus Christus, Deus & homo constans ex corpore &* Ut ergo ad rem accedamus, in hoc Sacramento est totus Christus Deus homo, id est constans ex corpore & animâ, carne, sanguine simul cum quantitate, & aliis accidentibus, quæ vel localia non sunt, vel saltem peculiarem cum alio loco

animâ, carne & sanguine, &c. est in hoc Sacramento.

loco connexionem ex aliquo contingente non habent. Unde est in Eucharistiâ temperamentum primarum qualitatum, imo & secundarum, quæ Christi corpori connaturaliter debentur, ut sunt mollities carnis, ossis durities, item quatuor humores, & alia hujusmodi. Est etiam ibi divinitas, subsistentia verbi, unio hypostatica, imo & tota Trinitas. Hic ergo quærimus ex his quænam sint in hoc Sacramento per se primò, seu ex vi verborum, quæ per concomitantiam.

III. *Ex vi verborum ponitur id, quod directè per verba significatur.*

Notandum, id dici poni ex vi verborum in hoc Sacramento, quod per verba directè significatur, seu, quod eodem recidit, cujus præsentia requiritur, ut verba sint vera: cùm enim sint practica, id quod significant efficiunt. Id vero dicitur poni per concomitantiam, quod non præcisè & directè significatur per verba, consequenter illius præsentia in Sacramento ad verborum veritatem non est necessaria, sed quod cum re illâ, quæ per verba directè significatur, & ponitur, unionem habet.

IV. *Corpus Christi in Eucharistiâ poni ex vi verborum, est certissimum.*

Certum ergo inprimis est corpus Christi poni in hoc Sacramento ex vi verborum; hoc enim ab omnibus receptum est, & in Concilio Tridentino definitum sessione 13. capite tertio: quanta autem in hoc est inter Orthodoxos omnes consensio, tanta quid per corpus intelligatur est dissensio; esto enim certum videatur per hanc particulam intelligi materiam primam, ex quâ corpus Christi constituitur, ut affirmat Sanctus Thomas quæst. 76. articulo primo, ad secundum, & Doctores communiter in quarto, dist. decima, unde non carnem tantùm, sed ossa etiam, & nervos complectitur, probarique videtur ex illa voce *meum*, quæ materiam illam designat, quæ constituit corpus Christi completum & integrum. Difficultas tamen est, utrùm hæc particula *corpus* aliquid aliud non dicat præter materiam, nempe animam, vel dispositiones, aut formam aliquam partialem corporeitatis, &c.

V. *Per corpus aliqui intelligi volunt solam materiam primam.*

Aliqui ergo ut Gabriël volunt per corpus hic intelligi solam materiam primam, Sotus, Ledesma, & alii apud Vasquez disp. 186. cap. 2. num. 16. per corpus dicunt intelligi materiam connotando animam rationalem, Caietanus, Ferrara, & alii volunt ex vi hujus vocis *corpus* poni gradum metaphysicum corporis prout poni solet in prædicamento substantiæ. Suarez hic, disp. 51. sect. 4. vult ex vi hujus vocis poni corpus, id est partem physicam hominis, non tamen solam materiam primam, sed hanc simul cum animâ, non quidem hac in particulari, sed secundùm rationem communem animæ, in quantum scilicet dat rationem corporis organici: Vasquez vult poni ex vi hujus vocis *corpus* physicum, non tamen sine formâ substantiali, non determinatâ, sed sub disjunctione, nempe vel cum forma substantiali viva, vel cadaverica.

VI. *Scotus & alii nomine corporis intelligunt materiam cum formâ corporeitatis.*

Scotus & alii, quos sequitur Coninck quæst. septuagesimâ sextâ, art. secundo dicunt per corpus significari materiam primam cum formâ partiali corporeitatis, per quam constituitur in esse corporis, & hæc, inquiunt, recedente animâ manet, & ratione hujus dicitur idem corpus vivum & mortuum, cùm & materia & forma tribuens denominationem corporis sit eadem.

VII. *Opinio hæc supponit falsa principia Philosophica.*

Hæc sententia supponit falsa principia Philosophica, nempe hujusmodi formas partiales: & breviter rejicitur; primò enim vel hæc forma corporeitatis complet materiam vel non, si primum, ergo non potest stare cum animâ rationali, si secundum, ergo recedente animâ rationali debet accedere alia forma, simul cum hac formâ corporeitatis, cùm non possit materia naturaliter manere incompleta; si enim possit manere incompleta, ergo & sine omni formâ, cùm tamen Scotus ideò ponat hanc formam, ne materia maneat incompleta.

VIII. *Si in homine sit hujusmodi forma, ergo & in ligno, quis autem dicet lignum per se non esse æquè completum ac est lapis vel aqua.*

Secundò rejicitur, quia si statuatur hæc forma, sicut eam statuunt adversarii, ut nimirum maneat expulsâ formâ viventis, ergo & manere debet in materiâ, destructâ animâ equi, imo & in ligno destructâ animâ vegetativâ arboris manere deberet forma illa incompleta ad constituendum lignum, quis autem sibi persuaserit non esse lignum compositum æquè completum ac est lapis, vel ferrum.

IX. *Hæc forma corporeitatis est contra rationem & conceptū formæ à Philosophis assignatum.*

Tertiò, & præcipuè, quia forma secundùm Aristotelem est ratio rei, seu ultimò determinans materiam ad talem speciem, & ultimò constitutiva compositi substantialis, in quam tanquam in ultimum refunditur quòd compositum sit hoc, ergo implicat hujusmodi forma subordinata; hæc enim non ultimò constitueret compositum, nec determinaret materiam, qui tamen est conceptus formæ juxta Aristotelem, imo hæc forma habet conceptum huic planè oppositum, nam ex essentiâ suâ ita petit non ultimò constituere compositum, ut petat aliud constitutivum subsequi, ergo solùm est quædam dispositio ad formam substantialem, & accidens, cùm hic sit conceptus accidentis, de quo plura dicta sunt libro primo Physicorum, cùm de formâ substantiali.

X. *Obiic. Sequeretur corpus Christi in triduo verè fuisse corruptum.*

Dices cum Patre Coninck: si quando moritur homo materia habeat novam formam cadaveris, sequeretur corpus Christi verè in triduo fuisse corruptum; corrumpitur enim id quod in aliam substantiam diversam mutatur; hoc autem est contra illud Actorum secundo: *Caro ejus non vidit corruptionem.* Sed hoc nullius momenti est; eo enim tantùm sensu dicitur corpus Christi mortuum incorruptum, quod scilicet in vermes aut cineres non abierit, licèt priùs compositum destructum fuerit & aliud illius loco successerit. Deinde multi dicunt, etsi in aliis corporibus mortuis succedat forma cadaverica, loco animæ rationalis, in Christo tamen ob specialem rationem contrarium contigisse: ita censent Henricus & Marsilius apud Suarium Tomo secundo in tertiam partem, disp. 38. sect. 3.

XI. *Dicendum per corpus Christi hoc loco intelligi materiam primam tali vel tali cōplexione accidentium organizatam.*

Omissis aliis opinionibus, probabilius videtur, per corpus hic intelligi materiam primam quantitate & variâ accidentium complexione, nempe tali vel tali figurâ, raritate, densitate, &c. secundùm diversam membrorum compactionem organizatam, hoc enim modo sufficienter intelligitur materiam primam esse corpus organicum, prout ab Aristotele & Philosophis capitur corpus organicum, dum in ordine ad illud definitur anima, & dicitur esse *actus corporis physici organici, potentiâ vitam habentis.*

XII. *Latiùs patet corpus organicū quàm corpus vivum, vel cum dispositionibus vitalibus.*

Ex quâ etiam definitione habemus, latiùs patere corpus organicum, quàm corpus vel vivum, vel cum dispositionibus vitalibus, cùm ad distinctionem alterius corporis addatur *potentia vitam habentis*, ac proindè verba fuissent verâ in triduo, si ab aliquo ex Apostolis fuissent tunc prolata, & tamen non fuisset tunc positum sub speciebus corpus, vel vivum, vel cum dispositionibus vitalibus: si tamen corpus Christi fuisset redactum in cineres, non fuisset positum ex vi verborum sub speciebus, si quis ea tunc protulisset.

Dices

XIII. *Hinc tamen non sequitur substantiam panis conversi in accidentia corporis Christi.*

Dices, ergo substantia panis convertitur in hæc accidentia. Vasquez disp. 187. concedit consequentiam. Melius tamen negatur; accidentia enim corporis Christi non substant propriè nec uniuntur accidentibus panis, ac proinde non exigunt substantiæ panis destructionem; in illud autem solùm convertitur substantia panis, quod ob unionem cum speciebus panis, habet cum illius substantiâ oppositionem in ratione substandi accidentibus.

XIV. *Vtrùm totus sanguis ex vi verborum ponatur sub speciebus.*

Quoad sanguinem, idem dicendum censeo, si informetur animâ rationali, si verò habeat formam sibi peculiarem, tunc dici potest poni totum sanguinem ex vi verborum sub speciebus consecratis.

XV. *Quanam in hoc Sacramento ponantur per concomitantiam.*

Unio itaque hypostatica, anima, divinitas & subsistentia verbi ponuntur per concomitantiam in Sacramento, dotes etiam corporis glorioſi, item gratia & reliqua dona supernaturalia. Dices, vox *meum* videtur peculiari modo denotare subsistentiam Christi, ergo illa ponitur ex vi verborum, & non tantùm per concomitantiam: quod à fortiori urget de unione. Respondetur cum Patre Suarez disp. 51. sect. sextâ, licèt vox illa *meum* denotet unionem illius corporis, cum verbo, non tamen denotare quòd debeat habere unionem illam ubicumque est. Unde etsi fingeremus corpus quod ponitur in Sacramento non habere ibi unionem cum verbo, adhuc verè diceret Christus: *Hoc est corpus meum*; ad hoc enim sufficit quod alicubi sit ipsius. Nec etiam corpus formaliter significat corpus subsistens, sed tantùm partem substantialem naturæ humanæ; rectè enim dicitur humanitas componi ex corpore & animâ, cùm tamen humanitas non includat subsistentiam, nec est major ratio cur corpus in conceptu suo involvat subsistentiam, quàm anima, quæ tamen prout hac voce significatur, non includit subsistentiam.

XVI. *Pater etiam & Spiritus Sanctus sunt in Eucharistiâ per concomitantiam.*

Pater etiam & Spiritus Sanctus per concomitantiam in hoc Sacramento ratione naturæ, quam habent cum Filio communem. Dices, ergo quando communicamus, sumimus & manducamus etiam Patrem & Spiritum Sanctum. Nego consequentiam; sicut enim non dicitur Pater aut Spiritus Sanctus pro nobis passus aut mortuus ratione hujus identitatis in naturâ, ita nec dicuntur manducari; hæc enim ratione communicationis idiomatum peculiari modo competunt Filio, hæ siquidem denominationes peculiariter cadunt supra suppositum.

XVII. *Quantitas & reliqua accidentia organica corporis Christi ponuntur in Eucharistiâ ex vi verborum.*

Difficultas est: Utrùm quantitas & reliqua accidentia organica carnis, ossis, &c. sint in Sacramento ex vi verborum, an tantùm concomitanter: qua in re cùm supra dixerimus per corpus intelligi corpus organicum, seu diversis accidentibus diversa humani corporis membra constituentibus dispositum, videtur veritas verborum requirere, ut hujusmodi accidentia in Sacramento ponantur, & consequenter existimo probabilius cum Patre Vasquez, poni ex vi verborum & non merè per concomitantiam.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SEXTA.

De iis quæ Christus agere potest aut pati prout in hoc Sacramento.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Christus ut in hoc Sacramento moveri possit aut alterari, vel alia corpora alterare.

I. *Quo sensu dicat S. Thomas corpus Christi in Eucharistiâ non existere localiter.*

Pater Suarez in Commentario articuli quinti, quæstionis 76. rectè advertit, dum Sanctus Thomas illic docet corpus Christi non esse in loco, seu non existere localiter, solùm velle, non existere in loco commensurative, seu modo quantitativo, ita ut contineatur ab ultimâ superficie illius quantitatis, eo modo quo res una quantitativa continet aliam, corpus autem Christi ita est sub quantitate panis, ut intimè præsens sit omnibus illius partibus & punctis, quod vocat Sanctus Thomas esse in iis per modum substantiæ.

II. *Christi corpus motis speciebus verè movetur in Eucharistiâ.*

Dicendum itaque, Corpus Christi verè moveri in Sacramento motis speciebus. Probatur: definit enim Concilium Tridentinum sessione 13. capite quinto & sexto, & canone sexto & septimo, Sanctissimum hoc Sacramentum, quod non solas species, sed etiam corpus Christi includit, solemniter circumgestari, deferri ad ægrotos, manducari, &c. Hæc autem omnia innuunt motum localem, cùm non species tantùm, sed etiam corpus Christi verè & propriè fiat de novo præsens successivè diverso spatio, qui antea præsens non erat. Neque hoc negavit sanctus Thomas quæst. septuagesima-sextâ, ut vult Caietanus, sed solùm ait non moveri per se, sed tantum per accidens, motis speciebus.

III. *Quo pacto corpus Christi moveatur ad motum specierum.*

Ad hunc autem motum Christi per accidens, seu ad motum alterius, sufficit motum illum ab agente naturali fieri in speciebus, & ubicationem novam, quo motu & ubicatione productâ sequitur ob unionem illam physicam & alligationem corporis

corporis Christi ad species, produci in corpore Christi ubicationem etiam novam in directè, & consequenter ab agente naturali, vel à Deo solo, si ubicatio sit supernaturalis. Hoc autem sufficit ut dicatur moveri per accidens, sicut moto corpore Petri à Paulo movetur non tantùm illius anima, sed gratia & alia dona supernaturalia, si quæ illi insint, & hoc sufficit ut Christi corpus, licèt per accidens, propriè tamen dicatur moveri, manducari, circumgestari, &c.

IV. *A quonam moveri possit Christus in Eucharistiâ?*

Quæres, à quo moveri possit Christus in Sacramento? Inprimis à movente species posse indirectè, & per accidens moveri jam ostensum est; directè enim & immediatè nullum agens naturale corporeum potest Christi corpus movere, cum non possit illud attingere, nec per se, nec per ullum instrumentum, cùm quodvis instrumentum agentis naturalis corporei sit corporeum, & consequenter attingere directè & immediatè non possit vel rem spiritualem, vel spirituali modo existentem. Probabile tamen est Angelum, sicut potest movere alium Angelum vel animam immediatè, ita si Christus permitteret posse movere corpus Christi directè & immediate, si ubicatio non sit supernaturalis.

V. *Possitne Christus movere se in hoc Sacramento.*

Difficultas est, an Christus possit movere se in Sacramento. Quoad motum progressivum certum videtur non posse; ad hoc enim requiritur extensio ad locum, cum una pars debeat præcedere alam, & consequenter esse in diverso loco ab illâ, quod tamen rei quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte spatii repugnat, ubicumque etenim est pars, debet esse totum. Probabile tamen est quod affirmat Suarez hîc, disputat. 52. sect. 1. & Coninck quæst. 76. articulo sexto, dub. primo, sicut datur in beatis motus quidam simplex qui à nonnullis latio dicitur, per quem motum spiritus corpora assumpta tota simul unico tractu movent, ita & Christum in Sacramento quantumcunque modo indivisibili existat, posse se movere, cùm nec species huic motui repugnent, nec corporis Christi indivisibilis existentia. Imo verisimile videtur Christum se hoc modo movisse quando species miraculosè ab uno loco ad alium movebantur, nullâ apparente illius motus naturali causâ.

VI. *Quoad alterationem, certum est ratione impassibilitatis à nullo agente naturali posse Christi corpus per qualitatem corruptivam alterari.*

Quoad secundum de alteratione, certum est ratione dotis impassibilitatis non posse de facto ullum agens naturale Christi corpus alterare, saltem producendo qualitatem in eo corruptivam. Sermo itaque est de corpore Christi, casu quo existeret in Sacramento passibile, sicut in nocte cœnæ, utrùm scilicet ab agentibus naturalibus creatis alterari posset, non obstante modo illius existendi indivisibli; à Deo enim non est dubium quin possint variæ in eo qualitates produci.

VII. *Dicunt Nominales in eo casu & alterari illud naturaliter posse, & alterare.*

Ocham, Gabriel, Major, & alii ex scholâ Nominalium asserunt naturalia agentia posse corpus Christi ut existit in Sacramento alterare, & ea vicissim alterare, non supernaturaliter tantùm, & ut instrumenta Dei, sed naturali virtute.

VIII. *Christi corpus ut in Eucharistiâ existens, ab agentibus naturalibus alterari naturaliter non potest, nec ea alterare.*

Communis tamen sententia, à qua non facilè est recedendum, affirmat, nec ab Agentibus naturalibus posse naturaliter corpus Christi alterationis motu immutari; nec ea similiter immutare: ita Sanctus Thomas quæst. 76. articulo septimo, Scotus in quarto dist. 10. quæst. 9. Suarez hîc, disp. 52. sect. 2. Vasquez disp. 191. num. 22. & alii passim. Ratio tamen hujus conclusionis, saltem convincens non tam facilè assignatur, ut fatentur omnes. Unde quoad secundam partem Coninck citatus eam negat, Suarez etiam valdè putat esse dubiam, & utramque non nisi probabilius rationibus ostendi posse existimat.

IX. *Nullum agens naturale quantitativum potest hic contingere corpus Christi, ergo nec in illud agere.*

Suadetur itaque prima pars, quia secundùm omnia quæ in agentibus naturalibus perspicimus, videmus requiri contactum quantitativum inter agens & passum, saltem quoad subjectum partiale; ergo nullum agens naturale quantitativum potest agere in corpus Christi, quod non potest naturali modo contingere. Confirmatur: omne accidens, quantum colligere possumus experientiâ ex omnibus rebus petit produci modo extenso, & in subjecto eo modo existente; ergo non potest produci in corpore Christi prout in Sacramento.

X. *Si adsit partiale subjectum extensum, potest agens producere qualitatem quantitativam in partiali subjecto inextenso.*

Si tamen detur partiale subjectum extensum, probabile est posse agens naturale producere qualitatem extensam in partiali subjecto in extenso; sic enim secundùm probabilem sententiam objecta externa producunt in animâ rationali species impressas, ita tamen ut partialiter eas producant in corpore. Nec dicas hic etiam esse partiale subjectum extensum, nempe quantitatem panis, sicque posse agens naturale in corpore Christi producere qualitatem aliquam naturalem, simul illam producendo in partibus quantitatis; hoc inquam non sufficit, primò quia probabilius puto qualitates non recipi in quantitate, sed in solâ substantiâ. Deindè licèt quantitas illa unione quadam alligativâ conjugantur cum corpore Christi, non tamen per veram unionem physicam, per quam reddatur corpus Christi subjectum illius quantitatis, hujusmodi autem unio requiritur, ut quantitas concurrat cum corpore Christi per modum unius subjecti ad qualitates ab extrinsecis agentibus recipiendas, unio autem hæc alligativa non magis ad hoc juvat, quàm si essent solùm sibi intimè præsentia.

XI. *Vt ad alterationem passivam ita & ad activam requiritur modus existendi extensus.*

Secunda etiam conclusionis pars suadetur; sicut enim corpus & qualitas corporea postulat natura sua modum existendi, in loco extensum & quantitativum, ita eundem modum postulant ad hoc ut possint connaturaliter operari; modus enim operandi sequitur modum essendi. Deinde requiri videtur ut agens & patiens inter se proportionentur ubi utrumque habet partes, & connaturaliter petit extensionem. Hæc ratio probabilis est, & tantùm probabilis; nec enim negari potest, quin Nominalium sententia, quam hic sequitur P. Coninck, suam etiam habeat probabilitatem, nec facilè refelli possit, ut asserit Pater Suarez disp. 52. sect. 2. conclusione 3.

XII. *Dicunt Nominales posse Christum ut in hoc Sacramento videre, audire, &c.*

Quæres: An Christus ut in hoc Sacramento, exercere possit actus materiales immanentes? Affirmant universim Nominales, unde aiunt Christum ut in Sacramento posse videre, audire, & alios actus sensuum elicere; cum enim secundùm illos possit Christi corpus per qualitates, etiam corruptivas ab Agentibus extrinsecis alterari, à fortiori poterit species ab iisdem recipere.

XIII. *Hæc Nominalium sententia probabiliter defendi potest.*

Hæc sententia probabiliter sustineri potest, & dici Christum hoc modo in Sacramento existentem posse actus immanentes elicere, tum sensuum externorum visus, auditus, &c. respectu illorum objectorum, quorum habet species, tum internorum, & disparitas reddi inter actiones immanentes & transeuntes, quod ad has agens naturale habens partes, requirat modum existendi quantitativum, tum in agente, tum passo, cùm agere debeat trajiciendo actionem per certam sphæram secundùm diversos radios & angulos, per

per diversum situm & distantiam partium, quod ad actiones immanentes non requiritur, nam agens immanenter non habet propriè sphæram, sed singulæ partes agentis seu passi (idem namque sunt) efficiunt & recipiunt singulas partes effectus.

XIV. *Objic. Si duo agentia quantitativa extensa inter se penetrarentur, in se invicem agerent.*

Dices, si duo agentia quantitativa extensa inter se penetrarentur, ut ferrum candens cum alio summè frigido, agerent in se invicem, ergo non requiritur hujusmodi sphæra, & distantia, nec radii, anguli, &c. cùm hæc duo agentia nihil habeant hujusmodi. Aliquis fortè negaret antecedens, nempe illa duo agentia posse tunc in se invicem agere. Sed illo omisso negatur consequentia; etsi enim totum unum ferrum penetretur cum alio toto, non tamen penetrantur singulæ partes unius cum singulis partibus alterius, ac proinde datur & sphæra, & distantia sufficiens ad agendum.

XV. *Actus intellectus à sensibus non dependentes elicere potest Christus in hoc Sacramento.*

Tandem circa actus intellectus, quos scilicet elicere possit Christus in hoc Sacramento: quoad illos qui nullam habent à sensibus dependentiam, quales sunt visio beatifica, scientia infusa, &c. nulla videtur difficultas quin Christus in Sacramento existens possit eos elicere. Quoad alios verò, licèt major esse possit difficultas, conformiter tamen ad ea, quæ supra asseruimus de actibus immanentibus materialibus dicendum est circa illa objecta, quorum habet species posse Christum elicere actus intellectus, etsi dependeant hi actus ab actibus materialibus immanentibus sensuum: cùm enim hos exercere possit, nil vetat quo minùs possit etiam actus spirituales ad hos consequentes, in his siquidem minor est difficultas, quàm in illis, cùm sint indivisibiles.

SECTIO SECUNDA.

An corpus Christi in Sacramento cerni possit oculo corporeo.

I. *Prima sententia affirmat Christi corpus, ut in hoc Sacramento posse naturaliter cerni oculo corporeo.*

Tres hac in re, eæque diversissimæ sunt sententiæ, prima Nominalium asserentium corpus Christi ut in hoc Sacramento existit, posse naturaliter oculo corporeo videri: ita Ockam in quarto, quæst. 4. Gabriël lectione 45. Major in quarto, dist. 10. quæst. quintâ, & alii: addunt tamen Deum ad cælandum mysterium, hanc visionem impedire, ut sit locus fidei.

II. *Secunda sententia ait non posse Christi corpus in hoc Sacramento oculo corporeo videri naturaliter, posse tamen divinitus.*

Secunda sententia docet Christi corpus in Sacramento naturaliter videri non posse oculo corporeo, posse tamen divinitus: ita Sanctus Thomas in quarto, dist. 10. quæst. primâ, art. quarto, quod etiam docet dist. 11. quæst. tertiâ, art. primo, ad quartum, Divus Bonaventura dist. 10. quæst. ultimâ, Scotus quæst. 9. Waldensis, & alii, Soto etiam & recentiores Thomistæ. Unde Halensis quartâ parte, quæst. 40. membro tertio, art. octavo, §. secundo ait Beatissimam Virginem ex peculiari privilegio corpus Christi hic in Sacramento existens cernere. Denique Sanctus Thomas hic, quæst. 76. art. septimo ad secundum, asserit oculum Christi videre seipsum sub Sacramento, quod tamen negat de aliis beatis. Quamvis autem loco citato concedat oculum Christi videre se in Eucharistiâ, ait nihilominus eum non videre modum, quo in Sacramento existit; hoc enim, inquit, spectat ad solum intellectum.

III. *Tertia nullorum sententia est Christi corpus in Eucharistiâ ne quidem divinitus cerni posse oculo corporeo.*

Tertia demum sententia ita negat posse oculum corporeum naturaliter videre corpus Christi in hoc Sacramento, ut dicat id fieri non posse, vel divinitus: ita Capreolus in quarto, dist. 10. quæst. ultimâ, Richardus art. quinto, quæst. 2. Paludanus, Hispalensis in quarto, dist. decimâ, quæst. 1. art. 3. ad sextum argumentum contra quintam conclusionem, & alii. Hi tamen Auctores non videntur distinguere inter corpus Christi in Sacramento, & modum illius existendi, quæ tamen duo in hac quæstione maximè sunt distinguenda.

IV. *Supponimus corpus Christi esse gloriosum, & habere in se lucem.*

Supponimus corpus Christi esse gloriosum, & habere in se lucem; nisi enim sit lux, in objecto videri non potest, cùm lux semper sit partiale objectum visus. Hoc ergo posito quærimus, utrùm oculus corporeus videre possit Christi corpus secundùm omnes suas partes, brachia, pedes, caput, &c. in singulis spatii partibus existens.

V. *Res aliqua videatur non est necessarium ut videatur illius ubicatio.*

Dico primò: Non est necessarium ad hoc ut res aliqua videatur, ut videatur etiam illius ubicatio: ita sentire videtur Coninck quæst. 76. art. 7. num. 19. Probatur: Ponamus rem aliquam corpoream, ignem exempli gratia, aut florem existentem coloratum, extensum, luce perfusum, in debitâ distantiâ, &c. existentem tamen per ubicationem supernaturalem, quod divinitus multi non repugnare asserunt, hic est totum quod requiritur ad actum visionis; est enim objectum corporeum, coloratum, lucidum, ergo poterit in illud ferri potentia visiva.

VI. *Si possum aliquod applicaretur agenti per ubicationem supernaturalem, agens effectum suum in illo produceret.*

Secundò, si possum aliquod esset approximatum agenti per ubicationem supernaturalem, non puto quemquam negaturum quin agens effectum suum in illo sit producturum; nec enim ad aliud requiritur ubicatio, nisi ut inter se approximentur agens & patiens, quod cùm fieri possit per ubicationes supernaturales, his positis eodem modo operabuntur, ac si approximarentur invicem per ubicationes naturales, sicut si per actiones supernaturales producerentur ignis & lignum, non minùs in illud ignis ageret, quàm si actiones essent naturales, & tamen actio non minùs est conditio ad agendum & patiendum requisita, quàm ubicatio, ergo sicut oculus videret naturaliter ignem conservatum actione supernaturali, ita & ubicatione, etsi hæc etiam entitativè foret supernaturalis.

VII. *Objic. Visio corporea non præscindit, ergo non abstrahit à loco, seu ubicatione.*

Dices: Visio corporea non procedit modo præcisivo, ergo non potest præscindere ab ubicatione, & videre rem solùm secundùm se, abstrahendo à loco; hic enim proprius videtur modus operandi intellectus. Distinguo consequens, ergo non potest præscindere quando ubicatio est ei proportionata, concedo consequentiam, quando est improportionata, nego. Unde hìc quando videmus rem, simul videmus illius ubicationem, quia ubicatio & est naturalis, & naturali modo existens: sicut aliqui dicunt lucem in corporibus Beatorum esse diversæ rationis à luce in rebus hisce materialibus, & consequenter si una cum luce naturali esset in re aliquâ materiali, ejusmodi claritas, oculus licèt feratur in omnem lucem in objecto, ab illâ tamen necessariò præscinderet, cùm ei foret improportionata.

VIII. *Christus in hoc Sacramento videri oculo corporeo naturaliter non potest.*

Dico tamen secundò, Christus in Sacramento existens non potest oculo corporeo naturaliter cerni: ita Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ sextâ, art. septimo, quem ut initio sectionis vidimus, hodie exceptis Nominalibus, ferè omnes sequuntur. Probatur ratione Sancti Thomæ, quia

quia corpus Christi ut in Sacramento non potest emittere species in oculum, sine his autem oculus videre non potest: & quoad hoc idem est de oculo glorificato. Quando autem Sanctus Thomas ad secundum dicit, oculum Christi videre Christum sub Sacramento existentem, intelligendus est supernaturaliter: & in hoc fortè ponit differentiam inter oculum Christi, & alterius Beati, quòd oculus Christi in Sacramento existat etiam modo spirituali, ac proinde convenientiùs potest hujusmodi visionem consequi, quàm alius.

IX. *Possitne modus existendi Christi sub Sacramento videri supernaturaliter.*

Utrum autem ipse modus quo in Sacramento existit videri possit oculo corporeo supernaturaliter, sicut etiam utrum Angelus illum naturaliter intueri possit, primum pendet ab eâ quæstione, an sit in entitate spiritualis, quod non est præsentis loci, secundùm quorum objectorum etiam naturalium cognitio Angelis debeatur, quod in primâ parte, in materiâ de Angelis fusè declaratum est.

SECTIO TERTIA.

De variis apparitionibus, quæ in hoc Sacramento cerni solent.

I. *Variæ, easq; maximè insignes hac de re apparitiones contigisse, certus est, quàm ut à quoquam in dubium vocari possit.*

TOT, támque insignes in omni orbis Christiani parte apparitiones in hoc genere acciderunt, quarum variis locis luculenta adhuc extant vestigia, ut obstinatissimus jure haberetur, quisquis eas negaret. Deinde, cùm Auctores gravissimi fidéque dignissimi, qui iis locis ac temporibus degebant quando hæ apparitiones contigerunt, & nonnullarum oculati testes fuerunt, scriptis eas ad posteros transmiserunt, in dubium eas vocare, esset humanam auctoritatem contemnere, & fidem omnem abrogare antiquitati. Restat ergo, ut quâ ratione acciderint, declaremus.

II. *Apparitiones illæ diversis modis possût contingere.*

Variis modis contingere possunt hæ apparitiones, ut ex Sancto Thoma notat Suarez hîc, disp. quinquagesimâ quintâ, sect. primâ, & alii; quandoque enim contingit, ut mutatio tantùm sit ex parte videntis, objecto planè eodem modo manente, cujus signum in primis est, ut notat S. Thomas, si uni tantùm vel alteri appareat illa mutatio, cæteris species panis videntibus, quod nisi novum ponatur miraculum fieri non potest. Secundum signum à Sancto Thoma assignatum est, quando exiguo tempore manet apparitio, & statim postea species eodem modo videntur sicut ante illam apparitionem.

III. *Apparitiones prædictis tribus modis contingunt.*

Per immutationem verò objecti tripliciter contingere possunt apparitiones circa hoc mysterium. Primò quando vel circa species sacramentales cernitur splendor aliquis, aut Angeli apparent cantantes, ut subinde contigit, vel species ipsæ ab uno loco miraculosè moventur in alium, aut immobiles adhærent patenæ, vel aliquid hujusmodi. Secundò, quando subitò mutantur in lapidem, aut aliud hujusmodi: sicut ergo in priore casu nullum esse potest dubium de præsentiâ Christi sub speciebus, ita in secundo certum videtur desinere ibi esse Christum, cùm ibi ampliùs non maneant species panis, ac proinde in illis casibus nihil illic aliud est, quàm lapis.

IV. *Tertiò quando puer, aut sanguis apparet in speciebus.*

Tertium itaque mutationum genus, de quo solo hîc loquimur, est quòd fit cum apparente ostensione corporis & sanguinis Christi, ut cùm apparet puer in hostiâ, vel sanguis diffluit, &c.

in quibus casibus inquirimus, an in iis verè cernatur Christus.

V. *Putant aliqui in his apparitionibus cerni Christum.*

Affirmat Halensis, Gabriël, & alii: communis tamen sententia Theologorum cum Sancto Thoma hîc, quæst. 76. art. 8. asserit contrarium, & si particula carnis hoc modo apparentis diu staret & servaretur, nefas est credere, inquit Sanctus Thomas esse carnem Christi, cùm experientia doceat diuturnitate temporis mutari, & tabescere. Deinde tangi potest ac dividi, quod de carne Christi dici sine indecentiâ non potest.

VI. *Quæres: quidnam ergo sit caro illa & sanguis.*

Quæres: si id quod illic cernitur non sit caro & sanguis Christi, quidnam sit? Respondetur non esse veram carnem, & sanguinem, vel humanum, vel alterius animalis, ut volunt aliqui, sed colore & figurâ, vel in speciebus Sacramentalibus, ut vult Sanctus Thomas, vel in corpore aliquo vicino receptis carnem & sanguinem referre. Unde quando puer subinde in hostiâ apparet, nulla alia ibi fit mutatio, quàm quod accidentia & figura referentia puerum ibi producantur: hac enim ratione facilè omnia salvantur quæ in hujusmodi apparitionibus contingunt.

VII. *Verum factâ hujusmodi apparitione, maneat adhuc Christus in hostiâ.*

Solum inquirendum in his casibus restat, utrum in hujusmodi apparitionibus maneat adhuc Christus præsens in hostiâ. Ad hoc universim dicendum cum Sancto Thoma, quæst. septuagesimâ septimâ, art. quarto, & Theologis communiter, si in istis apparitionibus tanta fiat in qualitatibus immutatio, ut non maneret sub illis accidentibus substantia panis, desinere ibi esse Christum: sub quavis autem minore accidentium immutatione Christus adhuc manet sub accidentibus. Unde sola mutatio coloris non obstat quo minùs adhuc ibi sit præsens Christus, imo nec moderata alteratio in aliis accidentibus.

VIII. *Si adhuc partes aliquæ maneant ad visum immutatæ, manet sub iis Christus.*

Hinc infero, si non immutetur tota hostia, sed aliquæ adhuc partes maneant etiam ad visum eodem modo quo antea, ut cùm in medio hostiæ appareat puer, vel aliquid aliud, quicquid sit de partibus iis in quibus fit illa apparitio, in aliis manere Christum; nulla enim est ratio, cur sub iis desinat.

Quoad alias etiam partes, circa quas fit apparitio, videtur saltem ut plurimum manere Christus, ut affirmat Sanctus Thomas hîc; ad hujusmodi enim apparitiones sufficit mutatio coloris, ut diximus, vel ad summum etiam figuræ, ad quorum tamen mutationem non destruitur in rebus earum substantia. Quod si magna aliqua rarefactio hîc intercederet, vel temperamentum primarum qualitatum notabiliter mutaretur, desineret ibi esse Christus.

IX. *In illis etiam partibus, circa quas fit mutatio, videtur ut plurimum manere Christus.*

Hoc modo intelligendus est Sanctus Thomas dum dicit manente eâdem quantitate & dimensionibus, manere Christum, secus si hæ mutentur; per eandem enim quantitatem & easdem dimensiones vult non debere nimium rarefieri species; sic enim non essent aptæ ad continendum sub se corpus Christi, sicut nec ad substantiam panis: & nisi hoc modo intelligatur Sanctus Doctor, sibi contradiceret, ut notat Suarez hîc, disp. 55. sect. tertiâ, dum alibi sæpè docet mutatis notabiliter qualitatibus panis, desinere ibi esse Christum, si verò magna non fiat qualitatum mutatio, Christum ibidem manere. Hoc etiam probat communis Ecclesiæ consuetudo, quæ hostias hoc modo instar carnis aut sanguinis secundùm aliquas partes apparentes diu servat, solemniter etiam quandoque in supplicationibus circumfert, & tanquam verum Eucharistiæ Sacramentum veneratur.

X. *Quid velit S. Thomas dum dicit, manente eâdem quantitate & dimensionibus, manere Christum.*

Dices:

Dices: Si quando in hostiâ apparet caro aut puer, verè non videatur caro & substantia Christi, Deus homines deciperet, dum eos credere facit id se videre quod revera non vident, hoc autem dici non debet. Respondetur, nullam hîc intervenire deceptionem; Deus enim eo solùm fine hoc præstat, ut inducantur homines ad credendum verè Christum esse in Eucharistiâ, in quo nulla est deceptio, non autem ut credat quis carnem Christi esse ibi localiter præsentem: unde si quis hoc existimaret, esset ab aliis de veritate instruendus.

XI. *Ex his non sequitur ullo modo Deum homines per hujusmodi apparitiones decipere.*

Quæres: Unde dignosci possit, an species ita sint immutatæ, ut non maneat sub iis corpus Christi? Respondetur, signum optimum per quod plerumque dignoscitur an maneat alicubi substantia panis & vini, esse odorem, & saporem, sed quia quando hoc modo immutantur species, non soleant homines eas gustare, aliunde inquirenda sunt hujus rei indicia. Si ergo vertatur in lapidem, ut supra diximus, videtur omnino certum non manere ibi substantiam Christi. Quod etiam quando vertitur in carnem aut sanguinem ad punitionem perfidiæ alicujus dicendum est; tunc enim verisimile est Christum velle se illi subtrahere. Si verò verti Sacramentum quandoque videatur in carnem aut sanguinem ad consolationem assistentium, qui ad piè illud colendum accedunt, probabilius videtur, manere Christum, & mutationem solùm fieri accidentalem, saltem, si mutatio illa duret brevi tantùm tempore, ut ferè in his casibus contingit; si enim mutationes essent diuturnæ, probabiliùs videtur Christum ibi desinere esse, nec ea miracula fiunt ad testandum Christum ibi esse, sed fuisse, ut benè Coninck hîc, disp. 76. artic. 8. dub. 2. num. centesimo trigesimo sexto. Quando verò ex hostiis confossis effluit sanguis, non est verus sanguis, nec ex venis Christi effluere potest, cùm Christus existat modo indivisibili, ut ostendimus, & præterea corpus habeat impassibile.

XII. *Qua ratione cognoscamus quando species ita sint mutatæ, ut sub iis desinat esse Christus.*

Quid autem Sacerdoti, cui in Sacro hujusmodi aliquid contingeret, faciendum sit, dissident Auctores; etsi enim omnes conveniant, dum manet illa mutatio, non teneri ipsum species illas sumere, & expectandum ei esse donec perspiciat utrùm mutatio solùm sit temporanea, ut tunc species sumat, si priori formæ reddantur: si tamen mutatio sit perpetua, dicunt aliqui teneri ipsum denuò consecrare, quia putant ex præcepto divino teneri Sacerdotem sumere Sacramentum: alii tamen negant, sed dicunt Deum in hoc casu dispensare, cùm Sacramentum in tali statu ponat, ut sumi non possit, quod affirmat Sanctus Thomas infra, quæst. octogesimâ secundâ, art. quarto, ad tertium, licèt ibidem addat, consulendum esse illi Sacerdoti, ut iterato corpus & sanguinem Domini consecret, & sumat.

XIII. *Quid faciendum sit Sacerdoti, cui aliqua hujusmodi mutatio in sacro contingeret.*

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

De speciebus panis & vini, quæ post consecrationem remanent in hoc Sacramento.

Sacro-sanctum Eucharistiæ Sacramentum, ut vidimus, duobus constat, corpore scilicet & sanguine Christi primariò, secundariò autem panis & vini accidentibus. Discussis ergo iis quæ ad præcipuam Sacramenti partem pertinent, restat nunc ut de minùs præcipuâ agamus, quantitate scilicet & reliquis accidentibus, sub quibus Christus continetur, de quibus varia occurrunt inquirenda, ut ex S. Thoma constat hîc, Quæst. septuagesimâ septimâ, ubi octo articulos in variarum hac de re difficultatum discussione impendit, quas, Sancti Doctoris vestigiis insistentes, hîc expediemus.

SECTIO PRIMA.

Quo pacto quantitas, & alia accidentia maneant in Eucharistiâ.

I. *In Philosophiâ ostensum est dari accidentia physica realia.*

Disputatione duodecimâ Physicorum per totam probavi, dari accidentia physica realia, quantitatem, scilicet, colorem, saporem, &c. idque citra errorem in fide negari non posse ostendi: variis insuper rationibus philosophicis eandem veritatem firmavi. Nunc ergo Theologica de iis instituenda est disputatio, prout nimirum ad Sacramentum Eucharistiæ constituendum concurrunt. Quod enim dicit Petrus ab Alliaco, dignosci nimirum sensibus non posse, utrùm hæc accidentia vera sint an apparentia, possèque probabiliter affirmari non esse vera, hoc inquam sustineri non potest; sic enim nullum ex sensibus certum haberi posset cujuscumque objecti experimentum. Deinde, quod caput est, hoc asserere est contra Fidem, & si accidentia hæc non

non sint vera & realia, sed tantùm apparentia, Eucharistia non erit verum Sacramentum, cùm non sit verè signum sensibile, sed solùm apparenter.

II. *Dari in hoc Sacramento vera & realia accidentia Concilia affirmant.* Vera ergo accidentia panis & vini, destructâ eorum substantiâ manere in Sacramento Eucharistiæ, & sensuum experimento constat, & Fide certum est; id enim habetur tum in aliis Conciliis, ut Constantiensi, & Lateranensi, capite *Firmiter de summâ Trinitate*, tum in Tridentino sessione decima-tertiâ, canone secundo, ubi dicitur desinere substantiam panis & vini, & converti in corpus & sanguinem Christi, manentibus dumtaxat illorum speciebus seu accidentibus: Imo eadem accidentia manere in Eucharistiâ, quæ antea erant in substantiâ panis & vini est etiam certum; nec enim ulla ratio suadet nova ibi accidentia produci, & citata Concilia docent priora accidentia destructo pane persistere.

III. *De quibus accidentibus hic loquantur Patres & Theologi.* Sermo autem est de accidentibus absolutis; actiones enim conservativas panis & vini unà cum illis destrui, sicut & ubicationes eorum, & uniones quibus conjungebantur substantiæ panis & vini omnino certum est. Censet etiam Suarez disp. 56. sect. 1. non esse [illegible]m non desinere simul cum substantiâ pani[illegible]ni accidentia aliqua quæ non sunt per se [illegible]lia vel formaliter, vel eminenter, id est pri[illegible] qualitatum per se sensibilium, qualis est [illegible] virtualis in vino: licèt enim, inquit, probabilius videatur ea remanere, cùm nulla destructionis eorum causa assignari possit, sed nec certum haberi potest fundamentum, saltem Theologicum, cur non destruantur. Unde addit ipse, Patres non esse in eo sensu intelligendos, quasi loquantur universim de omnibus.

IV. *Manet in Eucharistiâ, quantitas cum reliquis accidentibus absolutis.* Manet ergo quantitas cum reliquis accidentibus absolutis, quæ tamen non habet sibi additum loco inhærentiæ modum quendam per se existendi, ut vult Suarez disp. 56. sect. 2. Vasquez disp. 194. capite 2. & alii nonnulli; sufficit enim quòd Deus loco actionis eductivæ, qua partialiter antea ad illius conservationem concurrebat subjectum, substituat actionem creativam, qua ipsam conservet independenter ab omni subjecto, nec præter hanc actionem opus est ullo alio modo existendi per se, cùm effectus formalis creationis sit reddere rem à subjecto sustentationis independentem.

V. *Accidentia alia præter quantitatem, cùm subjectentur semper in materiâ, materiâ hic destructâ, conservantur sine subjecto.* Quoad alia accidentia major est difficultas, & est multorum opinio subjectari ea in quantitate: sed cùm secundùm principia philosophica verius videatur accidentia omnia subjectari immediatè in materiâ, cùm illam disponant, & consequenter physicè immutari per illa debeat, nihil verò sit cur in quantitate subjectentur vel partialiter, cùm eam non disponant ad receptionem formæ substantialis, consequenter destructâ materiâ, debent conservari sine subjecto.

VI. *Objic. Ergo multiplicantur miracula sine necessitate.* Dices: Ergo tot hic intercedunt miracula, quot sunt accidentia diversa, quod tamen est multiplicare miracula sine necessitate. Respondetur cum Patre Hurtado, disp. 6. Physicorum, numero quinquagesimo tertio, in rebus naturalibus primò videndum quid spectatis naturis rerum sit conventientissimum, nec istud propter miraculorum multiplicationem esse mutandum, in illo præsertim mysterio, in quo Deus *memoriam fecit mirabilium suorum*; neque enim in re usquequaque miraculosâ est cur quis refugiat miracula.

Sanctus Thomas verò, quando quæst. 77. art. secundo insinuare videtur reliqua accidentia subjectari in quantitate, vel loquitur de subjecto latè sumpto, in quantum scilicet quantitas est quid requisitum ut materia recipiat alia accidentia, & hoc sensu integrat quasi unum subjectum vel substratum cum materiâ, ut colligitur ex argumento *Sed contra*, vel si loquatur de subjecto propriè dicto & sustentationis, est quia in Philosophiâ existimavit Sanctus Thomas alia accidentia subjectari immediatè in solâ quantitate, cùm tamen necessarium videatur, vel saltem magis congruum juxta principia philosophica, ut immediatè afficiant & immutent materiam, ut ostensum est.

VII. *Quâ ratione insinuet S. Thomas reliqua accidentia in hoc Sacramento subjectari in quantitate.*

Recentiorum quorundam opinio, cujus mentionem facit Suarez disp. 56. sect. tertiâ, est, licet qualitates omnes ante destructionem substantiæ panis, subjectarentur in illius materiâ, Deum tamen destructo per consecrationem pane, ea transferre in quantitatem tanquam in subjectum, sic enim pauciora, inquiunt, ponuntur miracula, cùm contraria sententia dicere debeat quoties per qualitatem aliquam alterantur species, ut calorem, frigus, humiditatem, Deum solum actione creativâ producere ibi calorem ad præsentiam tantùm ignis aut alterius causæ, agentia verò naturalia nihil in his casibus agere. Deinde meliùs salvantur experientiæ, quæ in hoc mysterio quotidie contingunt.

VIII. *Dicunt nulli quidam, destructâ panis substantiâ Deum trâsferre accidentia illa in quantitatem.*

IX. *Sed contra, potentia hæc quantitatis, vel est naturalis, vel obedientialis.* Sed contra: Vel enim hæc sententia statuit potentiam quantitatis, ad recipienda alia accidentia, obedientialem, sicut animæ ad gratiam, aut materiæ ad unionem hypostaticam; vel merè naturalem: si primum, non pauciora ponit miracula hæc sententia, quàm præcedens, nec enim minus est miraculum, ut Deus elevet quantitatem ad recipienda alia accidentia, quàm ut ea immediatè per creationem solus conservet, sicut non minus miraculum est elevare animam ad producendam aut recipiendam gratiam, vel unionem hypostaticam, quàm si illas Deus solus per creationem produceret.

X. *Si hæc potentia sit naturalis, accidentia semper informabunt quantitatem.* Jam verò, si potentia hæc ponatur naturalis, contra, ergo nulla ratio est cur non semper qualitates informent quantitatem in omni passo naturali; si enim quantitas sit apta ea naturaliter recipere, agentia etiam naturalia sunt apta illas similiter in eâ producere, ergo producent, cùm agant necessariò.

XI. *Dices: Deus vult ut qualitates recipiantur in materiâ.* Dices primò, Deum determinare agentia naturalia, ut potiùs qualitates producant in materiâ, quàm in quantitate, quia illa debet per eas disponi, & consequenter physicè mutari. Contra, quare non producuntur immediatè in utrâque, sicut in subjecto subordinato; sic enim non minùs physicè immutabunt materiam, quàm si in eâ solâ subjectarentur. Dices, non possunt duo subjecta concurrere in genere causæ materialis ad eundem effectum recipiendum. Contra primò, si utrumque sit intimè penetratum, & subordinatum, quare non possunt, sicut qui ponunt potentias distinctas ab animâ dicunt actus vitales & ab animâ procedere, & potentiis, & in utrisque etiam recipi. Contra secundò, duæ causæ efficientes possunt eundem effectum, attemperando invicem concursum producere, quidni ergo & duæ materiales, si possint esse intimè penetratæ, & consequenter eo modo applicatæ effectui, quo causa materialis petit.

XII. *Ad hoc ut quantitas* Dices secundò: Quantitas jam connaturaliter potest recipere hæc accidentia, quia conservatur per

recipiat qualitates, parum refert utrum conservetur actione creativâ an generativâ.

per actionem creativam, antea tamen non poterat, quia conservabatur per generativam. Contra: Actio conservativa rei non mutat illius naturam, cùm qualitates Eucharistiæ, licèt conservarentur sine subjecto, eodem modo operarentur; influxus enim subjecti non concurrit nisi mediatè ad operationes substantiarum aut accidentium, nec quoad hoc refert, utrùm conserventur actione creativâ, an generativâ, naturali, an supernaturali, &c. Confirmatur, alioqui posset quis dicere, quoties mutatur, saltem notabiliter, agens, & consequenter actio, ut quando ignis conservatur ab alio igne, vel cœlo, vel à solo Deo, toties mutari vim ejus operativam.

XIII. *Sequeretur mutari vim agendi in accidentibus Eucharistiæ, cùm mutent subjectum.*

Confirmatur secundò: Quare ergo non poterit quis dicere mutari etiam vim agendi accidentium in Eucharistiâ ex eo quod mutaverint subjectum, & jam sint in subjecto accidentali, cùm antea fuerint in substantiali. Confirmatur tertiò, res cui loco ubicationis naturalis, quàm antea habebat, datur supernaturalis, aut loco ubicationis generatæ datur creata, non plus potest per secundam, quàm poterat per primam, & tamen nulla assignari potest ratio, cur ubicatio creata substituta loco generatæ non æquè mutaret modum agendi alicujus rei; atque actio creativa substituta loco generativæ.

XIV. *Objic. Non possunt accidentia informare duo subjecta.*

Dices tertiò: Accidentia non posse simul informare duo subjecta, sicut nec potest forma substantialis. Contra primò, si sint subordinata possunt, ut constat in actibus vitalibus spiritualibus respectu animæ & potentiarum. Contra secundò, unio inter materiam & formam in compositis materialibus subjectatur juxta plurimorum sententiam & in materiâ & formâ, subsistentia totalis in sententiâ eam statuente in composito, subjectatur in utroque extremo: actus etiam vitales materiales in homine, ut visio, auditio, &c. subjectantur in multorum opinione in materiâ & animâ.

XV. *Gratis in quantitate astruitur potentia recipiendi hæc accidentia.*

Tandem astruere hujusmodi potentiam in quantitate recipiendi accidentia videtur omnino gratis dictum, cùm nulla in rebus naturalibus hujus necessitas appareat, nec ulla ratio assignetur, cur hæc statuatur natura quantitatis, & pari ratione dicere quis posset calorem, & alia accidentia in Eucharistiâ, destructâ substantiâ panis, in quâ subjectabantur, petere conservari per actionem creativam, & non petere destrui ad destructionem subjecti, sed solùm ad inductionem contrarii. Imo majus fortasse ad hoc asserendum quis fundamentum haberet, cùm nunquam videamus naturaliter hujusmodi accidentia nisi ad inductionem contrarii perire.

SECTIO SECUNDA.

Quomodo species Sacramentales Agere possint & Pati.

I. *Quoad operationes possunt hæ species omnia præstare, quæ antea poterant.*

Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ septimâ, articulo tertio, & quæst. septuagesimâ quintâ, articulo quinto, & cum eo Theologi omnes affirmant quoad actiones intentionales omnia præstare posse species sacramentales, quæ poterant ante consecrationem. In primis enim hoc quotidiana experientia comprobat, cùm non minùs immutet sensum albedo in hostiâ consecratâ, quàm ante consecrationem. Ratio est, quam insinuavimus sectione præcedente, quia tota vis agendi hîc remanet, nec refert quâ actione conserventur hæ species, cùm actio non concurrat ad earum operationes.

II. *Varias etiam qualitates Physicas possunt hæc accidentia producere.*

Nec mutationes solùm intentionales efficere possunt hæ species in Eucharistiâ, sed etiam physicas, & qualitates varias in subjectis, quibus applicantur, producere, quod eodem modo probatur quo præcedens conclusio. Imo hinc ulteriùs sequitur has species non solùm posse ultimò disponere effectivè subjectum ad formam aliquam substantialem, sed etiam effectivè eam producere partialiter cum Deo, vel cœlo, aut aliâ causâ principali: sicut enim accidentia unita suis subjectis substantialibus, saltem ut causæ instrumentales concurrunt ad productionem substantiæ, ita & concurrere possunt conservata sine subjectis.

III. *Quo pacto alia res externa agunt in has species.*

Quando verò res aliæ externæ agunt in species, non alio modo hoc fit, quàm quod Deus ad præsentiam illorum agentium producat eorum qualitates, ut si injiceretur hostia consecrata in ignem, Deus tunc eodem modo crearet gradus aliquot caloris loco frigoris expulsi, ac eosdem produceret ignis vel calor si ibi existeret subjectum. Deinde etiam ibi producit Deus materiam primam, in quâ & qualitates ultimò jam ad formam ignis disponentes, & ipsa forma ignis recipiatur; hoc enim totum Deus tanquam causa quædam moralis agere tenetur, posito quòd hoc mysterium occultare velit. Probabile autem videtur quod affirmant aliqui, Deum eandem numero materiam reproducere, quæ antea fuerat sub accidentibus panis; sic enim, inquiunt, minor fit in universo mutatio, quàm si alia materia produceretur. Deinde quia quantitas semper manet eadem numero, cui connaturale videtur esse in eâdem materiâ, ut notat Suarez disputatione quinquagesimâ septimâ, sect. tertiâ.

IV. *Hoc eandem materiam redire, nec aliam tunc producivult Deus Angelicus.*

Sanctus Thomas nihilominus quæst. septuagesimâ septimâ, articulo quinto, corpore, non vult redire eandem materiam, quia esset novum miraculum, quare ipse in corpore, & in responsione ad argumenta, quem hac in re sequuntur Thomistæ communiter, vult in istiusmodi generationibus substantialibus, quando ex speciebus Sacramentalibus nova producitur substantia, ut dum ex iis nutritur homo, vel aliud animal, aut si conjiceretur hostia consecrata in ignem, &c. vult inquam nullam novam tunc materiam produci, sed quantitatem subire munus materiæ, & formam illam substantialem novam in se recipere, & cum eâ compositum constituere.

V. *Sed non videtur percipi posse quo pacto ex formâ substantiali & accidente possit unum per se constitui.*

Sed, ut ait Suarez sectione tertiâ citatâ, hoc vix videtur percipi posse, primò quia inter formam substantialem & quantitatem, quæ est accidens, non potest unio substantialis intercedere, quia ordinatur ad faciendum unum per se. Deinde non potest compositum substantiale constitui ex substantiâ & accidente, quâ de causâ dixit Aristoteles primò Physicorum, impossibile est substantiam componi ex non substantiis, nec in hoc composito esset major ratio, cur esset substantia quàm accidens, imo potiùs deberet dici accidens, cùm in istis, denominationes communiter sequantur debiliorem, seu imperfectiorem partem: Unde homo dicitur corporeus à corpore. Ad summum itaque dici potest compositum partim substantiale, partim accidentale: Quare non posset dici ignis, aut pars hominis id quod hoc modo generatur ex speciebus.

Præterea

VI. *Si homo ex solis speciebus consecratis nutriretur, quid sequi videatur in hac sententiâ.*

Præterea si contingeret hominem solis speciebus consecratis diu nutriri, sequeretur eum successu temporis aut totum, aut ferè totum corpus substantiale amittere, & constare solâ animâ quantitatem informante, quod tamen nullo modo admitti potest. Tandem non minùs esset miraculum educere formam substantialem ex quantitate, quàm vel eandem vel novam materiam creare.

VII. *Objic. Ergo corpus Christi convertitur in hanc substantiam*

Dices: Si ad productionem novæ hujus formæ cum materiâ jam productâ desinat ibi esse Christus; ergo convertitur in substantiam istam hic modò productam, sicut substantia panis priùs desinebat, & convertebatur in ipsum. Ad hoc dici posset, corpus Christi, licèt desinat esse sub speciebus, non tamen desinere esse, sed solùm amittere unionem illam & modum existendi sub speciebus, ac præsentiam localem; quod facilius intelligitur in nostrâ sententiâ, qui dicimus Christum per eandem actionem existere in Sacramento per quam existit in cœlo. Cùm ergo nihil deperdat præter præsentiam sub speciebus in illo loco, non potest dici destrui corpus ipsius, & consequenter nec converti in novam substantiam genitam.

VIII. *Deinde corpus Christi nullam habet cum accidentibus illis connexionem.*

Adde, corpus Christi nullam habere naturalem connexionem cum illis accidentibus, sicque etsi ad eorum alterationem unio, quam cum speciebus panis habuit, destruatur, non tamen sequitur debere ipsum ad deunionem illam destrui. Tertiò dici potest, vel hoc titulo deesse conversionem, quod non sit lucta ibi corporis Christi cum ullâ re circa aliquod tertium, cùm accidentia quæ producuntur, non sint in aliquo subjecto, nec substantia illa nova adhuc sit producta. Major est difficultas in sententiâ statuente qualitates subjectari in quantitate, ut constat.

IX. *An per mixtionem diversarum rerum cum speciebus consecratis desinat sub illis esse Christus.*

Quæres: Utrùm per mixtionem diversarum rerum cum speciebus consecratis desinat sub illis esse Christus. Tribus modis contingere potest hæc mixtio, primò, ut vino consecrato misceatur vinum non consecratum, secundò, si post consecrationem misceatur liquor alterius speciei, tertiò, si inter se misceantur species consecratæ.

X. *Quid hac in re de duobus liquoribus ejusdem vel diversæ speciei inter se mixtis dicat S. Thomas.*

Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ septimâ, art. octavo asserit, quoties duo liquores inter se in tantâ quantitate permiscentur, ut unus planè secundùm partes minimas pervadat alterum, utrumque destrui, & unum tertium consurgere diversum specie ab utroque, si liquor admixtus sit diversæ speciei, si verò liquor admixtus sit numero tantùm distinctus ab eo cui miscetur, ait consurgere aliquod tertium numero à præcedente distinctum. Hinc infert S. Doctor, si speciebus vini admisceatur vel aqua vel alius liquor specie, aut etiam numero tantùm distinctus, ita ut secundùm partes minimas undique permisceatur cum illis, desinere ibi esse Christum, si verò in tam parvâ quantitate fiat mixtio, ut non possit liquor admixtus secundùm partes minimas distribui nisi cum parte specierum, sub illâ tantùm parte ait, desinere esse Christum. Sanctum Thomam sequuntur Thomistæ, præsertim antiquiores.

XI. *Si vino consecrato vinum non consecratum ejusdem speciei, non desinere ibi esse Christum: ita communis Theologorum sententia.*

Dicendum primò: Si vino consecrato admisceatur vinum non consecratum ejusdem speciei, non desinere ibi esse Christum: ita communis Theologorum sententia. Probatur primò ex capite *Cum Marthæ*, ubi dicit Innocentius tertius, si post consecrationem aliud vinum mittatur in calicem non transire in sanguinem, sed commixtum manere cum speciebus consecratis: quo loco videtur supponi, omne vinum esse ejusdem speciei.

Deinde nulla apparet ratio, cur si vinum non consecratum misceatur alteri non consecrato ejusdem speciei, deberet vel unum vel aliud perire, ergo nec desinit Christus sub speciebus ad mixtionem alterius vini ejusdem speciei, patet consequentia; tamdiu enim juxta receptam Theologorum sententiam manet Christus sub speciebus, quamdiu maneret sub iis vinum si ibi esset. Antecedens itaque probatur; quod enim dicunt aliqui per mixtionem dividi species in partes minores minimis, in primis fortè hoc non ita se habet, deinde esto dividerentur, unirentur tamen aliis partibus sui similibus specierum vini non consecrati, & quantitas, odor, sapor, &c. facient unam quantitatem totalem, odorem, saporem, &c. cum accidentibus vini adjuncti, sicut faceret vinum ipsum cum vino, si ibi adesset; quare enim hæc accidentia non æquè deservient ad formam præcedentem sub quibus ante fuerunt, atque ad novam, ac proinde æquè connaturaliter poterit hæc sub iis conservari, ac nova produci. Unde si aliquid vini consecrati infundatur in integrum dolium vini non consecrati ejusdem speciei, manebit sub illis speciebus Christus, & consequenter vinum illud ad usus profanos adhiberi non potest.

XII. *Nulla est ratio cur sub speciebus mixtis vino ejusdem rationis desinat esse Christus.*

XIII. *Si aqua vel quivis alius liquor misceatur speciebus consecratis, desinet post aliquod tempus esse ibi Christus.*

Dicendum secundò: Si speciebus consecratis admisceatur vel aqua, vel quivis alius liquor, vel etiam vinum diversæ speciei, desinit post aliquod tempus sub speciebus illis esse Christus: ita Doctores communiter. Probatur: Tamdiu enim solummodo sub speciebus illis manet Christus, quamdiu species ipsæ manent, & maneret vinum illud, si sub illis ante mixtionem fuisset, sed paulatim hæ species ab aquâ, vel alio liquore, aut etiam vino diversæ speciei (si unum vinum sit diversæ speciei ab alio) corrumperentur, & consequenter vinum, si sub illis esset, ergo.

XIV. *Aliquod tamen tempus est necessarium, ut fiat hæc mutatio.*

Dixi, post aliquod tempus; nec enim statim sub iis desineret, cùm præter mixtionem requiratur etiam alteratio physica; quod enim aliqui volunt dividi statim in partes minimas, non videtur id semper contingere; non enim tanto semper impetu infunditur alius liquor, ut statim diffundatur per species consecratas secundùm partes minimas. Deinde substantia ipsa, quæ miscetur, & etiam cui aliud admiscetur huic divisioni naturâ suâ resistit, cùm tendant semper ad conservationem sui, sicut ignis in nube fugit contrarium, ac subinde descendit, & aqua interdum colligit se in orbem.

XV. *Si species consecratæ aliis speciebus consecratis admixtæ sint ejusdem rationis, non desinit ibi esse Christus.*

Hinc ulteriùs infero, si species consecratæ, quæ aliis specibus consecratis miscentur, sint ejusdem speciei, non desinere sub iis Christum, sin verò sint specie diversæ, desinere post aliquod saltem tempus sub iis permanere Christum: hoc eodem modo probatur, quo conclusiones præcedentes.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA OCTAVA.

De formâ Consecrationis.

ABSOLVTIS iis quæ ad materiam tum proximam hujus Sacramenti, corpus nimirum & sanguinem Christi, tum remotam, panem scilicet & vinum, ac demum ad materiam ejus secundariam, species nimirum seu accidentia pertinent, sub quibus ex vi verborum constituitur Christus, restat modo, ut de verbis ipsis, quæ Sacramenti hujus forma sunt, dicamus; variæ enim, eæq; non contemnendæ circa illam etiam, ut videbimus, proponi difficultates possunt, quas in hunc, ut in proprium eas examinandi locum, distuli. Plurima tamen, quæ ad verba spectant, latè supra discussa sunt in tractatu de Sacramentis in genere, dum de Sacramentorum omnium formis disputatum est.

SECTIO PRIMA.

Quibus verbis fiat Consecratio.

I. *Indubitatum modò apud omnes est, verba aliqua ad hujus Sacramenti confectionem esse necessaria.*

VERBA aliqua ad hujus Sacramenti confectionem, ex Christi institutione esse necessaria, certissimum est; hoc enim & sacrarum Literarum testimonio constat & Conciliorum definitionibus, perpetuáque jam inde ab Apostolorum temporibus traditione Ecclesiæ. De hoc ergo nulla est inter Auctores controversia, sed omnes in eo tanquam in re planè indubitatâ conveniunt. Per quæ ergo verba, & quo modo hoc Sacramentum conficiatur, inquirendum.

II. *Tres sententias refert Doctor Angelicus.*

Sanctus Thomas quæst. 78. articulo primo, ad primum refert tres sententias circa modum quo Christus se sub speciebus panis & vini, destructâ eorum substantiâ, in nocte Cœnæ constituit. Prima docet Christum absque omni verborum formâ sola voluntate hoc præstitisse per potestatem excellentiæ, quam in res omnes habet; ita Innocentius III. libro quarto de hoc mysterio, & hanc sententiam probabilem censet Gabriel, Armachanus & alii. Secunda asserit Christum per aliqua verba se præsentem in hostiâ statuisse, non tamen per illa *Hoc est corpus meum*, sed per alia nobis ignota. Tertia dicebat factam quidem consecrationem, & Christum in hostiâ constitutum per verba quibus jam consecrat Sacerdos, ea tamen bis fuisse à Christo prolata, primò secretò, & tunc ait Christum per ea consecrasse, secundò manifestè ad Apostolos instruendos, quo ipsi modo Sacramentum hoc conficerent.

III. *Vera est Divi Thomæ sententia, Christum per hæc verba, semel tantùm prolata consecrasse.*

Dicendum tamen cum Sancto Thoma articulo citato, Magistro, & Theologis communiter, Christum illis verbis *Hoc est corpus meum* semel tantùm prolatis consecrasse: quod ita certum putat Suarez disp. 58. sect. primâ, ut contrarium sine temeritate defendi non possit. Probatur primò, quia Sacerdos in altari consecrans factum Christi repræsentat & imitatur, & tamen in canone Missæ iis verbis utitur eodem planè tenore, quo à Christo erant prolata. Deinde capite *Cum Martha de celebratione Missarum*, dicitur Christus formam hujus Sacramenti expressisse, cùm panem & vinum in suum corpus & sanguinem transubstantiavit: quod idem docet Concilium Tridentinum sessione decima-tertiâ, capite primò, omnesque Sancti Patres hoc ipsum disertis verbis affirmant. Unde verba Innocentii loco citato, ait Sanctus Thomas sunt opinativè magis dicta, quàm determinativè.

IV. *Nil contra hoc facit, quòd priùs Christus dicatur benedixisse panem, quàm eum consecraverit.*

Nec obstat quòd Christus ab Evangelistis priùs dicatur benedixisse panem, quàm eum consecraverit, imo & quòd juxta Sanctum Marcum, Apostoli priùs dicantur bibisse, quàm Christus protulerit illa verba, *Hic est sanguis meus*. Ad primum enim dico, licèt consecratio sit benedictio, non tamen omnis benedictio est consecratio. Deinde secundò ad utrumque responderi potest cum Sancto Thoma ad primum, & Sancto Augustino libro secundo de consensu Evangelistarum, capite

capite trigesimo, & trigesimo primo, non semper eâdem serie res narrari ab Evangelistis, quâ gestæ sunt, sed quædam subinde per anticipationem in narratione præponi, quæ gesta sunt posteriùs.

V. *Benedictionē aliquam à consecratione fuisse distinctam, videtur manifestum.*

Difficultas ergo est, utrùm ista tria in facto Christi fuerint distincta, benedictio, gratiarum actio, & consecratio. Inprimis benedictionem aliquam à consecratione fuisse distinctam, videtur clarum ex Concilio Tridentino sessione 17. capite primo, ubi dicit Redemptorem nostrum hoc Sacramentum in cœnâ instituisse, *Cùm panis viniq; benedictionem se suum corpus illis prabere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Deinde Sacerdotes omnes, ante consecrationem, benedictionem aliquam præmittunt, qui tamen in hoc, factum Christi imitari judicio Ecclesiæ censentur. Tandem sicut Christus in multis aliis rebus benedictionem aliquam, seu orationem præmisisse legitur, ut cùm panes in deserto multiplicaturus esset, Lazarum resuscitaturus, & cetera, ita in hoc summo mysterio fecisse verisimile est, ut animos Discipulorum ad illud præpararet.

VI. *Hæc benedictio peculiaris fuit, non communis sicut super alios cibos.*

Hæc autem benedictio, non fuit communis illa, quæ initio Cœnæ ad cibos communes adhiberi solet, sed peculiaris aliqua in peculiaribus quibusdam verbis instituta, cum specialibus etiam Cæremoniis, nempe priùs panem, deinde calicem in manus accepit Christus, oculos in cœlum sustulit, & verbis quibusdam benedixit gratias agens Deo Patri, idque non initio, sed in medio cœnæ. Unde benedictio hæc & gratiarum actio, quamvis utraque à consecratione distincta fuerit, non tamen à se invicem, sed eadem verba, prout dirigebantur ad Deum, erant gratiarum actio, prout verò aliquid petebant circa panis immutationem, benedictio; neque enim per gratiarum actionem necessarium est intelligere nudam laudem, sed simul orationem aliquam ad rei alicujus impetrationem directam. Tandem finitâ hac benedictione, & gratiarum actione, panem & vinum prolatis verbis illis supra positis consecravit.

VII. *Quibus verbis perficiatur consecratio.*

Quærimus ergo in præsenti quibus verbis modò perficiatur consecratio? Falsum inprimis est quod vult Faber, nempe verba illa, *Qui pridie quàm pateretur, &c.* esse necessaria ad consecrationem; hoc inquam falsum est, cùm ex Concilio Florentino habeamus, formam qua hoc Sacramentum conficitur, esse verba Salvatoris, hæc autem verba non erant prolata à Christo. Nec etiam sunt necessaria ut conditio, ad hoc ut Sacerdos loquatur nomine Christi; ipso facto enim, quod habeat Sacerdos hanc sibi potestatem collatam à Christo, & intendens consecrare proferat hæc verba, *Hoc est corpus meum*, loquitur in personâ Christi.

VIII. *Malè dicunt plurimi Græcorum, consecrationem non perfici per illa verba, Hoc est corpus meum.*

Deinde falsum est quod asserunt plurimi Græcorum, nempe non perfici consecrationem per illa verba, *Hoc est corpus meum*, sed per alia sequentia, per preces scilicet aliquas, quibus orat Sacerdos, ut panis & vinum convertantur in corpus & sanguinem Christi. Sed contra hoc est, nam inprimis statim post prolationem horum verborum Sacerdos & ipse adorat hostiam, & populo adorandum exhibet, quod idem etiam fit de sanguine. Contra secundò, nam ut Concilium Florentinum docet, forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum confecit: quod etiam habetur in Tridentino sessione decima-tertiâ, capite tertio & quarto, passimque affirmant Patres, verba quibus Sacerdotes conficiunt hoc Sacramentum esse eadem quibus illud confecit Christus, quorum auctoritates videri poterunt apud Suarium disp. 58. sect. 4. & hæc doctrina est de Fide: Probaturque ulteriùs, ex doctrinâ Concilii ibidem traditâ, nam statim ac Christus dixit, hoc esse corpus suum aut sanguinem, fuit verum quod dixit, & consequenter perfecta consecratio, unde verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, & alia, supponunt mysterium jam perfectum.

IX. *Quid ad expostulationem quandam cum Græcis in Concilio Florentino hac de re à Latinis factam, Græci respōderint.*

Unde interrogati à Latinis Græci in Concilio Florentino sessione ultimâ, cur post Dominica verba, hac utantur oratione, *Et fac panem quidem hunc honorabile corpus Christi tui, quod autem in calice isto est, honorabilem sanguinem Christi tui, ea sancto tuo Spiritu transmutante:* respondérunt se firmiter credere verbis Dominicis Sacramentum fieri, sed sicut Latini confecto Sacramento subjiciunt hanc orationem: *Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui*, &c. ita similiter Græcos orationem illâ uti, non ut panis & vinum convertantur in corpus & sanguinem Christi, sed ut Sacramentum per priora verba confectum, per orationem hanc utile animabus nostris fiat in remissionem peccatorum.

X. *Quid ad ea quæ in quibusdam Liturgiis circa hoc habētur, sit respondendum.*

Ad illud quod afferri posset pro sententia Græcorum, nempe, in nonnullis Liturgiis, ut Sancti Jacobi, Marci, Chrysostomi & Basilii subjici preces, quibus petitur ut hoc Sacramentum conficiatur, varias responsiones affert Suarez, una esse potest, per orationem illam peti, non ut Christus in Sacramentum veniat, sed ut ibi permaneat, non quòd dubitetur an Christus sub speciebus illis permansurus sit, sed ad affectum declarandum, ut Sancti Patres petebant Incarnationem, non quod de illâ dubitabant, sed ut desiderium exprimerent; sicut etiam Ecclesia ante consecrationem orat, ut fiat corpus Christi, & ut illa oblatio *Benedicta, adscripta,* &c. habeatur, de qua tamen re non dubitat, sed hoc facit, tum ut affectum suum explicet, tum ut Deum auctorem miri illius operis fateatur. Imo Christus ipse Marci cap. 5. mulieri quam sanaverat dixit, *Vade in pace, & esto sana à plagâ tuâ.*

XI. *Secundò dici potest, petere illic Ecclesiam ut corpus & sanguis Christi fiant Sacramentum, non in se, sed nobis.*

Secunda responsio, & probabilior ab illo allata est, per orationem illam non postulari ut fiat corpus Christi in se, sed nobis, nempe ut nobis fiat Sacramentum & gratiam conferat, & peccatorum remissionem. Hoc primò suadetur ex explicatione Patrum Græcorum in Concilio Florentino supra relatâ. Deinde Sanctus Jacobus, Sanctus Basilius, Sanctus Clemens, & alii in illâ oratione petunt, ut Deus ibi ostendat corpus Christi, nempe per effectus. Tertiò dici hoc debet ob communem praxim Latinæ Ecclesiæ, quæ statim post verba Christi, Sacramentum populo adorandum proponit: imo & in Liturgiâ sancti Basilii & S. Chrysostomi, statim post verba illa, *Hoc est corpus meum*, ostendebatur hostia populo, qui confestim respondebat *Amen*, veluti rei jam factæ consentiens: nam ut rectè Sanctus Leo ad rem hanc alludens ait Sermone sexto de jejunio septimi mensis, frustra ab illis respondetur *Amen*, qui non credunt adesse verè corpus & sanguinem Domini. Præterea in Missâ Æthiopum, post illa verba, *Hoc est corpus meum* prolata, subjiciebat illico populus, *Amen, Amen, Amen, Credimus & confidimus, Te laudamus Deus noster, hoc verè corpus tuum est.* Quæ omnia suadent orationem illam Græcorū non esse additam quasi quid necessarium ad consecrationem, sed modo tantùm jam dicto.

XII. *Quare nonnulli ex SS. Patribus affirment consecrationem fieri benedictione & oratione,*

Quòd vero aliqui ex Sanctis Patribus dicant consecrationem benedictione & oratione fieri, vel ideo est quia consecrationem ipsam, orationem quandam esse existimabant, vel quia ad totam Missam respiciebant, quæ ratione diversarum precum, quas in eâ recitat Sacerdos, rectè dicitur oratio & benedictio.

XIII. *Quo pacto S. Basilius in suâ Liturgiâ post verba nostræ consecrationis, orat ut super materiam jam consecratam veniat Spiritus Sanctus, & panem faciat corpus Christi.*

Nec etiam obstat, quod Sanctus Basilius in suâ Liturgiâ post verba nostræ consecrationis posita, vocet materiam oblatam antitypon, seu figuram corporis Christi, & deinde orat ut super eam veniat Spiritus sanctus, & panem faciat corpus Christi: hoc, inquam, non obstat, solùm enim hoc facit per recapitulationem quandam eorum, quæ in sacro usque ad illud gesta sunt, ut bene Coninck quæst. 78. artic. primo, dub. primo, num. nono, nam initio istarum precum dicit Sacerdos se ad altare accedere quasi jam Sacrificium inchoaturus, deinde orat ut veniat Spiritus sanctus super typum illum, & faciat corpus Christi, ubi licèt post consecrationem loquatur, repræsentat tamen materiam oblatam tanquam ante consecrationem, sicut se repræsentabat quasi jam Sacrum inciperet, cùm tamen jam mediâ ex parte sit perfectum, & ante has preces dixerit Diaconus ibi esse Eucharistiam. Unde sequentes preces repræsentativè solùm dicuntur & ad ostendendum Spiritum sanctum esse mirabilis hujus mysterii auctorem, ut supra dictum est, vel petunt ut nobis fiat corpus Christi, & Sacramentum per veram gratiæ collationem, ut suprà dictum est.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm verba consecrationis proferantur à Sacerdote recitativè, An significativè.

I. *Quidam hæc verba proferri aiunt tantùm recitativè.*

TRIPLEX hac in re est opinio: Innocentius enim, Durandus, Ockam, Catharinus, & alii dicunt verba consecrationis à Sacerdote proferri tantùm recitativè. Marsilius, Gabriel & alii, quibus subscribit Vasquez disp. 200. cap. 2. tantùm significativè. Sotus, Suarez disp. 58. sect. quartâ, Bellarminus lib. quarto de Eucharistiâ, cap. decimo-quarto, Coninck quæst. 78. artic. tertio, dub. primo, num. 20. Tannerus & alii dicunt hæc verba, & recitativè & significativè proferri.

II. *Quid sit verba aliqua proferri recitativè.*

Notandum, recitativè aliquid proferri perinde esse atque narrari historicè tanquam quid dictum vel factum ab alio. Unde qui refert verba alterius, quantumcunque illa falsa sint, non tamen mentitur, quia ille ea non loquitur in propria personâ, sed tantùm recenset, ut ab alio dicta, sicque verè refert mendacia alterius. Significativè vero tunc verba proferuntur, quando ipse loquens per ea aliquid intendit ex personâ vel propriâ quam sustinet, vel alienâ innuere, ita ut ipse mentiatur si res sic se non habeat sicut dicit.

III. *Nulla est repugnatia, ut quis verba aliqua & recitativè proferat, & significativè.*

Dico primò: nullam esse repugnantiam quicquid contendit Catherinus & Vasquez citatus, quo minùs eadem verba & recitativè proferantur, & significativè, nam ut optimè declarat Suarez sectione quartâ, fine, nil vetat ut quis simul referat, quo pacto docuit nos Christus orare, jubens ut dicamus *Pater noster*, &c. & orationem illam referendo, per eandem orationem oret, ergo & proferendo verba consecrationis poterit eâdem operâ intendere consecrare & significare id quod refert factum à Christo, quod eo minùs difficile est, cùm Sacerdos in hoc ministerio gerat personam Christi.

IV. *Verba consecrationis proferuntur à Sacerdote recitativè.*

Dico secundò: Verba consecrationis pronunciantur à Sacerdote recitativè, ita Suarez citatus, Bellarminus, Tannerus, Coninck, & omnes, qui & significativè & recitativè ea proferri asserunt cõtra Vasquez & paucos alios. Probatur assertio: Sacerdos enim ita profert verba consecrationis, ut intendat referre quid Christus dixerit, & fecerit, ut constat ex iis quæ formæ consecrationis in canone præmittuntur, *Qui pridie quàm pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas; item tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditq; Discipulis suis dicens, Accipite & comedite, Hoc est enim corpus meum*; ubi sicut prioribus verbis refert Sacerdos facta Christi, ita posterioribus refert ipsius dicta; eodem enim tenore verborum referuntur utraque, nec ulla ratio, nisi petatur principium, assignari potest, cur non eodem modo procedat in utrisque referendis. Confirmatur: nam aliqua saltem verba Christi profert Sacerdos recitativè tantùm & materialiter, ut particulam *enim*, *accipite*, *& comedite*, &c. ergo & formam consecrationis eodem modo proferre poterit, & profert.

V. *Verba consecrationis etiam proferuntur significativè.*

Dico tertiò: Verba consecrationis non recitativè tantùm & materialiter, sed etiam significativè & formaliter à Sacerdote in Missâ proferuntur: ita Auctores suprà citati pro tertiâ sententiâ. Probatur Conclusio, nam, ut docet Concilium Florentinum in decreto ad Armenos §. *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum*, Sacerdos in personâ Christi loquens, hoc conficit Sacramentum; ergo non merè historicè refert verba Christi; sic enim non magis in personâ illius loqueretur Sacerdos, quàm quivis alius, qui dictum aliquod Christi, vel alterius referret. Confirmatur: Sacerdos enim ut consecret, debet verba ad hunc panem præsentem applicare, & illum, secundùm aliquid saltem illius, per particulam *Hoc* demonstrare; ergo particula illa debet sumi significativè, & non merè narrativè.

VI. *Si hæc sola verba, Hoc est corpus meum, aliis omnibus omissis, debitè proferantur, valida est consecratio.*

Hinc infero primò: Etsi omnia alia verba quæ in canone Missæ, formæ consecrationis adjunguntur, quibus significat se referre verba Christi, omittantur, & illa solùm verba, quæ à Christo dicta sunt, à Sacerdote cum intentione consecrandi proferantur, validam forè consecrationem.

VII. *Graviter tamen peccaret, quisquis hoc modo consecraret.*

Infero secundò: Illa sola verba esse de essentiâ formæ, & consequenter ad consecrationem validè faciendam necessaria, quæ effectum consecrationis significant: unde licèt omnia alia, quamvis prolata à Christo, omitterentur, præter isthæc verba, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, vel *calix sanguinis mei*, perficeretur validè consecratio, etsi grave sacrilegium admitteret, quisquis hoc modo consecraret.

VIII. *Declaratur quomodo particula quædam pronunciari solita circa consecrationem, non sint de illius essentiâ.*

Hæc itaque verba, *Accipite & comedite*, seu *bibite*, particula *enim*, &c. non sunt necessaria ad consecrationem. Nec etiam illa verba formæ consecrationis sanguinis, *qui pro vobis effundetur*, seu effunditur juxta lectionem græcam, sunt de essentiâ formæ; primo quia hic sequeretur etiam illa verba, *quod pro vobis tradetur*, esse de essentiâ formæ, cùm iis Græci utantur. Deinde multæ liturgiæ, ut Sancti Jacobi, Marci, Chrysostomi, Basilii, Æthiopum, verba illa in consecratione

Calicis

calicis non ponunt, ut ostendit Suarez disp. quinquagesimâ nonâ, sect. primâ, quos tamen non habere formam validam consecrationis dici nullo modo debet, præsertim cùm juxta Concilium Florentinum in literis unionis, Græci validè consecrent. Licèt ergo Ecclesia justis de causis præcipiat ut illa verba eodem tenore cum essentialibus proferantur, non tamen sunt essentialia, ut de particulâ *enim* fatentur omnes.

IX. *Verba illa, qui pro vobis effundetur, &c. nec sunt de essentiâ, nec de substantiâ, formæ consecrationis.*

Infero tertiò cum Suario disp. 59. sect. primâ, Coninck numero trigesimo, contra Sotum in 4. dist. undecimâ, quæst. primâ, art. tertio, & alios Thomistas illa verba, *qui pro vobis effundetur*, &c. nec esse de essentiâ, nec de substantiâ formæ: distinguit enim Soto, & alii inter substantiam & essentiam formæ, unde, inquiunt, licèt hæc verba non sint de essentiâ formæ, ita ut sine iis perfici non possit consecratio, sunt tamen de substantiâ, ita scilicet, ut de facto cum aliis verbis ad effectum illum concurrant, si eâ intentione à Sacerdote adhibeantur. Hoc tamen est falsum; cùm enim priora effectum illum significent, sunt forma sufficiens, ergo non potest Sacerdos impedire quo minùs iis positis ponatur Christus in Sacramento, magis quàm quivis minister positâ materiâ & formâ aliorum Sacramentorum impedire vel suspendere potest illorum effectum, si habeat debitam intentionem, hanc autem si non habeat, nihil omnino efficit.

X. *Quid de verbis illis, novum Testamentum, in formâ calicis existimandum.*

Quòd si in formâ calicis à Sancto Luca positâ, capite vigesimo secundo, versu vigesimo, & à Sancto Paulo primæ ad Corinthios undecimo ponatur *novum Testamentum* tanquam essentia, ut aliqui volunt, est quia existimant sine iis sensum non esse perfectum, neque hæc verba sensum completum facere, *Hic est calix in sanguine meo.* Aliqui tamen, ut P. Coninck num. trigesimo secundo existimant illa verba non esse essentialia, sed sensum sine iis perstare posse.

XI. *Quid de mente S. Thomæ circa verba illa calicis dicendum.*

Tandem quoad mentem Sancti Thomæ, qui hîc, articulo tertio dicit omnia illa verba in formâ consecrationis calicis posita esse de substantiâ, seu essentiâ formæ, ut asserunt Thomistæ, qui omnes hanc sententiam ut Divi Thomæ mordicus defendunt præter Caietanum, qui cùm oppositum doceret, illa commentariorum ejus pars jussu Pii quinti expuncta est, quod Sancti Thomæ textum destrueret, ut refert Henriquez libro octavo de Eucharistiâ, capite decimo septimo, Suarez hîc, disp. sextâ, sect. primâ, initio, & Tannerus tomo quarto, disp. quintâ, quæst. tertiâ, dubio primo, num. decimo sexto: quâ de causâ Bartholomæus Medina apud Henriquez & Tannerum citatos, hanc sententiam ut Sancti Thomæ defendens ait oppositum esse schismaticum & hæreticum, qui tamen, inquit Tannerus, nimis excessit, non advertens ex hujusmodi facto Pontificis per se non posse colligi pontificiam de ipsâ rei veritate definitionem.

XII. *Rejicitur distinctio illa inter essentiam & substantiam formæ.*

Soto itaque, Ledesma, & recentiores aliqui Thomistæ, ut hanc sententiam defendant, distinctionem, ut diximus, faciunt inter essentiam & substantiam formæ. Sed planè absre, ut clarè ostendit Suarez in commentario articuli tertii quæstionis septuagesimæ octavæ; pro eodem enim sumit Sanctus Thomas substantiam & essentiam, ut constat tum ex aliis locis, tum supra, quæstione sexagesimâ, articulo octavo, ubi generatim de formâ Sacramentorum sic habet: *Si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantiâ formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum:* ubi clarum est pro eodem sumere Sanctum Thomam substantiam & essentiam formæ.

XIII. *Dicunt alii qui S. Thomam hac in parte explicari non posse.*

Pater Coninck itaque in commentario articuli tertii, Suarez disp. sexagesimâ, sect. primâ, fine, & alii communiter asserunt Sanctum Thomam explicari omnino non posse: addit verò Suarez, nullam hac in parte irrogari Sancto Thomæ injuriam, si propter multarum Ecclesiarum & liturgiarum auctoritatem, ab illius quis opinione discedat, quam, inquit ille, fine dubio mutasset Sanctus Doctor, si vel liturgias illas, vel aliarum Ecclesiarum consuetudinem cognovisset, quod autem non cognoverit, exinde inquit suadetur, quòd nullam illarum faciat mentionem.

XIV. *Quomodo non improbabiliter explicari posse videatur Sanctus Thomas.*

Dicere tamen fortè quis posset, solùm velle Sanctum Thomam, verba illa hoc sensu esse de substantiâ formæ, quòd scilicet constituant propositionem unam cum verbis prioribus, quæ sunt substantia formæ, & sic ratione hujus propositionis fieri consecrationem, licèt non per omnia verba, quæ in eâ continentur, omnia tamen juvant, imo necessaria sunt, ut factum Christi integrè narretur. Quam expositionem licèt Suarez duram vocet, & præter mentem S. Thomæ, præsertim cùm nullus Thomistarum hoc eum modo intellexerit, videtur tamen aliquod in Sancto Thoma habere fundamentum, tum articulo tertio, quæstionis septuagesimæ octavæ corpore, ubi dicit per illa verba præcisè, *Hic est calix sanguinis mei*, significari conversionem vini in sanguinem eo modo, quo hæc verba, *Hoc est corpus meum*, significant conversionem panis in corpus: deinde articulo primo ejusdem quæstionis ponit hæc tantùm verba, *Hic est calix sanguinis mei*, pro formâ consecrationis calicis.

SECTIO TERTIA.

Pro quo instanti verba consecrationis sint vera.

I. *Quæstio hic procedit de propositione vocali.*

UT res hæc clariùs intelligatur, quæremus universim quo instanti propositio omnis vocalis secundùm communem acceptionem hominum sit vera, de mentali enim, prò illo instanti est vera, pro quo ab eliciente intenditur: unde qui mente diceret, Sol lucet, vel lucebit, designat mente instans aliquod determinatum, vel non, sed solùm loquitur de aliquo instanti vagè sumpto; si hoc secundum, sufficit quod pro aliquo instanti luceat, si primum, pro eo instanti lucere debet; quod mente designat is, qui propositionem elicit.

II. *Prima sententia est, propositionem vocalem de præsenti, solùm requirere ut res dicta existat pro aliquo instanti propositionis.*

Hæc igitur in re Suarez hîc, disp. quinquagesimâ octavâ, sect. quintâ ait, nisi aliquid peculiare in quibusdam propositionibus, de quibus postea, interveniat, propositionem vocalem per verbum *est* de præsenti efformatam, ut sit vera, solùm requirere ut objectum pro aliquo instanti, quo propositio profertur, ita se habeat, sicut propositio enunciat. Unde ut hæc propositio, *aër est lucidus*, sit vera, sufficit, inquit, quòd aër vel in primo instanti, vel ultimo, vel etiam quovis intermedio illius propositionis habeat in se lucem.

III. *Hanc opinionem ex*

Aliqui hanc sententiam exinde improbant, quòd si illa sit vera, sequatur si eodem tempore, quo Petrus dicit, *Sol lucet*, Paulus dicat, *Sol non lucet*,

illo capite impugnant aliqui, quòd ex illâ sequatur duo cõtradictoria esse simul vera.

lucet, ita ut simul incipiat, & desinat utraque propositio, ambas verum dicere, si Sol post propositiones inchoatas vel lucere incipiat, vel desinat, & sic duo contradictoria essent simul vera. At sanè non video vim hujus impugnationis; ut enim propositiones sint contradictoriæ, debet una negare quicquid alia affirmabat, alioqui non sunt ejusdem de eodem. Unde si propositio prima affirmabat *Solem lucere pro aliquo instanti durationis illius propositionis*, secunda ut sit contradictoria negare debet Solem pro ullo ex illis instantibus lucere; nec enim sunt contradictoria, *aliquis, & aliquis non*, ut constat in mille exemplis, sic *aliquis homo est albus, dormit, currit*, &c. *aliquis homo non est albus, dormit, currit*, utraque propositio hic est simul vera.

IV. *Ostenditur, ad veritatem non sufficere ut objectum pro aliquo instanti illius propositionis ita se habeat.*

Impugnatur ergo aliunde illa sententia: si quis namque proferens hanc propositionem, *paries est albus*, postquam protulit duo prima verba advertat eum esse subitò denigratum, tenetur ne falsum dicat, desistere, & si propositionem absolvat, censebitur ab omnibus falsum dicere, imo & perjurus si aliquid hoc modo jurasset, ergo non sufficit ad veritatem propositionis objectum aliquo illius instanti ita se habere, sicut propositio enunciat; quod in propositione scriptâ clariùs cernitur, in quâ major intercedit mora inter positionem verborum.

V. *Idem hic universim statui nequit pro omnibus propositionibus.*

Existimo igitur, licèt peculiares quædam propositiones diversa denotent instantia, pro quibus verificentur, ut hæc propositio, *ego loquor*, verificari debet pro instanti vel tempore, quo profertur, hæc verò, *nunc taceo*, ut notat Sanctus Thomas hic, quæst. 78. art. 5. corpore, significat instans immediatè sequens propositionem penitùs absolutam, cùm quamdiu aliquid illius propositionis durat, tacere non possit, unde hæc propositio in re est de futuro, non de præsenti, & sic de aliis hujusmodi: existimo inquam (licèt hæc ita se habeant) ut plurimum tamen propositionem vocalem de præsenti significare pro ultimo instanti quo profertur, sicque veritatem ipsius vel falsitatem, ex coëxistentiâ vel non coëxistentiâ objecti pro illo instanti desumendam esse.

VI. *Ratio est, quia propositio non potest dici simpliciter esse, nisi in ultimo sui instanti.*

Ratio præter dicta in impugnatione prioris sententiæ est, ut namque propositio vocalis de præsenti sit vera, debet objectum ita se habere sicut dicit propositio quando propositio est, seu debet coëxistere propositioni, propositio autem simpliciter non potest dici esse, nisi in ultimo instanti, quando jam tota est prolata, quod plerumque in successivis quæ certos habent limites, ut hora, dies, &c. verum habet; licèt enim possimus dicere existere partem horæ, diei, aut propositionis, quando prior pars existit, non tamen horam, diem, aut propositionem, has namque existere, seu esse, perinde est atque completas esse, sicut & vox *homo* significat hominem, non quando prior ejus pars profertur, sed secunda; tunc enim solùm apta est objecti illius conceptum in audientium animos inducere.

SECTIO QUARTA.

Quo sensu in formâ Consecrationis sumi debeant particulæ Hic *&* Hoc.

I. *Virùm hæ particulæ in consecratione sumantur substantivè, an adjectivè.*

SUPRA, sectione secundâ declaravimus, utrùm verba consecrationis sumantur recitativè, an significativè, nunc ergo ulteriùs de his specialiter particulis inquirimus, Utrùm substantivè sumi debeant, an adjectivè, qua in re magna est inter Auctores contentio, aliis contendentibus ita substantivè sumi, ut sumi nequeant adjectivè, aliis econtra ita adjectivè, ut nequeant sumi substantivè.

II. *Particula hic & hoc in consecratione sumitur de facto adjectivè.*

Ego certè quicquid sit de possibili, existimo cum Vasquez disp. ducentesimâ primâ, cap. 4. Præposito art. quinto, dub. primo, Maldonato in caput vigesimum sextum Matthæi, & plurimis ex recentioribus, *hoc & hic*, in formis consecrationis de facto sumi adjectivè, ita scilicet ut sint termini adjectivi. Oppositum tamen censent Soto in quarto, dist. undecimâ, quæst. 1. art. quinto, Bellarminus libro primo de Eucharistiâ, cap. undecimo, Suarez disp. 58. sect. 7. Valentia disp. sextâ, quæst. sextâ, puncto tertio, Coninck in explicatione articuli quinti quæstionis septuagesimæ octavæ, & alii.

III. *Ostenditur particulam hic sumi adjectivè.*

Ratio est, quia particula *hic* in formâ consecrationis sanguinis sumitur adjectivè, quod signum est esse adjectivum, & ideo poni in masculino genere ut conveniat cum sanguine, seu calice in genere, alioqui dici deberet, *Hoc est sanguis meus*, seu *calix sanguinis mei*, cùm tamen ab omnibus Evangelistis, qui hoc Christi factum referunt, pronomen ponatur convenire cum substantivo, Matthæi enim vigesimo sexto, versu vigesimo octavo dicitur: *Hic est enim sanguis meus*, item Marci decimo quarto, versu vigesimo 4. *Hic est sanguis meus*, Lucæ 22. vers. 20. *Hic est calix*, &c.

IV. *Dices: Particulam Hic in consecratione calicis idem esse atque hic potus.*

Respondet Bellarminus, Suarez, & alii, pronomen *hic*, etiam in formâ consecrationis calicis sumi substantivè, & idem, inquiunt, est *hic* atque *hic potus*, ergo etiam sumi poterit *hoc* in formâ consecrationis panis substantivè. Sed contra primò, ergo & in consecratione panis dixisset, hic est corpus meum, nempe *hic cibus*; sic enim conformiùs processisset in utrâque formâ, vel si *hoc* sumatur substantivè, posuisset etiam eandem particulam *hoc* substantivè in consecratione calicis. Contra secundò, nam juxta communem usum hæc pronomina sumuntur adjectivè; incongruè enim loqueretur, ut ait Maldonatus, qui ostenso fratre diceret, *hoc est frater meus*, sed dicere deberet *hic est frater meus*. Hoc tamen mihi non videtur semper verum: unde si quis negare illud vellet, non facilè convinceretur; & certè tandem puto totum penè hoc negotium de substantivâ & adjectivâ acceptione magna ex parte recidere in quæstionem de nomine.

V. *Declaratur in particulari quid denotent hæ particulæ, & sensus utriusque formæ explicatur.*

Dices primò: Ergo forma consecrationis facit hunc sensum, *Corpus meum est corpus meum*. Contra, in omni sententiâ hoc plus minùs dici debet. Respondetur itaque, in re simile quiddam semper in omni propositione importari; quando enim quis dicit: *Homo est animal rationale*, dicit secundùm rem, *homo est homo*, sed sicut in hoc exemplo explicatiùs, & diverso modo importatur homo per animal rationale, ita & in nostro casu diverso modo importantur corpus & sanguis per particulas *hoc & hic*, nempe secundùm aliquid accidentaliter diversum, quàm cùm importantur per voces corpus & sanguis; idem enim in præsenti importat, *hic est sanguis meus*, atque sanguis meus est contentus sub his speciebus: unde licèt voce præcedat particula *hic*, quod commune est in his pronominibus, re tamen sequitur, & tenet se ex parte prædicati.

Et per

VI. *Dices: Si hæ particulæ sumantur adjectivè, non possunt esse subjectis in propositione.*

Et per hoc cessat objectio illa, quæ à nonnullis hîc proponi solet, nempe particulas *hoc* vel *hic*, si adjectivè sumantur, non posse esse subiecta, cùm subjecta in propositione esse debeant quid per se stans, cui adveniat quasi, & accidat prædicatum, unde substantivum non potest accidere adjectivo, sed econtra. Respondetur enim has particulas esse prædicata in his propositionibus, & consequenter non esse majorem difficultatem in his propositionibus quoad proprietates logicas, quàm in hac, *paries est albus*, aut alia quævis, ubi prædicatur terminus adjectivus.

VII. *Objic. Ergo non est necessarium ut materia consecrationis ibi sit ab initio.*

Dices secundò: si sufficiat, ut id quod importatur per has particulas, sit in fine propositionis, non erit necessarium materiam consecrationis esse ibi ab initio, sed satis erit si apponatur postquam aliqua verba formæ jam fuerint prolata; verba enim juxta dicta erunt vera, modò in fine propositionis sit corpus & sanguis Christi sub illis accidentibus. Respondetur, veritatem verborum non aliud requirere, unde multi recentiores cum Vasquez concedunt consequentiam.

VIII. *Dices: Ergo non rectè colligitur fieri transsubstantiationem ex vi verborum.*

Urgebis: Quo ergo modo Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 4. ex veritate verborum colligit transsubstantiationem, seu conversionem, substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi; si enim in ultimo prolationis verborum instanti crearet Deus species illas, & sub iis collocaret corpus Christi, verba essent vera, & tamen nulla intercederet conversio. Respondetur, Concilium loqui de facto, non de possibili; cùm ergo de facto non fuerint creatæ novæ species sine substantiâ, sed collocetur ex vi verborum Christus sub accidentibus, sub quibus antea fuerat alia substantia, benè colligit Concilium substantiam illam desinere in hanc, quæ illius loco succedit sub his accidentibus; si enim adhuc sub iis maneret, verba non essent vera. Quòd verò apponi debeat materia ante initium prolationis verborum, est quia ex institutione Dei forma est sacrificalis, & immutativa substantiæ præcedentis, quæ proinde forma requirere videtur, ut tota supra materiam mutandam proferatur, de quo postea redibit sermo.

IX. *Quæres: Vtrùm verba consecrationis sint vera priùs naturâ quàm operentur.*

Ad rei hujus conclusionem, formæ scilicet consecrationis quærendum, utrùm verba, per quæ fit consecratio, sint vera priùs naturâ, quàm operentur, seu utrum conversionem hanc efficiant ut vera. Hâc in re dicendum contra Patrem Coninck quæst. septuagesimâ octavâ, art. quinto, num. quadragesimo quarto, licèt hæ propositiones priùs naturâ sint significativæ, quàm fiat conversio, non tamen priùs naturâ esse veras, sed è contra priùs aliquo modo naturâ fieri conversionem, quàm formæ sacramentales sint veræ.

X. *Ostenditur verba consecrationis priùs esse significativa, quàm operentur.*

Prima conclusionis pars probatur primò ex Sancto Thoma quæst. 78. art. quinto, ad tertium, ubi solùm prærequirit harum propositionum significationem ut operentur effectum. Secundò, significatio est propositioni mentali intrinseca, vocali verò licèt sit extrinseca, non tamen denominatione sumptâ ab existentiâ objecti, sed ab impositione hominum, veritas autem provenit ab objecto; ex eo enim quòd res sit vel non sit, propositio est vera vel falsa, ut ait Aristoteles primò Perihermenias, capite nono: unde cùm objectum sit pars veritatis, & omnis pars præcedat totum, priùs debet esse sub illis accidentibus Christus, quàm verba sint vera: per quod etiam patet secundâ pars conclusionis.

Dices primò: Si verba pro illo priori non sint vera, ergo sunt falsa. Nego consequentiam, sed pro illo priori præscindunt. Dices secundò: Hæ propositiones sunt pro illo priori practicæ, ergo veræ. Distinguo consequens: Ergo veræ formaliter nego, radicaliter, seu habent vim ad ponendum id quod significant, & efficiendi se veras concedo: & eodem modo respondetur ad id, quod objici solet, hæc verba pro illo priori esse verba Christi, & consequenter necessariò vera. XI. *Neque hinc sequitur verba hæc, si pro illo priori non sint vera, esse pro illo priori falsa.*

Urgebis: Concilium Tridentinum capite 4. citato colligit fieri conversionem ex eo, quòd verba Christi essent vera, ergo veritas verborum illorum erat causa conversionis. Respondetur, veritatem verborum fuisse causam quare, vel unde Ecclesia hoc colligeret, non tamen fuisse verba Christi ut vera causam conversionis; facta est ergo conversio, quia Christus dixit hoc esse corpus suum, unde debebant verba illa necessariò esse vera, sed solùm in actu primo pro illo priori, inferebant autem veritatem formalem consequentem, quia ponebant objectum eo modo, quo illud significabant: videatur Vasquez hîc, disp. ducentesimâ secundâ, & Suarez disp. quinquagesimâ octavâ, ubi rem hanc multò fusiùs pertractant. XII. *Dices: Concilium Trid. ex veritate verborum colligit fieri conversionem.*

SECTIO QUINTA.

Vtrum plures Sacerdotes possint simul unam & eandem Hostiam consecrare.

DE hac difficultate agit Sanctus Thomas quæstione octogesimâ secundâ, cùm de ministro hujus Sacramenti, sed quia spectat ad formam consecrationis, hîc eam examinabimus: & videtur etiam hoc commune cum aliis Sacramentis, Utrùm scilicet possint plures eundem hominem baptizare, confirmare, &c. quâ de re ex parte dictum est superiùs. I. *Hæc difficultas, non Eucharistiæ tantùm, sed aliis etiam Sacramentis est communis.*

In primis, si ita plures intentione inter se eandem hostiam continuam dividant, ut unus hanc alius aliam hostiæ partem consecrare intendat, non est dubium, quin plures eandem hostiam consecrare possint, ita ut unusquisque sit causa totalis suæ partis. Siverò, sicut materiam inter se dividerent isti, alii dividerent formam, ita scilicet ut unus hanc illius partem proferret, alius aliam, esto eandem signent materiæ partem, nihil facerent. II. *Si singuli mente inter se dividant eandem hostiam, omnes validè eam consecrant.*

Deinde certum omnino videtur, si successivè more consueto plures proferant verba consecrationis, ita ut simul formam non absolvant, non posse consecrare eandem hostiam, sed is qui alium prævenit, si habeat debitam intentionem, Sacramentum pro illo priori conficit, si non habeat, non conficit omnino. Ut ergo in hoc casu sciatur quisnam ex plurimis successivè formam absolventibus, consecret, videndum quam unusquisque consecrandi intentionem habuerit, absolutam, conditionatam, &c. nullus verò positâ debitâ formâ supra materiam aptam cum intentione etiam requisitâ, impedire potest quo minùs habeat effectum, nec illum potest suspendere aliquo tempore post verborum prolationem, vel si hoc intendat, reddit formam irritam, defectu intentionis, sicut nec idem Sacerdos potest III. *Qui primus formam cum debitâ intentione absolvit, solus consecrat.*

duabus

duabus formis repetitis eandem materiam consecrare, suspendendo scilicet efficaciam prioris usquedum posterior absolvatur.

IV. *Si plures Sacerdotes formam super eandem materiam simul absolvant, possunt eandem hostiam consecrare.*

Dicendum itaque cum Sancto Thoma quæstione octogesimâ secundâ, articulo secundo, & communi Theologorum sententiâ, posse plures simul Sacerdotes eandem hostiam consecrare, si simul formam super eandem materiam absolvant. Probatur ex praxi multarum Ecclesiarum: primò enim in Ecclesiâ Romanâ olim Cardinales unà cum Pontifice solemniter celebrante, eandem hostiam consecrare solebant, quod etiamnum juxta rubricas faciunt novi Sacerdotes in suâ ordinatione simul cum Episcopo, Episcopus item in suâ consecratione celebrat simul cum Episcopo à quo consecratur: & in Ecclesiâ Græcâ mos ante multos annos fuit, ut Episcopus celebrans, semper haberet secum Sacerdotem concelebrantem, quæ omnia indicio sunt utrumque, si simul absolvant, consecrare.

V. *Ratio est, si namque duo formam super eâdem materiam simul absolvant, non est cur non aquè unus consecret ac alius.*

Ratione etiam probatur; si enim uterque simul formam absolvat, non est major ratio, cur unus hostiam illam consecret quàm alius, præsertim si ponamus utrumque inscium de facto alterius, formam proferre, & intentione, ut ita dicam, disparatâ. Dicere autem in hoc casu neutrum consecrare, parum habere videtur probabilitatis, cùm ponatur forma debita & intentio supra materiam aptam.

VI. *Malè negat Durandus licitam esse consuetudinem, qua novi Sacerdotes simul cum Episcopo celebrant*

Ex quibus ulteriùs infertur contra Durandum in quarto, dist. 13. quæst. 3. licitam esse illam consuetudinem, qua Sacerdotes recenter ordinati, simul cum Episcopo eos ordinante celebrant. Ut verò incommoda quæ inde provenire videntur, vitari possint, nempe quòd multi frustra proferant verba, nihil efficiendo, cùm omnes simul absolvere moraliter & humano modo nequeant, quòd aliqui verba proferant suprà materiam jam ab alio consecratam: quòd unus corpus, alius sanguinem consecret: quòd Episcopus, qui est principalis sacrificans, nihil sæpè efficiat, & alia hujusmodi; ut, inquam, his difficultatibus satisfiat, videndum quam intentionem habere debeant in hoc munere Sacerdotes Episcopo concelebrantes.

VII. *Prima intentio ad hæc incommoda vitanda est, ut eam referant ad illud instans in quo Episcopus consecrationis verba absolvit.*

Aliquorum opinio est, debere illos omnes habere intentionem consecrandi, ita tamen, ut illam referant ad instans illud quo Episcopus, qui est principaliter celebrans, verba consecrationis absolvit, quod, inquiunt, si præsent, consecrant illo instanti sive priùs Episcopo, sive posteriùs formam absolvant: ita Innocentius tertius libro quarto de hoc mysterio, capite vigesimo quinto, quem citat & sequi videtur Sanctus Thomas quæstione 82. art. secundo, corpore, licèt non adeo expresè sententiam suam declaret: Halensis, Paludanus, Soto, Ledesma, & Thomistæ communiter.

VIII. *Sed contra: positâ enim debitè formâ supra materiam aptam, non potest suspendi consecratio.*

Sed hoc non videtur dici posse, nam ut jam ostendimus, positâ verâ formâ cum intentione debitâ supra materiam aptam, non potest ne tota quidem Ecclesia impedire quo minùs fiat consecratio, & effectus cujusvis Sacramenti tribuatur. Dicere autem quòd affirmat Paludanus, ex peculiari Dei dispensatione in hoc casu contingere, ut virtus verborum, quæ jam prolata sunt ab aliquibus, maneat in aëre, donec reliqui absolverint, somniare est, ut cum Durando affirmat Suarez disp. 61. sect. 4. Deinde non esset opus ut moneantur hi Sacerdotes, ut omni diligentiâ curent verba simul cum Episcopo absolvere. Præterea, verba consecrationis, sicut & aliorum Sacramentorum instituta à Christo sunt de præsenti, non de præterito, aut futuro, ac proinde vel effectum suum conferunt quando proferuntur, vel non omnino, alioqui efficere quis posset ut forma Baptismi, vel alterius Sacramenti hodie prolata, cras aut post mensem habeat effectum; perinde enim quoad hoc est plus vel minùs temporis.

IX. *Quid si intendant facere unum ministrum cum Episcopo.*

Et quoad hoc eodem modo impugnatur eorum sententia, qui dicunt illos omnes facere unum quasi integrum ministrum cum Episcopo; hoc enim nihil facit, quo minùs vel totum vel nihil faciat is, qui priùs verba absolvit, ut ostensum est.

X. *Dici etiam nequit, solum Episcopum verba consecrationis proferre assertivè, alios tantùm recitativè.*

Tertiò itaque affirmant alii, solum Episcopum assertivè & formaliter verba proferre, alios autem tantùm recitativè, & materialiter. Sed contra; in rubricis enim dicuntur simul cum Episcopo celebrare. Deinde, non esset opus ut tanta cautio haberetur ne Episcopum præveniant, sed simul cum eo quantum fieri possit absolvant. Tandem Episcopus consecratus debet secundùm omnes celebrare simul cum Episcopo eum consecrante, & tamen hic penè est eadem difficultas, præsertim si plures sint Episcopi tunc simul consecrati, & consequenter celebrantes.

XI. *Dico itaque, intendere unumquemque debere consecrare, & verba proferre meliori modo quo potest.*

Existimo ergo debere omnes illos Sacerdotes intendere consecrare, & verba proferre meliore modo quo possunt, ut affirmat Vasquez disp. 218. cap. secundo, & alii, quod verò hinc sequatur aliquos proferre formam super materiam consecratam, nil refert; hoc enim per accidens unicuique, & inscio contingit, cùm omnes conentur simul formam absolvere: si enim alicui certò constaret alium formam jam absolvisse, quando adhuc ipsi restat verbum aut syllaba proferenda, existimo debere ipsum jam mutare intentionem, & non ultimum illud verbum aut syllabam proferre, cum intentione consecrandi; tunc enim sciens & prudens pronunciaret formam super materiam consecratam.

XII. *Quid si quis materialiter verba proferat supra materiam cõsecratam.*

Quòd verò materialiter quis consecrationis verba proferat super materiam consecratam, non est tantum inconveniens, ut justâ de causâ permitti non possit, justa autem hic intercedit causa cur velit Ecclesia novos Sacerdotes cum Episcopo consecrare, nempe tum ob solemnitatem illius cerimoniæ, tum ut ostendat novis Sacerdotibus per ordinationem parem ipsos potestatem consecrandi potestati Episcopi accepisse. Quòd autem hinc sequatur aliquos verba proferre super materiam consecratam, & alia supra posita, nil refert, cùm Ecclesia hæc non intendat, sicut nec intendit sacrilegia quæ contingunt in confessionibus multorum & communionibus semel in anno ex præscripto Ecclesiæ peragendis, licèt moraliter certum sit, & hîc & in aliorum Sacramentorum usu sacrilegia subinde eventura.

XIII. *Debeátne Sacerdos participare de suo sacrificio.*

Quod verò aliqui dicunt debere Sacerdotem consecrantem participare de suo sacrificio, quod tamen hîc non contingit cùm tota fortè consecratio sit perfecta ab uno, multi dicunt hoc non esse juris divini: de quo postea.

DISPU-

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA NONA.

De sumentibus Sacramentum Eucharistiæ.

IN hoc Eucharistiæ Sacramentum ab aliis differt, quòd cætera ab usu non distinguantur, sed in ipsâ eorum administratione consistunt. Hujus verò Sacramenti substantia ab illius usu est diversa, quàm primum namque verba consecrationis à Sacerdote super materiam aptam cum debitâ intentione proferuntur, Christus sub speciebus illis constituitur, & verum conficitur Sacramentum, atque ita donec species corrumpantur, permanet, sive quis Sacramentum sumat, eoq; utatur, sive non, ut apud omnes est in confesso.

SECTIO PRIMA.

Quinam sumere possint hoc Sacramentum.

I. *Duplex est Sacramenti Eucharistiæ usus, Sacramentalis, & Spiritualis.*

SAnctus Augustinus, Sanctus Hilarius, & alii Patres usum hujus Sacramenti aiunt esse duplicem: *Sacramentalem*, & *Spiritualem*; Sacramentalis usus est, quando ipsum Sacramentum, Christus scilicet sub speciebus verè & realiter præsens sumitur: spiritualis verò usus ille dicitur, dum quis habet votum, seu desiderium ac propositum suscipiendi hoc Sacramentum, quod tamen, ut sit sumptio, seu usus spiritualis, procedere debet ex fide vivâ, quæ scilicet est informata Charitate, seu in animâ gratiam habitualem habente.

II. *Eadem sumptio Eucharistiæ potest esse & Sacramentalis, & Spiritualis.*

Eadem verò sumptio seu usus, & sacramentalis esse potest & spiritualis, quando nimirum quis in gratiâ existens hoc Sacramentum cum intentione & cognitione manducat; si enim manducetur, vel sine cognitione, ut à bruto, vel homine existimante hostiam non esse consecratam, non potest propriè dici sumptio sacramentalis, sed materialiter tantùm, cùm non sit usus Sacramenti ut Sacramentum est. Imo licèt quis cum intentione & cognitione Eucharistiam sumat, si tamen effectus hujus Sacramenti sit incapax, non potest etiam dici propriè usus sacramentalis, cùm Sacramentum applicaretur subjecto sibi improportionato.

III. *Ad sumptionem Sacramentalem tria requiruntur, cognitio, intentio, & subjectum aptum.*

Ad sumptionem ergo, seu usum sacramentalem tria illa jam posita requiruntur, cognitio, intentio, & subjectum aptum, seu capax fructus Sacramenti, augmenti scilicet gratiæ. Quamvis autem spiritualis usus, seu sumptio in subjecto effectus illius seu fructus capace conferat gratiam, plus tamen confert sumptio realis, seu sacramentalis; aliquid enim gratiæ addit supra meritum operantis.

Circa illos ergo, qui hoc Sacramentum suscipere possunt, hominibus inprimis Sacramenti hujus sumptionem competere certum est, cùm & ipsorum gratiâ institutum primò fuerit, iisque impositum sit illius sumendi præceptum. Animalia rationis expertia, ut proximè dixi, esto materialiter corpus Christi manducare possint, cum non minùs species sacramentales sumere, & in stomachum trajicere possint, quàm homines, non tamen possunt formaliter seu sacramentaliter comedere corpus Christi, nempe cum verâ intentione sumendi illud: quo tantùm sensu negavit Waldensis & alii nonnulli bruta posse manducare corpus Christi.

IV. *Hominibus institutum est hoc Sacramentum.*

Quoad Angelos etiam dicendum, non posse eos vel corporaliter hoc Sacramentum manducare, cùm corpora non habeant, & si assumant, adhuc actio illa ore sumendi & comedendi non esset propriè manducatio & motus vitalis, sed nec etiam propriè possunt hoc Sacramentum manducare spiritualiter; spiritualis enim manducatio, non est nisi in ordine ad corporalem; nec enim proprium habere potest desiderium hujus Sacramenti is, qui illud reipsâ sumere non potest. Lato tamen modo subinde dicuntur spiritualiter Christum manducare, quia ei per charitatis vinculum uniuntur: sicut etiam à Patribus non semel dicuntur aliqui Christum spiritualiter manducare, quia illius adventum & mysteria credunt.

V. *Angeli etiam corporaliter non possunt hoc Sacramentum manducare, idq; licèt assumant corpora.*

Manducatio itaque hujus Sacramenti, ut numero primo declaravi, triplex est, Spiritualis tantùm, quando quis Fide vivâ, seu Charitate informatâ illud sumere desiderat; Sacramentalis tantùm, quando realiter quis cum verâ intentione illud sumit; Spiritualis simul & Sacramentalis, quando quis in gratiâ ad illud accedens, fructum ejus reipsa percipit.

VI. *Triplex est hujus Sacramenti manducatio.*

Quoad parvulos dicendum eos, si baptizati sint, esse capaces fructus hujus Sacramenti: unde olim in variis Ecclesiis, tum græcis tum latinis consuetudo fuit, ut parvulis Eucharistia ministraretur; Sanctus enim Dionysius capite secundo de Ecclesiasticâ hierarchiâ, parte secundâ & tertiâ id affirmat, quem licèt Sanctus Thomas quæst. 60. articulo nono, ad tertium exponat, quod solùm loquatur de adultis, verba tamen ejus videntur esse de omnibus baptizatis, quibus statim post baptismum Eucharistiam dari solitam esse affirmat. Clariùs verò idem Sanctus Dionysius capite septimo, parte tertiâ, sub finem idipsum tradit his verbis: *Illud verò quod pueri quoque qui nondum possunt intelligere divina, sacri Baptismatis altissimorumq; communionis sacro-sanctæ signorum participes fiant, profanis (hoc est gentilibus) irridendum videtur*; & infra: *Tradit autem puero sancta mysteria Pontifex, ut nutriatur in ipsis, neque vitam aliam habeat nisi hanc, quæ divina inspiciat semper, & quæ hujusmodi sanctâ communione proficiat.* quæ verba, inquit, Suarez, tam aperta sunt, ut nullam admittant expositionem.

VII. *Parvuli baptizati fructus hujus Sacramenti sunt capaces.*

Idem testatur S. Cyprianus in libro de lapsis, & miraculo confirmat: Sanctus etiam Augustinus epist. 23. ad Bonifacium lib. quarto de Trinitate, capite decimo, & alibi sæpè: Sanctus quoque Clemens, & alii Patres, insinuaturque hæc consuetudo in Concilio Toletano undecimo, capite primo, ubi dicitur, eum qui ob infirmitatem, necessitatem, mentis incapacitatem, vel infantiam, susceptam Eucharistiam evomuerit, puniendum non esse. Tandem Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4. idipsum agnoscit, dum ait sanctissimos illos Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuisse.

VIII. *Alii etiam Patres docent parvulos esse hujus Sacramenti capaces.*

Quæres: Cur ergo in præsenti Eucharistiam Ecclesia parvulis non ministrat: si enim effectus illius capaces sint, non videntur jure posse illius usu privari. Respondetur: quod capaces sint non videtur dubitari posse; nec enim tot viri doctissimi & sanctissimi consuetudinem illam admisissent, si nullum inde fructum parvulis proveniisse existimassent: nunc verò crescente fidelium numero, sine magno irreverentiæ periculo fieri non potest, quod aliquali parvulorum utilitati, præferri debuit. Sicut non nisi postquam ad usum rationis venerint pueri, confirmationis Sacramentum suscipiunt, quæ tamen si ipsis in infantiâ statim post Baptismum, ut antiquitus fiebat, conferretur, gratiam in iis augeret, quo plurimi augmento jam privantur, qui priusquam ad rationis usum perveniant, è vitâ decedunt: & licèt per duas communiones moraliter diversas plus gratiæ conferatur quàm per unam, meritò tamen ob reverentiam erga hoc Sacramentum prohibuit Ecclesia ne quis bis eodem die communicet.

IX. *Quæres, quâ de causâ modò parvulis non detur Eucharistia.*

Quoad amentes, vel sunt perpetuò amentes, tunc autem eadem est ratio de illis ac de parvulis: vel aliquando ratione usi sunt, tunc vero si antequam in amentiam inciderent devotionem aliquam ostendebant, sacro hoc pane orbandi omnino non sunt, saltem in articulo mortis. Unde in Concilio Arausicano dicitur amentibus quæcumque pietatis sunt, esse conferenda, & clariùs in Concilio quarto Carthaginensi, canone 76, ubi sic habetur: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Imò ait Suarez disp. 69. sect. 2. & alii, debere iis in articulo mortis Eucharistiam dari, quòd desumi videtur ex Sancto Thoma & Conciliis citatis, & praxi Ecclesiæ. Si tamen amentia non putetur fore perpetua, nec, dum ea durat occurrat necessitas, expectandum donec ad se redeant.

X. *De perpetuò amentibus idem dicendum quod diximus de parvulis.*

Cavenda tamen semper irreverentia, ut si esset periculum expuitionis aut vomitûs; tunc enim non esset danda iis Eucharistia, sed consulendum hac in parte est majestati hujus Sacramenti. Quando autem jubet Apostolus, ut homo probet se, qui accedit ad hoc Sacramentum, alloquitur eos qui ultro & scientes accedunt; alios enim ab Ecclesia vel à suo quemque Pastore probari sufficit. Si verò qui semisatui sunt, & rationis usum imperfectum retinent, ad hanc mensam saltem in Paschate admittendi sunt, imo sæpiùs, si devotionem præ se ferant.

XI. *Cavenda tamen semper in his omnibus est irreverentia.*

Energumeni statis temporibus ad Eucharistiam admittendi sunt, ut docet sanctus Thomas quæstione octogesimâ, articulo nono ad secundum. Quando ergo S. Dionysius in libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ, capite tertio, parte secundâ dicit eos etiam aspectu hujus Sacramenti arcendos esse; loquitur, inquit sanctus Thomas, de energumenis nondum baptizatis. Dum etiam Concilium Elibertinum ait energumenum ad altare non admittendum, loquitur de excommunicato, qui traditus Satanæ in interitum carnis ob publica scelera à dæmonibus vexatur.

XII. *Danda Energumenis interdum Eucharistia.*

SECTIO SECUNDA.

Quæ dispositio animæ & corporis ad Eucharistiam requiratur.

Sermo est de homine baptizato, qui enim Baptismum necdum susscepit, indispositus planè est ad Sacramenti hujus susceptionem, cùm fructus illius percipiendi sit incapax. Quare, quantumvis quis sit justus, si tamen non sit Baptizatus, indignè ad hoc Sacramentum accedit, & peccat accedendo; Baptismus quippe est janua aliorum Sacramentorum: unde non baptizatus incapax dici potest suscipiēdi Eucharistiam quoad effectum ejus & significationem: sicut enim, ut rectè Suarez, nutritio in cibo corporali supponit generationem, ita ut quis per Sacro-sanctam Eucharistiam, quæ est cibus & alimentum animæ, nutriatur spiritualiter, supponi debet generatus seu regeneratus per Baptismum, & vitam spiritualem adeptus.

I. *Sermo tantùm est de baptizatis.*

Circa alias verò dispositiones, supra, cùm de Sacramentis in genere diximus, ut quis accedat ad Sacramenta vivorum requiri per se loquendo, ut sit in gratiâ, cùm Sacramenta illa non ordinentur per se & directè ad primam gratiam conferendam, sed solùm ad illius augmentum: unde quisquis peccati mortalis conscius ad aliquod ex his Sacramentis accedit, actum contritionis elicere tenetur, si verò Eucharistiam sumere velit, ultra hoc

II. *Peccat per se loquēdo qui ad Sacramenta vivorum accedit sine gratiâ.*

hoc confiteri debet, ut declarat Concilium Tridentinum sessione decima-tertiâ, capite septimo, si detur copia Confessarii, si vero urgeret necessitas, & Confessarius haberi non possit, accedere potest contritus ad hoc Sacramentum, non tamen ubi necessitas non urget, quamtumvis sibi videatur contritus.

III. *Quando ratione necessitatis possit quis communicare cum solo actu contritionis.*

Tum verò censetur urgere necessitas, quando quis sine infamiâ omittere communionem non potest, ut si Sacerdoti post Sacrum jam inchoatum, vel laico qui ad scamnum communicantium communicaturus accessit, peccatum aliquando grave menti occurreret, nec ille ab altari, neque hic à scamno recedere teneretur, nec Sacerdotem eò vocare, ut peccata confiteatur. Quod etiam intelligitur de Sacerdote, qui vel ex officio, vel ex consuetudine quotidie celebrare solet.

IV. *Quando censetur deesse confessarius,*

Tunc etiam non solùm censetur deesse Confessarius, quando verè abest, aut non est prope, quod prudentis judicio relinquendum est, sed quando adest talis cui sine gravissimo incommodo confiteri non potest, vel cùm non est approbatus, aut habet jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis alterius. Casu autem quo quis peccata omnia mortalia sine gravi incommodo confiteri non posset, ea saltem confiteri juxta communem sententiam tenetur, quæ sine ejusmodi incommodo potest. Videatur Suarez disput. sexagesima-sextâ, sect. quartâ, Vasquez disp. ducentesima octavâ, Tannerus, Coninck, & alii.

V. *Quale sit præceptum confitendi ante communionem.*

Sola hic restat difficultas circa præceptum hoc confitendi cum accedere quis vult ad Eucharistiam, utrum scilicet sit juris positivi divini, aut humani, an etiam naturalis.

VI. *Hoc præceptum confitendi non est juris naturalis.*

Dico primò: Hoc præceptum non est juris naturalis, etiam suppositâ institutione Sacramentorum Eucharistiæ & Pœnitentiæ: ita Suarez disputatione sexagesima-sextâ, sect. tertiâ, & communis sententia contra Sylvestrum, & Petrum Soto, qui dicunt esse juris divini naturalis. Probatur conclusio, nam ex vi juris naturalis non plus exigitur quàm ut sancta sanctè tractentur, unde licèt Eucharistia sit inter Sacramenta summæ dignitatis, hæc tamen dignitas non plus requirit, quàm ut quis in gratiâ accedat, quod præstat is qui actum contritionis præmittit.

VII. *Stando tamen in naturâ utriusque Sacramenti, congruum est, ut confessio præmittatur communioni.*

Congruum quidem est, etiam stando in naturâ utriusque Sacramenti, & consequenter jure naturali, ut communicaturus priùs ad confessionem accedat, si peccati mortalis sit conscius, idque licèt actum contritionis elicuerit, tum ob dignitatem hujus Sacramenti, tum ob mysticam illius significationem: cùm enim Eucharistia sit signum unionis Ecclesiæ visibilis cum suo capite Christo, & membrorum illius inter se, congruum etiam est, ut qui illam sumit, non solùm sit Deo invisibiliter per contritionem reconciliatus, sed etiam Ecclesiæ per confessionem visibiliter: tum denique quia peculiari modo institutum est Pœnitentiæ Sacramentum, ut homines ad Sacramentum Eucharistiæ ritè disponantur.

VIII. *Hæc tamen non probant præmissionem confessionis esse ad communionem absolutè necessariam.*

Nullum tamen horum probat necessitatem illius absolutam jure naturali: non primum ut ostensum est: non secundum; sæpè enim peccata mortalia sunt merè interna; deinde si sint externa, sufficit ad reconciliationem etiam externam cum Ecclesiâ contritio signo aliquo externo manifestata: non tertium; dici enim potest institutum hoc sensu Sacramentum Pœnitentiæ in ordine ad Eucharistiam tanquam medium utilissimum ad homines ritè ad illius susceptionem disponendos, non tamen tanquam quid necessarium.

IX. *Dicunt multi præceptum hoc confessionis ante communionem esse tantùm divini positivi.*

Suarez ergo Disputatione sexagesima-sextâ, sectione tertiâ, ait, esse juris positivi Divini, & à Christo immediatè præceptum, ita ut nullo modo sit penes Pontificem hac in parte dispensare. Idem tenet Soto in quarto, distinct. duodecimâ, quæst. duodecimâ, articulo quarto, Valentia hîc, disp. sextâ, quæstione octavâ, puncto tertio, Vasquez disputat. ducentesima septimâ, & alii. Probant primò, quia Pontifex in hac re nunquam dispensavit; ergo verisimile est eum non posse in illâ dispensare. Contra: nec unquam dispensavit ut quis calicem sine aquâ consecraret, inde tamen non sequitur non posse eum in hac re dispensare si occasio ferret.

X. *Secundo arguunt ex verbis apostoli, Probet autem seipsum homo, &c.*

Probant secundò: Probatio siquidem quam Apostolus primæ ad Corinthios cap. undecimo ad Eucharistiam sumendam exigit illis verbis, *Probet autem seipsum homo*, &c. est confessio, ut explicat Concilium Tridentinum sessione decima-tertiâ, capite septimo, sed hæc probatio est juris divini, ergo & cætera. Ad hoc etiam respondetur, omissâ majori negando minorem; ubi enim Apostolus versu vigesimo-tertio retulisset quæ à Christo circa Sacramenti hujus institutionem acceperat, subdit postea suis verbis: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*: deinde ostendens quid faciendum sit, ut quis dignè comedat, subjicit, *Probet autem seipsum homo*, &c. Licèt ergo dicat Apostolus priora se accepisse à Domino, non tamen hoc affirmat de posterioribus, ut benè ostendit Coninck quæst. octavâ, art. quarto, dub. primo, num. decimo-tertio.

XI. *Nec obstat, quòd Concilium non dicat consuetudinem Ecclesiasticam hoc introduxisse, sed tantùm dixerit hoc declarare.*

Quod verò ibidem dicat Concilium Ecclesiasticam consuetudinem declarare confessionem esse necessariam ei, qui ad Eucharistiam vult accedere, si peccati mortalis conscius sit, non autem dicat Concilium introduxisse, argumentum est tantùm negativum, solùm namque intendit Concilium, ex Ecclesiasticâ consuetudine probare confessionem esse & fuisse jam à nascente Ecclesiâ in hoc casu necessariam, quod qui negaret, incideret in opinionem Caietani dicentis suo tempore nullum fuisse præceptum obligans ad confessionem ante communionem, quam sententiam rejicit Concilium sessione illâ decima-tertiâ, canone undecimo, & sub pœnâ excommunicationis vetat, nequis opinionem illam ullo modo asserere vel publicè docere præsumat. Unde Canus, Catherinus, & Sixtus Senensis aiunt sententiam illam Caietani nunc esse in fide erroneam, Suarez plusquam temerariam. Utrùm autem fuerit semper necessaria ante communionem confessio ex præcepto divino vel humano, ibidem non tradit Concilium, sed mera opinio est inter Theologos disputata, ut fatetur Suarez sect. illâ tertiâ, fine.

XII. *Objic. S. Cyprianum & S. Leonem insinuare hoc præceptum esse divinum.*

Probant tertiò ex Patribus: Sanctus quippe Cyprianus in diversis Epistolis, & libro de lapsis, docet peccatores contra legem Evangelii facere, si sine Sacerdotis judicio ad communionem accedant. Sanctus etiam Leo Epistolâ nonagesimâ primâ ait Christum Sacerdotibus dedisse potestatem admittendi peccatores ad Eucharistiam.

Ad primum dico, loqui illic Sanctum Cyprianum de lapsis in idololatriam, qui publicè judicio Ecclesiæ erant à communione excluſi. Ad ſecundum reſpondetur, ſufficienter ſalvatur hæc poteſtas Sacerdotum, ex eo quòd Chriſtus auctoritatem iis dederit, legem condendi, ne quis peccator, niſi confeſſus, ad ſacram ſynaxin accedat.

XIII. *Probabile videtur hoc præceptum confeſſionis ante communionem, eſſe tantùm Eccleſiaſticum.*

Quare nihil video, quod hanc ſententiam convincat. Unde probabile exiſtimo cum Medina, Navarro, Coninck quæſtione octogeſimâ, articulo quarto, dubio primo, fine & aliis, ſolùm prohibitum eſſe jure Eccleſiaſtico, ſeu humano ne quis peccator ſine confeſſione præviâ ad communionem accedat. Quod præter dicta probatur ex Concilio Tridentino ſeſſione vigeſimaprimâ, capite ſecundo, ubi docet poteſtatem ſemper in Eccleſiâ fuiſſe, ut circa Sacramentorum diſpenſationem, ſalvâ eorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, vel Sacramentorum dignitati, &c. magis expedire judicaret, & hinc probat poſſe Eccleſiam mutare conſuetudinem communicandi ſub utraque ſpecie: ſed peccatorem non accedere ad communionem niſi præmiſſâ confeſſione, nil eſt contra ſubſtantiam Sacramenti, ergo. Et hæc de diſpoſitione animæ.

XIV. *Qui ad ſacrâ ſynaxin accedit, eſſe debet jejunus.*

Deinde ſecundum antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, quæ vim legis obtinet, quiſquis ad communionem accedit, jejunus ſit neceſſe eſt jejunio perfectiſſimo, ſeu naturali, cui tamen non obſtat pauxillum aquæ, aut alterius rei per modum ſalivæ in ſtomachum deſcendens, aut etiam muſca cum aëre attracta, ut docet Tannerus, & alii. Articulus tamen mortis, ſive ex morbo, ſive ſupplicio imminens, ab hac obligatione excuſat, licèt etiam tunc, ſi poſſit, teneatur manere jejunus donec communicaverit.

Si tamen duret aliquamdiu ægritudo, poterit quis poſt quinque vel ſex dies interjectos denuo communicare non jejunus, ut docet Suarez, Coninck, & alii communiter contra Vaſquez, primò quia excipitur ab Eccleſiâ articulus mortis: deinde nimis grave eſt ubi quis in initio morbi communicavit, non jejunus, & morbus poſtea durat ad menſes aliquot, ſi non poſſet ampliùs toto illo tempore communicare. Non tamen poteſt Parochus, ut moribundum communicet, celebrare non jejunus, ut docent omnes communiter, cùm hic caſus non ſit ab Eccleſiâ exceptus.

XV. *Poſt quinque vel ſex dies poteſt quis in ægritudine denuo communicare non jejunus.*

Si verò Sacerdos in altari recordetur ſe non eſſe jejunium, ſi hoc ante conſecrationem contingat, diſcedere ab altari debet, ſi ſine ſcandalo aut infamiâ fieri poſſit; ſi verò poſt conſecrationem, debet pergere. Præterea particulæ, ſi quæ relictæ ſint, poſſunt poſt calicis ablutionem à Sacerdote, dum adhuc in altari eſt ſumi, ſive eæ ejuſdem ſacrificii particulæ ſint, ſive alterius. Quando autem pro vino aquam ſe in calice habuiſſe percipit, debet poſt eam ſumptam vinum conſecrare & ſumere. Si verò periculum abuſus & irreverentiæ in hoc Sacramentum ab infidelibus vel hæreticis, aut aliis immineret, tunc quivis non jejunus ſive Sacerdos ſit ſive laïcus debet illud ſumere.

XVI. *Quid ſi Sacerdos in altari recordetur ſe non eſſe jejunum.*

Quid ſi aquâ pro vino quis in calice ſe habuiſſe animadvertat.

DISPV-

DISPUTATIO OCTUAGESIMA.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

CONCILIVM Florentinum in decreto ad Armenos, & Tridentinum sessione sextâ, capite septimo, & sessione septimâ, canone sexto & octavo, docent Sacramenta omnia Novæ Legis gratiam conferre, & hunc effectum in suscipientium animabus producere. Hoc verò de Sacramento Eucharistiæ in particulari definit Concilium Tridentinum sessione decima-tertiâ, capite secundo. Fide ergo certum est, hoc Sacramentum, ex opere operato gratiam dignè illud suscipientibus ultra omne meritum ac dispositionem suscipientis dare. Proprius verò & peculiaris Eucharistiæ effectus est, ut animam nutriat, nam ut loquitur Tridentinum loco proximè citato, Sumi voluit (*Christus*) Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, &c. *quæ & alia huc spectantia præsenti Disputatione sunt declaranda.*

SECTIO PRIMA.

Quos effectus, & quando conferat Eucharistia.

I. *Messaliani sacro-sanctâ Eucharistiâ, nec boni quidquam nec mali sumentibus afferre dicebant.*

HÆRETICI, ut in res omnes sacras, ita in hoc præcipuè Sacramentum malignitatem suam demonstrant. Olim ergo Messaliani cibum hunc cœlestem à Christo ad animarum nutrimentum, ut vidimus, institutum, nec boni quidquam, nec mali suscipientibus afferre dixerunt, quem etiam errorem nonnulli tribuunt Armenis. Non longè ab eodem errore absunt nostri temporis hæretici, qui in eo tantùm prodesse Eucharistiam dictitant, quòd per modum objecti fidem excitet. Exigua tamen Sacramenti hujus est utilitas, si aliud non præstet, quælibet namque res, si ad mysterium aliquod significandum imponeretur, hoc præstaret. Nonnulli tamen ex illis in errorem huic planè oppositum sunt prolapsi; dicunt enim hoc Sacramentum peccata mortalia nullo dolore aut pœnitentiâ præcedente remittere, & homines justificare.

II. *Effectus, quos confert Eucharistia, sunt in duplici genere.*

Sed his eorum deliramentis prætermissis, effectus qui ab Eucharistia conferuntur, sunt in duplici genere; alios enim in animas sumentium confert, alios in corpora, & de utrisque dicendum. ut ab ultimis incipiam,

Existimo cum Sancto Thoma quæstione 79. articulo primo, ad tertium, & clariùs artic. sexto, ad tertium, & alibi sæpè, aliquem effectum ex hoc Sacramento redundare etiam in corpora dignè suscipientium; illa enim aliquo modo sanctificat, reddens templa Dei & vasa sancta, excitando etiam effectus bonos in appetitu sensitivo, fomitem peccati minuit, devotionem excitat, efficitque ut homo promptiùs, facilius, & jucundius virtutum actus eliciat: ita Auctores communiter, quos citat & sequitur Suarez disp. 64. sect. primâ, & frequens est apud Sanctos Patres loquendi modus; dicunt enim Eucharistiam sanctificare corpus, cedere in animæ & corporis præsidium, sedare sævientes corporis motus, &c.

III. *Dubitandum non est, quin sanctissimum hoc Sacramentum effectus aliquos, etiam in sumentium corporibus operetur.*

Variis autem modis contingit hujusmodi effectus à Sanctissimo hoc Sacramento in suscipientium corpora provenire: primò mediatè, ex eo nimirum quòd vi illius tales effectus excitentur in voluntate, ut inde sequatur moderatio concupiscentiæ in appetitu: secundò, ita ut ratione hujus Sacramenti alteretur ipsum temperamentum corporis, sive id fiat per illud immediatè, sive per applicationem alicujus causæ naturalis, virtute cujus id præstetur, sicut per extremam unctionem salus interdum confertur corporibus. Tertiò tandem, ita ut intuitu Eucharistiæ piè sumptæ conferat Deus specialia quædam auxilia, quorum opera sequatur fomitis moderatio, vel etiam ut Deus intuitu hujus sacramenti occasiones

IV. *Variis modis hi effectus in suscipientium corporibus fiunt.*

externas

externas auferat, & dæmones arceat quo minùs fomitem excitent & augeant. Effectus ergo aliquos Eucharistia in dignè suscipientium corporibus, vel physicè, vel moraliter efficit.

V. *Peculiaris etiam inter Christum & sumentem intercedit unio.*

Duo alii effectus à sacrosanctâ Eucharistiâ in suscipientium corpora derivati recensentur, primus est peculiaris quædam unio cum Christo, quæ tamen non est vera aliqua unio physica, sed solùm corporalis præsentia, quatenus fundat etiam postquam transacta est moralem quandam habitudinem inter Christum & dignè suscipientem, ratione cujus censetur Christus habere peculiarem curam, non animæ illius tantùm, sed etiam corporis.

VI. *Hinc etiam sequitur corporis illius resurrectio, & immortalitas.*

Ex hoc effectu sequitur secundus, nempe resurrectio & immortalitas corporis illius, qui dignè Christum sumit: quâ de causâ dicunt Patres Eucharistiam tribuere jus ad immortalitatem: unde Sanctus Ignatius eam vocat pharmacum immortalitatis: Concilium Nicænum symbolum resurrectionis, &c. Hic tamen effectus in hoc solùm situs videtur, quòd novo titulo detur dignè communicanti gloria corporis, quare nihil peculiare habebunt ii, qui dignè susceperunt hoc Sacramentum, hoc est, nullam specialem gloriam corporis, seu aureolam, quam non habebunt illi, qui nunquam communicaverunt, si pares in gratiâ discedant, sed solùm eandem habebunt novo titulo, nec aliud quidquam in hoc effectu potest tribui huic Sacramento, nisi quod intuitu illius Christus peculiari modo protegat communicantem, ut in gratiâ perseverans, ad gloriam tam animæ, quàm corporis pertingat.

VII. *Sacramentum Eucharistiæ per se confert animabus suscipientium augmentum gratiæ.*

Quoad effectus in animam ab hoc Sacramento derivatos, confert per se, & ex primariâ institutione, ut diximus, augmentum gratiæ; per accidens etiam subinde primam, quod præter dicta disp. 65. sect. primâ de Sacramentis generatim sumptis probatur ex Concilio Tridentino sessione decimâ tertiâ, canone quinto, ubi sic habetur: *Si quis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex eâ non alios fructus provenire, anathema sit:* quibus verbis manifestè supponit Concilium per Eucharistiam remitti subinde peccata, & consequenter primam gratiam conferri; loquitur enim contra hæreticos, qui vel omnia peccata ponunt paria, & mortalia, vel leviora non numerant in peccatis.

VIII. *Sacrosancta Eucharistia confert augmentum gloriæ.*

Confert insuper Eucharistia augmentum gloriæ: interiùs etiam animam confortat, à tentationibus, & vi ac malitia dæmonum protegit, aliósque effectus animæ præstat, sicut cibus materialis corpori. Remittit etiam venialia peccata, ut docet Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ nonâ, art. octavo, ad tertium: pœnam autem temporalem non remittit Eucharistia ex opere operato, & per modum Sacramenti, sed ad illam tollendam ordinatur in quantum est sacrificium, ut docet Sanctus Thomas art. quinto: cujus ratio ulterior est, quia remissio pœnæ non spectat ad conceptum nutritionis spiritualis, nec magis augetur homo internus si pœna temporalis tollatur, nec minùs si non tollatur.

IX. *Quando Sacramentum Eucharistiæ conferat augmentum gratiæ.*

Quando Eucharistia conferat hunc effectum augmenti gratiæ incertum est, ut affirmant Theologi: & Vasquez disp. ducentesimâ tertiâ, num. decimo octavo, ait quæstionem esse inutilem. Varii sunt dicendi modi, ut videre licet in Suarez hic, disp. 63. sect. 4. volunt aliqui dari hunc effectum primo instanti quo incipit manducatio seu trajectio hostiæ ex ore in stomachum. Alii in instanti aliquo intermedio: alii demum toto illo tempore quo durat manducatio, seu trajectio illa in stomachum Eucharistiam dicunt conferre gratiam.

X. *Eucharistia Sacramentum totum suum effectum producit simul.*

Dicendum primò: Hoc Sacramentum totum suum effectum, seu augmentum gratiæ producit simul; & in hoc differt à modo nutriendi in cibo materiali, qui paulatim convertitur in substantiam aliti, hic verò cibus alio modo nutrit, nempe producendo gratiam, cùm ergo Sacramentum sit potens totam illam gratiam simul producere, & subjectum capax ut tota simul recipiatur, cùm nullum sit contrarium expellendum, & tandem gratia nullam habeat repugnantiam ut tota simul producatur, dicendum est ita de facto contingere.

XI. *Confert gratiam hoc Sacramentum verisimiliter quando tota hostia est in stomachum recepta.*

Dicendum secundò: Probabile videtur hoc Sacramentum gratiam conferre, quando tota hostia est in stomachum recepta. Ratio est, quia promittitur gratia hostiæ ut manducatæ, hoc autem solùm fit, quando est in stomacho, ergo. Nec urget quod objicit Suarez, promitti gratiam manducanti, ergo in ipsâ manducatione debet conferri: negatur tamen consequentia, sicut in vulgari sermone dicimus, qui sumit talem potionem sanabitur, sensus est, qui sumpserit: imò etiam Joannis sexto ita hac in re loquitur Christus; versu enim quinquagesimo secundo dicit: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*, & versu quinquagesimo: *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

XII. *Probabile tamen est, quod dicunt aliqui, prius hostiam consecratam conferre gratiam, quàm ad stomachum perveniat.*

Addo tamen non carere probabilitate quod affirmat Suarez citatus, & Coninck, nempe hoc Sacramentum effectum suum tribuere ubi primum vel minima particula, vel unicum indivisibile hostiæ transierit terminum illum, qui separat os à gutture, vel stomacho; cùm enim in singulis etiam punctis sit totus Christus, simpliciter censemur eum manducasse, quando minima particula hostiæ est manducata.

XIII. *Non augetur gratia toto tempore quo species manent in stomacho.*

Hinc infero cum Vasquez disp. ducentesimâ tertiâ, cap. secundo, Tannero, & aliis, non augeri gratiam toto tempore quo manent species in stomacho, ut simpliciter vult Caïetanus quæst. 79. nec si augeatur interim dispositio, ut vult Suarez disp. 63. & Coninck quæst. 79. art. 1. dub. secundo, num. vigesimo octavo. Ratio est, quia gratia non est promissa digerentibus, aut retinentibus in stomacho, sed manducantibus; manducatione ergo perfectâ, nihil ampliùs gratiæ confertur, cùm totum dependeat à voluntate & institutione Christi, alioqui dicere quis posset, ex solo contactu aut aspectu hostiæ consecratæ gratiam conferri, vel augeri. Unde nec recuperatur gratia si quis post manducatam hostiam peccans mortaliter, ante consumptas species atteratur.

XIV. *Sicut peccatum, ita & devotio ex apprehensione præsentiæ Christi augetur occasionaliter.*

Dices: Augetur peccatum admissum dum durat Sacramentum in stomacho, ergo & gratia. Distinguo consequens, occasionaliter concedo, ex opere operato nego: sicut enim irreverentia quædam accrescit peccato ex eò quòd apprehenso Christo præsente admittatur, ita similiter ex apprehensione illius præsentiæ crescit devotio & fervor in actibus.

XV. *Si plures hostiæ successivè sumptæ*

Quæres: Quid dicendum quando plures species ejusdem rationis successivè sumuntur. Respondetur: Si sumantur discontinuæ, ita tamen ut faciant unum moraliter Sacramentum, effectum

faciant unum Sacramentum, per primam particulam sumptam confertur gratia.

ctum conferri in manducatione primæ particulæ vel hostiæ, cùm ibi sumatur totus Christus, & Sacramentum sit perfectum, tantáque vis sit producendi gratiam in unâ hostiâ ac in mille, nisi augeatur dispositio. Secus contingit in extremâ-Unctione, ubi nisi absolutâ ultimâ unctione non est perfectum Sacramentum. Aliud etiam est de cibo corporali, qui ob imperfectionem nutrit per partes, in hoc autem cibo tantum virtutis est sub unâ parte, ac sub omnibus. Hoc clarè tradit Sanctus Thomas quæst. 79. art. 7. ad tertium his verbis: *Nihil plus est virtutis in multis hostiis consecratis, quàm in unâ, cùm sub omnibus, & sub unâ non sit nisi totus Christus: unde*, inquit, *nec si aliquis simul in unâ Missâ multas hostias consecratas sumat participabit majorem effectum Sacramenti.*

SECTIO SECUNDA.

An utraque species plus gratiæ conferat, quàm una.

I. *Affirmant aliqui utramque speciem plus gratiæ conferre, quàm unam.*

PRIMA sententia affirmat utriusque speciei sumptionem majoris esse efficaciæ, & plus gratiæ conferre, quàm sumptionem alterius tantùm: à Halensis quartâ parte, quæstione 11. membro secundo, articulo quarto, § tertio, Vasquez hic, disp. 215. cap. 2. Cardinalis de Lugo de Eucharistiâ, disp. duodecimâ, sect. tertiâ, & alii nonnulli. Dicunt itaque prædicti Auctores, cùm hoc Sacramentum institutum sit per modum convivii completi spiritualis, quemadmodum cibus & potus materialis diversas denotant refectiones, & differentes operantur effectus corporales, ita, inquiunt, sacrosancta Eucharistia instituta tanquam cibus & potus spiritualis, diversos etiam significat, & consequenter operatur effectus spirituales, animásque suscipientium alio ac alio modo reficit, ac diversam confert gratiam.

II. *Utravis species sigillatim sumpta æqualem confert gratiam.*

Ut à certioribus incipiam, dicendum primò cum communi Theologorum sententiâ, si sigillatim accipiantur species, & inter se comparentur, æqualem eas gratiam conferre: Quare si unus sumeret solas species panis, alius solas species vini cum æquali dispositione, uterque æqualem fructum & gratiam reciperet. Hoc probatur ex Concilio Tridentino sessione vigesimâ primâ, capite primo, ubi indiscriminatim docet laicis & clericis non conficientibus, ad salutem sufficere alterius speciei communionem: unde signum est Concilium existimâsse cujusvis speciei sumptionem gratiam conferre, imo & æqualem gratiam, cùm rationem prioris assertionis reddens dicat causam esse, quòd singulæ species sub se contineant totum Christum omnium gratiarum fontem & largitorem.

III. *Tam panis quàm vini species eundem confecrunt effectum.*

Secundò probatur: Licèt enim quoad modum significandi videantur species vini conferre diversum effectum, nempe extinguere sitim spiritualem, & species panis extinguere famem, illæ exhilarare, hæ confirmare cor, &c. in re tamen utræque species eundem effectum tribuunt, nam, ut inquit Sanctus Augustinus tractatu vigesimo quinto in Joannem: *In spiritualibus non est aliud fames quàm sitis, neque aliis bonis seu gratiis depellitur*; & probatur ex illis verbis Christi Matthæi quinto: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, & ulteriùs hoc idem indicatur illis verbis Christi Joannis sexto, versu trigesimo quinto: *Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam.* In quæ verba notat Sanctus Augustinus loco citato, idem esse venire ad Christum & credere in illum; fide enim vivâ ad Christum accedimus.

IV. *Eodem actu hic extinguitur & fames & sitis.*

Cùm ergo hic eodem actu & famem extinguamus & sitim, quia idem sunt, idem quoad rem fiet in Sacramento Eucharistiæ. Ratio est, quia res, per quam & fames & sitis depellitur, roboratur, & exhilaratur cor, est gratia & charitas, cùm ergo utraque species gratiæ & charitatis augmentum conferat, utraque & famem & sitim in re depellet, sicut si in rebus corporeis eadem res esset quam esuriremus & sitiremus, per illius positionem & fames expleretur & sitis. unde addo, si post sumptam hostiam quis peccet mortaliter, aut etiam eam fictè, & sacrilegè sumpserit, si ante sumptionem calicis conteratur, recipiet per eam augmentum gratiæ.

V. *Utraque species per se loquendo non plus gratiæ confert, quàm una sola.*

Dicendum secundò contra Vasquez disp. 215. capite secundo, utramque speciem per se loquendo non conferre plus gratiæ non solùm diversæ, sed nec ejusdem rationis, quàm confert una sola: dixi per se loquendo, quia si dispositio augeatur post sumptam hostiam, tunc sumptio calicis plus gratiæ addet illi quæ collata est per sumptionem hostiæ: quod etiam dicendum de singulis particulis, quæ sigillatim post communionem, vel hostiæ, vel calicis sumuntur.

VI. *Probatur primò ex Concilio Moguntino.*

Hanc conclusionem tenet Soto in quarto, distinctione duodecimâ, quæstione primâ, artic. duodecimo, Caietanus, Rossensis, Canisius, Bellarminus libro quarto de Eucharistiâ, capite vigesimo tertio: Alanus libro primo de Eucharistiâ, capite trigesimo nono, & alii apud Suarez, disp. 63. cap. 6. qui eandem sententiam sequitur, tenet etiam Valentia, Coninck, Tannerus, & alii. Probatur primò ex Concilio Moguntino, ubi sic habetur: *Iam ne hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub unâ specie communicandi morem, æquè utilem ac efficacem esse ad salutem sumentium, quàm alterum de utrâque.*

VII. *Una species non dat diversam gratiam ab alia,*

Secundò probatur: Nam non datur diversa gratia per unam speciem, ab eâ quæ datur per aliam, ut contendebant contrariæ sententiæ Auctores; cùm, uti dictum est, quævis gratia collata per alteram speciem extinguat & sitim & famem spiritualem, det jus ad auxilia actualia propria hujus Sacramenti, & consequenter quoad rem tribuat integram refectionem, quæ licèt in corporibus fiat per diversa ob eorum limitationem; per cibum enim pellitur fames, per potum sitis, at hic cùm refectio fiat per gratiam, charitatem & justitiam, ut diximus, quæ est res illa quam & esurimus & sitimus, completa & adæquata refectio fit per unam speciem, præsertim cùm causa, quæ hic producit gratiam, æquè sit sub unâ specie atque sub utrâque, & consequenter cùm sit summè efficax, conferet totum effectum quamprimum applicatur: nec ullum fundamentum habemus dicendi Christum limitasse hunc effectum: quod enim in ordine per diversas partiales ordinationes detur diversa gratia, est quia per singulas ordinationes destinantur suscipientes ad diversa munera in Ecclesiâ, ad quæ ritè obeunda diversa etiam gratia, seu auxilia requiruntur.

VIII. *Dices: Utrique speciei sigillatim promissa est gratia.*

Objicies primò: Utrique speciei per se & sigillatim promissa est gratia; dicit enim Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*, ergo plus confert

utraque, quàm una. Negatur tamen consequentia: promittitur itaque gratia huic Sacramento toti, & singulis ejus speciebus, ac proinde impletur hæc promissio in quovis dignè sumente, sive totum sumat, sive sub unâ tantùm specie; in re enim per unam tantùm speciem confertur effectus utriusque, cùm sit idem ut ostendimus, esto quoad modum significandi species panis significent confortationem & robur mentis, species autem vini exhilarationem, sicque in re singulæ species sunt integrum convivium, & satiant suscipientem, tamem ejus & sitim spiritualem depellunt, &c. non tamen ita explicitè, & quoad signum externum. Sicut, ut docet Sanctus Cyprianus libro quarto, Epistolâ septimâ expressiùs & perfectiùs significatur per trinam mersionem, quàm per unam effectus Baptismi, & tamen non datur plus gratiæ in uno Baptismo, quàm in alio; Sacramenta enim licèt conferant gratiam, quam significant, non tamen plus gratiæ conferunt quando clariùs & expressiùs illam significant.

Resp. Promitti gratiam toti huic Sacramento, & singulis ejus speciebus.

IX. *Dices: illud solùm in collatione gratiæ spectandum, quod ponitur ex vi verborũ, non quod per concomitantiam.*

Objicies secundò: Sub speciebus panis ex vi verborum & per se, solùm ponitur corpus, & sub speciebus vini sanguis, sed in collatione gratiæ spectandum est illud solùm quod ponitur ex vi verborum, non illud quod ponitur per concomitantiam, alioqui una species sumpta plus gratiæ conferret quàm utraque in triduo, cùm sub neutrâ tunc fuisset ullo modo anima.

X. *Resp. Ad effectum hujus Sacramenti parum referre quid ex vi verborum ponatur, quid per concomitantiam.*

Respondetur, hoc totum, ut dictum est, pendere ab institutione Christi; neque enim naturali quadam necessitate putandum, Christum in hoc Sacramento conferre gratiam, sicut nec morbos dum viveret curabat, alioqui hoc Sacramentum, vel tactum gratiam conferret. Parum ergo refert quid ibi sit per concomitantiam, quid vi verborum; intuitu enim Christi ibi præsentis datur gratia, & præsertim intuitu suppositi divini.

XI. *Quid circa collationem gratiæ per Sacramentum fuisset in triduo.*

Quid autem in triduo futurum fuisset ignoramus; cùm enim casus nunquam esset dandus, non videtur Christus pro eo tempore quidquam instituisse. Suarez disp. 63. sect. 6. putat probabile, si datus fuisset casus, fore ut Deus minùs gratiæ tunc per Sacramentum conferret sub unâ specie quàm sub utrâque, imo minus tunc sub utrâque, quàm nunc sub unâ, quod probabiliter deduci potest ex Concilio Tridentino; rationem enim, cur unam speciem sumenti nulla gratia desit magis quàm sumenti utramque, reddit, quòd totus Christus contineatur sub utrâque, sed in triduo non contineretur totus sub utrâque, ergo. Si tamen ratione suppositi divini, quod tunc esset sub utrâque specie, dicere quis vellet conferri æqualem semper gratiam, non improbabiliter discurreret: sed, ut dixi, sicut ipsa institutio Sacramenti, ita collatio singulorum effectuum pro omni statu pendet ex liberâ illius voluntate.

XII. *Quando is, qui sub utrâque specie communicat, recipiat gratiam.*

Quoad tempus quo confertur gratia, quando quis communicat sub utrâque specie, idem dicendum quod diximus sectione præcedente de sumptione plurium hostiarum, nempe conferri gratiam statim sumptâ hostiâ, vel minimâ aliquâ hostiæ particulâ. Nec propterea Sacramentum sub speciebus vini privatur suo effectu, quia non constituit in his circumstantiis Sacramentum distinctum à priori. Quòd verò Clemens sextus Regi Galliæ Anno millesimo trecentesimo quadragesimo primo concesserit usum calicis ad gratiæ augmentum, ut in bullâ dicitur, vel intelligitur augmentum hoc ex opere operantis ratione actuum devotionis, quorum occasio datur per communionem sub utrâque specie, vel etiam ex opere operato ratione melioris dispositionis, ut supra dictum est.



DISPV-

DISPUTATIO OCTOGESIMA PRIMA.

De præcepto communicandi Ecclesiastico & Divino.

DE laïcorum tantùm communione est sermo; quoties enim Sacerdos sacrificare debeat, & hoc Sacramentum sumere, declarabitur infrà, dum de celebratione Missæ. Eucharistiam autem esse sub præcepto, saltem humano, ostendetur Sectione primâ, & constat ex Innocentio III. capite Omnis, de pœnitentiâ & remissionibus, *ubi Pontifex omnibus Christi fidelibus præcipit, ut ad minimum in Paschate sacro-sanctam Eucharistiam reverenter suscipiant: quod si quis id non præstet, jubet ut & vivens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens Ecclesiasticâ careat sepulturâ. Præcipua ergo hoc loco difficultas est de præcepto Divino, quo scilicet tempore & modo per illud obligemur ad communionem interdum suscipiendam, humanum tamen etiam, seu Ecclesiasticum hac de re præceptum similiter est declarandum.*

SECTIO PRIMA.

Quomodo & quando obligemur ad communicandum.

I. *Prima sententia affirmat nullum dari præceptum Divinum suscipiendi hoc Sacramentum.*

PRIMA sententia est, nullum dari præceptum divinum, quo ad Sacramentum suscipiendum obligemur: ita Sanctus Bonaventura in quarto, dist. duodecimâ, parte 2. artic. 2. quæst. primâ, Halensis quartâ parte, quæst. undecimâ, membro secundo, art. quarto, §. primo, Ferrara quarto contra gentes, cap. sexagesimo primo. Gabriël lectione octogesima saptimâ in canone Missæ, Sylvester verbo *Eucharistia* tertio, quæst. primâ, & alii.

II. *Secunda sententia è contra asserit dari hujusmodi præceptum.*

Secunda sententia affirmat dari præceptum divinum, quo adulti omnes tenentur ad Eucharistiam suscipiendam: hæc est expressa mens Sancti Thomæ tertiâ parte, quæst. 80. art. undecimo: idem tenet Durandus in quarto, dist. 9. quæst. 2. Sotus dist. 12. quæst. 1. art. 11. Paludanus quæst. primâ, art. 1. Henriquez libro octavo de Eucharistiâ, capite tertio: Vasquez disp. 213. cap. 2. Suarez hîc, disp. 69. sect. 1. Valentia disp. 6. quæst. 8. puncto 4. addens nullum hoc tempore Catholicum docere contrarium: quæ sententia ut multo probabilior nobis est amplectenda.

III. *Dicendum, dari præceptum divinum Eucharistiæ Sacramentum aliquando sumendi.*

Dico itaque cum Auctoribus proximè citatis, dari præceptum divinum sacrosanctam Eucharistiam aliquando sumendi. Probatur primò ex illis Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis*, ubi ipsa verba per se important præceptum, ut ex iis deducit Justinus Martyr, & alii. Secundò idem probari solet ex verbis illis Christi, Lucæ vigesimo secundo, & Sancti Pauli primæ ad Corinthios undecimo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde Concilium Tridentinum sessione decimâ tertiâ, cap. secundo, ex occasione horum verborum sic habet: *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annunciare mortem, sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum*, &c. ubi illud verbum *voluit* expressè indicat præceptum.

IV. *Obligat hoc præceptum pro notabili parte humanæ vitæ.*

Circa tempus autem quo obliget jure divino, dicendum cum Auctoribus communiter, obligare pro notabili parte humanæ vitæ, ut tertio vel quarto quoque anno, sicut alia hujusmodi quæ indeterminatè præcipiuntur. In articulo verò mortis determinatè nullum habemus convincens fundamentum obligare jure divino, imo probabilius videtur nos non obligari ob auctoritatem Concilii

Concilii Tridentini sessione 21. capite secundo supra citatam, nempe hanc fuisse semper in Ecclesiâ potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret, mutaret, &c. quæ suscipientium utilitati, & Sacramentorum veneration expedire judicaret. Cùm ergo communicare in articulo mortis non sit quid spectans ad substantiam Sacramentorum, non erit juris divini, sed solùm Ecclesiastici, cujus perpetua hac in parte consuetudo vim legis obtinet: & nihil aliud quàm hoc vult Concilium Nicænum canone decimo tertio, dum illud vocat *necessarium moribundorum viaticum.* Unde in Hispaniâ diu mos fuit, negandi communionem damnatis ad mortem, donec illum abrogaret Pius quintus Anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

V. *Fideles omnes adulti ex præcepto Ecclesiastico communicare debent in articulo mortis.*

In articulo ergo mortis communicare tenentur fideles omnes adulti ex præcepto Ecclesiastico longissimâ consuetudine in variis Conciliis, ut Nicæno, Carthaginensi quarto, Arausicano primo, & aliis relatâ & approbatâ inducto. Per articulum verò mortis intelligitur tempus illud, quod paulo antequam quis in mortis periculum incidit, præcedit, ut docet Suarez, Tannerus, & alii contra Vasquez, qui disp. 214. num. decimo tertio, vult tempus quo huic obligationi satisfit debere esse post inchoatam ægritudinem, ex quo tamen sequeretur si mane quis sanus communicasset, & vespere in mortis periculum incidat, debere eum rursus eodem die Eucharistiam sumere.

VI. *Sufficit ad impletionem hujus præcepti, si quis paulò ante agritudinem ponat rem præceptam.*

Sufficit ergo si paulò ante ægritudinem ponat rem præceptam, sic namque implet præceptum quoad substantiam, ut benè Layman lib. quinto, tract. quarto, cap. quinto, num. quarto, licèt id non faciat cum expressâ voluntate implendi præceptum: sicut enim quis prævidens mortis periculum ex bello aut alia hujusmodi occasione satisfacit præcepto communicandi antequam ad bellum procedat, & in periculo versetur, ita & alter communicans paulò ante periculum mortis ex ægritudine; parum enim refert ad impletionem præcepti, quod prævideat, vel non prævideat mortis periculum brevi secuturum.

VII. *Præcepto etiam Ecclesiastico tenentur omnes semel in anno, idque circa tempus Paschæ communicare.*

Præterea in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, capite *Omnes utriusque sexus*, statutum est, ut omnes semel in anno circa tempus Paschæ Eucharistiam sumant: quod etiam habetur in Concilio Tridentino, sessione decimâ tertiâ, canone nono, & consuetudo præterea Ecclesiæ idem ostendit: unde adulti omnes Ecclesiastico præcepto ad hoc tenentur, nisi consilio proprii Sacerdotis expedire judicetur ut communio ad tempus differatur.

VIII. *Utrùm qui in Paschate communionem omisit, teneatur postea quamprimum communicare.*

An verò is, qui in Paschate omisit communionem teneatur quamprimum, datâ primâ opportunitate Eucharistiam sumere, dissident Auctores: affirmat Navarrus, Azorius, Suarez disp. 70. sect. secundâ, Vasquez, Layman lib. quinto, tract. quarto, cap. quinto, num. 8. Primò, quia duo hic præcipiuntur, & communicare semel in anno, & hoc principaliter, secundariò verò, ut hoc fiat circa Paschа. Secundò, quia juxta caput illud Concilii Lateranensis, *Omnes utriusque*, potest Episcopus excommunicationem in eos ferre, qui circa Paschа non communicant, nec eam priùs tollere quàm communicent. Tertiò, quia in capite tertio citato dicitur, si quis ex consilio proprii Sacerdotis communionem ultra tempus præscriptum, quod ut plurimum est à Dominicâ Palmarum usque ad Dominicam in albis inclusivè distulerit, debere eum quamprimum communicare.

Negant econtra Sotus, Medina, Valentia disp. sextâ, quæst. octavâ, puncto quarto, Sa verbo *Eucharistia*, num. septimo, Bonacina puncto 2. inclinare etiam videtur Coninck quæst. octavâ, art. 11. dub. quarto, num. centesimo nono, & alii; dicunt enim esse obligationem affixam tempori, sicut est jejunium in Vigiliâ, pensum diurnum horarum Canonicarum, &c. Deinde quia sequeretur eum qui prævidet impedimentum aliquod circa Paschа eventurum, quo minùs possit tunc communicare, teneri tempus illud antevertere, & communicare ante Paschа, quod tamen negat Suarez disp. 70. sect. 2. & alii Auctores illius sententiæ præter Vasquez; quod teneretur antevertere probatur; alioqui enim ille sine ullâ causâ differre posset communionem ultra annum.

IX. *Alii negant, eum qui communionem in Paschate omisit, debere quamprimum communicare.*

Quòd verò nulla sit obligatio præveniendi constat, quia aliàs, si postea non accideret illud impedimentum, is non teneretur in Paschate communicare, cùm jam satisfeciisset præcepto Ecclesiæ, quod tamen omnes negant. Cùm ergo teneatur iterum in Paschate communicare, est signum non fuisse ante obligatum ad præveniendum, nunquam enim quis tenetur anticipare præceptum, ut ait Coninck citatus numero centesimo octavo, nisi per illam anticipationem possit præcepto satisfacere, quod tamen hîc non contingeret; æquè enim peccaret, qui casu quo non accideret impedimentum illud, non communicaret iterum in Paschate, atque si ante non communicavisset: unde nec præcepto, nec parti præcepti satisfacit, sicque est disparitas inter hunc & illum, qui cùm non possit integras horas canonicas legere, legit earum partem; partem enim legendo satisfacit parti obligationis & præcepti, ut notat Coninck ibidem.

X. *Offenditur nullam esse obligationis tempus præveniendi.*

Ad primum itaque contrariæ sententiæ respondent hi Auctores, non duo præcipi, sed unum, nempe ut circa Paschа omnes communicent. Ad secundum dicunt posse Episcopum eos, qui non communicant in Paschate, excommunicare, & in pœnam illius peccati cogere quamprimum communicare; addunt tamen posse Episcopum, si velit, eos etsi ante sequens Paschа non communicent, ab excommunicatione absolvere. Ad tertium etiam respondet Coninck num. centesimo decimo, posse Confessarium ex authoritate Ecclesiæ extendere tempus præscriptum communioni, & præceptum Ecclesiæ incipere illum hominem obligare pro illo tempore, quod ipsi est à Confessario ad communicandum præscriptum.

XI. *Solvuntur argumenta num. 8. pro sententia eum, qui non communicavit in Paschate, debere quàm primum communicare.*

Utraque sententia probabilis est, mihi tamen hæc secunda hoc nomine videtur difficilis, quòd secundùm hos Auctores majorem obligationem communicandi habeat ille, qui Confessarium consulit, quàm qui inconsulto Confessario justè vel injustè communionem omittit; hic enim secundùm illos nullam habet obligationem communicandi usque ad Paschа sequens, alius autem habet. Deinde qui consulit Confessarium vel habet justam causam differendi communionem, vel non habet, si habet, ergo non eget dispensatione Confessarii, si non habet, ergo non potest Confessarius cum ipso dispensare, ergo si in Dominicâ in albis habeat hic homo justam occasionem non communicandi eo die, potest licitè secundùm hanc sententiam non consulendo Confessa-

XII. *Juxta secundam sententiam majorem obligationem communicandi habeat, qui consulto confessario communionem omitteret, quàm qui inconsulto.*

rium,

rium, communionem eo anno usque ad sequens Pascha omittere, cùm tamen si Confessarium consuleret, non posset, ergo pejore loco est illo qui Confessarium consulit, quàm qui non consulit, quod tamen non videtur admittendum.

XIII. *Ad quid teneatur is qui existimat se circa Pascha habiturum impedimentum communicandi.* Ad argumentum illud de anticipatione temporis, quod præcipuè urgere videtur, dici potest illum, qui putat se circa Pascha habiturum impedimentum, quo minùs tunc communicare possit, teneri per accidens communicare ante Pascha, quo tamen non obstante teneri potest non interveniente ullo impedimento iterum communicare in Paschate; illa enim obligatio anticipandi solùm ei obvenit per accidens & ex errore: sicut si quis errans in computatione dierum putaret diem Sabathi esse diem Dominicum, teneretur audire Sacrum, quod licèt eo die audiat, tenetur tamen iterum audire die insequente, ubi errorem adverterit. Et certè valdè mirum videtur, eum qui inculpabiliter cum Confessarii consilio omittit communionem, teneri postea quamprimùm ad illam, non autem teneri qui eam omittit culpabiliter.

SECTIO SECUNDA.

An justè Ecclesia laïcis usum calicis negaverit?

I. *In hunc Ecclesiæ ritum acerrimè invehuntur Sectarii.* IN nullum Ecclesiæ Catholicæ ritum acriùs invehuntur nostri temporis sectarii, quàm quòd laïcis sub unâ tantùm specie Eucharistiæ sumptio permittatur, usúsque calicis iis interdicatur. In hac ergo sectione Ecclesiam, & potestatem habere hoc statuendi, & justissimis de causis id de facto ordinasse, solisque Sacerdotibus communionem sub utrâque specie permisisse, ostendam, quam consuetudinem in variis Conciliis approbatam Orthodoxi omnes sanctè & inviolabiliter, frendentibus quantumvis hæreticis observant.

II. *Unam speciem sine alterâ sumere non est jure divino prohibitum.* In primis itaque jure divino non esse prohibitum unam speciem sine alterâ sumere fide certum est, & definitum in Concilio Constantiensi sessione decimâ tertiâ, & à Martino V. & clarissimè in Tridentino sessione vigesimâ primâ, capite primo.

III. *Ratio est, quia ex nullo capite oriri obligatio potest utrâque speciem sumendi.* Ratio præterea est, quia vel hæc obligatio oriretur ex ipsâ naturâ rei, positâ institutione hujus Sacramenti sub utrâque specie, & consequenter ex jure divino naturali, vel ex peculiari mandato Christi, seu jure divino positivo. Non primum; nec enim oritur hæc necessitas ex parte effectus, cùm hic sit ejusdem rationis ab utrâque specie collatus, ut supra ostendimus, nec ex parte rei contentæ, cùm totus Christus sit sub utrâque specie, neque ex parte significationis; utraque enim species significat æqualiter unionem membrorum Ecclesiæ cum Christo, & inter se; repræsentatio autem mortis Christi, quæ peculiari modo fit per utramque speciem separatam potiùs spectat ad Eucharistiam ut sacrificium est, quàm ut Sacramentum, sub quavis etiam specie dici potest memoriale quoddam, quod Christus nobis mortis suæ reliquit, etsi sub unâ specie non tam expresè mortem illius significet tanquam formale repræsentativum illius, sed eo modo quo Princeps gemmam filio in memoriam sui jam mortui reliquisset, quoties illam aspiceret filius, recordaretur patris mortui, licèt in Eucharistiâ sub quavis specie sit Christus repræsentatus modo mortuo.

IV. *Ostenditur non esse obligationem communicandi sub utrâque specie ex mandato Christi.* Nec etiam oritur obligatio jure divino sumendi utramque speciem ex peculiari mandato Christi: primò, quia Christus ipse in castello Emmaus panem fregit, & evanuit ex oculis discipulorum, hanc autem fractionem panis fuisse Eucharistiæ probabilius est. Deinde in actibus Apostolorum dicuntur Discipuli congregati in communione & fractione panis. Imo Christus Joannis sexto promittit vitam manducantibus Christum, manducatur autem sub unâ specie: ex quibus verbis colligit Concilium Tridentinum non præcipi à Christo communionem sub utrâque specie.

V. *Hæc hæresis de necessitate communicandi sub utrâque specie orta est Pragæ in Bohemiâ.* Nec obstant quæ objici possent, nempe verba illa Christi Joannis sexto: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ex occasione cujus loci primò orta est hæc hæresis Pragæ in Bohemiâ operâ Petri Dresdensis, & Jacobelli Misnensis. Respondetur enim, solùm ibi præcipere Christum ut manducemus ipsius corpus & sanguinem bibamus quoad rem ipsam, sub quâvis autem specie sumitur & corpus & sanguis Christi quoad rem ipsam, cùm sub utrâque specie sit totus Christus, modus verò non præcipitur. Imò etiam dum sumitur Christus sub speciebus panis, licèt si spectemus species comedamus, si tamen spectemus sanguinem Christi, illum tunc bibimus, & vice versâ de corpore sub speciebus vini. Christus autem locutus est de corpore sub speciebus panis, & sanguine sub speciebus vini specificativè.

VI. *Alius modus explicandi verba illa Christi, Nisi manducaveritis, &c.* Secundò responderi solet juxta frequentissimum Hebræorum & Scripturæ loquendi modum, explicari scilicet posse hæc verba, *Si non manducaveritis & non biberitis*, ita ut neutrum faciant: sic Actorum tertio dicit Sanctus Petrus: *Argentum & aurum non est mihi*, id est nec argentum nec aurum: ratio autem cur hoc modo explicari possit est, quia frequenter promittitur salus communicanti sub unâ tantùm speciè: sic Joannis 6. dicit Christus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: hic est panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur: Qui manducat me, ipse vivet propter me*, &c.

VII. *Quo sensu intelligenda, sint illa verba Christi: Hoc facite in meam commemorationem.* Secundò non obstat id quod Apostolis dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Respondetur enim, Christum illis verbis consecrasse eos Sacerdotes, & instruxisse quomodo se gerere deberent in officio sacerdotali quoad hoc munus, nimirum ut facerent quod ipsum fecisse viderant, nempe acciperent, consecrarent, &c. & quoties biberent calicem consecratum, id in ejus memoriam facerent, alioqui sensus esset, bibite quotiescumque bibetis, quod est ridiculum, ut benè Coninck quæst. 80. art. duodecimo, num. centesimo vigesimo tertio. Quando verò Matthæi vigesimo sexto dicit Christus: *Bibite ex eo omnes*, solos alloquitur Apostolos: unde Marci decimo quarto dicitur: *Et biberunt ex eo omnes*, docens omnes ex eo bibisse quos jussit Dominus bibere, ut rectè Coninck ibidem, num. centesimo vigesimo secundo.

VIII. *Per illa verba Hoc facite non præcipiebat Christus Apostolis ut id omne facerent, quod ipse fecisset.* Quòd verò ex illis Christi verbis *hoc facite* deducant aliqui præcepisse ipsum Apostolis, ut id omne facerent quod ipse fecisset, & consequenter sub utrâque specie communionem distribuerent, levissimum argumentum est; solùm enim jubet Christus, ut faciant quoad substantiam, quod

quod ipse fecit, alioqui si quicquid tunc fecit Christus deberent ipsi, & Sacerdotes omnes facere, non deberent vel consecrare, vel communicare nisi post cœnam, & in azymo, frangendo panem, viris tantùm distribuendo, non fœminis.

IX. *Vlteriùs probatur non dari jure divino præceptum communicandi sub utrâque specie.*

Probatur verò ulteriùs non esse jure divino latum præceptum communicandi sub utrâque specie: primò enim multi Nazaræi ad Christum initio Ecclesiæ sunt conversi, qui legem sicut alii observabant, & tamen congregabantur cum discipulis in fractione panis, quod etiam de abstemiis dici debet, alioqui contra præceptum divinum nunquam communicarent: secundò, nam ut refert Sanctus Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Sanctus Cyrillus, Tertullianus, Sanctus Basilius, & alii, Eucharistia dabatur antiquitus fidelibus domum deferenda, ut opportuno tempore eam sumerent, cùm tamen calix non nisi in templo distribueretur à Diacono. Tertiò, Manichæi siquidem, uti refert Sanctus Leo sermone quarto de Quadragesimâ, ut hæresim tegerent, & Catholici haberentur, publicè ad communionem accedebant, qui tamen à vino semper abstinebant, tanquam à re creatâ à genio malo, seu diabolo. Quartò, quibusdam namque in locis tantùm vini vix haberi potest, ut sufficiat ad celebrandum. Quintò, ante octingentos annos, ut constat ex Concilio Constantiensi, & Basiliensi, ac Beda, mos fuit in Ecclesiâ communicandi sub unâ specie, imo in Ecclesiâ græcâ ante annos mille ducentos, ut ostendit Concilium Laodicenum, & Trullanum, solebant totâ quadragesimâ solam speciem panis sumere in communione, excepta die Sabathi, quando consecrabant. Mos etiam fuit, ut parum vini consecrati in parvo calice, infunderetur postea in calicem majorem, in quo erat vinum non consecratum, quo casu certum videtur singulos è populo non potuisse aliquid sumere de speciebus consecratis.

Ante annos octingentos mos fuit in Ecclesiâ cõmunicandi sub unâ specie.

X. *Hæretici nostri communionem sub utrâque specie requirũt magis ut à Catholicis dissentiant, quàm ut consentiant veritati.*

Ex quibus omnibus constat quàm parum fundamenti habeant hæretici nostri temporis ad asserendum necessariam esse communionem sub utrâque specie, idque eos facere potiùs ut à Catholicis dissentiant, quàm ut consentiant veritati, quod inter cæteros fateri videtur Lutherus in formulâ Missæ his verbis: *Si quod Concilium statuevet aut permitteret, utramque speciem, nos nequaquam utráque uti vellemus: sed in despectum Concilii, ejusq; statuti, aut unâ, aut neutrâ.*

Dicendum ergo secundò, justissimè Ecclesiam Laïcis & etiam Clericis non conficientibus per se & quantum ad præceptum communicandi, usu calicis interdixisse: dixi *per se*, nam per accidens aliquando videntur sumere eum posse, sicut & omnes simili casu communicare possunt non jejuni, ut si in terram effundatur sanguis, & nullus adsit Sacerdos qui velit eum juxta rubricas lambere, si sanguis consecratus venturus esset in manus hæreticorum aut infidelium; in his enim casibus, inquit Suarez disp. 71. sect. 3. fine, servare verba legis, esset agere contra legem.

XI. *Laïcis usu calicis Ecclesia justiss. simè interdixit.*

Rationes verò, quibus ad hoc inducta est Ecclesia, sunt, tum ad conformitatem ubique servandam, cùm jam multis in locis communio sub specie tantùm panis fieret. Secundò, ob periculum irreverentiæ, & effusionis, cùm tanta jam sit communicantium multitudo. Tertiò, ob nascentes hæreses; sicut enim ob hæresim Manichæorum citatam commendabant olim Patres usum calicis, & ad Berengarii & aliorum hæresim negantium Christum esse sub utrâque specie reprimendam, ita contra eos, qui utramque speciem necessariam esse aiebant, statuit Ecclesia, ut communio sub specie tantùm panis fieret; licèt à Paulo tertio, ut refert Ruardus, Boëmis usus calicis sit permissus, eâ lege ut ab errore desisterent.

XII. *Rationes quibus motа est Ecclesia ad usum calicis laïcis negandum.*

De hac re fusiùs Bellarminus libro quarto de Eucharistiâ, capite vigesimo secundo, Suarez hîc, disp. 71. sect. tertiâ, Vasquez disp. 216. Coninck quæst. octogesimâ, art. duodecimo, Layman libro quinto, tractatu quarto, capite quinto, & omnium acerrimè Tannerus Tomo quarto, disp. quintâ, quæst. 8. dubio sexto, ubi juniores quosdam ministros mordicus pro calice pugnantes, strenuè repellit.

XIII. *Fusiùs vero hanc controversiarum Scriptores pertractant.*

Solus Sacerdos est ordinarius hujus Sacramenti minister, & in casu necessitatis Diaconus, Laïcus verò, licèt secundùm probabilem sententiam deferre in aliquo casu posset privatim Eucharistiam ad ægrotum, non tamen eum potest communicare, multò minùs fœmina; utrisque enim graviter prohibetur jure Ecclesiastico. Quòd si Regina Scotiæ se communicaverit, vel id ex consilio aliquorum existimantium se pro hoc probabilem habere sententiam fecit (probabile enim id in casu necessitatis licere putat Suarez, & alii nonnulli) vel licentiam habuit à Pontifice.

XIV. *Ordinarius hujus Sacramenti minister est Sacerdos.*



DISPV-

DISPUTATIO OCTOGESIMA SECUNDA.

De Sacrificio, & Missâ.

Sacro-sancta Eucharistia ad duo præcipuè munera ordinatur, Dei scilicet cultum, & nostram sanctificationem: hoc secundum in eâ reperitur ut Sacramentum est, seu signum sensibile gratiæ, vimq; habet eam in hominum animas derivandi: primum verò in tantum ei competit, in quantum etiam est signum sensibile, ritum colendi Deum in se continens, & ad hoc munus ab eo exercendum penes quem hoc præstandi est potestas, instituitur. Cùm ergo toto hoc tractatu naturam ejus & excellentiam, ut Sacramentum est, declaraverimus, nunc de altero ejus munere, nempe ratione Sacrificii agendum. Quæ in re, ut clariùs & ordinatiùs procedamus; faciliúsque quo pacto hunc in se conceptum contineat, intelligatur, quædam de Sacrificio in communi sunt præmittenda.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Sacrificium, & à quo institui & offerri possit.

I. *Sacrificium propriè dictum in actu purè interno non consistere certum est.*

IN PRIMIS Sacrificium propriè dictum in actu purè interno consistere non posse, constans est Orthodoxorum omnium sententia, qui Sacrificium in notâ aliquâ sensibili constitutum esse dicunt, ad cultum & venerationem Dei ordinatâ. Omnis nihilominus hujusmodi actus, quo Deus exteriùs colitur, non est Sacrificium, quivis namque actus externus religionis ad Dei cultum tendit, & tamen omnis hujusmodi actus non est Sacrificium, ut est manifestum; nec enim quoties quis orationes vocales ad Deum fundit, in honorem ipsius genuflectit, tundit pectus, &c. his inquam actionibus non censetur offerre Deo sacrificium quamvis hujusmodi oratio appelletur interdum hostia laudis. Hic itaque in quo Sacrificium propriè dictum situm sit inquirimus.

II. *Quid sit sacrificium strictè dictum.*

Dico ergo, Sacrificium in propriâ acceptatione à Theologis usurpatâ, esse externam & sensibilem actionem, qua res aliqua ita Deo offertur, ut immutatio quædam in ipsâ rerum corporearum naturâ cernatur, quod sit vel destructione rei, ut in occisione animalium, vel ex eo quòd privetur res aliqua naturali suo existendi & operandi modo, sicut cum olim sanguis animalium effundebatur supra crepidinem altaris. Undè sacrificium Melchisedech, quod in pane & vino instituebatur, vel fiebat comestione vel combustione partis panis, & effusione partis vini, reliquum verò Abrahamo & sociis distribuit: ita Coninck quæst. octogesima-tertiâ, art. primo, dub. primo, num. decimo-septimo, P. Cornelius & alii, contra Vasquez disp. 220. qui ait panem sufficienter sacrificari per coctionem in clibano & vinum per expressionem ex uvis, hoc tamen non tam est sacrificatio & immutatio eorum, quàm confectio.

III. *Sacrificium est nota sensibilis, qua testamur supremam Dei excellentiam.*

Est itaque sacrificium nota qua per immutationem rei sensibilis testamur supremam Dei excellentiam, summumque ejus super omnes dominium agnoscimus, & hoc facto Deum vitæ ac mortis auctorem potestamur: ita Suarez disp. septuagesima-tertiâ, sect. primâ, Bellarminus lib. primo de Missâ, capite secundo, Coninck citatus, & alii. Ratio autem cur per hujusmodi immutationem fieri debeat hæc nota est, quia sicut ad testandum excellentiam alicujus & dominium, nullum aptius est inter homines indicium, quàm ut tributum ei pendant, ita quia Deus habet supremum dominium in res omnes secundùm omnem modum essendi quem habent, ita ut possit eas quovis modo pro libitu immutare, aptissimus modus quo hanc ejus excellentiam testari possumus, videtur per physicam rei immutationem, aut partis illius destructionem.

IV. *Ostenditur quo modo*

Per hæc etiam constat, quo modo differat sacrificium à reliquis actibus religionis; quamvis

Sacrificium strictè dictum differat ab aliis actibus religionis.

enim cum iis conveniat, quòd sint notæ quibus testamur Dei excellentiam, non tamen fiunt illi per hujusmodi immutationem; per oblationem enim simplicem rei ad honorem Dei non illam immutamus, per laudem solùm testamur excellentiam Dei verbis, per adorationem, per quandam externæ submissionis notam.

V. *Falsò dicunt hæretici, quicquid Deo offertur, esse sacrificium.*

Hinc infero primò, errare hæreticos nostri temporis, dum quicquid Deo offertur sacrificium esse dicunt: licèt enim subinde scriptura omne opus bonum sacrificium appellet, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, Psalm. 50. & alibi, quo etiam sensu loquitur Sanctus Augustinus libro decimo de Civitate Dei, cap. 6. solùm tamen volunt bona opera esse sacrificium, non formaliter, sed æquivalenter, id est tantum Deo placere ac aliqua sacrificia.

VI. *Nationum omnium usu ostenditur omne opus bonum non esse sacrificium propriè dictum.*

Asserere verò quodvis opus bonum esse sacrificium propriè dictum, & est contra usum omnium nationum, quæ per sacrificium intelligunt actum aliquem peculiariter ordinatum ad testandam Dei excellentiam; quis enim dicit eum qui dat eleëmosynam, aut orationem aliquam Deo fundit, sacrificare, & contra Scripturam ipsam, quæ sacrificium frequenter distinguit ab actibus aliarum virtutum. Sic eodem Psalmo 50. dixit Regius Propheta, *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis*; & tunc infert, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, &c. Item Oseæ cap. sexto, *Misericordiam volo, & non sacrificium*; primo Regum cap. 15. *Melior est obedientia quam victimæ.*

VII. *Ut aliquid sit sacrificium non requiritur ut instituatur à Deo, vel etiam auctoritate publicâ.*

Infero secundò cum P. Suarez disp. 73. sect. 4. fine. Vasquez disp. 120. num. 19. & aliis, non esse necessarium ut aliquid sit sacrificium quod instituatur vel à Deo immediatè; vel etiam auctoritate publicâ, sed spectatâ solâ naturâ rei posset quivis privatus instituere sacrificium. Prima pars probatur: esto enim subinde per se Deus instituat sacrificia, seu ritus illos externos, quibus coli ab hominibus velit, ut constat in Lege vetere, & etiam novâ, in qua instituit sacrificium Missæ, hinc tamen non sequitur non posse etiam ab hominibus sacrificium instituì; sicut licèt Christus formulam orandi in oratione Dominicâ contentam nos docuerit, non tamen sequitur homines non posse varios orandi modos inter se constituere.

VIII. *Sacrificium non est donatio rei propriè loquendo, sed consumptio potiùs & immutatio.*

Nec obstat quod objiciunt aliqui, sacrificium esse quandam donationem, quæ sine acceptatione ab eo cui donatur fieri non potest; inprimis enim sacrificium non est propriè donatio rei, sed potiùs consumptio & immutatio, quæ non requirit acceptationem: deinde ad hoc sufficit generalis quædam lex, quâ Deus indicat sibi placere sacrificia, sicut hoc sufficit ad vota Deo emittenda, in quibus tamen magis propriè continetur donatio, quàm in sacrificio.

IX. *In Lege novâ prohibentur privati homines instituere sacrificia.*

Secunda etiam pars Conclusionis, quæ est contra P. Coninck citatum num. undecimo probatur; nisi enim vel à Deo, vel authoritate publicâ prohibeantur privati homines sacrificium instituere, sicut de facto in Lege novâ prohibentur, dum sacrificium unicum à Deo institutum est, & peculiares ad illud ministri destinati, non est cur merè spectatâ rerum naturâ non possit privatus homo. sicut alia signa quibus Deum colat, ut adorationis, &c. ita & sacrificia instituere.

X. *Quamvis sacrificium sit signum ad placitum, semper tamen aliis illa ex aptitudinem aliquam habet ad testandam Dei excellentiam.*

Dices primò cum Patre Coninck sacrificium esse signum ad placitum, hujusmodi autem signa, privatâ auctoritate instituì non possunt, ut constat in vocibus. Respondetur, sacrificium esse quidem signum ad placitum, sed non tale ut non habeat aptitudinem aliquam ad testandam Dei excellentiam, in quo est diversitas in vocibus, quæ non majorem aptitudinem habent ad significandum rem, ad quam significandam imponuntur, quàm contrarium: argumentum autem ad summum probat, illa signa, quæ nullam habent ex se aptitudinem, ad testandam divinam excellentiam, non posse assumi ad munus sacrificii, sicut nec assumi possunt ad alios actus religiosi honoris, ut adorationis, submissionis, oblationis, & cætera.

XI. *Privata vel publica thuris oblatio non est sacrificium, quia hæc cæremonia ad aliud ab Ecclesiâ ordinatur.*

Dices secundò: Ergo de facto sacrificat is, qui vel privatim vel publicè thus in honorem Dei consumit. Respondetur, actionem illam ex naturâ suâ sufficere ad sacrificium, & fortè in vetere testamento fuit, de facto tamen ab Ecclesiâ ad aliud ordinatur, nempe non ad testandam Dei excellentiam & dominium, sed ut thymiamatis odore, Deum quasi extrinsecè perfundamus, & affectum nostrum internum, quo erga illum ferimur, significemus. Nisi tamen ad alium finem ordinata fuisset ab Ecclesiâ hæc actio, posset esse sacrificium, nunc autem non potest à privato homine contra auctoritatem omnium fieri sacrificium, sicut nec potest privatus homo efficere, ut sceptrum & corona aliud significent quàm potestatem regiam.

XII. *Verùm sacrificaret is qui jam pecudem aliquam in honorem Dei solemniter occideret.*

Quæres: Utrùm si quis jam solemniter occideret pecudem aliquam in honorem Dei, verè sacrificaret necne? Affirmant aliqui, licèt, inquiunt, maximum foret sacrilegium. Existimo ex naturâ rei, & nisi vel à Deo vel authoritate publicâ sint hujusmodi sacrificia, non prohibita solùm, sed annullata, declaratùmque hujusmodi animalium mactationes non ampliùs debere sumi pro signo & testificatione excellentiæ & dominii Dei, esse verum sacrificium, licèt sacrilegum, si verò sint annullata hujusmodi signa, non esse; unde si Deus & auctoritas publica habeant se negativè circa hæc quoad illorum annullationem, licèt ea prohibeant, adhuc quisquis privatus pecudem hoc modo occideret, sacrificaret; sicut si Ecclesia mutaret vel tolleret significationem istius vocis calix, quantumcumque Sacerdos quispiam diceret, hic est calix sanguinis mei, non consecraret, si tamen Ecclesia solùm prohiberet illius usum, retentâ significatione, qui eâ voce uteretur consecraret, licèt non sine peccato.

XIII. *Hinc tamen non sequitur omnes esse Sacerdotes.*

Dices: Si privatus quispiam potest offerre sacrificium, ergo vel omnes sunt Sacerdotes, vel offerri potest sacrificium ab eo qui Sacerdos non est. Respondetur, illum solum esse Sacerdotem, qui auctoritate publicâ ad offerendum sacrificium est destinatus, vel à Deo ad hoc assumptus, juxta illud Apostoli ad Hebræos quinto: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum*, &c. & hoc modo intelligendum est Concilium Tridentinum sess. 23. capite primo, dum ex sacrificio colligit sacerdotium, nisi quis velit loqui Concilium de sacrificio novæ legis, quod non nisi à Sacerdote perfici potest, cùm nullus alius possit consecrare; stando autem præcisè in jure naturali potest aliquis non Sacerdos offerre sacrificium.

XIV. *Martyres moriendo pro Christo, sua corpora non sacrificabant.*

Nec etiam sequitur Martyres sua corpora sacrificasse; tum quia non peragebatur illorum mors tanquam ritus sacer, Dei honorativus, sicut erat mors Christi, toties à Prophetis sub hac ratione prænunciata,

prænunciata, tum etiam quia vitas suas non ex affectu religionis, & ad testandam Dei excellentiam, ac dominium, sed ex Charitate vel fortitudine offerebant.

SECTIO SECUNDA.

An, & quomodo in Missâ verum offeratur Sacrificium.

I. *Christus in arâ Crucis se incruentum offerens sacrificium, Sacerdos simul fuit & hostia.*

CHRISTUM se in cruentum sacrificium Deo per sanguinis effusionem in arâ Crucis obtulisse, verúmque fuisse hac in parte Sacerdotem simul & hostiam, dixi supra disputatione quinquagesimâ nonâ, dum de Sacerdotio Christi, qua de re loquens Apostolus ad Ephesios quinto, versu secundo sic habet: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*: ad Hebræos item nono, versu undecimo sic scribit idem Apostolus: *Christus assistens Pontifex*, &c. *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventa*, &c. eádémque veritas ex plurimis aliis Scripturæ locis apertissimè colligitur, quam proinde cum Sancto Thoma tertiâ parte, quæst. 22. art. 2. Theologi omnes ut indubitatam admittunt. Eâdem etiam disp. nonnulla de incruento Christi sacrificio adjunxi; in præsenti tamen, ut in proprio loco hæc quæstio plenius est discutienda, ejusque secundùm ordinem Melchisedech sacrificium declarandum.

II. *Fide certum est verum & propriè dictum sacrificium in Ecclesiâ dari, illudq; in Eucharistiâ consistere.*

Certa ergo ac de fide doctrina est, quam tenet Ecclesia Catholica, nempe esse in Ecclesiâ Christi verum & propriè dictum Sacrificium, illudque in Eucharistiæ mysterio situm esse: ita Orthodoxi omnes contra nostri temporis hæreticos, qui sacrosanctæ Eucharistiæ oblationem, & hujus mysterii celebrationem negant esse sacrificium: hoc verò à Luthero didicerunt, ille à dæmone, ut fatetur ipse in libro de Missâ privatâ, & unctione Sacerdotum.

III. *Hæc veritas in variis Conciliis est definita.*

Nostra tamen sententia definita est in Concilio Lateranensi capite *Firmiter*, Florentino, & aliis, ac tandem in Tridentino, sessione 22. canone 10. & alibi. Probatur primò; in veteri enim testamento prædicebatur fore in lege gratiæ sacrificium; sic enim Danielis duodecimo dicitur in ultimâ ætate legis gratiæ, tempore scilicet Antichristi, cessaturum juge sacrificium, hoc autem intelligi de sacrificio propriè dicto & visibili patet; primò enim sacrificium simpliciter dictum hoc significat. Deinde, etiam tempore Antichristi, non cessabit sacrificium improprium, nempe oratio, & alia opera bona. Præterea significatur hoc sacrificium fore novum, & successurum sacrificiis antiquæ legis, hoc autem non competit sacrificio improprio, quod omni mundi ætate extitit: hoc etiam sacrificium vocatur unum.

IV. *Christus in ultimâ cœnâ verum obtulit sacrificium. ergo & modo offerunt Sacerdotes.*

Secundò probatur; Christus enim in nocte cœnæ tradens se discipulis sub speciebus panis & vini verum obtulit sacrificium, ergo & Sacerdotes modò idem offerunt, cùm jusserit eos Christus idem facere in ipsius commemorationem. Antecedens probatur; Christus enim est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; ergo debuit aliquando offerre sacrificium incruentum, qui erat modus sacrificandi Melchisedech, imo in pane & vino, sed nunquam hoc fecit nisi in ultimâ illâ cœnâ, ergo.

Tertiò probatur; semper enim fuerunt in Ecclesiâ Catholicâ Sacerdotes, & Pontifices, altaria, & alia hujusmodi: hæc autem omnia ordinantur ad sacrificium propriè dictum: unde ob hoc ipsum Patres omnes inferunt, verum adhuc esse sacrificium, hicque semper fuit communis sensus Ecclesiæ, quod cùm fateatur Lutherus, operæ pretium est audire quam ad hæc responsionem ex prædicto suo magistro hauserit: in libro ergo illo supra citato de Missâ privatâ hæc subdit: *Hic non curamus si clament Papistæ Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres, quia; ut dixi, hominum dicta & facta in tam magnis causis nihil curamus: scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoq; Apostolos: verbo Dei judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoq; ipsos Angelos*: hæc ille. Quis tamen non videat quantæ dementiæ sit doctrinam tot eruditissimorum hominum jam inde à nascente Ecclesiâ scriptis traditam & illustratam, totius antiquitatis calculo firmatam, tot Martyrum signatam sanguine, in ipsis sacris literis expressam, ob unam cum dæmone confabulationem rejicere.

V. *Semper in Ecclesiâ fuerunt Sacerdotes, & altaria, hæc autem omnia ordinantur ad sacrificium.*

Nec detrahit quidquam dignitati Christi, quod plures nunc sint Sacerdotes: non enim sunt tales, qui Christo morienti succedant, ut olim Sacerdotes antiquæ Legis, sed veluti ministri Christi sub eo tanquam uno summo Sacerdote Sacrificium offerunt, sicut licèt ipse sit unus magister & Pastor, plures tamen sunt sub ipso Doctores & Pastores. Nec etiam, quod objiciunt hæretici, est propterea minoris virtutis Sacrificium Christi incruentum; neque enim ideo jam offertur Sacrificium ut suppleatur aliquid quod in illo sacrificio defuit, sed tanquam applicatio illius, sicut merita Christi & hoc ipsum sacrificium applicantur per orationes & opera bona, imo & per Eucharistiæ sumptionem, etiam juxta hæreticos ipsos, & tamen nulla hinc vel meritis vel sacrificio Christi fit injuria.

VI. *Nihil dignitati Christi detrahit, quòd nunc plures sint sacerdotes.*

Ultimò probatur ex celebri illo loco Malachiæ primo, versu undecimo: *Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*: ubi videtur clarè Propheta prædicere repudiatum iri sacrificia legalia, & novum sacrificium in gentibus ad laudem Dei instituendum, quod non est aliud quàm Sacrificium hoc purissimum sub speciebus panis & vini à Christo Sacerdote secundùm ordinem Melchisedech institutum, & Ecclesiæ ab eodem relictum.

VII. *Propheta Malachias hoc nova Legis sacrificium clarissimè prædicit.*

Quæres: Utrùm in Ecclesiâ sint alia sacrificia præter hoc sacrificium Eucharistiæ. Respondetur negativè, ut est communis vox Patrum; Sanctus enim Augustinus variis locis ait Eucharistiam esse unicum Christianorum sacrificium, unicum & singulare, &c. Sanctus etiam Cyprianus sermone de Cœnâ Domini ait Eucharistiam esse inconsumptibilem cibum, quia si consumeretur, inquit, nullum nobis relinqueretur sacrificium.

VIII. *Nulla alia sunt in Ecclesiâ sacrificia præter Eucharistiam.*

Unde licèt Ecclesia varias actiones instituerit solemnitatis & ornatus causa circa hoc sacrificium, sicut circa Sacamenta, tamen sicut istæ non dicuntur Sacramenta, sed Sacramentalia, ita & illæ non sacrificia, sed sacrificialia dici debent, ut benè advertit Suarez disp. 74. sect. 4. Ratio est quia sacrificium esse debet oblatio immediatè ordinata ad cultum Dei, & ad testandam ejus excellentiam ac dominium, non autem sufficit quod sit actio vel cærimonia ordinata solum ad ornatum illius cultus, ut per se videtur clarum.

IX. *Actiones quæ circa hoc sacrificium ab Ecclesiâ sunt institutæ, non sunt sacrificia, sed sacrificialia.*

SECTIO TERTIA.

In qua actione Missæ sita sit essentia hujus sacrificii.

I. *Rejicitur quoddam commentum circa sacrificium Missæ.* REIICIENDUM hic inprimis commentum illud, Missæ scilicet sacrificium in inclinationibus quibusdam, geniculationibus, varijsque gestibus ac motibus corporis consistere, ut Eckhio falsò imponit Kemnitius; quamvis enim motus quidam ac decentes corporis gestus ad hoc sacrificium, sicut ad rem aliam quamcumque externam perficiendam sint necessarii, Catholicorum tamen nullus in gestibus illis ac genuflectionibus à Kemnitio recensitis Missæ sacrificium situm esse unquam asseruit. Deinde indubitatum apud omnes est, substantiam hujus sacrificii in nullo ritu aut cerimoniâ ad Missam Catechumenorum, quæ lectione Evangelii terminabatur, pertinente sitam esse.

II. *In quâ actione Missæ sacrificium situm sit, diversa sunt Auctorum sententia.* Quoad Missam ergo fidelium, quæ jam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesiâ Catholicâ celebratur, in qua actione hoc sacrificium consistat, non satis vel inter Orthodoxos constat. Sex præcipuè sunt in quibus volunt aliqui situm illud esse: Scotus in quarto, distinct. 13. consistere vult in sola oblatione: Recentiores aliqui secuti Henriquez, Azor. & alias consistere volunt saltem partialiter in oblatione illa quæ consecrationē subsequitur: alii sitam esse aiunt in consecratione: alii in fractione hostiæ: alii in cōmunione Sacerdotis: alii demum in communione populi.

III. *Probabilius est Missæ sacrificium in solâ consecratione situm esse.* Inter has sententias illa videtur verior quæ sacrificium hoc statuit in solâ consecratione: ita Sanctus Thomas quæst. 82. articulo quarto, & quæst. 83. art. primo, Gabriël, Soto, Alanus, quos citat & sequitur Bellarminus lib. primo de Missâ, cap. ultimo, Suarez disp. 75. sect. quartâ, Vasquez disp. 222. cap. 5. Coninck quæst. 83. art. primo, dub. quinto, num. 96. Tannerus hic, disp. 5. quæst. 9. & alii.

IV. *Ex iis quæ de Christo referūt Evangelistæ, colligunt Patres eum tunc sacrificasse.* Probatur primò: Ex iis enim quæ de Christo referunt Evangelistæ, colligunt Patres eum sacrificasse, sed nihil de eo referunt præter consecrationem, & distributionem Discipulis factam, in hoc autem, ut videbimus, non consistit sacrificium, ergo in solâ consecratione; nec enim verisimile est Evangelistas in re tanti momenti omissuros fuisse actionem maximè huic sacrificio essentialem.

V. *Sacerdos præcipuè ordinatur ad sacrificandum, præcipua autem ejus potestas est ad consecrandum.* Secundò: Ordinatur siquidem præcipuè Sacerdos ad sacrificandum, sed præcipua potestas, quam per ordinationem accipit, & in ordine ad quam imprimitur character secundùm Concilium Tridentinum sessione vigesima-tertiâ, cap. primo, est potestas consecrandi, & in ordine ad corpus Christi verum, in qua fundatur potestas in ordine ad corpus Christi mysticum, ergo, &c.

VI. *Ex ipsâ naturâ consecrationis ostenditur, hoc sacrificium consistere in consecratione.* Tertiò hoc idem ostenditur à priori ex ipsâ naturâ consecrationis; per eam enim constituitur Christus sub speciebus mortuo quodam modo, & privatur quodammodo vitâ actuali, & consequenter mactatur incruentè; nec enim potest prout ibi existit, vel loqui, vel membrum ullum sui corporis movere, & consequenter non est ibi secundùm naturam & modum existendi aliorum viventium, sed instar rei inanimatæ.

VII. *Hoc sacrificium in consecratione consistere, apertè testatur S. Gregorius Nyssen.* Hoc apertè testatur sanctus Gregorius Nyssenus homiliâ primâ de Resurrectione, ubi inter alia dicit, victimæ corpus non esse ad edendum idoneum, si animatum sit: *Quare*, inquit, *cùm Christus corpus suum edendum & sanguinem bibendum Discipulis exhibuit, jam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum*, &c. ubi notandum affirmare ipsum corpus Christi priùs fuisse immolatum quàm illud traderet Discipulis, & consequenter peractum sacrificium à Christo per consecrationem. Idem affirmat Concilium Nicænum primum dicens, situm esse in altari agnum illum Dei incruentè à Sacerdotibus immolatum. Unde in die Parasceves non offertur propriè sacrificium nisi objectivum, quod etiam dicendum de consuetudine Græcorum, qui in Quadragesimâ non consecrabant nisi in Sabbato & Dominicis, aliis autem diebus sumebant species priùs consecratas.

VIII. *Panis etiam hic verè destruitur in honorem Dei.* Hic tamen notandum, etsi præcipua hostia, & quæ simpliciter dicitur sacrificari sit Christus, secundariò tamen ut ait Suarez, Bellarminus, & alii, & quasi appendix hujus sacrificii est panis, qui verè etiam destruitur in honorem Dei, & consequenter integrat unum sacrificium cum corpore Christi, sicut in lege veteri condimenta cum animali in jugi sacrificio. Actus etiam sacrificandi consistit in actione conversivâ connotando formam consecrationis; per hanc enim redditur sacrificium sensibile, ut benè declarat Suarez disp. 75. sect. 5. Actio verò conversiva esto esset actio productiva Christi, posset esse actus sacrificandi, tum quia alibi supponitur Christus esse, tum quia ita eum in se quidem vivum producit, ut quoad modum producat eum mortuum, in quo est differentia de primâ productione animalis mortui, quæ non esset illius sacrificatio: at in nostrâ sententiâ de conversione nulla est difficultas.

IX. *Quamvis communio Sacerdotis spectet aliquo modo ad integritatem sacrificii, in eâ tamen essentialiter non consistit.* Esto itaque communio Sacerdotis, & aliqua alia ex iis quæ supra posuimus spectent ad integritatem sacrificii, in nullo tamen ex iis essentialiter situm est: non in oblatione vel ante vel post consecrationem, tum quia Christus perfectè sacrificavit, & tamen non usus est his oblationibus: deinde non fit per oblationes istas sufficiens mutatio in hostiâ principali, ut propterea dicatur sacrificari, aut immolari. In primâ insuper oblatione nihil offertur præter panem & vinum, ac proinde solùm est cerimonia quædam ab Ecclesiâ instituta ad devotionem, attentionem, & reverentiam in audientium animis excitandam.

X. *Missa etiam sacrificium non consistit in fractione.* Non etiam consistit in fractione, tum quia non est certum Christum fregisse panem post consecrationem, qui tamen perfectè sacrificavit, tum etiam quia fractio illa non fuit mystica, ut ait Sanctus Augustinus Epistolâ 59. ad Paulinum, quæstione 5. nempe ad mysterium aliquod significandum facta, sed usualis, unde in tot partes divisit panem, quot ad communicandum discipulos erant necessariæ. Deinde per fractionem solam non fit mutatio sufficiens circa præcipuam hostiam, videlicet Christum. Prætèrea si hostia tota decidat in calicem, non debet fieri hæc fractio, imo licèt in Liturgiâ Sancti Jacobi & Sancti Chrysostomi ponatur hæc cærimonia, in Liturgiâ tamen Sancti Basilii nulla fit illius mentio, quòd indicio est non esse de necessitate sacrificii, cùm non fuerit universalis. Quod etiam eodem modo dici debet de mistione.

XI. *Essentia denique hujus sacrificii.* Non consistit in sumptione; cùm enim sola consecratio sit actio sufficiens ad rationem sacrificii, quod certissimum esse docet Suarez disp. 75. sect. 5.

sacrificii non consistit in sumptione.

sect. 5. & jam ostensum est, in hac solâ statuendum est sacrificium nostrum incruentum, nullum siquidem habemus fundamentum communionem illi tanquam quid essentiale adjungendi. Inprimis enim Christum perfectè sacrificasse certum apud omnes est, cùm tamen incertum sit, utrùm suum corpus in Eucharistiâ sumpserit. Secundò hoc idem ostenditur ex Patribus, quorum aliquos supra attulimus, qui agnum Dei per consecrationem immolatum esse dicebant. Tertiò, quia sacrificium hoc incruentum est repræsentatio quædam sacrificii cruenti in Cruce, hoc autem totum perfectum est ante sepulturam, ergo & incruentum ante sumptionem, quæ refertur juxta Patres ad sepulturam. Quartò & præcipuè, quia actus sacrificandi esse debet immutatio circa hostiam principalem, nempe Christum, Christus autem non desinit esse sub speciebus ex vi alicujus alterationis ad ipsum terminatæ, ergo, &c.

XII. *Sacerdotis communio aliquo modo accidentaliter spectat ad hoc sacrificium.*

Communio tamen Sacerdotis spectat ad complendum, saltem accidentaliter hoc sacrificium, cùm ipse sit præcipuus conviva in hoc convivio, & consequenter decere videtur, ut de eo gustet. Communio autem Laicorum non omnino spectat ad sacrificium, cùm perfectissimè completum censeatur, licèt nullus communicet, ut ex quotidianâ Ecclesiæ praxi cernitur. Præterea sequeretur laicos in Missâ sacrificare, imo infirmos extra Sacrum, cùm tamen munus sacrificandi, etiam partialiter in lege gratiæ solis concedatur Sacerdotibus. Unde licèt Laici quatenus comedunt victimam jam immolatam, & sacrificium objectivum, annuncient mortem Domini; non tamen sacrificant. Verum quidem videtur potuisse Christum instituisse, ut aliqua ex istis potuissent esse de essentiâ sacrificii novæ legis, non tamen habemus fundamentum dicendi, ita eum de facto fecisse.

SECTIO QUARTA.

Alia quædam circa Sacrificium incruentum.

I. *Ut hoc Sacrificium effectus suos cõferat, quid requiratur tam ex parte offerentis immediati, quàm mediati.*

QUÆRES primò: Quid ex parte offerentis requiratur, ut hoc sacrificium suos effectus conferat? Inprimis ex parte offerentis immediati requiritur character Sacerdotalis: deinde ut habeat intentionem sacrificium offerendi. Ex parte autem offerentis mediati, seu illius qui unà cum Sacerdote hoc sacrificium offert, requiritur similiter character baptismalis, sine hoc namque nullus omnino fructus in eum ex opere operato derivatur: insuper requiritur aliqua intentio sacrificio illi cooperandi: debet etiam mediatè offerens esse homo viator, unde nec Angeli nec animæ separatæ licèt Missæ sacrificio assistant, dici possunt sacrificium hoc offerentes. Is etiam cui applicatur, seu pro quo offertur hoc sacrificium, ut ex opere operato ei prosit, habere debet characterem baptismalem: & ulteriùs oportet ut alicujus saltem illius effectus capax sit, eoque indigeat.

II. *Peccatum Sacerdotis non impedit, quo minùs cooperatio mediati offerentis sortiatur effectum.*

Quæres secundò: Utrùm peccatum Sacerdotis hoc sacrificium offerentis impediat quo minus cooperatio mediatè illud offerentis sortiatur effectum ex opere operato. Quorundam sententia est impedire: probabilius tamen est contrarium, hujus namque sacrificii effectus, non ex meritis Sacerdotis illius offerentis procedit, sed ex meritis Christi. Addo ulteriùs ad hoc ut Missæ sacrificium effectum suum conferat, non requiri ut subjectum cui illum confert, sit in statu gratiæ; cùm enim Deus auxilia gratiæ peccatori ob Christi meritâ conferat, à fortiori remissionem pœnæ peccatis remissis adhuc debitæ, & similes hujus sacrificii effectus illi ob eadem merita conferet. Sed de horum nonnullis sectione sequente iterum redibit sermo.

III. *Utraque species non est de essentiâ hujus sacrificii.*

Quæres tertiò: An utraque species sit de essentiâ hujus sacrificii? Respondetur cum Bellarmino lib. quarto de Eucharistiâ, cap. vigesimo secundo, Alano, & aliis, non esse, sed sufficere consecrationem sub unâ factam. Ratio est, quia per consecrationem sub unâ specie sufficienter immutatur Christus, & immolatur, ac in honorem Dei offertur, atque passio ejus ac mors repræsentatur: per quod solvitur præcipuum argumentum contrariæ sententiæ Secundò probatur: Quia secundùm Nicænum & Tridentinum corpus Christi, dum illud sumerent Apostoli erat verè sacrificatum, sed illi sumpserunt corpus ante consecrationem calicis, ergo.

IV. *Sicut tamen in Sacramẽto, ita & in sacrificio utrâque species unum integrum sacrificium constituit.*

Sicut tamen, ut supra diximus, etsi Christus sub unâ specie constituat Sacramentum, utraque tamen species constituit unum Sacramentum secundùm diversas partes integrales, idem dicendum de sacrificio, sicque utraque species constituit unum integrum sacrificium integrale, quamvis altera ad sacrificium sufficiat, cùm verè sub alterâ tantùm specie immoletur Christus incruentè, sicut diversæ partes horti aut domus unum hortum & domum cum aliâ cui adduntur constituunt, ut supra diximus etsi prima pars, sit hortus etiam & domus. Aliquæ tamen sunt partes ita integrantes, ut sine iis res non sit completa, ut homo sine manu, domus sine tecto, &c. ex his autem partibus non est consecratio calicis in sacrificio, nisi merè secundùm modum. fructus tamen fortè hujus sacrificii alligatus à Christo est utrique speciei.

V. *Peccaret tamen graviter quisquis in alterâ tantùm specie sacrificaret.*

Gravissimè nihilominus peccaret, quisquis in alterâ tantùm specie hoc sacrificium perficeret, cùm saltem præceptum sit, vel divinum, ut volunt plurimi, vel saltem humanùm, ut alii affirmant. unde aiunt dari aliquando posse sufficientem occasionem ex dispensatione Pontificis celebrandi sub unâ tantùm specie. Imo de facto dicitur Innocentius octavus dispensasse cum Norvegis ob penuriam vini, ut sub alterâ tantùm specie consecrarent, ne omnino sacrificio carerent, & in hæreses laberentur. Aliqui etiam volunt, licèt sit præceptum divinum, posse nihilominus Summum Pontificem subinde dispensare.

VI. *Sacerdos celebrans tenetur sub gravi peccato communicare sub utrâque specie.*

Quæres quartò: Utrùm Sacerdos celebrans teneatur communicare sub utrâque specie. Respondetur, teneri, & peccare graviter si id non præstet, ut habetur in capitulo *Comperimus de consecratione* distinctione secundâ, & in Concilio Tridentino, & alibi. Non tamen tenetur totum consumere quod consecravit, sed partem etiam suæ hostiæ dare potest communicanti. Hoc autem præceptum verisimilius est non esse juris divini, cùm quicquid non est de substantiâ vel Sacramenti, vel sacrificii, subsit potestati Ecclesiæ, ut supra diximus ex Concilio Tridentino. Deinde novi Sacerdotes non communicant sub utrâque specie ex permissione Ecclesiæ, imo solus Episcopus utramque speciem sumit, qui tamen fortè neutram aliquando consecrat.

Cùm etiam in usu apud multos Sacerdotes sit, ut hostiam quam jam consecrant collocent in remonstrantiâ, & illam quæ antea in eâ fuerat sumant, arguere videtur non esse juris divini, ut Sacerdos teneatur communicare ex hostiâ, quam consecravit. Hoc etiam ex eo suadetur, quòd novi Sacerdotes non ex materiâ ab ipsis tunc consecratâ, sed ex præconsecratis subinde communicent.

VII. *Sacerdotum quorundam circa communionem in Missâ consuetudo.*

SECTIO QUINTA.

Quinam hoc Sacrificium offerre possint, & pro quibus.

I. *Plures in Ecclesiâ esse Sacerdotes, & incruentum hoc sacrificium sæpiùs offerri, certum est.*

QUAMVIS Apostolus in Epistola ad Hebræos, unius tantummodo Sacerdotis & unius Christi sacrificii mentionem faciat, plures tamen esse in Ecclesiâ Sacerdotes, & incruentum hoc sacrificium sæpiùs offerri, indubitatum est: quemadmodum licèt Christus sit unus Magister, & unus Pastor, plures nihilominus sub Christo esse Doctores & Pastores certum est, qui oves Christi instruant, pascant, & gubernent, ac de terrestri hoc ovili ad cœleste fœlicissimè eas transmittant, nunc itaque circa præsentem materiam inquirendum, quinam & quomodo hoc Sacrificium incruentum veluti Sacerdotes offerant.

II. *Christus ipse hoc sacrificium offert principaliter.*

Inprimis Christum ipsum, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, hoc sacrificium principaliter offerre certum est de Fide, & definitum in Tridentino, & habetur capite *Firmiter*. Non verò immediatè aliquid circa hoc sacrificium nunc agit Christus, sed solùm offert in quantum hoc sacrificium ad Dei honorem instituit, & Sacerdotes sibi tanquam ministros substituit, ut in illius personâ quotidie illud Deo offerrent, sicque illud offert Sacerdotum ministerio, ut docet Tridentinum, qui proinde loquuntur hic in personâ Christi, & verbis Christi, cùm in aliis Sacramentis loquantur in personâ propriâ.

III. *Sacerdotes omnes & soli possunt offerre hoc sacrificium.*

Omnes & soli Sacerdotes possunt propriè hoc sacrificium offerre: est certa conclusio, ac de Fide. Ratio est clara, hoc namque sacrificium sit per consecrationem, solis autem Sacerdotibus conceditur hæc potestas, quâ etiam non privantur quantumcunque excommunicati sint, ab officio suspensi, depositi, degradati, Schismatici, vel etiam hæretici. Aliquo tamen modo possunt Fideles omnes hoc sacrificium offerre, vel quia sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine Sacerdos illud offert, vel quia præsentes sunt, eique generali aut peculiari modo nempe ministrando assistunt, vel devotione aliquâ actuali Christum Patri offerunt: sicut dicitur in canone Missæ, *Memento Domine famulorum*, &c. *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Quæ omnia fusiùs declarat Suarez hic, disp. 78. sect. secundâ & tertiâ, Bellarminus, Vasquez disp. 226. Coninck quæst. 8. artic. primo, dub. 6. & alii.

IV. *Pro omnibus in Purgatorio detentis offerri potest Missa sacrificium, idq; licèt non fuerint baptizati.*

Pro omnibus defunctis in Purgatorio detentis potest offerri hoc sacrificium, etiamsi baptizati non fuerint: Primo inim Concilium Tridentinum sessione vigesima-quintâ initio docet universim animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari. Deinde Sanctus Ambrosius pro Valentino Imperatore catechumeno jussit Missam celebrari, quod etiam præcepit Pontifex capite *Apostolicam* pro quodam existimato Sacerdote qui piè vixerat, sed per errorem baptizatus non fuit. Probabilius tamen videtur hoc sacrificium non baptizatis non prodesse ex opere operato, sed solùm per modum impetrationis, ut Deus liberaliter iis aliqua concedat. Pro parvulis sine Baptismo defunctis offerri hoc sacrificium non potest.

Pro damnatis offerri nequit hoc sacrificium, cùm ibi nulla sit redemptio. Pro Beatis hoc sensu offerri potest, ut fusiùs explicat Suarez disput. 79. sect. tertiâ, & alii, nempe ut Deo offeratur pro beneficiis in sanctos collatis; gaudent enim Beati non à se solum, sed etiam ab aliis pro se gratias agi.

V. *Offerri nequit pro damnatis.*

Quoad vivos dico posse pro omnibus non excommunicatis, etiam Catechumenis & infidelibus non baptizatis hoc sacrificium, saltem privatim offerri. Quoad Catechumenos olim mos fuit, ut refert Sanctus Clemens libro octavo, capite quadragesimo-quinto, & quadragesimo-sexto, ut orationes pro iis in Missa fierent: quod etiam habetur in Liturgia sancti Chrysostomi, docétque sanctus Augustinus, & alii Patres, Baptismus namque licèt sit janua Sacramentorum, non tamen sacrificiorum, cùm etiam in Lege vetere sacrificia pro Gentilibus subinde offerrentur, qui tamen ad illa Sacramenta, nisi susceptâ priùs circumcisione non admittebantur.

VI. *Offerri potest hoc Sacrificium pro omnibus viventibus non excommunicatis.*

Triplex assignari solet hujus sacrificii fructus: primus est remissio peccatorum mortalium & venialium, non quidem immediatè, sed impetrando peculiaria auxilia ad pœnitentiam, & alios bonos actus, quorum operâ peccata deleantur. Secundus fructus est remissio pœnæ temporalis tam in vivis quàm defunctis, quem effectum præstat hoc sacrificium immediatè in iis quibus applicatur. Tertius demum est aliorum beneficiorum collatio, quem tamen non ita certò præstat ac duos priores.

VII. *Triplex est hujus Sacrificii fructus.*

Debet autem applicatio fieri ante consecrationem saltem calicis; in hac enim actione diximus situm esse actum sacrificii: malè itaque facit, qui priùs varias Missas anticipatè celebrat, & postea illis applicat, qui ei offerunt stipendium. Ratio est quia sacrificium, sicut & Sacramentum quodvis, tunc operatur quando primùm absolvitur, imo malè ageret licèt quando celebrat faciat intentionem celebrandi pro eo qui primus est oblaturus stipendium; contingere enim potest eum qui primus est daturus stipendium, & consequenter cui tunc applicatur sacrificium non esse ita dispositum quando peragitur sacrificium ad effectum illius percipiendum.

VIII. *Applicatio fieri debet ante consecrationem, saltem calicis.*

Quæres: An Missæ sacrificium sit valoris simpliciter infiniti? Inprimis certum est hoc sacrificium in actu primo esse infinitum; hostia enim est ipse Christus, qui etiam est principalis offerens: ita omnes communiter. Est ergo hoc sacrificium sufficiens ad quidvis obtinendum, sicut & merita Christi. Quæstio itaque solùm est circa liberam Dei institutionem, Utrùm scilicet de facto ita ordinaverit, ut ei in actu secundo contulerit virtutem præmium aliquod infinitum extensivè obtinendi; de effectu enim intensivè infinito nullum ei assignatum esse, in confesso est apud omnes.

IX. *Sitne Missa sacrificium valoris simpliciter infiniti.*

Cùm ergo nulla de hac re facta sit revelatio, agendum est conjecturis & congruentiis. Dico itaque

X. *Nulla hac*

de re facta est revelatio, sicq; agendum congruentiis.

itaque cum Scoto, Gabriële, Soto, Suarez hîc, disp. 79. sect. duodecimâ, Tannero, Coninck quæst. 83. art. primo, dub. decimo, Præposito ibidem dub. decimo sexto, & decimo septimo, & aliis, effectum illius quem ponitur obex, esse finitum & limitatum: unde si idem sacrificium pro multis à Sacerdote offeratur, dividitur fructus ejus inter omnes, & quo plures sunt, eo unusquisque minus accipit.

XI. *Ex communi praxi Ecclesiæ ostenditur effectûs hujus Sacrificii esse finitum.*

Probatur itaque primò ex communi praxi Ecclesiæ; sæpiùs enim pro eâdem animâ sacrificium offerimus, idque ex præscripto Ecclesiæ, ut constat ex Missali. Probatur secundò: Nam si effectus sacrificii ejusmodi sit, ut multis, vel etiam omnibus applicatum sacrificium ita prosit omnibus & singulis, ac si pro uno tantùm offerretur, non rectè facerent Sacerdotes, qui subinde pro uno solùm vel vivo vel defuncto sacrificium offerunt; cur enim reliquos privarent illo beneficio, cùm nihil minus utilitatis, ex eo quòd pro aliis offeratur, proveniat illi pro quo solo jam offertur.

XII. *Sequeretur ex contrariâ sententiâ, eum qui à pluribus stipendium accepisset, posse per unam Missam omnibus satisfacere.*

Tertiò probatur: Nam per se loquendo, & ex vi institutionis sacrificii, posset secundùm hanc sententiam Sacerdos, postquam stipendium à pluribus accepit, uno sacrificio singulis applicato, omnibus satisfacere: quod enim aliqui negant hoc fieri posse, ratione dubii, nihil facit, nam saltem per se loquendo, ut diximus, & quantum est ex naturâ sacrificii, hoc posset fieri. Dices, non posse, quia datur stipendium pro labore, quisque autem laborem illum jure sibi vendicat. Contra: Labor ille non alio modo expetitur nisi in quantum est conditio quædam ad fructum sacrificii percipiendum, si ergo ille labor ex eo quòd insumatur pro alio nihil minuit utilitatis, quam hic percipit, sanè irrationabiliter esset invitus, ut pro alio offerretur.

Dices, Sacramentum Eucharistiæ pluribus collatum, tantum unicuique prodest, atque si illi soli applicaretur, ergo & sacrificium. Nego consequentiam: Disparitas est, eadem quippe numero hostia nunquam pluribus confertur, quod si fingatur casus ut plures sumant eandem hostiam, saltem sumptio est diversa.

XIII. *Aliud quo ad hoc est de Sacramento Eucharistiæ, aliud de Sacrificio.*

Dices secundò, hinc sequi, si plures intersint eidem Sacro, minorem eos fructum percipere, quàm si adessent pauciores, & multo minùs quàm unus si solus Sacrum audiret. Nego sequelam; sub hac enim ratione qui Sacro intersunt, unusquisque sigillatim sacrificium illud offert independenter ab alio, & consequenter fructum etiam ejus independenter ab alio percipit, nec ullo modo minorem, quàm si solus adesset, imo aliquando majorem; quo enim plures Sacro assistunt, & majore cum devotione aliquid petunt, citiùs & copiosiùs obtinent quod postulant, nec enim minùs placet Deo Petri oblatio ex eo quod Paulus etiam offerat, quàm si non offerret.

XIV. *Objic. Ergo si plures sacro intersint, minorem fructum percipiunt, quàm si tantùm adesset unus.*

Hac ergo ratione crescere potest effectus hujus sacrificii per modum impetrationis, ut docet Suarez citatus, & Coninck dubio decimo, num. centesimo octogesimo-septimo, & dubio 7. numero centesimo decimo-octavo, nempe, ita ut pro diversitate & numero, devotionéque eorum qui intersunt sacrificio, illudque aliquo modo offerunt, uberiorem & uberiorem effectum conferat in infinitum. Ratio hujus est, quia inprimis nec est impossibile ut Deus hoc modo sacrificium instituat, deinde hinc non sequuntur illa incommoda quæ supra posuimus: Nec etiam redderentur homines otiosi, & tepidi in pietate, quod tamen sequitur ex priori, si poneretur effectus ex opere operato infinitus. Unde etiam in ratione impetrationis pendet fructus sacrificii à bonitate Sacerdotis, non tamen is qui confertur ex opere operato. Et hæc de Sacramento simul & sacrificio novæ Legis.

XV. *Quo pacto crescere possit effectus hujus sacrificii per modum impetrationis.*

DISPUTATIO OCTOGESIMA TERTIA.

De celebratione Missæ & Communione.

INTER ritus omnes in Dei cultu ab Orthodoxis adhiberi solitos Missa *primum locum obtinet, quæ jam inde à nascente Ecclesiâ, quamvis non cum iisdem semper cæremoniis, in ejus honorem offerebatur.* Missæ *verò nomine, ut hæc vox modò usurpatur, non precum tantùm & sacrarum lectionum collectio usque ad Offertorium, quæ* Missa Catechumenorum *dicebatur, quòd tunc juberentur Catechumeni discedere, sed illa etiam Liturgiæ pars intelligitur, quæ reliqua omnia usque ad finem complectitur, appellabatúrque* Missa Fidelium. *De hujus ergo celebratione, variisq; ad illam spectantibus, ut de loco, tempore, aliisque ejusdem circumstantiis, brevem hîc tractatum adjiciam: deinde nonnulla etiam de sacra Communione adjungam.*

SECTIO PRIMA.

Annotantur quædam circa celebrationem Missæ.

I.

Resp. In Ecclesia benedictâ, vel consecratâ.

QUÆRES primò: Quo loco celebrari debeat sacrificium Missæ? Respondetur: Seclusis privilegiis & casu necessitatis non posse Missam celebrari extra Ecclesiam consecratam aut benedictam (vel ut ait Sanchez lib. 9. de Matri. d. 15. num 39. cum aliis, in oratorio ad publica officia divina ab Episcopo deputato, licèt consecratum aut benedictum non sit) ita Suarez tertia parte, tom. 3. disp. 81. sect. 3. Tolet. lib. 2. cap. 2. num. 1. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 115. Bonacina d. 4. quæst. ultima, punct. 9. num. 9. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. primo, & quamvis Emmanuel Sa verbo *Missa*, num. 20. & Soto existiment secluso scandalo & contemptu non esse peccatum mortale in quovis loco honesto & decente celebrare, contrarium tamen dicendum cum Doctoribus citatis, tum quia materia gravis videtur, tum etiam quia sub pœnâ gravi, depositionis scilicet ab officio prohibetur.

Seclusis privilegiis.

Dixi seclusis privilegiis, Gregorius enim XIII. concessit Presbyteris Societatis JESU ut possint in missionibus & in castris in quovis loco honesto Missam facere.

Quid in casu necessitatis.

Dixi etiam extra casum necessitatis; si enim Ecclesiæ alicubi essent dirutæ, vel in die festo tanta esset frequentia populi, ut templum capax non foret (quam aliqui ad primam Missam in die non festo celebratam extendunt) & alia hujusmodi, tunc alio in loco, aut etiam sub dio sacrificare liceret: si tamen adiri possit Episcopus, petenda ab eo licentia.

II.

Quoad mare variam Auctores.

Quæres secundò: Liceátne in mari Missam celebrare, aut in Ecclesiâ violatâ? Quoad primum negat Tolet. lib. 2. cap. 2. num. secundo, Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 116. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, punct. 9. num. undecimo, & communior sententia ob periculum effusionis sanguinis. Sa tamen verbo *Missa*, num. 19. ait seclusa hoc periculo licere. quod etiam affirmat Henriquez, Angles, & alii, & inclinare videtur Laym. tract. 5. cap. 5. num. 6. quod mihi probabile videtur, & jam passim fieri aiunt à Lusitanis dum in Indiam tendunt.

Quid de Ecclesiâ violatâ.

Quoad secundum conveniunt omnes non posse celebrari Missam in Ecclesia violata, cùm extet hac de re prohibitio Ecclesiæ. Gravi tamen urgente causa posset Episcopus concedere licentiam ut in ea ante reconciliationem celebretur.

III.

Virum ante auroram.

Quæres tertiò: Quo tempore celebrari debeat Missa? Respondetur: Communi jure non licere Missam celebrare ante auroram, id est horâ circiter cum mediâ ut ait Filliu. ante ortum Solis: ita Suar. tertia parte, tom. 3. d. 80, sect. 4. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 111. Bonacina d. 4. quæst.

quæst. ultimâ, punct. 9. num. 2. Layman libro 5. tract. 5. cap. 4. num. 1. Addunt Suarez, Filliuc. & Bonacina posse mediâ horâ ante crepusculum Missam inchoari, ita ut finis Missæ sit sub initium crepusculi.

Quid ex privilegio, vel urgente necessitate.

Ex privilegio tamen, vel urgente necessitate potest quis adhuc aliquanto magis tempestivè Missam celebrare, ut notat Layman num. 3. & alii: imo consuetudo obtinuit in quibusdam Galliæ partibus, in Belgio, & superiore Germania, ut hyemis tempore tribus vel quatuor horis ante ortum Solis Missa inchoetur, ut operarii & famuli priùs audire Sacrum possint, quàm se ad opera conferant. In nocte etiam Nativitatis ait Suarez, & alii, posse omnes tres Missas dici ante auroram, licet Bonac. neget.

Possitne celebrari post meridiem.

Sacrum sine privilegio aut necessitate inchoari non debet post meridiem; hoc enim in rubricis præscribitur: ita Suarez dist. 80. sect. 4. Filliuc. tract. 5. cap. 4. num. 113. Layman. tract. 5. c. 4. num. 3. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, punct. 9. num. 6. qui addit peccare mortaliter Sacerdotem, qui sine causa Missam intra spatium trium quadrantum vel horæ post meridiem non perficit; imo, inquit Azor, si intra tertiam horæ partem id non præstet, licèt Navarrus usque ad tertiam pomeridianam Missas celebrari posse asserat, quod tamen alii ferè omnes negant.

Quid in casu necessitatis.

In casu autem necessitatis, puta ratione itineris aut alterius impedimenti, ut ne infirmus sine Viatico decedat, &c. potest Missa post meridiem inchoari; imo, inquit Layman, potest ex quacunque justâ causâ Missa unò vel altero quadrante post meridiem inchoari. Si verò in die solemni concio aut Sacrum solemne ultra meridiem per unam aut duas horas protrahatur, putat Suarez citatus & alii, post solemne officium finitum posse privatam Missam inchoari, præsertim si pars aliqua populi Missam non audivisset: quamvis hoc negare videatur Bonacina citatus.

IV.

Resp. Non licere.

Quæres quartò: Liceatne bis aut sæpiùs in die celebrare? Respondetur, excepto die Nativitatis (in quo, licèt nullum sit præceptum tres Missas, vel dicendi, vel audiendi, permissum nihilominus est ter Missam celebrare) non licere extra casum necessitatis bis Sacrum facere: ità Suarez d. 80. sect. tertiâ, Filliu. tract. 5. c. 4. num. 108. Layman tract. 5. cap. 4. num. sexto, & omnes: probaturque ex cap. *Sufficit* de Consecratione, d. 1. ubi declaratur esse grave peccatum: deinde consuetudo immemorabilis idem ostendit.

Peculiares aliqui casus.

In casu tamen necessitatis potest Sacerdos jejunus bis celebrare, ut ne moribundus absque viatico decedat: si tamen Sacerdos tempestivè in Sacro moneatur, potest, inquit Layman, particulam suæ hostiæ ei reservare. Prætereane populus in die festo Missâ privetur quia parochus duabus præest parochiis.

Quid de Angliâ.

Addunt Navarrus, Azor, & alii, in Angliâ, ubi pauci sunt Sacerdotes, posse aliquem sæpiùs in die ad satisfaciendum populo Catholico celebrare. Unde licèt Sotus & alii nonnulli negent, probabilius tamen est quod affirmat Suarez, Coninck, & Layman, licitum esse ex justâ occasione non bis tantùm, sed sæpiùs eodem die celebrare.

V.

Negant aliqui.

Quæres quintò: An teneatur Sacerdos aliquando Missam celebrare? Sanctus Bonaventura, Halensis, Victoria, Rodriguez, Angles, & alii nonnulli dicunt simplicem Sacerdotem non peccare mortaliter licèt nunquam celebret, modò in Paschate communicet. Quam opinionem Suarez § *Hæc res* ait esse probabilem, & excusari à peccato posse aliquem qui se ei conformare velit.

Contrarium est probabilius.

Probabilius tamen est Sacerdotem quemcumque legitimè non impeditum graviter peccaturum, nisi ter saltem vel quater in anno celebret: ita S. Thomas quæst. 82. art. 10. Suarez d. 80. sect. 1. Valentia tomo quarto, d. 6. quæst. 10. p. 3. Henriquez lib. 9. cap. 23. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 1. Coninck quæst. 83. art. 2. d. 1. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 96. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 7. num. 1. Layman tractatu 5. cap. 3. num. 1. & communis sententia.

Hujus rei ratio.

Ratio est, tum quia verba Christi Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, id innuere videntur, ut declarat Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. tum quia occasionem scandali aliis præbet, cùm ingerat suspicionem pravæ conscientiæ. Unde cùm Caietanus dixisset Sacerdotem nunquam celebrantem peccare solùm venialiter, Pius Quintus in ultimâ editione Romanâ operum Sancti Thomæ jussit opinionem illam Caietani expungi.

VI.

Licèt Feriâ quintâ in Cœnâ Domini.

Quæres sextò: Sintne dies aliqui in quibus celebrare non liceat? Dico primò, feriâ quintâ in cœnâ Domini licitum est cuivis Sacerdoti, seclusò scandalo, & consuetudine in contrarium, celebrare: ita Suarez d. 80. sect. secundâ, Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 105. Layman tract. 5. c. 4. num. 9. Ratio est, quia nullum est præceptum aut prohibitio in contrarium. Consuetudo autem qua Sacerdotes eo die de manu Superioris communicant, tantùm est ex devotione.

Idem est die Sabbato sancto.

Dico secundò: Sabbato sancto, seclusò scandalo, licitum est Missas etiam privatim celebrare, saltem ab eo tempore quo incipit, vel incipere potest Paschale officium: ita Suarez d. 80. sect. 2. fine, dicens opinionem hanc esse practicè securam, licèt, ut omne scandalum vitetur, putet non sine causâ consulendam, Filliu. tract. 5. c. 4. num. 107. addens viros etiam timoratos celebrare eo die solere post pulsationem campanarum, Coninck quæst. 83. art. 2. d. 2. & ut problema amplectitur Layman tract. 5. cap. 4. num. 8. Omnes tamen hi fatentur licere unam Missam mane privatim pro iis dicere qui officio publico interesse commodè non possunt, sicut etiam ad communicandum infirmum, &c.

Hujus rei ratio.

Ratio est, quia licèt olim hoc prohibebatur, eo quòd Ecclesia illo die ne quidem publicè Missam celebraret usque ad initium Dominicæ, jam tamen cùm ablata sit hæc prohibitio quoad publicum officium, censetur etiam ablatum quoad privatum, licèt Navarrus, Henriquez lib. nono, cap. 24. num. tertio, & alii nonnulli existiment esse peccatum mortale Missam privatam eo die sine causâ celebrare.

In die Paraseeves non licet celebrare.

Dico tertiò: In die Paraseeves non licet Missam celebrare: ita omnes. Ratio est, tum quia jure canonico prohibitum est cap. *Sabbato* de consecratione d. 3. tum quia ne publicè quidem Ecclesia eo die Missam celebrat, sed Sacerdos tantùm communicat ex hostiâ præconsecratâ. Addit tamen Suarez, Filliu. Layman, & alii licitum esse per se loquendo eo die communionem distribuere, cùm Innocentius I. cap. illo *Sabbatho* solùm prohibeat sacrificium. Mos etiam antiquis fuisse videtur, ut communio eo die distribueretur.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De iis quæ ad Missæ celebrationem requiruntur.

I.

Sine altari celebrari non potest.

QUÆRES primò: An, & quale requiratur altare ad Missam celebrandam? Respondetur, non esse licitum celebrare sine altari: ita omnes Auctores, cùm sacrificium sine altari confici non possit. Altare majus olim ut plurimum erigebatur versus Orientem, sed solùm ex decentiâ, non necessitate: ita Suarez d. 81. sect. 5. fine, & Filliu. tract. 5. cap. 4. n. 123.

Altare debet esse lapideum.

Altare autem debet esse lapideum à tempore Sylvestri Papæ, & habetur cap. *Altaria* de Consecratione d. 1. & vel lapis integer, qui totum per se altare constituat, ut ait Suarez, & Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 9. num. 12. vel portatile, seu mobile, aut viaticum, ut vocant, tantæ magnitudinis, ut hostiam seu patenam cum pede calicis, inquit Suarez d. 81. sect. 5. & Fill. tract. quinto, cap. quarto, num. 121. vel ut corpus cum majore parte calicis capiat, inquit Tol. lib. 2. cap. 2. num. 10. licèt ut ait Layman tract. quinto, cap. 6. num. secundo, non oporteat quemquam scrupulosè solicitum esse ut calix & patena secundùm omnes sui partes super lapidem consistant; sufficit enim, inquit, si major eorum pars in eo posita sit, quod etiam docet Suarez citatus.

Debet altare esse consecratum ab Episcopo.

Hoc altare necessariò debet esse consecratum ab Episcopo, licèt Paulus III. concesserit Presbyteris Societatis Jesu, ut in partibus remotissimis infidelium, ubi Episcopi non sunt, possint altaria consecrare. Amittit verò consecrationem si notabiliter ita frangatur, ut in nullâ ejus parte collocari calix cum patenâ possit. Altare autem fixum ulteriùs desinit esse consecratum ipso facto quòd à reliquâ structurâ removeatur. Layman etiam, & alii nonnulli volunt altare portatile amittere consecrationem, si à ligno cui inclusum est separetur, si in illo ligno sit signum seu loculus Reliquiarum. Suarez tamen citatus, Filliu. & alii affirmant nec lignum ad altare portatile necessarium esse, nec Reliquias, imo si quod olim fuerit præceptum de Reliquiis, jam usu cessasse.

Quid de Reliquiis.

II.

De mappis, corporali, & palla.

Quæres secundò: Quomodo vestiri debeat Altare ad sacrificium Missæ? In primis duæ mappæ lineæ, quas toballias vocant, extendi debent, vel saltem una duplicata. Deinde requiritur corporale similiter lineum quoad partem interiorem, hoc olim tantæ erat longitudinis, ut etiam calicem cooperiret, nunc autem divisum est, & illa pars, quam pallam vocamus, id præstat, quæ proinde ex parte interiore linea esse debet: ita Suarez d. 81. sect. 6. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 9. num. 23. & 24. Sa verb. *Missa*, num. 7. Layman tract. 5. cap. sexto, num. 10. Filliu. tract. quinto, cap. quarto, num. 124. addens probabile esse præter corporale requiri mappam triplicem, & eos qui diligenter tractant res divinas tribus mappis uti, quod etiam affirmat Suarez, & constat ex rubricis.

Palla & corporale debent esse benedicta.

Palla & corporale debent esse ab Episcopo benedicta, quod etiam in aliis mappis tegentibus altare observari solet, licèt non sit necessarium, quare (inquit Sa, Bonacina, Layman, & Azor cap. 28. quæst. 8. fine) si celebraturo nulla mappa benedicta præsto sit, fas est adhibere non benedictas, quæ deinde, sicuti priùs, usibus profanis applicari poterunt.

Corporale debet esse mundum & integrum.

Corporale integrum sit oportet; si enim notabiliter fractum sit, amittit consecrationem. Deinde debet esse mundum; si enim notabiliter immundum sit, foret peccatum mortale illud ad Missæ sacrificium adhibere: ita Sa, Suarez, & Bonacina citati.

III.

Qualis requiratur calix & patena.

Quæres tertiò: Qualis in sacrificio Missæ requiratur calix & patena? Præter dicta requiritur calix & patena, idque ex auro, argento, aut stanno, non ex alia materia, saltem quoad cuppam calicis: ita Suarius d. 81. sect. 7. Filliucius tract. 5. cap. 4. num. 130. Bonacina d. 2. quæst. ultimâ, p. 9. num. 16. Layman tract. 5. c. 6. num. 12. ita enim habetur cap. *Vasa* de consecr. d. 1. & in Concilio Tribur. & Rhemensi. Unde ex aurichalco, ære, ferro, ligno, vitro, aut lapide confici modo calix non potest, licèt aliqua ex istis olim fuerint in usu, & etiamnum quidam dubitent de plumbo, eo quòd censeant esse genus stanni. Debent verò ambo esse consecrata propriè, seu chrismate peruncta, idque sub pœnâ depositionis ab officio & beneficio præcipitur. Amittitur verò consecratio quando interior pars denuo inauratur: ita Vasquez tertia parte, d. 233. cap. 4. n. 34. Suarez citatus, Filliucius num. 132. Bonac. n. 18. licèt Sa & Coninck negent. Fatentur etiam omnes non amitti consecrationem per solam auri deperditionem. Calix tornatilis non amittit consecrationem quoties cuppa à pede separatur, amittit vero si per fractionem id contingat.

Debent esse propriè consecrata.

De pixide in qua servatur venerabile Sacramentum.

De pixide in qua servatur sanctissimum Sacramentum certum inprimis est non requiri ut sit propriè consecrata, cùm sola illius benedictio ponatur in Pontificali: imo Suarez, Vasquez, Filliucius & Bonacina, licèt suadendum esse dicant ut consecretur, asserunt tamen non esse necessarium.

IV.

Crux requiritur sub veniali.

Quæres quartò: An requiratur Crux, lumen, & missale? Crux sub peccato veniali in altari tempore Missæ requiritur: ita Suarez d. 81. s. 6. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 127. Bonacina d. 2. quæst. ultimâ, p. 9. num. 29. Layman tract. 5. cap. 6. num. 12. & 17.

Lumen sub mortali.

Sub mortali secundùm omnes requiritur lumen. Nunc ex consuetudine adhibentur duæ candelæ, eæque ex cerâ, in rigore tamen secundùm omnes sufficit una, & in necessitate lucerna ex oleo, ut ait Suarez, & Fill. imo juxta Bonac. Azor, & Laym. n. 17. ex levo, modò absit scandalum, quod alii non negant præter Suar. mihique videtur probabile.

Liber per se loquendo requiritur sub mortali.

Librum etiam qui saltem canonem contineat requirunt omnes sub mortali, per se loquendo, cùm se periculo exponat graviter errandi, licèt si quis perfectissimè omnia nosset memoriter, nullam esse rationem fateatur Suarez cur, secluso scandalo, peccet mortaliter, qui sine libro celebrat, cùm nullum extet hujus rei præceptum. Quod etiam in aliquo casu admittit Layman numero decimo septimo, longéque est probabilius.

V.

De ministro in Missâ requisito.

Quæres quintò: An, & qualis requiratur minister? Olim ad Missam duo requirebantur ministri, nunc usus obtinuit ut in Missis privatis sufficiat unus: quando autem Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, &c. alloquitur Ecclesiam, sicque verba sunt vera: ita Suarez d. 87. sect. 1. fine, Filliu. tract. 5. cap. 6. numero 192. & sequentibus, Bonacina d. quarto, quæst. ultimâ, p. 9. num. 33. Layman tract. 5.

cap. 6.

cap. 6. num. 13. & alii passim, qui aiunt per se loquendo esse mortale Missam sine ministro celebrare. Ratio est, quia hoc expressè præcipitur cap. *Hoc quoque* de Consecratione d. 1. & c. *Proposuit* de filiis Presbyterorum. Layman tamen ait in quibusdam partibus Germaniæ usum obtinuisse ut Sacerdos sine ministro respondente Missam celebret.

An sit necessarius.

In aliquo casu celebrari potest sine ministro.

In casu tamen necessitatis ait Suarez, & Filliu. ut si sumendum, vel alteri dandum esset viaticum, imo si in die festo alioqui Sacrum esset omittendum, posse Sacerdotem sine ministro Missam celebrare, licèt in hoc postremo casu neget Bonacina citatus. Filliucius verò addit etiam in casu minoris necessitatis, si nullus adsit qui inservire norit, posse Sacerdotem ipsum tunc instruere præeundo, & suam vicissim partem subjiciendo. Eremita etiam secundùm omnes non potest sine dispensatione Missam solus celebrare, cùm status sit voluntarius, non casus necessitatis.

Possintne fœmina admitti ad inserviendum Sacro.

Omnes tamen in hoc conveniunt omittendum potiùs esse Sacrûm, quàm fœminam ad altare, ut ex vicino respondeat, aquam & vinum porrigat, & reliqua præstet, admittendam, tum quia c. 1. de cohabitatione clericorum & mulierum id expressè prohibetur, tum ob indecentiam & periculum. Permittitur tamen ut sanctimoniales à longè ex choro Sacerdoti respondeant ad altare celebranti. Quibusdam tamen in locis consuetudo invaluisse videtur ut fœminæ Sacro in necessitate inserviant.

VI.

Vti debat calceis.

Quæres sextò: An celebrare possit Sacerdos cooperto capite, aut sine calceis? Debet Sacerdos uti calceis dum celebrat, quod tamen non sub mortali præcipitur, sed ex decentiâ: ita Suarez d. 82. sect. 3. fine, Bonacina d. 4. q. ultimâ, p. 9. num. 28. Layman tractatu 5. cap. sexto, num. 15.

Non potest sine gravi causâ celebrare quin tecto capite.

Graviter verò, & sub privatione communionis prohibetur cap. *Nullus* de Consecratione d. 1. Ne Presbyter ullus Missam celebret tecto capite. Si tamen urgeret aliqua necessitas, posset Episcopus concedere dispensationem, ut saltem usque ad consecrationem sit capite operto. Imo si gravis esset necessitas, nec posset dispensatio facilè postulari, liceret id, etiam non petitâ dispensatione, privatim facere, vel etiam publicè, si causa sit omnino præsentibus manifesta: ita Layman num. 16. & alii citati.

VII.

Sex vestes diversa in Missâ debent adhiberi.

Quæres septimò: Quæ vestes adhibendæ sint in sacrificio Missæ? Respondetur: Amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & planetam esse necessaria, ita & unum ex his sex voluntariè sine peccato mortali omitti non possit: ita Suarez disp. 82. sect. 3. Tolet. l. 2. cap. 2. num. 2. Filliucius tract. 5. cap. 5. num. 147. Bonacina disp. 4. quæst. ultima, p. 9. n. 2. & 7. Layman tract. 5. c. 6. n. 17. Probatur ex universali Ecclesiæ consuetudine, quæ hunc ritum observat tanquam necessarium, & maximè spectantem ad reverentiam sanctissimi Sacramenti, quâ etiam de causâ non debent esse immundæ, licèt plerumque secundùm Auctores in hoc solùm committatur peccatum veniale.

Quanam ex his in casu necessitatis possint omitti.

In casu tamen necessitatis unam vel alteram ex minoribus harum vestium omittere, ut stolam vel manipulum non est peccatum mortale: ita Suarez, Filliucius num. 149. Layman num. 17. & alii. Orationes verò quæ præscribuntur, dici debent dum se vestit Sacerdos, nec omitti possunt sine peccato veniali: ita Suarez, Bonacina n. 31. & alii. Imo Navarrus & Azor dicunt esse mortale, & insinuat Gavantus tom. 1 parte 2. titulo 1. num. secundo.

VIII.

Hæ vestes debent esse benedictæ.

Quæres octavò: Debeantne hæ vestes esse benedictæ. Quod de vestibus diximus, dicendum de earùm benedictione; vestis enim non benedicta perinde est ac nulla: ita Suarez, Layman, Bonacina, Filliucius proximè citati, & habetur cap. *Quod in dubiis* de consecratione Ecclesiæ vel altaris, & probat praxis Ecclesiæ. Scotus tamen & Richardus aiunt licitum esse uti cingulo non benedicto, quam tamen sententiam Navarrus & Suarez aiunt non esse tutam.

Quando hæ vestes amittant benedictionem.

Quæres quando censeantur vestes Sacerdotales amittere benedictionem. Respondetur: Quando ita sunt laceræ ut reddantur non aptæ usui cui primò sunt destinatæ, nec priorem figuram retinent: quare si ab albâ manica dividatur, licèt eadem rursus apponatur, amittit alba benedictionem: quod etiam dicendum de cingulo, si ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad cingendum, secus si altera adhuc pars sufficiat, licèt nova ei addatur, vel reficiatur antequam planè frangatur. Stola etiam pro cingulo deservire potest, sicut & pro manipulo, & hic pro stolâ, si sit satis longus: Ita Paludanus, Sylvester, Suarez tertia parte, tom. 3. d. 82. sect. 2. fine, Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 9. num. 26. Navarrus, Azor, Sa, Layman, & alii.

IX.

Corporalia, & alia hujusmodi non possunt.

Quæres nonò: Possintne laici tangere res sacras? Respondetur: Vestes illas aut vasa quæ vel chrismate delibuta sunt, vel immediatè contingunt Corpus Domini, qualia sunt lapis sacratus, calix, patena, corporale, purificatorium, Agni benedicti, &c. non posse à laicis sine peccato nudâ manu contingi; hoc enim prohibetur cap. *Sacratas*, & debita his rebus reverentia id videtur requirere. Secluso tamen contemptu solum est veniale: ita Suarez tertia parte, tom. tertio, disp. 81. sect. 8. §. *Tertium exemplum*, Filliucius tract. 5. cap. 4. num. 135. Bonacina d. 4. quæst. ultima, p. 9. num. 20. Layman tract. 5. c. 6. num. 19. Azor tom. 1. lib. 9. c. 9. quæst. 3. & alii. Imo, si rationabilis detur causa, nullum omnino erit peccatum, ut ait Layman citatus, & alii.

Debent corporalia & purificatoria semel à Sacerdote aut Diacono lavari.

Debent itaque corporalia & purificatoria à Diacono vel Sacerdote prius semel ablui, quàm laicis lavanda, aut reficienda tradantur, & aqua illa in piscinam sacram mitti: ita habetur c. *Nemo*, de consecratione d. 1. Vasa autem sacra, dum in iis actu continetur Corpus & Sanguis Domini, non possunt à quovis præterquam à Sacerdote aut Diacono sine gravi culpâ tangi: ita omnes citati.

SECTIO TERTIA.

De quibusdam Missæ circumstantiis.

I.

Sine gravi causâ interrumpi non debet.

QUÆRES primò: Possitne Missa inchoata interrumpi, vel etiam abrumpi? Resp. In aliquo casu posse, ut si habenda sit concio, ordines conferendi, moribundi confessio excipienda, aut extrema-Unctio eidem danda, &c. Sine gravi tamen causâ interrumpi Sacrum non debet: ita Henriquez lib. 9. cap. 30. num. 3. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 10. num. 24. Gavan. p. 3. tit. 10. num. 18. Layman tractatu quinto, cap. 7. num. 1.

Neque etiam potest si gravi causâ abrumpi.

Quoad secundum non potest Missa inchoata sine gravi causâ abrumpi: ita Layman citatus n. 2. & omnes

& omnes: & habetur cap. *Illud* ubi hoc sub pœnâ excommunicationis prohibetur. Dixi absque gravi causâ; hac enim datâ, ut si ingruant hæretici, vel Ethnici, qui Sacerdotem occidant, si Sacerdos incidat in gravem morbum, aut quid simile, licebit Missam inchoatam, etiam post consecrationem relinquere: ita Layman, & alii. Si tamen contingat Sacerdotem post consecrationem, etiam unius tantùm speciei, mori, aut ita ægrotare, ut sacrificium perficere non possit, debet ab alio, etiam non jejuno, si haberi jejunus nequeat, perfici: ita Suarez d. 85. sect. 1. fine, Bonacina num. 20.

II. *Missa inchoata potest ex occasione resumi.*

Quæres secundò: An Missam inchoatam liceat denuò resumere? Respondetur, ex occasione licere, ut si ante consecrationem veniat Episcopus, aut Princeps, nec alia Missa haberi possit; tunc enim Missam denuò inchoare Sacerdos poterit: ita Layman tract. 5. cap. 7. num. 3. Gavan. p. 3. tom. 10. num. 17.

III. *Probabile est posse.*

Quæres tertiò: An consecrari possit pro laico communicaturo parva hostia post oblationem apposita? Negat Bonacina d. 4. quæst ultimâ, §. 2. num. 6. sed probabile mihi videtur quod affirmat Gavan. p. 3. tom. 10. num. 19. & Diana par. 2. tract. 14. resol. 71. posse scilicet (oblatione ejus tunc mente conceptâ) consecrari, modò non remotius ab oblatione id fiat, ut cœptâ jam præfatione.

IV. *Resp. Esse rectissimè institutas.*

Quæres quartò: Sintne ceremoniæ Missæ rectè ab Ecclesiâ institutæ, & an necessariò servandæ? Quoad primum, dicendum cum omnibus contra hæreticos ceremonias Missæ esse convenienter ab Ecclesiâ institutas: ita Suarez d. 84. sect. 1. Fill. tract. 5. cap. 5. num. 157. Layman lib. 5. tom. 2. cap. 8. Probatur; hæ enim ceremoniæ vel ut sacrificium debitâ cum reverentiâ peragatur pertinent, vel moralem ac mysticam in se significationem continent.

Peccat qui ullam ex Missæ ceremoniis sponte omittit.

Quoad secundum, omittere sponte ullam ex cæremoniis, vel etiam adjicere, est peccatum, imo omittere unam ex gravioribus, qualis est mixtio aquæ cum vino, erit mortale, quod etiam de cæremoniis levioribus dici debet si multæ omittantur: ita Suarez sect. 2. & alii citati. Ratio est, quia & est præceptum hac de re, & esset gravis perversio præcipui ritus Ecclesiæ Catholicæ.

V. *Loquimur de publico exercitio.*

Quæres quintò: An clerici, seu ministri inferiores teneantur interdum ministerium suum exercere? Sermo præcipuè est de Diacono & Subdiacono, & de publico exercitio in Missâ solemni, nam nullus, per se loquendo, obligationem habere videtur privatim Missæ inserviendi.

Dico, ratione ordinis non teneri.

Dico itaque nec etiam Diaconum aut Subdiaconum ratione ordinis unquam teneri sacrificio Missæ assistere, sed sufficit quod ad hoc præstandum sint parati quoties vel Ecclesiæ necessitas, vel Superioris voluntas id requirit. ita Suarez d. 87. sect. 2. & in hoc differunt à Sacerdote, cujus ministerium est Ecclesiæ omnino necessarium, non sic horum ministrorum, nec ullibi vel Divinum jus, vel Ecclesiasticum hoc ab iis exigit.

Aliquando tamen aliunde tenentur.

Dixi, ratione ordinis, nam aliunde, ut ratione beneficii ad hoc peculiariter ordinati, aut consuetudinis contingere potest ut obligentur.

VI. *Dicendum non posse in usus profanos.*

Quæres sextò: Possintne res sacræ converti in usus profanos? Respondetur, non posse, non solùm dum consecrationem retinent, sed nec ubi eam amiserunt: ita Suarez d. 81. sect. 8. §. *Vltimo pertinet*, Filliuc. tract. 5. cap. 4. num. 135. Layman tom. 5. cap. 6. num. 20. Unde quæcumque vestes sacræ, etiam vetustate detritæ ac laceræ, non sunt ad profanos usus applicandæ, sed potiùs comburendæ. Ligna etiam ac lapides templorum dirutorum non ad alios quàm pios usus, ut ad claustrum vel dormitorium religiosorum (non ad quasvis viliores domus partes) sunt adhibendæ.

Usus profanos vetitos.

Ratio est, tum quia honor rebus sacris debitus id videtur postulare, tum quia in cap. *ligna*, & cap. *Altaris* in jure Canonico id expressè prohibetur. Vasa quidem argentea in quibusdam casibus divendi possunt, sicque in profanos usus transire, modò priùs diffracta sint, & igne ac ferro ita immutata, ut planè alia videantur. Quo tamen non obstante possunt mortui Sacerdotes in sacris vestibus sepeliri, hic quippe non censetur usus profanus.

Hoc in jure canonico expressè prohibetur.

VII. *Resp. Ex tantùm peccare venialiter.*

Quæres septimò: An clerici inferiores dum solenniter ministrant debeant esse in gratiâ? Dico primò, exercentem ordines minores in peccato mortali non peccare mortaliter, sed solùm venialiter: ita Suarez d. 16. sect. 3. §. *Tertio quæri*, addens hoc esse ferè certum, Filliu. tract. 1. cap. 6. n. 87. Bonacina d. 1. quæst. 3. p. 2. num. 5. Diana p. 3. tom. 4. ref. 196. & alii contra Navarrum, Fabrum, Sylvestrum, & Angelum, tum quia materia levis videtur, cùm remotè tantùm concurrant ad confectionem vel administrationem Sacramenti, tum quia non est certum, ordines illos esse Sacramenta, sed tantùm sacramentalia. Unde Soto hos ab omni omnino culpâ excusat.

Quid de Diacono & Subdiacono.

Diaconum & Subdiaconum Epistolam & Evangelium solenniter cantantes in peccato mortali peccare mortaliter affirmat à fortiori Navarrus, & alii citati, quod etiam docet Sa verbo *Ordo*, Cajetanus, & alii.

Diaconum etiam & Subdiaconos solùm peccant in hoc venialiter.

Contrarium tamen videtur probabilius: ita Soto, Suarez citatus §. *De aliis verò* Filliu. tract. 1. cap. 6. num. 87. Vasquez 3. p. tom. 3. d. 136. Bonacina d. 1. quæst. 3. p. 2. num. 7. Valentia tom. 4. d. 9. quæst. 1. p. 4. ad quartum, Coninck quæst. 64. art. 6. d. 1. num. 8. Diana p. 3. tract. 4. ref. 195. Layman tenere videtur problematicè. Ratio est, quia non videtur materia adeo gravis, nec actio illa adeo sancta, ut sunt actiones Sacramentorum. Suarez verò & Filli. dicunt peccaturos mortaliter si id sæpiùs faciant, quod tamen alii negant.

VIII. *Resp. Tantùm peccare venialiter.*

Quæres octavo: An in mortali conficiens sacramentalia, & similia præstans, peccet mortaliter? Navarrus & Sayrus aiunt Sacerdotem in mortali conficientem aquam benedictam peccare mortaliter: idem dicunt Navarrus, Cajetanus, & Angelus de concionante in peccato mortali. Dicendum tamen nec hos, nec etiam Episcopum primam tonsuram in mortali conferentem, vestes sacras benedicentem, chrisma conficientem, &c. peccare mortaliter: ita Suarez d. 16. sect. 3. fine, Layman tom. 1. cap. 5. num. 10. Bonacina d. 1. quæst. 3. p. 2. num. 8. & 9. Valentia tomo 4. d. 3. quæst. 5. p. 3. Filliu. tract. 1. cap. 6. n. 87. de parocho nuptias benedicente, Diana p. 3. tom. 4. ref. 196. Ratio est, quia hæ actiones non videntur materia gravis, nec sunt ad sanctificationem animæ immediatè ordinatæ.

IX. *Resp. Non peccare mortaliter.*

Quæres nonò: An conscius peccati mortalis peccet graviter tangendo res sacras? Sylvester & Angelus aiunt peccare mortaliter eum qui corporalis,

corporalia, vestes sacras, & alia hujusmodi in mortali existens tangit, ob reverentiam his rebus debitam. Contrarium tamen est probabilius: ita Sotus, Valentia, Bonacina d. 1. q. 3. p. 2. n. 6, & alii: hæc enim non videtur esse res gravis. Imo Bonacina num. 13. cum aliis affirmat excusari posse à mortali Sacerdotem, qui in mortali existens ipsam sanctissimam Eucharistiam ab uno altari ad aliud tranferret: imo q. 5. punct. 2. n. 2. idem docet de laïco sacro-sanctam Eucharistiam à terrâ elevante, licèt sit in peccato mortali. Utrumque etiam docet Suarez disp. 72. sect. 4. §. *Sed objicies.*

X. *Quorundam sententia est, posse.*

Quæres decimò: Possitne Sacerdos non jejunus consecrare ad communicandum infirmum? Affirmat Major, imo addit posse etiam in fermentato id facere, & sine vestibus sacris, si necessitas urgeat, & dicendo sola verba consecrationis, idque sine integritate sacrificii, seu consecrando solum panem. Idem quoad primum tenet Zanardus & Zambranus apud Layman, & probabile autumat Filliucius tract. 4. cap. 8. num. 242. licèt contrarium dicat esse probabilius: & in raro aliquo casu (puta si moribundus nullum aliud recipere possit sacramentum) ut probabile admittit Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. vigesimo-primo.

Resp. tamen non posse.

Contraria tamen sententia est communis: ita Suarez tom. 3. disp. 68. sect. 5. Coninck q. 80. art. 8. Bonacina d. 4. q. 6. p. 2. num. 24. Azor lib. 10. c. 30. q. 2. Valentia tom. 4. d. 6. q. 8. p. 3. §. *Quarto non tenentur*, dicens contrariam sententiam esse omnino falsam, Henriquez lib. 9. c. 4. initio, & cap. 46. num. 1. Navarrus, Sotus, Sylvester, & alii.

Nec obstat quod opponunt aliqui, dari præceptum divinum communicandi in morte.

Ratio est, quia cùm Sacramentum hoc non sit adeo necessarium maxima reverentia Sacramento huic debita id requirere videtur. Dices, est præceptum divinum communicandi in morte. Inprimis hoc negari non improbabiliter potest: deinde si esset, solùm intelligitur quando convenienter potest; quod si non possit, excusatur, modò ex parte suâ sit paratus. Alioqui & sine vestibus sacris, in fermentato, &c. posset quis id facere, quod omnes jam negant, & Valentia citatus ait esse paradoxum. Imo teneretur Sacerdos isthæc facere quæ affirmat Major. Tandem accedit consuetudo Ecclesiæ optima istiusmodi rerum interpres, ut benè Filliucius citatus.

XI. *Respondetur posse.*

Quæres undecimò: An ad aliquem communicandum possit Sacerdos hostiæ suæ partem dare? Quæstio procedit quando ex devotione cupit quis communicare; moribundo enim posse Sacerdotem partem suæ hostiæ reservare diximus suprà cum Laymanno.

Idq. extra casum necessitatis.

Existimo itaque posse: ita Sylvester, Angelus, & alii, Henriquez lib. 8. c. 46. num. 2. Sa verbo *Eucharistia*, n. 15. Bonacina d. 4. q. 5. p. 1. n. 15. Diana tertia parte, tom. 4. res. 34. Ratio est, quia hoc facto nihil vel integritati sacrificii, vel reverentiæ Sacramento debitæ detrahitur: nec etiam abs re videtur, ut qui Missæ assistunt, sicut spiritualis, ita & realis fructus fiant participes.

XII. *Resp. in quibusdam casibus posse.*

Quæres duodecimò: An Sacerdos non celebrans possit communicare seipsum? Resp. Seclusò periculo scandali posse, si nec ipse celebrare queat, nec alius Sacerdos adsit, à quo Eucharistiam recipiat: ita Suarez disp. 72. sect. 3. Coninck quæst. 83. art. 3. n. 25. Sa verbo *Eucharistia*, Bonacina d. 4. quæst. 5. punct. 1. num. 12. Diana p. 3. tom. 4. res. 48. Ratio est, quia Sacerdos est minister ordinarius hujus Sacramenti, nec ullo hoc jure prohibetur.

SECTIO QUARTA.

Quædam alia circa Communionem inquiruntur.

QUÆRES primò: An laïcus possit in articulo mortis seipsum communicare in absentiâ Sacerdotis? Negat Bonacina d. 4. quæst. 5. p. 1. num. 6. Henriquez lib. 8. cap. 54. num. ultimo, & alii nonnulli. I.

Probabilius videtur eum hoc posse.

Probabilius tamen est posse: ita Suarez d. 72. sect. 3. Coninck quæst. 82. articulo 3. num. 23. Filliucius tract. 4. cap. 9. num. 285. Layman tr. 4. cap. 7. num. 5. Diana part. 3. tom. 4. res. 47. Ratio est, tum quia nec id divino jure aut naturali prohibitum est, nec extat ullus canon, seu jus Ecclesiasticum in contrarium. Consuetudo demum Ecclesiæ non videtur cum eâ obligatione & tanto rigore, in extremâ præsertim necessitate, recepta. Imo puto laïcum in necessitate posse Eucharistiam ad alios deferre: ita Diana 3. parte, tom. 4. reso. 47. & propendere videtur Valentia t. 4. d. 6. q. 10. punct. 1. Suarez disp. 72. sect. 1. Layman t. 4. c. 7. n. 5.

Quæres secundò: An Sacerdos non jejunus possit administrare Eucharistiam, & an aliis digitis quàm pollice & indice? Quoad primum affirmat Suarez disp. 72. sect. 4. §. *Sed objicies*, Bonacina d. 4. quæst. 5. p. 2. n. 6. & alii communiter. Ratio est, quia nullo jure nec Divino, nec Ecclesiastico præcipitur contrarium. II.

Primum potest Sacerdos.

Secundum per se loquendo non potest.

Quoad secundum probabilius mihi videtur per se loquendo non licere aliis digitis quàm pollice & indice Eucharistiam administrare: ita Bonacina citatus num. 10. id enim & consuetudo requirit & decentia.

Quæres tertiò: An qui saccarum ante mediam noctem in os immisit, ut paulatim illud deglutiat, possit communicare? Affirmat Tabiena, & unus aut alter ex Summistis. Contraria tamen sententia est communis Doctorum, quam tenet Suarez disp. 68. sect. 4. Vasquez tom. 3. d. 211. c. 3. n. 13. Coninck quæst. 80. art. 8. num. 48. Bonacina d. 4. quæst. 6. punct. 2. n. 7. Filliucius tract. 4. cap. 8. n. 236. Diana parte 2. tract. 14. res. 51. & alii. III.

Resp. non posse.

Ratio est, quia videtur successiva illius manducatio.

Ratio est, nam cùm eâ intentione in os immittatur ut paulatim in stomachum transmittatur, est quasi successiva illius manducatio: unde si post mediam noctem aliquid illius in stomachum descenderit, impedit communionem. Alioquin, ut benè Diana citatus, si quis aliquamdiu ante mediam noctem bolum cibi in os acciperet & terenda dentibus in ore teneret usque ad mediam noctem transactam, & tunc deglutiret, posset communicare; quod nemo opinor dicet.

Quæres quartò: An in articulo mortis possit quis non jejunus communicare? Respondetur Si commodè expectare nequeat ut communicet jejunus, posse communicare non jejunum: quod non de morte solùm naturali verum est, sed etiam violentâ, ut si quis ad mortem esset damnatus: ita Suarez disp. 68. sect. 5. Tolet. lib. 2. c. 28. num. 6. Henriquez lib. 8. c. 50. Sa verbo *Eucharistia*, num. 2. Coninck quæst. 80. artic. 8. IV.

Resp. hoc esse licitum.

Layman tract. 4. cap. 6. num. 20. Filliucius tr. 4. cap. 8. num. 238. Bonacina d. 4. quæst. 6. p. 2. num. 22.

Conceditur in jure canonico.

Ratio est, tum quia plurimi censent esse præceptum Divinum communicare in articulo mortis: tum quia hoc privilegium infirmo concessum est cap. *Sacramenta* de Consec. d. 2. Unde secundùm omnes non oportet in morbo periculoso scrupulosum esse in hoc Sacramento infirmis administrando.

V.

Affirmant passim Theologi.

Quæres quintò: An qui viaticum sumpsit non jejunus possit postea iterum communicare non jejunus? Negat Vasquez. Communis tamen sententia affirmat posse, ut post octo vel decem dies inquit Suarez disp. 68. sect. 5. post sex vel septem ait Layman tract. 4. cap. 6. num. 20. Filliucius tract. 4. cap. 8. num. 238. Bonac. d. 4. q. 6. p. 2. n. 23. & alii.

Nullibi hoc invenitur prohibitum.

Ratio est, tum quia Concilium Constantiense dum hoc privilegium concessit infirmis, non restrinxit ad unicam tantùm vicem, tum quia nimis grave videtur, si morbus ad aliquot menses duret, non posse postquam semel viaticum sumpsit toto illo tempore denuo communicare. Imo Layman citatus putat posse altero statim die communicare non jejunum si mors instare videatur, & ægrotus solitus sæpe communicare id valde desideret. Si autem varietas appareat in morbo, ait Suarez, posse citiùs iterum quàm intra octo diès communicare non jejunum.

VI.

Probabilius est non teneri.

Quæres sextò: An qui paulò ante mortis periculum communicavit, teneatur tunc iterum communicare. Resp. Probabilius videri non teneri: ita Layman tract. 4. c. 5. n. 4. Unde, inquit ille, si infirmus tribus, octo, vel decem diebus antequam in mortis periculum incidat communicaverit, hortandus quidem est, ut iterum sacram Eucharistiam per modum viatici sumat, ad id tamen non obligatur, cùm præceptum de Eucharistiâ ante mortem instantem sumendâ quoad substantiam impleverit. Alioqui si quis mane communicasset, deberet vespere eodem die iterum communicare, si vulneratus esset, aut in morbum subitaneum incidisset. Idem tenet Diana p. 3. t. 4. rest. 40.

VII.

Hæc & hiis similia communionem non impediunt.

Quæres septimò: An musca per respirationem attracta, aut sanguis è capite defluens, & similia impediant communionem. Respondetur negativè. Ratio est, quia non sumuntur per modum cibi aut potus: ita Suarez disput. 68. sect. 4. Bonacina d. 4. quæst. 6. punct. 2. num. sexto, Layman tract. 4. c. 6. n. 18. Filliucius tr. 4. c. 8. num. 236. Quare hujusmodi non censentur violare jejunium, non solum Ecclesiasticum, sed nec naturale. Et idem est si dum os abluitur pauxillum aquæ in stomachum præter intentionem defluat, id enim per modum salivæ trajicitur, & sic de aliis.

VIII.

Probabilius videtur posse.

Quæres octavò: An qui nocte post duodecimam per unum horologium auditam comedit, possit sequente die communicare. Respondetur: Posse, si secundùm alia horologia necdum sit duodecima: ita Sanchez de Matrim. lib. 2. d. 41. num. 4. Diana tertia parte, tom. 4. rest. 36. licèt Salas 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 25. num. 264. & alii nonnulli teneant contrarium.

Probabile enim est alterum diem necdum esse inchoatum.

Ratio est, quia in omni re licèt sequi opinionem probabilem, cùm ergo secundùm unum aut alterum horologium necdum sit duodecima, probabile est præsentem diem necdum esse finitum, nec sequentem inchoatum.

IX.

Per se loquendo non est peccatum statim post comedere.

Quæres nonò: Quanto tempore post communionem liceat cibum sumere? Respondetur: Licèt conveniens sit post communionem aliquo tempore à communi cibo & potu abstinere, propter majorem devotionem, majorémque reverentiam Sacramenti, non tamen peccaret is, per se loquendo, qui statim post sumptam sacrosanctam Eucharistam cibum sumeret: ita Sotus, Valentia tom. 4. d. 6. quæst. 8. p. 3. circa finem, Bonacina d. 4. q. 6. p. 2. n. 25. Layman tract. 4. cap. 6. num. 23. & Suarez disp. 68. sect. 4. fine. Ratio est, quia nullum extat hac de re præceptum, & si quod olim fuerit, inquit S. Thomas tertiâ parte, quæst. 80. art. 8. ad sextum, per contrariam consuetudinem est abrogatum.



DISPV-

DISPUTATIO OCTOGESIMA QUARTA.

De Pœnitentiâ.

A Quæstione octogesimâ quartâ tertiæ partis de Pœnitentiâ agit Doctor Angelicus usque ad nonagesimam, ubi Sancti ejus conatus morte interveniente impediti sunt, magnoq; Orbis damno tantum lumen extinctum, quod fulgentissimis suis radiis mundum illustravit, relictisq; à se monumentis perpetuò illustrabit.

SECTIO PRIMA.

De nomine & aliis ad Pœnitentiam spectantibus.

I. *Pœnitentia est quartum ordine doctrinæ Sacramentum.*

QUARTUM ordine doctrinæ inter Sacramenta locum obtinet Pœnitentia, tum quia Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. ad Armenos illam quartum Sacramentum nominat, & Trident. sessione decimâquartâ quarto loco de eâ tractat, tum etiam quia licèt quandoque ad Sacramentum Eucharistiæ, imo & Confirmationis præmitti debeat pœnitentia, per se tamen loquendo hoc non requiritur; unde, ut supra vidimus, pueris olim statim post Baptismum dabatur Confirmatio & Eucharistia. In Baptismo itaque primò producitur vita spiritualis, Confirmatione roboratur, nutritur Eucharistiâ, Pœnitentiâ demum, ubi opus fuerit, reparatur. Quare Sacerdos in suâ ordinatione priùs consecrandi, tum absolvendi potestatem accipit.

II. *Quid nomine Pœnitentia denotetur.*

Circa nomen Pœnitentiæ S. Augustinus libro de verâ & falsâ Pœnitentiâ cap. decimo nono, Sanctus Isidorus libro tertio Etymologiarum, cap. ultimo, & alii Patres, quos Theologi omnes sequuntur, *Pœnitere* idem esse volunt, ac pœnam tenere, quod dolorem de peccatis præteritis, & quandam pro iis mulctam ea admittentibus impositam significat juxta illud Christi Mathæi undecimo: *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent*, & Job cap. ultimo: *Ago pœnitentiam in favillâ & cinere*, & per Prophetam Joël cap. 2. dicit Deus: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu*: quæ omnia Pœnitentiæ nomine dolorem, luctum, & pœnam importari apertè innuunt.

III. *Hæc pœnitentia acceptio, minorum est quantum hæreticis nostri temporis displiceat.*

Hæc tamen vox illo modo explicata delicatis nostri temporis hæreticis non sapit, ad ipsum Pœnitentiæ nomen nauseant, cœli semitam non dumetis ac vepribus, sed rosis stratam clamitant, omnia mollia ac suavia auditoribus instillant, & ut acutè Pater Edmundus Campianus ratione 5. *Omni cubito pulvillos assuunt.* Pœnitentiam itaque aliud nihil esse volunt, quàm resipiscentiam, & melioris vitæ propositum, quibus hac in parte, ut in aliis multis facem prætulit Erasmus ob græcum vocabulum μετάνοια seu μεταμέλεια, quod hunc sensum præ se ferre videtur, unde Lutherus apud Bellarminum libro primo de Pœnitentiâ, cap. septimo, Erasmum citans, ait in Epistolâ ad Vicarium sui ordinis se studio eruditissimorum hominum tandem didicisse Pœnitentiam, non dolorem de vitâ præteritâ, sed amorem novæ significare, & hoc nomen nihil habere amarum, nihil acerbum, sed omnia grata ac dulcissima.

IV. *Absurdissimum Lutheri dictum.*

Præterea in sermone de Pœnitentiâ ait: Si quis peccatorum suorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem ponderans tristitiam ac dolorem in se excitet ob æternæ vitæ amissionem, &c. hunc esse hypocritam, & talem tristitiam magis peccatorem facere; tandem hujusmodi asserit indignè absolvi. Quem ejus articulum cùm damnasset Leo decimus, is in libro contra bullam, quam vocat Antichristi, sic respondet: *Meus certè est ille articulus, & Christianissimus, quem mihi inpumerabilibus Papis & papistis non finam extorqueri.*

V. *Rationi consonum non est ex meræ nominis etymologiâ Doctoribus omnibus refragari.*

At quàm parum rationi consonum sit ex solâ nominis etymologiâ velle contra Doctores omnes, tum sacros, tum profanos sensum hujus vocis ita restringere quis non videat; eam enim pro dolore & pœnâ usurpat Scriptura, ut ostensum est, usurpant Patres, ut declarat Bellarminus citatus, Suarez Tomo quarto in tertiam partem, disp. primâ, Vasquez ibidem quæst. 84. articulo primo, dubio primo, Coninck disp. 1. de Pœnitentiâ, dubio primo, apud quos etiam videri poterunt Authores profani, qui hoc sensu Pœnitentiam accipiunt: unus nobis sufficiat Ausonius, qui in Epigrammate de occasione & Pœnitentiâ sic scribit:

Sum Dea quæ facti, non factiq; exigo pœnam
Nempe ut pœniteat: sic Metanœa vocor.

VI. *Sacramentum & virtus Pœnitentiæ in quibusdam conveniunt, in quibusdam differunt.*

In quibusdam conveniunt Sacramentum & virtus Pœnitentiæ, in quibusdam differunt: inprimis conveniunt in nomine, quod utrique commune est, deinde in ratione medicinæ vel utilis, vel necessariæ ad peccata in adultis delenda, quâ de causâ dicitur *secunda post naufragium tabula*; prima enim tabula est Baptismus, tertia autem tabula non est necessaria; quantumcumque enim homo postea labatur, præsto tamen semper est hæc tabula, quam homo sæpiùs arripere potest, & illius ope è fluctibus emergere. Conveniunt præterea quod utrumque habeat peccatum tanquam materiam circa quam versetur.

VII. *Quo pacto virtus & Sacramentum Pœnitentiæ differant ex parte subjecti.*

Differunt verò primò ex parte subjecti; esto enim & virtus & Sacramentum Pœnitentiæ, ut in homine exerceatur, requirat ut sit adultus, in hoc tamen differunt, quòd actus virtutis Pœnitentiæ, in quovis peccati actualis capace reperiri possit, Sacramentum verò Pœnitentiæ ulteriùs requirit ut homo sit baptizatus, tum quia Baptismus est janua Sacramentorum, tum quia sola peccata post Baptismum commissa, sunt verè materia Sacramenti Pœnitentiæ, cùm alia per se non sint subjecta clavibus, & Ecclesia de iis quæ foris sunt non judicet, ut ex Concilio Tridentino sessione decimâ quartâ, cap. primo & secundo ostendimus in tractatu de Sacramentis in genere. Differunt præterea quòd virtus Pœnitentiæ antiquitate multum superet Pœnitentiæ Sacramentum; hoc enim à Christo in lege tantùm gratiæ institutum est; tunc enim primò hominibus collata est potestas peccata remittendi: at verò Pœnitentiæ virtus in lege naturæ adeoque semper fuit, quâ proinde primus parens in ipso mundi exordio usus est, & exinde semper ad hæc usque tempora in Ecclesiâ apud fideles permansit.

SECTIO SECUNDA.

Sitne in Lege novâ propriè dictum Pœnitentiæ Sacramentum.

I. *Novatiani & Montanistæ olim Sacramentum Pœnitentiæ negabant.*

Montanistæ olim & Novatiani, teste Sancto Hieronymo, & Sancto Augustino, illo de Scriptoribus Ecclesiasticis in Novat. & libro secundo contra Vigilantium, cap. secundo, hoc libro de hæresibus, numero trigesimo octavo, Pœnitentiæ Sacramentum negabant: unde Sanctus Hieronymus loco proximè citato: *Montanus*, inquit, *& Novatus contendunt non posse renovari per Pœnitentiam eos, qui crucifixerunt sibimet Filium Dei, & ostentui habuerunt.* Horum verò errorem dudum confutârunt Sanctissimi hi Doctores, & hoc eorum effatum, hæreticum esse dogma ostenderunt.

II. *Hoc Pœnitentiæ Sacramentum, non ab Apostolis, aut ab Ecclesiâ, sed à Christo ipso est institutum.*

Hoc porrò Sacramentum non ab Apostolis, ut quidam perperam finxerunt nec ab Ecclesiâ, sed à Christo ipso fuit institutum, ut communis semper tenuit Doctorum omnium sententia, nec ullus Orthodoxorum dissentit, definitumque est à Concilio Tridentino, tum sess. septimâ, canone primo, ubi hoc de omnibus novæ legis Sacramentis docet, tum sess. decimâ quartâ, capite primo, & canone primo, & sexto, ubi peculiariter agit de Sacramento Pœnitentiæ.

III. *Certum de Fide est dari in Ecclesiâ Sacramentum Pœnitentiæ.*

Dari ergo in Ecclesiâ Catholicâ verum & propriè dictum Pœnitentiæ Sacramentum veritas est fide certa, & definita tum in Concilio Florentino in decreto Eugenii quarti ad Armenos, tum Tridentino sess. decimâ quartâ, canone primo & secundo, Patrésque omnes affirmant, tum Græci, tum Latini, qui videri poterunt in Bellarmino libro primo de Pœnitentiâ, capite decimo, qui hoc toties támque claris verbis asserunt, ut aliud effugium hæreticis nostris hac in re relictum non sit, quàm ut eorum authoritatem negent: unde Calvinus non semel gravissimè in Patres invehitur, quòd Pœnitentiam appellent secundam post naufragium tabulam. *tum Pœnitentia.*

IV. *Dari Sacramentum Pœnitentiæ clarè ex sacris Literis ostenditur.*

Luculentum ad hoc probandum testimonium habemus Joannis vigesimo, ubi Christus Apostolis ait: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*; quibus verbis non potestatem prædicandi Evangelii, ut hæretici affirmant, sed vim remittendi peccata contulit Christus Discipulis; id enim hæc verba significant: sic enim quando Christus, Matthæi 9. Paralitico dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*, non prædicabat ei per verba ista Evangelium, sed peccata remisit, alioquin non fuissent scandalizati Pharisæi, & alii ea audientes.

V. *Ostenditur Pœnitentiam, de qua hic loquimur, esse verè & propriè dictum Sacramentum.*

Jam autem Pœnitentiam, seu potestatem remittendi peccata esse verum Sacramentum probatur: Sacramentum enim, ut diximus dum de Sacramentis in genere, *Est res vel cæremonia sacra sensibilis ad gratiam, tum significandam, tum causandam stabiliter instituta.* Hæc autem competunt nostræ Pœntientiæ, in quâ & signum sensibile intervenit, nempe Confessio cum verbali absolutione, & gratiæ causatio, cùm Christus ei peccatorum remissionem promiserit, & consequenter collationem gratiæ; pro hoc enim statu peccata sine infusione gratiæ non tolluntur.

VI. *Non eodem modo hæretici negant Pœnitentiam esse Sacramentum.*

Contrarium, uti dictum est, asserunt hæretici, primò Novatiani, qui omnem omnino, homines post Baptismum lapsos à peccatis absolvendi potestatem Ecclesiæ demebant, soliqúe Deo reservabant: deinde nostri temporis Novatores qui tamen varii sunt; aliqui enim Pœnitentiam nihil aliud esse dicunt quàm annunciationem Evangelii, quod tamen jam satis rejectum est, & licèt concederetur, adhuc si gratiam conferret, esset Sacramentum, cùm annunciare hominibus Evangelium aliquid externum sit. Alii Pœnitentiam distingui nolunt à Baptismo, quod tamen & apertè est contra Patres omnes; Sanctus enim Hieronymus libro 1. contra Pelagianos: *Redimatur*, inquit, *sanguine Salvatoris aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentiâ, quæ imitatur Baptismatis gratiam:* Sanctus Cyprianus sermone de ablutione pedum sic loquitur: *Post Baptismum, qui sui reverentiâ non patitur iterari, aliud lavacrum procœsti*, &c. Idem, ut alios omittam, docet Sanctus Augustinus Epistolâ 180. ad Honoratum inter alia his verbis: *Si ministri adsunt, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli dominici corporis communione fraudantur.* Deinde non possent Sacerdotes retinere peccata hominum baptizatorum, cùm tamen universalem iis potestatem concesserit Christus, & remittendi & retinendi quorumvis peccata. Præterea nimia esset hominibus facta peccandi licentia, si quantumvis multa committant & gravia peccata statim per Baptismum jam antea susceptum remitterentur.

VII. *Quidnam sit à quo homines absolvuntur per Sacramentum Pœnitentiæ.*

Quæres: A quo absolvatur homo per Sacramentum Pœnitentiæ? ut omittam hæreticos, varii sunt etiam inter Catholicos dicendi modi. Hugo Victorinus libro primo de Sacramentis, quæst. decimâ quartâ, capite octavo: Richardus etiam de Sancto Victore in libro de potestate ligandi atque

atque solvendi, capite duodecimo, docent Sacerdotem absolvere à pœnâ æternâ debitâ peccato postquam Deus priùs absolvit à culpâ. Joannes de Medina & alii, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ requirunt veram contritionem, dicunt per contritionem remitti culpam & pœnam æternam, per Sacramentum verò Pœnitentiæ aiunt homines absolvi ab exilio patriæ cœlestis. Gabriel, Ocham, & alii Nominales volunt per contritionem, quam requirunt, semper remitti culpam, & pœnam, per verba autem absolutionis solùm liberari dicunt homines ab obligatione peccata illa ampliùs confitendi. Magister in quarto, dist. 18. docet per verba absolutionis solùm declarari hominem absolutum, dici verò absolvi à peccatis, quia ab iis absolvitur in facie Ecclesiæ. Tandem Alexander, S. Bonaventura, & alii asserunt potestatem Sacerdotum non extendi ad absolutionem à peccatis, vel etiam à pœnâ æternâ, sed ad absolvendum solùm à pœnâ temporali, quod, inquiunt, est absolvere à peccatis juxta illud Machabæorum secundo, capite duodecimo: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Non idem, etiam inter Orthodoxos, est hac in re dicendi modus.

VIII. *Vera sententia est per Sacramentum Pœnitentiæ conferri ipsorum peccatorum remissionem.*

Dicendum tamen contra has omnes sententias, per verba absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ veram conferri peccatorum remissionem: ita omnes hodie, nec contrarium jam sine errore teneri potest, cùm definitum hoc sit in Concilio Florentino in decreto Eugenii, Paragrapho *Quartum Sacramentum*, & in bullâ Martini V. contra errores Joannis Hus, & omnium clarissimè in Concilio Tridentino, sessione 14. canone primo, ubi dicitur Pœnitentiæ Sacramentum esse à Christo institutum ad fideles, quoties post baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandos: quod etiam docet in sequentibus, per Pœnitentiam scilicet liberari homines à peccatis post Baptismum commissis, sicut per Baptismum à peccatis prioribus, eámque esse secundam post naufragium tabulam, &c. Probatur ulteriùs, nam Cœlestinus Papa, & Concilium Africanum dicunt Sacerdotem negantem absolutionem morientibus esse reum animarum. Hoc etiam clarè verba illa Christi indicant dum Sacerdotibus potestatem dat remittendi peccata, quod in nullo sensu in superioribus sententiis posito propriè salvari potest.

Sacerdos negans absolutionem morientibus est reus animarum.

IX. *Objicies: ad hoc Sacramentum requiritur Contritio, ergo peccata nunquam remittuntur per absolutionem.*

Dices, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur contritio, ergo per formam absolutionis nunquam remittuntur peccata, cùm dolor de peccatis semper, etiam tempore præcedat absolutionem, moraliter saltem loquendo aliud contingere non potest. Sed contra, nam ut omittam impugnationes illius sententiæ, quas supra posui disp. 66. dum de Sacramentis in genere, Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite quarto ait contritionem imperfectam, quam attritionem vocat, quamvis extra Sacramentum ad justificationem non sufficiat, in Sacramento tamen sufficere, ergo juxta Concilium non requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ contritio.

X. *Exemplum resuscitationis Lazari in omnibus non quadrat absolutioni à peccatis.*

Dices secundò: Lázarus à solo Christo est ad vitam revocatus, quem tamen postea Apostoli jussu Christi à vinculis solvebant, & dimittebant liberum. Respondetur cum Auctoribus communiter hoc exemplum, cùm sensum totum præ se ferat allegoricum, non debere in omnibus habere perfectam similitudinem cum absolutione Sacramentali: quare Sanctus Augustinus tract. quadragesimo nono in Joannem, & alibi ait, per vitam peccatoris ante solutionem à Sacerdote collatam, non intelligi vitam gratiæ seu habitualem, sed vitam tantùm actualem, dolorem scilicet quo peccatum detestatur, & movet se ab intrinseco, & peccatum per confessionem prodit foras: unde per vitam quam à solo Deo dari asserunt Patres in resuscitatione peccatoris, intelligunt hunc dolorem & confessionem, quæ conferri non possunt ministerio Sacerdotum, sed à solo Deo cor hominis tangente per gratiam.

Ideo etiam dici potest solus Deus remittere peccata, quod is solus auctoritate & nomine proprio hoc præstet, cùm ille tantùm propriè injuriam condonare possit, cui injuria illa est facta: Unde Sacerdos non nomine proprio, sed Dei, peccata remittit, quâ etiam de causâ non incongruè dici potest Deus solus peccata remittere. Quod verò affirmari solet ex Sancto Hieronymo, dum dicit sententiam Sacerdotum non valere apud Deum, sed vitam ab eo quæri: hoc inquam solùm probat Sanctum Hieronymum reprehendere pharisaicam, ut ait, quorúndam Sacerdotum superbiam, qui freti potestate sibi à Deo concessâ, quoscumque pœnitentes absolvebant, aut ligabant pro libito, sive dispositi essent sive indispositi, quod ait Sanctus Hieronymus fieri ab iis non posse, & sicut veteris legis Sacerdotes judicabant de leprâ corporali, ut infectos eâ liberarent ab immunditiâ legali, ita nostri videre debent num laborent peccatores leprâ impœnitentiæ, ut sic eos à peccatis absolvant.

XI. *Quam ob causam dici potest Deus solus remittere peccata.*

SECTIO TERTIA.

De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ ad peccata remittenda.

SERMO tantùm est de mortalibus, quæ simpliciter peccata dicuntur, & quærimus licèt per Contritionem aut actum Charitatis remitti etiam hæc possint, an saltem deferri debeant ad hoc tribunal, & quo jure.

I. *Hic solùm loquimur de peccatis mortalibus.*

Suppono ex Concilio Tridentino sessione 14. capite primo de Sacramento Pœnitentiæ, fuisse præcipuè institutum à Christo Sacramentum Pœnitentiæ, cùm post resurrectionem à mortuis insufflavit in Discipulos suos Joannis cap. vigesimo, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: quamvis enim Matthæi decimo-sexto & decimo-octavo facta sit Sacramenti hujus promissio, post resurrectionem tamen fuit præcipuè institutum hoc Sacramentum.

II. *Quando Sacramentum Pœnitentiæ fuit à Christo præcipuè institutum.*

Tunc igitur erexit Christus tribunal ante quod sisti voluit tanquam reos illos omnes, qui post Baptismum susceptum crimine aliquo se contaminaverunt, ut docet Tridentinum supra, capite secundo: ex quo deducunt Theologi modò omnes contra nonnullos ex Scholasticis antiquioribus confessionem Sacramentalem esse juris Divini, & non tantùm Ecclesiastici: quod clarissimè definit Concilium Tridentinum sessione decimaquartâ, canone sexto & septimo, & capite quinto.

III. *Tunc etiam hoc tribunal erexit, ante quod peccatores post Baptismum ipsos sisti voluit.*

Probatur, nam ut docet Concilium capite illo quinto: *Christus Sacerdotes suipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides ac Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles inciderint, quò pro potestate clavium, remissionis aut retentionis*

IV. *Veritas dicta probatur ex verbis Concilii Tridentini.*

retentionis peccatorum sententiam pronuncient; conflat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse. Ex quibus Concilii verbis deducitur necessitas hujus Sacramenti; si enim Christus per illa verba constituit Sacerdotes suos Vicarios; ergo sicut antea debebant homines confiteri peccata Deo, ut illorum remissionem obtinerent, ita jam confiteri ea debent Sacerdotibus. Deinde ipso facto, quòd Princeps quispiam tribunal in suo regno erigat, debent causæ omnes eo deferri; ergo & peccata ad tribunal Pœnitentiæ deferri debent, ut ab iis homines absolvantur, & licèt per Contritionem remitti possint peccata, etiam mortalia, semper tamen id fit in ordine ad pœnitentiam cujus votum est contritio.

V. *Vtrùm ex potestate remittendi peccata, an retinendi melius colligatur Sacramenti hujus necessitas.*

Controversia gravis est inter Auctores, num magis propriè deducatur necessitas hujus Sacramenti ex potestate remittendi peccata, an retinendi; utramque enim Christum Apostolis per verba illa concessisse constat. Bellarminus libro tertio de Pœnitentiâ, capite secundo, Maldonatus, & alii hoc deducunt ex potestate remittendi ob rationem jam factam. Suarez tamen hîc, disp. 17. sect. 2. num. tertio, Tannerus quæst. 1. dubio tertio, Coninck disp. 5. dub. primo, num. 7. Vasquez hîc, quæst. 90. artic. primo, dubio 2. num. undecimo & decimo-octavo, cum aliis dicunt aptiùs hoc deduci ex potestate peccata retinendi; retinendi inquam judicialiter, non per meram negationem absolutionis, sed ferendo sententiam retentionis, donec pœnitens restituerit, occasionem aliquam peccandi præsciderit, &c. unde cùm à peccatis his, ne quidem per contritionem liberari possit, nisi animum habeat se Sacerdotis arbitrio & sententiæ submittendi, constat Sacramentum Pœnitentiæ esse ad salutem necessarium.

VI. *Actus hic judicialis in subditum magis in particulari declaratur.*

Retentio itaque propriè est actus judicialis in subditum prolatus, quando dispositus accedit ad absolutionem validè recipiendam; si enim accedat indispositus, non est propriè loquendo retentio, cùm nullum in eo effectum habeat circa permanentiam peccati, eodem quippe modo permaneret, licèt Sacerdos actu illo id non retineret. Secundarius effectus hujus potestatis ligandi est obligatio ad satisfactionem, non tamen est propriè retentio peccatorum, cùm ea jam remissa per sententiam judicialem sint, nec ulteriori Sacerdotis judicio submitti debeant: quamvis etiam possit Sacerdos differre alicujus Baptismum, hoc tamen non est retinere juridicè peccata, primò quia cuivis hoc competit, deinde non fit in subditum, nec causâ cognitâ, & per sententiam judicialem, unde ad summum materialis est retentio, non formalis.

VII. *Objic. Christus dedit potestatem Sacerdotibus absolvendi etiam à venialibus.*

Dices: Christus dedit Sacerdotibus etiam potestatem absolvendi à venialibus, & tamen ad eorum remissionem non est necessarium Pœnitentiæ Sacramentum; ergo ex potestate illis datâ non rectè arguitur necessitas confitendi peccata mortalia. Respondeo Christum primariò tradidisse potestatem illam respectu peccatorum mortalium, utpote quæ cœlum claudunt: secundariò autem respectu venialium, quæ proinde non sunt materia necessaria pœnitentiæ. Ratio est, quia data est hæc potestas tanquam potestas clavium regni cœlorum, claves autem dantur ad id aperiendum, quod clauditur, sola autem mortalia peccata cœlum claudunt; venialia enim stant cum gratiâ habituali, quæ dat jus ad cœlum, & consequenter possunt in aliâ vitâ remitti, licèt in hac non remittantur. Quia verò continentur sub peccatis mortalibus tanquam minus in majori, Christus dando potestatem respectu mortalium, dat consequenter respectu venialium.

VIII. *Concessa est à Christo potestas absolvendi tam à mortalibus quàm venialibus, retinendi autem tantùm mortalia.*

Secundò responderi potest, concessam esse à Christo potestatem Sacerdotibus absolvendi tam à venialibus, quàm mortalibus, retinendi autem tantùm mortalia, ac proinde commodiùs ex retentione peccatorum colligi necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, quàm ex remissione; frustra enim daretur potestas illa judicialiter peccata retinendi, nisi delinquens teneretur ad tribunal illud accedere; si enim integrum sit peccatori utrùm accedere velit necne, licèt quidem posset Sacerdos peccata ejus, posito quod accedat remittere, non tamen potest retinere, nisi accedere teneatur; sinamque possit peccator aliis modis, etiam nolente Sacerdote, & absque eo quòd illius se voluntati subjiciat, à peccatis mortalibus liberari, sicut potest à venialibus, non magis possent illa retineri quàm hæc, nec magis esset necessarium peccatori pro illorum remissione ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, quàm pro remissione venialium. Ex quibus omnibus deducitur, esto posset erigi tribunal ad quod quicumque accederent, à peccatis absolverentur, licèt accedere non teneantur, sed alia via possint se à peccatis liberare, non tamen erigi potest tribunal, in quo peccata retineantur, nisi incumbat hominibus obligatio ad illud accedendi, alioqui nullus accederet.

IX. *Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum necessarium est necessitate medii.*

Quæres: Quâ necessitate necessarium sit ad salutem Sacramentum Pœnitentiæ, medii an tantùm præcepti? Respondetur, lapsis post Baptismum Sacramentum Pœnitentiæ in re vel voto esse medium ad salutem necessarium: ita Sanctus Thomas hîc, quæst. 84. art. quinto, & quæst. sexagesimâ quintâ, art. quarto, corpore, ubi docet duo Sacramenta, Baptismum scilicet absolutè, Pœnitentiam verò iis, qui post Baptismum sunt lapsi, esse ad salutem simpliciter necessaria: Ordinem verò necessarium esse ait toti Ecclesiæ, reliqua autem Sacramenta ait solùm esse necessaria secundùm quid: Suarez disp. 17. sect. tertiâ, Vasquez quæst. 84. art. quinto, dubio unico, & alii passim, habeturque ex variis decretis Pontificum, ubi expresè dicitur, non posse quempiam justificari à peccato, nisi antea illud fuerit confessus.

X. *Notandum ex supra dictis, quid sit aliquid esse necessarium necessitate medii & præcepti.*

Ad probationem notanda quædam ex dictis supra de Eucharistiâ, ubi fusiùs tractatum est quid sit esse necessarium ad salutem necessitate medii, & quomodo differat à necessitate præcepti. Diximus ergo cum P. Vasquez tomo tertio in tertiam partem, disp. 169. cap. undecimo, licèt ad salutem consequendam non minùs requiratur executio eorum quæ necessaria sunt necessitate præcepti, quàm medii, obligatio tamen præcepti obligantis sub mortali, negativè tantùm conducit ad salutem, ne scilicet illud transgrediendo, impedimentum aliquod saluti nostræ opponamus, nempe novum peccatum, quæ verò necessaria sunt necessitate medii, positivè ad salutem consequendam concurrunt, quia secum aliquid semper afferunt, quod peccata tollat, & homines, si in peccatis sint, justificet, quâ de causâ, ut benè notat Petrus Soto, hæc ita sunt media, ut etiam sint remedia.

XI. *Peccatum grave post*

Hinc itaque probatur Conclusio: Postquam enim homo, qui Baptismum recepit, in peccatum

grave

baptismum commissum remitti nequit sine Sacramento Pœnitentiæ, aut illius voto.

grave lapsus est, non potest illius remissionem obtinere, & gratiam amissam recuperare, nisi vel per Pœnitentiæ Sacramentum, aut aliquid aliud quod illius vices suppleat, sitque votum illius, quod plerumque est contritio, unde sine Sacramento Pœnitentiæ in re vel voto recuperari gratia, & salus obtineri non potest.

XII. *Sacramento Pœnitentiæ substituitur contritio, ejusq; propositum saltem conditionatum includit.*

Ad peccati igitur mortalis post Baptismum commissi remissionem primò & per se institutum est Sacramentum Pœnitentiæ, ut supra probatum est, quod propterea Sacramentum mortuorum dicitur, esto autem per Contritionem remitti etiam possit hoc peccatum, semper tamen fit in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, cui per se loquendo substituitur contritio, estque proinde votum illius, & propositum saltem implicitum & conditionatum ejus involvit, non solùm tanquam rei præceptæ, sed tanquam alicujus quod per se ad gratiam recuperandam, & peccatum illud remittendum ordinatur, estque illius remedium.

XIII. *Votum tribus modis sumitur.*

Votum ergo tripliciter sumitur: primò latissimè & impropriè pro desiderio alicujus rei, etiam non necessariæ, quo sensu Concilium Tridentinum sessione decima-tertiâ, capite octavo de iis loquitur, qui per fidem & votum Sanctissimi Sacramenti spiritualiter communicant: Secundò strictiùs pro desiderio & proposito saltem implicito aut conditionato rei alicujus obligantis, qualia sunt præcepta: Tertiò demum strictissimè pro eo quod substituitur tanquam vicarium alterius ad effectum aliquem conferendum, quem licèt conferat, relinquit tamen obligationem per se loquendo rem cujus hoc est vicarium suscipiendi, hac autem ratione se habet contritio respectu Sacramenti Pœnitentiæ: imo & idem suo modo dici potest de attritione cum aliquo ex Sacramentis vivorum, dum per accidens primam gratiam conferunt. Postquam verò quis est contritus, pœnitentia necessitate medii non est necessaria ampliùs illi homini vel in re vel voto, nisi iterùm peccet, sed solum requiritur necessitate præcepti, & concurrit ad salutem solùm negativè, sicut observatio aliorum præceptorum, nempe ne homo ille iterum peccet si ad Pœnitentiæ Sacramentum non accedat, cùm adhuc ei hæc incumbat obligatio.

Attritio interdum est votum Pœnitentiæ.

DISPUTATIO OCTOGESIMA QUINTA.

De essentiâ Sacramenti Pœnitentiæ.

PRIMVM quod in rei cujusque tractatione inquirendum præscribitur, nempe an sit, *Disputatione præcedente circa hoc Sacramentum discussimus: nunc ergo progrediendum est ad secundum, &* quid sit *Pœnitentia, seu in quo ejus sita sit essentia, videndum, & postea* quale sit *hoc Sacramentum, quas scilicet habeat proprietates, ac demum* quem in finem *institutum sit, perspiciemus.*

SECTIO PRIMA.

In quo consistat essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Essentiam hujus Sacramenti statuunt aliqui in solâ absolutione.*

SCOTUS in quarto, dist. decimâ-quartâ, ait, totam Sacramenti Pœnitentiæ essentiam in formâ absolutionis sitam esse, utpote quæ sola causat gratiam: Scotum sequuntur Major & Gabriel, qui proinde definiunt hoc Sacramentum esse absolutionem hominis pœnitentis. Durandus ulteriùs addit confessionem, aitque Pœnitentiæ Sacramentum in confessione & absolutione adæquatè consistere, cùm hæc duo tantùm sint sensibilia. Sed hoc ultimum non urget; ut enim aliquid constituat Sacramentum, etiam intrinsecè, sufficit quod sit sensibile per aliud, hoc autem modo contritio seu dolor est sensibilis, nempe per confessionem.

II. *E contra Soto absolutionem ait non esse de essentiâ Sacramenti Pœnitentiæ.*

Soto in quarto dist. decima-quartâ, quæst. 1. art. primo, ait, absolutionem non esse partem hujus Sacramenti, sed tantùm confessionem, contritionem, & satisfactionem, quia scilicet hoc Sacramentum simpliciter nominatur Sacramentum Pœnitentiæ. Sed contra: nam Concilium Florentinum & Tridentinum dicunt verba Sacerdotis esse formam hujus Sacramenti, forma autem semper est de intrinseco conceptu rei cujus est forma: imo Concilium Tridentinum in particulari, Sessione decima-quartâ, cap. tertio, ait, vim hujus Sacramenti præcipuè sitam esse in formâ. Confirmatur: Sacramentum est signum

sensibile causativum gratiæ, sed in Sacramento Pœnitentiæ nihil est quod magis propriè significet, & consequenter causet remissionem peccatorum & gratiam, ergo.

III. *Sacramentum Pœnitentiæ subinde vocatur Sacramentum reconciliationis.* Ad argumentum Soti respondetur, hoc Sacramentum subinde etiam vocari Sacramentum reconciliationis, nomine desumpto à formâ, quæ inter omnes Pœnitentiæ partes magis expressè significat reconciliationem cum Deo. Frequenter autem alia Sacramenta denominationem desumunt à materiâ, ut Baptismus, Extrema-Unctio, &c. licèt formam etiam includant: imo aliquando ab effectu, ut *Ordo*, qui est effectus per Sacramentum collatus.

IV. *Quòd vis hujus Sacramenti præcipuè sita sit in formâ, non excluditur materia.* Hæc etiam faciunt contra sententiam Scoti; cùm enim Concilium dicat præcipuè sitam esse vim hujus Sacramenti in formâ, ergo non adæquatè, sed etiam includit materiam. Deinde non absolutio solùm, sed etiam confessio & contritio significant recessum à peccatis, ergo constituunt intrinsecè hoc Sacramentum, cùm constituant unum integrum signum gratiæ. Præterea secundùm ipsum Scotum verba absolutionis sunt forma hujus Sacramenti, & habetur expressè in Conc. tam Florentino, quàm Trid. sed ubicumque est forma, est respectu alicujus materiæ, non alterius hic quàm confessionis & contritionis, ergo.

V. *Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii.* Et confirmatur: Hoc quippe Sacramentum institutum est per modum judicii, de cujus conceptu est, ut ante sententiam judicis fiat accusatio rei, quod quia supponitur antequam sententiam ferat Judex, est quasi quid informe, sicque materiam refert, & sicut compositum per adventum formæ perficitur, ita consummatur judicium per sententiam Judicis. Hæc itaque omnia sunt de conceptu judicii completi, & consequenter hujus Sacramenti. Cùm verò ulteriùs hoc judicium sit voluntarium ex parte etiam pœnitentis, & per modum reconciliationis, involvitur in eo retractatio & revocatio offensæ commissæ, & consequenter dolor.

VI. *Dices: Iuxta Concilium Confessio & Contritio sunt solùm quasi materia.* Assignantur insuper hi actus à Conciliis pro materiâ Sacramenti Pœnitentiæ. Dices, solùm vocantur quasi materia. Contra, si hoc dictum Concilii rigorosè hoc modo sumatur, ergo similiter verba absolutionis solùm possunt esse quasi forma, implicat enim alicubi esse actu formam simpliciter & absolutè, ubi non est simpliciter & absolutè materia, cùm sint correlativa. Respondetur itaque, quando Concilia dicunt solùm esse quasi materiam, non velle planè excludi à ratione materiæ, sed non tam propriè illius speciem præ se ferre, atque præ se fert substantia illa, quæ in aliis ferè Sacramentis adhibetur, in quibus sicut in rebus artificialibus, ut plurimum adhibetur elementum aliquod, vel corpus sensibile, ut aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione, & in iis omnibus Sacramentis, quibus Concilium assignat materiam simpliciter: hoc autem modo contritio & confessio non sunt materia, nec pars hujus Sacramenti. At verò, ut ait Concilium Tridentinum capite tertio citato: *Quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Hæc sunt verba Concilii, ex quibus apertè constat hos actus esse partes hujus Sacramenti eo modo quo res aliæ sunt partes aliorum Sacramentorum; nec enim alio modo sunt illæ partes, nisi prout ex Dei institutione, ad ea munera assumuntur, cum hac tamen differentiâ, ut diximus, quòd eæ sint substantia, magisque similes materiæ.

SECTIO SECUNDA.

Quibusdam solutis declaratur ulteriùs essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

DICES cum Scoto, hinc sequi pœnitentem simul cum Sacerdote esse ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, nam juxta nos ponit alteram partem illius, nempe materiam, & consequenter sequitur eum partialiter se absolvere, quæ & sunt contra Concilia citata, quæ dicunt solum Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, & à peccatis absolvere, & etiam contra rationem. I. *Objic. Sequitur ex dictis pœnitentem partialiter absolvere seipsum.*

Qui tenent causalitatem physicam Sacramentorum, putant facilè se hanc difficultatem solvere, in quâ tamen laborare nos asserunt, qui solùm admittimus moralem. Dicunt itaque, cùm Sacramenta physicè efficiant gratiam, solus Sacerdos potest illam efficere, cùm confessio & dolor absolutionem præcedant, nihil autem physicè operari potest, quando non est. Sed contra primò; sæpè enim attritio durat quando Sacerdos pronunciat formam absolutionis, ergo tunc potest etiam physicè simul cum absolutione concurrere ad gratiam producendam, & concedit Suarez hic dub. 18. sect. 2. n. 15. ergo in eo casu pœnitens cum Sacerdote erit minister hujus Sacramenti. Contra secundò: Nullus qui admittit physicam causalitatem Sacramentorum, negat moralem, ut ostendimus disp. 64. de Sacramentis in genere, sectione tertiâ, conclusione secundâ; hoc enim admittit Suarez, Albertinus, Tannerus, Mæratius, & alii Auctoros istius sententiæ, ergo tantum concursum ad gratiam ponunt illi Auctores, quantum alii, qui negant causalitatem physicam, imo non solvunt quo modo pœnitens non sit minister hujus Sacramenti, & sibi non conferat, saltem moraliter gratiam, cùm nullus neget causam moralem esse verè causam, sicut David verè dicitur interfecisse Uriam, & Judæi Christum, licèt David illud præstiterit gladio filiorum Ammon, Judæi manibus gentilium: Item passio Christi dicitur à Patribus causare gratiam in animabus, quæ tamen non alio modo eam causat quàm moraliter, ergo par est difficultas in utrâque sententiâ. II. *Non meliùs ab hac difficultate se expediunt qui physicam Sacramentorum causalitatem admittunt, quàm qui moralem.*

Respondetur itaque, licèt pœnitens ponat etiam aliquid, quod in suo genere movet Deum moraliter ad infundendum gratiam, & peccatum remittendum, sicut Sacerdos facit in suo, non tamen potest dici vel absolvere se, etiam partialiter, vel peccatum sibi remittere, cùm hoc sonet auctoritatem quandam & dignitatem, cùm remittere injuriam nemo possit, nisi is contra quem est commissa, qui vel per se, vel per substitutum suum id præstat, sicut hic præstat Deus per Sacerdotem, quem in his causis constituit Judicem. Verum est quidem Judicem non posse absolvere & facere quod ex suâ parte requiritur, nisi reus faciat quod requiritur ex suâ, nempe accuset se, doleat, &c. hæc tamen non denominant reum absolventem, sed Judicem, sicut nec in humanis Judex absolvere reum potest nisi aliquis eum accuset, aut reus veniam petat, hæc autem accusatio aut veniæ petitio non denominat reum aut accusatorem, vel partialiter absolventem, sed solùm Judicem. III. *Ratio cur pœnitens dici nequeat se vel partialiter absolvere.*

Hoc

IV. *Exemplis variis ostenditur pœnitentem dici non posse vel partialiter se absolvere.*

Hoc clarè constat ex mille exemplis humanis; subditus enim denominat alium superiorem, & tamen non potest subditus vel partialiter dici superior, idem est in priore & posteriore, majore & minore, & aliis hujusmodi denominationibus heterogeneis, in quibus licèt denominatio etiam proveniat ab aliâ parte, hæc tamen nec partialiter illam recipit, sed oppositam: sic ergo & reus partialiter concurrit ad hoc judicium, sed per modum rei non judicis.

V. *Non potest pœnitens propriè dici dare gratiam, nec conficere Sacramentum.*

Addo: Etsi aliquo etiam modo possit pœnitens dici causare in se gratiam, non tamen dare propriè loquendo; hoc enim similiter sonat quandam potestatem & dominium supra id quod datur; accedit, nec propriè dici posse pœnitentem conficere hoc Sacramentum, ut notat Suarez disp. 18. sectione tertiâ, num. undecimo: sicut enim in naturalibus, præsertim si sint artificialia, non dicitur illud plerumque conficere compositum quod apponit materiam, sed quod introducit vel unit formam materiæ, nec enim domum fabricare dicitur is, qui lapides & ligna parat, sed qui ea inter se compingit, sic homo generat hominem, quia ultimum quod ad ejus productionem requiritur, & ad cujus positionem consurgit compositum, nempe unionem ponit, quod hic facit Sacerdos ponendo formam, quæ est ultimum in omni judicio, & consequenter in hoc Sacramento. Dicitur quidem etiam Deus cum homine producere hominem, quia simul cum eo producit unionem, si tamen hanc non produceret, licèt & materiam produceret & animam, non produceret hominem: ita etiam suo modo in præsenti, licèt, ut notant omnes, in his vel etiam cujuscumque generis exemplis non sit exacta quærenda similitudo.

VI. *Dicitur posse peccata esse pars pœnitentiæ.*

Urgebis: Ergo & peccata erunt pars hujus Sacramenti, patet, confessio est pars, sed confessio essentialiter involvit peccata, ergo. Respondetur, peccata esse materiam remotam seu removendam per Sacramentum Pœnitentiæ, non tamen esse partem illius constitutivam: si autem sermo sit de peccatis præteritis, ut præteritis, necessariò dici debet spectare intrinsecè in obliquo & de connotato ad conceptum hujus Sacramenti, cùm partes illius sint dolor & confessio peccati post Baptismum commissi: peccata tamen actu existentia non possunt ullo modo intrinsecè spectare ad hoc Sacramentum, cùm ubi posita est forma, peccata destruantur, & licèt maneant ubi Sacramentum est validum & informe, non tamen hoc requirit Sacramentum, quod nimirum æquè completum esset, quamvis peccata desinerent, imo licèt destructa fuissent ante vel absolutionem, vel confessionem.

VII. *Dices: Ergo & peccata præterita, quà talia movent Deum ad dandam gratiam.*

Instabis: Ergo peccata præterita movent Deum moraliter, saltem partialiter ad dandam gratiam; confessio enim movet, sed confessio intrinsecè dicit peccatum præteritum, ergo. hoc argumentum, quod magni fit ab aliquibus manifestam involvit æquivocationem, quæ ut clariùs cernatur, conficio simile argumentum, placet Petro occisio inimici, ergo placet inimicus: Item placet Deo confessio peccati, imo meretur præmium & gratiam, ergo placet, & meretur præmium & gratiam ipsum peccatum, quæ consequentiæ quàm absonæ sint, vel cœcus videt: distinguo itaque sequelam, peccata præterita secundùm se considerata movent partialiter Deum, nego, ut dicta in confessione, & ut super ipsa profertur absolutio, concedo: hoc autem nihil aliud est, quàm confessionem & absolutionem placere Deo, sicut placet dissimilitudo justi à peccatore, vel virtutis à peccato, quæ tamen intrinsecè involvit peccatum; & eodem quis argumento probaret displicere Deo regulam rectæ rationis, cùm actus malus quà malus, eam involvat dictantem contrarium illi quod operatur.

VIII. *Satisfactio non est pars essentialis, sed tantùm integralis Sacramenti Pœnitentiæ.*

Satisfactio autem, quæ numeratur à Concilio inter partes materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, non est pars essentialis, sed integralis, primò enim frequenter administratur Sacramentum Pœnitentiæ, cùm nulla injungitur satisfactio, quoties nimirum quis post confessionem factam, rationis usum amittit, antequam adveniat Sacerdos, vel Sacramentum administret, vel etiam si post injunctam Pœnitentiam obliviscatur illius pœnitens, aut aliunde implere eam non possit: nec est quin posita contritione, confessione, & absolutione detur gratia, & peccatum remittatur ante perfectam vel etiam injunctam Pœnitentiam, ergo satisfactio non est pars essentialis Sacramenti, sed tantùm integralis.

IX. *Ostenditur satisfactionem esse partem integralem hujus Sacramenti.*

Quod verò sit pars integralis probatur ex Conciliis citatis assignantibus satisfactionem pro materiâ & parte hujus Sacramenti, sed non est pars essentialis, ut ostensum est, ergo integralis. Nec obstat satisfactionem subsequi formam hujus Sacramenti, cùm tamen materia formam soleat præcedere; hoc inquam non obstat: primò enim in aliis Sacramentis forma subinde potest præcedere materiam, ut de Baptismo & aliis diximus ex communi sententiâ in tractatu de Sacramentis in genere, modò moralis servetur inter formam & materiam contiguitas: deinde in judiciis humanis satisfactio semper subsequitur sententiam: tandem in rebus naturalibus videmus homini & aliis animantibus accrescere frequenter partes integrales, ut capillos, dentes, &c. post formam animalis inductam in materiam.

X. *In Sacramento Pœnitentiæ est Sacramentum tantùm, tres tantum, & res simul ac Sacramentum.*

Notandum ex Sancto Thoma quæstione octogesimâ quartâ, articulo primo, ad tertium, quem sequuntur Theologi, posse etiam in hoc Sacramento distingui *Sacramentum tantùm, rem tantùm, & rem simul ac Sacramentum*, quæ divisio desumpta est ex Innocentio III. capite *Majores de Baptismo*, & passim à Theologis usurpata. Notandum itaque *Sacramentum tantùm* hîc, esse confessionem & absolutionem, quæ significant & non significantur, (signum hîc non sumitur necessariò pro signo practico, cùm & species in Eucharistiâ sint Sacramentum tantùm respectu corporis Christi, quod non causant) *res tantùm*, est gratia & peccati remissio, quæ significantur, & non significant: *res simul & Sacramentum*, contritio, seu dolor de peccatis, quæ contritio & gratiam significat, & per confessionem & absolutionem significatur, seu redditur sensibilis. videatur Suarez disputatione decimâ octavâ, sectione 5. ubi varias & abstrusas quorundam Thomistarum de hac re explicationes affert & impugnat: Vasquez quæst. 84. art. 1. dub. 3. & alii, qui ulteriùs advertunt quando aliquid dicitur Sacramentum tantùm non requiri ut sit totum Sacramentum, sed sufficit quod sit pars illius, ut ostendi potest in exemplo specierum respectu corporis Christi, quæ non sunt totum Sacramentum Eucharistiæ, ut contra Sotum cum communi sententiâ probavimus disputatione septuagesimâ primâ de Eucharistiâ, sect. 2. sed Sacramentum Eucharistiæ includit ulteriùs corpus & sanguinem Christi.

DISPU-

DISPUTATIO OCTOGESIMA SEXTA.

De formâ hujus Sacramenti.

POENITENTIÆ Sacramentum intrinsecè ex materiâ & & formâ componi non minùs quàm alia Sacramenta, ita ut prædictæ partes illud essentialiter constituant, communis est omnium fere Theologorum sententia, quam expressè tradit Doctor Angelicus tum alibi, tum tertiâ parte, quæstione nonagesimâ, articulo secundò, ubi ait: Quodlibet Sacramentum distingui in materiam & formam, sicut in partes essentiæ. *Quamvis verò materia ad formam præsupponatur, cùm tamen juxta Concilium Florentinum ac Tridentinum, ut vidimus, præcipua vis hujus Sacramenti in formâ sita sit, de hac primo loco agemus.*

SECTIO PRIMA.

Quæ sit forma Sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Existimant nonnulli, verba humano ore prolata non esse ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria.*

AUCTORES aliqui, ut Medina de Confessione, quæstione de modo confitendi, Petrus Soto lectione undecimâ de Confessione, Paludanus dist. decima-sextâ, quæst. 2. articulo primo, numero septimo, & Navarrus in Summâ, capite vigesimo-primo, numero trigesimo-sexto, existimare videntur verba propriè dicta, seu humano ore prolata non requiri essentialiter ad hoc Sacramentum, sed ad ejus essentiam conficiendam sufficere aiunt quodcumque signum externum, per quod intentio absolventis sufficienter innotescat. Unde verba formæ scripto missa in aliquo casu ad pœnitentem à peccatis absolvendum satis esse affirmant.

II. *Certum est ad formam hujus Sacramenti requiri verba formalia.*

Dicendum nihilominus cum certâ Theologorum sententiâ ad formam hujus Sacramenti requiri verba formalia, & non sufficere virtualia, scripturam scilicet, nutus aut aliquid ejusmodi, quo Sacerdos intentionem absolvendi exprimat. Probatur primò: nam Concilium Florentinum in decreto, & Tridentinum, ad omnia Sacramenta novæ Legis, excepto Matrimonio requirunt verba, quod de verbis propriè dictis intelligi debet, nisi ubi ex traditione Ecclesiæ constat contrarium. Secundò: cùm enim Concilium Florentinum dicat Matrimonium fieri verbis, licèt non semper requirantur, aliquid permittit Matrimonio quod excludit ab aliis Sacramentis; ergo in iis requirit verba formalia: verba enim virtualia inter Sacramenta soli permittit Matrimonio. Tertiò particulariter loquens de hoc Sacramento idem Concilium dicit, forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert cùm dicit, &c. illa autem verba, *profert* & *dicit*, verba innuunt formalia. Quartò: quia alioqui idem quis dicere posset de Baptismo & aliis Sacramentis, cùm non in alio fundentur quam in eo quòd Concilia & Patres in iis requirant verba, sed non minùs ea requirunt in Sacramento Pœnitentiæ, ergo.

III. *Quare in Matrimonio tra aliis Sacramentis sufficiant verba virtualia.*

Dices: Matrimonium non requirit verba. Contra primò: Matrimonium peculiariter à Conciliis excipitur, ut vidimus: Contra secundò, Christus in Matrimonio noluit novum ritum instituere, sed honorare naturalem contractum, illum ad Sacramentum elevando: cùm ergo ad civilem contractum non requirantur verba formalia, sed ut consensus quovis modo exprimatur, nil ampliùs requiritur ad hoc Sacramentum, quòd si homines annullarent alia omnia, & nollent censeri contractum humanum, nisi verbis fieret, tunc verba formalia essent de essentiâ hujus Sacramenti, quia essent de essentia cõtractûs: sicut quia Deus nihil immutavit circa significationem verborum formæ omnium Sacramentorum, sunt hoc sensu in potestate hominum, qui proinde si vellent, efficere possent ut non hæc verba *Ego te absolvo*, sed *Ego te ligo* essent forma Sacramenti Pœnitentiæ.

IV. *Dices: In judicio humano sufficiunt signa, ergo &c.*

Urgebis: etiam instituit Christus hoc Sacramentum per modum judicii; ergo quod in judicio humano sufficit, sufficiet in hoc Sacramento, sed in judicio humano sufficiunt alia signa, præsertim

fertim Scriptura, ergo & hic. Respondetur, hoc Sacramentum esse quidem judicium, sed judicium de novo à Deo institutum, quod non contingit contractui Matrimonii, quod ante adventum Christi completè institutum fuit. Christus itaque in multis hoc judicium instituit diversum ab aliis; idem enim est accusator & reus, ipsi reo creditur pro se & contra se, &c. quæ non reperiuntur in aliis judiciis. Sicut ergo hæc immutavit, & propria reddidit huic judicio, ita & in eo requirere potuit verba formalia, esto in aliis judiciis non requirantur. Deinde in quibusdam judiciis humanis peculiaris solennitas subinde requiritur ut validè fiant; ergo & aliquid peculiare requiri poterit in hoc.

Resp. Christum in variis hoc judicium instituisse diversum ab aliis.

V. *Quænam verba sint essentialia formæ Sacramenti Pœnitentiæ.*

His ergo positis, ulteriùs quæritur, an verba ex iis quæ proferri solent, nempe, *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sint essentialia formæ hujus Sacramenti? hæc verba *ego te absolvo* esse essentialia seu substantialia admittunt omnes, quamvis particula *ego* omitti posset, cùm includatur in nomine *absolvo*. Invocatio Trinitatis non requiritur, nec quidquam hic facit, ut fatentur omnes contra Durandum, quem sequi videtur Major, & Petrus Soto ob exemplum Baptismi. Sed alia est ratio de Baptismo, ut notat Sanctus Thomas articulo tertio ad tertium, cùm Christus expresè jusserit Apostolos baptizare omnes *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ac proinde peculiari modo requirere videtur Christus in Baptismo expressam invocationem trium personarum. Deinde hoc definiunt de Baptismo Pelagius & Zacharias Pontifices, & passim affirmant Patres, quod tamen non asserunt de Pœnitentiâ.

VI. *Ratio cur invocatio Trinitatis sit de essentiâ Baptismi est, quia Baptismus est Sacramentum Fidei.*

Rationem hujus reddit Pelagius Papa, quia Baptismus est peculiari modo Sacramentum fidei, per quod in Ecclesiam ingredimur, præcipuum autem Mysterium Fidei est mysterium Trinitatis, quâ etiam de causâ ex traditione Ecclesiæ colligimus illa verba esse etiam de essentiâ formæ Confirmationis; per hoc enim Sacramentum roboramur ad fidem illam profitendam, quam in Baptismo accepimus, ut optimè notat Mæratius disp. tertiâ de Pœnitentiâ, sect. primâ, & dubio quarto de Extremâ-Unctione, sect. etiam primâ.

VII. *Alia preces quæ hic adjungi solent, non sunt de essentiâ vel substantiâ hujus Sacramenti.*

De aliis precibus, quæ à Sacerdote ante & post absolutionem poni solent nulla est difficultas, cùm non sint de essentiâ vel substantiâ formæ, ut docet Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite tertio, sed solùm ait laudabiliter adjungi, quare sine peccato, saltem mortali omitti à Sacerdote possent, ut docet Suarez disp. decimâ octavâ, sectione 6. numero tertio, imo & sine levi, si ex quacumque rationabili causâ fiat, ut affirmat idem disp. 19. sect. 1. num. 18.

VIII. *An hæc verba à peccatis tuis sint de essentiâ formæ.*

Controversia itaque præcipuè procedit de illis verbis *à peccatis tuis*, sintne de essentiâ formæ, ita ut si omittantur, forma esse non posset valida, vel utrùm esse possint de illius substantiâ, taliter nimirum, ut subinde ad effectum Sacramenti concurrant.

IX. *Asserunt nonnulli verba illa esse forma Sacramenti Pœnitentiæ omnino necessaria.*

Prima sententia affirmat illas voces *à peccatis tuis* ita esse necessarias, ut iis non positis, non sit valida forma Sacramenti, & consequenter simpliciter esse de essentiâ illius, cùm sine illis sensus non sit completus, nec verba formæ magis determinata ad absolvendum à peccatis, quàm à censuris: ita Gabriël in quarto, dist. 14. quæst. 2. Paludanus dist. 22. quæst. 3. Major dist. 14. quæst. secundâ, Petrus Soto & alii nonnulli: quamvis hi postremi à Gabriële differant quod is ulteriùs requirat ut addatur particula *omnibus*; eandem sententiam quoad has particulas *à peccatis tuis* putat Suarez citandus non esse improbabilem.

X. *Communis sententia Theologorum docet particulas illas à peccatis tuis non esse de essentiâ formæ.*

Contraria sententia est communis Theologorum, quam tenere videtur Sanctus Thomas qu. octogesimâ quartâ, art. tertio, dum formam Pœnitentiæ assignat nullâ factâ mentione harum vocum *à peccatis tuis*: Scotus in quarto, dist. 14. quæst. 4. Sanctus Antoninus tertiâ parte, titulo decimo septimo, cap. vigesimo primo, Sylvester verbo *absolutio*, quæstione quartâ, Caietanus, Sotus, Medina, Navarrus, Suarez disp. 19. sect. 1. num. vigesimo secundo, Henriquez lib. quarto, cap. undecimo, num. tertio, Valentia quæst. 1. puncto tertio: Tannerus tomo quarto, disp. 6. quæst. 1. dubio secundo, num. trigesimo octavo: Coninck hic, disp quartâ, dub. 3. num. trigesimo, Mæratius disp. tertiâ de Pœnitentiâ, sect. primâ, & alii.

XI. *Verba illa à peccatis tuis non sunt de essentiâ formæ Sacramenti Pœnitentiæ.*

Conclusio: Etsi prima sententia, si rationes præcisè spectemus, secundæ quoad probabilitatem non cedat, imo fortasse eam superet, secunda tamen ob communem auctoritatem Doctorum est amplectenda. Probatur etiam ratione primò, nam in judicio humano non est necessarium, ut in sententiâ quâ quis absolvitur, ponatur culpa, sed si Judex dicat *absolvo te, absolveris*, vel aliquid hujusmodi censent omnes hæc verba sufficienter significare eum dimitti liberum. Secundò in familiari sermone, si quis postquam alius in eum culpam admisit, dicat tantùm *condono tibi*, sufficienter intelligitur remittere injuriam, ergo & Sacerdos hæc vel similia verba dicens, idem præstabit nomine Dei offensi, sicut non videtur dubium quin sufficeret, si Deus id per se homini diceret. Tertiò, saltem præmissâ accusatione per confessionem, verba videntur satis determinatam habere significationem, ut denotent absolutionem in tali causâ & materiâ; materia enim subinde determinat formam, sicut & forma materiam, ut rectè Suarez citatus, numero vigesimo primo. Quartò, forma Baptismi est, *Ego te baptizo*, seu *abluo*, ubi non est necessarium addere *à peccatis*, vel aliquid hujusmodi, licèt qui baptizatur sit adultus & plurima peccata admiserit, & tamen verbum *absolvo*, vel *condono*, non minùs denotat peccata, quàm verbum *abluo*, imo magis.

Præmissâ saltem accusatione, hæc verba significant absolutionem à peccatis.

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contendentia verba illa, à peccatis tuis esse de essentiâ formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Dices: Asserere Concilia formam hujus Sacramenti esse: Ego te absolvo, &c.*

OBJICIES primò: Concilium Florentinum & Tridentinum dum assignant formam hujus Sacramenti, dicere formam illius esse *ego te absolvo*, *&c.* ergo innuunt hanc non esse totam formam. Contra: Ergo & invocatio Trinitatis erit de essentiâ illius, cùm particula *&c.* æquè extendi ad illam possit atque ad alia quævis verba. Respondetur itaque, ideò Concilia addidisse *&c.* quia noluerunt definire quæ verba præcisè essent necessaria ad essentiam, sed abstraherent ab opinionibus Theologorum, inter quos magna erat hac

hac in parte dissensio. Secundò, probabile videtur Concilia addidisse particulam &c. ut significarent formam ordinariam, quâ utitur Ecclesia, non constare illis solis verbis *ego te absolvo*, sed alia includere, quòd vero plura non nominent ideo est, quia non eâdem certitudine requiruntur sequentia verba quâ priora: quare si benè ponderentur hæc verba Conciliorum, videntur probare nostram sententiam; cùm enim totam formam aliorum Sacramentorum posuerit Concilium Florentinum, ex formâ verò ab Ecclesiâ usurpatâ in Sacramento Pœnitentiæ, hæc sola verba *Ego te absolvo*, innuere videtur reliqua non esse eodem modo requisita.

Alia ratio cur &c. additum sit à Conciliis.

II. Objiciuntur secundò verba in formâ Sacramenti Confirmationis.

Objicies secundò: In formâ Confirmationis omnia illa verba, *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, esse essentialia, & tamen non minùs implicitè continetur Chrisma sub voce *confirmo*, quàm peccata sub voce *absolvo*. Inprimis Bellarminus libro de Confirmatione, capite decimo ait illa verba, *chrismate salutis*, non esse necessaria. Deinde in Baptismo non additur *à peccato*, vel *peccatis*, & tamen non magis explicitè continentur peccata sub voce *baptizo*, quàm sub voce *absolvo*, ergo tantùm pro nobis facit forma Baptismi, ac contra nos forma Confirmationis.

III. In iis quæ sunt ex institutione liberâ, non rectè arguitur à paritate rationis.

Communis itaque est doctrina Theologorum, in Sacramentis, & iis omnibus, quæ pendent ab institutione liberâ, non posse evidens deduci argumentum à paritate rationis: cùm itaque Concilium non nominaverit hæc expressè verba *à peccatis tuis*, sicut formas aliorum Sacramentorum, & habeamus præterea exemplum formæ Baptismatis, nihil convincit exemplum Confirmationis, præsertim cùm in judiciis humanis non soleat expressè poni culpa in verbis aut scripturâ, per quam reus absolvitur, & in communi modo loquendi, ut supra vidimus, si quis dicat alteri *condono tibi*, licèt non addat offensam, censetur remittere injuriam: hæc inquam, cùm ita se habeant, idem erit in formâ sacramentali.

IV. Dices: Absolvo *tam cadit super censuras ac super peccata.*

Objicies tertiò id quod in relatione sententiæ ponebatur, nempe verbum *absolvo* non minùs cadere posse super censuras, quàm peccata, ac proinde ut limitetur ad peccata debere addi *à peccatis*. Respondetur, verbum *absolvo* ex significatione suâ habere ut terminetur ad omne vinculum, nisi vel ex verbis adjunctis, vel intentione proferentis, aut aliunde limitetur ad hoc vel illud in particulari, ut in foro Pœnitentiæ limitatur; bis enim Sacerdos profert verbum *absolvo*, primùm intendendo liberare pœnitentem, ab excommunicatione, casu quo eam haberet, secundò ut liberet à peccatis. Cùm autem Pœnitentiæ Sacramentum sit per modum judicii, sicut in judicio humano reus per verbum *absolvo* ibi prolatum non absolvitur nisi à culpis, de quibus ibi accusatur, ita nec in foro Pœnitentiæ. Deinde, ut optimè notat Suarez disp. 19. sect. primâ, numero vigesimo primo, verbum *absolvo* absolutè prolatum significat per antonomasiam absolutionem à culpâ. unde sicut si quis diceret vidi hominem vel canem, omnes intelligerent hominem verum, & canem terrestrem, nec esset opus has voces addere, ita nec in præsenti *à peccatis*. Quare, ut absolvat ab aliis vinculis addenda fortè est particula restringens, sicut ut significet se vidisse canem cœlestem, non ut absolvat à peccatis, licèt nec ibi forsan sit necessarium.

V. Dices: Ergo si Sacerdos dicat solummodo absolvo à peccatis, omittendo particulam te, valida erit absolutio.

Objicies quartò: Ergo si Sacerdos solùm dicat, *absolvo*, omittendo particulam *te*, erit valida forma; præsertim si addat *à peccatis*; hic enim tanta est determinatio nominando peccata, licèt silearetur persona, atque ibi nominando personam, & reticendo peccata. Sed contra, nam idem objici posset contra formam Baptismi, ubi nullus admittit esse formam validam, si omittatur particula *te*, cùm tamen nullus requirat ut addatur particula *à peccato*, vel *peccatis*, licèt Baptismus ex institutione suâ non minùs deleat peccata quàm Pœnitentia: & idem videtur in omnibus Sacramentis. Respondetur itaque, formam hujus Sacramenti debere esse talem, ut vel explicitè, vel implicitè significet tali personæ conferri absolutionem à peccatis, verbum autem *absolvo* per se personam non significat, qui est absolvendus, sicut significat personam absolventem & peccata, juxta supra dicta, & quoad hoc appellio judicium omnium, quando quis dicit alicui peccata confitenti *absolvo*, vel etiam *absolvo à peccatis*, utrùm sensus non sit longè magis imperfectus, & suspensus, quàm quando idem dicit *absolvo te*: imo ut videmus, hoc secundum est inter homines passim usitatum, alterum nunquam.

VI. Dices: si quis petenti absolvisne hunc, absolvat hunc, dicat absolvo, sensus videtur completus.

Urgebis: Si quis petenti ab humano Judice, absolvisne hunc? respondeat *absolvo*, habebunt eum omnes pro absoluto, ergo & sufficiet, saltem in simili casu hoc solùm verbum *absolvo* pro formâ absolutionis. Contra: Si Judex ille in dicto casu responderet, *etiam* haberetur absolutus, vel similiter si verbum hoc, aut *absolvo* scribat, & tamen nullus concedet verbum *etiam* ore vel scripto efformatum sufficere pro formâ absolutionis. Ratio itaque utriusque est, quia secundùm omnes forma absolutionis debet esse talis, quæ per se significet absolutionem à peccatis, quod facit verbum *absolvo*, ut diximus: sicut autem nec nutus aut aliud signum editum à Sacerdote, nec verba ab alio prolata ad hoc ex toto sufficiunt, ita nec ex parte, quod tamen hîc interveniret; illa enim interrogatio alterius hic & nunc concurrit, ut verbum *absolvo* & verbum *etiam* significent Judicem absolvere hunc hominem à crimine. hæc argumenta, præsertim ultimum, ostendunt probabilitatem hujus sententiæ, & quàm parum habuit rationis Pater Tannerus citatus, numero trigesimo nono, ut eam appellaret parum probabilem.

VII. Forma Sacramenti Pœnitentiæ prolata per modum deprecationis non est valida.

Hinc infero primò cum Sancto Thoma articulo tertio, & communi Theologorum, non esse validam formam in hoc Sacramento per modum deprecationis datam, sicut in extremâ-Unctione; hæc enim, ut habemus ex Sancto Jacobo, per modum orationis & deprecationis instituta est, Sacramentum autem Pœnitentiæ per modum judicii, unde non dicit Christus pro quorum peccatis oraveritis dimittentur iis, sed quorum remiseritis, & Concilium Tridentinum institutum illud esse ait ad instar actûs judicialis, & sessione decimâ quartâ, capite secundo ait, eos qui post Baptismum in crimen aliquod lapsi sunt, debere ante hoc tribunal tanquam reos sisti, ut per Sacerdotis sententiam possint à peccatis liberari, Judex autem ut Judex non liberat orando, sed sententiam proferendo.

VIII. Quam ob causam SS. Patres formam absolutionis interdum vocent preces.

Quod verò Sancti Patres formam absolutionis subinde vocent preces, non obstat, solùm namque vocant preces ob preces adjunctas, sicut & consecrationem fieri subinde dicunt per preces, quia variæ preces in Missâ adhibentur, & totum

officium

officium divinum dicitur preces, licèt varia in eo legantur, quæ orationes non sunt. Secundò communiter forma absolutionis vocatur oratio, quia talis est virtualiter, & quoad efficaciam, estque res per se sancta, & ad pietatem tendens. Nec apud Græcos erat universalis modus absolvendi per formam adæquatè deprecatoriam, sed plurimi, etiam inter Schismaticos, addebant, & Ego habeo te absolutum, ut notat Petrus Arcudius de Sacramentis Ecclesiæ Orientalis, libro quarto, capite tertio, quæ verba æquivalent nostræ formæ *Ego te absolvo.*

IX. *Quæ verborum mutatio obstet valori formæ.*

Infero secundò illam solam formæ mutationem, quæ non reddit sensum æquivalentem his verbis *ego te absolvo*, & non præ se fert sententiam judicialem, obstare valori formæ, quocumque demum idiomate proferantur verba, aut in eodem mutentur: licèt enim verba materialiter, seu quoad sonum varientur, manent tamen formaliter eadem, cùm sensus & significatio sit anima verbi, ut rectè Suarez disp. secundâ de Sacramentis in genere, sect. quartâ, §. *Quarta regula.* unde si quis auctoritatis gratiâ dicat, *nos te absolvimus*, aut econtra reverentiæ causâ dicat personæ indignitate positæ *Absolvo dominationem tuam, majestatem vestram*, &c. est valida absolutio, ut observat Vasquez quæst. 84. art. tertio, dubio quarto, fine: Mæratius citatus sect. secundâ, Coninck in simili, quæst. 66. de Sacramento Baptismi, art. sexto, num. quadragesimo nono, & omnes communiter: semper tamen præstat servari formam consuetam.

X. *Mutare ita formam, ut reddatur dubia est peccatum mortale.*

Infero tertiò, semper esse mortale peccatum ita mutare formam, ut reddatur dubia, si verò mutatio sit exigua, & sensum ac modum significandi relinquat integrum, non est grave peccatum, licèt ex genere suo sit peccatum mortale, cùm sit sacrilegium: nonnulli tamen semper esse volunt mortale. Circa verborum transpositionem, interruptionem, additionem, substractionem, diversorum etiam idiomatum inter se mixtionem, &c. adhibenda hîc est generalis doctrina tradita de Sacramentis in genere, disp. sexagesimâ tertiâ, sectione secundâ, conclusione tertiâ.

SECTIO TERTIA.

An saltem illa verba à peccatis, *esse possint de substantia formæ.*

I. *Status præsentis controversiæ.*

HOc est, utrùm licèt non sint de essentiâ formæ, ut vidimus, ita ut iis non positis forma non sit sufficiens, esse tamen possint de substantiâ illius (admittimus enim pro præsenti distinctionem inter essentiam & substantiam) ita scilicet ut verè influere possint in gratiam per Sacramentum hoc collatam, & peccatorum remissionem, sicut secundùm omnes de facto concurrit particula *ego*, etsi nihil essentiale deesset formæ, si particula illa omitteretur.

II. *Negant communiter auctores verba illa,* à peccatis, *esse posse de substantiâ formæ absolutionis.*

Suarez hîc, disp. 19. sect. primâ, numero vigesimo primo, & disp. 13. de Sacramentis in genere, sect. tertiâ, & disp. 60. de Eucharistiâ, sect. primâ, & alibi, Coninck, Tannerus, Mæratius disp. tertiâ de Pœnitentiâ, sect. 2, & alii communiter negant illa verba *à peccatis*, aut de facto esse, aut esse posse de substantiâ formæ absolutionis, seu concurrere ad gratiam conferendam & remissionem peccati. Ratio horum Auctorum est, quia sicut essentia, ita substantia formæ non pendet ex arbitrio ministri, sed si semel ponatur materia & forma Sacramenti cum significatione sufficienti, statim ponitur illius effectus, ergo cùm antequam addantur illa verba *à peccatis*, posita per nos sit forma sufficiens, quicquid sequitur venit serò ad effectum Sacramenti ponendum, cùm jam pro tempore priori sit positus.

III. *Vasquez verba illa,* à peccatis, *ait semper concurrere ad effectum Sacramenti.*

Vasquez è contra, hîc quæstione octogesimâ quartâ, articulo tertio, dubio quarto, numero quarto, & sequentibus ait verba illa *à peccatis* semper, quando adduntur, concurrere de facto ad effectum Sacramenti, sicque esse de substantiâ illius, non tamen de essentiâ, quia licèt omitterentur, adhuc Sacramentum consisteret, & haberet suum effectum; cùm autem, inquit ipse, illa verba contineantur implicitè in voce *Absolvo*, si apponantur, concurrent necessariò ad remissionem peccati, sicut & particula *Ego*, quæ semper concurrit, quamvis si abesset, nihil deesset Sacramento.

IV. *Hoc tamen non subsistit, priùs enim quàm ponantur hæc verba,* à peccatis, *productus est effectus Sacramenti.*

Sed contra hoc est, quia pro aliquo priori temporis antequam addantur hæ particulæ *à peccatis*, ponitur materia & forma sufficiens hujus Sacramenti, juxta ipsum Vasquez cum intentione debitâ, ergo tunc dabit effectum; Sacramenta enim sunt quasi agentia naturalia, ut docent Theologi, & consequenter sicut Sol primo instanti quo applicatur subjecto apto, producit necessariò in eo lucem; ita & Sacramentum in animâ producit gratiam, ubi non invenit obicem. Quod verò affert Vasquez de particula *Ego*, nihil probat, nam si hoc modo proferretur forma absolutionis *Absolvo te ego à peccatis*, non magis concurreret particula *ego*, quàm *à peccatis* ad remittenda peccata, cùm pro tempore aliquo priori posita sit forma sufficiens cum intentione debitâ, & consequenter haberet effectum.

V. *Objic. Verbum additum post* Absolvo te, *potest influere in negationem absolutionis; ergo &* à peccatis *in absolutionem.*

Dices: Si Sacerdos apponeret alia verba his duobus *Absolvo te*, ut *Absolvo te joco, Absolvo te fictitiè, chimæricè*, &c. illa verba quæ sequuntur influerent in negationem absolutionis, & illam impedirent sicut particula *minoris* addita ab Arriano aliquo formæ Baptismatis; ergo & illæ particulæ *à peccatis*, etsi formam sufficientem subsequantur, possunt in absolutionem influere; contrariorum enim contraria, seu eadem est ratio. Negatur tamen consequentia: Disparitas est, quòd priora illa verba mutent planè sensum, & propositionem faciant longè aliam; nec enim absolvere fictitiè aut joco, est absolvere: at verò verba illa *à peccatis* quæ adduntur, continentur implicitè in prioribus, ut fatetur Vasquez, non minus quàm particula *Ego*, saltem relinquunt sensum integrum, nec quidquam demunt sufficientiæ formæ; ergo pro aliquo tempore antequam ea addantur, est forma sufficiens cum intentione debitâ, & consequenter habebit effectum.

VI. *Dices: Post illa verba,* Absolvo te, *requiritur aliqua morula.*

Urgebis: Saltem requiritur aliqua morula post verba *Absolvo te*, alioqui particulæ illæ superiùs additæ non possent impedire effectum Sacramenti, ac proinde pro illo priori hæc verba *Ego te absolvo* sunt indifferentia ad hunc vel illum sensum; ergo si intra illam morulam addantur hæ particulæ *à peccatis*, simul cum prioribus verbis concurrent ad formam Sacramenti. Sed contra: Si enim morula requiratur post hæc verba *Ego te absolvo*, ergo & post *à peccatis*; æquè enim addi possent

possent verba corrumpentia sensum formæ post *à peccatis*, ut si dicat Sacerdos *Ego te absolvo à peccatu alieno*, vel à peccatis tuis manifestis, non ab occultis, vel quæ soli Deo es confessus, aut aliquid hujusmodi.

VII. *Nulla ergo hic requiritur hujusmodi morula.*

Re tamen verâ non requiritur hujusmodi morula, si propositio sit finita, nam inquiro quanta debeat esse morula ut propositio non possit per verbum sequens corrumpi. Dices: tanta ut verbum sequens non possit censeri habere moralem connexionem cum præcedentibus. Contra: ergo potest intercedere spatium aliquod notabile, præsertim in iis qui morosè loquuntur. Imo communis sententia est Theologorum, etiamsi aliquis breviter interloquatur, & sic prosequatur formam inceptam, adhuc esse validam; ergo si quis post totam formam vel pœnitentiæ, vel Baptismatis prolatam moreretur, non reciperet Baptismum, nec peccata ei essent dimissa, nam secundùm hanc sententiam morula aliqua est expectanda. Deinde statim post prolata verba Consecrationis non posset Sacerdos, vel ipse hostiam adorare, vel populo adorandam proponere.

VIII. *Primo instanti quo forma est finita, confertur gratia in hoc Sacramento.*

Ut ergo huic objectioni respondeam, quæ contra cujusvis Sacramenti formam proponi posset, dico nullam hîc expectari debere morulam ob rationes jam positas, sed primò instanti quo propositio seu forma est finita, confertur gratia in reliquis Sacramentis, in Eucharistia verò ponitur corpus & sanguis Christi. Difficultas est, quando censenda sit finita forma; cùm enim semper post quamvis verborum formam proferri possint verba aliqua illam trahentia ad alium sensum quàm priora verba præ se ferunt, non videtur assignari posse quando finita sit propositio & forma sufficiens posita.

IX. *Vt propositio sit finita non debet sequi intra certum tempus verbum mutans sensum.*

Dico itaque tunc finitam esse propositionem, & veram ac sufficientem formam, quando prolata sunt verba apta ad significandum effectum sacramentalem, connotando non esse aliud verbum mutans sensum illorum ponendum infra tale tempus, & in iis circumstantiis, in quibus censeri posset habere moralem connexionem cum verbis præcedentibus. Notandum verò, aliud esse propositionem esse in se finitam, aliud finitam nobis, sicut hæc propositio, *stellæ sunt pares*, est in se determinatè vel vera, vel falsa, quamvis nobis non sit, cùm autem Deus res omnes norit sicuti sunt, perinde est propositionem esse in se finitam, & finitam illi, unde licèt si ab hominibus conferenda esset gratia, expectanda esset aliqua morula, non quòd forma non sit finita, & vera, sed quòd ipsi hoc non norint nisi post tempus, sicque aliquando darent gratiam, quando non esset posita debita forma Sacramenti, cùm verò gratia sit à Deo conferenda, non est cur ulla omnino detur expectatio aut morula.

X. *Si hæc verba à peccatis, præponantur, dubitari nequit quin influat in gratia collationem.*

His ergo positis, circa quæstionem in titulo propositam. Dico primò: Si illa verba *à peccatis* præponantur, ut si dicatur: *Ego te à peccatis tuis absolvo*, non est dubium quin influant in collationem gratiæ, ac peccati remissionem, & sint de substantiâ Sacramenti; quoad hoc enim non est major difficultas de his vocibus, quàm de particulâ *ego*, quam concedunt omnes influere si præponatur, sicut communiter præponitur. Ratio est, quia hæc omnia verba significant effectum Sacramentalem, & consequenter cùm ante eorum positionem non sit posita forma sufficiens, non est cur simul cum aliis verbis non concurrant ad effectum Sacramenti, quem significant.

Dico secundò: Non improbabile mihi videtur hæc verba *à peccatis*, etiam dum aliis verbis præponuntur, & forma profertur more consueto, posse concurrere ad effectum Sacramenti, licèt id non semper sit necessarium. Secundam partem jam probavimus contra Vasquez: pro primâ parte citat ipse aliquos, & impugnat, quamvis in modo explicandi & defendendi differant non-nihil à nostrâ sententiâ. XI. *Hæc etiam verba à peccatis more consueto prolata possunt concurrere ad gratiam.*

Ut ergo declaretur & probetur conclusio, suppono primò tanquam certum, ad valorem Sacramenti requiri essentialiter intentionem ministri, ut ostendi disp. 63. de Sacramentis in genere, sect. 3. & 4. quantumcumque enim quis formam debitam proferat supra materiam aptam, si nullam aliam habeat intentionem, non facit cæremoniam sacram, nec Sacramentum, sed proferendo formam Sacramenti Pœnitentiæ debet habere intentionem absolvendi, & sic de cæteris. XII. *Ad valorem Sacramenti requiritur essentialiter intentio ministri.*

Suppono secundò ex doctrinâ ab omnibus admissâ, intentionem posse esse vel absolutam, tunc autem nulla est difficultas, vel conditionatam, idque aut conditione de præterito ac præsente, & tunc similiter secundùm omnes Sacramentum est validum, vel de futuro, circa quod XIII. *Intentio hæc esse potest vel absoluta, vel conditionata.*

Suppono tertiò, intentionem conditionatam absolvendi de futuro, dupliciter posse procedere: primò, ita ut quis habeat voluntatem absolvendi si sit cras restituturus, & tunc absolutio ab omnibus passim censetur valida; conditio enim illa licèt sonet futurum, re tamen verâ est de præsenti, & facit hunc sensum, *volo te nunc absolvere, seu absolvo te nunc, si nunc verum sit dicere te cras restituturum, aut si Deus videat te cras restituturum:* hoc autem constat esse de præsente, & tunc etsi Coninck neget absolutionem esse validam, Theologi tamen communiter concedunt. Alia potest esse intentio de futuro, qua quis intendat tunc solùm absolvere quando restituerit, aut alia conditio fuerit expleta, non quando profert formam absolutionis, & hanc intentionem dicunt omnes obstare validitati & effectui Sacramenti, imo Suarez, Vasquez, & plurimi ex Theologis hoc etiam negant de Matrimonio. XIV. *Intentio conditionata de futuro duobus modis procedere potest.*

Probatur itaque conclusio; sicut potest Sacerdos habere voluntatem absolvendi dependentem à conditione, quæ sit actio aliqua, à restitutione exempli gratia, ita & dependentem ab his vel illis verbis, à se vel alio prolatis, ergo potest proferre omnia hæc verba, *Ego te absolvo à peccatis*, non intendendo absolvere nisi ubi ultimum verbum fuerit prolatum, suspendendo scilicet valorem Sacramenti usquedum illa omnia fuerint finita, ergo ante illud tempus forma non est valida, quod enim valorem suum habet dependenter à conditione, non habet illum nisi conditione positâ, ut in aliis omnibus patet. Cùm ergo hæc propositio *Ego te absolvo à peccatis tuis*, sit forma sufficiens, & eadem in re cum hac *Ego te absolvo*, ut statim ostendemus, nec deest forma, nec intentio, & consequenter his verbis absolutis constituetur completè Sacramentum. XV. *Sicut potest Sacerdos velle absolvere dependenter ab aliquâ actione, ita & dependenter ab his verbis.*

Objicies primò, ante illa verba est forma sufficiens, ergo illa non possunt concurrere. Distinguo antecedens, est forma sufficiens materialiter concedo, formaliter nego, illo autem modo est forma sufficiens, sine ullâ omnino intentione, vel etiam joco prolata, formalis autem & completa sufficientia formæ dependet ab intentione, quæ hîc non est nisi conditione positâ, ultimis scilicet XVI. *Ante hæc verba à peccatis, est forma hic materialiter tantùm sufficiens, non formaliter.*

scilicet verbis; sicut enim ubi nulla intentio nullum Sacramentum, ita ubi intentio tantùm conditionata, tantum est Sacramentum conditionatum donec impleatur conditio.

XVII. *Dices: Ergo hæc verba* Absolvo te *non possunt omnino hic influere.*

Urgebis: Ergo priora verba *Te absolvo* non possunt omnino hic influere, nec constituere Sacramentum, sicut nec constituunt, ut admisimus cum communi omnium sententiâ, quando proferuntur cum intentione de futuro, ut si cras restitueris: & idem diceremus si Sacerdos poneret post *Absolvo te* alia verba disparata, intendens non conferre absolutionem nisi iis positis, ut si diceret *Ego te absolvo, Deus est trinus & unus*, vel aliud hujusmodi. Negatur consequentia: Ad probationem dico, hanc propositionem *Ego te absolvo à peccatis tuis*, esse in re eandem, ut fatentur Auctores communiter, cum hac, *ego te absolvo*, vel saltem, ut negare nemo potest, cùm hac, *Ego te à peccatis tuis absolvo*, ergo hic quando intentio fit absoluta est aliquid formæ sufficientis; æquè enim hæc est forma sufficiens, *Ego te absolvo à peccatis*, atque hæc, *Ego te à peccatis absolvo*, cùm sit eadem propositio, ut diximus, ergo nihil obstare potest quo minùs hæc etiam ultima verba concurrant; nihil enim impedire potest, nisi quod præveniantur ab illis verbis *Te absolvo*, quæ etiam sunt forma sufficiens, & pro aliquo priori conferre deberent effectum, hoc autem ut ostensum est, non est necessarium, nam ut conferant vel non conferant, est in potestate proferentis, à cujus intentione habent quicquid habent.

Resp. Hæc verba Te absolvo *simul concurrere cum illis aliis* à peccatis *ad peccati remissionem.*

XVIII. *Non tamen sequitur verba illa,* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *esse de substantiâ formæ,*

Objicies secundò: Ergo & verba sequentia, nempe *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, possunt esse de substantia formæ, cùm Sacerdos non minùs possit habere intentionem conditionatam non absolvendi donec illa etiam prolata fuerint. Contra: quæro utrùm hæc verba præposita aliis, ut *Ego te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti absolvo*, unam integrarent cum iis formam, & ad peccati remissionem concurrerent an non, en eadem difficultas in omni sententia: si ergo posita ante alia verba vel interposita integrarent unam formam & concurrerent, possent etiam postposita, si autem priùs posita vel interposita, ut multo est verosimilius, non spectent ad formam, nec possint concurrere, non poterunt spectare, vel concurrere posita in fine. Idem dico, si quis inferat sequi posse, etiam longam orationem positam post hæc verba *Absolvo te* concurrere: solùm notandum verba, quæ non faciunt eundem sensum cum formâ *Absolvo te*, esse parerga, sive in medio formæ ponantur, sive in fine.

XIX. *Dices: Ergo verba illa* à peccatis *erunt de essentiâ formæ Pœnitentiæ.*

Objicies tertiò: Ergo hæc verba *à peccatis* in hoc casu erunt de essentiâ formæ Sacramenti Pœnitentiæ, iis enim ablatis, nullum hîc & nunc foret Sacramentum, malè ergo dicimus esse solùm de illius substantiâ. Contra: ergo si quis ponat ea verba in medio formæ cum intentione non conferendi absolutionem, nisi ea verba interserat, erunt etiam de essentiâ. Respondetur itaque quæstionem hic esse posse de nomine; hoc ergo solùm sensu dicimus illa verba non esse de essentia formæ Sacramenti Pœnitentiæ, quia potest dari, & plerumque datur completa forma, iis non concurrentibus, imo nunquam possunt esse necessaria nisi quando adhibetur intentio hujusmodi conditionata, quæ cùm non requiratur, certè neque hæc verba requiruntur ad essentiam formæ. Si quis autem hic & nunc velit esse de essentiâ, quia sine iis, manento hac intentione nulla esset absolutio, per me licet, non tamen ita propriè dici possent de essentiâ formæ, quàm intentionis. Alio certè modo constat requiri hæc verba *absolvo te*; sine his enim nulla omnino remittuntur peccata per Sacramentum Pœnitentiæ.

SECTIO QUARTA.

Quem sensum habeant verba formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Verba Sacramentalia duplicem habere possunt significationem, naturalem, & supernaturalem.*

NOTANDUM verba sacramentalia duplicem habere posse significationem, primò naturalem, ut ita dicam, seu quam habent ex institutione hominum, alia significatio est sacramentalis seu supernaturalis, quam habent ex institutione Christi, hæc autem secunda significatio communis ipsis est cum materiâ Sacramentorum, aquâ, oleo, &c. quæ omnia ex institutione Christi hoc sensu significant gratiam; sunt enim signa, quæ debitè posita semper subsequitur gratia; verba autem Sacramentalia secundùm sensum merè humanum non semper gratiam significant, ut apertè constat in Sacramento Matrimonii, in quo verba aliud non significant quàm consensum conjugum in obligationem mutuam; nec enim aliud quoad sensum humanum significant post elevationem Matrimonii in Sacramentum, quàm ante, sed solùm elevata jam sunt, manente eadem significatione naturali ad gratiam conferendam.

II. *Quid hac de re doceat Caietanus.*

Rejiciendum hîc in primis est quod docet Caietanus, nempe sensum horum verborum *Ego te absolvo*, esse Ego tibi remitto vel culpam vel pœnam, vel saltem reliquias peccatorum, quod ultimum addit, ut forma sit vera quando quis confitetur tantùm peccata, quæ antea & quoad culpam & pœnam sunt vel per priorem confessionem, vel contritionem deleta. Sed contra hoc est; vel enim per has reliquias intelligit Caietanus aliquid illius peccati adhuc remanere, & hoc falsum est, ut latiùs ostendetur in impugnatione sententiæ Patris Coninck, vel per has reliquias intelligit habitus vitiosos, & inclinationes malas, hæ autem exiguæ sæpè sunt, præsertim quæ relinquuntur ex peccato aliquo levi veniali, & consequenter tales non sunt, ut totâ vitâ maneant, præsertim ubi quis frequenter exercuit virtutem contrariam, & habitum vitiosum habitu honesto veluti clavum clavo expulit. Deinde illi habitus, finge aliquos superesse, nec sunt peccatum, nec pœna peccati, cùm adhuc dimissâ totâ pœnâ remaneant; & consequenter non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed solùm sunt effectus physicus ex actu vitioso secutus in animâ, sicut vulnus ex quibusdam externis actibus peccaminosis in corpore.

III. *Opinio Magistri dicentis* Absolvo te *esse absolutum ostendo.*

Secundò ab omnibus rejicitur expositio Magistri, qui conformiter ad suam sententiam de absolutione supra relatam, ait sensum horum verborum *Ego te absolvo*, esse te absolutum ostendo seu declaro. Contra hanc expositionem acerrimè invehuntur Theologi omnes, tum recentiores, tum antiqui, & in particulari Richardus de Sancto Victore sic de eâ scribit libro de potestate ligandi & solvendi, capite vigesimo primo: *Extat*, inquit, *quorundam sententiatam frivola, ut ridenda potiùs quàm refellenda videatur; putant enim Sacerdotes non habere potestatem solvendi, sed ostendendi solutos.*

solutos. Sed nunquid Dominus dixit quod solutum ostenderitis erit solutum? dicunt Sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata, cùm Dominus hoc dicat, & dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cùm Dominus hoc non dicat: hæc ille. P. Tannerus disp. 6. quæst. 1. dubio secundo, num. vigesimo quarto dicit eandem expositionem contra nostri temporis hæreticos damnatam esse à Concilio Tridentino sessione decimâ quartâ, canone primo, & nono.

IV. *Aliorum expositiones rejecta.*

Tertiò, rejiciuntur aliæ aliorum expositiones conformes sententiis ibidem relatis, cùm nulla rectum verborum absolutionis sensum assequatur.

V. *Quomodo hæc verba* Absolvo te *exponat P. Coninck.*

Quartò itaque P. Coninck disp. 4. de Pœnitentiâ, dubio octavo, num. sexagesimo primo ait peccatum in hac vitâ nunquam ita plenè remitti, quin ulteriùs semper possit remitti; manet enim semper, inquit, indignitas quædam, quam numero sexagesimo quarto ait nunquam in hac vitâ posse omnino tolli, quantumcumque quis in gratiâ crescat, sicut, inquit, quantumcumque vis plumbum sursum evehendi ipsi à Deo inderetur, si tamen maneret naturalis gravitas, esset semper impedimentum quo minùs ita celeriter ascenderet, & hoc modo probabiliter defendi posse asserit sententiam Caietani.

VI. *Hic procedendi modus P. Coninck impugnatur.*

Sed contra, & ut ab hoc ultimo incipiam exemplum nullam habet proportionem cum re, ad quam illustrandam affertur; supponitur enim semper debere manere gravitatem in plumbo, cùm tamen juxta ipsum per singulas confessiones, sicut gratia augetur, ita indignitas illa minuatur, ergo sicut si levitas relinqueretur suæ naturæ paulatim gravitatem omnem expelleret, ita gratia tollet indignitatem, cùm non sit infinita: quod maximè urget in levi aliquò peccato veniali, quod ponamus habere indignitatem relictam ut quatuor, si per primam confessionem ablatus est unus gradus indignitatis, certè per secundam, quæ potest fieri cum multo perfectiore dolore, & meliore dispositione, secundùm quam juxta communem sententiam Theologorum semper crescit effectus Sacramenti, tolletur ad minimum alius gradus, & sic tota indignitas paulatim exhaurietur. Si autem dicat P. Coninck propterea non posse tolli, quia semper manet hunc hominem peccasse. Contra primò, ergo nec poterit minui, cùm non minùs post secundam confessionem maneat ipsum peccasse, quàm post primam, imo quàm ante. Contra secundò, ergo nec in cœlo tolli potest, adhuc namque ibi manet hunc hominem peccasse, cùm tamen P. Coninck numero sexagesimo tertio dicat hanc indignitatem in cœlo cessare.

VII. *Dices: Si ponãtur duo cum æquali gratiâ, quorum alter peccavit, hic vel hoc nomine est minùs dignus.*

Dices cum P. Coninck, ponamus duos cum æquali gratiâ, quorum alter peccatum aliquod admisit, alter non, si esset beneficium aliquod in alterutrum conferendum, certè minùs dignus esset qui peccavit, quàm qui fuit innocens, ergo manet aliqua indignitas. Contra, & retorqueo argumentum, ponamus illum qui peccavit habere multo plus gratiæ altero qui semper fuit innocens, & multa pro Deo fecisse, multa passum fuisse, certè non puto P. Coninck dicturum hunc hominem esse minùs dignum altero, cui Deus beneficium illud largiatur, quod si dicatur, jam solvere debet suum argumentum; hic enim si non est minùs dignus altero, ergo eodem modo se habet in ordine ad beneficium ac ille, sed in illo nulla est indignitas, ergo nec in hoc, imo multo minùs in hoc, cùm sit vel esse possit dignior illo beneficio: quod magis urget si peccatum fuerit tantùm veniale.

VIII. *Aliud est aliquem non esse tam dignum, aliud esse indignum.*

Respondetur itaque, aliud esse aliquem non esse tam dignum atque est alter, aliud esse indignum, hoc sonat manere aliquid quod labem ipsi aspergat, nihil autem hujusmodi in eo manere potest, cui Deus peccatum remisit, non tamen est tam dignus, quia alius præter gratiam æqualem habet innocentiam, & hæc etiam in cœlo facit sanctum illum qui nunquam peccavit dignum peculiaribus quibusdam favoribus, quibus non est tam dignus ille qui peccavit, in quo tamen nulla remanet indignitas. Sic etiam laureolæ virginitatis & martyrii debetur in cœlo præmium quoddam speciale, quo non sunt digni illi, qui Virgines aut Martyres non sunt, etiamsi nunquam peccassent, non tamen propterea sunt indigni; hoc enim sonat aliquid quod in ipsis adhuc displiceat.

IX. *Objic. Moysen & Davidem post peccatum nunquam à Deo obtinere potuisse ut postea non punirentur.*

Dices secundò cum eodem, numero sexagesimo secundo, Moysen & Davidem, licèt maximam egerint Pœnitentiam, nunquam tamen à Deo impetrare potuisse, quin hic gravibus posteà ærumnis affligeretur, ille mortem priùs obiret, quàm populum, quem ex Ægypto eduxerat, in terram promissionis induceret. Sed contra: Etsi enim Deus justis de causis certas pœnas quibusdam peccatis subinde statuat, non tamen sequitur post remissam culpam & pœnam solutam, manere indignitatem aliquam in eo qui peccatum aliquando admisit, imo Moyses & David etiam post peccata illa erant digni qui maxima à Deo obtinerent beneficia. Pœnas autem illas infligit Deus aliquando ad bonum aliorum, quæ quamdiu durant, non potest dici omnino liber ab omni peccatorum reatu, qui manet peccato etiam perfectè remisso, imo putant aliqui, inter quos etiam est P. Coninck disp. secundâ, dub. decimo tertio, posse Deum remittere culpam nullâ omnino pœnâ remissâ, & hominem in æternum ob peccata, quæ priùs admisit punire pœnâ tam damni, quàm sensus. Licèt etiam Deus subinde ob quædam peccata hujusmodi pœnas diuturnas infligere possit ob causas sibi notas, non tamen sequitur id in omni peccato reperiri ex naturâ rei, præsertim ubi peccatum est solùm leve.

X. *P. Suarez ait formam significare, do tibi gratiam peccati remissivam.*

Pater Suarez disp. 19. sect. secundâ, num. decimo quinto ait verba formæ absolutionis, *Ego te absolvo*, &c. esse, ego tibi gratiam sanctificantem impertior, peccati remissivam. Sed contra: Nam ut initio sectionis notavimus, duplex est significatio verborum quæ adhibentur pro formis, *sacramentalis & humana*: licèt ergo formæ omnium Sacramentorum per primam significationem, quæ ipsis communis est cum Sacramentorum materiâ, significent gratiam, & eam conferant, sermo tamen hîc non est de illâ significatione, sed de humanâ, seu quam habent ex institutione hominum, verba autem hæc *Ego te absolvo* non habent ex institutione hominum, ut directè & in particulari significent collationem gratiæ habitualis, ut constat, ergo.

SECTIO

SECTIO QUINTA.

Resolvitur quæstio circa sensum verborum formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Ex duplici capite nascitur hujus quæstionis difficultas.*

DIFFICULTAS hujus quæstionis ex duobus oritur, quo pacto scilicet forma sit vera, quando quis solùm confitetur illa peccata, à quibus antea per priores confessiones fuit absolutus; tunc enim verba non videntur esse vera, cùm nullam absolutionem conferat Sacerdos, nec peccata tollat, quippe quæ jam antea erant sublata; ergo verba non faciunt quod significant: Sacerdos enim dicit se absolvere, cùm non absolvat. Quod etiam accidere videtur quando quis aliquid confitetur, quod in se non est peccatum. Difficultas secundò est, ubi quis ad Sacramentum accedit non dispositus.

II. *Dicunt nonnulli, verba in priori casu esse vera, quia idem peccatum potest iterum & sæpius remitti.*

Recentiores aliqui sic in hac difficultate procedunt: dicunt verba absolutionis directè significare solutionem à peccato, & tamen esse vera, etiam quando quis confitetur sola peccata priùs, vel per Contritionem, vel priorem Confessionem & Absolutionem deleta; nam inquiunt ipsi possunt eadem peccata iterum & sæpiùs remitti & tolli, unde nihil frequentiùs inter homines, quàm ut idem debitum iterum ac sæpiùs remittant, nec semel tantùm, sed frequenter eandem injuriam condonent.

III. *Resp. tamen impossibile omnino esse, ut peccatum priùs deletum, deleatur secundò.*

Hoc tamen non videtur posse consistere, nec enim potest peccatum priùs deletum magis deleri secundò, si propriè loquamur, quàm homo occisus secundò occidi, aut ignis extinctus extingui. Quod verò additur inter homines unum alteri sæpiùs debitum & injuriam remittere, dico si priùs re verâ injuria aut debitum fuit remissum, & omnis obligatio solvendi & satisfaciendi sublata, secundam esse solum remissionem & sublationem obligationis affectu, non effectu; nullum enim effectum habet circa injuriam aut debitum, nec videtur magis propriè posse eum qui semel condonavit, & sustulit injuriam, aut debitum, iterum illud tollere, quàm rem quam semel donavit alicui, iterum eidem donare, & à se secundò alienare.

IV. *Quamvis possit quis per promissionem secundò ligari, si tamen sit solutus non potest secundò solvi.*

Dices: Potest is qui semel aliquid promisit & obligavit se, iterum & tertiò promittere, & se denuo obligare; ergo & cui obligatio est sublata potest secundò auferri. Nego consequentiam: sic enim licèt quis physicè uno vinculo ferreo ligetur, potest ligari alio, si tamen ab omni vinculo solvatur, non potest secundò solvi, unde nec Princeps qui ipsum moraliter solvit mandato aut alia ratione quidquam facit per secundum mandatum, si antea solutus sit per primum affectu quidem, & intentione aliquid facit, non tamen re ipsâ, & effectu.

V. *Effectus ligationis est divisibilis, solutionis simpliciter, indivisibilis.*

Ratio demum utriusque est, quia effectus ligationis est divisibilis, & consequenter poni potest per partes, & simpliciter est ligatus qui vel uno vinculo ligatur, at verò effectus solutionis est indivisibilis, nec dicitur solutus simpliciter nisi quis ab omni vinculo sit solutus; negationes enim, ut dici solet, sunt malignantis naturæ. Posset quidem homo à vinculis, si Princeps ita juberet, solvi paulatim & per partes, sed non esset simpliciter solutus nisi ab omni vinculo liberaretur, nec etiam tunc si esset ab uno vinculo solutus, posset per secundum mandatum Principis iterum liberari ab eodem, qui est noster casus in præsenti; sæpè enim homo confiteri potest idem peccatum, quod tamen per verba absolutionis secundò prolata non tollitur, si antea sublatum fuerit per primam absolutionem, imo nec per hanc si homo priùs de eo fuerit contritus, & consequenter verba absolutionis, si significarent absolutè & propriè solutionem ab illo vinculo, & ablationem peccati, essent in his casibus falsa, quod nemo concedit.

VI. *Verba absolutionis significant remissionem peccati conditionatè, non absolutè.*

Omnibus ergo consideratis forma absolutionis, *Ego te absolvo* significat quidem remissionem peccati, sensu tamen conditionato, non absoluto, nempe *Ego te absolvo quantum est ex me*, seu nisi ex parte tuâ sit impedimentum; verba enim in omni formâ judiciali videntur involvere tacitam conditionem, ut cùm Judex sæcularis dicit reo, *Absolvo te*, intelligitur quantum ad allegata & probata, & sic de aliis. Hoc etiam insinuare videtur Suarez disputatione decima-nonâ, sect. 2. num. vigesimo, & vigesimo-primo, & alii: licèt velit Suarez primariò tendere significationem verborum ad gratiam, non ad remissionem peccati: pro quo

VII. *Objic. In hoc modo procedendi sequitur, dum quis sola peccata priùs remissa cõfitetur, formam nihil operari.*

Dices primò cum Suarez sectione illâ secundâ, numero decimo: si verba absolutionis directè significent remissionem peccati sub illa conditione, sequitur quando quis confitetur sola peccata priùs remissa formam nihil circa personam illam operari. Dices: confert ei gratiam, contra inquit, forma non operatur nisi quod significat, sed non significat gratiam secundùm nos, ergo: imo nihil actu significat, nam solum significat conditionatè, conditionalis autem significatio, sicut absolutè nihil significat, sed tantum conditionatè, ita nihil operatur nisi positâ conditione significationis, hîc autem non ponitur conditio significationis; significant enim verba illa solutionem, si non sit impedimentum ex parte recipientis, ibi tamen est impedimentum obstans solutioni; quid enim magis obstat solutioni quàm ut quis non ligetur, ut hic contingit.

VIII. *Quamvis verba absolutionis non significent gratiam significatione humanâ, significant tamen sacramentaliter.*

Respondetur tamen, formam absolutionis conferre huic homini gratiam. Ad primam partem replicæ distinguo minorem, non significat gratiam significatione humanâ concedo, sacramentali nego, ut de verbis Matrimonii ostendimus initio Sectionis. Idem probari posse videtur ex formâ ordinis; primò enim in ordinatione Ostiarii, & collatione aliorum minorum ordinum forma non significat gratiam, sed solùm ministerium quod in Ecclesiâ obire debent; imò in ordinatione Sacerdotis verba illa: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesiâ pro vivis & mortuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quæ est forma Sacerdotii in Concilio Florentino ab Eugenio IV. assignata; hæc inquam verba sensu quem habent ex humanâ impositione non significant gratiam.

IX. *Sacramentum confert gratiam quam significat significatione Sacramentali.*

Per hæc patet ad secundam partem replicæ, de significatione conditionatâ: dico enim Sacramentum conferre gratiam quam significat significatione Sacramentali. Adde, cùm per gratiam remittantur peccata, & forma hæc significet absolutionem peccatorum, aliquo etiam modo dici potest significare gratiam, saltem arguitivè; significat enim directè remissionem peccati, hoc autem in præsenti statu non sit sine gratiâ habituali, ergo.

X. *Dices: In nostrâ sententiâ non est unde quis recipiat gratiam, qui solùm confitetur venialia.*

Dices secundò: si hæc verba secundùm sensum quem habent non significent gratiam; ergo quando quis confitetur venialia non est unde colligamus verba absolutionis dare gratiam confitenti. Nego consequentiam, ad hoc enim sufficit habere ex significatione Sacramentali quòd gratiam significent, sicut in Matrimonio & Ordine contingit, in quibus verba secundùm sensum humanum non omnino gratiam significant, & tamen eam conferunt. Sacramenta ergo operantur instar rerum naturalium, & consequenter gratiam suscipientibus, qui non habent obicem peccati, non minùs necessariò instanti quo recipiuntur conferunt, quàm ignis in lignum calorem aut formam ignis, vel Sol lucem in aërem inducit, ubi ille frigoris aut humiditatis, hic corporis opaci non reperit obstaculum.

SECTIO SEXTA.

Inferuntur quædam circa significationem verborum formæ.

I. *Verba formæ à Sacerdote pronunciata super indispositum sunt falsa.*

Hinc infero primò: ubi quis ad hoc Sacramentum accedit omnino indispositus, verba formæ esse falsa, cùm Sacramentum reddatur nullum, ut si pœnitens non sit baptizatus, nullum habeat dolorem, &c. sicut secundùm omnes essent falsa, si proferrentur à Sacerdote dæmoni, nam Sacerdos in eo casu quantum est ex se non poneret necessaria ad remissionem peccatorum, cùm non ponat Sacramentum, sicut non credo quemquam dicturum verba esse vera, si hoc diceret lapidi, aut homini qui nunquam peccasset. Sic etiam, si quis non Sacerdos proferret illa verba, communiter censentur falsa, quia non habet auctoritatem remittendi peccata, atque adeo non facit quod in se est, cùm in se hoc non habeat, sicque est falsa propositio, quia est de subjecto non supponente, sed non magis habet Sacerdos potestatem absolvendi aliquem qui non peccavit, aut qui non est baptizatus, vel dispositus, ergo.

II. *Quid de hac formâ censendum, si Sacramentum esse possit validum, sed informe.*

Infero secundò: Si talis dari possit dolor ut Sacramentum hoc sit validum sed informe, sitque indispositio ad effectum non valorem Sacramenti, tunc probabile mihi videtur verba esse vera, quia Sacerdos quantum est ex se hominem illum absolvit, & defectus est penes solum pœnitentem, qui si faceret quod ex suâ parte potest & requiritur, sicut Sacerdos facit quod requiritur ex suâ, Sacramentum haberet effectum.

III. *Objic. Ad absolutionem perinde est afferre nullum dolorem, ac non afferre sufficientem.*

Dices, proximè asseruisse nos, si Sacerdos proferat verba absolutionis super hominem non baptizatum, aut qui non peccavit, vel nullum habet dolorem, illa esse falsa, quia Sacerdos non habet potestatem absolvendi eum qui non est baptizatus, vel qui nullum affert dolorem, sed non magis habet potestatem absolvendi eum, qui non affert dolorem sufficientem; hic enim dolor perinde est ac nullus, ergo. Distinguo minorem: Si dolor, quem affert non sit sufficiens ad valorem Sacramenti, concedo, si solùm non sit sufficiens ad effectum in actu secundo consequendum, nego: in illis enim casibus significat Sacerdos se illis verbis habere potestatem remittendi peccata hominis non baptizati, & qui nullum habet dolorem, ac ponere causam in actu primo remissivam peccati, quod non facit. In altero verò casu Sacerdos ex parte suâ facit quod sufficit ad remissionem peccati; ponit enim id quod habet vim remittendi peccatum, si pœnitens poneret dispositionem, si autem nolit pœnitens eam ponere, stat per ipsum quòd non absolvatur; quòd enim ipso nolente se disponere non absolvatur, non est imputandum Sacerdoti, sicut nec Deo quod homo liberè non convertatur, cùm ei dat gratiam sufficientem, non quidem sufficientem posito quòd nolit, nulla enim gratia sufficit ad hominem nolentem liberè convertendum, sed sufficientem in sensu diviso, unde sicut hoc præstando facit Deus quod in se est ad conversionem, ita Sacerdos ad absolutionem.

IV. *Sacerdos dicens, Ego te absolvo quantum est ex me, facit quod significat.*

Confirmatur: Sacerdos dicens *Ego te absolvo quantum est ex me*, facit quod significat, ergo verba sunt vera: consequentia ab omnibus conceditur, antecedens probatur, Sacerdos dicens, *Ego te absolvo quantum est ex me*, solùm dicit se absolvere in actu primo, seu ponere causam quantum est ex se sufficientem ad absolutionem, sicut Deum convertere hominem quantum est ex se, est ponere causam illius in actu primo conversivam, bonam scilicet cogitationem ei immittere, quæ cogitatio ex se apta est eum convertere, & tamen si Deus eandem cogitationem poneret in lapide, non diceretur eum quantum est ex se convertere.

V. *Objic. Hinc sequi, si pœnitens cum nullo omnino dolore accedat, verba Sacerdotis esse vera.*

Urgebis: Ergo & quando quis accedit sine ullo dolore verba Sacerdotis erunt vera; stat enim per pœnitentem quòd non absolvatur; si enim poneret dolorem consequeretur illum effectum, hunc verò si non ponat, stat per ipsum quo minùs absolvatur, non per Sacerdotem qui facit quod in se est. Respondetur, hanc propositionem *Ego te absolvo* intelligendo quantum est ex me, significare Sacerdotem aliquid ponere, quod conducit ex naturâ suâ ad absolutionem, in hoc autem casu nihil hujusmodi ponit; mera enim prolatio verborum non sufficit, ne quidem in actu primo: in secundo verò casu ponit aliquid, nempe Sacramentum, quod sufficit ex se ad tollendum peccatum, & postea tollet, si pœnitens postea habuerit dolorem requisitum, ut affirmant Auctores communiter sententiæ asserentis dari posse Sacramentum validum sed informe. Sicut cùm quis alteri donat aliquid, semper ingreditur tacita conditio si ille acceptet, qui si non acceptet, stat per ipsum quo minùs transeat res illa in ipsius possessionem, & dicens, do tibi hunc equum, vel librum, verum dicit, licèt alter non acceptet, quia sensus illorum verborum tantùm est, *quantum est ex me do tibi hunc librum*, quæ tamen verba non essent vera, si id diceret lapidi. Idem suo modo dicendum est in verbis absolutionis.

VI. *Idem est, Ego te absolvo, & Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo.*

Infero tertiò, significationem formæ, quam superiore sectione posuimus, nempe, *Ego te absolvo quantum est ex me*, coincidere in re cum eâ quam hîc affignat Sanctus Thomas quæst. octogesimâ quartâ, art. tertio, ad quintum, nempe, *Ego te absolvo*, id est, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, quam etiam amplectitur Vasquez quæstione nonagesimâ primâ, articulo tertio, dubio septimo, numero septimo. Commodiùs tamen fortè explicaretur per verba magis universalia: igitur *Ego te absolvo quantum est ex me* significat *ego confero tibi causam remissionis peccatorum, vel jus ad remissionem peccatorum*, nam secundùm ipsum Suarium disp. 19. sect. 2. num. 20. verba absolutionis non significant actualem remissionem peccatorum, sed aptitudinalem.

Nec

VII. *Dicet: Extra Sacramentum hæc verba non significant positionem Sacramenti, ergo nec intra.*

Nec contra hoc urget quod objiciunt recentiores aliqui, nempe idem significare verba absolutionis intra & extra Sacramentum, sed extra Sacramentum non significant positionem Sacramenti; homines enim qui his vocibus, *Ego te absolvo* significationem imposuerunt, nihil sciebant de Sacramento. Respondetur, idem significare intra & extra Sacramentum, hæc autem verba, *Ego te absolvo quantum est ex me*, etiam extra Sacramentum significant absolutionem tantùm in actu primo, seu causam illius sufficientem. Ad probationem dico, solùm significare Sacramentum quasi indirectè & confusè, directè autem causam remissionis peccatorum, seu titulum ad illam, homines autem potuerunt generatim intendere, ut hæc verba significarent hac ratione Sacramentum, sicut hæ voces, *causa remissionis peccatorum* ab iisdem hominibus habuerunt suam significationem, & tamen hac generali significatione significant Sacramentum, sicut vox *homo* significat Christum, & vox *unio* unionem hypostaticam, aut gratiæ cum animâ, qui tamen his vocibus significationem primò indiderunt, nec has nec illum in particulari cognoverunt.

VIII. *Verba formæ absolutionis indirectè & confusè significant positionem Sacramenti.*

Nec etiam urget quod opponit Suarez sectione illâ secundâ, numero decimo-quarto, nempe formam Sacramenti non significare seipsam, nec positionem Sacramenti. Dico enim indirectè & confusè posse hoc significare, quatenus illa verba, *Absolvo te à peccatis tuis quantum est ex me.* habent ex institutione hominum ut significent absolutionem à peccatis in actu primo, seu causam peccatorum remissivam. Confirmatur: quando Sacerdos dicit, *Absolvam te quantum est ex me*, significat se posiurum quod ex parte sua requiretur ad valorem absolutionis seu remissionis peccatorum, sed hoc est forma, & Sacramentum; ergo saltem confusè significat se posiurum formam, & Sacramentum, seu causam remissionis, sed verbum *Absolvo* secundùm mentem imponentium primam ejus significationem non habet alium sensum in præsenti, quàm in præterito vel futuro, ergo, &c. Si etiam formæ aliorum Sacramentorum, ut Baptismi & Confirmationis, significent internam ablutionem & signationem, idem dici potest de illis.

IX. *Peccata priùs per Sacramentum Pœnitentiæ delecta sunt materia sufficiens hujus Sacramenti.*

Infero quartò circa rationem dubitandi de significatione verborum supra positam, peccata prius per Sacramentum Pœnitentiæ remissa, sive ea venialia sint, sive mortalia, esse materiam sufficientem hujus Sacramenti: ita Suarez disp. 18. sect. primâ, num. sexto, & sect. quartâ, num. 8. Vasquez quæst. nonagesima-primâ, artic. tertio, dub. septimo, num. sexto, Coninck disp. quartâ, dub. tertio, num. vigesimo-septimo, Tannerus disp. sextâ, quæst. primâ, dub. secundo, numero vigesimo-octavo, Layman capite tertio, num. quinto, qui varios citat.

X. *Hoc clarè ostendi videtur ex Concilio Tridentino.*

Ratio est, quia imprimis peccata omnia mortalia, licet per contritionem remissa sint, sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ juxta Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite secundo de Pœnitentiâ, & canone sexto, & septimo; docet enim debere omnia peccata mortalia subjici clavibus, ac judicio & sententiæ Sacerdotis, & tamen hic inferri possunt omnia quæ proponuntur contra peccata priùs per confessionem deleta. Deinde Benedictus XI. extravagante *Inter cunctos* de privilegiis, dicit salubre esse ut eorundem peccatorum iteretur confessio, & injungit fratribus mendicantibus, ut moneant & hortentur eos, qui ipsis confitentur, ut semel in anno eadem peccata suis Parochis iteratò confiteantur. Tertiò, hoc probat communis praxis Ecclesiæ. Quartò, quia non fieret sine fructu, cùm & gratia inde augeatur, & major tranquillitas conscientiis, securiores namque de remissione peccatorum redduntur homines, dum ea sæpiùs clavibus subjiciunt.

XI. *Forma super hujusmodi peccatum prolata esset vera.*

Dices primò: forma super hoc peccatum, præsertim si illud solum quis confiteatur, non est vera: sed jam hac & præcedente Sectione ostendimus esse veram. Dices secundò: non potest forma bis cadere super eandem materiam; sic enim non potest quis super hostiam consecratam secundò verba consecrationis proferre. Respondetur distinguendo antecedens, super eandem materiam proximam, concedo antecedens; super eandem remotam nego; sic enim eâdem aquâ possunt plures baptizari, quia ablutio quæ est materia proximâ mutatur, cùm ergo confessio seu accusatio, quæ est materia proxima hujus Sacramenti, seu judicii & pars illius constitutiva, sit diversa, poterit super hoc peccatum secundò prolatum iteratò proferri sententia Sacerdotis, cùm juxta Concilium Florentinum & Tridentinum omne peccatum post Baptismum commissum sit materia Sacramenti Pœnitentiæ, hoc autem est ejusmodi, ergo: quod vero priùs per confessionem fuerit remissum, non magis obstat, quàm quod remissum sit per contritionem; ad summum enim inde habetur, non esse materiam necessariam, seu debere secundò subjici clavibus, non tamen non posse.

XII. *Non refert quoad hoc, quod in judicio humano semel tantùm proferatur sententia.*

Dices secundò: in judicio humano semel tantùm profertur sententia, ergo nec in hoc Sacramento quod instar judicii institutum est. Respondetur in multis differre hoc judicium ab humano, ut ostensum est: ibi etiam solùm intenditur externæ pœnæ ac litis relaxatio, & nihil interiùs in animam rei derivat, quâ de causâ frustra iteraretur; at verò in hoc judicio spectatur internus animæ fructus, qui cùm per Sacramentum, quotiescumque iteratur crescat, fructuosè sæpius etiam eadem peccata subjiciuntur clavibus, cùm sint materia sufficiens ad constituendum suo modo Sacramentum.

SECTIO SEPTIMA.

An forma Absolutionis valida sit, prolata super absentem.

I. *Quæstio hac tribus modis procedit.*

TRIPLICITER procedere potest hæc quæstio, primò utrùm valida sit forma absolutionis quando quis & confitetur & absolvitur absens: secundò quando confitetur præsens & absens absolvitur: tertiò è contra quando confitetur absens & præsens accipit absolutionem.

II. *Confessionem absenti fieri, & absolutionem absenti dari posse, non pauci olim dixerunt.*

Posse in aliquo casu & confessionem fieri Sacerdoti absenti, & absolutionem similiter absenti dari, olim multi tenuerunt ex Thomistis, Paludanus, S. Antoninus, Sylvester, Petrus Soto, dicens hanc sententiam tenere plures Thomistas: eandem etiam sequitur Navarrus, Adrianus, Richardus, Major, Halensis, & alii.

III. *Nunquam potest pœnitens & confiteri, & absolvi absens.*

Prima conclusio: Non potest pœnitens validè unquam & confiteri absens & absolvi: ita omnes hodie ob bullam Clementis VIII. anno 1602. die 19. Julii super hac re editam, in quâ Pontifex hanc propositionem, scilicet licere per literas,

seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem accipere, ad minus uti falsam, temerariam, scandalosam damnat, ac prohibet. unde saltem sine controversiâ hinc habetur, non posse utrumque simul connexum fieri, nam ad minimum hoc damnat Pontifex: & quamvis in bullâ dicatur solùm non licere, inde tamen deducitur non esse validam ejusmodi absolutionem; cùm enim hoc Sacramentum sit Sacramentum necessitatis, si esset validum hoc modo collatum, esset etiam licitum, & tamen declarat Pontifex in nullo casu posse hoc tanquam probabile defendi, aut quovis modo ad praxim reduci.

Sententiæ variè à variis referuntur.

IV. *Nullus vel licitè vel validè absolvi potest in absentiâ.*

Secunda conclusio: Esto quis confessus sit in præsentiâ, non potest tamen vel licitè vel validè absolvi in absentiâ: ita Auctores etiam jam omnes ob bullam ejusdem Clementis VIII. cujus præcipua intentio fuit definire; non posse Sacramentum hoc perfici inter absentes, perficitur autem per absolutionem, sicut omne aliud judicium per sententiam Judicis. Ita Pontificis mentem explicant Suarez & Tannerus citati cum aliis.

V. *Idem ipsa absolutionis verba ore prolata clarè ostendit.*

Secundò idem ostenditur ex ipso tenore formæ, *Ego te absolvo*, quæ ore proferri debet, ut supra ostensum est, vox autem humana ore prolata non nisi ad præsentem naturâ suâ dirigitur. Quod autem objiciunt aliqui in profanis judiciis, imo & in absolutione à censuris, posse hæc & hujusmodi verba proferri, licèt persona absit, & tamen sortiri effectum. Respondetur, in his omnia fieri ad arbitrium hominum, penes quos est instituere ut horum vel aliorum quorumcunque verborum prolatione homines absolvantur, etiam absentes: imo verbis omnino disparatis hoc fieri posset, vel etiam nutibus: verba autem in Sacramentis efficiunt quod significant, & effectum suum ad talem personam dirigunt in quantum illam significant. Deinde non ex generali solùm ratione vocis humanæ, sed peculiariter ex particulâ *Te* probatur requiri præsentiam personæ absolvendæ; ipsam enim alloquitur Sacerdos: unde sicut juxta omnes Theologos ratione particulæ *Hoc* in formâ consecrationis debet panis esse præsens, nec potest consecrari panis absens, ita nec absolvi pœnitens absens ratione particulæ *Te*.

VI. *Objiciunt aliqui factum S. Thomæ Cantuariensis, S. Cypriani, & Serapionis.*

Opponunt aliqui primò, factum Sancti Thomæ Cantuariensis, qui manens in Angliâ misit Romam pro absolutione. Deinde Sanctus Cyprianus epistolâ decimâ tertiâ refert se per literas aliquorum absentium confessiones recepisse. Tertiò arguitur ex facto Serapionis, qui ægrotans ad Presbyterum similiter ægrotantem misit, ut ipsi absolutionem impertiretur, & Eucharistiam mitteret. Sed hæc non obstant: Sanctus Thomas pro absolutione à censurâ ad cautelam misit, si fortè ob conniventiam cum Rege in causâ Ecclesiæ aliquam incurrisset. Ii verò qui ad Sanctum Cyprianum scribebant, solùm petebant ceremoniam aliquam ad reconciliationem circa publicam Pœnitentiam requisitam, ipse autem illius rei curam in absentiâ Presbyteri committit Diacono, ergo non potest esse sermo de absolutione sacramentali. Scripserant itaque nonnulli ad Sanctum Cyprianum, ut quosdam, qui à fide defecerant, rursus in communionem cum Ecclesiâ publicè reciperet, à quâ per apostasiam exciderant.

VII. *Casus Sera.*

Hic etiam erat casus Serapionis, qui coram Tyranno propter metum fidem negaverat, licèt hoc factum Serapionis diversimodè à variis referatur; aliqui enim aiunt dixisse ipsum, advocate mihi aliquem ex Presbyteris, alii, aliquis Presbyterorum veniat, unde licèt sermo esset de absolutione sacramentali, nihil faceret pro contrariâ sententiâ. Et hinc validum sumitur argumentum pro nostrâ conclusione; cùm enim tot annorum decursu nunquam in usu fuerit in Ecclesiâ ut absolutio tribueretur absentibus, signum est eum modum administrandi hoc Sacramentum non esse validum.

VIII. *Si quis absente Sacerdote petat confessarium, idque ex aliorum relatione Sacerdoti constet, potest Sacerdos eum præsentem absolvere.*

Tertia conclusio: Si quis absente Sacerdote det signa pœnitentiæ, aut confessarium poscat, idque ex aliorum relatione Sacerdoti constet, potest ipsum in præsentiâ absolvere, esto ante ipsius adventum à sensibus sit abreptus, nullumque ei præsenti doloris signum dederit: ita Suarez disp. vigesima-primâ, sectione quartâ, num. 5. Vasquez quæst. nonagesima-primâ, art. secundo, dub. primo, num. tertio, & sequentibus, Coninck in particulari tractatu de Absolutione moribundi, Valentia quæstione undecimâ, puncto primo, Henriquez libro quarto, cap. nono, num. sexto, Toletus libro tertio Summæ, cap. octavo, num. 2. Tannerus disp. sextâ, quæst. nonâ, dub. primo, num. duodecimo, Præpositus quæst. quartâ de Sacramento Pœnitentiæ, dub. quinto, num. 82. Gamachæus de Pœnitentiâ cap. vigesimo-primo, Kellisonus quæst. nonâ, artic. secundo, dubio quinto, & est communis hodie contra Soto, Cano, & recentiores quosdam Thomistas, qui quàm antiquiores acres erant in defendendo posse Sacramentum hoc casu, etiam inter absentes perfici, tam hi contendunt mordicus non posse ullum Sacerdotem, etiam in præsentiâ moribundum absolvere, nisi eidem præsenti signa doloris dederit.

IX. *Hæc doctrina expressè tradita videtur in Concilio Arausicano.*

Probatur tamen conclusio primò ex Concilio Arausicano canone undecimo, ubi sic habetur: *Subito obmutescens baptizari, & pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu*: ubi definita videtur hæc sententia. Idem testatur Sanctus Leo Pontifex epistolâ octogesima-nonâ ad Theodorum Episcopum, ubi dicit dandam absolutionem ægroto, si eam etiam amisso vocis officio per indicium integri sensus quærere comprobetur: *Quod si aliqui*, inquit, *vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod ante petebant sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Hoc etiam clarissimè habetur in Concilio Carthaginensi quarto, canone septuagesimo sexto his verbis: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Quid clarius?

X. *Dicit Canus sermonem tantùm hic esse de publicis pœnitentibus, qui initio Quadragesimæ peccata fuerant confessi.*

Respondet Canus relectione *de Pœnitentiâ*, sermonem hic tantùm esse de publicis pœnitentibus, iisque solummodo qui initio Quadragesimæ peccata sua confessi fuerant, quorum tamen absolutio ad Feriam quintam in Cœna Domini differebatur: Hi ergo, inquit, Cano si intra illud tempus in ejusmodi morbum incidissent, absolvi poterant, sed virtute prioris confessionis. Sed contra, primò enim gratis dicitur canones & Concilia solùm de iis loqui, cùm verba sint universalia,

universalia, & ad omnes omnino ægrotos quocunque tempore in hujusmodi morbum incidissent, extendi possint. Deinde dicitur, ut dent testimonium qui audierant, ad quid autem illud testimonium, si antea erant confessi. Tertiò, quia non solùm à Sacerdote illo qui ipsorum confessionem audiverat, sed à quovis tunc absolvi poterant, ut constat ex verbis Serapionis supra positis, ergo sermo erat de quocunque in extremis absolutionem petente.

XI. *Dicet: Sermonem illic tantùm esse de absolutione ab excommunicatione.*

Respondet Sotus, non loqui canones & Concilia supradicta de absolutione sacramentali, sed solùm ab excommunicatione, seu de reconciliatione illâ quæ dabatur iis, qui publicè peccaverant. Sed contra primò: Nam ut doctè ostendit Vasquez quæstione nonagesimâ primâ, art. secundo, dubio primo, numero octavo, & sequentibus, quando dicitur in canonibus *petere, accipere, dare pœnitentiam*, &c. sermo vel tantùm vel præcipuè est de Sacramento Pœnitentiæ. Sic Julius I. dicit: *Si quis Presbyter in extremâ necessitate constitutis negaverit pœnitentiam, reus erit animarum*, quod certè dici non posset, nisi quia negat Sacramentum, defectu cujus animæ illæ damnantur.

XII. *Hoc idem ostenditur ex Cælestino Papa.*

Deinde in eundem sensum loquitur Cœlestinus Papa Epistolâ secundâ, capite secundo: *Agnovimus*, inquit, *morientibus pœnitentiam denegari*, & addit: *Horremus tantæ impietatis aliquem reperiri, qui jacentem sub onere peccatorum non liberet*: loquitur itaque de absolutione sacramentali. Sic Sanctus Augustinus libro quinquaginta Homiliarum, homiliâ quadragesimâ primâ de iis, qui in fine tantùm vitæ resipiscunt, & absolutionem à peccatis petunt, dicit *Pœnitentiam dare possumus, securitatem dare non possumus*: dubitans scilicet de eorum dolore, quod non tam ipsi peccata, quàm peccata ipsos deserere videantur. Deinde in loco citato Sancti Leonis, & Concilii Carthaginensis ponitur distincta reconciliatio à Pœnitentiâ, & hæc semper dabatur, si erant in periculo mortis, simul cum Eucharistiâ, illa differebatur donec continuò crederentur morituri.

XIII. *In Rituali Pauli V. hæc eadem veritas clarissimis verbis exprimitur.*

Probatur secundò conclusio ex Rituali Pauli V. quod in bullâ ei præfixâ prodire dicitur authoritate Apostolicâ, ubi sic habetur: Si moribundus desiderium confitendi per se vel alios ostenderit absolvendus est, quæ est nostra conclusio, dicere autem, quod affirmant aliqui ex contrariis incuriâ Typographorum omissam esse particulam *non*, somniare est.

XIV. *Dices: In Bullâ Clementis VIII. supra relatâ, hoc expressè videtur prohiberi.*

Objicies bullam Clementis Octavi supra positam, quæ definire videtur hoc non licere. Ut omittam Auctores, qui ante bullam hanc scripserunt, Pater Præpositus citatus numero septuagesimo octavo dicit Pontificem nihil ibi dicere de valore confessionis factæ absenti, sed solùm prohibere praxim, quæ oriri poterat ex quorundam doctrinâ periculosâ, qui extra casum necessitatis dicebant passim fieri posse Sacerdoti absenti confessionem per scripturam, aut internuncium; de hoc autem casu nihil definire intendebat Pontifex, ut ex eodem Pontifice audivisse se testatur Cardinalis Bellarminus. Unde expressè docet Præpositus dubio tertio, numero septuagesimo quarto, & Kellisonus quæst. nonâ, art. tertio, dubio tertio, nihil esse contra valorem Sacramenti, ut quis per literas, aut internuncium Sacerdoti absenti peccata sua confiteatur, modò à præsente absolvatur.

XV. *Dicunt multi confessionem moribundi hoc modo factâ, fieri Sacerdoti præsenti.*

Alii tamen, qui sequuntur nostram sententiam, dicunt confessionem hanc hominis moribundi fieri in præsentiâ Sacerdotis, & esse instar confessionis factæ per interpretem; illi enim qui audiverunt eum petentem Confessarium, & referunt hoc Sacerdoti, aperiunt generatim peccata ejus eo modo quo eidem aperirentur, si adesset Sacerdos, & ipsum petentem Confessarium audivisset: ita Vasquez quæst. illâ nonagesimâ primâ, articulo secundo, dubio primo, num. trigesimo tertio. Sed contra hunc modum dicendi est; inquiro enim, si is qui audivit eum petentem Confessarium iret & Sacerdoti adhuc absenti significaret desiderium hujus moribundi, utrùm confessio ejus fiat in præsentiâ Sacerdotis? Si ita, ergo nullâ potest fieri confessio in absentiâ contra communem omnium sententiam, & supponitur in bullâ Pontificis: posset quidem Vasquez requirere ad hoc ut confessio sit valida, ut detur testimonium ab astantibus in præsentiâ moribundi, & tunc aliquam requirit præsentiam.

XVI. *Quo pacto alii quidam dicant moribundi hujus confessionem fieri in præsentiâ.*

Suarez in epistolâ hac de re Conimbricæ scriptâ, quem sequitur Tannerus disp. sextâ, quæst. nonâ, num. decimo sexto, ait confessionem in hoc casu dici fieri in præsentiâ, non solùm quia præsentes testimonium dant, sed quia Sacerdos in præsentiâ examinat conscientiam moribundi meliore modo quo potest; videt enim eum vivere, & ex hac parte esse capacem absolutionis, item non posse melius se pro tunc disponere, &c. quæ omnia conducunt ad judicium hîc & nunc de eo ferendum.

XVII. *Declaratur quanam fuerit in illâ Bullâ mens Pontificis.*

Dicendum videtur, nihil aliud voluisse Pontificem, quàm nullo unquam in casu licere pœnitenti intendere confiteri Sacerdoti absenti, ita ut velit confessionem consummare in absentiâ: quando enim petit Confessarium, semper sperat fore ut in illius præsentiâ confessionem vel voce, vel signo aliquo consummet. hæc tamen confessio si postea aliud signum dare nequeat sufficit per accidens, cùm sit generalis aliqua peccatorum detectio: sicut si quis postquam Confessario præsenti dixisset solùm generatim se graviter peccasse, & statim obmutesceret, vel recordaretur se peccatum aliquod mortale commisisse, cujus tamen in particulari meminisse non posset, nec alicujus venialis in particulari, adhuc esset absolvendus, ut docet Vasquez citatus num. trigesimo quinto, & trigesimo sexto, sic etiam per accidens attritio, putata contritio, cum Sacramento vivorum sufficit ad fructuosè recipiendum Sacramentum illud: unde, quamvis per se loquendo non liceat alicui hoc modo instituere confessionem, intendendo eam tanquam confessionem consummatam, sed inchoatam solùm, si tamen præter ipsius intentionem accidat non posse aliud signum dare, sufficiet.

XVIII. *Multi ex ore Pontificis acceperunt, eum nunquam intendisse quidquam de hoc casu decernere.*

Hoc verò eò securiùs dici potest, quòd Cardinalis Bellarminus ut dixi, & Illustrissimus Armacanus testati sint, se ex ore Clementis accepisse, nunquam intendisse Pontificem de hoc casu quidquam decernere, quòd etiam ab eodem Pontifice se audivisse testatur Suarez in Epistolâ citatâ: & hoc significare videtur Pontifex dum dicit doctrinam illam esse scandalosam, ergo non fuit mens Pontificis damnare absolutionem in his circumstantiis moribundo datam; hinc enim nullum periculum scandali.

XIX. *Contraria sententia*

Hinc infero cum Patre Vasquez numero trigesimo octavo, Coninck, Tannero, Præposito, & aliis, non solùm posse, sed teneri sub

peccato

auctores tenentur in tali occasione hujusmodi moribundum absolvere.

peccato Auctores contrariæ sententiæ conformare se nostræ, & absolvere moribundum in his circumstantiis: cùm enim hæc opinio sit probabilis, & consequenter Confessarius eam sequi possit, non potest citra peccatum pœnitentem tanto bono privare, & æternæ salutis amittendæ periculo exponere. Unde addit Vasquez: Si quis obstinatus in suâ opinione hoc Charitatis officium moribundo denegaret, fore eum reum animarum.

DISPUTATIO OCTOGESIMA SEPTIMA.

De dolore ad hoc Sacramentum requisito.

IN præcedentibus generatim diximus Contritionem esse partem hujus Sacramenti; in hac ergo Disputatione quænam sit Contritio, quæ Sacramenti constitutionem ingreditur, & quomodo materiam illius intrinsecam constituat, examinandum

SECTIO PRIMA.

Quis dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarius.

I. *Duæ hac in re oppositæ sunt sententiæ.*

DUÆ inprimis hìc sunt extremæ opiniones: altera nullum verum dolorem formalem exigit, sed sufficere ait virtualem, altera contritionem perfectam requirit, & negat sufficere attritionem.

II. *Rejicitur opinio negans dolorem formalem requiri ad hoc Sacramentum.*

Sed prima opinio, quòd scilicet non requiratur dolor formalis, refutatur tum ex Sancto Thoma quæst. octogesima-quartâ, art. septimo, ad primum, tum præcisè quia Concilia dolorem exigunt ut partem hujus Sacramenti: tum denique ratione, primò hoc namque Sacramentum institutum est per modum judicii voluntarii, ut supra diximus, judicium autem hujusmodi essentialiter constat accusatione spontaneâ, accusatio autem hæc non est quæcunque peccatorum narratio, sed dolorosa, alioqui erit potiùs historia, quàm confessio. Secundò, quia hoc Sacramentum est Sacramentum reconciliationis, cùm ergo homo per voluntatem propriam ultro à Deo prior per peccatum recesserit, debet ut ei reconcilietur, prior ad eum per ejusdem peccati detestationem iterum aliquo modo accedere, tollendo obicem amicitiæ Divinæ, nempe peccatum in ratione voluntarii, quod fit per retractationem illius voluntariam, seu detestationem.

III. *Ostenditur cõtritionem non esse ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ necessariam.*

Secunda etiam opinio de contritione perfectâ, præter dicta de Sacramentis in genere, & hic, rejicitur ulteriùs ex eo quod supra posuimus ex Cœlestino & Julio I. Pontificibus, qui definiunt Sacerdotem negantem absolutionem pœnitenti in extremis posito, esse reum animarum, permittere eum jacere sub pondere peccatorum, &c. quod tamen dici non posset, si semper prærequireretur contritio ad absolutionem; hæc enim semper tolleret peccata, & sic nunquam defectu absolutionis periret anima. Idem etiam probatur ex Patribus & Conciliis quæ passim dicunt sententiam Sacerdotis tollere peccata, liberare ab inferno, ex attrito facere contritum, &c. quod etiam apertè significant verba Christi: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Præterea pœnitentia est Sacramentum mortuorum; ergo per illam debent homines vivificari, & gratiam, per se loquendo, primò recipere.

IV. *Ad valorem hujus Sacramenti non requiritur etiam contritio existimata.*

Et per hæc etiam rejiciuntur Victoria, Sotus, Navarrus, & alii, qui dicunt necessariam esse contritionem, saltem existimatam. Sed quæ jam dicta sunt ostendunt peccatorem scientem se mortuum esse, posse accedere ad sententiam Sacerdotis pro absolutione, ut inde vitam recipiat. Ad quæ ulteriùs addi potest quod docet Concil. Florentinum, nempe effectum hujus Sacramenti esse mundationem animæ à peccatis; ergo potest quis sciens se esse in peccatis accedere ut mundetur cùm sit medium ad hunc effectum institutum.

V. *Recentiores aliqui requirunt hic cõtritionem perfectam, sed exiguæ intensionis.*

Recentiores aliqui Theologi, ita prædictam opinionem de dolore perfecto ad valorem Sacramenti requisito defendunt, ut contritionem & dilectionem Dei super omnia necessariam semper ad Sacramentum asserant, debilem illam quidem, & exiguæ intensionis, quam aiunt extra Sacramentum non sufficere ad gratiam, sic tamen cum Sacramento. Sed contra hoc est primò: Scripturæ enim ubi dicunt Charitatem, seu dilectionem Dei tollere peccata, ut *Ego diligentes me diligo*, *Charitas operit multitudinem peccatorum*, &c. non aliud ad hunc effectum requirunt, quàm ut procedat actus ex illo motivo bonitatis, seu dignitatis, & excellentiæ Divinæ, quod si adsit, parum refert

actum

actum esse magis vel minùs intensum; quidni enim in illâ eâdem ratione dari possit major & minor intensio, quæ tamen omnes intensiones procedant circa idem omnino objectum, effectus autem gratiæ non promittitur dilectioni magis intensæ, sed simpliciter dilectioni.

VI. *Dilectio ad tollendum peccatum debet esse perfecta ex motivo, non gradualiter.*

Dices: Debet esse dilectio Dei super omnia, & ex toto corde; ergo amore perfecto & vehementi fiat necesse est. Distinguo consequens: perfecto ex modo tendendi concedo, gradualiter nego: sicut enim quivis gradus gratiæ, etiam minimæ intensionis sufficit ad peccatum tollendum, quia est gratia, ita cùm dilectio, etiam minimæ intensionis sit vera dilectio, sufficiet tanquam dispositio ad gratiam. Quod verò dicatur debere esse amorem super omnia, intelligendum est, appretiativè, id est, affectu efficaci quo Deum rebus omnibus anteponat, ita ut malit re ullâ privari, quàm ejus amicitiam deserere, esto intensiore gradualiter affectu in res alias ferri queat, de quo plura postea.

VII. *Contritionem perfectam ad valorem Sacramenti non requiri ostenditur ex Concilio Tridentino.*

Secundò impugnatur hæc sententia, nam Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, præcipuè capite quarto expressè definit contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & ex turpitudinis peccati consideratione oritur, vel metu gehennæ, licèt extra Sacramentum ad justificationem, per se pœnitentem non perducat, in Sacramento tamen ad gratiam disponere; & tamen hic actus non est dilectio Dei, sed ex longè inferiore motivo conceptus, ut constat, ergo ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur actus vel contritionis vel dilectionis Dei, sed alius sufficit substantialiter multo his inferior, qualis juxta Concilium loco citato fuit Pœnitentia Ninivitarum, dum timore concussi sunt ad prædicationem Jonæ terroribus plenam. Initio itaque capitis illius quarti loquitur Concilium de Contritione ut abstrahit à perfectâ, & imperfectâ, deinde circa medium capitis tractat de contritione perfectâ, tandem in fine capitis, quando assignat contritionem illam, quæ in Sacramento disponit ad gratiam, licèt extra illud non sufficiat ad justificationem, apertè loquitur de imperfectâ, seu attritione, ut legenti constabit.

VIII. *Quâ ratione attritio interdum dicatur fieri contritio.*

Quæres secundò: Quo sensu verum sit attritionem fieri aliquando contritionem? Certum est non ita hoc contingere, ut idem actus entitativè fiat alter; hoc enim non magis contingere potest, quàm ut lignum fiat lapis, aut homo equus. Dici ergo hoc sensu potest attritio fieri contritio, quòd in Sacramento attritio, quæ priùs erat informis, postea informetur Charitate & gratiâ, etsi tunc magis propriè diceretur homo ex attrito fieri contritus, habitualiter scilicet ob habitum Charitatis, quem unà cum gratiâ recipit in Sacramento, esto non doleat de peccatis ex alio motivo quàm metu gehennæ, aut turpitudinis peccati, & sic actualiter, seu per actum contritionis non redditur contritus, sed habitualiter tantùm.

IX. *Alius, & magis proprius modus declarandi quo pacto attritio fiat contritio.*

Aliter dici potest attritio in Sacramento fieri contritio, nempe æquivalenter in ordine ad effectum gratiæ; sicut enim contritio per se, & sine Sacramento disponit ad justificationem, & gratiam, ita attritio cum Sacramento, & hæc videtur maximè propria acceptio hujus dicti; præcedens enim, licèt vera sint quæ in eâ afferuntur, non tamen ita propria videtur, cùm secundùm eam omnis actus doloris in justis foret vera contritio, utpote quæ gratia informatur, cùm tamen attritio & contritio distinguantur ex modo tendendi & motivis juxta communem modum concipiendi & loquendi omnium.

X. *Volunt aliqui actum primo instanti quo est, non fortiri rationem contritionis.*

Quæres tertiò: Utrùm ad hoc ut actus sit contritio, requiratur aliqua illius duratio? Cajetanus, Scotus, & alii nonnulli volunt actum, etiam amoris Dei vel doloris ob Deum offensum, primo instanti quo est non fortiri rationem contritionis sufficientis ad infusionem gratiæ, sed moram aliquam requiri. Sed contra: ille actus idem omnino est in primo instanti & sequentibus, ergo si ullo instanti sequente est amor Dei vel contritio, erit etiam in primo: cùm ergo diligentibus Deum, & se ad eum ex toto corde convertentibus, promittatur gratia, & hoc æquè perfectè fiat primo instanti ac sequentibus, cùm hic actus, per quem fit, æquè perfectus sit & idem, consequenter primo instanti erit amor vel contritio, & gratiam conferet. Deinde, sicut in simili supra diximus de Sacramento Pœnitentiæ, si hic requiratur hujusmodi mora, posset is qui elicuit actum contritionis seu amoris Dei damnari, si ante moram illam finitam moreretur, quod tamen dici non potest.

XI. *Debeatne dolor ad hoc Sacramentum necessarius, esse universalis.*

Quæres quartò: Utrùm dolor ad hoc Sacramentum requisitus debeat esse universalis, seu de omnibus peccatis? Recentiores aliqui volunt dolorem hic ita esse universalem, ut ad omnia omnino peccata extendatur, confusè saltem & implicitè: citatur Coninck disp. quartâ de Pœnitentiâ, dub. quinto, num. trigesimo nono, ipse tamen ibi hoc absolutè non dicit; solùm enim affirmat, ubi non adest explicitum propositum vitandi omnia peccata, debere dolorem esse universalem, saltem virtualiter, seu ex motivo universali: imo paulo ante eodem numero dixit sufficere ut hæc pœnitentia extendatur ad omnia peccata mortalia non remissa. Et certè, si sermo sit de dolore formali, videtur impossibile ut extendatur ad omnia peccata; nec enim potest quis dolere de peccato quod nunquam admisit.

XII. *Ad valorem hujus Sacramenti non requiritur dolor, nisi de peccatis commissis.*

Existimo itaque probabilius cum Patre Suario disp. 20. sect. 4. num. vigesimo tertio, & vigesimo quarto, Coninck proximè citato, & aliis, non requiri necessariò ad hoc Sacramentum dolorem universalem, sed ad summum de pecatis commissis, aut quæ quis tunc confitetur. Ratio est, in tantum namque dolor in hoc Sacramento requiritur, in quantum necessarius est ad reddendam accusationem veram seu dolorosam, & non narrationem historicam, ad hoc autem sufficit ut tendat in omnia peccata, quæ menti occurrunt, & in confessione aperiuntur; sicut enim illa confessio est formaliter integra, quæ est de omnibus peccatis, quorum quis recordatur, ita & attritio.

XIII. *Confessarii exparticularibus frequenter motivis pœnitentes ad dolorem excitant.*

Confirmatur: Frequenter solent Confessarii excitare suos pœnitentes ad dolorem peccatorum ex motivo reincidentiæ, vel quòd Christiani sint, quòd in sacris constituti, &c. & tamen hic dolor non est universalis, vel formaliter, ut constat, quia formaliter solùm fertur in peccata, quæ pœnitens tunc confitetur, vel etiam virtualiter; nec enim procedit ex motivo universali, cùm omnia peccata non sint hominis Christiani, aut in sacris constituti, nec habeant malitiam reincidentiæ, & consequenter quantum ad hunc actum non fertur in illa peccata, quæ hanc specialem malitiam non habent. Demum ad reconciliationem, etiam perfectissimam sufficere videtur, ut quis doleat de offensâ commissâ, & universim proponat nunquam

nunquam personam illam ampliùs offendere. Sicque ex ipsâ naturâ reconciliationis habetur, latiùs patere debere propositum, quàm dolorem.

XIV. *Quo sensu doceat Concilium Tridentinum dolorem in hoc Sacramento debere excludere voluntatem peccandi.*

Dices: Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite quarto docet, dolorem debere voluntatem peccandi excludere, sed nisi sit universalis non excludit voluntatem peccandi, ergo. Respondetur, mentem Concilii esse dolorem debere excludere voluntatem peccandi, id est, debere conjungi cum proposito universali: unde plerumque Concilia loquuntur de dolore & proposito tanquam de duobus distinctis; sic enim Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. ad Armenos, & Tridentinum hoc ipso capite quarto, de hoc dolore loquens, docet debere esse detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: sessione verò sextâ, capite sexto apertè ponere videtur propositum servandi deinceps mandata, à dolore distinctum. Debet ergo esse propositum universale: unde quando non adest explicitum, debet dari implicitum, seu dolor & detestatio ex motivo aliquo universali, ut benè Coninck disp. illâ quartâ, num. trigesimo nono, de quo plura sectione sequente: ubi etiam quis dolor ad valorem, quis ad fructum Sacramenti requiratur.

XV. *Ex Conciliis non habetur nisi requiri dolorem de peccatis quæ quis admisit.*

Certè ex Scriptura & Conciliis proximè citatis haberi videtur, non requiri dolorem nisi de peccatis, quæ quis admisit, ac proinde non necessariò terminari debere ad omnia; Scripturæ enim solùm requirunt ut relinquamus vias nostras pravas, id est retractemus peccata quæ commisimus. Concilium etiam Tridentinum sessione decimaquartâ, capite quarto de hoc dolore loquens dicit continere veteris vitæ odium, citatque illud Ezechielis decimo-octavo: *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis*, &c. quæ omnia solùm requirunt dolorem de peccatis admissis; & alioqui sequeretur, quando quis confitetur sola venialia, debere ipsum habere dolorem de peccatis omnibus mortalibus, quod tamen adversarii communiter negant: sicut ergo ipsi explicant Concilium, ita & nos explicare poterimus.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe.

I. *Proponitur status præsentis controversiæ.*

HOc est, utrùm dari possit Sacramentum Pœnitentiæ habens materiam & formam ad sui constitutionem requisitam, quod tamen gratiam suscipienti non conferat, quâ de causâ possit dici informe, seu non formatum, vel informatum Charitate & gratiâ justificante, sicut Disputatione sexagesima-sextâ de Sacramentis in genere, sectione tertiâ diximus de Baptismo & aliis Sacramentis, disputationem autem de Pœnitentia huc rejecimus.

II. *Ratio dubitandi est, quia dolor est pars essentialis hujus Sacramenti.*

Ratio difficultatis est, quia si est informis pœnitentia, id accidit defectu doloris, hoc autem dici nequit; esto enim in aliis Sacramentis hoc aliquando contingat, at in Sacramento Pœnitentiæ accidere non potest, hoc siquidem tanquam partem sui includit dolorem, nam juxta Concilium Florentinum in decreto Eugenii ad Armenos materia ejus sunt actus pœnitentis, contritio & confessio, quod etiam docet Tridentinum sessione decima-quartâ, capite tertio, & quarto de Pœnitentiâ: vel ergo adest dolor, & Sacramentum est fructuosum, vel abest, & non est validùm seu non est omnino Sacramentum, cùm unâ parte careat.

III. *Prima sententia negat Sacramentum Pœnitentia posse esse validum & informe.*

Prima sententia negat posse unquam dari hoc Sacramentum validum & informe ob rationem jam positam, quòd scilicet idem dolor qui sufficit ad substantiam, sufficiat etiam ad effectum Pœnitentiæ: ita Major, Gabriel, Medina, & alii, qui ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ requirunt contritionem, quorum sententiam supra rejecimus. Ex aliis verò qui dicunt sufficere attritionem, tenet Vasquez quæst. nonagesima-secundâ, art. secundo, num. decimo tertio, & acriter defendit Coninck disp. quartâ, dub. undecimo, Præpositus quæst. secundâ, Gamachæus de Pœnitentiâ capite vigesimo primo, Kellisonus quæst. nonâ supplementi, artic. primo, dub. primo, Facundez, & alii nonnulli.

IV. *Secunda sententia affirmat Sacramentum Pœnitentia posse esse validum & informe.*

Secunda sententia docet posse hoc Sacramentum simul esse validum & informe: ita Sanctus Thomas in supplemento, quæst. nonâ, art. primo, & in quarto, dist. decima-septimâ, quæst. tertiâ, artic. quarto, quem sequuntur Thomistæ, Capreolus, Paludanus, Soto, Caietanus, Cano, Ledesma, & alii, Suarez hîc disp. vigesimâ, sect. quintâ, Valentia quæst. undecimâ, puncto secundo, ubi hanc sententiam vocat communem, Henriquez libro quarto, cap. vigesimo-sexto, num secundo, & libro quinto, cap. undecimo, num. primo & tertio, Silvester, Navarrus, Toletus, Tannerus disp. sextâ, quæst. septimâ, dub. sexto, & alii.

V. *Non eâdem ratione procedunt in hac sententiâ ejus Auctores.*

Variè hæc sententia defenditur à suis Auctoribus: dicunt aliqui non requiri ad valorem Sacramenti dolorem efficacem, sed inefficacem sufficere, & quandam velleitatem, & consequenter Sacramentum, licèt sit validum, esse tamen informe defectu doloris intensivi. Alii per se requiri asserunt ad valorem Sacramenti verum dolorem & attritionem, per accidens tamen sufficere putant existimatam, etsi ex tali inadvertentiâ procedat, quæ peccatum non excludat, sed culpabilis sit, etiam mortaliter. Alii sufficientem esse dicunt attritionem existimatam, dummodo invincibiliter ignoretur esse talis. Sed contra hos omnes dicendi modos facit, tum quod Concilia ubi de hoc Sacramento loquuntur requirunt tanquam partem illius essentialem verum dolorem, seu simpliciter, talis autem non est tantùm inefficax, qui tantum est dolor inchoatus & secundùm quid, multo minùs sufficit dolor existimatus, aut solùm virtualis, sicut enim aqua virtualis non sufficit ad Baptismum, sed requiritur vera, ita nec dolor virtualis ad pœnitentiam, sed verus & formalis requiritur, præcipuè ob rationes Sect. præcedente allatas de accusatione & reconciliatione.

VI. *Notandum, peccatum mortale commissum, nunquam sine aliquâ retractatione remitti.*

Antequam statuamus conclusiones notandum cum Suario disp. septimâ de Sacramentis in genere, sect. quartâ, & hîc disp. nonâ, sect. primâ, Coninck quæst. sexagesima-secundâ, art. primo, dub. secundo, & aliis communiter, peccatum mortale ab aliquo commissum, nunquam sine aliquâ retractatione remitti. Hoc insinuare videtur Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto his verbis: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis motus necessarius*: ubi contritionem latè sumit, prout communis est etiam attritioni, ut patet ex contextu.

Hinc

VII. *Qui de omni peccato mortali à se commisso, & necdum remisso non dolet, non est dispositus ad gratiam.*

Hinc sequitur: Si quis duo peccata commiserit, puta furtum & homicidium, & de altero solùm dolorem habeat, qui non extendatur ad aliud, etiamsi inculpabiliter id contingat, non tamen esse hominem illum dispositum ad gratiam, & ullius ex his peccatis remissionem, ut cum Suario disp. 5. sect. 1. & communi sententiâ, notat Tannerus hîc, disp. 6. quæst. 6. dub. quarto, num. octogesimo secundo. Ratio est, quia cùm unum mortale remitti pro hoc statu non possit sine alio, & nullum peccatum, nisi tollatur in ratione voluntarii, remittatur (congruum enim videtur ut is, qui peccando se à Deo voluntariè avertit, nisi iterum per propriam voluntatem se aliquo modo ad eum convertat peccatum detestando, in gratiam non recipiatur) cùm alterum peccatum non tollatur in ratione voluntarii, illud, & consequenter neutrum remitti potest. his positis

VIII. *Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum & informe ratione peccati mortalis in eo commissi.*

Dico primò: Etsi Baptismus, & alia Sacramenta, licèt valida, informia esse possint ratione sacrilegii, seu peccati mortalis in ipsorum susceptione commissi, id tamen de Sacramento Pœnitentiæ dici non potest. Ratio est, quia Concilia tanquam partem hujus Sacramenti requirunt propositum non peccandi mortaliter de cætero, sed qui actu in ipsâ Sacramenti susceptione committit peccatum mortale, non potest dici habere hujusmodi propositum, cùm actu faciat aliquid cum tali proposito incompossibile, ergo: Major probatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, & Tridentino sessione 6. capite sexto, & sessione 14. capite quarto, ubi tanquam quid ad hoc Sacramentum requisitum requiritur propositum non peccandi de cætero. Unde Sanctus Gregorius homiliâ 34. in Evangelia dicit: *Pœnitentia est commissa plangere, & plangenda non committere.* Confirmatur: Ubi est formalis impœnitentia non potest esse pœnitentia, ubi verò actu committitur peccatum mortale est formalis impœnitentia, ergo.

IX. *Cur in aliis Sacramentis peccatum grave in eorum susceptione commissum, non obstet eorum valori.*

Ratio autem, cur in aliis Sacramentis non obstet illorum valori peccatum mortale actu in eorum susceptione commissum, est, quia dolor, aut propositum non peccandi non sunt pars illa constituens, sicut sunt pars constituens Sacramentum Pœnitentiæ, unde si in illis desit hujusmodi dolor, aut propositum, solùm deest aliquid spectans ad effectum illorum, hîc autem si desint, deest aliquid quod spectat ad hujus Sacramenti essentiam, sicut spectat corpus aut anima ad essentiam hominis.

X. *Defectu integritatis confessionis non potest hoc Sacramentum reddi validum & informe.*

Dico secundò: Defectu integritatis confessionis non potest hoc Sacramentum reddi validum & informe. Ratio est, quia, ut definitum est in Concilio Tridentino sessione 14. capite 5. Christus instituit integram peccatorum confessionem, & hanc ait omnibus post Baptismum lapsis necessariam esse jure divino, quod de confessione saltem formaliter integrâ intelligendum est juxta communem Theologorum sententiam: vel ergo qui aliquod peccatum in confessione omittit, id facit scienter, & novum peccatum committit, & consequenter non habet dolorem illum & propositum ad essentiam Sacramenti requisitum, juxta dicta superiori conclusione, & Sacramentum non est validum, vel id facit ex ignorantiâ & oblivione inculpabili, & tunc, cùm confessio adhuc sit formaliter integra, habebit effectum, si ponatur dolor universalis, ut suppono, & consequenter peccata omnia retractentur & tollantur in ratione obicis, seu interpretativè voluntarii.

Dico tertiò: Defectu tamen doloris, seu attritionis potest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe: ità Suarez, & alii Auctores in secundâ sententiâ citati. Explicatur conclusio: Potest quis habere dolorem de uno peccato non de alio, vel formaliter vel virtualiter, aut ratione inadvertentiæ seu oblivionis inculpabilis, aut quia illud mortale esse non putat, aut tandem quia dolor non procedit ex motivo universali, ut si quis doleret de peccato furti exempli gratia ob peculiarem & specificam rationem furti, is certè non doleret vel virtualiter de homicidio aut adulterio, & tamen si quis duo ex his peccatis commisisset, & de altero tantùm ob specialem illius peccati rationem doleret, afferret dolorem sufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ, modò adsit propositum universale, ut affirmat Suarez disp. vigesimâ, sect. 5. num. septimo, Tannerus disp. 6. quæst. 7. dub. sexto, num. centesimo tertio, & multi ex recentioribus, nec plus requiri videtur à Concilio Tridentino, quod sessione 14. capite quarto loquens de attritione ad hoc Sacramentum necessariâ, ait eam oriri vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, ergo dolor ortus ex solâ consideratione turpitudinis peccati est sufficiens secundùm Concilium ad hoc Sacramentum.

XI. *Defectu doloris potest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe.*

Probatur itaque conclusio: Ponamus aliquem accedentem ad Sacramentum Pœnitentiæ sine dolore universali, ut si doleat de uno peccato & non de alio, aut magis generatim de peccatis ob motivum reincidentiæ (idem est de motivo hominis Christiani, personæ in sacris constitutæ, &c. in casibus qui fingi possent) hic affert dolorem verum de peccato, propositum similiter universale non peccandi de cætero, quidni ergo ubi à Sacerdote profertur absolutio, verum constituetur Pœnitentiæ Sacramentum, ex parte siquidem pœnitentis ponitur vera materia, nempe confessio formaliter integra, ex parte etiam Sacerdotis ponitur vera forma, ergo &c.

XII. *Ostenditur Sacramentum Pœnitentiæ posse defectu doloris esse validum & informe.*

Dices: Ad Sacramenti Pœnitentiæ constitutionem non requiritur solùm confessio formaliter integra, & absolutio, sed etiam dolor. Contra: Hic etiam ponitur dolor, nulla autem est ratio, cur sicut sufficit confessio formaliter integra, seu quæ extendatur ad peccata, quorum quis recordatur, ita non etiam sufficiat attritio formaliter integra; primò enim attritio non requiritur nisi ut reddat confessionem, veram accusationem, quam semper comitari debet dolor de iis peccatis, quæ quis confitetur, etsi autem non sit de aliis, est tamen confessio illa vera accusatio. Deinde si quis arguat ex auctoritate Concilii Tridentini asserentis ad hoc Sacramentum requiri dolorem de peccatis: eodem modo Concilium requirit peccatorum confessionem; sic enim sessione sextâ, capite decimo quarto docet Pœnitentiam hominis Christiani post lapsum includere detestationem peccatorum, & eorundem sacramentalem confessionem, ac Sacerdotis absolutionem: Sicut ergo secundùm omnes, non obstante hoc dicto Concilii, sufficit confessio formaliter integra, seu peccatorum, quæ post diligentem examinationem menti occurrunt, ita sufficiet contritio formaliter integra, cùm eorundem peccatorum confessionem exigat Concilium, quorum est attritio.

XIII. *Objic. Ad valorem Sacramenti insuper requiritur dolor.*

XIV. *Offenditur dolorem, qui est pars hujus Sacramenti, non semper sufficere ad gratiam.*

Secundò probatur conclusio ratione oppositâ fundamento contrariæ sententiæ supra posito, quòd scilicet dolor, qui est pars hujus Sacramenti, sit etiam dispositio sufficiens ad gratiam: contra quod sic argumentor, & simul probo conclusionem: Dolor qui est pars hujus Sacramenti non semper est dispositio sufficiens ad gratiam, ergo non obstante hac ratione potest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum, & tamen informe: Antecedens probatur: Dolor qui est pars hujus Sacramenti, est tantùm dolor sensibilis, ergo quicumque alius dolor elicitur ab accedente ad hoc Sacramentum, concomitanter tantùm sit, & non ingreditur Sacramenti constitutionem, sed tantùm conducit ad illius effectum, ergo si abesset ille alius dolor, adhuc manerent omnes partes Sacramenti, & consequenter illius essentia. Ponamus itaque aliquem, qui commisit sex peccata venialia, quæ confitetur dolere etiam saltem generatim de mortali, cujus est oblitus, & consequenter illud in confessione non aperit, dolor ille de mortali non est pars hujus Sacramenti; non enim redditur sensibilis per confessionem, quæ ut suppono, tantùm est de illis sex venialibus, sicque non alium dolorem reddit sensibilem quàm illum de venialibus, & eodem modo ac si de iis solis doleret, vel etiam illa sola commisisset.

XV. *Declaratur quo pacto hic sit idem dolor, eadem confessio, eadem absolutio & intentio, ac in vero & valido Sacramento.*

Tertiò probatur: Si quis commisso uno tantùm peccato, de illo solo doleret, aut de solis venialibus, si illa sola commisisset, esset secundùm omnes verum Sacramentum Pœnitentiæ, si illud solum peccatum, aut sola venialia confiteretur, & Sacerdos formam absolutionis cum intentione debitâ proferret, sed quando quis oblitus alterius peccati, de uno solo dolet & illud confitetur, aut de solis venialibus oblitus mortalis, est eadem confessio, eadem contritio, & eadem absolutio, quæ sunt partes essentiales hujus Sacramenti, & intentio debita, ergo est ibi hoc idem Sacramentum, sicut ubi est eadem materia, eadem anima, & eadem unio, est idem homo.

XVI. *Offenditur, malè aliques affirmare, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiri dolorem universalem de omnibus peccatis.*

Dices: Non est ibi materia sufficiens; hæc enim non est quicumque dolor vel attritio, sed dolor universalis de omnibus peccatis. Contra primò, nam materia & forma hujus Sacramenti debent esse sensibiles, vel per se, vel per alteram partem, ergo solus dolor de peccato, quod quis confitetur, est pars, cùm illo solus reddatur sensibilis juxta dicta superiore ratione. Contra secundò: Sicut sufficit confessio formaliter integra, quidni etiam contritio cum simili integritate, ut dictum est suprà. Tandem gratis hoc videtur dici, ut fusiùs ostensum est sectione præcedente.

XVII. *Objic. Ergo si quis sciens omittat dolorem de aliquo gravi peccato, Sacramentum erit validum.*

Dices secundò: Ergo etsi quis sciens ac prudens omittat dolorem de uno peccato, erit Sacramentum validum; hîc enim urgeri potest nostra argumentatio, nam eadem hîc est confessio, contritio, & absolutio. Contra primò: Ergo si quis sciens & prudens omitteret aliquod peccatum in confessione, esset verum Sacramentum; foret enim eadem contritio, confessio, & absolutio. Sicut ergo secundùm omnes non valet argumentum à peccato per oblivionem aut inadvertentiam in confessione omisso, ad idem scienter omissum, ita nec à dolore inadvertenter omisso ad omissum sponte. Contra secundò: Ergo si quis vellet in genere solùm confiteri, cùm posset in particulai, esset validum Sacramentum, quod nemo dicit, cùm tamen in necessitate sit sufficiens ejusmodi confessio.

XVIII. *Si dolor de aliquo peccato gravi scienter omittatur, Sacramentum est nullum.*

Respondetur itaque pro omni sententiâ, si dolor de aliquo peccato sponte & scienter omittatur, Sacramentum esse nullum, quia novum committitur peccatum, tum defectu propositi universalis, ut diximus sectione præcedente; peccat enim mortaliter quisquis scienter ponit obicem gratiæ, & consequenter non potest habere propositum non peccandi. Deinde peccat defectu confessionis integræ, quia hoc ipsum peccatum tenetur in confessione aperire: quòd si fingatur is qui scienter omittit dolorem de uno aliquo peccato mortali, invincibiliter ignorare necessarium esse habere dolorem de omnibus, erit Sacramentum validum. Dices: Ergo & fructuosum ac formatum gratiâ cùm non ponat obicem. Respondetur, nullum quidem novum poni obicem, manet tamen antiquus, peccatum scilicet unum mortale non retractatum.

XIX. *Quid si quis, ubi post peccatum mortale fictè suscepit baptismum, vellet fructuosè accedere ad Pœnitentiam.*

Quartò probatur Conclusio: Si quis qui ante Baptismum commisit peccatum aliquod mortale, postea fictè suscipit Baptismum, hic ut fructuosè accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, & veniam peccati quod ante Baptismum commisit, obtineat, debet de eo dolere, & tamen hic dolor nec est nec esse potest pars Sacramenti Pœnitentiæ, cùm neque peccati illius confessio sit ejus pars; peccatum enimillud non est materia Sacramenti Pœnitentiæ & consequenter nec dolor de eo; ergo si per inadvertentiam non doleret de illo peccato, sed solùm de commissis post Baptismum, esset eadem materia & forma illius Sacramenti, & tamen in eo casu homo ille non justificaretur, cùm non retractaretur peccatum commissum ante Baptismum; Sacramenta enim, esto reddant ex attrito contritum, non tamen ex non attrito; ergo potest hoc Sacramentum esse validum & informe.

XX. *Potest interdum confessio de solis venialibus esse simul valida & informis.*

Hinc ergo infero, posse aliquando confessionem de solis venialibus esse validam simul & informem, quando scilicet quis existens in peccato mortali cujus non recordatur, sicque de illo non dolet, confitetur sola venialia, & de iis dolet: in hoc ergo casu confessio esset valida juxta dicta, & informis ratione illius peccati mortalis non retractati.

SECTIO TERTIA.

Objectiones contra Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

I. *Dices: Ad Sacramentum validum requiritur propositum universale, ergo & dolor universalis.*

Objicies primò: Requiritur ad valorem Sacramenti propositum universale, ergo & dolor universalis, ergo Sacramentum nunquam erit validum, quin etiam sit formatum, cùm semper retractentur omnia peccata. Respondetur, negando primam consequentiam, & præter dicta hac de re Sectione primâ Concilium Florentinum & Tridentinum alio modo loquuntur de dolore, alio de proposito, hoc expresè requirunt ut sit universale, in illo nunquam exigunt universalitatem, quare dicunt dolorem debere esse de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: unde constat latiùs patere propositum quàm dolorem, cùm hic tantùm sit de peccato commisso, illud ad omnia peccata extendatur.

Objicit

II. *Dicet: sufficienter dispositus accedit ad recipiendam gratiam, qui affert materiam sufficientem ad Sacramentum.*

Objicit secundò Vasquez quæst. nonagesimasecundâ, art. secundo, num. vigesimo-secundo, sufficienter dispositus accedit ad Sacramenti hujus effectum, qui affert materiam sufficientem; hic enim facit quod ex parte ipsius requiritur, unde talis jure postulat absolutionem, nec potest ei negari, neque aliud ex parte accedentis ad hoc Sacramentum requiritur, quàm ut talem dispositionem afferat, quæ sententiam Judicis reddat validam. Respondetur, negando antecedens, ad probationem dico hominem habere jus ut ei conferatur Sacramentum, & detur sententia absolutionis, sicut habet qui in peccato ex ignorantiâ inculpabili existens petit Eucharistiam, aut aliud Sacramentum vivorum: unde non potest Sacerdos jure ei Sacramentum illud negare, & tamen non recipit illius effectum ratione obicis peccati non retractati: idem est in præsenti. Si autem pœnitens sciret impedimentum illud occultum, non posset jure petere Sacramentum, vel Eucharistiæ vel Pœnitentiæ, imo hoc esset nullum ut suprà diximus, sicut si scienter peccatum aliquod mortale reticeret.

III. *Dicet: Si Sacramentum sit validum, ergo valida est absolutio, ergo pœnitens absolvitur validè.*

Objicitur tertiò: Si in hoc casu Sacramentum Pœnitentiæ sit validum, seu forma absolutionis validè data; ergo Sacerdos validè absolvit, ergo pœnitens vicissim validè absolvitur, ergo peccata illa de quibus habuit dolorem, ei remittuntur, ergo & alia, cùm unum peccatum ei pro hoc statu non remittatur sine alio, ergo recipit gratiam. Contra, hoc idem argumentum fieri potest de Baptismo, qui tamen secundùm communem sententiam Theologorum sequentium Sanctum Augustinum, potest esse validus & informis, & tamen arguere eodem modo quis posset, si vera ablutio à peccatis ei confertur, ergo verè abluitur & mundatur, æquè ac hic verè absolvitur. Respondetur ergo, per Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ valida sed informia, mundari, ablui, & absolvi hominem à peccatis solùm in actu primo, seu dari jus ut ubi ablatus fuerit obex, seu peccatum in ratione voluntarii, tunc mundetur & absolvatur in actu secundo.

IV. *Objic. Non posse peccatum illud postea per Sacramentum Pœnitentiæ remitti.*

Dices: Etiamsi postea ponatur dolor de peccato illo, adhuc non potest remitti per hoc Sacramentum Pœnitentiæ; per nullam enim partem sui illud respicit, dolor namque, qui est pars hujus Sacramenti, non omnino ad illud extenditur, ut concedimus. Respondetur primò, fortè hoc Sacramentum non reviviscere, de quo postea. Secundò respondetur, hoc solùm probare non remitti directè per hoc Sacramentum, sed tantùm indirectè: sicut & quando quis ex ignorantiâ, aut oblivione inculpabili omittit in confessione peccatum aliquod, remittitur tamen indirectè per absolutionem, quæ illi confessioni adjungitur. Ratio est, quia Sacramentum est quod dat gratiam, nempe in actu primo, scilicet jus ad gratiam, ergo ipso facto quod Sacramentum est validè collatum, ubi non est obex confert gratiam.

V. *Dicet: Concilia eundem dolorem assignàt pro dispositione ad gratiam, quam assignant pro parte hujus Sacramenti.*

Objicitur quartò ex Vasquez citato, numero decimo nono & vigesimo, dolorem, qui est dispositio ad gratiam assignari à Conciliis tanquam partem hujus Sacramenti; nec enim duplicem distinguunt dolorem, unum qui sit dispositio ad gratiam, alium qui sit pars Sacramenti: imo Concilium Tridentinum sessione sextâ, cap. 6. & 14. eandem dispositionem ad gratiam per Baptismum conferendam assignat, quam sessione decimâ quartâ, capite quarto assignat ut partem Sacramenti Pœnitentiæ. Respondetur primò, hoc sensu Concilium utrobique requirere eandem dispositionem, nempe generatim dolorem, non tamen hinc sequitur eundem specie vel numero dolorem requiri, nec Concilium unquam hoc dicit; solummodo enim dolorem & detestationem peccatorum requirit, tam ad justificationem in Baptismo, quàm ut partem ad constitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod etiam nos cum Concilio asserimus.

VI. *Addo tamen, per se loquendo, eundem dolorem esse partem hujus Sacramenti, & disponere ad gratiam.*

Secundò respondetur, per se loquendo, seu nisi ex accidente aliquo, ut oblivione, inadvertentiâ, &c. contingat non dari dolorem de peccato aliquo commisso, eandem attritionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, & dispositionem sufficientem ad gratiam: imo ut supra vidimus, frequenter contingit dolorem illum disponere ad gratiam in hoc Sacramentò conferendam, qui non est pars Sacramenti, cùm non sit secundùm omnia sensibilis, ut in casu supra posito cùm quis, licèt doleat de omnibus peccatis, confitetur tamen unum solum vel alterum, quia aliorum inculpabiliter obliviscebatur, aut sola venialia oblitus mortalis, quo in casu etiam agnoscunt adversarii Sacramentum confici, & conferri gratiam, etsi dolor ille ut respicit peccata non aperta in confessione, non sit sensibilis, nec pars Sacramenti.

VII. *Objic. Tantùm velle Concilium dolorem, qui est pars Sacramenti, disponere ad gratiam inadæquatè.*

Dices, Concilium tantùm velle dolorem illum, qui est pars Sacramenti, disponere quidem ad gratiam, non tamen adæquatè, sed solùm inadæquatè, nempe secundùm aliquid sui, hoc autem semper contingit. Contra: Si præcisè quis spectet verba Concilii, videtur convertibiliter accipere partem Sacramenti & dispositionem ad gratiam: Si ergo adversariis licèt explicare Concilium quando dicit dolorem qui est dispositio ad gratiam esse partem Sacramenti, id est aliquid illius doloris, seu dolorem illum prout terminatur ad peccata, quæ deteguntur in confessione, esse partem Sacramenti, non autem prout terminatur ad alia, quidni etiam nobis licebit idem Concilium explicare, quòd solùm velit, per se loquendo dolorem qui est pars Sacramenti, esse dispositionem sufficientem ad gratiam, etsi quandoque contrarium per accidens possit contingere: sicut etiam dicunt ipsi Concilium solum requirere dolorem universalem in confessione peccatorum mortalium, non venialium. Item quando Scriptura & Patres dicunt neminem justificari sine dolore peccatorum, dicunt intelligi debere per se loquendo, & dolorem esse solùm medium ordinarium, idem ergo & nos dicemus, per se loquendo, & ordinariè dolorem illum qui est pars Sacramenti, esse sufficientem ad gratiam, hoc tamen non obstat quo minùs aliud possit per accidens contingere.

VIII. *Dicet: Ex nostrâ sententiâ sequitur posse aliquem hoc Sacramentum validè suscipere cum affectu peccati mortalis.*

Objicitur quintò cum Coninck disp. quartâ, dub. undecimo, num. 73. Si dolor de uno peccato & non de alio sit materia sufficiens, ut diximus, ergo posset quis hoc Sacramentum validè suscipere, etiam cum affectu peccati mortalis. Respondetur negando sequelam, defectu scilicet propositi, ut latiùs dictum est sect. præcedente, in tertiâ probatione conclusionis. Deinde ex alio titulo Sacramentum hic potest esse nullum, nempe defectu confessionis formaliter integræ; debet enim confiteri peccatum illud mortale, quod in ipsâ confessione & susceptione Sacramenti committitur.

IX. *Dices: Accedens ad hoc Sacramentum vult reconciliationem cum Deo, ergo implicitè habet aversionem ab omni peccato mortali.*

Objicitur sextò cum eodem Coninck dub. 5. num. quadragesimo, & dub. undecimo, num. septuagesimo quarto: quicunque accedit ad hoc Sacramentum, vult reconciliationem cum Deo, voluntas autem reconciliationis cum Deo, necessariò includit, saltem implicitè, aversionem ab omni eo quod graviter offendit Deum, & consequenter ab omni peccato mortali; omnis enim efficax amor boni alicujus continet, saltem implicitè, detestationem mali oppositi, ergo amor efficax reconciliationis cum Deo est detestatio, saltem implicita, omnium illorum, quæ avertunt à Deo: ulteriùs, sed omnis dolor sufficiens ad essentiam hujus Sacramenti continet saltem implicitè voluntatem efficacem reconciliandi se cum Deo, ergo &c.

X. *Hoc argumentum, cùm nimiùm probet, nihil probat.*

Hoc argumentum nimium probat, nam secundùm illud, si quis volens reconciliari cum Deo accedat ad confessionem sine ullo omnino dolore putans invincibiliter ad reconciliationem cum Deo non requiri dolorem ullum, sed solummodo confessionem cum proposito non peccandi de cætero; probat inquam, argumentum hunc per absolutionem justificandum, cùm efficaciter velit reconciliationem, & consequenter juxta hanc rationem efficaciter detestetur omne id quod huic reconciliationi obstat, nempe peccatum omne mortale; nullus tamen, opinor, dicet hunc recipere gratiam, vel in hoc casu validum fieri Sacramentum, ergo non omnis amor efficax alicujus boni est implicitè & æquivalenter detestatio mali oppositi, saltem immediatè: pro quo

XI. *Alius est actus, quo quis vult in actu signato reconciliationem cum Deo, alius quo hoc vult in actu exercito.*

Notandum, alium esse actum quo quis in actu quasi signato vult reconciliationem cum Deo, alium quo in actu exercito: primus actus non ponit formaliter ea quæ sunt necessaria ad reconciliationem, sed solùm est voluntas ea ponendi, sicque tantùm per modum cujusdam imperii procedit aut intentionis, actus autem imperans potest esse multo imperfectior imperato, nec eum continere æquivalenter; virtus enim inferior potest imperare actum virtutis superioris: sic affectus misericordiæ erga proximum imperare potest actum religionis, & efficere ut quis oret, aut votum pro eo emittat, sic ex desiderio salutis potest quis elicere actum contritionis, aut amoris Dei super omnia, & tamen nullus dicet actum Spei seu amorem beatitudinis esse æquivalenter amorem Dei super omnia, seu æquivalenter præstare illius effectum, sic enim disponeret ad gratiam.

XII. *Actus prædicti imperantes continent votum, actum amoris Dei, &c. tantùm per modum objecti.*

Hi ergo actus solùm continent votum, orationem, actum amoris Dei, contritionem, &c. per modum objecti: sic etiam desiderium reconciliationis cum Deo tendens in actu signato per modum meræ intentionis & imperii habet solùm actus ad reconciliationem reqnisitos pro objecto, unde sicut quantumcunqne efficaciter velit quis salutem, nisi ponat actum amoris Dei, aut contritionem, vel attritionem cum Sacramento, nunquam illam consequetur, sicut nec doctrinam, nisi quis studeat quantumvis eam efficaciter desideret; ita in præsenti, licèt quis efficaciter cupiat reconciliationem cum Deo per Sacramentum, nisi tamen ponat necessaria, nempe dolorem, nunquam illam assequetur; ergo merè hæc voluntas non sufficit, nec est detestatio peccati, aut dolor, sed voluntas doloris & detestationis per modum imperii illativa, sicut voluntas efficax salutis est respectu mediorum, quæ tamen nisi adhibeat, nunquam ex vi prioris voluntatis consequetur salutem. Verùm quidem est priorem voluntatem inferre necessariò posteriorem, seu dolorem, si tamen Deus substrahendo concursum, hanc secundam voluntatem impediret, non poneretur Sacramentum, cùm una illius pars, nempe dolor deesset.

XIII. *Actus volendi reconciliationem cum Deo in actu exercito, est simul detestatio peccati.*

Si autem per voluntatem reconciliationis cum Deo intelligat P. Coninck ejusmodi actum in actu exercito, seu qui simul sit aliquo modo detestatio peccati, tunc verum est poni sufficientia ad gratiam, si actus sit universalis, seu de omnibus peccatis à pœnitente commissis, omnis autem voluntas reconciliationis non est hujusmodi formaliter, sed ad summum causaliter, seu illativa doloris; actus enim qui sit voluntas reconciliationis & simul dispositio ad gratiam debet dicere, *Volo reconciliationem cum Deo, quem utinam nunquam offendissem*, &c. constat autem omnem voluntatem reconciliationis non necessariò esse hujusmodi, sicut licèt aliquis actus, qui est propositum efficax amandi Deum, sit simul amor in actu exercito, ut si quis dicat, *Amabo Deum, quem, quia infinitè bonus est, malo mori, quàm offendere*, omne tamen efficax propositum amandi Deum hoc non habet, ut si quis simpliciter & in actu signato statuat amare Deum eo tempore quo obligat præceptum; licèt enim hoc propositum necessariò inferat amorem suo tempore, non tamen est æquivalenter amor, sicut nec intentio efficax sumendi medicinam est æquivalenter illius sumptio.

XIV. *Longè alia ratio est de actu amoris Dei super omnia, & de proposito reconciliationis cum Deo.*

Dices cum eodem: actus amoris Dei super omnia continet virtualiter detestationem omnium peccatorum, quia non potest stare cum affectu ad peccatum, ergo. Respondetur actum amoris Dei super omnia non per modum imperii solùm habere se circa detestationem, & in actu signato, sed versatur immediatè circa ipsum objectum detestationis, saltem implicitè; amare enim Deum super omnia est velle quidvis potiùs, quàm illius displicentiam, ac proinde etsi tunc non recordetur peccati à se commissi, sicque explicitè illud sub hac ratione non detestetur, detestatur tamen implicitè, sicut & cogitat de peccato implicitè: unde qui amat Deum perfectè super omnia prosequitur & fugit formaliter, & immediatè in actu exercito, quamvis implicitè, quicquid vel placet ei, vel displicet, sicque omnis hujusmodi amor est æquivalenter dolor & detestatio: at verò desiderium reconciliationis præcisè, tantùm habet pro objecto immediato ipsum amorem Dei vel dolorem, idque per modum imperii & applicationis, applicatio autem sæpè est multo imperfectior re applicatâ, ut in rebus physicis per ubicationem applicantur agentia perfectissima. Sicut ergo nullus docet desiderium, vel teconciliationis vel salutis, ex eo quòd per modum imperii & applicationis contineat amorem Dei, esse æquivalenter & implicitè amorem Dei super omnia, ita nec est æquivalenter & implicitè dolor: sed de hoc plura cum de natura doloris & contritionis.

XV. *Dices: Ergo ejusmodi dolorem afferens damnari poterit.*

Objicies septimò: Hinc sequi aliquem, qui dolorem sufficientem ad Sacramentum validum constituendum affert, posse damnari, quod tamen videtur durum, cùm ipsius culpâ non accidat, ut Sacramentum sit informe. Hoc argumento putavit rem confici P. Fagundez, sed quàm parum hoc urget facilè constabit: primò enim retorquere possumus argumentum, nam in utrâque

in utrâque sententiâ supponimus hunc hominem accedere cum eodem dolore, nempe qui non se extendat ad omnia peccata mortalia commissa, unde sola differentia est, quòd nos dicamus hominem illum afferre dolorem sufficientem ad constituendum Sacramentum, licèt non ad gratiam, Adversarii verò ne quidem ad constituendum Sacramentum. Damnabitur itaque juxta utramque sententiam, æquè autem durum est ut damnetur quis qui adhibens cum conatum, quem putat necessarium, nullâ suâ culpâ non conficit Sacramentum, atque is qui nullâ suâ culpâ conficit quidem, sed informe, imò duriùs cum homine illo procedit contraria sententia, nam juxta illam debet hic homo omnia illa peccata denuo confiteri, quod onus nostra ei sententia non imponit ut videbimus Sectione sequenti. Deinde quid hic magis durum, ut qui affert sufficientia ad pœnitentiam damnetur sine novâ culpâ ob peccatum præteritum, quàm qui affert sufficientiam ad Baptismum, qui secundùm omnes potest esse validus & informis, aut ut damnetur is qui cum dolore sufficiente ad constitutionem & etiam valorem Sacramenti confitetur alicui, qui etsi communiter habeatur Sacerdos, re tamen ipsâ non est.

In utrâque proinde opinione eadem est difficultas.

XVI. *Objicitur etiam S. Thomas, qui dicere videtur cōtritionem ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ requiri.*

Objicies octavo: Sanctum Thomam in quarto, dist. vigesimâ-tertiâ, quæst. primâ, artic. quarto, quæstiunculâ secundâ in corpore, ubi dicit contritionem esse de essentiâ pœnitentiæ; ergo nunquam potest esse valida & informis, cùm contritio nunquam esse possit non formatâ gratiâ. Sed contra: mens enim alicujus Auctoris non est investiganda per verbum aliquod obiter ex aliâ occasione dictum, ut hoc dixit Sanctus Thomas, quæstio enim ibi erat de formâ Extremæ unctionis, non de pœnitentiâ. Cùm ergo loco à nobis citato in terminis quærat an hoc Sacramentum possit aliquando esse informe, & in corpore articuli directè ad quæstionem respondens dicat posse, & ad idem probandum tendat totus reliquus articuli discursus, oportet non hunc locum per illum, sed è contra illum per hunc explicare, & dicere Sanctum Thomam ibi contritionem latè sumere, prout significat dolorem de peccatis, quamvis non sit ex motivo Charitatis. Quo etiam modo loquitur Concilium Tridentinum sessione decimâ-quartâ, cap. 4. ut suprà ostensum est.

XVII. *Offenditur S. Thomam variis locis dicere attritionem sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ.*

Deinde non in quarto solùm, distinctione decima-septimâ, quæstione tertiâ, articulo quinto jam citato, sed multis aliis locis affirmat sanctus Thomas sufficere ad hoc Sacramentum attritionem, nempe in quarto, distinctione decima-octavâ, quæstione primâ, articulo tertio, quæstiunculâ primâ, & distinctione vigesima-secundâ & vigesima-quartâ; item in opusculis, & clarissimè tertiâ parte, quæst. octavâ, articulo quarto, ad secundum, ubi quærens, utrùm possit quis in peccato accedere ad Eucharistiam, respondet negativè: etiamsi, inquit, ad Baptismum & Pœnitentiam possit, & discrimen reddit inter hæc Sacramenta, quòd Eucharistia sit medicina confortativa, quæ non datur nisi liberatis à peccato: Baptismus autem, inquit, & Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: unde ex adversariis P. Vasquez & Coninck, qui sinceriores esse solent hac in parte fatentur nostram sententiam esse sententiam Sancti Thomæ: quod etiam admittit Gamachæus, & alii.

SECTIO QUARTA.

Quædam alia circa valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Possitne in hoc Sacramento dari fictio formalis.*

QUÆRES primò: Utrùm in hoc Sacramento dari possit peccatum fictionis, per quod esto sit validum, reddatur tamen informe, sicut in tractatu de Sacramentis in genere diximus de Baptismo, in quo reperitur fictio formalis? Respondetur non posse; ipso enim facto quòd in susceptione Sacramenti committatur peccatum, deest una pars Sacramenti, ut latiùs ostensum est Sectione secunda: unde in hoc Sacramento solùm potest contingere fictio materialis.

II. *Quæres: Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ reviviscat.*

Quæres secundò: Utrùm Sacramentum Pœnitentiæ reviviscat, seu recedente fictione hac materiali habeat effectum, ita ut homo positâ attritione de peccato, de quo antea per inadvertentiam non doluerat, gratiam consequatur? Negat Sotus & alii, quos sequitur Vasquez quæst. nonagesima-secundâ, articulo tertio, dubio quarto. Communis tamen sententia affirmat, quam tenet Sanctus Thomas in quarto, distinct. decima-septimâ, quæst. tertiâ, articulo quarto, quæstiunculâ primâ, & in supplemento quæstione nonâ, articulo primo, corpore, quem sequitur Caietanus, Petrus Soto, Ledesma, Durandus, Suarez hic, disput. vigesimâ, sect. 5. num. decimo-quarto, Valentia disput. septimâ, quæst. 11. puncto secundo, & alii.

III. *Ratio est, quia jam peccata omnia mortalia remitti debent directè per Sacramentum Pœnitentiæ.*

Ratio est quam optimè prosequitur Valentia citatus, quia in Lege novâ omnia peccata mortalia commissa post Baptismum, non indirectè solùm, sed directè remitti debent per Pœnitentiam, nam si sufficeret indirecta remissio, sequeretur contra omnes Theologos non esse obligationem confitendi peccata illa, quæ per oblivionem erant in priori confessione omissa; jam enim indirectè & concomitanter sunt cum reliquis remissa per absolutionem super alia prolatam; ergo pœnitentia valida & informis reviviscit, alioqui peccata illa, de quibus habuit dolorem requisitum non remitterentur directè per ullum Sacramentum Pœnitentiæ.

IV. *Quòd peccata illa per contritionem remittantur, non tollit obligationem ea confitendi.*

Dices: Remitti per contritionem. Contra: Contritio juxta Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto, est votum Pœnitentiæ, & relinquit obligationem suscipiendi illam, ubi quis potest, sed hic nulla est obligatio accedendi amplius ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confitendi peccata illa quæ cum dolore debito semel est confessus, nam ex præcepto Christi solum semel tenetur peccata sua subjicere clavibus, & validæ Sacerdotis sententiæ, quod jam fecit, etsi gratiam ratione obicis non susceperit.

V. *Præcepta in aliis Sacramentis implentur sufficienter, etiam cum peccato mortali, ergo à fortiori hic cum Sacramento valido.*

Confirmatur: Nam juxta communem Theologorum sententiam præcepta de aliis Sacramentis implentur sufficienter, etsi quis ea etiam cum peccato recipiat; ergo à fortiori præceptum pœnitentiæ per confessionem validam, & sine peccato factam licèt ratione obicis sit infructuosa. Confirmatur secundò: Una etenim ex præcipuis rationibus cur Theologi ponunt Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, est ut liberent pœnitentem ab onere peccata priùs validæ Sacerdotis sententiæ subjecta iterum repetendi;

repetendi; ergo non est necessarium ea iterum confiteri: cùm itaque debeant per aliquod Sacramentum remitti, necessariò dicendum hoc Sacramentum reviviscere, per quod directè remittantur.

VI. *Ad hoc ut Sacramentum reviviscat, non requiritur ut non sit simpliciter non iterabile.*

Hæ rationes sufficienter probant Sacramentum Pœnitentiæ reviviscere, licèt non sit simpliciter non iterabile sicut Baptismus & Confirmatio. Peccatum tamen illud quod quis sine dolore debito est confessus, ut docet Sanctus Thomas citatus, & vocat fictionem, debet iterum confiteri; quod enim quis non debitè confitetur, perinde est atque si non confiteretur omnino: unde sicut si peccatum aliquod mortale, inculpabiliter in confessione omisisset, teneretur postea illud confiteri, ita & peccatum quod sine dolore debito est confessus, sive id contigerit ex ignoratione juris, quòd scilicet invincibiliter ignoraverit debere afferri dolorem de omnibus peccatis, quod tamen ægrè potest accidere; sive facti, ex eo quòd aut hoc putet non esse peccatum, vel saltem non mortale, aut quòd existimet se de eo habuisse dolorem sufficientem, cùm tamen eum non habuerit.

VII. *Certum est dolorem præcedere debere absolutionem: sententia enim semper est ultimum.*

Quæres tertiò: Quomodo se habere debeat dolor in Sacramento Pœnitentiæ? Inprimis certum est debere præcedere absolutionem; absolutio enim est sententia, hæc autem in Judicio semper debet esse ultimum, illud perficiens & consummans. Deinde non est dubium quin confessio saltem præcedere debeat absolutionem, cùm sit accusatio, dolor autem est de intrinseco conceptu hujus accusationis, cùm sit voluntaria, cum spe veniæ, &c. ergo.

VIII. *Prima sententia affirmat dolorem præcedere debere confessionem.*

Difficultas est: Utrùm dolor debeat præcedere confessionem? Affirmat Coninck disputatione quartâ, dubio sexto, quia confessio est signum doloris, & eum reddere debet sensibilem, hoc autem facere non potest, nisi confessio ex dolore procedat, & consequenter cum aliquo modo sequatur.

IX. *Probabilius tamen est, non esse necessarium ut dolor antecedat confessionem.*

Contraria tamen sententia est communis, & fundata in universali praxi fidelium; nil enim aliud plerumque curant vel pœnitentes vel Sacerdotes quàm ut post absolutam peccatorum confessionem exciteter in iis qui confessi sunt dolor de peccatis, nec solent unquam solliciti esse Confessarii ut pœnitentes priùs dolorem habeant quàm confiteantur, sed post confessionem totam factam excitare ipsos solent ad dolorem, & absolvere, quantumvis peccata iterum non repetant, vel in particulari vel generatim, ut vult Coninck citatus, petendo scilicet absolutionem ab illis; hoc enim non est necessarium, nec in praxi apud confessarios, qui plerumque hoc à suis pœnitentibus non exigunt.

X. *Confessio non est signum naturale doloris sed liberum.*

Nec obstat ratio supra posita ex conceptu signi; primò enim cùm confessio non sit signum naturale doloris, sed solùm ex liberâ institutione, ipso facto quod conjungatur dolor cum confessione, sufficienter significatur; homines enim dum peccata sua confitentur, de iisdem dolent, unde confessio satis ex hoc saltem usu dolorem indicat. Deinde ad hoc ut confessio significet dolorem, non requiritur ut semper denotet eum præcessisse aut adesse, sed vel hoc vel secuturum; ut enim reddat eum sensibilem sufficit quivis ex his modis. Qua etiam ratione actus merè internus, qui secundùm probabilem sententiam injungi potest pro pœnitentiâ & satisfactione, redditur sensibilis, vel per absolutionem, vel impositionem externam Confessarii, satisfactionem illam imponentis, licèt diu postea sequatur.

Non solùm ergo reddit aliud sensibile id quod est effectus illius, sed etiam quod est causa, imò quod merè concomitanter se habet; si enim plerumque conjungantur, unum est sufficiens signum alterius: homines itaque cùm ideo peccata confiteantur, ut hoc Sacramentum recipiant implicitè volunt dolere, si antea non doluerint: unde sicut externa corporis compositio est signum devotionis internæ, etsi non semper illa ab hac causetur, ita in præsenti.

XI. *Non effectus tantùm rei alicujus reddit illi sensibilem, sed etiam causa, imo aliquando quod merè se habet concomitanter.*

Et hoc etiam sufficit ut confessio sit dolorosa, nempe ut à dolore postea elicito informetur, ut autem non sit mera narratio sufficit quod fiat Judici, & animo obtinendi ab eo absolutionem, non quidem per confessionem solam, sed per dolorem quem implicitè saltem intendit ponere, narratio autem quà talis sit vel animi gratiâ, vel aliâ hujusmodi intentione merè humanâ.

XII. *Ut confessio sit dolorosa sufficit dolor eam subsequens.*

Quæres quartò: Vtrùm de essentiâ hujus Sacramenti sit dolor supernaturalis, an verò naturalis sufficiat? Sotus in quarto, dist. decimaoctavâ, quæst. tertiâ, articulo tertio, Navarrus & alii nonnulli dicunt sufficere attritionem, seu detestationem peccati merè naturalem, modò sit universalis & efficax: quibus à fortiore subscribent Cajetanus, Victoria, Cano, Ledesma, Sylvester & alii, qui quamcunque peccati displicentiam, etiam sine efficaci emendationis proposito ad valorem Sacramenti sufficere aiunt. Vasquez verò & alii nonnulli asserunt, requiri quidem actum doloris procedentis ex gratiâ per Christum, sufficere tamen licèt in entitate sit naturalis.

XIII. *Sitne de essentiâ hujus Sacramenti dolor supernaturalis.*

Existimo inprimis omnem attritionem, quæ in Sacramento vel pœnitentiæ vel Baptismi disponit ad effectum Sacramenti, debere esse ex gratiâ Dei; non merè ex viribus naturæ: ita Suarez hîc, disp. tertiâ, sect. sextâ, & disp. vigesimâ, sect. quartâ, num. sexto, Coninck disp. primâ, dub. quarto, numero vigesimo-septimo, Tannerus & alii. Ratio est primò: nam Concilium Tridentinum dolorem ad effectum gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ obtinendum requisitum, vocat peculiari modo donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, quæ autem peculiariter vocantur dona Dei, significantur procedere ex gratiâ, & consequenter non ex naturâ. Deinde Concilium Arausicanum secundum definit, non posse per naturæ vigorem aliquod opus fieri, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, sed hic dolor est opus ad salutem pertinens vitæ æternæ ergo. Præterea Concilium Tridentinum sessione sextâ, canone tertio sic habet: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Quâ in sessione indiscriminatim loquitur de justificatione adulti, tam intra quàm extra Sacramentum.

XIV. *Omnis dolor, qui disponit ad effectum hujus Sacramenti, esse debet ex gratiâ Dei.*

Quæ etiam, præsertim ultimum, probant debere dolorem hunc esse in entitate supernaturalem; quando enim Patres & Concilia ad actum aliquem requirunt gratiam simpliciter, & adjutorium Dei, seu gratiam adjuvantem, ille actus est in entitate supernaturalis. Deinde eandem gratiam requirit Concilium ad pœnitentiam, & ad Fidem, Spem & Dilectionem, ad quos actus requiritur vera gratia supernaturalis. Tandem Concilium

XV. *Hæc etiam probant dolorem ad hujus Sacramenti constitutionem requisitum, debere esse in entitate supernaturalem.*

Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto ait attritionem in Sacramento disponere ad gratiam dispositio autem ad formam supernaturalem, debet esse ejusdem ordinis cum formâ, ad quam disponit; quo argumento probant Theologi Fidem, Spem, & Charitatem debere esse supernaturales: sed de hoc fusiùs dici solet in materiâ de gratia, vel in tractatu de Fide, Spe, & Charitate.

SECTIO QUINTA.

An ad Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe requiratur dolor supernaturalis.

I. *Quæres: Virùm in Sacramento Pœnitentiæ valido & informi non possit dolor esse in entitate naturali.*

VLTERIÙS dubitari potest, utrùm in nostrâ sententiâ asserente Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum & informe, & consequenter dolorem, qui est pars Sacramenti, in eo casu non esse dispositionem ad gratiam; utrùm inquam, ille dolor non possit esse in entitate naturalis; hic enim cessant argumenta hactenus facta, quæ procedunt solùm de dolore qui sit dispositio ad gratiam. Deinde in aliis Sacramentis non requiritur ut ulla pars illorum sit quid in entitate supernaturale, Baptismus etenim continet aquam naturalem, ablutionem, & prolationem verborum, ubi nihil cernitur supernaturale. Tertiò, quidni æquè poterit attritio naturalis hoc Sacramentum constituere, atque Confessio & absolutio naturales. Quartò, ad nihil aliud requiritur attritio, seu dolor quam ut fiat vera accusatio, hæc autem vera est, quamvis dolor sit in entitate naturalis.

II. *Hoc probant multi docti, & insignes Theologi.*

Hanc itaque sententiam tenet Henriquez libro primo de Pœnitentiâ, cap. secundo, & libro secundo, capite undecimo, numero primo, qui plurimos pro eâ citat, Valentia disp. septimâ, quæst. octavâ, puncto secundo, Bonacina disput. quinta, quæst. tertia, puncto secundo, numero nono, Sotus, Navarrus, & alii supra citati: & videtur expressa mens Sancti Thomæ quæstione octogesima-quarta, articulo septimo, Corpore: *Sicut enim*, inquit, *in aliis Sacramentis materia est vel a naturâ ut aqua, vel ab arte, ut panis, quod autem ad Sacramentum hæc assumantur, habent ex institutione Christi, ita materia Sacramenti Pœnitentiæ præexistit a naturâ; ex naturali enim ratione homo movetur ad pœnitendum de malis, quæ fecit*, &c. hæc S. Thomas.

III. *Probabile est ad Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe non requiri dolorem in entitate supernaturalem.*

Existimo itaque hoc esse valdè probabile, & conformiter ad opinionem quam secuti sumus de hoc Sacramento valido & informi, sustineri posse, & magis fortasse consequenter. Sicut enim diximus ex institutione Christi juxta Concilia solùm haberi, requiri per se loquendo talem dolorem tanquam partem hujus Sacramenti, qui simul sit dispositio ad gratiam, licèt per accidens possit subinde contrarium accidere, ita etiam dici potest, per se loquendo solùm requiri dolorem supernaturalem etsi naturalis sufficiat, ut dixit Sanctus Thomas; sicut materiæ aliorum Sacramentorum, ut aqua, oleum, &c. sunt res merè naturales.

IV. *Dices: Ergo licèt dolor in naturalis in entitate; ergo & per dolorem merè naturalem conferri posset gratia, nam in aliis Sacramentis id videmus; aspersio enim aquæ in Baptismo cum formâ verborum adæquatè causant gratiam ex opere operato, licèt nihil ibi interveniat supernaturale; ergo idem præstabit dolor in Sacramento Pœnitentiæ conjunctus cum reliquis partibus Sacramenti.* *Sacramento Pœnitentiæ sit naturalis. Sacramentū nihilominus confert gratiam.*

Negatur tamen consequentia: Disparitas est, Concilia namque, & in particulari Tridentinum sessione sexta & decima-quarta, capite quarto, ait attritionem in Sacramento esse dispositionem ad gratiam & justificationem, dispositio autem ad formam supernaturalem debet esse supernaturalis, & ex gratiâ procedere, ut ostensum est. Imo etiam Baptismus in adultis, ubi requiritur dolor de peccatis, nunquam confert effectum sine dolore supernaturali. Sicut itaque Baptismus validus & informis requirit ulterius dolorem supernaturalem de peccatis ut reviviscat, & fortiâtur effectum, ita licèt Sacramantum Pœnitentiæ validum constituatur per dolorem naturalem, ulteriùs tamen ut fortiatur effectum requirit dolorem supernaturalem, qui sit dispositio ad gratiam. Unde juxta hanc sententiam probabiliter defendi posse videtur, etiamsi dolor sit universalis de omnibus peccatis, adhuc Sacramentum hoc, licèt validum, fore informe. V. *Resp. Non posse conferre gratiam, ad hanc quippe requiritur dispositio supernaturalis.*

Quòd verò dari possit in aliquo saltem casu actus doloris in entitate naturalis, præter Valentiam, Henriquez, Bonacinam, Sotum, & Navarrum citatos, tenet Vasquez primâ secundæ, disp. centesima nonagesima-quarta, cap. quarto, numero trigesimo-secundo, & trigesimo-tertio, Molina in concordiâ quæstione decima-quarta, artic. decimo-tertio, disputatione decima-quarta, membro quarto & quinto, & nonnulli ex Recentioribus: imo & Suarez etiam tomo quarto in tertia parte disputatione tertia, sect septimâ, & libro primo de gratiâ, capite trigesimo-septimo, num. septimo & sequentibus, etsi ad valorem Sacramenti neget sufficere, & Coninck disput. prima de Pœnitentiâ, dubio quarto, numero vigesimo-octavo. VI. *Dari posse actum doloris de peccatis, in entitate naturalem, plurimi & doctissimi Theologi agnoscunt.*

Et ratio esse potest primò, quia, ut benè Vasquez, Molina, & Suarez citati, videtur homini connaturalissimum dolere de peccatis, vel prout talem turpitudinem habent, & tantum malum inducunt, vel prout Deum auctorem naturæ offendunt; hoc enim motivum sufficit, ut ait Vasquez loco citato, nec alio modo rudiores dolent de peccatis quàm quòd Deo displiceant, vel contra illius præcepta sint, hoc autem totum non est cur excedat actum naturalem. Nec obstat quòd hic actus sequatur actum Fidei, nam non omnis actus secutus ad actum Fidei est supernaturalis, ut ait Vasquez numero trigesimo-secundo, & videtur clarum in quibusdam actibus inefficacibus: deinde non omnis actus de objecto revelato est necessariò actus Fidei: tertiò, licèt de facto sequatur dolor ad actum Fidei supernaturalem, tamen non necessariò illum præsupponit, sed si per actum naturalem idem objectum proponeretur, posset excitari actus doloris, ut in hæretico videtur certum. VII. *Ratione ostenditur, dari posse dolorem naturalem de peccatis.*

Ratio est secundò: nam Concilium Tridentinum sessione sextâ, dum definit non posse hominem sine gratiâ tum præveniente, tum adjuvante elicere hujusmodi actus prout oportet, seu ut justificationis gratia ei conferatur, insinuare videtur alios inferiores esse possibiles juxta naturæ vires. VIII. *Insinuat etiam Conc. Trid. possibile esse actū doloris naturalem.*

IX. *Non apparet ex quo capite hic dolor sit supernaturalis.*

Ratio est tertiò: Hic namque actus doloris de omnibus peccatis si esset supra vires naturæ, vel id foret ratione sui, vel circumstantiarum, tentationum scilicet, ut motuum concupiscentiæ, oppugnationum dæmonum, &c. non primum, aut enim id contingeret ratione ipsius modi tendendi actus ac motivi, & hoc non, ut ostensum est probatione primâ, aut ratione propositi universalis vitandi omnia peccata, quod cum viribus naturæ factu sit impossibile, erit etiam impossibile desideratu. Sed imprimis non requirtur ejusmodi propositum, quo absolutè statuat nunquam amplius peccare, sed solùm non peccare deinceps quantum potest; unde licèt quis planè putet fore ut postea relabatur in peccatum, potest nihilominus habere propositum non peccandi sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut communiter docent Theologi. Deinde aliud est viribus naturæ statuere non ampliùs peccare, sed totam legem servare, aliud statuere non peccare ampliùs, & servare totam legem, viribus naturæ, hoc secundum sicut quis facere moraliter non potest, ita nec statuere facere, primum autem non excedit vires naturæ; statuit enim non ampliùs peccare, non per vires naturales præcisè, sed sperando fore ut divinum ei auxilium adsit, vel omnino præscindendo. Nec etiam obstat aliud; non enim semper urgent tentationes ita vehementes, ut quis ad breve saltem tempus statuere non possit Deum non offendere, imo & à gravi peccato abstinere: unde Molina citatus affirmat hoc non solùm non difficile esse, sed facile.

X. *Homines sæpè proponunt vitare omnia peccata præter unum.*

Quartò: Nam ut notat Molina, sæpè homines ad confessionem accedunt cum proposito vitandi omnia peccata, uno aliquo excepto, ad quod ita afficiuntur, ut omnino relinquere illud nolint, quo in casu, inquit Molina, nemo dixerit propositum illud vitandi omnia peccata præter illud unum, procedere ex auxilio peculiari Dei. Cùm ergo voluntas abstinendi ab illo uno peccato non tantùm difficultatis addat, vel saltem non adderet in homine qui erga illud non ita vehementer afficeretur, non est, si proponere naturaliter quis possit vitare omnia peccata hoc excepto, cur illud etiam simul cum cæteris nequeat in eodem proposito conjungere. Sed de hoc plura dixi Tomo præcedente, in materiâ de Gratiâ, ubi quæstionem illam discussi, an viribus naturæ quis mysteria Fidei cognoscere, Deum diligere, & alios actus excellentes elicere possit.

XI. *Dicere fortè quis posset, ideo hunc dolorem debere esse supernaturalem in Sacramento, quia institutus est à Christo ut conversio ad Deum.*

Si tamen defendere quis velit dolorem ad valorem Sacramenti necessarium debere esse supernaturalem, dicere poterit, cum Christus partem hujus Sacramenti instituerit conversionem ad Deum, verisimile esse requirere ipsum ut dolor ille sit supernaturalis, cùm ordinetur ad reconciliationem cum Deo, & ad hominem ad finem supernaturalem perducendum per modum tendentiæ cujusdam internæ. Deinde, nihil obstat quominus Sacramentum validum conferat gratiam, nisi obex illius peccati, de quo non habet dolorem; ergo posito præcisè dolore sufficiente de illo peccato, Sacramentum reviviscet, & conferet gratiam; ergo prior dolor erat supernaturalis, nam non minus dolor de hoc peccato disponit ad gratiam, quàm dolor de aliis. Confirmatur: Si dolor de hoc ultimo peccato esset naturalis, non daretur gratia, ergo è contra, licèt hic dolor esset supernaturalis, si dolor de aliis peccatis esset naturalis non daretur etiam gratia, cùm non minùs ad gratiam requiratur retractatio supernaturalis unius peccati quàm alterius, sed positâ præcisè retractatione hujus peccati, datur gratia, cùm obex tollatur, ergo.

XII. *Probabilius nihilominus videtur dolorem naturalem sufficere ad constituendum hoc Sacramentum.*

Hoc quamvis probabiliter dici possit, contrarium tamen existimo esse multo probabilius, & rationem sufficientem, ut vel per illam solam defendi possit Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum & informe. Imo arbitror hac viâ longè faciliùs illam sententiam sustineri posse, quàm possit per eam, quam supra assignavimus.



DISPV-

DISPUTATIO OCTOGESIMA OCTAVA.

De remissione peccatorum venialium.

QVÆ hactenus dicta sunt, ad peccatorum mortalium remissionem ut plurimum spectant, nunc videndum qua ratione remittantur venialia, & quem dolorem ad sui sublationem in Sacramento postulent, quem extra Sacramentum, quid ea ex opere operantis tollat, quid ex opere operato, quo pacto in hac vitâ, quo in futurâ, si quis cum solis venialibus non remissis decedat, tollantur, & alia hujusmodi.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm ut tollantur peccata venialia extra Sacramentum requiratur Pœnitentia?

I. *Quamvis pro hoc statu unum peccatum mortale remitti nequeat sine alio, in alio tamen statu posset.*

NOTANDUM primò: Etsi pro hoc statu unum peccatum mortale remitti nequeat sine alio, cùm nullum jam remittatur sine infusione gratiæ, si tamen Deus alium statum & seriem rerum instituisset, ut potuit, non obstat quo minùs unum, etiam mortale, remitti posset sine alio, quod in purâ naturâ non est cur fieri nequiret. In præsenti verò statu nil impedit quo minùs unum veniale sine alio remitti queat, quod etiam frequenter tum intra, tum extra Sacramentum Pœnitentiæ contingit.

II. *Quamvis peccatum veniale remitti divinitus possit sine remissione mortalis, de facto tamen hoc nunquâ contingit.*

Notandum secundò cum Patre Suarez hîc, disp. undecimâ, sect. secundâ, num. quarto, & deinceps, Vasquez quæst. 84. art. quarto, & primâ parte, disp. 14. Valentiâ quæst quartâ, puncto tertio: Tannero disp. 6. quæst. quartâ, dub. tertio, num. 36. & aliis communiter contra Durandum & Scotum, quamvis de potentiâ absolutâ posset peccatum veniale remitti sine mortali, de facto tamen nunquam remitti potest sine eo. Ratio est, quia vel hæc peccati venialis remissio fieret per condignam satisfactionem & ex justitiâ, vel ex gratiâ, & peculiari Dei liberalitate: non primum; *Munera* enim *impiorum non diligit Deus*, ut dicitur Amos quinto, versu vigesimo secundo, & Malachiæ primo, versu decimo, & Apostolus primæ ad Corinthios, tertio: *Si Charitatem*, inquit, *non habuero nihil mihi prodest*, &c. idem etiam habetur Ecclesiastici trigesimo quarto: *Munera impiorum non probat Altissimus.* Et sanè non videtur congruum, ut is qui meretur iram Dei, donum aliquod, præsertim supernaturale, obtineat: unde neque hic favor remissionis peccatorum venialium iis concedi debuit, qui etiamnum sunt in mortali.

III. *Quam ob causam Fides & Spes, etiam supernaturales in peccatoribus augeantur.*

Quòd vero Fides & Spes, etiam supernaturales in peccatoribus, adhuc dum in eo statu permanent augeantur, non obstat, sicut nec quod cooperanti cum gratiâ & auxilio supernaturali minùs perfecto detur perfectius auxilium etiam dum est in peccato; hæc enim ideo hominibus dantur, ut resipiscant paulatim, & gratiam vel primò acquirant, vel amissam recuperent. At verò remissio peccati venialis cùm sit puritas quædam & perfectio amicitiæ supponit ipsam gratiam, & consequenter hominem esse in gratiâ. Unde etiam inter homines videmus non condonare unum alteri leviores offensas, dum adhuc perstat in gravi aliquâ injuriâ contra personam illam commissâ. His positis,

IV. *Detestatio aliqua requiritur, ut peccatum veniale extra Sacramentum remittatur.*

Dico primò: Ad remissionem peccati venialis extra Sacramentum requiritur aliqua illius detestatio, saltem virtualis & implicita: ita S. Thomas quæst. 87. art. primo, & alibi sæpè, Sanctus Bonaventura, Richardus, Paludanus, quos sequitur Vasquez hîc, quæst. 87. art. primo, dub. primo, & alii, contra Gabrielem, Majorem, Abulensem, & alios, qui asserunt peccatum veniale per quemvis bonum motum, & operationem hominis justi remitti.

V. *Ad peccatum veniale remittendum extra Sacramentum, aliquâ requiri detestationem probat D. Thomas ex S. Augustino.*

Probatur tamen conclusio primò ex Sancto Augustino libro de Pœnitentiâ, quem ad hanc rem affert Sanctus Thomas citatus in argumento, *Sed contra*: *Est quædam ergo*, inquit Sanctus Augustinus, *Pœnitentia, quæ quotidie in Ecclesiâ agitur pro peccatis venialibus*, quæ (inquit) frustra esset, si sine pœnitentiâ peccata venialia possent dimitti. Idem etiam habet Sanctus Augustinus relatus capite *Neminem putes* quadragesimo tertio de Pœnitentiâ, distinct. primâ: *Neminem*, inquit, *putes a quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem*

correctionem sine pœnitentiâ posse transire. Libro etiam de verâ & falsâ Pœnitentiâ, capite octavo dicit baptizatis de majoribus & minoribus peccatis pœnitendum esse; *Est enim*, inquit, *Pœnitentia assiduè peccantibus, assiduè necessaria; in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, si semper deplorentur*: ubi clarum est sermonem esse de venialibus. Ratio demum est, quia congruum videtur, ut nulli remittatur peccatum nisi ejus voluntas aliquo modo ab eo per retractationem avertatur.

VI. *Objic. Ergo nec per Martyrium delentur omnia peccata venialia.*

Dices: Hinc sequi, nec per Baptismum, nec per Martyrium deleri omnia peccata venialia, & consequenter non remitti pœnas iis debitas, ac proinde expediret orare pro Martyribus, cùm juxta nostram sententiam detineri in purgatorio ad tempus possent; nec enim semper verisimile est omnes habere ante mortem displicentiam & detestationem omnium peccatorum venialium, utpote quæ facilè cuivis, saltem per surreptionem, obveniunt.

VII. *Sed contra: hoc enim aquè inferri posset ex contrariâ sententiâ, atque ex nostrâ.*

Sed contra: Nam secundùm omnes saltem requiritur ad venialis peccati remissionem ut quis non sit in actuali illius complacentiâ, & tamen quid vetat aliquem subire Martyrium, aut Baptismum suscipere cum complacentiâ alicujus peccati venialis præteriti, vel cum actuali commissione novi, ergo tam in contrariâ sententiâ quàm in nostrâ posset quis prudenter orare pro Martyre contra communem consuetudinem Ecclesiæ. Respondetur itaque pro omni sententiâ, Ecclesiam solùm docere, per se loquendo, & positis debitis dispositionibus Martyrium & Baptismum tollere omnem reatum culpæ & pœnæ, etiam respectu venialium, nam non videtur adeo difficile in summo illo martyrii fervore universalem actum detestationis elicere, etiam respectu venialium.

VIII. *Quid si Martyr aliquis de peccato quopiam veniali in hac vitâ admisso pœnitentiam non egisset.*

Quod si contingat Martyrem de aliquo veniali in hac vitâ pœnitentiam non habuisse, tunc primo instanti separationis elicit actum, per quem peccatum tollitur, pœna verò ei debita Martyrii privilegio condonatur, quod etiam dici solet de Baptismo. Addo tamen, non constare, quando remittuntur post mortem venialia, debere, ut volunt aliqui, intercedere actum doloris, ut sectione sequente dicetur, & testimonia supra allata intelligi posse de solâ vita præsente.

IX. *Quales esse debeant illi actus displicentiæ de peccato veniali.*

Quæres: Quis actus displicentiæ ad hoc sufficiat, utrùm naturalis sufficiat, ut vult Durandus in quarto, distinct. 16. quæst. 6. an verò requiratur supernaturalis? Respondetur, omninino requiri, ut ex gratiâ procedat, & non sit tantùm naturalis, cùm definiant Concilia omnem actum, qui ad pietatem & vitam æternam conducit, esse ex gratiâ Dei. Cùm ergo venialia peccata sint impedimenta nostræ beatitudinis supernaturalis, per eos solos actus tolli debent, qui ad hujusmodi beatitudinem conducunt, quales soli sunt, qui ex gratiâ procedunt, esto in purâ naturâ Deus ad eorum remissionem actum naturalem acceptasset.

X. *Quid si puer aliquis decedat cum solo originali & veniali.*

Quod si puer aliquis decedat cum solo originali & veniali Paludanus ait tolli posse peccatum illud veniale conjunctum cum solo originali per actum naturalis detestationis, & eandem ait esse rationem de homine, atque de aliquo in statu puræ naturæ: quod tamen videtur difficile, cùm sit in statu naturæ elevatæ. Vel ergo dicendum ad providentiam Dei spectare ut talis cum originali & veniali solo ex hac vitâ non decedat, ut cum Sancto Thoma primâ secundæ, quæstione octogesimâ nonâ, articulo sexto docent Theologi: vel si admittatur casus, levi aliquâ pœnâ in perpetuum puniendum, ut docet Halensis, Sotus, & alii, & probabile putat Tannerus disp. sextâ, quæst. 4. dubio tertio, num. trigesimo nono: aut tandem cum Soario hîc, disp. 11. sect. secundâ, num. decimo nono dicendum in eo casu extraordinario verisimile esse Deum dispensatione aliquâ cum iis usurum, qui voluntate propriâ gratiam non amiserunt, & in eo statu jam sunt, ut eam recuperare non possint.

XI. *Opus bonum, per quod venialia peccatum remittitur, debet esse explicita vel implicita illius retractatio.*

Hinc infero, nullum bonum opus, quod vel formalis & explicita, vel implicita saltem peccati venialis retractatio non sit, sufficere de facto ad illius remissionem, licèt alioqui excellens aliquod opus sit, & melius magisque placens Deo, quàm peccatum veniale displicuit; sicut enim alii requirunt ad hoc ut per tale opus remittatur, non habeat quis actualem illius complacentiam, ità & ob jam dicta requirere nos cum fundamento possumus aliquam illius displicentiam.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm possit quis condignè satisfacere pro suo veniali?

I. *Quæstio hæc tantùm procedit de justo, dona enim impiorum Deo non placent.*

Sermo est de justo; si enim veniale conjunctum sit cum mortali, nunquam remittitur, ut diximus sectione præcedente, cùm dona impiorum Deo non placeant, & consequenter nihil offerre ipsi possit peccator, quod peccati venialis remissionem de condigno mereatur.

II. *Idem in re est satisfacere pro peccato, & illius remissionem mereri.*

Notandum, idem in re esse satisfacere pro peccato, & illius remissionem de condigno mereri: licèt enim meritum de condigno reperiri possit sine satisfactione, ut in multis operibus justorum respectu gratiæ & gloriæ præsertim ubi peccato omni carent (quod frequenter potest contingere, ut ex Sancto Thoma notat Suarez disp. 11. de Pœnitentiâ, sect. tertiâ, num. septimo, & certum est de Beatâ Virgine) nunquam tamen reperitur satisfactio perfecta quin sit meritum de condigno remissionis illius; satisfacere enim nihil aliud in re est, quàm facere satis ut Deus peccatum illud remittat, qui autem facit satis ad hunc effectum, meretur ut Deus peccatum illud remittat. Ad summum ergo ratione nostrâ differt in hoc casu meritum & satisfactio; meritum enim respicit præmium & commodum merentis: satisfactio autem compensationem injuriæ; idem verò est in præsenti compensare injuriam, & mereri tanquam præmium condignum illius remissionem.

III. *Status hujus quæstionis sic proponendus, ut non recidat in quæstionem de nomine.*

Notandum secundò: Ad vitandam quæstionem de nomine, quæ hîc esse posset, quando quærimus utrùm possit quis satisfacere pro peccato veniali, & condignè illius remissionem mereri, non esse sermonem de liberali remissione & condonatione, qualis est cùm Deus gratis alicui remittit peccata, ut respectu originalis contingit in Baptismo parvuli, quod nullo in eo præcedente merito condonatur, & in remissione cujusvis peccati mortalis, ubi non posito sufficiente merito, sed ad summum de congruo remittitur peccatum. Et alioqui hæc quæstio destrueret seipsam; quærere enim utrùm quis mereri de condigno possit ut Deus ei gratis remittat peccatum

catum veniale, est quærere implicatoria; ipso facto enim quod de condigno quis aliquid meretur, illud non ei gratis datur, sed ex justitiâ, unde negari à Deo non potest, sicut nec negari potest gloria benè operantibus, & eam condignè merentibus; meritum enim nostrum, ut fusè ostendi in tractatu de Incarnatione, est meritum justitiæ, qua de causa gloria, quam Deus meritis retribuit, vocatur merces, corona, stipendium, bravium, &c. & dicitur injustus fore, si præmium merentibus negaret: unde non solùm contra fidelitatem faceret, sed justitiam, si, ut loquitur Sanctus Augustinus libro de naturâ & gratiâ, capite secundo, *Iustos fraudaret mercede justitiæ.*

IV. *Quæstio in præsenti est de remissione latè dictâ*

Quæstio ergo procedit de remissione & condonatione latè dictâ, seu utrùm quis mereri possit, ut Deus habeat voluntatem non puniendi hominem ob peccatum aliquod veniale, vel gerendi se deinceps erga illum, ac si illud non commisisset, &c. juxta diversas sententias de actu condonationis peccati, seu an efficere quis possit, ut Deus ei ampliùs ob illud rationabiliter irasci nequeat. Sive autem hæc voluntas sit omnino libera & gratuita, sive non, sed necessaria posito metito, dici potest remissio & condonatio: sicut Deus dicitur gloriam, coronam, & meredem dare, & largiri Sanctis, cùm tamen si merces sit, nec donatio propriè intercedit, nec largitio, quæ liberalitatem sonant: sic in contractibus humanis unus est *do ut des*, & tamen in rigore neuter dat; dare enim idem est ac gratis largiri, qui autem dat centum ut centum, vel equum recipiat, vel qui centum dat quia centum recepit, manifestum est non gratis ea largiri.

V. *Secundùm sacras Literas cõceptus remissionis non repugnat conceptui justitiæ.*

Neque hic modus loquendi alienus est à Scripturâ: sic enim Joannis primæ, capite primo, versu nono dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate:* ubi juxta Sanctum Augustinum & alios, sermo est de venialibus, ergo conceptus remissionis peccati non est incompossibilis cum justitiâ: sicut & qui hunc locum intelligunt de mortalibus peccatis, dicunt debere sumi locum illum distributione accommodâ, nempe Deum in remissione peccatorum mortalium esse fidelem nobis, justum Christo, qui per passionem suam & operationes Theandricas illorum remissionem condignè nobis meruit.

VI. *Christus nobis de condigno meruit remissionem peccatorum mortalium.*

Quærimus itaque: Utrùm sicut Christus meruit nobis de condigno remissionem peccatorum mortalium ita ut positis requisitis, applicatione scilicet passionis ejus per nostram cooperationem, Sacramenta, &c. non possit Deus remissionem hanc ei negare, ita possit justus satisfacere pro peccato suo veniali, & illius remissionem de condigno mereri.

VII. *Obligatio justitiæ strictæ cadere potest in Deum respectu creaturæ rationalis.*

Notandum tertiò ex tomo præcedente, disp. 35. sectione quintâ, obligationem strictæ justitiæ cadere posse in Deum, ita ut id quod ex pacto sub opere æquali promisit negare nullo modo possit: & licèt multi voce tenus renuant justitiam strictam Deo erga creaturam rationalem concedere, in re tamen idem asserunt quod nos; dicunt enim Deum, positâ promissione sub conditione onerosâ æquali cum præmio, & opere expleto negare præmium nullo modo posse, nihil autem aliud asserimus nos, qui justitiam Deo adscribimus: cùm ergo in re conveniamus, solùm potest esse controversia de voce, an sit dicenda justitia, qua in re inprimis Scriptura ubique appellat Justitiam, ut ibi latè ostendimus; deinde idem planè est quod in creatis vocant omnes justitiam, nempe *tantum pro tanto, pacto firmatum*, qui est conceptus justitiæ commutativæ à Sancto Thoma assignatus secundâ secundæ, quæst. centesimâ sextâ, art. primo, ad secundum, & passim à Theologis receptus.

VIII. *Si quis sine ullâ conditione promittat, est obligatio tantùm fidelitatis.*

Si quis ergo alteri promittat aliquid sine ullâ conditione onerosâ, vel non æquali, censetur semper obligatio tantùm ex fidelitate; econtra si quis ponat opus æquale sine pacto aut promissione, laboret exempli gratiâ in vineâ alterius, est obligatio tantùm ex gratitudine, non ex justitiâ, nisi tacitum censeatur esse pactum, ut in istiusmodi plerumque contingit, præsertim si Domino vineæ inspectante laborem illum impendat, si verò sit pactum, & opus æquale præmio ponatur, censent omnes esse veram obligationem justitiæ. Cùm ergo obligatio, quam Deus habet dandi gloriam Sanctis, sit hujusmodi, & oriatur ex pacto cum ipsis de laboribus suscipiendis, bonis operibus præstandis, &c. his positis tenetur Deus non ex fidelitate solùm, sed justitiâ illud dare quod sub tali conditione onerosâ promisit; sicut enim in creatis jus ad meredem est promissio alterius, & opus illius intuitu expletum, ita si quis intuitu promissionis divinæ sub conditione onerosâ opus expleat, non minùs habebit jus ad præmium, & meredem à Deo recipiendam, quàm mercenarius ab homine.

IX. *Si quis neget hunc esse conceptum justitiæ, quia est in Deo, negare eodem modo poterit obligationem fidelitatis.*

Quod si quis neget hanc esse obligationem justitiæ, quia est in Deo, eodem modo neget obligationem fidelitatis, quòd si hanc Deo concedat quia in hominibus promissio inducit obligationem fidelitatis, cùm stare debeant promissis, eâdem ratione, cùm pactum, & opus illius intuitu expletum inducant in hominibus obligationem justitiæ, inducent etiam in Deo, nec ullam vel imperfectionem, vel indecentiam infert obligatio justitiæ, quam non inferat pactum & opus expletum: cùm ergo hi recentiores concedant in Deo obligationem ex pacto & opere, nec negare eam ullus possit in re, & illi & omnes concedunt Deo obligationem justitiæ, nec ad hoc est necessarium ut jus hominis sit Deo adæquatè extrinsecum, sed partim extrinsecum, nempe opus expletum, partim intrinsecum, videlicet pactum seu promissio divina.

SECTIO TERTIA.

De remissione peccati venialis in sequente vitâ.

I. *Brevis propositio difficultatis.*

His ergo positis videndum, Utrùm mereri quis possit de condigno remissionem peccati venialis, vel post mortem concedendam, casu quo quis aliquo adhuc non remisso, quod fieri potest, decederet, vel etiam in hac vitâ: quoad primum sit

II. *Justo in peccato veniali ex hac vitâ decedenti, instanti separationis animæ à corpore debetur illius remissio.*

Conclusio: Justo ad mortem usque in gratiâ perseveranti, & in peccato aliquo veniali decedenti, debetur instanti separationis animæ à corpore peccati illius venialis remissio, vel immediatè, vel saltem per actum contritionis, aut amoris Dei super omnia, ita ut non sit opus novo favore,

favore, aut liberalitate Dei, ut peccatum illud tollatur: ita Suarez disp. quartâ de Incarnatione, sect. 11. Vasquez disp. tertiâ de Incarnatione, capite tertio, & communis sententia recentiorum: & videtur aperta mens Sancti Thomæ variis locis, ut tertiâ parte, quæst. 87. art. tertio, & primâ secundæ, quæst. 72. & quæst. 88. art. primo & secundo, ubi docet peccatum veniale esse reparabile ab intrinseco.

III. *Ad remissionem peccati venialis post mortem non requiritur liberalitas.*

Probatur primò: Si enim ad remissionem venialis peccati post mortem requiratur liberalitas & favor Dei, cùm possit Deus sine ullâ vi rebus illatâ non esse liberalis; liberalitas enim sonat omnimodam solutionem à debito, consequenter posset peccatum veniale connaturaliter, seu nullâ vi rebus illatâ, perpetuò durare in justo, & consequenter perpetuò à visione beatificâ illum hominem excludere, sicque connaturaliter & per se mereretur pœnam æternam, quod tamen juxta omnes Theologos cum Sancto Augustino, Sancto Thoma, & aliis Patribus, est proprium solius peccati mortalis.

IV. *Justus meretur gloriam de condigno, ergo & remissionem peccati venialis post mortem.*

Probatur conclusio secundò: Justus per bona opera meretur gloriam de condigno, ut est certum, ergo de condigno meretur ablationem omnis impedimenti circa illius consecutionem; hoc enim censetur moraliter idem præmium cum consecutione gloriæ, & vel in eo inclusum, vel ei subordinatum: sicut propterea qui meretur gratiam, meretur alios habitus infusos, qui connaturali quadam sequelâ, vel physicè, vel moraliter ad gratiam consequuntur: cùm ergo peccatum veniale sit impedimentum gloriæ, utpote cum eâ incompossibile, qui gloriam meretur, meretur eâdem operâ peccati venialis ablationem.

V. *Hinc tamen non deducitur justum quoties meretur in hac vitâ gratiâ & gloriam, mereri etiam remissionem peccatorum venialium.*

Dices: Ergo etiam in hac vitâ quoties quis meretur gratiam, & consequenter gloriam, meretur remissionem peccatorum venialium. Distinguo consequens: Meretur remissionem eorum pro sequenti vitâ, concedo, pro hac nego, nam in tantum solùm meretur illorum remissionem, in quantum hæc necessaria est ad gloriam obtinendam, ad hoc autem non est necessarium ut in hac vitâ tollantur, sed sufficit si tollantur in sequente. Adde, jus quod homo in gratiâ constitutus habet ad gloriam, & consequenter ut ei peccata venialia remittantur, non esse absolutum, sed tantùm conditionatum, nempe si in gratiâ decesserit, ut habetur in Concilio Tridentino sessione sextâ, canone vigesimo sexto, & trigesimo secundo, ergo donec hæc conditio ponatur, sicut non debetur ei gloria, ita nec remotio impedimentorum circa illius adeptionem, & peccatorum venialium remissio.

VI. *Quares, quid si quis post ultimũ actum meritorium committat peccatum aliquod veniale, & sic moriatur.*

Dices secundò: Potest quis committere peccatum veniale post ultimum actum meritorium, & sic è vitâ decedere, quid ergo de illo fiet; nullum enim habet actum bonum, quo hujus peccati remissionem meretur. Respondetur, merita peccatum illud præcedentia ad hoc sufficere; per quemvis enim actum meritorium, quo meretur gloriam, meretur etiam ut impedimentum omne circa illius consecutionem, tempore debito tollatur, sive impedimentum illud præcedat actum illum meritorium, sive sequatur.

VII. *Quid si quis statim post baptismum, commisso peccato venialis moriatur.*

Dices tertiò: Quidni posset contingere, ut quis receptâ gratiâ baptismali, ubi ad rationis usum pervenerit, committat peccatum veniale, & statim moriatur, antequam vel peccet mortaliter, vel actum ullum meritorium eliciat: hic nulla habet merita, & tamen non debet perpetuò è cœlo ob peccatum illud veniale excludi. Respondetur, in hoc casu vel remittendum peccatum illud veniale modo superiùs dicto, per merita Christi ei tunc peculiariter applicata, vel dicendum gratiæ connaturaliter deberi, ut peccatum illud post mortem remittatur, cùm gratia sit semen gloriæ, & aliquo modo det jus ad illam, & consequenter petat, ut obstaculum illud gloriæ post mortem auferatur, huic verò homini debetur cœlum, non instar præmii, sed hæreditatis.

Dices quartò: Si statim post mortem debeatur justo ob merita præcedentia remissio venialium, ergo non est opus actu doloris, seu detestationis post mortem eliciendo; jam enim in vitâ pro peccatis venialibus satisfecit, & illorum remissionem condignè meruit.

VIII. *Dices: ergo non est opus ut hic homo actum doloris post mortem eliciat.*

Respondetur primò: Fortè hoc cum Scoto, & aliis non improbabiliter dici posse; cùm enim remissio venialium in alterâ vitâ sit præmium subordinatum gloriæ, & unum moraliter cum illâ, satis probabile videtur statim post mortem intuitu præcedentium meritorum remitti. Nec urget quod contra hoc objicit Suarez disp. undecimâ, sectione quartâ, numero undecimo, & duodecimo, nempe si nulla sit mutatio in voluntate post mortem, nec nova dispositio, quæ non erat antè, nullam esse rationem, cur non æquè ante mortem fuissent remissa peccata venialia. Hoc, inquam, non urget; sicut enim mors est conditio, ut quis ob merita præcedentia consequatur gloriam, nec statim positis meritis debetur homini illi gloria, sed non nisi in gratiâ decesserit, ita & mors esse potest conditio, ut peccatorum venialium remissionem consequatur, impedientium scilicet ingressum in civitatem illam cœlestem, utpote in quam nihil coinquinatum introibit, Apocalypsis vigesimo primo, versu vigesimo septimo.

IX. *Non improbabiliter dicunt aliqui non esse homini illi necessarium actum doloris.*

Secundò tamen dico, sicut gloria non debetur meritis, nisi dependenter à morte, & finali perseverantiâ, ita & asserere possumus cum communiore sententiâ, non deberi, etiam tunc remissionem peccatorum venialium, nisi dependenter à dolore tanquam à conditione & dispositione requisitâ tanquam removente prohibens, & obicem tollente; sicut enim si adultus quispiam accedit ad Baptismum sine detestatione peccati alicujus venialis, quod commisisset, esto peccati originalis, & mortalium omnium, imo & aliorum venialium, quorum habuit dolorem, veniam consequatur, non tamen hujus, donec de illo etiam doleat, quia nisi ablato obice, seu peccati in ratione voluntarii, Baptismus illud non aufert, ita dicere cum fundamento possumus bona opera in hac vitâ exercita petere quidem ablationem impedimentorum ad gloriam, sed debito modo, ita scilicet ut auferatur obex, seu peccatum, non in se, sed in ratione voluntarii per contritionem, seu dolorem.

X. *Dici nihilominus potest, etiam in alterâ vitâ dolorem necessarium esse ad remissionem venialium.*

Hinc infero: Licèt anima in gratiâ decedens in instanti separationis semper eliciat actum contritionis, vel amoris Dei super omnia, & per hunc obicem tollat, si tamen eliceret solum actum attritionis, adhuc remissum iri peccata venialia; cùm enim opera præcedentia mereantur de condigno illorum remissionem post mortem, non videtur aliud requiri, quàm ut detur vera & supernaturalis eorum retractatio, qualis est attritio. Unde addo ulteriùs, si detur in vitâ aliquis actus

XI. *Quamvis anima existens in gratiâ eliciat primo instanti separationis tantùm attritionem, remittuntur peccata venialia.*

actus doloris, ..ui terminetur ad omnia peccata venialia, & tam non sufficiat ad illorum remissionem in hac v..â, sed vel omnia, vel aliqua relinquat non remissa, non requiri post mortem alium actum doloris, sed statim instanti separationis peccata illa venialia ex vi præcedentium meritorum tolluntur.

XII. *Objic. Sequi ex dictis posse animas post mortem mereri.* Dices quintò: Si, ut peccata venialia post mortem tollantur, requiratur dolor aliquis, seu contritio, per quem remittantur, sequitur post mortem posse animas mereri. Caietanus primâ parte, quæst. 63. art. quinto, fine asserit animam in primo instanti separationis non tantùm esse in statu merendi, sed etiam in statu demerendi. Hoc tamen quoad secundum de demerito, ab omnibus rejicitur; hinc enim sequi dicunt, posse hominem qui in gratiâ decessit, ex eâ post mortem excidere, quod inquit Tannerus, est plus quàm absurdum, & Suarez ait repugnare Scripturis.

XIII. *Docti quidam Auctores dicunt animas primo instanti separationis posse mereri præmium aliquod accidentale.* Suarez itaque hîc, disp. 11. sect. quartâ, numero decimo-quinto, Vasquez hîc, quæst. 87. art. primo, dub. secundo, num. vigesimo, & vigesimo primo, Tannerus disp. 6. quæst. 4, dubio quinto, num. septuagesimo primo dicunt non esse inconveniens, ut homo primo illo instanti separationis possit præmium aliquod accidentale mereri: & Sanctus Thomas in quarto, dist. 21. quæst. primâ, art. tertio, quæstiunculâ primâ ad quartum, aliquod saltem meritum admittit.

XIV. *Cùm animæ tunc sint extra statum merendi, non videtur dari posse propriè meritum.* Negari tamen posset, tunc dari meritum, quia tunc animæ sunt extra viam & statum merendi: deinde cùm certum apud omnes sit, non mereri ipsas post mortem augmentum gratiæ & gloriæ, non est cur merè ad remissionem peccatorum venialium ponatur tunc novum meritum, cùm sufficiant merita in vitâ priùs habita, modò ponatur displicentia. Fortasse tamen vel ob hoc argumentum dicere quis posset nullum novum actum doloris aut displicentiæ requiri post mortem, sed merè intuitu meritorum præcedentium peccata venialia remitti, ut paulò ante diximus.

XV. *Quamvis statim post mortem remittatur peccatum veniale, nihil tamen pœnæ ei debitæ tunc remittitur.* Ultimò hîc adverto cum Suario hîc, disp. 11. sect. quartâ, num. decimo sexto, & disp. 47. sect secundâ, Vasquez & Tannero citatis, & aliis, licèt post mortem remittatur culpa venialis, nullam tamen partem pœnæ ei debitæ tunc remitti. Ratio est primò, quia tempus hujus tantùm vitæ à Deo assignatum est ad satisfaciendum, tempus autem vitæ sequentis est ad satis-patiendum. Deinde cùm animæ primo instanti separationis habeant perfectissimam cognitionem sui status, & rerum ad ipsarum bonum spectantium, si viderent posse se tunc satisfacere pro pœnâ temporali, tam ferventes actus elicerent, ut moraliter certum sit nihil unquam ipsas relicturas pœnæ in purgatorio tolerandæ, quod est contra commune judicium Ecclesiæ.

XVI. *Non est eadem ratio de remissione peccati venialis, & pœnæ ei debitæ.* Aliud est de remissione ipsius peccati venialis, quia cùm sit impedimentum gloriæ, & sublatum non fuerit in præsenti vitâ, tolli debet in futurâ, primo autem instanti fieri hoc debet, quia cùm quamdiu manet culpa maneat totus reatus pœnæ ei debitus, si post aliquod tempus, puta diem aut horam tantùm remitteretur, tantum deinceps pœnæ sustinere deberet illa anima, atque si tunc primò inciperet pati ignem purgatorium.

SECTIO QUARTA.

Virùm possit justus, etiam in hac vitâ mereri remissionem peccati sui venialis?

NON est eadem ratio, ut superiori sectione notavimus, de hac vitâ & sequente; in sequente enim debetur justo, ut diximus, remissio peccatorum venialium tanquam quid subordinatum merito gloriæ, ad quam, posito quod in gratiâ decedat, habet jus per actus meritorios in vitâ acquisitum; cùm autem remissio venialis peccati in hac vitâ ad hoc non sit necessaria, inquirimus utrùm possit justus illius remissionem hîc mereri de condigno. I. *Longè aliud est de remissione peccati venialis in hac vitâ & sequente.*

Prima conclusio: Justus potest in hac vitâ ad æqualitatem satisfacere pro suo veniali, & illius remissionem de condigno, quantum ad hoc mereri: ita omnes communiter: ratio videtur clara; potest enim justus multos actus Deo offerre, æqualis vel etiam majoris valoris & dignitatis, quàm peccatum veniale sit malitiæ, quique plus Deo placeant quàm hoc displiceat, ergo poterit ad æqualitatem, quantum ad hoc caput, pro illo satisfacere. II. *Potest justus in hac vitâ pro suo veniali ad æqualitatem satisfacere.*

Secunda conclusio: Potest justus in hac vitâ simpliciter satisfacere pro peccato suo veniali, & absolutè illius remissionem mereri: ita Suarez disp. quartâ de Incarnatione, sect. 11. Vasquez disp. tertiâ de Incarnatione, cap. tertio, & alii recentiores. Hæc conclusio inprimis quoad potentiam Dei absolutam videtur indubitata; quid enim vetat ut Deus actui alicui bono à justo in hac vitâ elicito tanquam præmium statuat peccati alicujus venialis remissionem, sicut secundùm communem sententiam statuit remissionem pœnæ temporalis mortali, aut veniali jam remisso in alterâ vitâ debitam. III. *Justus etiam in hac vitâ absolutè potest peccati sui venialis remissionem mereri.*

Quod verò etiam de potentiâ ordinariâ, & secundùm communem cursum rerum hoc fieri possit, probatur, ad meritum quippe de condigno alicujus præmii aliud non requiritur, quàm ut opus exhibitum habeat æqualem valorem cum præmio, & ex ordinatione vel promissione illius cui exhibetur respectu illius ejusmodi præmium proponatur, saltem ubi opus ipsum tale præmium ab intrinseco non exigit, sicut de currentibus in stadio constat, ubi quia cursus non habet intrinsecam connexionem cum bravio, & illius exigentiam, requiritur ut bravium ab aliquo currentibus proponatur: cùm ergo opus aliquod bonum in gratiâ exercitum habeat æqualem valorem & bonitatem malitiæ peccati venialis, non est cur Deus illius remissionem tanquam præmium non proponat. Confirmatur: Expedit enim ut homo si possit pro suis venialibus in hac vitâ satisfaciat, sed potest ut ostensum est, ergo. Confirmatur secundò: Nam de facto proponit Deus justis in hac vitâ pro præmio suorum operum remissionem pœnæ peccatis remissis debitæ, ut cum communi docet Suarez tomo quarto in tertiam partem, disp. trigesimâ septimâ, sect. octavâ, nonâ, & decimâ, ergo non est cur ipsorum etiam peccatorum remissionem proponere iisdem operibus obtinendam non possit. IV. *Ostenditur, de potentiâ etiam ordinariâ posse justum mereri peccati venialis in hac vitâ remissionem.*

Objicies, justos petere à Deo veniam peccatorum venialium, ergo non est iis debita eorum remissio. V. *Dices: Justos à Deo*

petere remissionem peccatorum venialium.

remissio. Contra, etiam petunt veniam peccatorum, quæ jam sunt remissa. Respondetur itaque, ideo eos & hoc & illud facere, quia nesciunt in quo statu sunt: orant ergo ut Deus ipsis medium aliquod efficax concedat, quo peccatorum remissionem obtineant.

VI. *Objic. Peccata venialia dicuntur gratis remitti, & ex misericordiâ.*

Urgebis: Dicuntur gratis & ex misericordiâ remitti peccata venialia. Respondetur, gratis remitti in radice, quo etiam sensu gloria & corona beatorum dicitur gratia, & dari gratis, nempe quia nisi Deus gratiâ suâ nos præveniret, nec illorum remissionem, nec hujus adeptionem mereri possemus, quod tamen non obstat, quo minùs possemus per bonum aliquod opus tanquam per compensationem condignam venialia delere. Hoc etiam sensu dicimur emundari per sanguinem Christi, nempe immediatè in Sacramentis, mediatè dum per actum bonum ex cogitatione congruâ & auxilio nobis per Christi merita concesso à peccati sordibus liberamur.

VII. *Aptissimus actus ad remissionem peccatorum venialium extra Sacramentum obtinendam est contritio.*

Tertia conclusio: Aptissimus ad remissionem venialium, ab homine justo de condigno extra Sacramentum obtinendam actus, est contritio respectu illorum peccatorum, ad quæ ex parte objecti extenditur, saltem si magno fervore actus ille contritionis eliciatur, sitque valdè intensus: ita Sanctus Thomas quæst. septimâ de malo, præcipuè art. undecimo, & duodecimo, Suarez tomo primo in tertiam partem, disp. quartâ, sect. undecimâ, & tomo quarto disp. undecimâ, sect. tertiâ, num. quinto, & alii communiter. Ratio est primò, quia per contritionem tolluntur omnia mortalia de congruo, ergo non est cur illa venialia, quibus opponitur, non tollantur per illam de condigno, cùm hoc præmium non excedat valorem operis. Secundò: Nam juxta omnes, peccatum veniale, quamvis non tollat, minuit tamen fervorem Charitatis, unde per illum actum peculiariter & proprissimè tolli posse videtur, qui ad hunc fervorem reparandum peculiariter ordinatur.

VIII. *Per actum etiam amoris Dei super omnia remitti possunt peccata venialia.*

Quarta conclusio: Per actum etiam amoris Dei super omnia potest remitti peccatum veniale: ita Auctores citati, & videtur expressa sententia Sancti Thomæ, tum quæst. septimâ de malo, art. undecimo, & duodecimo citatis, tum hic, quæst. 87. art. primo, secundo, & tertio. Ratio posita est conclusione præcedente, actus namque amoris Dei super omnia, etsi formaliter non sit dolor, & detestatio, venialis peccati, & explicitè, est tamen virtualiter, seu implicitè. Deinde peculiariter tendit hic actus ad reparandum fervorem Charitatis, quem peccatum veniale minuit, sicut mortale omnino tollit.

IX. *Objic. Ergo si contritio sit de omnibus venialibus, omnia tollentur.*

Dices: Si per actum contritionis tollantur venialia omnia, ad quæ actus ille extenditur, ergo si contritio sit de omnibus venialibus, omnia remittentur, sicque justus sæpè esset sine omni omnino peccato vel mortali, ut constat, vel etiam veniali, quoties scilicet hujusmodi actum elicit, contra illud Joannis primæ, capite primo, versu octavo: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Contra primò: Recens baptizatus cum universali dolore & retractatione caret omni peccato veniali. Contra secundò: Juxta communem sententiam, per Pœnitentiæ Sacramentum quoties quis de omnibus venialibus à se commissis dolet, & ea confitetur, liberatur ab omnibus, ergo in omni sententiâ satisfieri debet dicto Apostoli.

Respondetur itaque cum Suario hìc, disp. 11. sect. tertiâ, num. primo, Caïetano tertiâ parte, quæst. 87. art. primo, Henriquez libro quarto, cap. decimo quinto, num. quinto, Tannero tomo quarto, disp. sextâ, quæst. quartâ, dub. primo, num. duodecimo, & videtur mens Sancti Thomæ quæst. 7. de malo, art. duodecimo, ad quartum, nullum esse inconveniens ut ad breve aliquod tempus justus omni peccato careat, Apostolus autem, inquit Sanctus Thomas, solùm vult, non posse homines fiducialiter & certò affirmare se peccatum non habere, tum quia certi non sunt se habere contritionem veram, & perfectam, tum quia tam facilè leviores culpæ hominibus obrepunt, etiam justis, qui septies, hoc est, sæpiùs in die cadunt, ut securus nemo sit de omnis culpæ carentiâ, & consequenter verè, id est sine mendacii periculo dicere nullus potest, se culpam nullam habere. Deinde ait Suarez solùm asserere Apostolum, non posse quemquam cum veritate dicere se nunquam peccare, aut nunquam peccasse, non autem quòd pro brevi aliquo tempore omni culpâ vacet. X. *Resp. Ergo, non esse inconveniens, ut brevi aliquo tempore justus omni peccato careat.*

Hoc etiam docere videtur Sanctus Thomas tertiâ parte, quæst. 79. art. quarto, ad secundum, ubi cùm dixisset, per Eucharistiæ Sacramentum tolli omnia subinde peccata venialia in justo dignè ad illud accedente, sibique objecisset dictum hoc Apostoli, ait, non ita intelligendum esse, quasi non possit homo justus aliquâ horâ esse absque omni culpâ veniali, sed sensus est, inquit, Sanctos vitam istam non ducere sine peccatis venialibus. Addo, Auctores graves, & inter alios Sanctum Thomam tertiâ parte, quæst. octogesimâ septimâ, art. tertio, & alibi asserere, non quemvis actum contritionis, sed solùm valdè ferventem ad omnia peccata venialia tollenda, præsertim si multa sint, sufficere: de quo iterum recurret sermo. XI. *Justos etiam ad breve aliquod tempus posse omni peccato carere, alibi expressè docet Doctor Angelicus.*

Quinta conclusio probabiliùs etiam videtur, per solam attritionem posse extra Sacramentum condignè tolli peccatum veniale: ita Suarez hìc, disp. 11. sect. 3. num. undecimo, Coninck disp. secundâ, dub. decimo quarto, num. centesimo vigesimo quarto: Henriquez lib. quarto, cap. decimo quinto, num. quinto: Tannerus quæst. illâ quartâ, num. decimo tertio, & alii. Ratio est, nam ex unâ parte attritio est dolor & retractatio peccati venialis, sicque ex hoc capite nihil deest quo minùs possit per eam tolli, ex aliâ verò parte est actus supernaturalis ab homine in gratiâ elicitus, & consequenter habens valorem moralem sufficientem tum ex parte operis, tum personæ operantis, ut levis alicujus offensæ remissionem obtineat, ergo. XII. *Per actum etiam attritionis tolli condignè peccatum veniale.*

Dices: Hinc sequi per absolutionem Sacerdotis nunquam remitti peccata venialia; si enim attritio ad illorum remissionem sufficiat, & hæc ad absolutionem semper præmitti debeat, sequitur per formam absolutionis ea nunquam remitti. Suarez citatus, numero decimo octavo, Tannerus dub. primo citato, num. decimo quinto, & dub. secundo, num. vigesimo octavo concedunt consequentiam, nec inquiunt, est ullum inconveniens, quòd in homine justo nunquam tollantur peccata venialia per formam absolutionis; sufficienter enim aiunt salvari virtutem clavium in peccata venialia, quòd simul cum mortalibus per absolutionem sacramentalem in homine attrito remittantur. XIII. *Objic. Ergo peccata venialia nunquam remittuntur per absolutionem Sacramentalem.*

Secundo

XIV. *Quamvis aliqua attritio tollat peccata venialia, omnis tamen attritio hoc non præstat.*

Secundò tamen responderi potest cum Coninck citato, numero centesimo vigesimo quinto, & probabile putat Suarez num. decimo septimo, cùm attritio extra Sacramentum tollat peccata venialia per modum satisfactionis, & meriti de condigno, non quamvis attritionem valdè confusam, & generalem ad hoc sufficere, præsertim ubi venialia remittenda multa sunt, & graviora, quod sanè non improbabiliter de attritione, quæ ex genere suo est actus imperfectus dici potest, cùm Sanctus Thomas, & alii id affirment de contritione remissâ.

XV. *Objic. Quævis contritio tollit omnia mortalia, ergo quævis attritio omnia venialia.*

Dices secundò: Quævis minima contritio sufficit ad delenda omnia mortalia, ergo & quævis attritio ad delenda omnia venialia; multo enim magis peccatum mortale excedit in gravitate veniale, quàm contritio in valore superat attritionem. Respondetur negando consequentiam: Contritio siquidem non tollit mortalia peccata tanquam meritum de condigno, sed solùm de congruo, id autem quod hoc modo per aliud obtinetur, potest in valore esse multo illo superius, at verò peccatum veniale per actum attritionis aufertur tanquam per meritum de condigno, quod autem est hujusmodi, debet esse æqualis valoris cum præmio; unde attritio remissa non est semper sufficiens ad remissionem venialium obtinendam.

XVI. *Objic. Quævis minima attritio in justo meretur augmentum gratiæ & gloriæ, ergo à fortiori remissionem plurimorum venialium.*

Dices tertiò: Attritio etiam maximè remissa, si ab homine in gratiâ constituto eliciatur, meretur augmentum gratiæ, & gloriam, sed hoc in æstimatione morali est majus præmium, quàm remissio, etiam plurimorum venialium, ergo & horum omnium remissionem merebitur. Respondetur: Si actus iste attritionis ad remissionem venialium peccatorum tanquam ad præmium adæquatum applicaretur, tunc argumentum habere vim, sicut & sufficeret ad pœnæ totius temporalis, vel peccato mortali remisso, vel venialibus debitæ relaxationem, cùm tamen jam præcipuus valor ipsius impendatur in merito præmii essentialis gratiæ & gloriæ, non est ita aptus actus ille ad merendum de facto remissionem venialium.

XVII. *Objic. Ergo attritio meri omnino nequit remissionem peccati ullius venialis.*

Dices quartò: Ergo non omnino de condigno mereri potest actus attritionis remissionem, vel omnium, vel ullius peccati venialis; quando enim habet præmium sibi adæquatum, non potest de condigno mereri aliud. Contra: Ergo nec contritio mereri poterit remissionem peccati alicujus venialis, quod tamen admittunt passim ii, qui negant attritionem sufficere ad remissionem venialis.

XVIII. *Actus præter præmium essentiale mereri potest aliquid accidentale.*

Respondetur itaque, meritum præmii essentialis non obstare, quo minùs possit etiam actus mereri aliquid accidentale: sic etiam secundùm adversarios actus attritionis meretur de condigno remissionem partis pœnæ temporalis, peccatis in igne purgatorio debitæ: sic actus ejusdem prorsus intentionis in viâ elicitus ab homine & Angelo meretur quidem præmium essentiale idem, æqualem scilicet visionem beatificam, & tamen actus ille in homine ulteriùs meretur remissionem pœnæ temporalis, gloriam corporis, & alia, ergo & mereri poterit remissionem alicujus peccati venialis, absque eo quòd minuatur præmium essentiale, sunt namque hæc præmia diversæ rationis.

XIX. *Si quis sigillatim de singulis venialibus qua consistetur, singulos actus attritionis eliciat, peccata illa non tolluntur per absolutionem.*

Dices quintò: Saltem sequitur, si quis sigillatim doleat de peccatis venialibus, quæ confitetur, eliciendo attritionem de singulis, ea nunquam tolli per formam absolutionis. Esto, hoc etenim concedunt adversarii de contritione de iisdem, aut etiam de mortalibus elicita. Cùm ergo ejusmodi attritio de singulis in particulari non magis requiratur ad confessionem venialium, quàm contritio ad confessionem eorundem, aut mortalium, nullum inconveniens hic sequitur quod ibi ab omnibus non admittatur, imo non censeatur inconveniens.

XX. *Per alios etiam actus bonos mereri justus potest remissionem peccati venialis.*

Sexta conclusio: Existimo cum Scoto in 4. dist. 21. quæst. primâ, Coninck disp. secundâ, dub. decimo quarto, num. centesimo vigesimo nono, & probabile putat Suarez disp. 11. sect. 3. num. vigesimo primo, per alios etiam actus bonos mereri hominem justum posse remissionem peccati venialis, præsertim si in eum finem referantur ab operante, & per attritionem aliquam imperfectam antea fuerit peccatum illud aliquo modo retractatum. Hoc ultimum addo ob auctoritates sectione primâ allatas, ubi ostensum est nullum peccatum neque parvum neque magnum posse sine Pœnitentiâ remitti. Probatur itaque conclusio; hæc enim opera sunt æqualia illi præmio, cùm ergo ad illud obtinendum referantur, non est cur non obtineant.

XXI. *Objic. Hinc sequi peccatum veniale remitti per partes.*

Dices cum quibusdam recentioribus contrarium opinantibus, hinc sequi peccatum veniale remitti per partes: Ponamus enim peccatum aliquod veniale esse compensabile per quatuor jejunia, sicut paulatim & successivè ponuntur jejunia, ita paulatim etiam & successivè tollitur peccatum, cùm post unum jejunium peractum non habeat Deus tantum fundamentum irascendi, atque antea, & sic de cæteris, cùm ergo fundamentum iræ & indignationis divinæ sit peccatum, si illud minuatur, minuitur peccatum.

XXII. *Sed contra, nam in multis rebus humanis contrarium sæpissimè cernitur.*

Sed contra: Quando enim præmium aut aliud hujusmodi proponitur ob res varias successivè ponendas, licèt illæ ponantur successivè, præmium tamen successivè non obtinetur, sed totum simul: sic si quis eâ lege vendat prædium, modò intra annum tot nummos solvat, tertio quoque mense solvendo quartam partem, non propterea pervenit tunc in ipsius potestatem quarta pars prædii, sed totum simul in fine anni, toto pretio persoluto. Quod clariùs constat, si præmium sit aliquid indivisibile, ut si Rex dignitatem alicui, aut officium promittat, vel remissionem offensæ militanti per annum, aut cursu vincenti in stadio, non sicut ille successivè currit aut militat, ita aliquid præmii illius meretur, sed si vel post medium annum militare cingulum deponat, aut in medio cursu subsistat, nihil merebitur. Idem ergo esset hic de remissione peccati venialis, si valorem unius jejunii excedat; nec enim remitteretur nisi quatuor jejuniis positis, sed illa tantùm habebunt præmium suum essentiale, augmentum scilicet gratiæ & gloriæ.

XXIII. *Objic. Ex dictis sequi, aliqua saltem peccata venialia tolli ante formam absolutionis.*

Tandem notandum circa objectionem, quæ fieri posset contra quintam conclusionem, nempe sequi, si non omnia, aliqua saltem venialia per attritionem remitti ante formam absolutionis, & consequenter omnia peccata venialia non cadere sub Sacramentum Pœnitentiæ, quod proinde frustra institutum esset ad illa remittenda. Respondetur, esto fortè nunquam contingat, per attritionem, etiam generalem & remissam, confessionem præcedentem, non remitti aliquod veniale, non tamen frustra institutum esse Pœnitentiæ Sacramentum ad eorum remissionem; etsi

etsi enim omnia ab eo remitti non possint, potest tamen quodvis, quod sufficit: sicut non propterea ignis frustra habet virtutem ad omnes formas ignis, vel calores in nostrâ materiâ receptibiles, licèt omnes nunquam possit producere, cùm sint infinitæ; sufficit enim quòd quamvis ex iis formis, aut quemlibet calorem possit producere, Deo ad individuationem ibi determinante in productione, sicut hîc in remissione.

SECTIO QUINTA.

De remissione venialium ex opere operato.

I. *Peccata venialia dupliciter remitti dicuntur ex opere operato.*

DUPLICITER ex opere operato dicuntur à Theologis venialia tolli: primò & præcipuè per Sacramenta, secundò per Sacramentalia, quæ sunt actiones quædam & cæremoniæ sacræ ab Ecclesiâ ad hoc & alia munera usurpatæ.

II. *Per aliqua saltem Sacramenta peccata venialia tolluntur ex opere operato.*

Dico primò: Venialia tolluntur ex opere operato per Sacramenta, saltem aliqua: de Baptismo non est dubium, cùm Concilium Florentinum, & Tridentinum dicant effectum Baptismi esse remissionem omnis culpæ & pœnæ. De Pœnitentiâ idem docet Concilium Tridentinum sessione 14. cap. quinto, ubi etsi doceat, citra peccatum reticeri in confessione posse peccata venialia, ait tamen illa esse materiam illius sufficientem, & utiliter in confessione aperiri. Præterea de Extremâ-Unctione idem communiter docent Theologi ob illud Jacobi quinto, ubi de Extremâ-Unctione dicitur: *Et si in peccatis fuerit dimittentur ei*: & Concilium Tridentinum sess. 14. capite & canone secundo de Extremâ-Unctione ait, illius effectum esse remittere peccata, quæ licèt multi & probabiliter intelligant de mortalibus, quæ simpliciter per peccata intelliguntur, imo Bellarminus de Extremâ-Unctione capite octavo dicat improbabiliter restringi ad sola venialia, nec esse tutum, tum ratione formæ, *Quicquid deliquisti*, tum quia Sanctus Jacobus dicit: *Si in peccatis fuerit dimittentur ei*, cùm tamen sine peccatis venialibus vix ullus sit, dicente eodem Apostolo: *In multis offendimus omnes*; nil tamen obstat quo minùs ad venialia etiam hæc extendi possint. Unde per reliquias peccatorum, quas tolli docet per hoc Sacramentum Concilium Tridentinum capite secundo citato, ait Bellarminus capite illo octavo, & alii intelligi peccata, sive mortalia, quæ simpliciter talia nuncupantur, sive venialia.

III. *Eucharistiâ etiam peccata venialia remittere constans est Doctorum sententia.*

De Eucharistiâ similiter asserunt Theologi cum Sancto Thoma eam remittere venialia, & habetur in Concilio Tridentino sessione decimâ tertiâ, capite secundo: canone etiam quinto damnat eos, qui dicunt, vel unicum vel præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum: quâ auctoritate licèt aliqui, & meritò, sicut etiam illâ proximè allatâ de Extremâ-Unctione utantur ad probandum Sacramenta vivorum aliquando per accidens remittere peccata mortalia & conferre primam gratiam, cùm per peccata simpliciter plerumque intelligantur mortalia, non tamen est cur illa non intelligantur etiam de venialibus, dicente Sancto Joanne Epistolâ primâ, capite primo: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus*, &c. & statim pòst subdit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus*, &c. quæ juxta Sanctum Augustinum & alios intelliguntur etiam de venialibus.

IV. *Confirmationem etiam, Ordinem, & Matrimonium tollere peccata venialia, communis est Theologorum sententia.*

De Confirmatione, Ordine, & Matrimonio major est difficultas, unde Soto, & alii nonnulli negant hanc iis inesse vim, ut tollant venialia. Communis tamen sententia affirmat, quam satìs insinuat Sanctus Thomas hîc, quæst. 87. articulo tertio, corpore. Ratio autem congrua hujus rei adduci potest, quia singula Sacramenta ordinantur ad sanctificandum hominem in ordine ad aliquem finem particularem, ad quem etiam specialia auxilia fini illi proportionata conferunt; cùm ergo aliqua peccata venialia fini illi peculiariter opponantur, eúmque impediant, sicut Sacramenta media ad finem illum obtinendum subministrabant, ita & impedimenta quæ illius consecutioni officiunt, tollunt.

V. *Quanam dispositio ad venialium per hæc Sacramenta remissionem sit necessaria.*

Circa dispositionem ad remissionem venialium requisitam, licèt Suarez, Henriquez, & alii nonnulli dicant sufficere, ut quis non habeat actualem illorum complacentiam ad hoc ut remittantur in Sacramento; veriùs tamen est, quod diximus sectione primâ, nullum unquam peccatum veniale, saltem in hac vitâ, sine dolore seu pœnitentiâ, saltem virtuali remitti: si enim in pœnitentiâ, ut remittantur venialia, requiratur dolor cùm judicialiter in eâ remittantur, certè non apparet ratio, cur minor dispositio requiratur in aliis Sacramentis, cùm Pœnitentia peculiariter ad eorum remissionem ordinetur.

VI. *Peccata omnia venialia, quæ quis cum minimo etiam dolore confitetur, tolluntur per Sacramentum Pœnitentiæ.*

Omnia ergo peccata venialia, quæ quis cum illorum dolore, etiam minimo confitetur, delentur per hoc Sacramentum: ea verò quæ non subjiciuntur clavibus, & consequenter judicialiter non remittuntur, quia non aperiuntur in confessione, non tolluntur semper omnia, sed plura vel pauciora pro diversitate doloris ac dispositionis, Deo in particulari determinante, quæ hic & nunc sint remittenda, si sint multa, sicut gratia & alii effectus Sacramentales juxta eandem dispositionem semper conferuntur. Unde Sacramentum Pœnitentiæ dupliciter tollit peccata venialia, primò formaliter & directè, quatenus sunt illius materia; secundò materialiter, quatenus scilicet Sacramentum Pœnitentiæ, cùm sit Sacramentum, convenit cum aliis Sacramentis, quorum etiam effectus unus inter alios est, remittere peccata venialia, ut diximus. Quando verò quis, etiam cum dolore de omnibus venialibus accedit ad aliquod ex Sacramentis vivorum, non remittuntur semper omnia, Extremam unctionem excipio, quæ ad delenda peccata venialia specialiter instituta est, ut diximus, & mihi non improbabile videtur de Eucharistiâ, cujus summæ dignitati & excellentiæ hoc specialiter tribuendum videtur.

VII. *Objic. Mortalia omnia remittuntur in Sacramento pœnitentiæ, ergo & omnia venialia.*

Nec refert si quis arguat, mortalia omnia remittuntur in Sacramento Pœnitentiæ, etiamsi quis multorum obliviscatur, & consequenter non subjiciat clavibus, ergo & venialia omnia; licèt aliqua solùm clavibus subjiciantur: item quodvis Sacramentum vivorum per accidens tollit omnia mortalia, ergo & venialia. Negatur enim utraque consequentia: ratio disparitatis est necessaria connexio remissionis unius peccati mortalis pro hoc statu cum remissione alterius, ob gratiam sine qua nullum remittitur, cùm ergo hæc Sacramenta, ubi non inveniunt obicem, conferant gratiam, consequenter tollunt omnia mortalia peccata, at verò inter venialia in remissione non est illa necessaria connexio, cùm nullam oppositionem habeant cum gratiâ.

Quoad

VIII. *Duo sunt Sacramentalium genera.*

Quo ad secundum de Sacramentalibus, notandum illa esse in duplici differentiâ; quædam enim, quæ maximè propriè dicuntur Sacramentalia, quia ab Ecclesiâ in Sacramentorum administratione adhiberi solent, ut Exorcismus, unctio in vertice, &c. habent verum aliquem effectum, ut notat Sanctus Thomas tertiâ parte, quæstione septuagesimâ primâ, articulo tertio, nam per Exorcismum in Baptismo adhiberi solitum pellitur, inquit, potestas dæmonis, aperiuntur aures Catechumeni ad audiendum Evangelium, &c. Unde etiam, ut ait Sanctus Augustinus: *Exsufflantur & exorcizantur parvuli, ut pellatur ab iis dæmonis potestas inimica.* Aliæ verò etiam Ecclesiæ cæremoniæ vocantur Sacramentalia, licèt non semper, aut non solùm in Sacramentorum usu adhiberi soleant, ut oratio Dominica, confessio generalis, quæ in Missâ adhiberi solet, benedictio Episcopalis, tunsio pectoris, aqua benedicta, panis benedictus, unctiones quædam, oratio in Ecclesiâ consecratâ, eleëmosyna.

IX. *Pradicta Sacramentalia quinque effectus sortiuntur.*

Hæc & præcedentia, licèt gratiam non conferant, quinque tamen præcipuè effectus, non omnia omnes, sed singula singulos aut plures sortiuntur. Primus effectus est remissio peccati venialis: secundus excitatio motus alicujus pii: tertius remissio pœnæ temporalis: quartus repressio dæmonis: quintus operatio sanitatis. Difficultas autem in præsenti solùm procedit de primo effectu, & quærimus utrùm illa ex his Sacramentalibus, præcipuè aquâ benedictâ, cui præ cæteris tribui hic effectus solet, remittat immediatè peccata venialia, an tantùm excitando motum aliquem pium, ad hunc effectum conducentem?

X. *Probabile videtur hac Sacramentalia, præcipuè aquam benedictam, habere vim tollendi peccata venialia.*

Dico itaque secundò: Mihi hac in re probabile videtur, quod docet Bellarminus lib. secundo de Sacramentis in genere, Valentia, Sotus, Henriquez, & alii, Sacramentalia, saltem aliqua, in primis verò aquam benedictam, ex precibus Ecclesiæ in eorum benedictione adhiberi solitis, habere vim, saltem per modum impetrationis (id est non certâ lege, & infallibiliter, sicut nec infallibiliter Exorcismi Ecclesiæ habent, ut dæmonem expellant) ad remittenda peccata venialia. Probatur primò ex Alexandro primo, capite *Aquam* de consecratione, ubi sic habet: *Aqua sale aspersa divinisq; precibus sacrata, populum sanctificat & mundat:* & paulò post: *Sal divinis precibus sacratus coinquinatos sanctificat, mundat, purgat*, &c. qui modi loquendi plus innuere solent quàm piorum motuum excitationem. Item Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. dicit multis aliis modis, quàm per Sacramentum Pœnitentiæ tolli peccata venialia, ubi loquitur de remediis ordinariis & immediatis, nam multa alia remedia mediata suppetunt in Ecclesiâ pro remissione mortalium.

XI. *Probabile nihilominus est, pium aliquem motum hic saltem concomitanter requiri.*

Probabile tamen est, saltem concomitanter requiri pium aliquem motum ad hoc, ut Sacramentalia hunc effectum operentur, qualis est actualis reverentia in Deum, aut aliud hujusmodi, & quod aliqua saltem peccatorum retractatio præcesserit, per quod salvatur nunquam remitti veniale peccatum sine aliquâ gratiæ infusione: minor tamen dispositio cum his Sacramentalibus sufficiet ad venialium remissionem, quàm sine illis, quo modo explicari potest Sanctus Thomas hic, quæst. 87. art. tertio, dum dicit Sacramentalia, peccata remittere excitando bonum aliquem motum.

XII. *Nulla apparet ratio, cur non aquè possit Ecclesia instituere remedia ad tollenda peccata venialia, atque ad infusionem alicujus pii motus.*

Dices: Non habet Ecclesia auctoritatem remittendi peccata venialia immediatè; ergo non potest instituere hujusmodi remedia, quibus illa tollat. Contra, quare non æquè per modum impetrationis poterit Ecclesia obtinere immediatè remissionem peccati alicujus venialis, ac infusionem immediatam pii alicujus motus; certè major videtur ratio alterius quàm hujus, cum orationes Ecclesiæ in illarum rerum benedictionibus eò videantur tendere; diriguntur enim ad Deum, ut per res illas consecratas dignetur homines mundare, sanctificare, &c. quæ directè & propriè sonant sordium ablationem.

SECTIO SEXTA.

An sit possibilis forma physicè expellens peccata venialia.

I. *Supponit quæstio possibilem esse formam physicam repugnantem formæ morali.*

Hæc quæstio procedit in illâ suppositione, quod scilicet dari possit forma physica habens repugnantiam cum mortali, qualem multi statuunt gratiam habitualem & unionem hypostaticam respectu peccati mortalis: quo in præsenti admisso, quærimus, an dari possit forma aliqua physica, quæ talem habeat oppositionem cum uno vel omnibus venialibus, qualem gratia & unio hypostatica in hac sententia habent cum mortalibus.

II. *Unio hypostatica cum omni peccato veniali est physicè incompossibilis.*

Dico primò: De facto dantur formæ aliquæ physicè incompossibiles cum omni peccato veniali. Probatur: In primis enim unio hypostatica nullum secum patitur, non mortale tantùm, sed nec veniale peccatum, cùm sit sanctitas perfectissima, & quâ major excogitari rationabiliter non possit. Deinde idem docent Theologi de visione beatificâ, quam ita sanctificare asserunt, ut nullam secum maculam, etiam levem patiatur, quod etiam dicitur de amore Dei in patriâ.

III. *Non repugnat forma, qua informando animam, unius peccati venialis destructionem petat, non alterius.*

Dico secundò: Non implicat forma aliqua, seu qualitas, quæ animam informando petat destructionem unius peccati venialis, & non alterius, saltem specie distincti, quæ pugnet cum mendacio levi exempli gratiâ, & non cum vanâ gloriâ, ita recentiores aliqui, & in particulari P. Herice primâ parte, disp. 17. cap. secundo, hoc tribuens actioni diversæ, quâ gratiâ producitur, unde ait eandem numero gratiam aliâ & aliâ actione productam, habere oppositionem cum uno peccato veniali, non alio, non quidem ratione termini producti; hic enim idem numero esse potest, nempe eadem gratia, sed ratione principii, Dei scilicet volentis hoc peccatum remittere, non aliud specie distinctum; ac proinde voluntas Dei remittendi unum peccatum est specie, saltem virtualiter, diversa à voluntate remittendi aliud; cùm itaque, inquit ipse, juxta communem Philosophorum doctrinam actio respiciat & terminum, quem producit, & principium, à quo procedit, ad variationem specificam actionis sufficit variatio specifica vel unius vel alterius, cùm ad utrumque referatur essentialiter.

IV. *Hoc non incommodè explicari potest per actionem productivam ubicationis.*

Hoc ulteriùs mihi videtur explicari posse secundùm communem sententiam Philosophorum, qui actionem qua producitur ubicatio Leodiensis exempli gratiâ, dicunt essentialiter esse affixam Leodio, & habere essentialem oppositionem

cum omni aliâ ubicatione, sortiriq́ue eandem omnino naturam cum suo termino, cui essentialiter affigitur; cùm ergo actio, quâ hîc & nunc producitur gratia, non minorem habeat connexionem cum suo principio formali, nempe voluntate remittendi peccatum hoc veniale, quàm productio ubicationis cum ubicatione, non minorem etiam oppositionem habebit cum veniali peccato, quàm voluntas illa habet, quæ, ut constat, essentialiter ei opponitur. Unde in hoc differt à gratiâ quam producit; hæc enim stare posset cum peccato illo veniali, actio verò minimè, non magis quàm talis Dei volitio.

V. *Ostenditur dari posse actionem realiter distinctam respectu diversa virtualis voluntatis divinæ.*

Quòd verò ratione diversæ virtualis volitionis divinæ seu principii formalis, possit dari diversa actio eam essentialiter respiciens, inde probabiliter suadetur; multæ enim dantur creaturæ specie distinctæ, quæ peculiariter sunt participationes diversorum attributorum Dei, & inde speciem videntur desumere, cùm tamen attributa Dei non distinguantur nisi ratione, & ad summum secundùm quandam virtualitatem: unde à fortiore actio poterit hoc modo per diversam virtualem volitionem distingui, cùm respicientia modorum sit omnium strictissima. Deinde juxta probabiliorem opinionem, quæ statuit præcisiones objectivas in rebus respectu intellectus, possunt dari actus specie distincti respectu ejusdem realis entitatis: sic actus quo quis præcisivè concipit animal, specie distinguitur ab actu quo concipitur rationale, licèt animal & rationale realiter non distinguantur.

VI. *Non implicat forma absoluta, quæ opponatur uni peccato veniali non alii specie distincto.*

Hæc sententia sic explicata est probabilis: dico tamen mihi non videri implicare formam etiam aliquam absolutam, quæ uni peccato veniali opponatur, non alii specie distincto, illudque à subjecto expellat. Ratio est primò: Si namque res aliqua modalis habere possit hanc oppositionem, quidni etiam res absoluta. Deinde nulla apparet hujus rei implicantia, nec ullum sequitur inconveniens ex eo quod hujusmodi forma sit possibilis, ergo, &c.

VII. *Dari etiam potest forma habens oppositionē cum uno peccato veniali non alio ejusdem speciei.*

Dico tertiò: Videri etiam mihi probabilius, non implicare formam aliquam, vel modalem, vel absolutam, quæ oppositionem habeat cum uno peccato veniali non alio ejusdem speciei, ut cum hoc mendacio levi, non illo. Quoad modalem hoc tenet P. Herice citatus, quia eodem modo hîc procedit de actione productivâ gratiæ ex volitione Dei expellendi hoc peccatum veniale, & cras expellendi aliud simile, numero tantum distinctum; sicut enim volitiones specie distinctæ sunt principia actionum specie distinctarum, à quibus essentialiter respiciuntur, ita volitiones numero distinctæ erunt principia actionum numero distinctarum, quæ eandem ac volitiones à quibus procedunt, cum peccatis venialibus numero distinctis oppositionem habebunt. Quoad formam verò absolutam, eodem modo probanda est conclusio, sicut priorem proximè probavimus.

VIII. *Objic. Ergo non potest quis postea simile peccatum veniale committere.*

Dices: Hinc sequi hoc inconveniens, nempè quòd vel non possit quis postea committere tale peccatum, vel deperdere aliquid sanctitatis internæ per peccatum veniale, quorum tamen neutrum dici debet. Respondetur primò: Aliud esse utrùm sit possibilis ejusmodi qualitas, aliud utrùm de facto detur; illa enim quam posuimus conclusione præcedente oppositam tali speciei peccatorum venialium, licèt sit possibilis, de facto tamen non datur. Respondetur tamen secundò: quoad hoc argumentum nil obstare, quo minùs detur de facto illa qualitas, neutrum enim inconveniens sequitur, solùm namque opponitur huic numero peccato, cum autem aliunde sit determinatus homo ad non eliciendum amplius eundem numero actum semel destructum, nempe vel à naturâ ipsius actus, vel à circumstantiis, vel Causâ primâ, nullum hinc oritur incommodum.

Hæc verò qualitas, si à gratiâ distinguatur, supponit gratiam habitualem in animâ, ita ut nisi illâ præsuppositâ connaturaliter infundi non possit: nec quoad hoc est major difficultas, quàm de condonatione extrinsecâ peccati venialis, quam dicunt omnes concedi connaturaliter non posse, nisi homini qui caret peccato gravi, ut supra vidimus, Sectione primâ. Deinde per se & solitariè sumpta illa qualitas, licèt sit quid supernaturale, non tamen est sanctitas, sed ad summum affectio quædam, & modificatio sanctitatis præcedentis; illa enim sola forma est sanctitas, quæ pugnat cum peccato mortali, non autem quæ cum solo veniali; sicut enim solum mortale peccatum est mors animæ, ita illa sola forma, quæ illud expellit, est illius vita, non quæ expellit veniale.

IX. *Hæc qualitas supponit gratiam habitualem.*

Dico quartò: Videri mihi probabile, possibilem esse gratiam habitualem, quæ ex naturâ suâ habeat oppositionem non cum mortali tantùm peccato, sed venialibus, ita ut hæc numero gratia opponatur mortalibus omnibus, & huic veniali, illa mortalibus & alteri veniali, & sic de cæteris, sicque hæc gratia in se identificatas habebit perfectiones & gratiæ habitualis, quæ merè opponeretur peccatis mortalibus, & illius qualitatis quæ soli huic vel illi veniali, sicut qui non distinguunt gratiam à Charitate, dicunt eam inse habere identificatas perfectiones utriusque qualitatis, & in quantum tollit peccata mortalia, & dat jus ad gloriam, esse gratiam, in quantum est principium effectivum actuum amoris Dei, esse Charitatem. Inter illam ergo gratiam habitualem, quæ solùm repugnat mortalibus peccatis, & hanc quæ repugnat etiam venialibus, vel omnibus, vel uni alicui erit substantialis diversitas, esto in intensione graduum sint æquales, sicut & ejusmodi diversitas reperitur inter gratiam, quæ omnibus mortalibus & huic veniali repugnat, & inter aliam, quæ mortalibus & alteri opponitur.

X. *Possibile est gratia habitualis, quæ habeat oppositionem cum uno peccato veniali, non cum alio.*

Quod autem hæc inæqualitas substantialis in qualitatibus, ubi in gradibus intensionis est æqualitas, non sit nova in scholis probatur: inprimis enim aliqui id affirmant de luce corporum cœlestium & sublunarium, qui proinde dicunt Solem sive per suam substantiam, sive per lucem producat lucem in rebus sublunaribus, esse aliquo modo causam heterogeneam & æquivocam illius. Idem alii affirmant de intellectu & voluntate & aliis potentiis Angelorum, si ab ipsorum substantiâ distinguantur, & plurimi de speciebus quæ iis in primâ creatione infusæ sunt, nempe non solùm intensiores uni infundi, quàm alteri, sed & substantialiter diversas. Tandem in visionibus beatificis, & consequenter in lumine gloriæ, quod est earum principium, ejusmodi differentiam statuunt plurimi, & nonnulli etiam in gratiâ habituali, quam sententiam præter alios tenet Cardinalis Lugo disp. sextâ de Incarnatione, sect. secundâ, num. quadragesimo sexto, qui proinde dicit diversis actibus virtutis in intensione æqualibus, & solùm quoad perfectionem, substantialem diversis, non intensiorem, sed substantialiter perfectiorem gratiam, & consequenter

XI. *Declaratur quo pacto detur substantialis inæqualitas in qualitatibus intensivè æqualibus.*

gloriam

gloriam deberi, sicque duos homines qui æquales sunt quoad numerum graduum in gratiâ, posse tamen habere gratiam inæqualem, & unum excellentius præmium altero, quia habet præmium substantialiter perfectius, quidni ergo & dari poterit gratia habitualis, quæ ex individuali suâ ratione peculiarem dicat repugnantiam cum veniali aliquo peccato, imo & cum uno, & non cum alio.

XII. *Objic. Omnino repugnare videtur dari formam, quæ uni veniali repugnet, non alteri.* Dices, omnino repugnare videtur ut detur forma, quæ pugnet cum maculâ unius venialis, & non alterius, mendacio levi exempli gratiâ, quod hodie committitur, non quod eras, licèt priori sit simile; cùm enim hæ maculæ sint morales, non physicæ, non apparet quomodo possit forma aliqua uni repugnare non alteri.

XIII. *Resp. Ostendendo hoc nullo modo repugnare.* Respondetur negando antecedens: Esto enim hæ maculæ sint morales, est tamen aliqua inter illas diversitas: unde quando peccata hæc existebant à parte rei, res aliquæ etiam physicæ ad unum terminari poterant, quæ non poterant terminari ad aliud, ut actio, ubicatio, duratio, &c. imo & visio intuitiva, & relatio in sententiâ eam à fundamento & termino distinguente. Deinde, sicut sufficiens diversitas inter ea reperitur, ut possit condonatio Dei extrinseca ad unum terminari, non ad aliud, quidni etiam ut unum & non aliud pellatur per formam intrinsecam: certè si admittatur, quod admittunt adversarii, formam physicam posse physicè pugnare cum morali, nulla apparet ratio, cur non possit cum unâ re morali pugnare non cum aliâ, sed cum illâ stare in eodem subjecto.

XIV. *Objic. Ergo & in gradibus caloris & frigoris idem potest contingere.* Dices secundò: Si possit dari qualitas repugnans uni veniali non alteri, ergo & unus gradus caloris qui repugnet uni octavo gradui frigoris non alteri, sed illum patietur secum in eodem subjecto. Respondetur, nullam hîc esse paritatem; quotidianâ enim experientiâ videmus esse simul plura peccata venialia, & unum posse tolli sine aliis, & consequenter cùm sit finis aliquis cur unum veniale tollatur sine aliis, ita & cur sit possibilis forma aliqua, per quam hoc modo tollantur: at verò nunquam videmus duos octavos gradus caloris, aut alterius qualitatis esse simul in eodem subjecto, nec posse tolli unum ejusmodi gradum sine alio, unde nullus est finis cur detur aliqua qualitas ordinata ex naturâ suâ ad unum octavum gradum expellendum, non alium.

XV. *Aliunde ostenditur tales gradus in qualitatibus repugnare.* Ratio autem hujus ulteriùs est, quia subjectum tantùm est capax octo graduum, & consequenter si inducatur primus gradus contrariæ qualitatis, octavus hujus debet perire; imo omnis octavus, alioqui essent simul novem gradus in subjecto. Quòd si in aliâ serie rerum essent possibilia alia qualitatum & dispositionum temperamenta, non video cur dari etiam ibi non possent qualitates, quæ his numero opponerentur non illis, si sit aliquis finis in naturâ, qui tamen ægrè potest excogitari, cùm nihilominus in nostro casu sit finis; sicut enim non negabunt adversarii esse possibilem qualitatem repugnantem omnibus venialibus, quia est finis cur omnia simul tollantur, ita cùm sit finis cur unum tollatur sine alio, est etiam finis cur sit possibilis qualitas, per quam hoc fiat intrinsecè, æquè ac aliquid per quod fiat extrinsecè.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrùm peccata venialia de facto tollantur per formam inhærentem.

I. *Status quæstionis proponitur.* HOc est, Utrùm vel gratia habitualis, vel alia forma animæ inhærens ad tollendum peccatum veniale sit necessaria, ita ut nisi ejusmodi formâ positâ, nec tollatur de facto peccatum veniale, nec tolli possit.

II. *Peccatum veniale in Sacramento nunquam remittitur sine infusione gratiæ.* Prima conclusio: Nunquam in Sacramento remittitur peccatum veniale sine infusione gratiæ, saltem concomitanter se habente: ita omnes communiter. Ratio videtur clara, nam vel qui accedit ad Sacramentum per quod remittitur veniale peccatum, est justus vel non, si non, ergo cùm veniale remitti requeat sine mortali, neque hoc sine infusione gratiæ, sequitur nec veniale sine eâ remitti: si primum, ergo recipit augmentum gratiæ; Sacramenta enim cùm instar agentium naturalium sint, semper dant gratiam ubi non reperiunt obicem, ergo nunquam in Sacramento remittitur veniale peccatum sine infusione gratiæ.

III. *Verisimilius etiam est, peccata venialia extra Sacramentum in hac vitâ nunquam sine infusione gratiæ remitti.* Secunda conclusio: Probabiliùs etiam videtur, neque extra Sacramentum in hac vitâ remitti venialia sine infusione gratiæ. Ratio est similis præcedenti: Vel enim remittuntur simul cum mortali per contritionem, vel homini justo per attritionem & alios actus virtutum, sine quibus nec per Sacramentalia remittuntur, ut diximus: si primum, ergo infunditur prima gratia, si secundum, illius augmentum, cùm omnia opera supernaturalia hominis justi sint augmenti gratiæ meritoria, ergo.

IV. *Gratia tamen habitualis non est causa formalis expellens peccatum veniale habituale.* Tertia conclusio: Gratia habitualis, nec in primâ infusione, nec augmento est causa formalis expellens peccatum veniale habituale: ita Suarez hîc, disp. undecimâ, sect. secundâ, & lib. septimo de gratiâ, cap. vigesimo quarto, Coninck disp. primâ, dub. sexto, & alii plurimi contra Vasquez primâ secundæ, disp. 207. cap. quarto, Turrianum de justificatione, disp. undecimâ, & paucos alios. Sermo est de gratiâ habituali, quæ præcisè dat jus ad visionem beatificam tanquam semen gloriæ, & ex conceptu suo merè sanctificat, & consequenter expellit peccata omnia mortalia: utrùm enim dari possit aliqua gratia, quæ præter hunc conceptum dandi jus ad gloriam, peculiariter etiam opponatur venialibus, vel omnibus, vel aliquibus, videbimus sectione sequente. Probatur itaque conclusio; una etenim res non expellit aliam per modum formæ inhærentis, nisi in quantum habet oppositionem & repugnantiam cum illâ, sed gratia, in quacumque etiam intensione nullam habet cum peccato veniali oppositionem, quod patet, nam justus habens gratiam, etiam intensissimam, peccare potest venialiter, nihil deperdendo ex gratiâ habituali, ergo gratia habitualis non habet repugnantiam cum peccato veniali, nec ei tanquam forma formæ opponitur.

V. *Dices: Gratia ut confertur ex tali intentione opponitur peccato veniali.* Nec satisfacit si dicas cum Vasquez citato, hoc solùm probare gratiam secundùm se non opponi peccato veniali, quo tamen non obstante oppo-ni potest ut confertur ex intentione Dei, tollendi peccatum illud veniale. Sed contra: Nam ut optimè Suarez capite illo vigesimo quarto, hoc perinde est ac si quis diceret intentionem,

seu decretum Dei opponi peccato veniali, & eodem modo posset habitus Fidei aut Spei, vel attritio esse causa formalis expulsionis peccati venialis, si ex tali intentione Dei infunderentur.

VI. *Gratia ex tali intentione data, esset causa tantùm moralis, non physica expulsionis peccati venialis.*

Gratia itaque in hoc casu ad summum dici posset forma moralis expulsiva peccati venialis, non physica, cùm physicè, & secundùm entitatem intrinsecam non habeat cum eo oppositionem, siquidem nullâ illatâ gratiæ vi posset stare cum illis peccatis venialibus, sicut connaturaliter stat cum similibus postea commissis. Unde ut notant omnes circa potentiam obedientialem, non potest res elevari in genere causæ formalis ad effectum quem naturâ suâ non est apta nata præstare: & ratio est clara, quam posuimus in physicis disp. 27. & de Sacramentis in genere, disp. 64. nam effectus formalis nihil aliud est, quàm entitas formæ & entitas subjecti & unionis, & consequenter hic effectus est usquequaque intrinsecus: unde etsi causa efficiens elevari possit ad plures effectus, ad quos nullam habet proportionem, cùm hæc elevatio fiat extrinsecè per concursum causæ potentioris efficientis, quæ ex conceptu suo concurrit extrinsecè, causa tamen formalis physica non hoc modo concurrit, & si posset causa formalis elevari ad alium effectum quàm ex naturâ suâ postulat, posset albedo elevari ad denominandum subjectum nigrum, vel saltem dulce, aut lucidum, vel hujusmodi aliâ denominatione disparatâ, quod nullus concedet.

VII. *Objic. Iusto in Sacramentis remittuntur peccata venialia remittuntur intuitu gratiæ.*

Dices: Quando homini justo in Sacramentis remittuntur peccata venialia, remittuntur intuitu gratiæ, ergo gratia in genere causæ formalis, ea expellit; expellit enim illa informando animam. Contra: Ergo si Deus intuitu actus aut habitus Fidei, Spei, vel attritionis etiam naturalis remitteret peccatum veniale, dicerentur hæc tollere peccatum illud in genere causæ formalis physicæ, quod nemo dicet. Ratio autem est, quia ad effectum in genere causæ formalis physicæ præstandum, non sufficit formam illam informare subjectum, sed ulteriùs requiritur, ut secundùm physicam suam entitatem habeat oppositionem cum formâ expellendâ, & non merè quia Deus vult; sic enim tota hæc causalitas reducitur in voluntatem Dei: sicut de conversione dici solet, quæ ut vera sit, requirit ut ipsi termini inter se opponantur, ita ut simul connaturaliter stare non possint, ut cùm frigus convertitur in calorem, lignum in ignem, &c. si autem Deus vellet ad productionem Petri aut ignis hic, destruere Paulum aut equum in Indiis, non conferetur Paulus converti in Petrum, nec equus in ignem, neque ideo merè dicitur calor expellere frigus è subjecto, quia illud informat, sed quia informat & repugnat frigori, unde si Deus intuitu caloris producti in lacte, destrueret illius dulcedinem, nec diceretur calor destruere hanc in genere causæ formalis physicæ propriè loquendo, sed tantùm in genere causæ formalis moralis, neque hæc in illum physicè converti, sed tantùm moraliter.

VIII. *Peccatum veniale tolli potest per condonationem extrinsecam.*

Quarta conclusio: Peccatum veniale tolli potest per condonationem Dei extrinsecam: ita Auctores communiter cum Sancto Thoma hîc, quæst. octogesimâ septimâ, art. secundo, docente ad remissionem venialis peccati non requiri infusionem gratiæ.

IX. *Dici probabiliter potest, peccatum veniale de facto tolli per formam intrinsecam.*

Quinta conclusio: Probabile videtur de facto remitti peccatum veniale per formam intrinsecam, sive ea gratia habitualis sit, sive aliquid aliud: ita P. Herice, dicens expelli per actionem illam respicientem talem volitionem divinam, de quâ dictum est superiùs, quamvis non ita placeat quod dicat condonari peccatum extrinsecè non posse. Probatur conclusio: Cùm enim hoc non implicet, ut ostensum est, ad hoc ut dicamus de facto ita contingere sufficit nihil ex eo sequi contra præsentem Dei providentiam, imo maximè eidem videtur conforme, cùm namque homo elevatus sit ad finem supernaturalem, nempe gloriam, congruum videtur, ut omnia etiam impedimenta illius finis per medium similiter supernaturale tollantur: cùm itaque non mortalia solùm, sed & venialia sint impedimenta ipsius finis, sicut illa, ita & hæc per hujusmodi medium tolli debent. Confirmatur: Si hoc fieri possit, cùm sit multò perfectior modus hominem reparandi, Deóque dignior, non est cur putemus nolle Deum hoc modo operari, præsertim cùm nullâ vi rebus illatâ possit.

X. *Etiam in purâ naturâ dari potest qualitas repugnans peccato veniali.*

Hinc infero: Etiam in purâ naturâ dari posse qualitatem aliquam peccato veniali repugnantem, & per quam tollatur. Imo ulteriùs videtur mihi probabile quod docet P. Herice disp. illâ decimâ septimâ citatâ, & alii nonnulli ex recentioribus, verisimile esse, dari similiter posse qualitatem aliquam naturalem, quæ sit participatio Dei tanquam auctoris & finis naturalis, quæ in eo statu repugnaret peccato mortali, sicut in hoc statu gratia est participatio ejus ut auctoris & finis supernaturalis.

XI. *Non videtur implicare qualitas, quæ repugnet uni peccato mortali, non alteri.*

Tandem dico, probabile esse non repugnare formam aliquam, quæ repugnet uni mortali non alteri, quæ proinde non perfecta, sed ad summum inchoata sanctitas dici posset; ille enim homo simpliciter esset peccator & inimicus Dei, bonum enim non nisi ex integrâ causâ, unde Deus verè adhuc hominem illum odisset, nam similiter *odio sunt Deo impius & impietas ejus*, ut dicitur Sapientiæ decimo quarto: sicut itaque non potest Deus non odisse impietatem & peccatum, ita nec potest ob hoc peccatum non odisse peccatorem, nec minùs hunc averfarètur Deus quàm alium, cui merè extrinsecè unum peccatum mortale remitteret sine alio. Quòd si Deus infundere alicui possit gratiam habitualem, unum ei peccatum mortale remittendo non reliqua, ut docet Coninck disp. secundâ de Pœnitentiâ, dub. tertio, num. trigesimo, & dub. undecimo, numero centesimo quarto, & alii, quo tamen casu simpliciter ille homo esset inimicus Dei, eique odibilis, à fortiori hoc dici deberet in præsenti.

DISPV-

DISPUTATIO OCTOGESIMA NONA.

De reditu peccatorum.

SECTIO PRIMA.

An peccata per Pœnitentiam semel remissa redeant.

I. *Status præsentis controversiæ.*

NON quærimus utrùm idem numero actus peccati, qui semel fuit productus, possit reproduci, & hoc sensu peccatum remissum redire; hæc enim difficultas communis est omnibus actibus, imo & rebus quibuscumque, de quibus universim disputant Philosophi, an semel destructæ redire naturaliter possint.

II. *Non quærimus an in peccatore post annihilationem reproducto, rediret peccata.*

Nec etiam quærimus, si Deus annihilaret hominem aut Angelum, qui peccaverat, eosque denuò reproduceret, utrùm cum iis simul redirent peccata non remissa, quæ priùs commiserant; hoc enim à multis conceditur. Nostra ergo quæstio est, utrùm peccatum semel condonatum, seu per pœnitentiam deletum, possit revivisere, & animam denuò inficere.

III. *De facto peccata semel remissa non redeunt.*

Conclusio: Peccata semel remissa de facto nunquam redeunt: ita Sanctus Thomas hîc, quæst. octogesimâ octavâ, art. primo, quem communiter sequuntur Theologi, Suarez disp. decimâ tertiâ, sect. primâ, num. quarto, Vasquez prima secundæ, disp. ducentesimâ, num. vigesimo tertio, & alii contra Hugonem Victorinum, Gratianum, & alios: nec planè abnuit Magister distinct. 22. cap. ultimo. Probatur conclusio ex Gelasio Papa capite *Divina*, dist. quartâ de Pœnitentiâ, ubi sic habet: *Divina clementia peccata semel remissa in ultionem iterum redire non patitur*: probaríque ulteriùs potest ex illo Ezechielis decimo octavo, ubi de peccatis per Pœnitentiam deletis ait Deus: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Idem expressè docet Sanctus Prosper apud Vasquez loco jam citato. Idem etiam probat Sanctus Thomas citatus in argumento: *Sed contra* ex illo ad Romanos undecimo, *Sine Pœnitentiâ sunt dona Dei.*

IV. *Quo sensu in sacris Literis dicatur Deus recordari peccatorum, quorum fuerat oblitus.*

Nec obstat quod in Scripturâ subinde dici soleat, Deum denuò recordari peccatorum, quorum antea fuerat oblitus, & alia hujusmodi; hæc enim solùm significant Deum differre ad tempus pœnas temporales peccatis illis debitas, ita ut illorum oblitus videatur.

V. *Objicitur parabola de domino prius debitum exigente à servo, qui suo conservo parcere recusaverat.*

Objectio hîc celebris est circa parabolam à Christo Matthæi decimo-octavo positam, ubi cùm dominus famulo veniam petenti, debitum dimisisset, postea cùm is conservo parcere noluisset, jussit eum dominus in carcerem detrudi, donec totum priùs debitum solvisset; & addit Christus: *Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* ergo peccata remissa redeunt.

VI. *Variæ ad hanc parabolam responsiones.*

Variæ Parabolæ hujus solutiones videri poterunt apud Suarez & Vasquez citatos. Responderi potest primò redire idem debitum quoad speciem seu substantiam, nempe pœnam & damnationem æternam, quod debitum per singula peccata mortalia incurritur: hoc tamen debitum non contrahitur ratione peccati præcedentis jam dimissi, sed ratione subsequentis & novo titulo, sicut & Dominus ille adductus in parabolâ non ob debitum jam remissum servum punivit, sed ratione illius crudelitatis in fratrem commissæ, novam ei mulctam pecuniariam priori æqualem imposuit, licèt in exemplis & parabolis non sit quærenda omnimoda paritas. Secundò addit Vasquez conformiter ad jam dicta, Deum ratione peccati crudelitatis in fratrem permittere, ut homo in tot peccata labatur, donec exæquent pœnam omnem peccatis jam dimissis debitam.

VII. *Responderi insuper potest, redire priùs debitum virtualiter.*

Tertiò dici potest, redire prius debitum virtualiter, & secundùm quid, nimirum quod ratione ingratitudinis ortæ occasione peccatorum jam dimissorum sequens peccatum sit gravius, & consequenter pœna major, etsi nullum peccatum sit, in quo hæc malitia ingratitudinis non reperiatur, cùm omne peccatum post multa à Deo accepta beneficia committatur. Quatuor verò à Sancto Thoma & Theologis numerantur peccata contra gratitudinem, ob quæ peculiariter dicuntur redire peccata modo jam dicto, nempe odium fraternum, Apostasia, omissio confessionis sacramentalis, & dolor de priori emendatione & pœnitentiâ.

VIII. *Quid velint Patres, dum dicere videntur peccata redire.*

Quoad Patres, qui frequenter asserere videntur peccata redire, dicere possumus eos aliquo ex iis modis, quibus parabolam explicuimus, esse accipiendos, sicut Sanctus Thomas quæst. octogesimâ octavâ, art. primo ad primum, explicat Sanctum Augustinum.

SECTIO SECUNDA.

An saltem divinitus revivisere possint peccata.

I. *Peccata semel remissa, nec per potentiam absolutam possunt revivisere.*

DICENDUM, nec per potentiam absolutam possunt peccata semel remissa revivisere: ita Auctores citati contra Valentiam hîc, quæst. quintâ, puncto primo, & Coninck disp. secundâ, num. centesimo quinquagesimo, & alios nonnullos.

nullos. Probatur tamen conclusio, nam ut optimè notat Suarez hic, in commentario articuli primi, nullus effectus privativus pendet in sui conservatione à duratione causæ, à quâ fuit res illa destructa, sed si semel est destructa, quantumcumque causa destruens cesset, tamdiu manebit destructa, donec iterum producatur. Cùm ergo, sive per infusionem gratiæ, sive per condonationem extrinsecam peccatum verè destruatur, & non tegatur solùm, seu non imputetur, ut volunt hæretici, ad hoc ut redeat debet iterum produci, sed homo illud iterum non producit, nisi iterum peccando, tunc autem novum peccatum committit, Deus verò non potest illud per se iterum producere, ergo.

II. *Probatur assertio exemplo ab humanis deducto.*

Secundò probatur: Nam inter homines si unus alteri debitum aut offensam remittat, postea ut velit, non potest efficere ut prior obligatio redeat, nec hominem illum sibi iterum debitorem constituere, quantumcumque millies eum remissionis factæ pœniteat. Unde licèt Deus (quod omnino implicat) esset mutabilis, possetque priorem voluntatem retractare, adhuc non posset hominem denuò constituere peccatorem, cùm hoc pendeat ab ipsâ voluntate hominis, sicque affectu solùm id vellet in eo casu impossibili Deus, non effectu. Dices, videri in hoc casu impossibili, fore peccatum habituale; esset enim actus peccati præteritus & non condonatio, hic autem est conceptus peccati habitualis, ergo. Contra hoc

III. *Ostenditur in hoc homine non dari peccatum habituale.*

Tertiò probatur conclusio: Peccatum habituale est actus præteritus non condonatus, sed hic non est actus præteritus non condonatus, ergo. Probatur minor: Ut actus præteritus denominari possit non condonatus simpliciter, nunquam debuit condonatio circa illum versari; sic enim simpliciter dici non posset non condonatus, seu nunquam condonatus, qui est conceptus peccati habitualis; si enim semel fuit actus ille condonatus, fuit etiam sublatum peccatum habituale: sicut ut offensa inter homines censeatur manere, debet nunquam fuisse condonata, & si quis post vel compensationem condignam, vel condonationem offensæ, nullâ novâ offensâ commissâ susciperet cum alio inimicitias, censeretur irrationabiliter irasci. Hoc argumentum, ut diximus, procedit, etiam admisso, quòd posset Deus voluntatem suam mutare; si enim hoc, sicut planè debet, negetur, argumentum absque omni controversiâ probat intentum.

IV. *Objic. Quidnis remitti poterit peccatum conditionatè, nempe si aliud non commiserit.*

Dices primò: Quare non potest Deus condonare alicui peccatum conditionatè, nempe si aliud non commiserit, vel si tale opus bonum post horam aut mensem fecerit, quo in casu, si denuò peccet, aut opus illud non impleat, peccatum redit, sicut inter homines liberantur aliqui à servitute sub conditione, ut ingrati dominis prioribus non sint, quod si fuerint, redit servitus, ergo & servitus peccati redire poterit ob ingratitudinem, casu quo sub tali conditione peccatum fuerit remissum.

V. *Remissio cõditionata dupliciter potest contingere.*

Respondetur, hanc remissionem conditionatam posse dupliciter contingere, primò, ita ut remissio tunc non detur, sed solùm promittatur danda tali conditione de futuro positâ, sicut Sacerdos dicens absolvo te si cras restitueris, sicut tamen in exemplo hoc verba licèt sonent præsens, re tamen vera sunt de futuro, & idem est ac si diceret, absolvam te cras ubi restitueris, & in præsenti nulla datur remissio peccati per absolutionem, ita nec in altero casu per condonationem, quæ verè tunc non ponitur, sed positâ conditione ponetur. Unde clarum est in hoc casu peccatum non reviviscere post tempus, cùm toto illo tempore intermedio perfectè extiterit.

VI. *Si peccatum semel fuerit remissum, non potest redire.*

Si tamen peccatum semel fuerit remissum, ergo fuit sublatum & destructum, sicque redire non potest, tum quia nulla est causa, quæ possit illud reproducere, tum quia ipso facto quòd semel fuerit condonatum, perdit conceptum peccati habitualis, sicque etsi quis fingat Deum postea revocare suam condonationem, adhuc non erit peccatum habituale, cùm efficere non possit ut sit actus non condonatus, seu nunquam condonatus. Aliud est de exemplo exemptionis à servitute, quæ juxta leges redit ob ingratitudinem; nec enim redit eadem servitus, sed alia, fundata in novâ voluntate, tum Domini, tum servi, & ipsius Reipublicæ. Sic etiam ratione ingratitudinis fit novum peccatum & novus titulus odii, quo Deus fertur in hominem illum, non tamen redit titulus antiquus.

VII. *Objic. Stare potest Deus dare gratiam solummodo ad tempus.*

Dices secundò: Gratia est condonatio peccati, si ergo Deus statuat dare gratiam solùm usque ad tale tempus, consequenter solùm usque ad illud tempus condonaret peccatum, ergo post illud tempus redit. Hoc argumentum probat tertiam rationem pro nostrâ sententiâ, nempe peccatum habituale esse actum præteritum nunquam condonatum, alioqui non solùm de possibili in casu aliquo metaphysico, sed de facto quoties quis de novo peccat mortaliter, omnia peccata priùs remissa redirent, quod nec admittunt adversarii. Per hæc patet solutio objectionis; Deus enim potest de gratiâ illâ facere quod lubet, nunquam tamen efficiet ut idem peccatum redeat, cùm efficere non possit ut nunquam fuerit condonatum, quamvis auferre eam possit in pœnam peccati alicujus postea commissi.

VIII. *Objic. Impedire potest Deus, quominùs posteri Adami peccatum originale contrahant primo instãti conceptionis.*

Dices tertiò cum Coninck citato: Etsi omnes Adæ posteri primo instanti, quo anima unitur corpori, infici debeant peccato originali, posse tamen Deum impedire quo minùs tunc illud contrahant, sed solùm in instanti nativitatis aut postea, ergo sicut potest Deus impedire vim peccati originalis, quo minùs hominem inficiat, nisi positâ tali conditione, ita efficere similiter poterit, ut peccatum habituale, nisi positâ aliquâ hujusmodi conditione, hominem non inficiat, & consequenter post tempus reviviscat.

IX. *Resp. ostendendo latam esse disparitatem inter peccatum originale & habituale.*

Respondetur, latam esse disparitatem inter peccatum habituale & originale; hoc enim ut sit pendet à voluntate Dei elevantis homines ad finem supernaturalem, & facientis gratiam esse iis debitam: sicut ergo simpliciter pendet debitum habendi gratiam à voluntate Dei, & consequenter quòd carentia gratiæ sit parvulis privatio, & peccatum originale, ita & efficere potest, ut pro tali solùm tempore sit gratia debita, & illius carentia usque ad illud tempus sit mera negatio non privatio hoc sensu, & consequenter non peccatum usque ad illud tempus: at verò peccatum habituale nihil aliud est quàm actus præteritus non condonatus, & consequenter si sit hujusmodi actus, necessariò hominem inficiet & denominabit peccatorem. Quamvis autem parvulus ille peccaverit in Adamo, sicque toto illo tempore à conceptione ad nativitatem habuerit debitum contrahendi peccatum originale, non tamen propterea contraxit. Plura hac de re dicta sunt disp. 46 de Incarnatione, sect. 4. & 5.

dum

dum de exemptione Virginis à debito proximo peccati originalis, sine quibus nec vis hujus objectionis plenè intelligi potest, nec absolutionis.

X. *Supponi prædicta solutio peccatum originale consistere in privatione gratiæ.*

Hæc responsio procedit supponendo opinionem, quod peccatum originale consistat in privatione gratiæ, quæ probabilis est, & satis inter Theologos frequens. Si tamen quis peccatum originale statuat in actu Adami moraliter manente, dupliciter recentiores aliqui respondent argumento, primò, si anima crearetur aliquo tempore priùs quàm uniretur corpori, qui casus idem in se est cum illo, quem ponit Coninck, dicunt, si idem sit peccasse in Adamo ac contrahere peccatum originale, dicunt, inquam, illam animam toto tempore ante unionem cum corpore non esse infectam peccato originali, & hanc propositionem, *Hæc anima peccavit in Adamo*, licèt sonet præteritum aut præsens, re tamen verâ esse de futuro, & facere hunc sensum, hæc anima quando unietur corpori contrahet peccatum, non minùs quàm si physicè peccasset in Adamo: vel si quis retinere velit sensum præteritum, dicere poterit hanc animam peccasse in Adamo, id est quando Adamus peccavit positum esse titulum ratione cujus hæc anima, quando corpori unietur, contrahet peccatum originale, qui sensus còdem recidit cum præcedente.

XI. *Si anima existeret ante unio.*

Alius dicendi modus est, si anima crearetur ante unionem ad corpus, toto illo tempore antecedente unionem, fore eam maculatam ratione unionis secuturæ cum corpore: unde decretum Dei statui debet hujusmodi, omnis anima, quæ est per unionem ad corpus futura alicujus ex posteris Adæ contrahet peccatum originale. Si autem dicant Patres animas contrahere hoc peccatum per unionem ad corpus, est quia de facto nulla existit ante unionem, nil tamen obstat quin contrarium contingat, si Deus præter ordinarium cursum rerum, animam tempore priùs crearet, quàm uniret corpori. *nem ad corpus, dicunt aliqui eam tunc fore infectam peccato originali.*

Addo nihilominus, posse pœnam æternam peccato mortali debitam aliquo modo redire; potest enim Deus illam remittere solum conditionatè, nempe si amplius non peccaverit, si tamen postea peccaverit, tunc Deus potest eum in æternum punire ob culpam priùs remissam. In hoc tamen casu non redit intrinsecus reatus, qui nihil differt à peccato, quod non redit, sed hæc obligatio ad pœnam æternam provenit ab extrinseco, nempe à voluntate Dei, qui sub conditione solùm statuit illum hominem ob peccatum illud non punire, nempe si iterum non peccaret; unde posito novo peccato fit iterum priori pœnæ obnoxius. XII. *Dicine possit pœna peccato mortali debita aliquo modo redire.*

Disputari hîc solet à nonnullis, quæ pœna debeatur in inferno peccato veniali cum mortali conjuncto: item utrùm pœna temporalis peccato mortali remisso, aut veniali debita persolvatur in inferno, casu quo quis eâ non solutâ, in mortali decedat. Sed de his commodiùs postea. XIII. *Quænam pœna peccato veniali cum mortali conjuncto debeatur, dicetur infra.*

DISPUTATIO NONAGESIMA.

*De Revivisc*entia Meritorum.

SECTIO PRIMA.

*Vtrùm opera per peccatum mortificata revivisc*ant per Pœnitentiam?

I. *Merita per peccatum mortificata revivisc*ere, *constanter docent Theologi.*

RECEPTUM adeo apud Theologos est, merita revivisc*ere*, ut citra temeritatem negari non possit, Auctores gravissimi affirmant. Varia Scripturæ, Conciliorum & Patrum loca quæ ad hoc adferri passim solent, videri possunt apud Suarium relectione de revivisc*entia* meritorum, disp. primâ, sect. primâ & secundâ, Vasquez primâ secundæ, disp. ducentesimâ vigesimâ-primâ, & hîc, quæst. octogesima-nonâ, Coninck disput. secundâ de Pœnitentiâ, dub. vigesimo, Tannerum, Mæratium, & alios, nos ex iis aliqua subjiciemus.

II. *Tria operum nostrorum sunt genera:* Mortifera, Mortua, & Mortificata.

Notandum verò cum Theologis communiter, tria operum nostrorum genera distingui posse, *Mortifera*, *Mortua* & *Mortificata*. *Mortifera* sunt, quæ vel vitam spiritualem auferunt, si mortalia sint, vel saltem nocent, si solùm sint venialia. *Mortua* illa opera dicuntur, quæ ab homine in statu peccati mortalis existente eliciuntur. Tandem *Mortificata* censentur illa, quæ ab homine in statu gratiæ existente elicita verè habebant vitam, licet per peccatum mortale subsequens, vitam quasi expeditam, seu vim perducendi homines ad beatitudinem amittant. Prima non revivisc*unt*, ut ostensum est: quod idem dicendum de secundis; esto enim mala non fuerint, revivisc*ere* tamen non possunt, cùm nihil revivisc*ere* possit, nisi quod vitam habuit; revivisc*ere* enim est vitam amissam recuperare. Tertium ergo operum genus revivisc*ere*,

Probatur primò ex illo ad Galatas tertio, ubi lapsis Galatis sic loquitur Apostolus: *O insensati Galatæ*, &c. deinde, *Sic stulti estis, ut cum Spiritu caperitis, nunc carne consummemini*, & statim ad rem nostram, *Tanta passi estis sine causâ, si tamen sine causâ*: quod propterea, ait Sanctus Hieronymus in hunc locum, dixit Apostolus, ut significaret eos, si resipiscerent priora merita per pœnitentiam recuperaturos. Confirmatur ex illo Jocîis secundo: *Reddam vobis annos quos comedit locusta & bruchus*, qui etiam locus à Sancto Hieronymo intelligitur de meritis per pœnitentiam recuperandis. III. *Opera mortificata revivisc*ere, *ex sacris Literis ostenditur.*

Secundo

IV. *Ulteriùs ex Epistolâ ad Hebræos ostenditur merita reviviscere.*

Secundò probatur ex loco illo ad Hebræos sexto, quem fusissimè prosequitur Suarez citatus, sect. primâ. Scribens itaque Apostolus ad Hebræos, inter quos multi jam in peccatum, post bona opera priùs facta, lapsi fuerant, ut affirmat Sanctus Chrysostomus, Sanctus Athanasius, & alii Patres apud Suarium, ut illos, sicut & Galatas ad Pœnitentiam ex recordatione priorum bonorum operum alliciat, & eos qui jam à peccato surrexerant, in bono confirmet, sic eos alloquitur: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis.* Quibus dicit Apostolus injustum fore Deum, si obliviscatur, non solùm operum, quæ tunc faciebant post resipiscentiam, sed etiam si obliviscereturcorum, quæ ante lapsum fecerant, ergo illis post resipiscentiam præmium debetur, alioqui injustùs non foret Deus, illorum non recordando, & consequenter nec illa remunerando.

V. *Doctrina de reviviscentiâ meritorum traditur à Concilio Tridentino.*

Quæ Apostoli explicatio, ut notant omnes, optimè confirmatur ex Concilio Tridentino, sessione sextâ, capite decimo sexto, ubi ait, justificatis omnibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda esse hæc Apostoli verba, ut animentur scilicet, ad perseverandum in bonis operibus, eáque ferventiùs exercenda, quod nimirum nullum opus factum in nomine Dei sine fructu sit, sive per peccatum interrumpatur illius valor, sive non. Imo cùm Concilium dicat, utrique hominum generi proponendum hoc dictum Apostoli, nempe & iis qui nunquam gratiam per bona opera acquisitam perdiderunt, & iis qui amissam recuperaverunt, indicat Apostolum alloqui omnes in illâ Ecclesiâ, & particulam *ministrastis* applicare iis qui erant adhuc in peccato, aliam verò, nempe *ministratis*, iis qui jam in gratiâ existebant; licèt ahæ sint hujus particulæ explicationes, quæ videri poterunt in Suario citato, numero vigesimo sexto.

VI. *Hoc ipsum, merita scilicet reviviscere, apertè ex alio Tridentini loco ostenditur.*

Tertiò idem probatur ex Concilio Tridentino, sess. sextâ, capite decimo sexto citato, ubi sic habet: *Nihil ipsis justificatis ampliùs deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfeciße, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratiâ decesserint consequendam, verè promeruiße censeantur.* Ubi cùm Concilium nihil aliud requirat ut opera in Deo facta, hoc est ab homine in gratiâ Dei existente vitam æternam consequantur, quàm ut qui ea fecerit, in gratiâ decedat, apertè sequitur ejusmodi opera, si fortè per peccatum exciderint, reviviscere, alioqui ob illa qui in gratiâ decedunt æternam vitam non consequerentur contra Concilium.

VII. *Clariùs adhuc ex eodem Concilio eadem veritas probatur.*

His consonant quæ in eodem Concilio habentur eâdem sessione, canone trigesimo secundo: *Si quis dixerit justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu-Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* ubi, ut benè notant aliqui, ad hoc ut per hæc opera vitam æternam & gloriæ augmentum consequantur homines, non requiritur à Concilio ut gratiæ continuationem non interruperint, sed sòlùm ut in gratiâ decedant, ergo hoc solo posito priora merita habebunt hunc effectum.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm merita reviviscant ex Misericordiâ, an ex Iustitiâ.

I. *Quam ob causam merita per peccatum mortale non destruantur, sed tantùm mortificentur.*

Notanda hìc inprimis ratio cur merita, quamvis peccatum aliquod mortale interveniat, non destruantur, sed solùm mortificentur, & consequenter peccato per gratiam ablato reviviscant. Ratio itaque est, quia ut docet Concilium Tridentinum sessione sextâ, capite illo decimo sexto, & canone trigesimo secundo, jus quod habet homo ad gloriam ex meritis, est solùm conditionatum, nempe si in gratiâ decesserit, unde quantumcumque peccatum grave interveniat; non est necessarium merita omnino tolli, cùm simul cum peccato, & actuali dignitate ad odium stare possit dignitas conditionata ad præmium, unde licèt per peccatum subsequens merita mortificentur, seu non sint expedita ad obtinendum præmium, cùm conditio una desit, nempe ut per gratiam tollatur obex peccati, destrui tamen omnino per peccatum non possunt, cùm nunquam tollatur ab illo homine, quo minùs dignus sit præmio, si in gratiâ decedat juxta Tridentinum.

II. *Obje. Ergo nec peccatis destruitur per gratiam absolutè.*

Dices: Ergo nec peccatum destruitur absolutè per gratiam, cùm peccatum non reddat hominem dignum pœnâ æternâ, nisi solùm conditionatè, nempe si ad mortem usque in eo permanserit. Respondetur negando consequentiam; peccatum enim est absoluta dignitas ad odium Dei, & pœnam æternam: etsi autem hæc de facto non infligetur, nisi post mortem, peccatum tamen meretur ut homo ratione illius omni auxilio gratiæ, seu favore supernaturali orbetur, & consequenter constituatur in termino damnationis, quare non solùm conditionatè, sed absolutè reddit hominem dignum odio & pœnâ æternâ, sicque per gratiam subsequentem destruatur necesse est, cùm simul esse nequeat quis actu gratus Deo, & actu dignus odio. plura hac de re disputatione sequente.

III. *Circa reviscentiam meritorum, ex justitiâ an ex misericordiâ, duæ oppositæ sunt Theologorùm sententiæ.*

Quærimus ergo, Utrùm merita reviviscant ex misericordiâ, an ex justitiâ? Magna hìc intercedit inter P. Vasquez & P. Suarez controversia; ille enim hìc, quæst. octogesimâ nonâ, dub. 1. & primâ secundæ, disp. ducentesimâ vigesimâ primâ, cap. tertio & quarto affirmat, licèt intervenire debeat misericordia in radice, seu ut homo pœniteat, positâ tamen pœnitentiâ, ita necessariò ait redire, seu reviviscere merita præcedentia, ut omnino nequeant impediri quo minùs homini illi restituantur. Pater Suarez verò relectione supra citatâ, disp. 1. sect. 3. esto quandam aptitudinem seu dignitatem in meritis positâ pœnitentiâ agnoscat ad reviviscentiam, seu ut acceptari à Deo possint merita ad præmium, ait nihilominus posse à Deo non acceptari, sicque simpliciter ut redeant requirit Dei misericordiam, non solùm in conferendo auxilio ad resipiscendum per pœnitentiam, sed etiam ut positâ pœnitentiâ, merita reviviscant.

IV. *Notandum ex dictis, duplicem dari acceptionem justitiæ.*

Ad rectam quæstionis hujus intelligentiam, præ oculis habenda duplex illa acceptio justitiæ, latè nimirum, quæ aliud nihil est, quàm quædam connaturalis exigentia alicujus rei, sicut calor ut octo exigit ignem, Sol lucem, &c. ac proinde

Declaratur, quis ſit conceptus juſtitia latè dicta.

proinde Deus ut auctor naturæ tenetur iis res iſtas concedere, nec ſine vi aliquâ rebus illatâ negare poteſt. Hujuſmodi juſtitiam, concedit P. Vaſquez homini adverſus Deum reſpectu gloriæ, ita ut poſitis meritis negare eam Deus ſine aliquâ violentiâ nequeat, ſicut nec igni calorem, aut Soli lucem, quod ſi negaret, ut abſolutè poſſet, non id faceret ut auctor naturæ in his, ut Judex remunerator & auctor gratiæ in illo, ſed ut ſupremus Dominus in utriſque. Adeo tamen imperfectum reputat P. Vaſquez hunc conceptum juſtitiæ, ut primâ ſecundæ, diſp. 214. cap. undecimo, num. octogeſimo quarto tandem aſſerat ſolùm eſſe gratitudinem: unde expreſsè demum fatetur, Deum non ex juſtitiâ, ſed ex gratitudine gloriam meritis Sanctorum tribuere. & ut oſtendi Tomo præcedente, non poteſt verè appellari juſtitia, ſaltem ea quâ Deus merita remunerat.

V. *Alii tamen multo ſtrictiore modo Deum hominibus aſtringi aſſerunt.*

Alia ergo eſt Juſtitia ſtrictior, quam in Deo reſpectu creaturæ rationalis cum P. Suarez ſtatuunt plurimi Theologi: eſto enim priorem non negent fortè reperiri poſſe, de facto tamen multo ſtrictiore modo dicunt Deum ex juſtitiâ hominibus obſtringi, fundatâ non in illâ ſolùm connaturali operis exigentiâ, ſed in pacto etiam & promiſſione ſub conditione onerosâ operis explendi.

VI. *Reviviſcunt merita ad minimum lato illo modo juſtitiæ.*

Dico primò: Merita ad minimum illo genere Juſtitiæ reviviſcere, ſaltem ad aliquod præmium gratiæ & gloriæ; ad quantum enim præmium redeant, ſeu quam gratiam aut gloriam ex Juſtitiâ recuperent, quoad præſens nil refert. Explicatur concluſio: Merita per peccatum ſubſequens non deſtruuntur, ſed ſolum mortificantur, ut oſtenſum eſt totâ Sectione præcedente, & initio hujus; ergo ablato obice peccati, iterum habent vim ſuam expeditam, ad effectum, videlicet præmium, ſicut in ſimili ſæpiùs oſtendimus de Sacramentis, quæ ubi valida fuerint & informia, ablato poſtea obice, virtus eis redditur expedita ad conferendum effectum: ſic meritis, ablato peccato, nihil deeſt intrinſecum in homine, quo minùs conferant gloriam, ſed ad ſummum conditio aliqua merè extrinſeca, mors ſcilicet in gratiâ.

VII. *Ex his infertur merita ad ſuum præmium reviviſcere ex juſtitiâ.*

Hinc ulteriùs patet, merita ex juſtitiâ reviviſcere ad ſuum præmium; eſto enim fortè potuiſſet Deus impedire quo minùs reviviſcerent, de quo poſtea, ipſo facto tamen, quòd non impediat, ſed det auxilia ad obicem removendum, hoc amoto redit prior dignitas, & conſequenter merentur de condigno præmium, ſicut ante peccatum. Confirmatur: Licèt deſtructo ſubjecto accidens, albedo exempli gratiâ, aut calor connaturaliter deberat perire, ſi tamen Deus illud conſervet, petit concurſum ad ſuas operationes, ut patet in ſpeciebus Euchariſticis, ubi albedo & alia accidentia producunt naturaliter ſuos effectus; nulla enim eſt ratio cur non dicamus, æquè ibi naturaliter operari illa accidentia, atque naturaliter operantur accidentia in ſubjecto ubi ſunt præternaturaliter, vel violentè, ut calor in aquâ: ergo Deus connaturaliter præbere debet concurſum accidentibus illis ad ſuas operationes, ita ut citra aliquam vim iis ſillatam, negare eum non poſſit, ſicque ex juſtitiâ illâ imperfectâ ſeu ex connaturalitate, & ſi reproduceret ſubjectum, & in illo ea reponeret eodem modo cum iis concurrere deberet, ac ſi nunquam ſubjecto caruiſſent.

Secundò probatur: Certum enim videtur, licèt aliqua miſericordia hic interveniat, non tamen ita uſquequaque tribuendum eſſe totum hoc negotium reviviſcentiæ meritorum, & recuperationis præmii, meræ voluntati Dei, & miſericordiæ, ut nulla hic juſtitia reperiatur; primò enim locus ille Sancti Pauli ad Hebræos hoc videtur exigere: *Non eſt injuſtus Deus*, &c. in quæ verba ait Sanctus Auguſtinus libro de naturâ & gratiâ, capite ſecundo: *Non eſt injuſtus Deus, ut juſtos fraudet mercede juſtitiæ.* Deinde ſequeretur merita non reviviſcere, ſed ſolum Deum liberaliter præmium conferre, non tamen intuitu meritorum; ſic enim merita illud exigerent, & foret juſtitia: ſolùm ergo Deus eo modo ſe gereret ac ſi non eſſent merita. Tertiò, Concilium Tridentinum ait ibi veram rationem meriti intercedere, ubi autem meritum de condigno, ibi juſtitia. VIII. *Certum videtur, totum quod in hac reviviſcentiâ intervenit, non eſſe merè tribuendum voluntati & miſericordiæ divinæ.*

Quòd verò addit Pater Vaſquez, Deum nec per potentiam abſolutam efficere poſſe ut merita non reviviſcant, quamvis peccatum, ſeu obex auferatur, licèt à recentioribus Theologis paſſim rejici videam, mihi tamen aliquo ſenſu videtur verum ſecundùm hunc modum juſtitiæ, ſeu exigentiæ connaturalis, quam ponunt in meritis; nec enim ſi ex naturâ ſuâ merita ſint exigentia connaturalis præmii, licèt quidem Deus ſecluſo pacto, poſſit non illud dare ratione ſupremi in res omnes dominii, efficere tamen non poteſt, ut non ſint illius exigentia, cùm hæc ſit illorum natura: ſicut licèt negare poſſit Deus igni concurſum univerſalem ad comburendum, quando ponuntur omnes circumſtantiæ requiſitæ, ſicut fecit in igne Babilonio, efficere tamen non poteſt ut ignis concurſum illum connaturaliter non exigat. IX. *Poſſitnè ullâ ratione impediri reviviſcentia meritorum, ſi tollatur obex.*

Verum eſt quidem, ſicut ignis in ſenſu compoſito quod Deus nolit concurrere, concurſum illum non petit, ita merita in ſenſu compoſito quòd Deus nolit iis dare præmium, non poſſunt illud exigere; ſic enim exigerent aliquid impoſſibile, quare ſi nihil aliud quàm hoc velint recentiores, verum dicunt, nec puto id negare P. Vaſquez, cùm quoad hoc idem ſit de quavis re naturali, imo de meritis omnibus, etiam non mortificatis, ſed quando primò ponuntur; ſi enim Deus, ut potuit, ſtatuiſſet nullum iis dare præmium, certè in ſenſu compoſito hujus decreti, nullum peterent, id eſt non peterent habere præmium contra Dei voluntatem. X. *Non procedit quæſtio in ſenſu compoſito voluntatis divinæ, non dandi meritis præmium.*

Dico ſecundò: Iſta tamen exigentia præmii ex juſtitiâ hâc latè dictâ in meritis mortificatis, fundatur in aliquâ miſericordiâ. Probatur: Niſi enim Deus ex miſericordiâ homini lapſo gratiam ſuam, tum prævenientem, tum adjuvantem miſericorditer concederet, per quam reſipiſceret, & peccati obicem per pœnitentiam tolleret, quod ſine ullâ injuriâ facere potuiſſet, ſemper merita priora manerent ligata, nec unquam ad præmium expedita; ergo ſicut quòd reſipiſcat peccator, eſt opus miſericordiæ divinæ, ita & quod merita reviviſcant; poſitâ autem pœnitentiâ, & remotione peccati ex miſericordiâ, merita ex juſtitiâ, ſaltem illâ imperfectâ, de quâ nunc loquimur, ſeu connaturali exigentiâ poſcunt præmium, quod eſt illa reviviſcere. Confirmatur exemplo ſupra poſito; quòd enim Deus deſtructo ſubjecto accidens aliquod, calorem verbi gratia conſervet, eſt opus indebitum naturæ, & quædam, ut ita dicam liberalitas, ſicut & XI. *Exigentia hæc præmii ex juſtitiâ fundatur in aliqua miſericordiâ.*

quòd subjectum denuo reproducat, eique accidens uniat, hoc autem si præstet ex liberalitate, non potest citra aliquam vim rebus illatam concursum calori negare ad suas operationes, imo hunc ex Justitiâ de qua nunc loquimur, nempe ex quadam naturali exigentiâ postulat.

XII. *Objic. Justitia & misericordia sunt conceptus oppositi.*

Dices: Misericordia & Justitia sunt conceptus omnino oppositi; ergo ipso facto quòd interveniat Misericordia, tollitur conceptus Justitiæ; implicat enim petere aliquid ex debito, seu justitiâ, & tamen illud dari ex misericordiâ & liberalitate. Respondetur: Rem quæ petitur nunquam dari ex misericordiâ & liberaliter, sed ex justitia, ita ut citra aliquam violentiam negari non possit. Hoc tamen non obstante potest antecedenter aliqua intervenire misericordia & liberalitas; misericordia enim & liberalitas in radice non tollit conceptum justitiæ, & exigentiæ naturalis: Sic gratis creavit Deus ignem, Solem, Angelum, non tamen gratis positâ creatione dat illis calorem & lucem, huic intellectum & voluntatem, nec potest iis sine vi aliquâ negare concursum ad operationes connaturaliter debitas: dat unus homo alteri agrum ex liberalitate, hac tamen positâ fructus ei debentur ex justitiâ, ita ut nec qui agrum dedit, possit sine injuriâ hos ei auferre.

XIII. *Deus auxilia dat liberaliter, gloriam ex justitiâ.*

Tandem Deus dat liberaliter gratiam & auxilia, ad bona opera exercerda, his tamen positis gloriam negare non potest: unde in locum illum Apostoli secundæ ad Timothæum quarto, *Reposita est mihi corona justitiæ*, &c. Sanctus Bernardus in fine tractatus de libero arbitrio: *Promissum*, inquit, *ex misericordiâ, sed ex justitiâ persolvendum:* & Sanctus Augustinus de gratiâ & libero arbitrio, capite sexto, *Cui daret coronam justus judex, nisi priùs dedisset gratiam misericors Pater? & quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ justificat impium: quomodo ista debita redderentur, nisi priùs illa gratuita donarentur:* hæc ille. Aliqua tamen liberalitas & misericordia obstat justitiæ, illa scilicet quæ in ipsâ solutione intercedit, ut quando hæc non est sufficiens, creditor nihilominus est illâ contentus, tunc enim censetur donare vel condonare reliquum, sicut cum quis pro equo aut agro, qui valet centum, accipit tantùm triginta.

XIV. *Merita mortificata non ex latâ tantùm, sed etiâ ex strictâ justitiâ reviviscunt.*

Dico tertiò, non latam solùm hanc & metaphoricam, jam positam, sed propriam etiam & strictam justitiam hîc in reviviscentiâ meritorum intervenire. Ratio est, Deus siquidem omnibus in gratiâ decedentibus promisit præmium ob bona opera, quæ in vitâ exercuerunt, ergo hæc promissio non tollitur respectu meritorum, quæ per peccatum exciderunt; nec enim ullibi significatur hæc à communi illâ lege excipi. Deinde quando dicitur Deus fore injustus si obliviscereretur operum, quæ fecimus, aliam longè justitiam, quàm merè connaturalem quandam exigentiam, passim omnes intelligunt, nempe fundatam in pacto & promissione; alio enim certè modo foret injustus Deus, si gloriam benè operantibus non daret, quàm si homini duos oculos, aut frigus aquæ, igni calorem, &c. negaret, alioqui non rectè vocaretur gloria in Scripturis, *merces*, *stipendium*, & aliis hujuscemodi appellationibus; hæc enim solùm vocantur ea, quæ ex pacto & conventione ab aliquo conferuntur.

XV. *Dices: Etiam collato auxilio, potest*

Circa id quod addit Pater Suarez, aliam hîc gratiam & favorem intervenire præter collationem auxilii, & obicis ablationem; ubi enim hoc factum est, potest Deus adhuc non acceptare illa merita ampliùs ad præmium, ergo quòd acceptentur, est misericordia Dei, & consequenter ut reviviscant. Sed contra: Vel enim sermo est de imperfectâ illâ justitiâ, exigentiâ scilicet naturali, tunc autem si Deus det auxilium, & obicem auferat, non potest connaturaliter non acceptare, seu negare præmium, sicut nec negare potest connaturaliter concursum calori ad operationes, si eum velit conservare sine subjecto. *Deus merita non acceptare ad præmium.*

Hinc ulteriùs addo: Etiamsi sit sermo de perfectâ justitiâ, adhuc tamen non reviviscere merita ex misericordiâ; esto enim possit Deus, etiam dato auxilio, & positâ pœnitentiâ, non acceptare merita illa ad præmium, quod si non faceret, nulla esset obligatio strictæ justitiæ, quæ in hac promissione partialiter fundatur, hæc tamen non acceptatio ab iis non exigitur, imo contrarium, sicut & quando primò ponebantur merita, potuisset quidem Deus, si potentiâ suâ absoluta, & jure supremi dominii uti voluisset, nullum iis conferre, aut promittere præmium, id tamen connaturaliter facere nequit, sicut in exemplo caloris ostendi potest. XVI. *Ostenditur deinde, ratione etiam strictæ justitiæ merita non reviviscere ex misericordiâ.*

Dices: Quod petit radicem, petit illa omnia, quæ ad radicem connaturaliter sequuntur, sic unio hypostatica, quæ petit gratiam habitualem, petit etiam habitus infusos, qui ad gratiam connaturaliter, vel morali vel physica emanatione consequuntur: sic quia gratia habitualis petit visionem beatificam, petit etiam amorem & gaudium beatificum, quæ ex visione oriuntur, & in homine gloriam corporis, quæ sequitur ad gloriam animæ, & universim in naturalibus, sicut qui dat formam dat consequentia ad formam, ita & quod exigit. Cùm ergo peccatum, utpote mors animæ, seu ablatio vitæ supernaturalis, uti dici latiùs solet in materia de gratia, petat quantum est ex se subtractionem omnis auxilii ad actum vitalem supernaturalem, sicut mors corporis subtractionem concursus ad omnem actum vitalem naturalem, consequenter petit illa omnia, quæ ad subtractionem illius auxilii connaturaliter sequuntur, unum autem horum est, non reviviscentia meritorum; hæc enim non reviviscunt nisi ablato obice, hic autem non auferetur nisi per pœnitentiam, Pœnitentia verò non habetur sine auxilio supernaturali, ergo. XVII. *Objec. Quod petit radicem, petit ea quæ ad radicem connaturaliter sequuntur.*

Respondetur, quod petit radicem petit ea, quæ connaturaliter sequuntur radicem, si habeat radicem; in tantum enim ea petit in quantum ad radicem consequuntur, sicque non nisi per eam, cùm connaturaliter haberi non possint, nisi eâ habitâ. Sic nihil potest exigere consequentia ad formam nisi forma priùs habitâ, ergo peccatum non exigit non reviviscentiam meritorum, nisi in quantum privat connaturaliter auxilio ad resurgendum; si ergo hoc detur præter exigentiam peccati, sequetur pœnitentia & ablatio obicis, sicque merita, hoc ex misericordiâ ablato, ex naturâ suâ reviviscent, & consequenter ex justitiâ; datâ enim vel conservatâ formâ ex misericordia, vel liberalitate, possunt ea quæ formam sequuntur peti ex justitia, seu naturali exigentia, ut in superioribus ostensum est. XVIII. *Resp. Quod petit radicem non petit ea quæ sequuntur ad radicem, nisi habeat radicem.*

Nec quoad hoc est major difficultas de prioribus meritis in ordine ad reviviscentiam, quàm de novis meritis, quæ post pœnitentiam ponuntur, peccatum namque, si hoc argumentum quidquam probat, efficeret ut illis nullum debeatur præmium ex justitia, cùm ex natura sua privet omni XIX. *Idem quoad hoc est de meritis sequentibus, ac de antecedentibus mortificatis.*

omni auxilio ſupernaturali, & conſequenter pœnitentiâ, ſine qua nulla eſſe poſſent merita, ſi autem quamvis auxilium ſupernaturale & pœnitentia dentur gratis, merita tamen ſubſequentia poſſunt mereri præmium ex juſtitia, quod nullus negat, poterunt etiam præcedentia ex eâdem reviviſcere.

SECTIO TERTIA.

Alia quædam circa reviviſcentiam meritorum: Vbi etiam ad quantum præmium reviviſcant.

I. *Probabile videtur, ſi Deus extrinſecè tantùm condonaret peccatum, merita tamen per illud mortificata reditura.*

QUÆRES primò: Si homini, qui poſt multa bona opera in peccatum lapſus eſt, Deus extrinſecè condonaret peccatum illud, nullam gratiam infundendo, utrùm tunc merita reviviſcerent? Pars affirmativa mihi non videtur carere probabilitate; cùm enim peccatum ſit obex & impedimentum quo minùs merita reviviſcant, ſeu habeant vim ſuam expeditam ad præmium, hoc ablato nihil impedit quo minùs vim illam exerant, ſicut in rebus phyſicis contingit, quæ ablato obice, ſtatim effectus ſuos producunt, ut luminoſum remoto corpore opaco producit lucem, lapis ablato impedimento cadit: quando autem communiter Auctores ad reviviſcentiam meritorum requirunt gratiam in ſubjecto, ideo eſt, quia ſine gratiâ peccatum mortale de facto nunquam remittitur, & conſequenter obex ſine eâ non tollitur. Si quis tamen ad hoc ut merita reviviſcant exigat ultra peccati remiſſionem, infuſionem etiam gratiæ, dicátque, ſicut ad hoc ut merita primò dent jus ad præmium, requiritur gratia in ſubjecto, per quam reddatur ordinis ſupernaturalis, & perſona Deo grata, ita etiam ut merita habitualiter cum hac ſuâ denominatione expedita remaneant, requiri ſimiliter gratiam in ſubjecto, non loquetur ſine fundamento.

II. *Quæres: Si Deus homini educto ex inferno daret gratiam, utrùm ejus merita reviviſcerent.*

Quæres ſecundò: Si Deus animam ex inferno jam [illegible]uceret, & corpori uniens daret homini illi ſp[illegible]um pœnitentiæ, utrùm tunc antiqua ejus me[illegible] reviviſcerent? Reſpondetur, veriſimile eſſe fore ut reviviſcerent poſitâ pœnitentiâ & gratiâ per eam receptâ, idque ex juſtitiâ, ſaltem imperfectâ, ſeu connaturali exigentiâ; illa enim merita non fuerunt planè mortua, tum quia ille homo non fuit omnino conſtitutus in termino, tum quia Deus non ſtatuit abſolutè iis non dare præmium, & ſicut homo ille poſt reſuſcitationem habet viam ſeu locum per actus novos merendi novum præmium gratiæ & gloriæ, ut Lazaro contigit, qui poſt reſuſcitationem plurimos elicuit actus meritorios, quod de Enoch etiam & Elia docent communiter Auctores, nempe fore ut ad viam aliquando redeant, & ſtatum mortalem, ac mortali modo iterum inter homines degant, & mereantur, quidni, inquam, ſicut non obſtante morte, poteſt quis habere nova merita, non poterunt reviviſcere antiqua: illis autem qui ſunt per abſolutam ſententiam & decretum Dei in inferno, merita ſunt omnino mortua, quia planè ſunt in termino, & Deus ob finalem impœnitentiam habet abſolutum decretum nunquam dandi prioribus meritis præmium.

Quæres tertiò: Si Deus hominem vel Angelum, qui merita aliqua bona priùs habuiſſet, annihilaret, & poſtea reproduceret, utrùm merita redirent? Nihil in hoc ſtatui poteſt certi: mihi tamen probabile videtur fore ut in eo caſu merita reviviſcant; verè enim ille homo diceretur multa bona opera exercuiſſe, & ob illa cœlum promeruiſſe. Cùm ergo hæc denominatio moralis ei competat, non obſtante quod ſemel fuerit deſtructus, quidni etiam verè dicentur merita in ipſo habere valorem ſuum moralem in ordine ad præmium. Sed noſtrâ in præſenti nil refert quid in his caſibus metaphyſicis fieret, ut etiam diſput. ſequente, ſect. primâ dicemus de ſimili caſu circa peccatum, utrùm ſcilicet cum ſubjecto annihilato & poſtea reproducto redeat.

III. *Virùm, ſi homo vel Angelus annihilaretur, & poſtea reproduceretur, merita illius redirent.*

Quæres quartò: Ad quantum præmium reviviſcant merita? Dicunt aliqui, ſolùm redire ſecundùm proportionem diſpoſitionis, ut quatuor nimirum ſi pœnitentia ſit ut quatuor, reliqua autem omnia merita dicunt deperdi. Hanc ſententiam refert Soto in quarto, diſt. 16. quæſt. 2. art. ſecundo, aitque eam communiter defendi à Thomiſtis: addit tamen eſſe falſiſſimam, & Divo Thomæ adverſiſſimam, Ledeſma ait eſſe erroneam, Suarez relectione citatâ, diſp. ſecunda, ſect. 1. dicit eſſe Sanctis Patribus contrariam. Mordicus tamen eam defendit, Dominicus Bannez ſecundâ ſecundæ, quæſt. 34. articulo ſextò, dubio. ſexto.

IV. *Ad quantũ præmium reviviſcant merita.*

Contra hanc ſententiam eſt primò: nam ut ſupra vidimus ex Concilio Tridentino, non aliqua ſolùm, ſed omnia merita reviviſcunt, hoc eſt habent vim expeditam ad cauſandum in nobis gratiam & gloriam, ipſorum dignitati reſpondentem, cùm aliud nihil iis deſit juxta Concilium ad gloriæ & gratiæ augmentum conſequendum, quàm ut quis decedat in gratiâ. Contra ſecundò: Merita enim juxta Sanctum Thomam propterea non ſunt expedita ad præmium, quia eſt in ſubjecto obex peccati, ad hoc autem ut iterum vim priſtinam recuperent nil aliud requiritur, niſi ut obex auferatur, ſed per minimam gratiam aufertur obex, ergo minima poſita pœnitentia, modò ſufficiat ad unum gradum gratiæ in animam inducendum, ſufficiet ut merita omnia vim ſuam priſtinam recuperent. At verò ſecundùm hanc ſententiam merita nihil faciunt; tota enim ea gratia datur intuitu diſpoſitionis, quæ proinde eadem daretur, & æquè intenſa, licèt nulla merita præceſſiſſent.

V. *Prædicta ſententia refellitur ex Concilio Trid.*

Imo, inquiunt, aliquid faciunt merita; efficiúnt enim ut eadem gratia detur duplici titulo, ac proinde, ſi duo pœnitentiam eliciant ut ſex, quorum alter nulla antea habuerit merita, alter plurima, uterque inquiunt recipiet gratiam tantùm ut ſex, eruntque in gloriâ ſubſtantiali æquales, different tamen plurimum in accidentali, cùm ſecundus gratiam illam & gloriam recipiat duplici titulo, quod aſſerunt ei inprimis eſſe glorioſum.

VI. *Reſpondent, efficere merita ut eadem gratia detur duplici titulo.*

Contra primò: Concilium enim quando loquitur de præmio meritis correſpondente, non loquitur de accidentali, ſed de præmio ſimpliciter, ſeu ſubſtantiali; illa enim eſt merces, quam à Deo pro bonis operibus expectamus, & quoties in Scripturâ ſit mentio ſimpliciter de mercede, ſemper & primariò intelligitur præmium eſſentiale. Nec ſufficit dari gloriam duplici titulo; nullus enim cenſet ob hoc ſufficienter præmiari merita,

VII. *Sed contra: Concilium namque ubi loquitur de præmio meritorum, ſemper loquitur de eſſentiali.*

merita, sicut nec in humanis compensaretur sufficienter labor alicujus, qui ex pacto pro denario diurno laboraret sex diebus in vineâ alterius, & tandem qui eum conduxit redderet unum denarium sex titulis.

VIII. *Dicunt alii, plùs præmii pro meritis antiquis dari juxta diversitatem dispositionis, non tamen totum præmium.*

Hinc etiam impugnari potest sententia Valentiæ, Henriquez & aliorum, qui docent, plus quidem dari præmii ob merita antiqua quàm dispositio postulat, non tamen totum præmium, sed plus aut minus supra dispositionem pro diversitate dispositionis: unde, inquiunt, si plures & plures quis virtutum actus post respiscentiam eliciat, paulatim totam gratiam recuperabit. Sed contra hoc est: Jam enim merita ablato obice non reviviscunt, & si quis post primum actum statim moriatur, multa ex prioribus meritis præmium omnino non consequentur, cùm tamen, juxta Concilium nihil eis desit ut augmentum gratiæ, gloriam, augmentum gloriæ, &c. consequantur, quàm ut homo in gratiâ decedat. Deinde non redderet nobis Deus annos quos comederat locusta & bruchus, id est merita quæ amiseramus juxta sanctum Hieronymum.

IX. *Affirmant nonnulli pœnitentem non recipere totam gratiam, saltem in hac vitâ.*

Quæ etiam faciunt contra Scotum, Durandum & alios docentes pœnitentem præter gratiam, quam per pœnitentiam directè acquisivit, recuperare quidem jus ad totam gloriam, non tamen denuo recipere totam gratiam, saltem in hac vitâ. Sed contra: sicut enim Sacramenta ablato obice statim conferunt suum effectum, ita & merita suum; cùm quoad hoc par sit utrorumque ratio; sunt enim instar agentium naturalium, ut sæpè ante ostensum est. Deinde mensura gloriæ in patriâ desumitur ex mensura gratiæ in viâ, nec gloriam petunt merita nisi mediante gratia, asserere autem in ultimo instanti vitæ dari totam illam gratiam, videtur gratis dictum, nulla namque ratio assignari potest, cur non detur statim simul cum virtutibus infusis primo instanti conversionis, quando primò aufertur, obex, cùm tunc sint tam potentia ad obtinendam gratiam, ac unquam postea: sicut etiam primo instanti quo aufertur obstaculum, luminosum producit lucem.

X. *Objic. Docere Concilium Tridentinum, gratiam unicuique infundi secundùm propriam illius dispositionem.*

Dices: Et est fundamentum contrariæ sententiæ, Concilium Tridentinum sessione sextâ, capite septimo, ait gratiam unicuique infundi secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem; ergo non in majore perfectione & intensione quàm sit perfectio & intensio dispositionis. Respondetur, Concilium ibi solùm loqui de gratiâ, quæ per se pœnitenti infunditur intuitu dispositionis tunc positæ, non de gratiâ, quæ confertur per accidens respectu pœnitentiæ; respectu hujus enim pœnitentia non se habet ut dispositio, sed merè ut removens prohibens. Respondeti potest secundò, dispositionem intuitu cujus hic infunditur tota illa gratia, non esse solùm actum contritionis seu pœnitentiæ, sed hunc cum meritis præcedentibus, quæ ut causa moralis possunt hic & nunc movere Deum ad partem gratiæ sibi correspondentem infundendam.

XI. *Alia opinio est, reviviscentiam meritorum metiendam esse penes diversitatem conatus in pœnitente.*

Sotus in quarto distinct. decima-sexta, quæst. secunda, artic. secundo, ait, mensuram reviviscentiæ meritorum in ordine ad præmium desumendam esse penes diversitatem conatus, quem adhibet pœnitens in respiscentiâ à peccato: si ergo, inquit, peccator præventus auxilio Dei adhibeat summum conatum quem cum illo potest, recipiet totam gratiam prius deperditam, si medium conatum adhibeat, mediam gratiam, sicque secundùm proportionem conatûs redit semper gratia.

Contra primò: Eodem namque modo impugnatur hæc sententia, quo præcedentes, nam ablato obice omnia merita reviviscunt. Deinde, nihil aliud requiritur juxta Concilium Tridentinum, ut vidimus, ut merita omnia reviviscant, & præmium suum consequantur, nisi ut quis decedat in gratiâ; ergo si antea homo erat in gratiâ, habebat ab intrinseco totum quod requiritur ad constituendum jus ad præmium, & solùm deest aliquid extrinsecum, nempe mors.

XII. *Contra hanc sententiam est, aliud enim ad reviviscentiam meritorum non requiritur, quàm ut auferatur obex, seu peccatum.*

Tertiò, hinc sequitur, si duo amisissent per peccatum centum gradus gratiæ, & alter præventus gratiâ ut viginti, eliceret actum ut decem, alter verò præventus gratiâ ut duo, eliceret actum ut duo; sequitur inquam, hunc secundùm recuperaturum omnes centum gradus gratiæ amissos, alium verò, qui multo intensiùs operatur, non recuperare nisi mediam partem, quod tamen maximum videtur inconveniens; sic enim posset quis idem affirmare de meritis quando primò ponuntur, nempe non esse desumendam præstantiam meriti, & mensuram præmii illi correspondentis penes perfectionem & intensionem actus, sed videndum utrùm eum conatum adhibeat, quem cum illo auxilio potuisset, quod tamen omnes negant, cùm non sit culpa non operari semper maximo fervore & conatu, quo quis posset: deinde etsi levis aliqua culpa interveniret, non tamen obstaret merito. Tandem quantumcumque quis plures & plures actus eliciat, si tamen non sint tam intensi ac per auxilium tunc datum esse possent, nunquam totam gratiam deperditam recuperabit, imo multo minus gratiæ aliquando per secundum actum intensum, quàm per primum maximè remissum.

XIII. *Rejicitur ulteriùs hæc opinio ex gravi incommodo, quod ex eâ sequi videtur.*

SECTIO QUARTA.

Resolvitur quæstio circa magnitudinem præmii in reviviscentia meritorum.

DICENDUM itaque primò: Ablato per pœnitentiam, & gratiæ infusionem obice, merita reviviscere ad totum præmium quod iis ante lapsum debebatur, totamque gratiam statim recuperant. Secunda pars sufficienter ostenditur ex præcedentibus, præcipuè in impugnatione sententiæ Scoti. Prima etiam pars probatur: Ratio enim quare merita antea non erant expedita ad gratiam obtinendam erat obex peccati; ergo hoc ablato iterum redduntur ad illam expedita, & consequenter sicut quando primò ponebantur opera, merebantur & consequebantur gratiam, ita & ubi primum obex aufertur consequentur eundem effectum, uti de Sacramentis reviviscentibus dici solet.

I. *Merita, ablato obice, ad totum præmium reviviscunt, quod iis ante lapsum debebatur.*

II. *Ex locis Scripturæ supra citatis ostenditur merita ad totum præmium reviviscere,*

Secundò probatur ex locis Scripturæ sect. 1. allatis: tertiò ex Concilio Tridentino sess. 6. capite decimo sexto citato. Nec enim gratiæ & gloriæ augmentum mereri possunt bona opera eorum, qui sunt viva membra Christi, nisi omne præmium

præmium iis reddatur, neque sufficit quòd minor gratia detur novo titulo intuitu meritorum præcedentium; mereri enim gratiam novo titulo non est mereri augmentum gratiæ, ut est manifestum, quodtamen de his meritis docet Concilium. Deinde, reviviscere est vitam quam ante habebant recuperare; ergo nisi gratiam illam, seu gratiæ augmentum, quod semel habebant, denuò recipiant, non reviviscunt.

III. *Quando peccator resurgit, ad majorem semper gratiam resurgit.*

Dicendum secundò, quando peccator resurgit, cum majore semper illum gratia resurgere, quàm ei ob merita præcedentia præcisè ac directè debebatur. Ratio est, quia præter gratiam meritis debitam, quam recuperat, habet semper aliquam gratiam, per quam aufertur obex peccati, ergo in hac resurrectione aliquanto plus semper habet gratiæ peccator, quàm prioribus meritis debebatur. Quod habeat gratiam aliquam Pœnitentiæ respondentem certum omnino est, cùm Deus omni pœnitenti remissionem peccati promiserit. Totam autem gratiam prioribus meritis debitam restitui & ostensum est supra, & ulteriùs declaratur, quia nullum est ex meritis præcedentibus quod jam non sit iterum vivum, & consequenter efficax & obligans Deum aliquo saltem modo ad præmium, cùm sit quoad hoc in eodem statu ac erat ante lapsum, & meritorum mortificationem.

IV. *Objic. Ergo prodest homini peccasse.*

Dices primò: Ergo prodest homini peccasse, meliúsque est peccare, & resurgere, quàm non omnino peccare, cùm non peccando gratiam illam non obtineret. Respondetur, nunquam peccatum per se prodesse ulli, licèt indirectè & occasionaliter multi ad altiorem sanctitatis gradum pervenerint, quàm non commisso peccato illo unquam pervenissent, cùm inde occasionem sumant plurimos & intensissimos variarum virtutum actus exercendi, ut contritionis, humilitatis, & sanctioris ac severioris vitæ statum suscipiendi, peccatum tamen per se & formaliter nemini prodest, sed obest plurimum, tum quia spoliat hominem gratiâ ac virtutibus supernaturalibus, reddit inimicum Deo, eique odibilem, damnationi æternæ obnoxium, relinquit etiam pravas dispositiones in animâ peccatoris, & obligationem ad pœnas temporales, etiam post resipiscentiam, imo causa est cur opera omnia, quæ dum manet peccatum, fiunt, sine fructu perpetuo sint, quibus aliàs magnum gratiæ ac gloriæ cumulum sibi homo ille acquisivisset.

V. *Peccatum prodest tantùm per modum objecti.*

Solùm ergo prodesse potest peccatum per modum objecti, in quantum scilicet homo considerando id tanquam quid malum, illud aversatur. Unde Sanctus Thomas 3. parte, quæst. 89. art. secundo, ad primum ait, ipsum peccatum nonnullis cedere in bonum, quatenus postea firmiùs in gratiâ perseverant, & ad hoc citat Sanctum Augustinum libro de correptione & gratiâ, capite nono in illa verba S. Pauli ad Romanos octavo: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: & hoc argumentum æquè urget, sive merita reviviscant, sive non, ut si quis ante ulla merita peccaret; posset enim inde occasionem sumere hos & alios similes actus exercendi.

VI. *Objic. Homo post resipiscentiam non sentit eam facilitatem in operando ac ante, ergo virtutes, & consequitur gratiam in eo gradu non recuperat.*

Dices secundò: Homo post resipiscentiam non sentit eam facilitatem in virtutum actibus exercendis, quàm sentiebat ante lapsum, ergo non recuperat virtutes in eo gradu, quo eas antea habebat, ergo nec gratiam; hæc enim eadem proportione redeunt cum gratia, utpote ad quam virtutes connaturaliter, vel morali connexione sequuntur, vel physica. Respondetur, si is qui diu exercuit se priùs in actibus virtutum, & postea labitur statim resurgat, æqualem sentiet facilitatem ei, quàm antea sentiebat, sin verò peccata peccatis diu adjiciendo habitus vitiosos intensos comparet, & eadem opera virtutum acquisitos habitus amittat, nil mirum si difficultatem postea sentiat, quamvis habitus infusos habeat intensiores quàm ante lapsum; hi enim facultatem dant operandi, non facilitatem, seu posse, non facilè posse; hoc enim postremum effectus proprius est habituum acquisitorum.

VII. *Objic. Docere Sanctos Patres difficilè esse hominem post lapsum, in pristinum statum redire.*

Dices tertiò, nonnullos ex Sanctis Patribus affirmare, difficile esse hominem post lapsum redire in pristinum statum, unde in decretis de Pœnitentia refertur dictum Sancti Hieronymi, quod sic habet: *Quicumque dignitatem divini gradus non custodiunt, contenti sint animam salvare; reverti enim in pristinum statum post lapsum difficile est.* Similia habet Sanctus Augustinus, Sanctus Chrysostomus, & alii: at verò hoc secundùm nos facillimum est, cùm per minimam pœnitentiam dicamus hominem ad majorem gratiam resurgere, & consequenter ad meliorem statum quàm fuerat pristinus.

VIII. *Resp. Aliam esse gratiam præter eam quæ debetur meritis.*

Respondetur primò: Licèt recipiat pœnitens per resipiscentiam omnem gratiam quæ prioribus meritis debebatur, non tamen fortè omnem illam quæ ex opere operato per Sacramenta, aut aliter ei data fuerat de quo postea. Secundò dico: Patres per has & similes locutiones non intelligere grátiam & statum meritorum præcedentium, sed vel statum Ecclesiasticæ dignitatis, ad quem juxtà Canones restitui statim non solet is qui peccavit, licèt pœnitentiam agat, & hic sensus intenditur in decretis citatis.

IX. *Interdum Patres non de gratiâ, & statu substantiali sanctitatis intelligendi sunt, sed de accidentali.*

Aliquando verò per statum pristinum intelligunt Patres, non gratiam & gradum substantialem sanctitatis, sed quædam accidentalia, ad quæ, etiam apud Deum non statim restituuntur lapsi, ut est immunitas à pœna temporali, liberatio à pravis dispositionibus ex peccato relictis, restitutio in peculiarem illam familiaritatem cum Deo, ac speciales favores & consolationes, quas ante lapsum fortè à Deo accipere solebat, &c. unde Regius Propheta post resipiscentiam, & peccati condonationem dicit Deo, *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, &c. unde nec Adamo Justitia originalis quoad peculiarem rectitudinem in operando fuit restituta, licèt totam gratiam & substantialem sanctitatem fuisse ei redditam plurimi affirment.

X. *Objic. hanc nostram sententiam reddere homines tepidos.*

Dices quartò: Hanc sententiam reddere homines tepidos, & in virtutibus exercendis negligentes, cùm, modò in fine resipiscant, omnem gratiam priorum meritorum sint recepturi. Respondetur negando sequelam: Etsi enim totam gratiam in fine vitæ recipient, si tunc pœnitentiam agant, toto tamen tempore, quo in peccato sunt, eorum opera mortua sunt, & nullum unquam fructum ferent. Quare non est cur ob hoc tepidi sint, cùm quò plures & nobiliores actus virtutum in Christo viventes per gratiam exercent, eò majorem coronam sint recepturi, quo pauciores minorem.

XI. *Objic. Dispositio, per quam quis resipiscit, interdum non patitur,*

Dices quintò, non videri posse peccatori intuitu meritorum præcedentium restitui omnem priorem gratiam iis debitam; potest enim aliquando dispositio qua jam secundò resipiscit, esse major & melior quàm illa, per quam primò disposuit se ad gratiam, imo & intuitu cujus plus

ut tota gratia deperdita reddatur.

gratiæ detur, quàm iis meritis, vel alicui saltem eorum parti debeatur; ergo in hoc casu, vel nulla, vel non omnia saltem merita reviviscent.

XII.

Hæc & similia argumenta, si quis dicat omnes qualitates componi ex gradibus heterogeneis, non parum sunt soluta difficilia.

Hæc & alia, quæ ex compositione intensivâ qualitatum facilè cuivis occurrerent contra reviviscentiam meritorum, non carent difficultate, præsertim si quis dicat omnes qualitates componi ex gradibus heterogeneis. Si tamen dicamus componi aliquas, & in particulari gratiam ex gradibus homogeneis, non ita argumentis illis urgebimur, cùm in illâ sententiâ facilè quacumque positâ dispositione, assignare nihilominus possimus meritis suum præmium, idque clarè & sine ullâ confusione. Si autem quis dicat componi gratiam ex gradibus heterogeneis difficilior est responsio, dicere nihilominus poterit, licet quivis gradus superior sit superior inferiore, sextus quinto, quintus quarto, & sic deinceps, non tamen omnibus præcedentibus, unde licet præmium meritis assignetur intensius priori, non necessariò erit melius omnibus præcedentibus, & sic fieri poterit utcunque compensatio.

XIII.

Quid quoad gratiam, aliter quàm ob merita datam, censendum, circa reviviscentiam.

Quæres ultimò: Utrùm gratia illa, quæ intuitu Sacramentorum, vel aliter, ut ob meritum de congruo priùs data fuerat, resipiscente homine reddatur. Vasquez hîc, quæst. octogesimanona artic. quinto, dub. tertio, num. decimoseptimo, & prima secundæ, disp. 221. cap. 4. Turrianus secundâ secundæ, disp. 70. dub. 3. & alii nonnulli negant illam gratiam unquam redire. Econtra Suarez relectione citatâ, disp. 2. sect. 3. num. 56. Coninck disp. 2. de Pœnitentiâ, dub. 20. num. 170. Medina, Sotus, Valentia, Henriquez, & communior sententia Theologorum affirmat.

XIV.

Non est idem fundamentum ad dicendum hâc gratiam restitui, ac illam qua debetur meritis.

Inprimis, si hæc gratia solùm habeatur virtute Sacramentorum, aut aliunde merè gratis & liberaliter, & nullo modo ex meritis de condigno, non est idem fundamentum ad asserendum eam restitui, ac gratiam quæ correspondet meritis. Probatur, nam loca Scripturæ sectione prima posita non ita urgent de hac gratia; ille enim locus ad Hebræos sexto, sicut & ad Galatas tertio, item ex Concilio Tridentino non probant nisi de meritis. P. Suarez probat hanc etiam restitui ex Justitiâ, non intuitu meritorum pœnitentis sed Christi. At licèt nulla sit implicantia quo minùs hoc fieri potuisset, si ita Christus voluisset, de facto tamen ita esse nihil est quod probet; nec enim constat Christum hoc modo nobis sua merita applicuisse, nullum autem præmium datur intuitu meritorum Christi, ad quod ille sua merita peculiariter non applicuit.

XV.

Gratia intuitu Sacramentorum primò data, si restituatur, restituitur ex misericordiâ.

Si ergo resurgenti restituatur gratia, quam merè ex Sacramentorum susceptione consecutus quis fuerat, restituitur ex misericordiâ: quod etiam suadere aliquo modo videtur locus ille Joëlis secundo: *Reddam vobis annos, quos comederunt locusta & bruchus, rubigo & eruca*, quod tamen peculiariter applicari posse videtur ad merita & fructus operum, sicut anni illi, de quibus ibi est sermo, sunt fructus laborum, & de operibus peculiariter locum illum Joëlis intelligit Sanctus Hieronymus citatus. Certè si negetur hanc gratiam redire, faciliùs explicatur Sanctus Thomas dum asserit pœnitentem resurgere aliquando in majore, aliquando in æquali, aliquando in minore gratiâ, quàm fuit illa, quam per peccatum amiserat: & hoc modo Sanctum Thomam explicat Turrianus loco supra citato, & alii.

XVI.

Dices: Ergo homo in æternum puniretur ob peccatum remissum.

Objiciunt aliqui, hinc sequi hominem illum ob peccatum remissum puniri pœnâ æternâ, cùm in æternum orbandus sit illa gratia, quam per Sacramenti susceptionem consecutus fuerat. Suarez relectione citatâ, disputatione 1. sect. tertiâ nullum censet inconveniens ut pœna aliqua, quæ nocumentum afferat, non afflictionem, perpetua esse possit in cœlo; cùm enim, inquit, hujusmodi pœna sine dolore esse possit & tristitia, non est talis, quæ illi statui repugnet.

XVII.

Volunt aliqui hanc non esse pœnam, sed quid necessario consequens.

Dicunt alii non esse pœnam, sed aliquid naturali quâdam necessitate consequens peccatum, pœna autem illa est, quæ ita infligitur à Deo, ut possit non infligi. Contra primò: Ergo nec carentia visionis beatificæ erit pœna, cùm naturali quadam necessitate consequatur peccatum, sicque pœna damni, quæ est præcipua, non foret pœna. Contra secundò: Licèt dum manet peccatum, non possit illa gratia esse in animâ, aut restitui, hoc tamen sublato, nulla est repugnantia quo minùs in eâ reponatur.

XVIII.

Dicendum nihilominus illam non esse propriè pœnam.

Ulteriùs ergo dicendum, non esse propriè pœnam, carere in perpetuum illis gradibus gratiæ & gloriæ iis correspondentibus; ut enim carentia alicujus rei sit pœna, debet res illa vel esse necessaria ad bonum aliquod quo egemus, quod non contingit in illis gradibus gratiæ aut gloriæ, cùm iis determinatè nullus egeat ad beatitudinem, utpote sine quibus multi de facto sunt beati: vel debet res illa esse aliquo titulo debita, quod hîc non contingit, cùm non habeantur gradus illi ullo modo ex meritis, ut supponimus.

XIX.

Dices: Redire saltem debere gratiam Sacramentis illis debitam, qua vel non omnino, vel non nisi post longum tempus iterari possunt.

Objiciunt secundò alii, debere redire gratiam Sacramentalem, saltem eorum Sacramentorum, quæ iterari vel omnino, vel non nisi post longum tempus possunt, alioqui privaretur quis perpetuò fructu illorum Sacramentorum, peculiaribus scilicet auxiliis ad finem, ad quem instituuntur Sacramenta, ordinatis, hæc enim fundantur in gratiâ habituali. Respondetur, non omnia auxilia specialia fundantur in gratiâ habituali, saltem actu existente in animâ; Baptismus enim dat auxilium ad rectè suscipiendum alia Sacramenta; sicut enim dat jus ad suscipiendum Sacramenta, utpote eorum janua, ita & media ad rectam eorum susceptionem necessaria subministrat, & tamen certum est aliqua ex his auxiliis non supponere gratiam actu existentem in animâ, cùm dentur ad gratiam in animam inducendam, ut constat in auxiliis ad Sacramentum Pœnitentiæ, ab iis qui in peccato mortali existunt, ad quem effectum præcipuè institutum est, ritè suscipiendum ordinatis. Vel ergo sufficit Sacramentum aliquod, ad hoc ut conferat auxilia peculiaria, aliquando contulisse animæ illi gratiam habitualem (utpote in ordine ad quam præcipuè sumit denominationem Sacramenti) vel ad summum requiritur, etiam ad quævis auxilia, ut illorum capax sit anima, illam habere gratiam, sive hæc sit ea quam contulerunt Sacramenta, sive non, sed aliunde comparata.

DISPUTA-

DISPUTATIO NONAGESIMA PRIMA.

De Satisfactione.

SACRAMENTVM Pœnitentiæ, licèt præcipuè ad peccatorum remissionem sit institutum, utpote Sacramentum reconciliationis cum Deo, à quo homo per peccatum avertitur, habet tamen præterea pro effectu suo, saltem secundario, remissionem pœnæ peccatis debitæ: & quidem æterna semper tollitur unâ cum culpâ, temporalis verò, alia est in sequenti vitâ solvenda, ut communis habet Patrum & Ecclesiæ consensus, ut fusiùs videre licet in Bellarmino libro quarto de Pœnitentiâ, præsertim capite nono, Valentia, Tannero & aliis. Alia autem est pœna peccatis assignata, etiam in hac vitâ, ut mors peccato originali, aliæq; plurimæ pœnæ variis ob peccata in Scripturis statutæ. De utrâque hîc obiter dicendum.

SECTIO PRIMA.

Quomodo satisfaciant Iusti pro pœnâ peccatis remissis adhuc debitâ.

I. *Præsens quæstio procedit de hac vitâ.*

SERMO est de hac vitâ, nam in sequente tantùm est locus satisfactioni, ut nimirum usque ad ultimum, ut aiunt, quadrantem solvatur pœna peccatis adhuc debita, aliquam autem restare frequenter solvendam certum est, & definitum in Concilio Tridentino sessione decima-quartâ, capite octavo: Deus enim remissâ culpâ, & intrinsecâ dignitate ad pœnam, taxat justis de causis temporalem tum in hac vitâ, tum præcipuè in alterâ solvendam, non quòd tunc existat peccatum, sed quòd extiterit, unde sub eâ conditione illud condonat Deus, ut homo aliquam pœnam luat, quod & Justitia vindicativa Dei, & recta mundi administratio ac providentia exigit.

II. *Potest homo justus pro pœnâ temporali peccatis remissis debitâ, in hac vitâ satisfacere.*

Quæres itaque primò; Utrùm in hac vita possit homo justus condignè satisfacere pro pœnâ temporali, peccatis remissis, in alterâ vitâ debitâ. Respondetur cum communi Theologorum sententiâ posse. Probatur: nam Concilium Tridentinum sessione decima-quarta, capite nono docet nos per temporalia flagella à Deo immissa, & mala hujus mundi patienter tolerata, pœnasque sponte à nobis susceptas, Deo pro pœnâ peccatis nostris debitâ satisfacere: & capite octavo easdem conditiones ad hanc satisfactionem requirit, ac alibi requirit ad meritum gratiæ & gloriæ; ergo sicut secundùm Concilium meremur de condigno gloriam, ita & remissionem pœnæ temporalis. Quod argumentum probat, & posse nos pro pœnâ temporali satisfacere, & peccati etiam venialis remissionem mereri: si enim semel concedatur præter præmium essentiale actibus meritoriis debitum, posse nos aliquod aliud præmium accidentale simul mereri, possumus etiam mereri remissionem peccati venialis.

III. *Objic. Nos solùm de congruo mereri remissionem pœnæ temporalis.*

Dices cum Joanne Medina, nos solùm de congruo mereri remissionem pœnæ temporalis, & consequenter idem esse dicendum de remissione peccati venialis. Contra: Concilium eodem planè tenore verborum loquitur de remissione pœnæ temporalis ac de merito gloriæ; ergo vel nullum habemus fundamentum ex Concilio ad astruendum meritum de condigno gloriæ, vel idem dici poterit de merito remissionis pœnæ, & consequenter etiam peccati venialis.

IV. *Nec dici potest pœnas illas alterius vitæ per pœnas hic susceptas solvi.*

Dices secundò: Remissionem hujus pœnæ fieri per pœnas in hoc mundo susceptas per modum solutionis. Contra: Nulla planè est proportio inter gravissimas pœnas Purgatorii, & pœnas hujus vitæ: quâ de causâ dicere Patres solent, pœnas quas hic patiuntur homines nihil esse, si illis conferantur, & tamen ob malum quantumvis leve, quod quis hic patienter sustinet, tollitur pars aliqua illius pœnæ gravissimæ; ergo non

fit per modum solutionis, quasi aliquid in pœnâ toleretur æquale pœnæ Purgatorii, sed per modum redemptionis ut aiunt, nempe ut aliunde, seu ex præstantiâ actus compensetur quod deest in pœnâ.

V. *Hoc diversis locis indicat Concilium Tridentinum.* Hoc apertè indicat Concilium Tridentinum locis citatis, dum eadem conditiones ad hanc satisfactionem requirit, ac ad meritum, & in particulari, capite nono requirit ut quis patienter mala illa toleret in hac vitâ, ergo non malo ipsi quòd patitur sed patientiæ tribuenda est hæc remissio, alioqui non requireretur patientia; si enim hoc fieret per modum meræ solutionis, quantumcumque quis impatienter mala hujus mundi toleraret satisfaceret pro pœnâ illâ, licèt per novum peccatum foret alteri pœnæ huic peccato debitæ obnoxius, sicut si Deus alicui ob peccatum statueret infligere pœnam aliquam in hac vitâ, ut morbum, amissionem bonorum, &c. quantumvis ipse hæc impatienter ferat, non tamen restat ei alius morbus, aut aliorum bonorum amissio, licèt ob hoc peccatum puniendus sit pœnâ ei debitâ.

VI. *Offenditur quanam conditiones requirantur ad remissionem hujus pœnæ.* Quæres secundò: Quæ conditiones requirantur ad hanc satisfactionem pro pœnâ? Respondetur eadem ac pro merito gratiæ & gloriæ, nempe ut homo sit in gratiâ, seu ut loquitur Tridentinum sessione decima-quarta, capite octavo, ut vivat in Christo; in quo, inquit, satisfacimus. Secundò, ut sit actus procedens ex gratiâ: unde ait Concilium eodem capite: *Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum JESVM, nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, & cooperante, qui nos confortat, omnia possumus.* Tertiò, ut procedat à viatore, alioqui cùm animæ primo instanti separationis à corpore perfectissimè sciant suum statum, elicerent statim ferventissimos actus, & vel nullam, vel brevissimam Purgatorii pœnam paterentur, contra communem sensum Ecclesiæ, & præsim fidelium, qui diu post mortem alicujus solent pro eo orare, & anniversarias etiam preces instituere. Quartò, debet esse voluntaria, unde requirit Concilium capite illo nono ut patienter toleremus mala hujus vitæ, ad hoc ut satisfaciamus, & in hoc differt satisfactio à pura satispassione, ut vidimus, in hac quippe non requiritur ejusmodi patientia, seu voluntaria acceptatio.

VII. *Utrùm opus satisfactorii esse debeat pœnale.* Quæres tertiò: Utrùm opus satisfactorium debeat esse pœnale. P. Vasquez hîc, quæstione nonagesima quarta, articulo primo, dubio quinto negat: quod etiam insinuare videtur Coninck disp. decima, dub. quarto, num. vigesimo-nono. Communis tamen sententia est contraria: ad pœnalitatem tamen dicunt sufficere difficultatem illam, quæ reperitur in actu quovis bono eliciendo, ratione naturæ corruptæ, & inclinationis quam habent homines ad ea quæ sensibus placent: unde etsi summâ quis facilitate, imo voluptate ob passiones jam domitas, virtutem exerceat, dicunt sufficere ad satisfactionem, ac proinde quæstio fortè est de nomine, cùm dicant nullum omnino elici actum meritorium in viâ, qui non sit satisfactorius. Præcipuè tamen à Conciliis & Patribus assignantur hæc tria opera, oratio, jejunium & eleemosyna.

VIII. *Objic. Tota vis actus meritorii impenditur in merito gratiæ & gloriæ, ergo nihil restat pro satisfactione.* Dices: Non potest idem actus esse simul meritorius gratiæ & gloriæ & satisfactorius pro pœnâ temporali, nam in merito gloriæ impenditur tota ejus vis, ergo: nihil restat, quod impendatur in satisfactione pro pœna temporali, vel dicendum minus actum illum mereri gloriæ, quàm si non esset pœna pro qua satisfaciat. Respondetur: Totam quidem ejus vim impendi in merito gloriæ, sed non totaliter, nam tota etiam vis impenditur in satisfactione pro pœnâ temporali, cùm vis ejus sit indivisibilis, sicut tota vis ignis impenditur in productione caloris in se, quo tamen non obstante, potest tota etiam impendi in productione lucis, aut siccitatis. Impenditur ergo tota vis actus in merito gloriæ, non exhauritur, quare meritum præmii substantialis non obstat quo minùs adhuc mereri possit actus aliquod præmium accidentale, & quamvis exhauriatur quoad primum, ita ut non possit majus præmium substantiale mereri, non tamen per hoc præcisè exhauritur quoad secundum.

IX. *Res hæc aliquo modo explicatur per materiâ respectu formarum substantialium & accidentalium.* Aliquale exemplum hujus rei habemus in naturâ; materia prima siquidem, etiam dum sustinet in se formam substantialem, & exhauritur ejus vis respectu illius, ita ut non possit simul aliam substantialem sustentare, non tamen propterea exhauritur in ordine ad formas accidentales, sed has simul cum illâ sustinet. Quod hîc dicunt Philosophi circa influxum physicum in has perfectiones materiæ, dicere possumus nos de influxu morali meriti in præmia. Tantum ergo meretur gloriæ actus, quæ est perfectio quasi substantialis illius, sicut forma perfectio materiæ, ita ut non magis possit meritum connaturaliter habere alium gradum gloriæ, & perfectionem substantialem, quàm materia aliam formam substantialem: sicut autem hæc adhuc potest habere perfectiones alias, seu formas accidentales, ita & meritum plura præmia accidentalia simul cum essentiali.

X. *Non pari semper passu procedunt meritum & satisfactio.* Non tamen semper in actu pari passu procedunt meritum & satisfactio, meritum siquidem præcipuè spectatur secundùm excellentiam & perfectionem actus interni, satisfactio autem partim ex majore difficultate per se loquendo, & nisi proveniat ex socordiâ, aut malis habitibus per vitiosos actus contractis, partim ex actu externo ut communiter dici solet, saltem occasionaliter; unde docet Concilium nos non per bonos actus tantum quos interiùs elicimus, sed etiam per mala ipsa externa, & flagella à Deo immissa satisfacere, de quo plura Sectione sequente.

SECTIO SECUNDA.

De opere externo in ratione satisfactionis.

I. *Utrùm opus externum in ratione satisfactionis aliquid addat supra internum.* QUÆRES quartò: Utrùm opus externum aliquid addat in ratione satisfactionis supra internum, ita ut cæteris paribus plus satisfaciat qui plura passus est, esto æquali actu uterque malum acceptaverit. P. Suarez disp. trigesima-septima, sect. septima, ait, licèt requiratur ad satisfactionem aliqua voluntaria acceptatio, passivam tamen mali inflicti læsionem aliquid addere in ratione satisfactionis supra præstantiam actus interni, cùm Concilium absolutè doceat, nos per flagella satisfacere, & in his esse aliquid peculiare magis quàm in aliis rebus, cæteris paribus. Idem docet Coninck disp. decima, dub. quarto, numero vigesimo-sexto, & alii, qui consequenter

consequenter dicunt, si duo actu æqualis intensionis & perfectionis acceptent pœnam aliquam, & sola passio externa sit major in uno quàm in alio, illum tamen plus satisfacere, qui plus patitur. Qui etiam insinuare idem videntur de pœnâ durante postquam actus illam acceptans cessavit, licèt Suarez disputatione quadragesima-octava, sectione octava, id expresè neget, & disputatione 37. sect. 7. num. decimo tertio, dicat nihil in hac re certi judicari à nobis posse, sed divinæ Providentiæ relinquendum: has ergo duas quæstiones quia inter se affines conjungemus.

II. *Dicendum tamen, actū externum non magis conferre ad satisfactionem quàm ad meritum.*

Mihi itaque probabilius videtur quod docet Pater Vasquez hic, quæst. 94. art. primo, dub. septimo, num. nono & decimo, cum aliis nonnullis, videlicet non magis conferre actum externum ad satisfactionem, quàm ad meritum; unde ulteriùs etiam dico, nihil nos satisfacere per pœnas externas, nisi quamdiu durat actus voluntatis internæ, per quem denominentur liberè acceptatæ, magis quàm meremur per easdem. Ratio est, quia in tantum opus est satisfactorium, in quantum voluntariè quis & liberè illud patitur, cùm ergò propriè non sit passio illa libera, nisi quamdiu durat actus liber quo acceptatur, nec erit satisfactoria. Confirmatur primò: Sicut enim quis sciens se in somno solere occidere hominem, eâ intentione tradit se somno, non tamen peccat quando hominem occidit, ita nec in præsente. Confirmatur secundò: Sicut nullum opus externum in se bonum, in somnis elicitum, est meritorium, ita nec satisfactorium, defectu scilicet actus liberi interni ei coëxistentis, licèt ex intentione hoc opus præstandi se in iis circumstantiis det somno.

III. *Volunt aliqui, si quis ante somnum opus aliquod liberè acceptaverit, opus illud in somno factum, esse satisfactorium.*

Video nonnullos asserentes, posse hominem in somno satisfacere, si ante somnum liberè per actum internum opus illud externum acceptaverit, & aliquo modo ex hac acceptatione sequatur: unde, inquiunt, si quis jubeat famulum in eleëmosynam distribuere magnam aliquam summam pecuniæ, etiamsi ille dormiat, dum famulus nummos pauperibus distribuit, adhuc tunc satisfacit, & minùs pœnæ temporalis ei debetur, quàm ante somnum debebatur: quod licèt consequenter ad hanc sententiam dicatur, per se tamen videtur incredibile. Certè si aliquis vigilans, licèt omnia alia cogitet, ut profundissimo studio absorbeatur, aut aliud hujusmodi, satisfaciat dum famulus nummos distribuit, non video cur idem contingere non debeat dormienti, cùm quoad eleemosynam illam à famulo datam non magis vigilet, quàm si dormiret.

IV. *Objic. Asserere Concilia, nos per flagella à Deo immissa satisfacere.*

Dices, affirmare Concilia & Patres, nos per ipsas pœnas & flagella exteriùs à Deo immissa, vel ex causis naturalibus & communi rerum cursu evenientia satisfacere, ergo non solis actibus internis hoc est tribuendum. Contra: Etiam dicunt Patres, Concilia, & Scripturæ, eleemosynam patefacere cœlum, compedes & vexationes, quas pro Deo & justitiâ quis patitur fabricare coronam in cœlis, sanguinem fusum clamare de terrâ, Deum odisse rapinam in holocausto, & alia hujusmodi, ergo meremur etiam & demeremur per actus externos ultra meritum & demeritum actuum internorum, quod tamen adversarii negant. Respondetur itaque, satisfacere nos per pœnas externas quatenus faciunt unum moraliter cum internâ earum acceptatione, & voluntate patiendi.

Dices secundò, durum videri ut quando quis diu patitur gravissima tormenta non diutiùs duret satisfactio quàm actus voluntatis, quo quis ea acceptat: si ergo postea, quando cessavit actus, & pœna durat, adhuc quis per eam satisfacit, poterit etiam eo tempore vel instanti. Respondetur, nos non diutiùs per pœnas satisfacere, quàm duret actus internus, per cujus concomitantiam denominantur voluntariæ. Ad objectionem autem dico, non debere hoc magis durum videri, quàm quòd per pœnas illas gravissimas nihil tunc mereamur, sed solùm quamdiu durat actus, ut etiam admittunt adversarii. Non tamen nego, quin actus externus conducat aliquo modo ad satisfactionem, tum quia quò graviores ac diuturniores sunt pœnæ subeundæ, eò majus requiritur animi robur, & actus excellentior; tum quia dum pœnæ durant, frequenter inde homo occasionem sumit actus illos renovandi, & alios præstantiores exercendi. Si tamen quis diceret, per pœnam temporalem in hoc mundo, quasi ex opere operato remitti partem pœnæ in purgatorio persolvendæ, hoc non est satisfacere pro pœnâ, sicut nec satisfaciunt homines pro peccatis, quæ ipsis in Sacramento, aut per aquam benedictam, & reliqua sacramentalia remittuntur.

V. *Objic. Durum videri, dum quis diu patitur, tormenta, eum non diutiùs satisfacere, quàm durat acceptatio.*

Dices tertiò: Pœnæ sæpè immittuntur ita ab extrinseco, ut non sit in nostrâ potestate eas non pati, ergo non est necessarium, ut nobis sint liberæ. Distinguo consequens: Ut nobis sint liberæ, id est ut possimus eas pati, vel non pati, concedo consequentiam, ut non sit necessaria libera nostra earum acceptatio, nego. Et quoad hoc idem est de merito: nam si Deus aliquid Christo præcepisset, determinando omnes circumstantias externas, adhuc potuisset mereri illud faciendo, modò circumstantiæ etiam actus interni non fuissent omnes etiam determinatæ. Nihil ergo obstat libertati requisitæ ad satisfactionem, quòd pœna externa non sit in nostrâ potestate, sed necessariò, & ab extrinseco subeunda.

VI. *Objic. 2 quæ frequenter ita immittuntur, ut non possimus eas non pati, ergo non sunt nobis libera.*

Quæres quintò: Utrùm ad satisfactionem requiratur ut sint opera supererogationis, an etiam fieri possit per opera aliàs præcepta. Negant aliqui, posse nos satisfacere per opera præcepta; sed contraria sententia communis est & vera. Probatur primò: Nam alioqui per jejunia, quæ præcipit Ecclesia, nulla fieret satisfactio, contra communem conceptum omnium. Secundò: Quia alioqui Martyres gravissima tormenta, & mortem ipsam pro Fidei defensione patientes, per hæc non satisfacerent, cùm teneantur hæc & his graviora, si hujusmodi detur occasio, perpeti.

VII. *Fieriné possit satisfactio per opera aliàs præcepta.*

Dices, non posse nos per idem opus satisfacere duobus titulis. Respondetur, quicquid sit in humanis (licèt ibi etiam posse subinde per eandem rem satisfieri duobus titulis ostendimus tractatu de Incarnatione, disput. 43.) aliud hìc contingit, cùm ut jam probavimus ex Concilio, possit quis præter meritum gratiæ & gloriæ, quod in hoc actu relucet, mereri etiam per illum remissionem pœnæ temporalis: & certum apud omnes esse debet nos per observationem mandatorum, & consequenter per opera præcepta mereri gloriam, ergo & per opera præcepta poterimus etiam mereri remissionem pœnæ temporalis, seu quod eòdem recidit, pro illâ satisfacere.

VIII. *Nil obstat quo minùs possit quis per idem opus satisfacere duobus titulis.*

Quæres

IX. *Deturnè in hac vita pura satispassio*

Quæres sextò: Utrùm in hoc mundo detur pura satispassio? Respondetur, respectu pœnarum, quæ infliguntur in hac vitâ, dari: unde licèt quis impatienter morbum aut aliud flagellum à Deo pro peccatis immissum ferat, adhuc tamen satis-patitur, seu solvit quod debet, etsi per suam impatientiam peccet, & novam pœnam, vel in hac vel sequenti vitâ patiendam mereatur. Quando autem Concilium Tridentinum requirit patientiam in tolerandis pœnis à Deo immissis, sermo est de satisfactione, idque ad redimendum pœnam in alterâ vitâ persolvendam. Unde licèt de facto animæ in purgatorio summâ cum patientiâ & resignatione pœnas illas ferant, si tamen aliter facerent, adhuc satis-paterentur, quia nimirum quod ibi fit, fit per modum solutionis puræ, ut scilicet tantum solvant, quantum debent, quo soluto sunt ab illo onere immunes.

X. *Hinc dicunt aliqui, peccatum veniale conjunctum mortali perpetuò in inferno puniri.*

Hinc ulteriùs inferunt aliqui, peccatum veniale, cùm semper maneat in inferno conjunctum cum mortali, perpetuò etiam cum illo puniri, non quòd mereatur pœnam æternam, sed quòd per accidens hoc contingat, Sicut si quis ob debitum pecuniarium conjiciatur in carcerem, donec pecuniam illam solvat, & aliunde ob aliud delictum privetur omnibus bonis, hic per accidens perpetuò detinetur in carcere, ubi carcer debetur per se debito pecuniario, perpetuitas autem per accidens, quod scilicet aliunde reddatur impotens ad solvendum: sic pœna illa debetur peccato veniali per se, perpetuitas per accidens, quia privatur peccator per peccatum mortale omni auxilio & congruâ cogitatione ad resurgendum. Quare dici posse videtur, peccatum veniale, si conjungatur cum mortali, mereri per accidens puniri pœnâ æternâ, in quo tamen sufficienter distinguitur à mortali, quod non per accidens, sed per se petit illam pœnam, cùm sit ab intrinseco irreparabile.

XI. *Affirmant nonnulli peccatum veniale pœnâ levissimâ per totam æternitatem esse puniendum.*

Aliqui tamen dicunt, peccatum veniale puniri in inferno æternâ pœnâ, adeo levi & remissâ, ut non superet in æstimatione morali pœnam aliquot dierum, vel saltem annorum, quâ puniendum fuisset sine mortali: sicut enim aliqua delectatio temporalis potest esse adeo perfecta, ut superet in æstimatione morali, & expetibilitate aliquam æternam, ut visio Dei per mille annos visionem prati amœni per æternitatem, ita è contrario philosophantur de pœnâ.

XII. *Quid si post-quam peccata mortalia vel venialia remittuntur, aliud peccatum mortale committatur.*

Hæc inquam, licèt ita sint de peccato veniali conjuncto finaliter cum mortali, inferunt tamen nonnulli, & videtur mens Divi Thomæ in quarto, dist. 22. quæst. 1. art. primo, si vel peccata venialia, vel etiam mortalia remittantur, ita tamen, ut aliqua pœna temporalis remaneat solvenda, & quis in mortali postea commisso decedat, inferunt inquam hanc pœnam posse in inferno per satispassionem uiri; jam enim solvit quantum debet. Quòd autem patienter vel impatienter pœnam illam ferat, nil refert, ut de pœnis in hac vitâ infligtis diximus præcisè respectu earum, quæ ferendæ in hac vitâ pro peccatis inferuntur: cùm ergo similiter in inferno is persolverit omnem pœnam taxatam, nil restat ampliùs solvendum.

XIII. *Possitne quis pro alio satisfacere,*

Quæres septimò: Utrùm possit quis pro alio satisfacere? Respondetur: Licèt hoc pendeat præcisè ex voluntate Dei, qui, ut potest has vel illas pœnas ex Justitiâ suâ vindicativâ in punitionem peccati statuero, ita etiam ab ipsâ personâ delinquente satisfactionem, si velit exigere: unde sicut quantumcunque quis in se suscipiat alias pœnas quàm quæ à Deo sunt taxatæ, non tamen satisfaceret, ita nec si alius pro illo pœnam luat, satis foret ut illo à pœnâ eximatur. Nihilominus si Deus velit acceptare satisfactionem alterius, puto posse eum pro illo satisfacere.

XIV. *Dices: Non posse unum alteri mereri, ergo nec pro alio satisfacere.*

Nec urget quod objiciunt aliqui, non posse unum pro alio mereri gratiam & gloriam, ergo nec satisfacere pro pœnâ temporali; primò enim in tractatu de Incarnatione, disput. 43. sect. primâ ostendi, posse unum alteri divinitùs saltem mereri de condigno gratiam & gloriam. Deinde lata est disparitas; si enim quis mereatur alteri gratiam & gloriam, debet privare se illo præmio, inordinata autem Charitas videtur, ut quis se præmio illo æterno, & substantiali privet in gratiam alterius, quod verò privet se bono aliquo temporali, nil incommodi, cùm totum præmium substantiale debitum illi actui habeat, imo illud augeat, & frequenter potest nulla propria restare pœna, pro quâ debeat satisfacere, quare tunc saltem, sicut dicuntur satisfactiones illæ superabundantes reponi in thesauris Ecclesiæ, ita & sufficere possunt pro alio, si illi ex intentione satisfacientis, & Dei voluntate applicentur.

XV. *Vi satisfactio prosit alteri, debet is cui applicatur, esse in gratiâ.*

Ut autem satisfactio unius prosit alteri, debet ille pro quo offertur, esse in gratiâ: sicut enim non potest satisfactio illius, qui non est in gratiâ, prodesse ipsimet satisfacienti, ir .ec alterius satisfactio eidem prodesse potest. Dices: Secundùm priùs dicta, pœna temporalis pro peccatis tum venialibus tum mortalibus relicta persolvitur in inferno, ergo pro damnatis poterit quis offerre satisfactionem, saltem pro pœnâ peccatis remissis debitâ. Nego consequentiam: Primò quia non spectant ad communionem Sanctorum, quare sicut nihil illis prodest per modum impetrationis, ita multo minùs per modum satisfactionis prodesse potest. Deinde sunt in ejusmodi statu, in quo non est locus ampliùs ulli misericordiæ: unde Deus non vult pro iis acceptare satisfactionem alterius, nec hanc iis gratiam præstare, sed exigere solutionem usque ad ultimum quadrantem.

SECTIO TERTIA.

De Satisfactione Sacramentali.

I. *Quid nomine satisfactionis Sacramentalis intelligatur.*

Satisfactio sacramentalis illa est, quæ à Sacerdote pœnitenti injungitur, quam supra ostendimus, esse partem hujus Sacramenti, non essentialem, sed tantùm accidentalem.

II. *Quem effectum habeat satisfactio Sacramentalis.*

Prima itaque difficultas circa satisfactionem sacramentalem est, quem effectum habeat? De duobus præcipuè est sermo, nempe de remissione pœnæ temporalis, & de gratiâ habituali. Quoad primum, communis sententia Theologorum, quos refert & sequitur Suarez hîc, disp. 38. sectione secundâ, Vasquez quæst. 94. art. secundo, dub. quinto, Henriquez lib. quinto, cap. vigesimo, num. septimo, Coninck disp. decimâ, dub. decimo, & alii, ait pœnitentiam sacramentalem à Sacerdote injunctam, ubi expletur, tollere ex opere operato pœnam temporalem, non ita ut aliqui volunt, quod quævis minima pœnitentia tollat omnem pœnam; hoc enim omnino impro' 'ile esse ait Coninck citatus numero nonagesim , & Suarez num. sexto asserit, voluntariè & sine fundamento dici, cùm in hoc justitiæ

justitiæ proportionem & æqualitatem servare debeat Sacerdos constitutus à Deo judex in hoc negotio, non Dominus, æquitas autem judicii postulat, ut pro pluribus & gravioribus delictis, major injungatur pœnitentia. Quantumvis verò parva injungatur satisfactio, semper habet aliquem effectum ex opere operato. Unde est quædam pœnitentia sufficiens ad omnem pœnam auferendam, quædam superabundans, quædam deficiens, licèt non omnino destituta omni effectu.

III. *Dicunt nonnulli, pœnitentiam Sacramentalem expletam conferre gratiam habitualem.*

Quoad secundum, de gratiâ habituali docet Suarez sectione secundâ, Pœnitentiam sacramentalem impletam conferre gratiam habitualem, citatque pro se Caietanum & Sotum. Contraria tamen sententia videtur probabilior, quam tenet Coninck disp. 10. dub. decimo, num. 9. & alii, & supponit Vasquez quæst. 94. art. secundo, dub. primo. Ratio est, quia alioqui quisquis in mortali pœnitentiam impleret, peccaret mortaliter ponens obicem gratiæ, sicut ob eandem rationem peccat mortaliter quisquis in mortali recipit Eucharistiam, aut aliud Sacramentum vivorum, imo & qui sciens ponit sufficientia ad valorem non ad fructum Baptismi & Pœnitentiæ, sicque illi, quibus Pœnitentia per longum tempus explenda imponitur, tenerentur sub mortali se conservare toto eo tempore in gratiâ, vel toties se de novo ponere in gratiâ, quoties pœnitentiam explent: unde Suarez disp. 38. sect. 8. fine ob hoc argumentum ait, hunc effectum collationis gratiæ per satisfactionem, esse valdè incertum, & probabiliter negari posse vel ob hoc ipsum, ne scilicet tantum onus homini imponatur.

IV. *Argumenta varia pro collatione gratiæ per pœnitentiam.*

Objicies primò cum Suario citato: Si satisfactio peracta fuisset ante absolutionem augeret gratiam, ergo & post absolutionem expleta. Secundò est pars Sacramenti secundùm Concilia, ergo debet conferre gratiam: tertiò orat Sacerdos ut quicquid boni fecerit pœnitens fiat in augmentum gratiæ: quartò Sanctum Thomam.

V. *Pœnitentia expleta ante absolutionem cur augeat gratiam.*

Ad primum consequentia negatur; id enim fit ratione melioris dispositionis, non quia pars Sacramenti, quod & de aliis bonis actibus sacramentalem absolutionem subsequentibus fatentur omnes.

VI. *Satisfactio non est pars essentialis, sed solùm integralis Sacramenti Pœnitentiæ.*

Ad secundum negatur etiam consequentia; solùm enim est pars integralis, hæc autem non semper sortitur eandem naturam cum toto vel partibus essentialibus, ut sanguis, ungues, & capilli in homine, qui secundùm probabilem sententiam non informantur animâ, saltem rationali. Idem est de formis brutorum, quæ si habeant partes, habent heterogeneas. Clariùs autem hoc constat in rebus artificialibus, aut ex institutione, qualia sunt Sacramenta; nec enim omnes partes domus aut navis sortiuntur eandem naturam. Sic satisfactio licèt non conferat gratiam, complet tamen illud & perficit quod gratiam confert, nam juxta Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite tertio, in tantum satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, in quantum ex Dei institutione ad plenam & perfectam peccatorum remissionem requiritur, ad hoc autem sufficit si pœnam remittat, quâ non penitus remissâ, non censetur peccatum plenè & perfectè remitti, saltem quoad aliquem illius effectum.

VII. *Ad quid oratio illa*

Ad tertium etiam orat Sacerdos ut merita Beatæ Virginis & omnium Sanctorum sint in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ: quæ tamen non sunt pars Sacramenti. Solùm ergo orat ut ea omnia profint eo modo quo possunt, mediatè scilicet, impetratoriè, ex opere operantis, &c. *sacerdotis post absolutionem dicatur.*

Ad quartum licèt negari non possit, quin S. Thomas tertiâ parte quæst. nonagesimâ, art. secundo, ad secundum obiter affirmare videatur, satisfactionem conferre augmentum gratiæ, cùm tamen in quarto, dist. 16. quæst. primâ, art. primo, quæstiunculâ secundâ, ad tertium apertè affirmet contrarium, debet, inquit P. Coninck, secundùm eum locum exponi, qui rationi longè conformior est. VIII. *Quædam circa mentem S. Thomæ de collatione gratiæ per pœnitentiam Sacramentalem.*

Ad clariorem autem intelligentiam S. Thomæ notandum, eum cùm in distinctione citatâ hoc idem argumentum sibi proposuisset, nempe satisfactionem non esse partem Sacramenti, si non conferat gratiam, respondet gratiam conferri ex proposito satisfactionis, licèt non conferatur ex satisfactione actuali, vel posse dici partem Sacramenti, quatenus per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ destruentis peccatum, quia scilicet per satisfactionem liberatur quis penitus à reatu pœnæ, & ab ultimo quasi vinculo peccati. Quidni ergo locum illum tertiæ partis eodem modo explicare poterimus, & dicere Sanctum Thomam solùm velle satisfactionem conferre augmentum gratiæ aliquo modo extensivè, id est perficere gratiam secundùm quod est deletiva peccati, quia satisfactio tollit quasi reliquias peccati, seu effectum ultimum illius, nempe reatum pœnæ. IX. *Quid ad argumentum illud respondeat S. Thomas, nempe satisfactionem non esse partem hujus Sacramenti, si non conferat gratiam.*

Secunda difficultas est, quando satisfactio conferat effectum? Inprimis, si impleatur ante absolutionem, sicut antiquitùs frequenter fiebat, non habet effectum nisi absolutione positâ, tum quia necdum absolutus est à culpâ, tum quia non est adhuc pars Sacramenti, cùm ante absolutionem Sacramentum necdum sit positum, sacramentalis autem satisfactio quod habet, habet virtute clavium. X. *Quo tempore Sacramentalis satisfactio suum conferat effectum.*

Quæres: Si satisfactio ponatur quando quis est in statu peccati, utrùm habebit effectum? Mihi videtur probabiliùs tunc non habere effectum, cùm non sit pura satisfactio, sed satisfactio, quæ requirit personam esse gratam Deo. Licèt autem impleatur in statu peccati mortalis satisfactio, postea tamen recedente fictione probabile est reviviscere ad effectum remissionis pœnæ, sicut Sacramentum ipsum reviviscit ad remissionem culpæ. XI. *Si pœnitentia impleatur in statu peccati mortalis non habet tunc effectum.*

Tertia difficultas est, Utrùm aliquid merè internum injungi possit pro pœnitentiâ? Videtur non posse, nam ut sit pars Sacramenti, debet esse quid sensibile. Ad hoc tamen dico posse; licèt enim per se non sit quid sensibile, sicut nec contritio, sicut tamen ut hæc sit pars essentialis Sacramenti sufficit quòd reddatur sensibile per aliud, nempe per confessionem, sicut corpus Christi per species, ita ut actus internus sit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, sufficit quòd reddatur sensibilis, vel per confessionem, vel impositionem Sacerdotis. Deinde, cùm in foro pœnitentiæ puniantur, non externa tantùm peccata, sed etiam merè interna, possunt puniri per pœnam similiter merè internam. XII. *Possitne quid merè internum injungi pro pœnitentiâ Sacramentali.*

QUÆSTIO

SECTIO QUARTA.

Alia quædam de satisfactione Sacramentali.

I. *Sitnè pœnitentia imponenda per modum præcepti.*

QUARTA difficultas: Utrùm pœnitentia imponenda sit per modum præcepti? Posse hoc modo imponi pœnitentiam, cùm Concilium Florentinum & Tridentinum sess. decimâ quartâ, capite nono, doceant satisfactionem Sacramentalem esse pœnam impositam arbitrio Sacerdotis, videtur indubitatum. Deinde, cùm Sacerdos hic sit judex, & habeat potestatem ligandi & imponendi pœnitentias, ut docet Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, canone decimo quinto, videtur certum posse obligare pœnitentem. Unde licèt possit pœnitens velle saltem pro venialibus, quæ non tenetur confiteri satisfacere aliis modis, posito tamen quòd uti velit beneficio Sacramenti, & se subjicere clavibus, debet eo modo satisfacere quo Sacerdoti & Judici visum fuerit, cujus hoc arbitrio est permissum: quod à fortiori dicendum de mortalibus, quamvis Scotus, Gabriël, Medina, Navarrus, & alii nonnulli videantur dicere contrarium.

II. *Cõfessarius, quando potest, debet injungere pœnitentiam.*

Ulteriùs: Licèt quando pœnitens pœnitentiæ capax non est, ut contingit subinde in moribundo, aliàs tamen non potest solùm, sed etiam debet Confessarius pœnitentiam injungere, ne sine causâ mutiletur Sacramentum: quamvis ut docet Suarez sectione tertiâ, numero quarto, quando Confessarius ex ipsâ materiâ confessionis, & signis doloris, colligit pœnitentem jam pro peccatis satisfeciſse, possit eum absolvere, nullâ injunctâ pœnitentiâ.

III. *Probabile tamen est non esse necessarium semper pœnitentiam imponere per modum præcepti.*

Probabile tamen est, non esse necessarium semper pœnitentiam imponere per modum præcepti, sed, ubi magis ad bonum pœnitentis esse perspectum est, posse illam applicare solùm per modum consilii, quod si faciat, est actus jurisdictionis, & aliquo modo ligat, quia nimirum non potest consequi ex opere operato remissionem pœnæ per hoc Sacramentum, nisi pœnitentiam illam expleat, unde etiam satisfactio hoc modo imposita elevatur per claves ad illum effectum præstandum.

IV. *Probabilius tamen est, debere pœnitentiam Sacramentalem imponi per modum præcepti.*

Hoc inquam licèt sit probabile, probabilius tamen videtur quod docet Vasquez quæst. 94. art. secundo, Coninck disp. decimâ, dubio 8. num. sexagesimo quarto, & alii, nempe debere semper imponi pœnitentiam per modum præcepti, tum quia docet Concilium Tridentinum sess. 14. capite octavo debere Sacerdotes imponere & injungere satisfactionem pœnitentibus, quæ voces præceptum sonant, non consilium. Deinde paulo post eodem capite rationem subjungit Concilium, quia claves Sacerdotibus non ad solvendum tantùm, sed etiam ad ligandum sunt concessæ: si quis autem dicat Sacerdotem propterea per pœnitentiam impositam per modum consilii ligare, quia efficit ut si per hoc Sacramentum pœnitens consequi velit remissionem pœnæ, debeat pœnitentiam injunctam implere, eodem modo dicere posset ligare Pontificem dum indulgentias aut privilegia aliqua concedit, ut enim quis horum fructum percipiat, debet ea facere, quæ facienda assignantur.

V. *Quæ sit obligatio pœnitentis ad explendam pœnitentiam.*

Circa obligationem pœnitentis in explendâ pœnitentiâ impositâ sub præcepto docet Soto, Suarez disp. 38. sect. 7. num. quinto, Layman tractatu sexto, cap. decimo quinto, num. septimo, & alii nonnulli, non teneri pœnitentem per se loquendo sub mortali implere pœnitentiam, quando injungitur, vel pro peccatis tantùm venialibus, vel mortalibus priùs subjectis clavibus. Coninck tamen disp. 10. dub. nono, num. octogesimo, Henriquez, & alii putant pro venialibus aut mortalibus per Sacramentum priùs dimissis posse imponi pœnitentiam gravem, & gravem oriri obligationem eam implendi.

VI. *Si pœnitentia sit levis, non obligatur pœnitens sub mortali eam implere.*

Si tamen pœnitentia sit levis, sive imponatur pro mortalibus sive venialibus, docent Auctores communiter non esse obligationem gravem illam adimplendi: unde inquit Coninck loco citato, si omittantur tres vel quatuor orationes Dominicæ, sive eæ sint tota pœnitentia injuncta, sive tantùm illius pars, erit peccatum solùm veniale, ut communiter Doctores fatentur, cùm sit materia tantùm levis, quæ in omni præcepto excusat à mortali.

VII. *Non refert quoad obligationem implendi pœnitentiam, quòd non teneatur pœnitens peccata illa confiteri.*

Dices, non tenebatur homo ille sub mortali confiteri peccata illa venialia, ergo neque obligari poterit sub mortali ad pœnitentiam pro iis injunctam adimplendam. Contra: Nec tenebatur ea confiteri sub veniali, & tamen posito quòd ea sit confessus, & injungatur pœnitentia, debet eam explere, saltem sub veniali, ut etiam fatentur contrarii. Contra secundò: Licèt non teneatur ea confiteri, nec sub mortali nec veniali, posito tamen quod ea confiteatur, debet ad minimum adferre attritionem de iis, ergo fatendum ab omnibus est ad actionem aliquam liberè positam posse sequi obligationem alterius.

VIII. *Possitnè unus pro alio satisfacere.*

Quinta difficultas est: Utrùm possit unus pro alio satisfacere, implendo pœnitentiam illius sacramentalem. Quoad hoc verior videtur pars negativa, de iis saltem actionibus, quæ sunt illius solùm qui ea exercet, ut sunt oratio, jejunium, &c. Eleëmosyna enim licèt per famulum fiat, est tamen opus Domini. Probatur ex Concilio Florentino in decreto ad Armenos, & Concilio Tridentino sessione decimâ quartâ, capite tertio, & canone quarto, ubi definitur partes materiæ Sacramenti Pœnitentiæ esse ipsius pœnitentis actus, confessionem, contritionem, & satisfactionem, ergo sicut confessio vel contritio alterius non potest esse pars essentialis Sacramenti, per quod pœnitens absolvitur, sed debet esse confessio & contritio ejusdem, ita nec satisfactio alterius potest esse pars integralis: quod etiam verius videtur, licèt permittente Confessario id fiat, aut injungente jejunium, aut aliud hujusmodi disjunctivè ab ipso pœnitente scilicet vel alio implendum; tunc enim satisfactio pœnitentis non est jejunium alterius, sed procuratio hujus jejunii à pœnitente facta, quare posito jejunio alterius liberatur pœnitens à jejunio, quia jam id fieri curavit quod curare tenebatur.

IX. *Si pœnitens reddatur impotens ad implendam pœnitentiam, ab illo onere liberatur.*

Unde si pœnitens reddatur impotens ad implendam pœnitentiam directè & sine disjunctione sibi impositam, non teneretur curare ut alius illam impleat. Si etiam, ut cum Dominico Soto, Majore, Petro Soto, & aliis notat Vasquez quæst. 94. art. secundo. dub. quarto, num. 1. si quis oblitus sit pœnitentiæ, etiam culpabiliter, manet liber ab obligatione eam implendi quamdiu illius recordari non potest, nec Confessarium iterum adire, quod facere teneretur, ut ait Coninck disp. 10. dub. nono, num. octogesimo sexto, si brevi post injunctam pœnitentiam illius obliviscereretur, & crederet Confessarium adhuc

adhuc illius esse memorem, præsertim si pœnitentia gravis sit, non tamen tenetur peccata illa secundò confiteri, ut pœnitentiam pro iis denuò accipiat, sed si oblivio culpabilis fuerit, tenetur culpam illam fateri.

X. *Possitne unus Confessarius mutare pœnitentiam ab alio injunctam.*

Sexta difficultas est: Utrùm unus Confessarius possit, auditâ iterum confessione pœnitentis circa eadem peccata, pœnitentiam ab alio injunctam commutare, aut minuere. Negat Soto, Victoria, & alii, quos sequitur Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 3. num. 8. licèt contrarium dicat esse probabile. Contraria tamen sententia communis est, & vera, quæ asserit quemvis Sacerdotem habentem jurisdictionem in peccata, ob quæ pœnitenti injuncta fuit ab alio Confessario pœnitentia, posse eam mutare, etiam in minorem, si ita expedire judicet: ita Suarez disp. 38. sect. 10. Coninck disp. 10. dub. 12. num. 100. & alii, ad quod inquiunt, parum refert, utrùm Sacerdos ille, qui mutat pœnitentiam, sit superior an inferior ei qui pœnitentiam injunxit, cùm respectu illorum peccatorum, in quæ habet jurisdictionem, sit quivis Sacerdos in hoc foro supremus Judex sub Christo.

XI. *Quivis Sacerdos in hoc foro habet plenam potestatem in peccata omnia, in quæ habet jurisdictionem.*

Probatur hæc sententia, nam quivis Sacerdos in hoc foro habet plenam potestatem respectu eorum peccatorum, in quæ habet jurisdictionem, ergo sicut quia unus Episcopus habet æqualem potestatem præcedenti, potest ei succedens mutare vel mitigare pœnam aliquam ab eo injunctam in quantum erat Episcopus, ita & unus Sacerdos in hoc foro succedens alteri, potest similiter pœnam ab eo hîc injunctam mitigare, aut etiam mutare, si bono pœnitentis ita viderit expedire.

XII. *Quid si aliqua ex iis peccatis erat reservata.*

Quæres: Utrùm si illa peccata vel omnia, vel aliqua erant reservata, possit alius Sacerdos, qui non habuit in illa jurisdictionem mutare pœnitentiam à priore Confessario pro iis injunctam: videtur enim posse, cùm jam per priorem confessionem remissa sint, & consequenter ablata eorum reservatio: ita opinatur Vasquez citatus, Henriquez lib. quinto de Sacramentis, cap. 22. Navarrus, & alii nonnulli.

XIII. *Contrarium nihilominus videtur probabilius.*

Contrarium tamen videtur probabilius, quod docet Suarez citatus, num. decimo quarto, Coninck num. 101. & alii, nempe non posse inferiorem mutare pœnitentiam à superiore pro peccatis reservatis injunctam. Licèt enim, cùm jam reservata non sint, inferior habeat plenam in ea potestatem quoad secundam absolutionem, non tamen habet potestatem quoad primam sententiam circa illa prolatam; nec enim succedit in eodem tribunali, & consequenter cùm sententia præcedens sit superioris ut superioris, non potest circa eam quidquam, per se loquendo mutare inferior.

XIV. *Virùm, ut mutetur pœnitentia ab alio injuncta, debeat pœnitens omnia illa peccata alteri Sacerdoti aperire.*

Quæres secundò: Utrùm ad hoc ut unus Confessarius mutet vel mitiget pœnitentiam ab alio injunctam, opus sit ut illa omnia peccata, pro quibus à priori injuncta est pœnitentia, iterum in confessione alteri aperiat. Inprimis conveniunt omnes debere hoc fieri in confessione sacramentali, saltem aliquorum peccatorum, cùm fiat per potestatem ordinis.

XV. *Existimant plurimi eorundem peccatorum repetere, quod inquiunt, etiam requiritur, ut idem Sacerdos, qui imposuit, eam mutet nisi intra tale tempus illud faciat, ut adhuc censeatur moraliter idem judicium, nempe intrà spatium unius diei, aut circiter, ut vult Sotus, & Coninck, aut etiam plurium dierum, ut unius hebdomadæ, ut ait Henriquez: alii demum dicunt, id fieri posse etiam post longum tempus, si Confessarius illorum peccatorum recordetur: sicut enim inquiunt, impletio pœnitentiæ, etiam post longum tempus, potest constituere moraliter unum integrum Sacramentum cum aliis duabus partibus, ita & illius mutatio potest spectare moraliter ad idem judicium.* *eatorum confessionem esse alteri instituendam.*

Alii tamen & graves Doctores, ut Victoria, Navarrus, Toletus, Sa, Henriquez, Diana, & alii negant necessariam esse eorum peccatorum confessionem, sed sufficere aiunt, ut cognito præsenti statu pœnitentis judicet Sacerdos expedire ut pœnitentia mutetur. Imo addunt aliqui, posse saltem Summum Pontificem, non per indulgentias tantùm, sed etiam directè per summam potestatem, quam habet in ea quæ aliquo modo pendent à jurisdictione Ecclesiasticâ, & quoad hoc sunt aliquo modò juris humani, quo in genere Pontifex habet plenitudinem potestatis; dicunt, inquam, posse eum absolutè mutare illam pœnitentiam. Hæc autem omnia intelligenda sunt, quando pœnitentia priùs injuncta fuit justa; si enim sit injusta, non est opus commutatione, cùm nulla sit obligatio illam implendi. XVI. *Multi tamen negant ad mutationem pœnitentiæ requiri ut quis denuò peccata illa confiteatur.*

Septima difficultas est: Qualis pœnitentia sit pro peccatis injungenda? Quoad hoc, licèt juxta Tridentinum sess. decimâ quartâ, cap. 9. dicatur, satisfactionem imponendam esse arbitrio Sacerdotis, tamen, ut habetur cap. octavo, ejusmodi pœnas injungere debent Confessarii, quas & qualitas criminum & pœnitentium facultas postulat, ne aut indulgentiùs cum iis agendo alienorum peccatorum participes efficiantur, aut nimis graves pœnitentias imponendo homines à Sacramento deterreant, & subinde ad infernum mittant, eo quòd pœnitentiam non impleant. XVII. *Qualis pœnitentia sit pro peccatis injungenda.*

Æquitas ergo quædam servanda est, ut pro majoribus & pluribus peccatis major injungatur pœnitentia, habitâ tamen semper ratione dispositionis pœnitentis: unde per se loquendo, quo quis meliùs est per dolorem dispositus, minor injungi poterit. Pro publicis autem peccatis publicæ injungi possunt pœnitentiæ, ut contra Navarrum docent omnes communiter, & olim usurpatum fuit ab Ecclesiâ. Neque hoc est violare sigillum, cùm quicquid fit, consentiente & operante pœnitente fiat, & id solùm agente, quod jure naturæ tenetur ad auferendum scandalum. XVIII. *Habenda etiam ratio dispositionis pœnitentis.*

Tandem, quamvis injungi in pœnitentiam à Sacerdote possit opus aliquod, ad quod aliàs pœnitens tenetur, ut jejunare tali die, in quo jejunium præscribit Ecclesia, nihilominus quando absolutè Sacerdos aliquid injungit indeterminatè, intelligendum est juxta communem sententiam Doctorum de re aliàs non præceptâ. Quando verò aliquid certo tempore implendum injungitur, debet per se loquendo, si eo die occurrat impedimentum, postea ubi commodè fieri potest, impleri, cùm tempus assignari soleat, non ut ei pœnitentia alligetur, sed ne nimiùm differatur. XIX. *Injungi in pœnitentiam potest opus aliàs præceptum.*

DISPUTATIO NONAGESIMA SECUNDA.

De Confessione Sacramentali.

PRÆCIPVAM difficultatem circa Confessionem discussimus suprà cùm de formâ absolutionis, nempe utrùm possit quis confiteri Sacerdoti absenti: reliqua itaque hîc subjiciemus.

SECTIO PRIMA.

Quomodo, & quo jure necessaria sit Confessio?

I. *Certum est aliquam confessionem esse de essentiâ Sacramenti pœnitentiæ.*

IN PRIMIS notandum confessionem aliquam ita esse de essentiâ Sacramenti Pœnitentiæ, ut sine eâ omnino consistere non possit, quicquid opinentur Recentiores aliqui, qui dicunt in extremâ necessitate, quando quis subitò destituitur sensibus, ita ut nullum signum externum dare possit, quo Confessionem petat; hunc inquam dicunt, modo interius de peccatis verè doleat, validè absolvi posse. Sed contra est, quia hoc Sacramentum institutum est instar judicii, in quo ita necessaria est aliqua accusatio ut sine ea nullum esse possit judicium: unde in nullo casu necessitatis potest dari hoc Sacramentum sine Confessione, cùm hæc sit pars illius intrinsecè constitutiva, alioqui dicere quis posset Baptismum similiter in casu necessitatis sine aquâ in vino aut lacte dari posse.

II. *Moribundus, si nullum det, aut dederit signum doloris, non potest absolvi,*

Quare nullo modo probandus est mos, quem, ut refert Præpositus dubio quinto usurpant nonnulli, qui ipso facto quòd quis in Ecclesiâ vixerit, si subitò destituatur sensibus, ita ut nullum doloris signum edere possit, eum tamen absolvunt. Nec valet exemplum ductum ab Extremâ-unctione, quæ nullo doloris signo edito solet moribundis administrari; ad hoc enim Sacramentum sufficit consensus internus, quem quisque vivens in Ecclesiâ habere præsumitur, nisi constet contrarium; nullus enim est, qui non optet media ad peccatorum remissionem ab Ecclesiâ usurpata sibi adhiberi: at verò ad Sacramentum Pœnitentiæ confessio requiritur, & consequenter signum aliquod externum, quo quis se coram Sacerdote tanquam Judice accuset, quod non facit ipso facto quòd in Ecclesiâ vivat, cùm multi sine ullo peccatorum dolore vitam transigant, Confessio autem debet esse dolorosa accusatio, ut in superioribus dictum est.

III. *Huic opinioni non obstat*

Nec obstat quod docet Sanctus Augustinus libro de Adulterinis conjugiis capite ultimo; ibi enim comparat pœnitentem cum Catechumeno, & ait sicut Catechumeno, si subitò destituatur sensibus administrari debet Baptismatis Sacramentum, ita & pœnitenti Sacramentum Pœnitentiæ: unde sicut Catechumeni, ipso facto quod essent Catechumeni petebant Baptismum, & nisi aliquo modo eum petiissent, baptizari non poterant, ita nec pœnitens nisi aliquo modo confessionem, aut absolutionem petiisset, absolvi. Probabile etiam est, Sanctum Augustinum illic loqui de publicè pœnitentibus, qui vel diu agebant pœnitentiam antequam absolverentur, vel saltem initio Quadragesimæ peccata illa publicè recitabantur, & imponebantur Pœnitentiæ, & circa finem Quadragesimæ dabatur absolutio. *comparatio illa S. Augustini de Catechumeno respectu Baptismi, & fidelis respectu Sacramenti Pœnitentiæ.*

IV. *Confessio est necessaria ad salutem necessitate medii adultis, post Baptismum in peccatum grave lapsis*

Notandum secundò ex Disputatione primâ de Pœnitentiâ, sectione secundâ, Sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter confessionem esse ad salutem necessariam necessitate medii, ita ut sine eo vel in re vel voto nemo post Baptismum lapsus in peccatum grave, salutem consequi possit.

V. *Sitnè confessio omnium mortalium necessaria jure divino.*

Difficultas ergo præsens est, utrùm confessio omnium peccatorum mortalium sit necessaria jure divino. Hac in re, ut suprà vidimus, Montanistæ & Novatiani negabant omnem hujusmodi obligationem, utpotè qui potestatem omnem peccata remittendi ab Ecclesiâ tollebant. His consentiunt Novatores nostri, qui licèt inter se nec in hoc, nec ullo fere alio puncto planè idem sentiant, in eo tamen conveniunt, quòd Ecclesiam impugnent.

VI. *Veritas tamen Catholica est, peccata omnia mortalia post Baptismum commissa, lesse jure divino confitenda.*

Conclusio vera & Catholica est, quam definit Concilium Tridentinum sessione decima-quarta, capite quinto, & canone septimo, lapsos post Baptismum in peccata mortalia teneri jure divino ea omnia Sacerdoti confiteri, ut eorum remissionem obtineant. Hoc obiter probatum est suprà, Disputatione illâ primâ, sectione secundâ, cum in re fortè idem sit ac Sacramentum Pœnitentiæ esse necessarium necessitate medii, unde cùm Christus per illa verba: *Quorum remiseritis peccata*, &c. erexerit tribunal, ante quod, ut ait Concilium Tridentinum sessione decima-quarta, capite secundo, sisti tanquam reos voluit omnes eos qui post Baptismum in crimen lapsi sunt, necessariò

necessariò debent pro peccatorum remissione huc accedere, præsertim cùm, ut ibidem diximus, alioqui frustra concessa Sacerdotibus fuisset potestas peccata judicialiter retinendi.

VII. *Christum veram potestatem remittendi & retinendi peccata Apostolis concessisse, est indubitatum.*

Probationem hujus conclusionis latè prosequuntur Coninck disput. quinta de Pœnitentiâ, dub. primo, Bellarminus libro tertio de Pœnitentiâ, Suarez hîc, disp. decima-septima, sect. secunda, Vasquez, Valentia cum aliis. Et primò, quicquid obloquantur hæretici, certum est Christum veram potestatem remittendi & retinendi peccata commisisse Apostolis, quos Judices hac in parte constituit: sicut enim ex Evangelio colligimus Christum verè peccata nonnullis remisisse, quia dixit iis remitti eorum peccata, ita cùm dixerit Discipulis: *Quorum remiseritis peccata*, &c. veram etiam potestatem eis dedit peccata similiter remittendi: cùm ergò prudenter hoc munus obire non possint, nisi cognitâ causâ, & statu Pœnitentis, debet ipse peccata sua per confessionem Sacerdoti aperire.

VIII. *Deinde quoad remissionem peccatorii Patres Sacramentum Pœnitentiæ comparant cum Baptismo.*

Secundò Sancti Patres Pœnitentiam comparant cum Baptismo, dicuntque, sicut hic vel re vel voto susceptus necessarius est ad salutem, & eorum peccatorum remissionem, quæ ante Baptismum commissa sunt, ita & necessarium est Sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter confessio, quæ est pars essentialis hujus Sacramenti, seu judicii ad illorum peccatorum remissionem consequendam, quæ commissa sunt post Baptismum.

IX. *Confessionem Sacramentalem in usu fuisse in primitivâ Ecclesiâ variè ostenditur.*

Quod verò in primitiva Ecclesia Sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter confessio in usu fuerit, probatur tum ex illo Jacobi quinto: *Confitemini alterutrum peccata vestra*; & Joannis primæ capite primo: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Tandem hoc idem probat id quod refertur Actorum decimo-nono, versu decimo-octavo, ubi dicitur viso eventu illo, quo Judæi aliqui ob æmulationem miraculorum à Sancto Paulo in curatione morborum & dæmonum ejectione factorum, tentantes dæmonia in Christi nomine ejicere, ab iis vulnerabantur, multi credentium timore perculsi veniebant, inquit Scriptura confitentes & annunciantes actus suos, seu ut habet lectio Syriaca, offensas suas, & in satisfactionem multi eorum qui fuerant curiosa sectati, libros suos combusserunt, quæ nisi de confessione intelligi commodè non possunt; hoc etiam ex Sancto Cypriano, Tertulliano, Origene, Divo Hilario, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, & aliis Patribus fusè probat Coninck disp. quinta, dub. primo, Bellarminus, & alii citati.

X. *Objicitur factum Nectarii, qui confessionem ex suâ Ecclesiâ videtur sustulisse.*

Sed objiciunt hæretici factum Nectarii Archiepiscopi Constantinopolitani, qui videtur confessionem ex Ecclesiâ suâ sustulisse, quod postea in illius imitationem multæ fecerunt Ecclesiæ Orientales, & hac in parte prædecessoris vestigia secutus videtur Sanctus Chrysostomus, & confessionem similiter impugnasse. De hac historiâ latè Auctores citati, & præter alios Vasquez hîc, quæst. nonagesima, artic. primo, dub. tertio, ubi ex professo rem hanc examinat.

XI. *Resp. Nectarium publicam tantùm confessionem sustulisse.*

Ex iis ergo, quæ ex historicis de hoc facto colligi possunt, dicimus Nectarium non quamcumque confessionem sustulisse, sed solùm publicam, seu publicam delictorum recitationem, quæ in Ecclesiâ tunc temporis coram populo fiebat, & pœnitentia similiter publica orationum & jejuniorum ibidem persolvendorum imponebatur, idque occasione hæresis Novati, qui lapsis post Baptismum in peccatum ad mortem, seu hæresis, ut multi explicant, absolutionem negandam esse dicebat. Cùm ergo occasione Matronæ cujusdam, quæ in Ecclesiâ publicam hujusmodi pœnitentiam agebat, scandalum contigisset, & tumultus ortus fuisset in populo, Nectarius publicam hujusmodi confessionem, & pœnitentiam sustulit, quem hac in parte aliæ Ecclesiæ Orientis secutæ sunt, imo ipse S. Chrysostomus circa hoc Nectarii factum nihil immutandum censuit.

XII. *Malè affirmant aliqui S. Chrysostomum omnem omnino confessionem ad tempus sustulisse.*

Unde licèt Dominicus Soto & Cano censeant tunc Sanctum Chrysostomum dissimulandum putasse, ut omnino pro tempore auferretur omnis confessio, hoc tamen dici non potest, tum quia illud factum non arguit plus quàm ablationem confessionis publicæ, tum quia sanctus Chrysostomus foret sibi contrarius, cùm alibi sæpè confessionem Sacerdoti faciendam esse doceat; sic enim libro secundo de Sacerdotio ait: *Multâ quidem arte opus est ut qui laborant Christiani, ultro sibi persuadeant Sacerdotum curationi sese submittere oportere*: & Homiliâ tertiâ in Genesim: *Quia*, inquit, *in magnam hanc hebdomadam pervenimus, Dei gratia nunc maximè & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendâque diligens & pura peccatorum confessio.*

XIII. *Ostenditur Nectarium omnem confessionem non abrogasse.*

Quòd verò Nectarius non omnino abrogarit omnem confessionem constat, cùm Nicephorus referat multos postea solitos adhuc fuisse peccata confiteri, & absolutionem ab iis accipere. Unde quando Sanctus Chrysostomus subinde dicit non opus esse confiteri peccata hominibus, sed soli Deo, intelligendus est juxta hoc factum Nectarii, nempe, non esse opus publicè & coram testibus peccata aperire, sed privatim & secretò soli Deo per sacerdotem, Dei vicarium.

XIV. *Quare in Concilio Florentino vocetur oris confessio.*

Sicut ergo Sacramentum Pœnitentiæ est ad salutem necessarium, ita & confessio pars illius essentialis: hæc tamen licèt in Concilio Florentino vocetur *oris confessio*, ut distinguatur à confessione cordis, quam solam dicebat Wiclef sufficere, unde per os hoc loco intelligit Concilium quodcumque instrumentum quo animi sensum exteriùs exprimimus, ut benè Coninck disp. sextâ, dubio primo, num. secundo; hæc inquam non necessariò fieri debet voce, cùm & muti confiteri possint, & moribundi, voce destituti, ut ex Concilio Arausicano constat & Carthaginensi tertio, per se tamen loquendo confessio fieri debet voce, ut cum Sancto Thoma docent communiter Theologi, cùm hæc sit communis praxis Ecclesiæ in re gravi, nempe usu Sacramentorum, & consequenter obligare videatur, tum quia hîc est aptissimus ad finem confessionis obtinendum modus.

XV. *Hæc tamen obligatio non est tanta, ut fieri nequeat contrarium.*

Graves tamen Auctores docent non esse tantam hanc obligationem, ut aliquando contrarium fieri non possit, non solùm ubi simpliciter quis loqui nequit; tunc enim nullum est dubium, sed etiam ubi magna est difficultas. Unde Suarez disput. vigesima-prima, sect. tertia, num. tertio, ait ratione levitatis materiæ fieri culpam levem, ut si quis non totam confessionem, sed unius vel alterius peccati scripturâ, aut aliis signis faceret: imo addit ibidem Suarez, & tenere videtur Valentia hîc, quæst. undecima, puncto primo, & Coninck disp. sextâ, dub. primo, num. tertio, videturque etiam mens Scoti, Cani, Soti & aliorum, quando rationabilis subest causa, nullum

omnino esse peccatum, per alia signa præter quàm voce confiteri: unde ratione magnæ verecundiæ, aut gravis alicujus difficultatis posset, inquiunt, confessio scripto Sacerdoti præsenti fieri, vel etiam nutibus, præsertim si Sacerdos interrogando suppleat; tunc enim per illa signa perfectè cognosci poterunt circumstantiæ peccati, quantum ad rectam Sacramenti administrationem requiritur.

SECTIO SECUNDA.

De circumstantiis quibusdam Confessionis.

I. *Vi confessio sit secreta, non est de necessitate Sacramenti.*

QUÆRES primò: Utrùm confessio esse debeat secreta? Ex dictis constat hoc non esse de necessitate Sacramenti, cùm olim publicè multi confiterentur, & postea Sacramentalem absolutionem reciperent. Ratio est, quia publica confessio potest esse vera accusatio. Unde Concilium Tridentinum sessione decima-quarta, capite quinto, fine, ait à Christo vetitum non esse, quo minùs quis delicta sua publicè confiteri possit, ubi sermo est de Confessione Sacramentali.

II. *Non videtur quis ad publicam confessionem, generatim saltem cogi posse.*

Licèt autem possit quis confiteri publicè, non tamen videtur posse ad hoc ab Ecclesiâ, saltem generatim cogi, cùm sit res per se difficillima, & vix potest esse valdè necessaria, aut utilis, quam in rem addit Concilium Tridentinum loco proximè citato publicam peccatorum confessionem nec esse divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præcipi posse. In aliquo tamen fortè casu, ut quando delictum est omnino publicum, & scandalosum, injungi hoc posset, cùm nihil damni confitenti inde accideret, imo plurimùm ad honorem recuperandum conduceret, & aliorum satisfactionem.

III. *Nemo aut per interpretem, aut per literas confiteri tenetur.*

Nemo autem, non solùm in Paschate, sed ne quidem in articulo mortis tenetur, aut per literas absenti Sacerdoti datas, aut per interpretem confiteri, ut docet Vasquez quæst. 9. art. primo, dub. tertio, Valentia quæst. 11. puncto primo, & insinuare videtur Layman tract. sexto, capite sexto, num. quinto. Dicunt tamen hi Auctores, si quis in articulo mortis dubitet de verâ contritione, teneri etiam per interpretem confiteri; in hoc enim casu, inquiunt, tenetur cum famæ jacturâ æternæ saluti prospicere.

IV. *An mendacium in confessione de rebus ad cõfessionem spectantibus dictum, sit mortale.*

Quæres secundò: Utrùm omne mendacium in confessione sit peccatum mortale? Scimo est de iis rebus, quæ ad confessionem spectant; si enim quis in confessione mendacium aliquod dicat de rebus ad confessionem non spectantibus, erit mortale vel veniale secundùm materiæ gravitatem. Cajetanus universim affirmare videtur omne mendacium in confessione circa res ad confessionem spectantes dictum, esse mortale.

V. *Mendacium quod irritũ reddit Sacramentum, semper est mortale.*

Dicendum, si mendacium in confessione dictum sit ejusmodi, ut reddat Sacramentum irritum, esse peccatum mortale, ut si quis neget se commisisse peccatum mortale, quod tamen commisit, & confiteri tenetur; tunc enim si peccaret mortaliter illud retinendo, à fortiori negando. Idem est si quis confiteatur sola duo vel tria venialia quæ non fecit: negare autem se commisisse tale peccatum veniale, modò sufficientem afferat materiam, non est mortale, sicut nec (de quo præcipuè hìc procedit difficultas) accusare se in confessione de aliquo veniali quod non commisit, ut communiter docent Theologi.

VI. *Quamvis accusare se falsò de aliquo mortali sit mortale, non tamen de veniali.*

Dices primò: Accusare se in confessione de aliquo mortali, quod non commisit, est mortale, ergo & de aliquo veniali. Negatur consequentia: Confitendo enim mortale non commissum decipit Confessarium in re gravi, & necessariâ ad sententiam rectè in hoc judicio ferendam.

VII. *Neque peccatum veniale quod quis confitetur, quod tamen non fecit, reddit formam ex parte falsam.*

Dices secundò: Saltem forma redditur ex parte falsa, cùm significet absolvi hominem illum ab omnibus peccatis tunc in confessione dictis. Negatur antecedens: Sensus enim verborum juxta supra dicta solùm est, *Ego quantum est ex me te absolvo*, hoc autem cum veritate stare potest, licèt unum vel alterum veniale confiteatur quis, de quo non doleat, vel etiam quod non commisit, modò aliqua verè, & cum debito dolore confiteatur, & sufficientem materiam præbeat Sacramento.

VIII. *Quomvis sit mortale unã hostiam hordeaceam inter alias triticeas cõfecrationi subjicere, non tamen sit peccatum veniale inter vera confiteri.*

Et eodem modo solvitur id quod objici solet, nempe esse mortale peccatum inter varias hostias triticeas unam hordeaceam consecrationi subjicere: verba enim consecrationis sunt absoluta non conditionata, quod tamen in verbis, quæ in judicio aut donationibus usurpantur, familiare est. Deinde esset periculùm per se loquendo ne sumeretur sola illa hostia per modum Sacramenti. Tertiò constituit una hostia juxta probabilem sententiam unum per se Sacramentum, saltem physicè loquendo, & consequenter integrum Sacramentum redderetur irritum, sicut si Episcopus verba ordinationis in Sacerdotem supra multos simul pronunciaret, quorum unus non esset baptizatus, aut fœmina, peccaret mortaliter, sicut & faceret persona illa, si se in his circumstantiis ordinandam substitueret, quia nimirum, cùm singulis detur diversum Sacramentum, integrum Sacramentum redderetur irritum, at verò absolutio ab omnibus peccatis, quæ in unâ confessione subjiciuntur clavibus, constituit unicum tantùm Sacramentum, sicut & eorum confessio aut dolor. Quemadmodum ergo unum peccatum veniale sine dolore debito aut etiam cum complacentiâ illius, ut docet Coninck disp. sextâ, dub. tertio, num. decimo, inter alia clavibus subjicere non est mortale, modò absit contemptus, sicut nec aliud peccatum veniale in confessione aut alterius Sacramenti susceptione committere, ita nec illud subjicere clavibus quod non commisit.

SECTIO TERTIA.

De integritate Confessionis.

I. *Confessio esse debet integra.*

PRIMUM hac in re dubium est, utrùm confessio esse debeat integra? Respondetur affirmativè, ut habetur tum in Concilio Lateranensi capite *Omnis utriusque sexus*, tum Tridentino sessione decimâ quartâ, cap. quinto, ubi docet debere homines omnia mortalia peccata, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recensere: diligens autem discussio censetur, quæ mediocri adhibitâ diligentia fit, præsertim si speret fore ut interrogationibus à Confessario factis, & ulterioris examinis vicem supplentibus rectè confiteatur.

Dubitatur

II. *Dicunt aliqui, integritatem confessionis esse de essentiâ hujus Sacramenti.*

Dubitatur secundò: Utrùm integritas confessionis sit de essentiâ Sacramenti Pœnitentiæ. Suarez disp. 22. & alii absolutè affirmant, integritatem, saltem formalem, id est eorum peccatorum, quæ hic & nunc tanquam necessariò confitenda menti occurrunt, esse de essentiâ hujus Sacramenti. Alii econtra asserunt, etiam illam integritatem non esse de essentiâ Pœnitentiæ.

III. *In re fortè utraque sententia convenit, & lis tantùm est de nomine.*

Lis inter has sententias fortè est de modo loquendi; si enim integritas plena sit de essentiâ hujus Sacramenti, ergo nullo unquam in casu posset constitui Sacramentum Pœnitentiæ validum sine confessione omnino integrâ, atque adeo sicut in extremâ necessitate non sufficit aqua rosacea aut alia non naturalis ad Baptismum, quantumvis bonâ fide putetur naturalis, & sine culpâ, aut ex ignorantiâ adhibeatur, ita nec unquam confessio non integra ad constitutionem hujus Sacramenti sufficeret, quantumcumque ignorantia, oblivio, aut bona fides intercedat, sicut nec sufficit, si quis ex inadvertentiâ, aut aliâ de causâ accedat sine dolore debito, aut non baptizatus, vel ad eum, qui verè non est Sacerdos, non habet jurisdictionem, &c. Indirectè tamen integritas confessionis est de essentiâ Sacramenti Pœnitentiæ: cùm enim præcipiatur à Deo, ipso facto quòd quis eam scienter omittit, peccat, sicque aufertur alia pars Sacramenti, videlicet dolor.

IV. *Quares, quidnam ab integrâ peccatorum confessione excusset.*

Dubitatur tertiò: Quid ab integrâ peccatorum confessione excuset? Latè hac de re Suarez disp. 23. per totam, Vasquez quæst. 91. art. secundo, dub. secundo, Coninck disp. 17. dub. nono, Tannerus quæst. 7. Layman lib. quinto, tract. sexto, cap. octavo, & alii passim. Breviter dico, ea quæ ab integritate excusant, contingere posse, vel ex parte pœnitentis, vel Confessarii: ex parte pœnitentis, ut si post unum vel alterum peccatum dictum, subitò obmutescat, & omni sensu destituatur, sitque periculum ne moriatur ante absolutionem, si timeat ne Confessarius violet sigillum confessionis: quando non potest confiteri nisi alius audiat, de quo supra: quando probabiliter timet ne Confessarius grave scandalum ex peccati alicujus confessione patiatur, & ne ipse pœnitens grave damnum ex similis peccati confessione percipiat, & alia hujusmodi, quæ reducuntur ad impotentiam physicam vel moralem.

V. *Quanam confessionem integram excusent ex parte confessarii.*

Ex parte etiam Confessarii, quando nimirum omnes per tempus audire non licet, ut imminente naufragio: Secundò cùm morbo aliquo contagioso laborantes adit, estque periculum ratione angustiarum loci, ne à pœnitente, si diutiùs maneat, inficiatur: Tertiò si morbus ipsi Confessario subitò obveniat; in his enim casibus poterit uno vel altero peccato audito absolutionem statim dare, non auditis reliquis. Ratio est, quia confessio est præceptum morale positi[illegible] quod vel cum morali impossibilitate, v[illegible] cum gravi damno non obligat. In his tamen casibus, si postea pœnitens potuerit alia commodè confiteri, ad hoc tenetur.

VI. *Utrùm ad integritatem confessionis servandam revelari possit complex.*

Dubitatur quartò: An ad servandam integritatem confessionis revelari possit complex? Quæstio procedit, posito quòd facilè Confessarium adire quis nequeat, cui non sit notus complex; si enim facilè id possit, debet, ut communis habet sententia, secus si facilè non possit, ut tenet Suarez disp. 34. sect. secundâ, num. decimo tertio, & Layman tract. sexto, cap. octavo, num. duodecimo. Deinde quærimus præcisè ob rationem infamationis, quæ provenit complici, ex eo quòd peccatum ejus occultum alteri in confessione aperiatur; si enim grave aliquod damnum ex eâ revelatione complici obventurum timeretur, non esset detegendum illius peccatum, cùm ut supra diximus, illa justa causa sit, non semper detegendi peccatum proprium.

VII. *Nonnullorum opinio est, potiùs non esse integrò confitendum, quàm complicem detegendum.*

Dicunt ergo aliqui, casu quo quis non potest confiteri peccatum aliquod, quin complicem detegat, nec teneri nec posse eum tunc integrè confiteri, sed si urgeat confitendi necessitas, debere peccatum illud in confessione reticeri: ita multi quos citat Suarez disp. 34. sect. 2. num. secundo, tenet etiam Navarrus cap. septimo, num. tertio, & Præpositus quæst. quintâ, dub. sexto.

VIII. *Communis tamen sententia affirmat, in hac casu non solùm posse aliquem, sed etiam teneri, ad integritatem suæ confessionis detegere complicem.*

Dicendum tamen, in eo casu non solùm posse pœnitentem ad suum peccatum integrè confitendum revelare complicem, sed etiam teneri: ita Suarez citatus, & communis sententia. Secunda pars fundatur in primâ; si enim id facere possit, integritas confessionis hoc exigit, præsertim cùm hoc modo liberet se à gravi onere, quòd semper incumbit, peccatum illud confitendi.

IX. *Varii sunt casus, in quibus peccatū proximi licitum est detegere, ergo &c. Hic.*

Prima itaque pars, quòd scilicet possit quis complicem in hoc casu detegere, probatur, nam varii sunt casus, in quibus licet peccatum proximi cum famæ ejus detrimento detegere; ergo ad servandam integritatem confessionis, & alia commoda, quæ inde proveniunt, cur id non licebit, præsertim cùm hæc detectio sit tam secreta, ut non censeatur adeo gravis infamia. Deinde cùm Deus præcipiat confessionem integram peccati, videtur ut dominus famæ proximi hac in parte dispensasse, quando nullum aliud sequitur inconveniens, nisi merè hæc notitia intrinseca confessioni, sicut hæc sola infamia nunquam excusat ipsum pœnitentem à detectione proprii peccati, etiam gravissimi, cùm tamen lege naturali teneatur se non infamare, sicut nec infamare proximum.

X. *Alter constituendo se complicem, amisit hac in re famam quoad confessionem alterius.*

Præterea ipso facto quòd alius faciat se sponte complicem & circumstantiam talis peccati, censetur jus suum quoad hoc amittere quantum ad integram illius confessionem, cùm sciat alterum, nisi se detecto, hoc confiteri non posse. Unde ut benè declarat Suarez numero sexto, licèt præceptum positivum derogare nequeat præcepto naturali, potest tamen ratione alicujus præcepti positivi tolli præceptum naturale, & circumstantiæ ita mutari, ut quod antea, & in sensu divisо positivi præcepti foret contra legem naturalem, & peccatum, jam non sit, sed actio non mala, quod variis exemplis ibi ostendit ut de adjudicato ad moriendum fame, & cibos clanculum sibi oblatos recusante, &c.

XI. *Ut etiam hoc licitè fiat, non requiritur absoluta necessitas.*

Adde, licet non absoluta necessitas urgeat, sed solùm quod per longum tempus esset intermittenda utilis susceptio Sacramenti, posse hominem confiteri revelando complicem; hic enim solum est materialis infamia proximi, quam cum tanto detrimento proprio non tenetur quis vitare. Quando autem non potest quis, vel ob hanc vel aliam causam integrè confiteri, non potest pro libito, & nulla urgente necessitate confiteri dimidiatè, sed debet confessionem differre. Si quis verò in casibus supra positis, nempe quando non potest sine scandalo aut gravi detrimento vel suo vel alieno peccatum aliquod confiteri, & urgeat necessitas aut præceptum, si habeat alia mortalia debet ea confiteri, sin verò præter illud

mortale, sola habeat venialia non tenetur ea confiteri nisi fortasse accessurus ad sacram Communionem dubitet utrùm habeat contritionem, quod etiam dicendum de articulo mortis.

XII. *In quibus casibus iteranda sit confessio.*

Dubitatur quintò, quando iteranda sit confessio. Dico quandocumque Sacramentum fuit irritum, undecumque proveniat, ex parte autem integritatis tunc provenit quandocumque quis scienter peccatum aliquod mortale in Confessione reticet, sine legitimâ causâ; hæc enim à Concilio Florentino & Tridentino assignatur pro materiâ necessariâ Sacramenti Pœnitentiæ. Unde addit Concilium Tridentinum sessione decimaquarta, capite quinto, eos qui in Confessione Sacramentali aliquid scienter retinent nihil Divinæ Bonitati per Sacerdotem remittendum proponere.

XIII. *Quid si confessio prius invalida fiat iterum eidem Sacerdoti.*

Casu autem quo confessio fuit invalida, si fiat eidem Sacerdoti memori adhuc illorum peccatorum, sufficit uno verbo ea iterum repetere dicendo, accuso me de iis omnibus, quæ alias confessus sum: imo sufficit si Confessarius generatim meminerit status pœnitentis. Addunt aliqui, licèt ne status quidem pœnitentis recordetur Confessarius, adhuc non teneri pœnitentem peccata repetere, præsertim si defectus fuerit non ex parte ipsius, sed Sacerdotis, ut si formam sine intentione debitâ, aut non integrè protulerit. Quod si confessio postea alteri fiat, debent omnia peccata quoad numerum & speciem repeti, ac si nunquam ea fuisset confessus, idque ex quocunque capite contingat Sacramentum fieri irritum.

XIV. *Quando quis semel validè est confessus, non tenetur, per se loquendo peccata illa iterum confiteri.*

Si autem quis validè sit confessus, nunquam, per se loquendo tenetur peccata illa iterum in confessione aperire. Dixi per se loquendo, nam per accidens teneri potest, ut si circumstantiam aliquam notabiliter aggravantem in confessione per oblivionem omisisset; tunc enim debet peccatum illud denuo confiteri simul cùm illâ circumstantia. Idem etiam est quando quis integrè confitetur, & absolvitur à casibus reservatis cum obligatione reservata iterum confitendi.

SECTIO QUARTA.

Vtrùm explicandæ in Confessione sint species, circumstantiæ, & numerus peccatorum.

I. *In actibus duplex reperitur species, physica & moralis.*

Notandum duplicem esse speciem in actibus, physicam, & moralem: exempli gratia occidere clericum & laicum est actus ejusdem speciei physicæ, sicut & comedere carnes feriâ quintâ & sextâ, & tamen in specie morali magna est differentia: è contra hominem interficere gladio aut sclopeto, divinare per aquam aut ignem, sunt actiones specie physicâ distinctæ, non tamen morali.

II. *Circumstantia specie morali differentes in confessione sunt aperiendæ.*

Dicendum itaque, quoad species peccatorum, omnes illas quæ specie morali differunt, esse apertè in confessione explicandas. Hoc definitum est in Concilio Tridentino sessione decimaquarta, capite quinto, ubi docet omnes circumstantias mutantes speciem peccati debere in confessione aperiri, & hoc ad confessionis integritatem spectare. Ratio est, quia peinde est novam hujsmodi circumstantiam mutantem speciem peccati adjungere, ac alium actum cum illâ solâ materiâ, si fieri posset committere. Unde quando Caietanus dicit, non necessariò aperiendas esse omnes species, intelligi potest, vel de specie physicâ, vel de iis circumstantiis, quæ licèt aliquam differentiam, etiam in specie morali faciant, non tamen tantam, ut notabiliter mutent judicium viri prudentis.

III. *Hæc tamen novæ speciei, ut quis eam confiteri teneatur, debet esse peccatum mortale.*

Hoc tamen intelligendum est de novâ specie, quæ sit peccatum mortale; si enim circumstantia, quæ additur actui, qui est peccatum mortale, adjiciat novam speciem, non tamen mortalem, dicunt non esse necessarium circumstantiam illam in confessione aperire: ut si quis hominem occidat ob vanam gloriam. Quando autem circumstantia variet speciem actus, non potest generalis regula assignari. Universim dici potest tunc contingere, quando est contra aliquam aliam virtutem, ut ablatio rei sacræ est simul furtum & sacrilegium, vel etiam quando intra eandem speciem latè sumptam notabiliter facit actum differre in ordine ad difformitatem cum rectâ ratione, sicut injustitia in famâ, vitâ & bonis constituit diversum specie peccatum injustitiæ.

IV. *Quid si quis peccatum aliquod confessus sit, oblitus circumstantiæ mutantis speciem.*

Quod si contingat quempiam, peccatum aliquod confiteri & oblivisci circumstantiæ mutantis speciem sufficit circumstantiam illam per se postea confiteri, & non est necessarium peccatum illud postea eodem modo confiteri, ac si nunquam fuisset illud confessus si circumstantia non sit ejusmodi, ut nisi iterum dicto peccato intelligi sufficienter non possit. Quare qui juravit aut vovit se non furaturum & postea furatur, deinde oblitus voti aut juramenti confitetur se fuisse furatum, postea non teneretur confiteri se furatum esse, cùm priùs juramentum aut votum non furandi omisisset, sed sufficit dicere, se votum aut juramentum violasse, quia juramentum & votum videntur ejusdem rationis in quavis materiâ. At verò si quis qui commisit adulterium confiteatur, solam circumstantiam fornicationis, oblitus injustitiæ, non sufficit postea dicere, se peccasse contra justitiam, cùm diversissima sint peccata in materiâ injustitiæ, ut contra bona, vitam, famam, & jus Matrimonii, sicque confiteri debet se adulterium commisisse eodem modo ac si peccatum illud nunquam fuisset confessus.

V. *Quid censendum de circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus.*

Quoad circumstantias verò notabiliter aggravantes intra eandem speciem, explicarine debeant in confessione, divisi sunt Auctores. Suarez disp. vigesima-secunda, sect. tertia, Coninck disp. septima, dub. tertio, num. decimo-tertio, Tannerus & alii plures apud ipsos dicunt hujusmodi circumstantias esse necessariò confitendas, circumstantiæ autem hæ sunt, *duratio*, *intensio actus*, &c. Sanctus Thomas è contra in quarto, distinctione decima-sexta, quæstione tertia, articulo secundo, quæstiuncula quinta, Navarrus, Valentia, Præpositus, & alii negant, quod videtur probabilius, tum quia Concilium Tridentinum non requirit nisi ut circumstantiæ illæ in confessione aperiantur quæ mutant speciem, tum etiam quia communis praxis, in multis saltem hujusmodi circumstantiis est in contrarium.

VI. *Quo sensu Canones aliqui & sancti Patres dicta ea in confessione debere aperiri.*

Quod si Canones aliqui, aut Sancti Patres requirant, ut hæc omnia aperiantur, solùm loquuntur de eo quod expedit ad majus bonum animarum, non quod ad Sacramentum constituendum est necessarium, quod exinde colligitur, cùm aliquas circumstantias ibi ponant explicandas, quæ non notabiliter aggravant, & à nullo censentur explicatu necessariæ.

Si verò

VII. *Circumstantia transferens à veniali ad mortale, explicari semper debet in confessione.*

Si verò circumstantia transferat à veniali ad mortale, debet explicari; licet enim actus sint in eâdem specie physicâ, constituunt tamen diversam speciem moralem, cùm actus mortaliter malus reddat hominem dignum odio Dei, pœnâ æternâ, privet gratiâ, &c. De circumstantiis minuentibus minor secundùm omnes requiritur solicitudo circa earum explicationem: etsi enim possit pœnitens eas explicare, non tamen est necessarium nisi ejusmodi sint ut reddant peccatum ex mortali solum veniale, & censuram aliquam vitent, aut aliud hujusmodi.

VIII. *Circumstantia in confessione communiter explicãda sunt septem.*

Circumstantiæ communiter in confessione explicandæ sunt illæ septem, quæ hoc versu comprehenduntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis inquirit statum personæ qui peccavit: *Quid* factum ipsum commissum, & materiam circa quam: *Ubi* & *Quando* circumstantias loci & temporis, ut si in loco sacro, vel eo tempore quo actio illa fuit ab Ecclesiâ prohibita: *Quibus auxiliis*, utrum scilicet alios ad hoc vel simile factum invitaveris, utrum pecuniam percutiendo, aut vulnus infligendo alteri abstuleris, &c. *Cur*, id est quo fine, si enim præter opus illicitum addatur ulteriùs malus finis, hic est in confessione explicandus, imo solus malus finis sufficit ad operationem aliàs honestam vitiandum: *Quomodo*, utrùm ex ignorantiâ & quali; utrùm se defendendo alium occiderit, &c. Variæ circa has circumstantias sunt difficultates, quæ videri possunt in Coninck disp. septima, dub. quarto, & sequentibus, Suarez disp. vigesima-secunda, sect. quarta, Vasquez, Sanchez, & aliis.

IX. *Numerus peccatorum, si pœnitenti certò cõstet, est determinatè aperiendus.*

Circa numerum peccatorum hoc universim dici potest, eum esse certò & determinatè aperiendum, ubi pœnitenti certò constat, si verò determinatè non constet, tunc considerato tempore quo in peccandi consuetudine mansit, numerus verisimilis est assignandus, ut centies plus minùs, & licèt postea advertat se aliquantulum numerum illum excessisse, non tamen est opus ampliùs peccata illa confiteri, nisi excessus sit notabilis. Quòd si ob longissimam peccandi consuetudinem nullus numerus nec verisimiliter assignari potest, sufficit tempus & peccandi consuetudinem explicare, nec plus est à pœnitente exigendum, ne nimis vel augeat vel minuat numerum peccatorum.

X. *De numerica distinctione actuum internorum.*

Quoad numericam distinctionem actuum internorum, ut constituant diversa peccata, Suarez disp. 22. sect. 5. Vasquez primâ secundæ, disp. 75. & alii plurimi asserunt actus illos internos, qui merè consummantur interiùs, ut odium, &c. tot constituere peccata numero distincta, quoties actus illi, sive ex naturali voluntatis cessatione, seu mentis distractione, etiam ad brevissimum tempus interrumpuntur. Hæc sententia speculativè sine dubio est valdè probabilis, tum quia hi actus singuli sunt peccatum per se completum, & consequenter non constituens unum moraliter peccatum cum aliis, tum etiam, quia ad malitiam secundi actus perinde est ac si ante illud instans nullum aliud fuisset hujusmodi peccatum commissum, ac proinde nec in se, nec in ordine ad aliquod tertium habet ullam connexionem cum præcedente, vel formaliter vel virtualiter.

XI.

Alii econtra non pauci, ut Salas, Lorca, Facundez, quos sequuntur multi ex recentioribus, quoad hos actus affirmant, si brevis solùm interruptio ex cessatione, distractione, &c. (non retractatione; hæc enim si intercedat, vel ad brevissimum tempus, putant opinionem præcedentem esse veram) interveniat, quantumcumque metaphysicè actus distinguantur, constituere nihilominus unum tantum peccatum moraliter, cùm ex eâdem tentatione proveniant, unde ut constituant diversum peccatum requirunt notabilem interruptionem, & consequenter procedunt de actibus externis, quorum non physicam interruptionem, sed moralem aiunt facere distinctionem in peccatis. Quare P. Coninck disp. septimâ, dubio septimo, num. quinquagesimo primo ait hanc secundam sententiam in praxi esse veram & tutam.

Alii, si brevis tantùm inter hos actus internos sit interruptio, dicũt eos cõstituere unum solummodo moraliter peccatum.

XII. *Prior tamen sententia actus etiam externos dicit toties constituere distincta numero peccata, quoties vel breviter interrumpuntur.*

Prima tamen opinio consequenter procedit de actibus externis, & docet quoties interrumpuntur, ita ut non vel in se, vel in aliquo tertio dicant subordinationem, tot esse distincta numero peccata, & sigillatim in confessione explicandâ. Imo Vasquez vult quoties intendens occidere inimicum absentem, & iter hac intentione ingressus, ex distractione, vel aliâ causâ has actiones interrumpit, ut si dormiat, ad cibum sumendum subsistat, de aliis rebus etiam obiter agat, &c. debere eum hæc omnia sigillatim in confessione aperire, quod tamen alii negant, nisi interruptio sit notabilis, & de actione ad hunc finem nullo modo subordinatâ, ita ut quasi de integro hoc negotium iterum incipere videatur.

XIII. *Quo pacto confiteri peccatum suum debeat is, qui ex unâ regione in aliam migrat inimici occidẽdi causa.*

Addit tamen Coninck dubio illo septimo, numero quinquagesimo quarto, eum qui ex unâ regione in aliam inimici interficiendi causâ proficiscitur dicere in confessione debere, se eâ intentione tot horarum, aut dierum iter confecisse: quod licèt alii negent, magis tamen conformiter dicitur ad principia primæ sententiæ. Videantur Auctores citati, qui fusissimè hæc disputant, & ad particularia descendunt.

XIV. *Quid de actu malo censendum, qui in plura objecta fertur numero distincta.*

Quæres: Utrùm idem numero actus malus, qui fertur in plura objecta numero distincta, ut si eodem ictu quis duos aut tres homines occidat, contineat plures malitias, in confessione explicandas. Suarez disp. 22. sect. 5. ait in illo actu unicam tantùm contineri malitiam, quod etiam multi alii affirmant. Vasquez econtra, & alii plurimi volunt tot in illo actu esse malitias distinctas, quot sunt objecta, quia non fertur actus in illa omnia per modum unius.

XV. *Omnes in hoc conveniunt, debere numerum illum objectorum in confessione aperiri.*

Sed quæstio non est magni momenti, cùm utraque opinio dicat debere circumstantiam illam in confessione aperiri, & numerum objectorum plus minùs in confessione explicandum: plus minùs, inquam, nam qui uno actu cuperet multos aut omnes homines in tali civitate aut cœtu occidere, vel omnia peccata, quæ in tali vel tali libro describuntur committere, non teneretur in particulari inquirere, quot homines in illâ civitate aut cœtu, vel quæ & quot peccata in illo libro describantur, sed sufficit dicere se putasse plurimos ibi homines & plurima illic ac diversi generis peccata fuisse contenta.

XVI. *Quid si actus quis faciat duplici præcepto prohibitum.*

Quæres secundò: Utrùm actus, quo quis facit opus duplici præcepto prohibitum, contineat in se plures malitias. Coninck disp. septimâ, dub. sexto, Navarrus & alii nonnulli affirmant, non solùm quando præcepta illa procedunt ex motivis specie diversis (tunc enim non est dubium, ut occisio clerici prohibetur & lege naturali ex motivo justitiæ, & Ecclesiastico ex motivo religionis)

sed etiam quando præcepta sunt ejusdem planè rationis. Unde cùm festum aliquod incidit in Dominicam, aut vigilia in Quadragesimam vel Quatuor tempora, si quis eo die Sacrum non audiat, aut non jejunet, dicunt esse duo peccata.

XVII. *Communiter tamen negatur in illo actu duas malitias morales reperiri.* Communis tamen sententia docet, non esse duas malitias morales aut duo peccata in hujusmodi actu, contra duo præcepta ejusdem rationis, nec esse circumstantiam necessariò in confessione explicandam: ita Suarez disp. 22. sect. quartâ, fine: Vasquez primâ secundæ, disp. 98. & alii. Ratio est, cùm namque malitiæ sint planè ejusdem rationis, videntur coalescere in unum moraliter peccatum. Unde ut notat Suarez loco citato, quod actus sit contra hæc duo præcepta planè ejusdem rationis, & in ordine ad eundem finem imposita, non admodum mutant morale judicium.

XVIII. *Aliud est in materiâ justitiæ.* Aliter res se habet in materiâ justitiæ, ut proximè dictum est de occidente duos eodem actu; ibi enim cùm id quod præcipuè spectatur sit jus alterius, ipso facto quod plura jura disparata lædantur, sunt plures moraliter injuriæ, & peccata: hìc verò id quod præcipuè spectatur est directio subditi in talem finem per talem actionem, cùm ergo finis sit idem, esto per plura præcepta intimetur, illius violatio erit unum tantùm peccatum.

SECTIO QUINTA.

Quomodo confitenda sint peccata dubia?

I. *Quinam hanc difficultatem fusè & exactè discusserint.* DE hac re fusè Sanchez libro primo Moralium, capite decimo, Suarez hìc disp. 22. sect. 9. Vasquez primâ secundæ, disp. 65. Coninck disp. 7. dub. octavo: Præpositus quæst. 5. de Pœnitentiâ, dub. tertio, Layman lib. primo, tract. primo, cap. quinto, & alii apud ipsos.

II. *Status quæstionis proponitur.* Quæstio procedit de eo, qui ejusmodi rationes in utramque partem quasi æqualiter libratas habet, ut maneat quasi in æquilibrio, & omnino determinare se non possit, nec unum judicare, nec alterum, nam si rationes pro utrâque parte sint ejusmodi, ut possit se in alteram determinare, & judicare se vel non peccasse, vel id confessum esse, licitè se illi opinioni probabili conformare potest, ut conveniunt omnes, licèt etiam judicet probabilè esse se peccasse, imo probabiliores rationes pro hac parte habeat, quàm pro contrariâ.

III. *Dicunt aliqui, sic dubitantem debere peccatum illud confiteri.* Quoad primum ergo Suarez & Sanchez citati, cum aliis multis apud ipsos putant taliter dubitantem teneri peccatum illud mortale confiteri, sive dubium sit de facto, id est, ita ut judicare nequeat, utrùm tale quid fecerit an non, sive de jure, id est posito quod sciat se feciſse, dubitet utrùm sit peccatum necne, quod etiam dicunt faciendum quando dubitat utrùm sit illud confessus.

IV. *Non pauci tamen tenent contrarium.* Contrarium tamen cum Coninck, Præposito, Laymano citatis, & aliis, quos ipsi afferunt, multis videtur probabilius, nempe eum, qui vel dubitat utrùm tale quid fecerit, vel utrùm mortale peccatum sit, non teneri illud confiteri. Probant primò: In dubiis enim inquiunt melior est conditio possidentis, à quâ possessione rationabiliter dejici non potest, saltem donec probabiliter suadetur eum possessionem amisisse, quod in omni materiâ, inquiunt, videtur verum, etiam juxta multos ex adversariis, id namque expressè docent Suarez & Sanchez, ne scilicet homo ad onus certum damnetur ob causam omnino incertam, quod probat nullam esse obligationem peccatum illud confitendi, etiam ut dubium, cùm vel hoc grave onus sit, & homo ob rem incertam dejiceretur à possessione suæ libertatis, & ab immunitate obligationis ad confitendum, sicut etiam dici solet de dubio voti.

V. *Arguunt secundò: eorum enim, inquiunt, tantùm peccatorum facienda est confessio, quorum quis habet conscientiam.* Secundò probant, Concilium quippe Tridentinum sessione decimâ quartâ, cap. quinto, tradens doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ ait, illa sola peccata mortalia necessariò esse confitenda, quorum pœnitens post diligentem examinationem, conscientiam habet, quod hìc aiunt non contingere, nam dubitatio illa, inquiunt, non est simpliciter conscientia peccati, alioqui & quando quis judicat probabiliter utrumque, teneretur confiteri, cùm aliquam conscientiam habeat illius peccati, quod tamen omnes negant.

VI. *Dices, possessio stat à præcepto.* Dices primò, possessionem hìc stare à præcepto confessionis, non à pœnitente, qui nullam habet. Contra, inquiunt, pœnitens est in possessione suæ libertatis, ergo sicut in foro contentioso secundùm leges ob hoc axioma ad nihil obligatur unquam is qui accusatur, donec probetur crimen, ita neque hic.

VII. *Objic. Confessio est medium necessarium ad salutem, ergo etiam in dubio adhiberi debet.* Dices secundò: Confessio est medium ad salutem necessarium, ergo adhiberi debet etiam in dubio, & in hoc est diversitas inter ea, quæ sunt necessaria necessitate medii & præcepti. Distinguunt antecedens: Confessio re susceptа negant, re vel voto concedunt, debet ergo inquiunt, is habere votum subjiciendi clavibus hoc peccatum, nempè propositum illud confitendi, ubi de eo constiterit, & quoad hoc, inquiunt, idem est de probabiliter solùm judicante in utramque partem, sive de facto, sive de jure, quem tamen non obligat alia sententia ad confessionem in re instituendam.

VIII. *Dices, debet quis de peccato dubio dolere, ergo & illud confiteri.* Per hoc etiam solvi aiunt quod objici posset, teneri scilicet hominem illum ad dolendum de peccato illo dubio, ergo & ad illud confitendum. Negatur inquiunt consequentia; dolor enim in hoc Sacramento latiùs patere debet secundùm omnes quàm confessio, cùm sit simpliciter ad salutem necessaria peccati retractatio, non confessio, ut præter alios casus constat de probabiliter judicante in utramque partem, à quo dolorem illius peccati exigunt adversarii, non tamen confessionem. Nec demum, inquiunt, (quod præcipuè urgent contrarii) in negotio salutis tutiora ita sunt quærenda, ut adhibenda sit securitas omnimoda, seu metaphysica, sed moralis, ut fateri etiam debent ipsi de probabiliter judicante in utramque partem. Hæc in utramque partem disputandi gratiâ proposui, priorem tamen sententiam veram existimo, & omnino tenendam.

IX. *Hic modo dubitans inquirere debet veritatem.* Hìc verò advertunt omnes, hoc modo dubitantem tum in hac, tum in omni aliâ re, debere veritatem aut per se, vel si hoc modo nequeat, virum doctum consulendo inquirere, & practicè dubium antequam operetur deponere, alioqui non bonâ fide procedet, sed peccabit.

X. *Virùm dum alicui constat de peccato admisso, du-* Tandem circa ultimum quod hìc inquirebamus, nempe an dubitans utrùm sit rem aliquam confessus, ubi constat rem illam factam esse, & esse peccatum, sit necessariò confitendum.

Dicendum

bitans an sit illud confessus, debeat confiteri.

Dicendum cum Vasquez primâ secundæ, disp. sexagesimâ sextâ, Coninck dub. octavo citato, num. sexagesimo octavo, Sanchez, & communi sententiâ, tunc obligari ad confitendum : si enim peccavit jam perdidit possessionem libertatis ad non confitendum, & oritur ei obligatio certa hoc onus subeundi, & sic possessio stat in hoc casu pro præcepto, cui certo debito per incertam omnino solutionem non satisfit, ut benè Coninck citatus.

XI. *Si tamen ei constet se ab illo tempore confessionem bonâ fide instituisse, non tenetur illud confiteri.*

Hoc tamen intelligendum est, ubi constat alicui de peccato, dubitat autem utrùm ab illo tempore sit confessus; si enim constat de confessione bonâ fide, & per debitam adhibitam diligentiam factâ, & solùm dubitat utrùm hoc peccatum casu in illâ confessione omiserit per oblivionem, vel inadvertentiam, non tenetur confiteri; in dubio enim præsumendum est confessionem eo modo factam esse, quo oportuit. Unde Tannerus & alii affirmant eum, qui semel judicio prudentis Confessarii integrè censetur confessus, non teneri ullum amplius ex prioribus peccatis confiteri, imo si scrupulosus sit, non expedire, nisi certus sit se illud, ne quidem generaliter & confusè inter alia ejusdem rationis peccata fuisse confessum, licèt illius antea in particulari non cogitaret, cùm persuadere sibi possit, se debitam diligentiam adhibuisse, & consequenter eo quo oportebat modo omnia esse confessum, donec constet contrarium.

DISPUTATIO NONAGESIMA TERTIA.

De necessitate Confessionis ex præcepto Ecclesiastico.

Disputatione præcedente, Sectione primâ, & alibi ostendimus præceptum Confessionis esse de jure divino, nunc inquirimus quo modo & quas personas obliget Ecclesia ad Confessionem.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ spectant ad Confessionem Annuam.

I. *Asserit Durandus Ecclesiam, nec præcipere de facto confessionem, nec posse præcipere.*

Durandus in quarto, dist. 17. quæst. octavâ dicit Ecclesiam, nec de facto præcipere, nec posse præceptum confessionis imponere; nec enim, inquit, potest Ecclesia præceptum imponere cujus transgressionem punire nequeat, quale est præceptum Confessionis; si enim quis negaret se peccasse mortaliter, & propterea non confiteri, non posset, inquit, convinci, & consequenter nec puniri ab Ecclesiâ.

II. *In Conciliis expressè ponitur præceptum confessionis annuæ.*

Sed ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. refertur capite *Omnis utriusque sexus*, præceptum confessionis singulis annis faciendæ, quod etiam ponit Concilium Tridentinum sess. decimâ quartâ, canone octavo : ex quibus clarè constat Ecclesiam, non consulere solùm hoc, sed præcipere. Nec quidquam contra hoc facit ratio posita; quicquid enim sit de actibus internis, actus tamen externos præcipere potest Ecclesia, cùm spectent ad visibilem illius gubernationem. Nec refert quod transgressio hujus præcepti probari non possit; id enim in multis aliis contingit, quæ tamen ab Ecclesiâ prohibentur, ut de sumptione Eucharistiæ, quam si quis ore tantùm sumeret & non deglutiret, nunquam convinci posset, & tamen peccaret contra præceptum Ecclesiæ.

III. *Quo tempore obliget præceptum confessionis annuæ.*

Quæres, quo tempore obliget hoc præceptum confessionis annuæ? Volunt aliqui teneri omnes intuitu hujus præcepti Ecclesiæ ad confitendum determinatè tempore Paschatis. Communis tamen sententia docet, per confessionem quovis anni tempore factam satisfieri huic præcepto, licèt indirectè & ratione communionis obligentur fideles ad confitendum mortalia in Paschate, si quæ habeant, per quod solvitur argumentum ductum ex consuetudine fidelium, qui hoc præstant ob reverentiam in Sacramentum Eucharistiæ; quo etiam sensu capiendus est Xixtus IV. dum ait, ex præcepto Ecclesiæ teneri fideles confiteri in Paschate; solùm enim vult ratione communionis in Paschate præscriptæ, fideles præceptum confessionis tempore Paschatis implere, non quòd alio tempore facta confessio non sufficiat præcisè ad satisfaciendum præcepto confessionis.

IV. *Ex Concilio Trid. ostenditur sufficere confessionem ullo anni tempore factam.*

Unde Concilium Tridentinum sess. decimâ quartâ, capite quinto faciens mentionem hujus consuetudinis fidelium confitendi in Quadragesimâ, seu circa Pascha, ait sanctam Synodum amplecti hanc consuetudinem tanquam piam & meritò

meritò retinendam ob maximum fructum, quem inde percipiunt fideles, non tamen ait esse præceptam, imo in capite *Omnis utriusque sexus*, ubi præcipuè fit mentio præcepti confessionis annuæ, solùm dicitur debere fieri semel in anno, cùm tamen præceptum communionis, quod ibidem ponitur, limitetur ad tempus Paschale, ergo alio modo imponitur unum præceptum & aliud.

V. *Circa modũ computandi annum dissident inter se Auctores.*

Difficultas est circa modum computandi annum. Graves itaque Doctores, ut Suarez, Vasquez, & alii eum computum fieri volunt, vel à Pascbate in Pascha, aut à Januario in Januarium: quare Vasquez & alii admittunt, si quis confessus sit in Januario initio hujus anni, non teneri ampliùs confiteri usque ad finem anni sequentis, & sic posse per duos annos integros abstinere à confessione citra violationem præcepti Ecclesiastici, & toto illo tempore in peccato mortali permanere, quod tamen multis videtur contra finem ab Ecclesiâ intentum. Quare Valentia & alii volunt computandum esse annum ab ultimâ confessione, ita ut qui hoc mense Aprilis est confessus debeat ex præcepto Ecclesiæ, si conscius sibi peccati mortalis sit, iterum ante Aprilem sequentem confiteri, nec debent duodecim menses transire, antequam iterum confiteatur.

VI. *Quid de illo dicendum, qui post multos annos innocenter transactos, tãdem incidit in peccatum mortale.*

Quod si contingat aliquem qui multis annis vixit sine commissione peccati mortalis, in aliquod tandem incidere, probabile putant aliqui non teneri eum statim confiteri, sed computandum esse annum ab ultimâ confessione venialium, nam in favorabilibus censent multi hanc confessionem stare pro eâ quæ injungitur per præceptum confessionis annuæ. Dici tamen potest hunc teneri statim confiteri, neque hoc majorem habet difficultatem in hac sententiâ quàm in contrariâ; si enim quis in Januario confessus sola venialia, quorum est conscius, paulo post incideret in mortale, respondere ipsi debent huic objectioni, & vel obligare hunc hominem statim ad confessionem, vel dicere per confessionem venialium, satisfactum esse præcepto Ecclesiæ de confessione annuâ. Annus autem puerorum obligationis, videtur computandus ab eo tempore, quo ad usum rationis primò perveniunt, quod plerumque circa annum septimum solet contingere.

VII. *Hoc præceptum obligat omnes ad peccata mortalia semel in anno cõfitenda.*

Hoc ergo præceptum obligat omnes ad peccata mortalia semel in anno Sacerdoti proprio, aut alteri de illius licentiâ confitenda, per hujusmodi autem is omnis intelligitur, qui habet potestatem eum à peccatis illis directè absolvendi. Quævis itaque confessio huic validè facta sufficit ad hoc præceptum implendum, licèt vel per oblivionem peccatum aliquod mortale inadvertenter omitteretur, vel justâ de causâ subticeretur, nec ipsi sequente anno peccatum illud confiteri teneretur.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam circa præceptum Ecclesiasticum Confessionis.

I. *Virùm si Christus confessionem non præcepisset, potuis-*

Quæres secundò: Utrùm si Christus nullum imposuisset præceptum confessionis, sed reliquisset hominibus integrum deferre vel non deferre ad Sacerdotes peccata, ut eorum remissionem consequerentur, potuisset Ecclesia ejusmodi præceptum imponere. Suarez hîc; disp. trigesimâ quintâ, sectione primâ, numero decimo octavo, Vasquez quæst. nonagesimâ, art. primo, dub. quarto, num. quadragesimo tertio, & alii, licèt de facto præceptum confessionis dicant non esse purè Ecclesiasticum, sed determinationem juris divini, & præcepti à Christo impositi, si tamen, inquiunt, Christus instituisset Sacramentum confessionis, seu hanc vim ei indidisset remittendi peccata, potuisset Ecclesia omnium peccatorum mortalium præceptum imponere, & Sacramenti hujus usum, eo modo quo præcipere potest usum Confirmationis vel Extremæ-unctionis *set eam præcipere Ecclesia.*

II. *Alii nihilominus hujusmodi præceptum gravius esse dicunt, quàm ut hominibus ab Ecclesiâ impo. nipossit.*

Probabilius tamen videtur quod dicunt alii, si Christus ita instituisset Sacramentum hoc, ut modò instituit, nempe debere homines ut effectum illius sortiantur, omnia peccata mortalia confiteri, esse rem nimis difficilem, nec posse Ecclesiam eam ob difficultatem toti hominum generi imponere, secus tamen si reliquisset liberum hominibus Christus ad effectum hujus Sacramenti percipiendum, ut unum aliquod solum peccatum confiterentur.

III. *Non potest Ecclesia secundam & tertiam omnium eorundem peccatorum confessionem præcipere.*

Unde nec potest Ecclesia secundam & tertiam omnium eorundem peccatorum confessionem universim subditis præcipere, cùm ipso facto quòd ea semel ritè confessi sint, cesset præceptum Christi illa confitendi, & consequenter ubi non est præceptum, non potest Ecclesia tam grave onus imponere. hoc deduci videtur ex illo Benedicti undecimi extravagante *Inter cunctas de Privilegiis*, ubi dicit Pontifex absurdum esse ut semel confessus teneatur secundò confiteri.

IV. *Objic. Is mere esse ut religiosus. si in itinere in peccatum reservatum incideret, & illud confessus sit alteri, postea tamen idem confiteatur suo superiori.*

Dices: In religionibus hanc praxim cerni, ut si fortè religiosus quispiam iter agens in peccatum aliquod reservatum incidat, possit illud cuivis Sacerdoti idoneo confiteri, & ab eo etiam directè absolvi, cùm possit is liberè ad Eucharistiam accedere, quod tamen facere non posset, nisi in casu necessitatis, si solùm indirectè esset absolutus: & tamen religioso illi incumbit onus, iterum peccata sua reservata Prælato suo confitendi, ergo potest Ecclesia præcipere secundam confessionem eorundem peccatorum.

V. *Idem confirmatur ex quodam statuto Ordinis Cisterciensis.*

Confirmatur ex statuto quodam ordinis Cistertiensis, à duobus summis Pontificibus Sixto IV. & Pio II. approbato, per quod præcipitur ut religiosi illius Ordinis peccata, quæ per annum confessi fuerint Confessario ordinario, iterum in fine anni Abbati confiteantur, ergo &c.

VI. *Resp. Obligationem illam iterum confitendi peccatum reservatum procedere ex pacto, vel expresso, vel tacito, & acceptatione pœnitentis.*

Ad objectionem respondetur cum Navarro, Medina, Coninck disp. octavâ, dub. decimo quinto, & aliis apud ipsum hanc obligationem peccata reservata iterum Superiori confitendi non provenire nisi ex pacto quodam & acceptatione vel expressâ, vel tacitâ pœnitentis; eâ enim conditione cedit jure suo Superior ut subditus postea peccatum illud ipsi confiteatur, & consequenter hinc non sequitur posse hoc purè per modum præcepti injungi, & contra voluntatem pœnitentis, qui est noster casus quando inquirimus de impositione præcepti.

VII. *Eodem modo respondetur ad statutum illud Ordinis Cisterciensis.*

Ad confirmationem eodem modo respondetur, illam scilicet obligationem religiosis illis impositam non fuisse sine eorum consensu explicito vel saltem implicito: esto enim multi ex monachis eam ægrè tulerint, ut refert Dionysius Cart. imo ipse malè de eo statuto sentire videatur, hoc tamen non arguit fuisse ipsis hoc sine ullo eorum consensu impositum, sed quod ægrè consenserint.

Addunt

Addunt aliqui, licèt universim pro omnibus non possit ferri hujusmodi lex ob difficultatem rei, nil tamen obstare quo minùs aliquibus, seu in religione aliquâ observante, & perfectionem profitente imponi hoc aut aliud æqualis difficultatis nequeat tanquam medium ad perfectionem obtinendam.

VIII. *Hoc Concilii Lateranensis præceptum illos solos obligat, qui habent peccata mortalia.*

Hinc ulteriùs infero cum Suarez disp. 36. sect. secundâ, num octavo, Vasquez, & aliis sub hoc præcepto Lateranensis Concilii non comprehendi eos qui non habent nisi venialia, tum quia solùm est restrictio & determinatio juris divini, quod nullam imponit obligationem confitendi venialia, tum quia ibidem jubentur fideles omnia sua peccata semel in anno confiteri, quod certè de venialibus rectè præcipi non posset.

IX. *Tenetur tamen quivis, etsi sola habeat venialia, se Parocho in Paschate præsentare.*

Cæterùm, ut rectè notat Suarez ibidem, & est communis Doctorum, tenetur quivis, saltem ratione communionis in Paschate accedere & præsentare se Parocho dicendo se peccatum mortale non habere, & propterea ad confessionem non accedere, cui nisi urgens ratio sit in contrarium credi debet, nam in hoc foro unicuique credi oportet tam pro se, quàm contra se dicenti. Imo addit Suarez, posse hoc ab eo Parochum exigere, non solùm ratione communionis, sed præcepti confessionis annuæ, ut reddat rationem cur illud non expleat.

X. *Aliquorum saltem venialium confessionem præcipere posset Ecclesia.*

Posset tamen Ecclesia præcipere confessionem aliquorum saltem venialium præcipiendo usum hujus Sacramenti, etiam iis qui mortalibus carent, vel absolutè etiam imponendo omnibus præceptum frequentandi Sacramentum Pœnitentiæ, posito quod Christus in ejus usu integrum hominibus reliquisset, vel omnia vel aliqua solùm mortalia, quando ea quis habet, confiteri, imo non indirectè solùm, seu jubendo frequentare hoc Sacramentum, sed etiam directè existimo posse Ecclesiam imponere præceptum confitendi aliqua venialia, nam in hoc non est major difficultas, quàm quando præcipitur indirectè.

XI. *Quænam personæ hoc præcepto confessionis annuæ teneantur.*

Disputatur hìc ab aliquibus, quænam personæ præcepto hujus confessionis annuæ teneantur & (seclusis Ethnicis, seu non baptizatis, de quibus nulla est controversia, cùm non subsint potestati Ecclesiæ) difficultas est de hæreticis, cùm verba Concilii solùm obligent fideles: item de pueris, ubi ad rationis usum pervenerint: tandem de Summo Pontifice, qui cùm sit supra omne jus Ecclesiasticum non videtur hoc præcepto ligari, cùm Princeps legibus solutus sit. Sed de his videatur Suarez disp. 36. sect. tertiâ, num. quinto, Vasquez quæst. 90. art. primo, dub. quinto, num. duodecimo, Azor tomo 1. lib. quinto institutionum moralium, cap. undecimo, & alii passim.

XII. *Verùm per quamcunque confessionem huic præcepto satisfiat.*

Quæres tertiò: Utrùm per quamcunque confessionem, etiam absolutione verâ non sequente, satisfiat huic præcepto confessionis annuæ. Respondetur negativè; hoc enim præceptum, ut diximus, & satis clarè docet Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite quinto, fine, est tantùm determinatio præcepti Christi, Christus autem præcepit confessionem validam, & veram receptionem hujus Sacramenti. Quare, cùm juxta Concilium Tridentinum, Ecclesia & Christus idem præcipiant, præcipit etiam Ecclesia veram Sacramentalem confessionem.

XIII. *Objic. Ecclesia non potest præcipere actum internum.*

Nec obstat id quod opponunt aliqui, Ecclesiam non posse præcipere actionem internam, qualis tamen requiritur ad confessionem Sacramentalem; ad hanc enim necessarius est dolor de peccatis. Hoc inquam, non obstat; licèt enim Ecclesia præcipere non possit operationem merè internam, & per se sumptam, prout tamen necessaria est ad externam ritè præstandam potest, ut dici latiùs solet in materiâ de legibus, ubi ostenditur, posse hoc modo indirectè, & consequenter potestatem humanam præcipere actus internos, ut subordinantur externis ritè præstandis: sic Ecclesia iis, qui fruuntur beneficiis Ecclesiasticis præcipit eleemosynam de superfluis: deinde potest Respublica præcipere contractus aliquos donationis, locationis, &c. Judex exigere à teste potest juramentum, & alia hujusmodi, quæ tamen sine aliquo actu interno voluntatis, saltem intentione peragi non possunt. Sicut ergo Judex temporalis exigere potest verum juramentum, & consequenter actum internum, qui in eo includitur, ita quidni poterit Ecclesia præcipere verum Sacramentum, esto similiter in eo includatur actus internus, quem consequenter præcipit.



DISPV-

DISPUTATIO NONAGESIMA QUARTA.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Iurisdictio ad absolvendum à peccatis, & in quibus reperta.

I. *Omnibus & solis Sacerdotibus datur in ordinatione potestas absolvendi.*

NOTANDUM ex Concilio Tridentino sessione decima-quartâ, capite sexto, & capite nono ac decimo, Sacerdotibus omnibus, iisque solis veram dari potestatem absolvendi à peccatis, cum iis omnibus & solis in suâ consecratione dicatur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis*, &c. unde sicut colligimus iis omnibus & solis remitti in Baptismo peccatum originale, quibus dicit minister Baptismi: *Ego te baptizo*, &c. ita & in præsenti.

II. *Consecratio Sacerdotis duabus partialibus ordinationibus perficitur.*

Notandum secundò, in consecratione Sacerdotis duo intercedere, per quæ tanquam per duas partiales ordinationes perficitur: primum est quando circa offertorium porrecto ei Calice cum vino, & patenâ cum pane dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ pro vivis & mortuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; per quam partialem ordinationem confertur ei potestas in corpus Christi verum. Alterum est quando in fine Missæ Episcopus manus ei imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur iis*, &c. per quam partialem ordinationem confertur ei potestas in corpus Christi mysticum, nempe fideles, ad eorum peccata remittenda.

III. *Verùm, sicut à consecratione validâ, ita ab absolutione validâ impediri nequeat Sacerdos.*

Quærimus itaque utrùm sicut per primam partialem ordinationem confertur ei potestas consecrandi adeo completa, ut impediri nullo modo possit quominus validè id præstare possit pro libito, etsi non semper faciat licitè, ita utrum per secundam tam completa conferatur potestas absolvendi, ut nihil aliud requiratur, sed validè possit absolvere pro libito, etsi non licitè.

IV. *Dicendum contra Armacanum & Durandum posse impediri Sacerdotem quo minùs validè absolvat.*

Communis sententia Theologorum affirmat, non esse adeo completam hanc secundam potestatem, ut nullo alio accedente habeat Sacerdos ex vi suæ consecrationis præcisè potestatem absolvendi quemlibet accedentem cum dolore debito ad confessionem, quod asserebat Armacanus, & probabile putat Durandus, sed ulteriùs requiri jurisdictionem. Probatur ex Concilio Tridentino sessione decima-quartâ, capite septimo, ubi docet nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem; ergo apertè supponit Concilium quemvis Sacerdotem per suam ordinationem non accipere potestatem & jurisdictionem in omnes fideles; sic enim alicujus momenti, & valida esset absolutio, quantumvis ratione prohibitionis Ecclesiæ foret illicita. Canone etiam undecimo definit casuum reservationem impedire quo minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat.

Idem habet Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. ad Armenos, ubi dicitur minister Sacramenti Pœnitentiæ est Sacerdos habens potestatem vel ordinariam, vel ex commissione superioris, quod de potestate præcisè acceptâ ex vi ordinationis dici non potest. Similis etiam loquendi modus habetur in Lateranensi, & aliis Conciliis, ex quibus manifestè deducitur, Sacerdoti per potestatem acceptam in suâ consecratione non conferri jurisdictionem, seu, quod eòdem recidit, potestatem completam jus dicendi in quemvis fidelem.

V. *Hanc eandem doctrinam tradit Concilium Florentinum.*

Dices: In aliis Sacramentis semper est valida illorum collatio præcisè ex vi illius, quod in ordinatione confertur: sic quivis Episcopus validè ordinat, & simplex Sacerdos validè Extremam-Unctionem administrat cuilibet, etiam invito Parocho, licèt id non præstet licitè. Sed contra: Disparitas enim inter alia Sacramenta & Pœnitentiæ est, quòd cùm hoc instituatur per modum judicii essentialiter requirit subditos, hi autem non habentur nisi per assignationem ab Ecclesiâ factam: quod enim ex Christi institutione omnes Christiani non sint subditi cuilibet Sacerdoti, videtur clarum, hoc namque hierarchicum illum ordinem perverteret, quem in suâ Ecclesiâ reliquit Christus, per quem alii aliis in hoc judicio debebant esse superiores, cùm tamen ex vi ordinationis præcisè omnes sint pares.

VI. *Objic. In aliis omnibus Sacramentis contingit contrarium.*

Ulteriùs ergo hic inquiri potest, quid aliud requiratur ad potestatem completam absolvendi, præter potestatem ordinis. Navarrus, & alii, quos sequitur Vasquez hîc, quæst. 93. art. 1. dub. secundo, & hunc Mæratius disp. 31. de Pœnitentiâ, sect. tertiâ, ait nullam novam potestatem addi præter illam, quæ confertur in ordinatione, ac proinde totam quasi vim activam absolvendi tunc dari, licèt desit applicatio materiæ, quæ fit mediatè vel immediatè per summum Pontificem. Suarez tamen hîc, disp. 16. sect. tertiâ, num. vigesimo sexto, Coninck disp. octavâ, dub. secundo, & alii dicunt, licèt in ordinatione

VII. *Quæres, quid aliud addatur ad tribuendam potestatem completam.*

Sacerdotis

Sacerdotis detur ei jurisdictio quædam inchoata, aiunt nihilominus, hanc compleri per aliquid integrans priorem illam potestatem per modum partialis etiam potestatis, & non nudè per applicationem materiæ.

VIII. *Hæc controversia magnâ ex parte videtur esse de nomine.*

Quæstio fortè est de nomine: meliùs tamen & congruentiùs loquitur secunda sententia, tum quia Concilia dicunt jurisdictionem esse potestatem vel ordinariam, vel delegatam, applicatio autem materiæ non potest propriè dici potestas delegata, sed est necessariò aliquid aliud, imo omnis applicatio subditorum est collatio potestatis, nam ipso facto quòd aliquis reddatur alteri subditus, alter fit superior, sicut ergo in humanis applicatio subditorum non est pura applicatio, sicut applicatio ignis, sed collatio potestatis & superioritatis, ita & in divinis, seu Sacramento Pœnitentiæ. Adde, applicationem materiæ, propriè tunc solùm fieri, quando pœnitens se subjicit per confessionem Sacerdoti. Confirmatur, nam quoad alios actus jurisdictionis, ut ferendi leges, censuras, &c. applicatio materiæ est collatio veræ potestatis, quia per illam fiunt alii formaliter subditi, hic formaliter superior, ut patet in Episcopo electo & confirmato, sed nondum consecrato, ergo per applicationem hanc materiæ confertur saltem partialiter potestas jurisdictionis in ordine ad absolvendum à peccatis.

IX. *Potestas jurisdictionis est potestas superioris ut superioris.*

Cùm ergo potestas jurisdictionis sit potestas superioris ut superioris, confertur per applicationem subditorum, ergo hæc applicatio est vera collatio alicujus potestatis requisitæ in hoc judicio, nempe juris utendi potestate absolvendi, hac autem potestate positâ, tota vis in recto tollendi peccata est potestas ordinis collata in consecratione Sacerdotis, in quo cùm conveniat utraque sententia, quæstio, ut dixi, magna ex parte est de nomine.

X. *Objic. Ergo Summus Pontifex à nemine potest absolvi, cùm nemo dare possit jurisdictionem in seipsum.*

Dices: Hinc sequi Summum Pontificem à nemine posse absolvi; Pontifex enim non potest dare jurisdictionem in seipsum, cùm nullus sibi sit superior, ergo quivis Sacerdos præcisè ex vi suæ ordinationis accipit jurisdictionem in Pontificem ad actum absolutionis à peccatis, ergo jurisdictio non est semper potestas distincta à potestate ordinis.

XI. *Dicunt aliqui, Confessarium electum à Pontifice, accipere potestatem in ipsum immediatè à Deo.*

Respondent aliqui, quando Pontifex eligit Confessarium, hunc accipere jurisdictionem in ipsum, non à Pontifice, sed immediatè à Christo: sicut cùm Prælatus dat alicui facultatem eligendi Confessarium, Confessarius non accipit jurisdictionem à pœnitente, sed positâ electione pœnitentis, Prælatus ei jurisdictionem confert, quemadmodum & Cardinales non dant Pontifici auctoritatem & jurisdictionem, sed positâ electione Pontificis ab ipsis factâ, accipit auctoritatem & jurisdictionem immediatè ab ipso Christo.

XII. *Deinde dici potest hoc in Sacramento Pœnitentiæ, ex peculiari Christi institutione contingere.*

Secundò dici potest Christum, cùm instituerit Sacramentum Pœnitentiæ tanquam remedium universale pro omnibus, eo ipso voluisse, ut posset potestatem & jurisdictionem alteri concedere supra seipsum, cujus præceptis hac in parte obedire teneatur, seque ipsi quoad hoc reddat subditum, nec ad hoc requiritur, ut quis sibi sit superior; sic enim Respublica, ut dici solet, potest eligere Principem, & auctoritatem in ipsam Rempublicam ei communicare, cui postea Principi tenetur ipsa obedire.

XIII. *Dices: qui.*

Dices secundò: Quemvis Sacerdotem posse absolvere à venialibus, & à mortalibus etiam, à quibus priùs quis per Sacramentum Pœnitentiæ fuerat absolutus, imo à mortalibus omnibus in articulo mortis, ergo ex ordinatione præcisè accipit quivis Sacerdos aliquam jurisdictionem, cùm hi sint actus jurisdictionis. Respondetur, etiam in his casibus jurisdictionem non provenire præcisè ex ordinatione, sed ex potestate, quam Sacerdotes accipiunt ab Ecclesiâ, nam quoad venialia, cùm non sint materia necessaria confessionis, censentur Pontifices dedisse potestatem omnibus Sacerdotibus, nisi fortè nominatim excommunicatos & degradatos exceperis, ea remittendi, jam saltem ex ipsorum tacito consensu hæc jurisdictio videtur in omnes derivata, cùm sciant hanc doctrinam passim teneri, & non repugnent, quod etiam Suarez disp. vigesimâ sextâ, num. sexto intelligendum ait de mortalibus priùs per confessionem deletis. De mortis articulo plura sectione sequente. *vis Sacerdotis à multis peccatis potest ex vi ordinationis præcisè absolvere.*

XIV. *Jurisdictionem ordinariam ubique habet Pontifex.*

Quoad jurisdictionem ordinariam, primò residet in Summo Pontifice respectu totius Ecclesiæ. Secundò ordinariam habent Episcopi, quisque in suâ diœcesi. Tertiò Parochi in suis parochiis. Quartò Generales ordinum, Provinciales, Abbates, & Superiores locales respectu suorum subditorum. Tandem Cardinales eam habere videntur respectu suarum familiarum quoad Sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis. Quod etiam ad Episcopos extendunt aliqui, etiam extra suam diœcesim.

XV. *Utrùm Episcopi jurisdictionem habeant jure divino an humano.*

Videatur Suarez disp. vigesimâ quintâ, Henriquez libro tertio, cap. quinto, Coninck disp. octavâ, dubio octavo, ubi etiam tractant utrùm Episcopi jurisdictionem habeant jure divino an humano, id est immediatè à Christo, an à Pontifice Romano. Præterea quis sit ordinarius illorum qui in duabus parochiis habent domicilia, cui confiteri possint aut debeant scholares aut milites præsidiarii, qui magnâ anni parte habitant in aliquâ civitate & academiâ, cùm tamen alibi habeant domicilium, quis sit Ordinarius vagorum, seu eorum, qui nullibi habent domicilium, & alia quæ ad praxim peculiariter spectant.

SECTIO SECUNDA.

De Jurisdictione delegatâ.

I. *Potest jurisdictionem alteri delegare, quisquis habet ordinariam.*

NOTANDUM cum P. Coninck disp. octavâ, dubio quarto, num. vigesimo tertio, Sanchez libro tertio de Matrimonio disp. vigesimâ nonâ, & aliis, eos omnes posse jurisdictionem delegare, qui habent ordinariam, delegatus verò non potest subdelegare, ut habetur capite *Cùm causam de appellationibus.*

II. *Hoc tamen axioma juris varias habet exceptiones.*

Hoc tamen postremum intelligendum est, ut docent Sanchez & Coninck citati, si solùm delegetur ei certa jurisdictio, seu certum exercitium illius jurisdictionis, ut potestas excipiendi confessiones exempli gratia; tunc enim censetur eligi ipsius industria. Si verò delegetur alicui jurisdictio quia delegatur ipsum officium & constituatur Vicarius alterius, ut Vicarius Pastoris absentis, &c. tunc potest sibi alium ad aliqua ministeria, ad audiendas exempli gratia confessiones subdelegare: non tamen totum officium possunt alteri subdelegare, cùm illud non habeant proprium, ac proinde nec subdelegare cum potestate ulteriùs subdelegandi.

III. *In articulo mortis cuivis Sacerdoti in absentiâ proprii, commissa est jurisdictio ad absolvendum.*

Circa mortis articulum, communis est sententia Doctorum, cuivis Sacerdoti concessam esse jurisdictionem ad quemvis ab omnibus peccatis & censuris in absentiâ proprii Sacerdotis absolvendum, idque licèt Sacerdos ille excommunicatus esset, hæreticus, aut degradatus, unde & secluso scandalo, aut periculo perversionis teneretur moribundus tali Sacerdoti confiteri.

IV. *Quis censeatur mortis articulus.*

Per mortis autem articulum intelligitur, non solùm quando quis jacet in extremis, & est morti proximus, sed quandocunque est morale aliquod mortis periculum, ut cùm quis periculosam navigationem est susceptarus, aut prælium cum hoste commissurus. Hæc tamen jurisdictio non datur cuivis Sacerdoti jure divino, sed ex concessione Ecclesiæ, tum quia omnis pastoralis potestas est concessa Petro, & per ipsum aliis Pastoribus & Sacerdotibus, tum quia Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, cap. septimo docet hoc piè in Ecclesiâ Dei custoditum semper fuisse, ne hac occasione aliquis periret.

V. *Quis censeatur proprius Sacerdos.*

Difficultas hîc est inter Auctores, quis intelligatur nomine proprii Sacerdotis. Quidam Joannes à Poliaco Doctor Parisiensis per proprium Sacerdotem ita intelligi volebat parochum, ut doceret neque Papam, neque Deum ipsum posse dare licentiam fidelibus confitendi religiosis sine licentiâ Parochi. Deinde dicebat eos, qui religiosis privilegiatis confessi fuerant, teneri eadem peccata iterum confiteri suo Parocho, tanquam proprio Sacerdoti. Sed hic Doctor damnatus est à Joanne XXII. extravagante *Vas electionis*, ubi dicit Pontifex, non magis teneri eos peccata illa iterum confiteri, quàm si confessi ea fuissent ipsi Parocho. Præterea Benedictus XI. extravagante *Inter cunctas* hoc definit, dicens absurdum esse, quòd per pœnitentiam dimissa peccata confiteri quis debeat, & quòd liberatus debitor adhuc ad solvendum maneat obligatus. Quod intelligendum est, nisi subinde ex expresso vel tacito consensu pœnitentis aliud contingat, ut supra diximus in casibus reservatis.

VI. *Per proprium Sacerdotem non immediatus tantùm Sacerdos intelligitur, sed mediatus.*

Per proprium ergo Sacerdotem intelligitur, non immediatus solùm Sacerdos, qualis est Parochus, sed etiam communis, nempe Episcopus respectu eorum qui sunt in diœcesi illi subjectâ, & Papa respectu totius Ecclesiæ, alioqui qui Episcopo aut Pontifici confiteretur in Paschate, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ, quod inquit P. Coninck disp. octavâ, dub. nono, numero sexagesimo sexto, est absurdissimum. unde sicut potest Parochus delegare suas vices simplici Sacerdoti in suâ parochiâ, ita & potest Episcopus pro totâ suâ diœcesi, & Pontifex pro toto orbe, sicque religiosi privilegiati, qui habent hanc facultatem sibi à Pontifice concessam, possunt validè absolvere quosvis fideles sine licentiâ Parochi aut Episcopi, & hoc faciendo satisfaciunt præcepto Concilii Lateranensis; sic enim confitentur vel proprio Sacerdoti, vel alteri cum ejus facultate dum hoc faciunt cum licentiâ Summi Pontificis, qui est proprius Sacerdos respectu omnium fidelium.

VII. *Dices, Martinum V. & Xistum IV. dicere videri, teneri fideles suo parocho confiteri.*

Objici solet ex Martino V. & Xisto IV. extravagante *Dices* de Treguâ & pace, ubi præcipit mendicantibus, ut desistant prædicare, quòd parœciani non sunt obligati, saltem in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri, quòd de jure inquit tenetur parœcianus, saltem in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri. Respondetur cum Coninck num. sexagesimo septimo, & communi solùm ibi velle Pontifices teneri fideles in Paschate suis Parochis confiteri ratione Eucharistiæ, ut possint in Parochiâ suâ communicare, non quod teneantur reconfiteri peccata semel ritè per confessionem deleta; hoc enim expressè definitum est à Joanne XXII. & Benedicto XI. ut vidimus, sed ea solùm peccata, quæ ab ultimâ confessione commiserunt, si in peccata mortalia prolapsi sint.

VIII. *Deinde probabile videtur, solum significare Pontificem ad quid teneantur fideles jure communi.*

Addit Coninck ibidem, solùm velle Pontificem teneri parœcianos confiteri proprio Sacerdoti de jure seu jure communi, licèt aliud ex privilegio permittatur. Deinde pacis servandæ causâ noluit Pontifex ut fratres publicè tunc temporis concionarentur posse fideles satisfacere præcepto Ecclesiæ, confitendo religiosis privilegiatis, licèt statim addat Pontifex per hoc non impediri dictos religiosos quo minùs secundum sua privilegia confessiones audiant, saltem modò non videtur dubium, quin fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ confitendo ejusmodi religiosis, cùm hoc sit confiteri proprio Sacerdoti, aut alieno de illius licentiâ; nec enim plus requirit Concilium Lateranense.

IX. *Hæc religiosorum potestatem absolvendi expressè declaravit Clemens VIII.*

Cùm etiam hæc quæstio denuò moveretur à Parochis, iterum illud idem declaravit Clemens VIII. Bullâ super hac re datâ anno 1592. vigesimâ secundâ Decembris, ut refert Coninck citatus, num. sexagesimo sexto. Quid, si sub ratihabitione quis absolvat, dicendum sit videatur Suarez disp. 26. sect. primâ, num decimo tertio, & Sanchez lib. tertio de Matrimonio, disp. trigesimâ quintâ, Coninck disp. octavâ, dub 8. & alii: qui etiam latè disputant quinam vel ex concessione juris; vel peculiari privilegio possint sibi Confessarium eligere.

SECTIO TERTIA.

De quibusdam ex parte Confessarii requisitis ad valorem Sacramenti.

I. *Quomodo in Confessario necessaria sit approbatio Episcopi.*

QUÆRES primò: Quomodo in Confessario ad confessiones audiendas necessaria sit approbatio Episcopi. Ratio dubitandi præcipuè desumitur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. decimo quinto de reformatione, ubi decernit nullum, etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nisi ab Episcopis per examen, si ita iis videbitur, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obtineat, &c. ubi cùm Concilium expressè loquatur de audiendis confessionibus sæcularium, non requiritur per hoc decretum præcisè approbatio Episcopi ad confessiones religiosorum aut religiosarum excipiendas, sed hi à Concilio suis relicti sunt statutis. Ii verò quibus beneficium aliquod confertur, cui annexa est cura animarum, non aliâ indigent approbatione, cùm ipso facto quòd ejusmodi beneficium ipsis detur, censeantur idonei, & tacitè approbentur: unde hi excipiuntur à Concilio loco citato.

II. *Ad sacramentum Pœnitentiæ validè administrandum requiritur approbatio Episcopi.*

Ad confessiones ergo audiendas ita necessaria est approbatio Episcopi, ut eâ non habitâ nullus validè hoc Sacramentum administrare possit. hæc verò approbatio non dat jurisdictionem ullam, sed solùm est authenticum testimonium, quo declaratur persona illa idonea, cui jurisdictio concedatur. Unde Concilium Tridentinum loco citato dicit, neminem sine hac approbatione posse

posse confessiones sæcularium audire, quod de validâ confessionum exceptione & communiter intelligi solet, & declaravit congregatio Cardinalium.

III. *Hæc approbatio fieri debet à proprio Episcopo Sacerdotis.* Approbatio autem hæc fieri debet ab Episcopo loci in quo habitat Sacerdos, non pœnitens, si sint in diversâ diœcesi, tum quia approbatio est actus jurisdictionis: deinde bis hoc declararunt Cardinales ex ore Pontificis, ut refert Suarez disp. vigesimâ octavâ, sect. sextâ, nec ad alium spectat cognoscere mores & sufficientiam hujus Sacerdotis, quàm ad proprium ipsius Episcopum. Non tamen est necesse, ut Episcopus semper per se hoc præstet, sed per alium, cui ob doctrinam, & prudentiam id munus committat.

IV. *Ante Concilium Trid non tam stricta requirebatur approbatio.* Et hæc post Concilium Tridentinum: antea enim ex commissione Parochi potuisset quivis Sacerdos confessiones audire, nec aliud à jure requirebatur ut ipsis committi posset jurisdictio. Verum est quidem religiosos mendicantes debuisse juxta Clementinam *Dudum* de sepulturis, præsentari Episcopis, non ut proprie approbarentur, sed ut immediatè ab iis jurisdictionem acciperent; suisque uti possent privilegiis, quam si negassent Episcopi, jus eam ipsis tunc concedebat. Sæculares verò Sacerdotes sine ullâ præsentatione à Pastoribus ad hoc munus assumi poterant.

V. *Sitnè approbatus in uno loco approbatus ubique.* Quæres secundò: Utrùm approbatus in unâ diœcesi censeatur approbatus ubique. Inprimis certum est, si Pastor simul cum suo parochiano in Oppidum aliquod extra diœcesim se conferat, non egere eum novâ approbatione, ut illius confessionem ibidem audiat, cùm jurisdictio, ut dici solet, non definiatur locis, sed personis.

VI. *Tres hac de re sunt sententiæ.* Tres hac in parte sunt sententiæ: Prima ait, quoties quis approbatus in unâ diœcesi transfert se ad aliam, egere novâ approbatione, ita Vasquez hîc, quæst. nonagesimâ tertiâ, art. tertio, dub. quarto. Secunda sententia est Suarii hîc, disp. 28. sect. 7. & nonnullorum aliorum, qui dicunt non egere novâ approbatione, nisi ita transeat ad aliam diœcesim, ut mutet domicilium, seu animo ibi habitandi. Tertia demum sententia est, approbatum in unâ diœcesi non omnino egere ulteriori approbatione, ut confessiones audiat in aliâ: ita Henriquez lib. septimo de Sacramentis, cap. duodecimo, num. quarto, & alibi, qui plurimos citat, aitque duos Archiepiscopos, qui interfuerant Concilio, idem sensisse, Coninck disp. 8. dub. septimo, num. 57. nisi Episcopus in suâ diœcesi prohibeat (quod inquit ille jure potest) ne in suâ diœcesi ullus Confessarius quantumvis alibi approbatus, ad confessiones audiendas assumatur, aut exponatur, nisi ab ipso Episcopo approbatus sit: idem tenet Præpositus quæstione octavâ, dub. quarto, & probabile putat Tannerus, Fagundez, & alii multi.

VII. *Approbatio duobus modis dari potest.* Notandum cum Coninck citato, num. quinquagesimo sexto, & aliis dupliciter posse aliquem ab Episcopo approbari, primò pro certis tantùm personis & loco, ubi magna non requiritur scientia, & alia quædam ad cõfessiones audiendas, ut si judicetur idoneus ad pueros audiendos, non approbatur in ordine ad omnes, etiam in illâ diœcesi: imo ut notant communiter omnes, minùs requiritur ad monialium confessiones audiendas, quàm mercatorum, sicque approbari poterit seu judicari idoneus qui illas audiat, non qui hos.

Alio modo judicatur quis absolutè idoneus sine restrictione ad confessiones audiendas, & de hac approbatione procedit præsens difficultas, utrùm scilicet qui in uno loco est absolutè approbatus, possit ubique confessiones audire sine ulteriori approbatione.

VIII. *Dicendum, approbationem in uno tantùm loco non sufficere.* Ut ergo rem hanc concludam, quamvis olim tertiam sententiam cum ejus Auctoribus probabilem esse existimaverim, nunc tamen ob Bullam Urbani VIII. anno 1628. apud Cardinalem de Lugo disp. 21. de Pœnitentiâ, sect. secundâ, num. vigesimo nono, eam nullo modo amplectendam censeo, nec approbationem in uno loco ad confessiones in alio excipiendas sufficere.

SECTIO QUARTA.

De aliis in Confessario ad excipiendas confessiones necessariis.

I. *De bonitate in confessario ad hoc munus requisita.* QUÆRES tertiò: Quæ bonitas & scientia requiratur in Confessario ad hoc munus rectè obeundum? Quoad primum de bonitate esto ad hoc Sacramentum prout decet, & sine novo peccato administrandum requiratur sanctitas ministri, seu ut sit in gratiâ, cùm sancta sanctè tractari debeant, ut in tractatu de Sacramentis in genere diximus, ad hoc tamen ut validè absolvat, nulla requiritur sanctitas in ministro, imo nec fides, sed fieri validè potest à Sacerdote etiam hæretico.

II. *Aliquam in confessario necessariam esse scientiã, certum est.* Quoad secundum de scientiâ, certum est aliquam requiri, cùm Sacerdos sit hac in re Judex, ad judicium autem ritè ferendum aliqua cognitio est necessaria. Communiter tamen, ut hoc munus sufficienter obire possit, ea scientia sufficere censetur, qua in genere distinguere mortale peccatum possit à venali, licèt in particulari ea semper non discernat, cùm hoc sæpè nec docti faciant: unde licèt non semper distinguat, nec distinguere possit omnes circumstantias aggravantes, non obstat; sufficit enim quòd aliquid norit, & de aliis possit dubitare, & doctos consulere. Minor tamen scientia requiritur, ut quis hominem doctum confitentem audiat, quàm indoctum, ut cum Caietano docet Suarez disputat. vigesimâ octavâ, sect. secundâ, num. quinto contra Navarrum, cùm pœnitenti accusanti se vel excusanti credere debeat Confessarius.

III. *Rarissimè contingit, ut absolutio ratione ignorantiæ in confessario non sit valida.* Nulla autem ignorantia facit, ut absolutio non sit valida, nisi Sacerdos sit ejusmodi ut actum moralem non cognoscat, etiam quoad illam communissimam rationem peccati, quam tamen ignorantiam putat Suarez numero decimo esse rarissimam, imo ferè impossibilem in homine ratione utente, & confessionem audire volente. Adde, si quis valdè ignoranti confiteatur, modò tamen Sacramentum sit validum, non teneri eum peccata illa iterum confiteri, licèt Sacerdos de iis judicare non potuerit; sufficit enim quòd pœnitens semel totum illud factum in valido Sacramento Pœnitentiæ aperuerit, ita ut etiam Confessarius illud totum audierit.

IV. *Aliud est si confessarius peccatum aliquod grave omnino non audivisset.* In quo est differentia inter eum qui dum peccata confitetur, advertit Confessarium dormivisse, & aliqua ex iis peccatis omnino non audivisse; tunc enim Sacerdos factum omnino non audivit, sed perinde se habuit, ac si fuisset surdus. Nec dimidiatur tunc confessio, & directè solùm absolvitur

absolvitur pœnitens ab iis peccatis quæ Confessarius distinguere potest, indirectè ab aliis ut volunt aliqui, aliàs namque, quotidie dimidiarentur confessiones, cùm sæpè contingat Confessarium non distinguere omnes peccati alicujus circumstantias, & consequenter non posset licitè absolvere, cùm licitè, saltem ut plurimum nequeat dimidiare confessionem.

V. *Possitnè quis hoc Sacramentum ministrare cùi jurisdictione dubiâ.*

Quæres quarto: Utrùm ministrare quis hoc Sacramentum possit cum jurisdictione dubiâ: hoc est utrùm quando quis dat absolutionem secundùm opinionem probabilem, sed incertam, valor illius absolutionis non majorem habeat certitudinem, quàm opiuio quam in re sequitur Confessarius.

VI. *Prima sententia est, hasce confessiones esse invalidas.*

P. Vasquez hîc, loco supra citato ait omnes hujusmodi confessiones esse invalidas, quantumcumque bona fide fiant, si Confessarius dubiâ jurisdictione Sacramentum administret.

VII. *Controversia hæc plenius declaratur.*

Ad clariorem quæstionis intelligentiam notandum, difficultatem præsentem in eo præcipuè sitam esse, an si quis dubitans utrùm habeat jurisdictionem sibi à superiore delegatam necne, aut probabiliter putans se eam habere, cùm re verâ non habeat, validè absolvat: & difficultas inde augetur, quantumcunque enim quis probabiliter putet se habere potestatem ordinis, & esse Sacerdotem, cùm re verâ non sit, nec absolvit unquam validè nec consecrat.

VIII. *Probabilius est, Sacerdotem cum jurisdictione dubiâ absolventem, validè absolvere.*

Mihi hac in parte probabilius videtur, quod docet Suarez disput. vigesima-sextâ, sect. sextâ, num. septimo & octavo, nempè in hoc casu validè semper Sacerdotem illum absolvere; esto enim contingere subinde possit, ut à superiore verè concessam jurisdictionem non habeat, quantumvis probabiliter eam se habere existimet, Ecclesia tamen in iis casibus defectum illum supplet, eique concedit jurisdictionem. Unde ut docet Suarez ibidem, si quis publicè putetur Parochus, & habere jurisdictionem, cùm tamen re verâ eam non habeat, quia simoniacè obtinuit beneficium, adhuc tamen omnes confessiones illi factæ sunt validæ, etenim ne magna confusio sequatur, & alia incommoda, dat ei ex tacita concessione jurisdictionem Ecclesia.

IX. *Hoc ostenditur ex lege Barbarius ff. de officio Prætoris.*

Probatur hoc ex lege *Barbarius* ff. de officio Prætoris, ubi cùm quidam Barbarius servus in Prætorem fuisset evectus, qui tamen verè authoritatem Prætoris non habuit ob occultam servitutem, omnia tamen ejus acta rata habebantur, quòd Jus civile receptum est in Ecclesiâ capite *Infamis*, ad graviſſima incommoda, quæ alioqui sequerentur, evitanda. Ut ergo validè quis in his casibus absolvat sufficit titulus coloratus conjunctus cum communi errore populi. Imo Lessius & Henriquez aiunt, ubi datur opinio probabilis de valore absolutionis, licèt non sit titulus coloratus, adhuc Ecclesiam supplere; hîc enim, inquiunt, eadem est ratio, nempè ut vitentur tot incommoda, & perturbatio in republica.

X. *Multo certius est, pœnitentem in hoc casu absolvi, si unà cum mortalibus confiteatur aliqua venialia.*

Secundò cum eodem Suarez, & aliis dico, multo certiùs hujusmodi absolutiones esse validas, si is qui confitetur, simul confiteatur aliqua venialia cum mortalibus; tunc enim confessio omnis bonâ fide facta erit certissimò valida, cùm omnis Sacerdos jurisdictionem habeat in venialia, & consequenter in aliqua peccata, quæ tunc pœnitens confitetur, sicque per accidens remittentur reliqua: sicut si quis bona fide cum peccatis non reservatis confiteretur aliquod reservatum, remitteretur indirectè non minùs quàm si sola non reservata confiteretur, oblitus reservati, aut sola venialia oblitus mortalis; tunc enim secundùm omnes esset valida absolutio.

XI. *Quid si Sacerdos in prædicto casu malâ fide absolvat.*

Addit Suarez numero nono, etiamsi minister malâ fide absolvat, adhuc absolutionem esse validam, si aliqua peccata pœnitens confiteatur, in quæ habeat Sacerdos ille jurisdictionem, licèt adjungat, probabiliter hoc negari posse, & dici sicut confessionem ita absolutionem requiri formaliter integram, ut validum conficiatur Sacramentum. Videatur Lessius libro secundo de Justitiâ, capite vigesimo nono, dubitatione octavâ, Henriquez libro quinto, capite decimoquarto, Coninck disputatione octavâ, dubio sexto de licito usu jurisdictionis dubiæ, & alii.



DISPV-

DISPUTATIO NONAGESIMA QUINTA.

De Reservatione Casuum.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ spectant ad absolvendum à Reservatis.

I. *Posse casus aliquos, etiam quoad culpam reservari, est indubitatum.*

POsse peccata aliqua, non solùm quoad censuram annexam, sed etiam quoad culpam reservari, etiam purè interna (licèt hæc nunquam reservari soleant) est certum, & definit Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite septimo, esse in Ecclesiâ potestatem peccata retinendi, & casus reservandi. Ratio autem quâ hoc explicatur est; cùm enim, ut suprà diximus, omnis jurisdictio à Summo Pontifice in alios derivetur, potest is illam cum eâ limitatione & restrictione communicare, quâ ipsi visum fuerit, quod etiam aliis Prælatis tam sæcularibus quàm regularibus suo modo competit. Qui autem casus in particulari reservati sint aut esse possint, declarat fusè Suarez disput. vigesima-nonâ, sect. tertiâ, tam pro sæcularibus, quàm religiosis. Alia tamen quàm quæ ibi à Suario recensentur, reservari possent nisi jus obstaret.

II. *Peccat superior, si sine justâ causâ casus in damnum subditorum reservet.*

Circa hanc casuum reservationem inprimis notandum, quamvis peccet superior, si in damnum subditorum abutatur hac potestate, & sine justâ causâ casus aliquos reservet, unde Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, cap. septimo ait, licere iis uti hac potestate in ædificationem non in destructionem, reservatio tamen tenet, & est valida, quod secundum præcipuè de Summo Pontifice dicendum videtur; cùm enim omnis jurisdictio ab ipso dependeat, & inferioribus communicetur, ita censetur semper communicari, ut non transeat in dominium absolutum illius cui confertur, ita ut privari eâ non possit, sed est jus quoddam inferius pendens semper à superiore, à quo proinde & privari eo potest sine injuriâ.

III. *In quo reperiatur ordinaria potestas absolvendi à reservatis.*

Quoad potestatem seu jurisdictionem ordinariam absolvendi à reservatis, certum est in eo residere, qui peccata illa reservat, & præterea in illo, qui ipsi in hoc foro est jurisdictione superior, ut est Summus Pontifex respectu cujusvis Episcopi, & in religionibus Generalis respectu provincialis. Unde & potest uterque Prælatus alteri potestatem delegatam ab his peccatis absolvendi concedere: imo is qui reservanti est superior potest sine consensu illius jurisdictionem alteri delegare ut à peccatis illis absolvat: sicut enim immediatè per se potest sine inferioris Prælati consensu illa remittere, ita & alium suo loco substituere.

IV. *Reservatio casus alicujus potest à superiore, vel in confessione, vel extra eam tolli.*

Quando autem casus est reservatus, licèt ut plurimum modus quo tollitur reservatio sit, ut Prælato illud in confessione aperiat, & Sacramentalem absolutionem accipiat, si tamen adeat superiorem, & casum ei extra confessionem detegat, pœnitentiamque accipiat, tollitur reservatio, sicque Confessario ordinario poterit illud confiteri, cùm ad finem reservationis sufficiat, quod manifestetur integrè delictum superiori, & pœnitentia pro eo injungatur. Unde ulteriùs infero cum communi sententia, si quis confiteretur peccatum illud superiori, sed tamen defectu doloris, aut aliâ de causâ Sacramentum fuit irritum, adhuc tolli reservationem; hæc enim confessio æquivalet saltem manifestationi ejusdem extra confessionem.

V. *Quid si quis peccata communia Prælato confiteatur, oblitus reservati.*

Si autem quis habens peccatum reservatum confiteatur Prælato communia peccata oblitus reservati, licèt aliqui dicant tolli tunc peccatum reservatum, probabilius tamen videtur contrarium, nisi eâ intentione tunc confiteatur & absolvatur, ut omnes etiam occultæ reservationes tollantur, si autem Prælatus expresè hoc non intendat, non censetur habere hanc mentem, nec obligationem remittere. Videatur Suarez disp. trigesima-primâ, sect. quartâ, num. duodecimo, & Coninck disp. octavâ, dub. 12.

VI. *Objic. Si quis Pontificis confiteatur bonâ fide casus illi reservatos, tollitur omnes excommunicationes.*

Dices: Si quis implicatus casibus Papæ reservatis, bonâ fide confiteatur Pontifici, aut ejus delegato, tolluntur in eo casu omnes excommunicationes, etiam quarum pœnitens est oblitus, cùm præmittatur semper: *Absolvo te abomni vinculo excommunicationis in quantum possum & indiges*; ergo & tollitur reservatio culpæ, cùm juxta communem sententiam Theologorum culpa in casibus Papæ reservatis non reservetur nisi ratione censuræ.

VII. *Primus dicendi modus est, tolli in hoc casu censuram, manere culpam.*

Pater Vasquez hîc, quæst. nonagesimâ primâ, art. tertio, dub. quinto ait, in eo casu tolli censuram, peccatum autem adhuc manere reservatum: dictum verò illud Theologorum ait intelligendum esse per se loquendo, per accidens tamen, inquit, manere potest culpa Papæ reservata, ablatâ censurâ.

VIII. *Secundus in hoc casu procedendi modus ait, non tolli excommunicationem simpliciter, sed sa-*

Suarez disp. 31. sect. 4. num. decimo nono ait, in hoc casu tolli quidem excommunicationem, non simpliciter, sed solùm ad illum effectum obtinendi absolutionem Sacramentalem à peccatis, quæ tunc confitetur: quare hoc obtento dicit priorem excommunicationem redire, & ob hoc, inquit, præmittit *in quantum possum & indiges*, nempe ad effectum absolutionis, ad hunc autem

lùm ad absolutionem à peccatis,

non alio modo indiget absolutione ab excommunicatione, quàm ut tollatur statim reditura. Licèt autem primò poni nequeat fortè excommunicatio, nisi dependenter à culpâ, redire tamen potest sine novâ culpâ, ut dici solet in materiâ de censuris. Addunt aliqui, etiam non ablatâ censurâ posse hominem illum absolvi: sed de his plura postea.

IX. *Quid si quis tempore Iubilæi confessus alia peccata, oblitus sit peccati reservati.*

Si autem contingat aliquem virtute privilegii in favorem pœnitentis concessi, Jubilæi exempli gratiâ, absolvi & consequi indulgentiam, qui tamen in confessione oblitus est peccati reservati, hic postea confiteri illud poterit cuivis Sacerdoti jurisdictionem ordinariam habenti; tollitur enim reservatio, superior namque concedens illam facultatem in gratiam pœnitentis, censetur velle reservationem auferre, si privilegio illo intra statutum tempus utatur. Quod docent multi, & probabile putat Suarez citatus num. vigesimo quarto, etsi is qui tempore Jubilæi est confessus, animo faciendi reliqua, quæ ad Jubilæum lucrandum sunt necessaria, postea tamen illa non impleat. Contrarium tamen, ut ait idem numero vigesimo tertio, est valdè probabile, & maximè tutum.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam circa absolutionem à Casibus Reservatis.

I. *Possitnè in casu aliquo necessitatis inferior Sacerdos absolvere à casu reservato.*

QUÆRES: Utrùm in casu aliquo necessitatis (non extremæ, nempe in articulo mortis; tunc enim non est dubium) ut si implere debeat præceptum annuæ confessionis, aut communicare, vel sacrum facere, quod sine scandalo, aut infamia omittere non potest, utrùm inquam in his casibus possit inferior Sacerdos absolvere eum qui habet casum aliquem reservatum, si tunc nec per se, nec per Confessarium adire possit Prælatum.

II. *Dicunt quidam, inferiorem Sacerdotem in hoc casu absolvere hominemillum non posse.*

Richardus, Durandus, & alii nonnulli negant: quod etiam docet Cano, Soto, & Ledesma, si non sit peccato adjuncta censura, seu excommunicatio. Utraque etiam sententia docet talem hominem posse in illo casu accedere ad communionem sine confessione, si sine scandalo aut gravi infamiâ illam omittere non potest. Communis tamen sententia est, in eo casu inferiorem Sacerdotem posse pœnitentem illum absolvere: quod etiam dicendum quando adest quidem Prælatus, sed sine gravi incommodo confiteri quis illi peccatum hoc non potest; tunc enim perinde est, ac si abesset, ut supra diximus de ratione excusationis à confessione peccati: sola autem verecundia aut jactura existimationis non est sufficiens causa cur non adeat Prælatum.

III. *In hoc casu debet pœnitens peccata etiam reservata inferiori Sacerdoti confiteri.*

In hoc itaque casu accedens pœnitens ad inferiorem Sacerdotem, debet non solùm peccata communia, sed etiam reservata eidem confiteri, & integram omnium confessionem instituere, esto directè, solùm absolvatur à non reservatis, indirectè ab aliis. Primum ostenditur, quia ut absolvatur ab omnibus debet esse circa omnia benè dispositus, & de hac dispositione jus habet Confessarius, ut judicet, & consequenter peccata debet cognoscere. Quod verò tunc absolvatur ab omnibus patet, quia si oblitus fuisset peccati reservati obtinuisset illius remissionem indirectè, ergo & si illud subjiciat clavibus.

IV. *Objic. Concilium Trid. dicere, nihil posse inferiores Sacerdotes in casibus reservatis extra mortis articulum.*

Nec obstat quod Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite septimo, fine dicat nihil extra articulum mortis posse inferiores Sacerdotes in casibus reservatis, quare monet ut persuadeant pœnitentibus, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. hoc inquam non obstat; primò enim certum est, posse inferiorem Sacerdotem indirectè à reservatis absolvere, si pœnitens illorum fuisset oblitus. Solùm ergo vult Concilium, nihil posse inferiorem in reservatis solis, seu directè, at verò aliquid potest in pœnitentem ratione aliorum peccatorum, ratione quorum est illi pœnitens subditus simpliciter, ratione autem reservatorum est hìc exemptus solùm secundùm quid.

V. *Objic. Ergo si quis simul cum venialibus confiteretur mortalia, posset ab his à quocunque Sacerdote absolvi.*

Dices: Ergo si quis habens venialia & mortalia confiteatur hæc simul cum illis cuivis Sacerdoti, etiam non approbato absolvetur à mortalibus indirectè. Suarez disputatione trigesimâ primâ, sectione tertiâ, numero nono ait, nec se magnum inconveniens cernere si concedatur, nec claram disparitatem, ob quam negetur, si pœnitens bonâ fide accedat. Addit tamen, probabiliter dici posse Ecclesiam non concedere in ullo casu præter articulum mortis potestatem omnibus Sacerdotibus absolvendi à mortalibus, etiam indirectè. At verò in casu nostro supponimus hunc Sacerdotem habere jurisdictionem ad absolvendum à peccatis mortalibus, cùm ergo præcipuum possit, & reservatio solùm sit quid accessorium, non est tanta discrepantia inter mortalia reservata & non reservata, atque inter venialia & mortalia.

DISPV-

DISPUTATIO NONAGESIMA SEXTA.

De Sigillo Confessionis.

SECTIO PRIMA.

De naturâ hujus Sigilli.

I. *Certum in primis est, esse hic obligationem servandi secretum.*

NOTANDUM, tum ex Lege naturali, tum ex tacito pacto inter Pœnitentem & Confessarium esse obligationem servandi secretum, quod nihil aliud est in omni re, quàm res magnæ æstimationis, quæ alteri in custodiam committitur.

II. *De hoc secreto in particulari servando longè maxima est obligatio.*

At verò ulteriùs de hoc secreto in particulari servando, quòd proinde sigillum dicitur, tanta est obligatio, ut nullâ de causâ, etiam ad conservandam totam rempublicam à gravissimo damno vel temporali vel spirituali, liceat eam violare, ut contra Altisiodorensem docent omnes Theologi, quos citat Suarez hîc, disp. trigesima-tertiâ, sect. primâ, num. secundo, desumiturque ex nonnullis ex Sanctis Patribus, ut sancto Leone, Basilio, Augustino, Ambrosio, & aliis: & in particulari hoc tradit Sanctus Gregorius capite *Sacerdos* de Pœnitentiâ, dist. sextâ, ubi docet propter nullum scandalum vitandum frangendum esse hoc sigillum, ubi per scandalum, ut communiter explicari solet, intelligit Pontifex damnum quodcunque, sive privatum sive publicum, ut latiùs explicant Auctores.

III. *Difficilè est hujus tanta obligationis reddere rationem.*

Tota difficultas hac in re est, ut assignetur ratio hujus tanti secreti, cùm in aliis rebus, gravissimâ saltem de causâ cessent aliæ obligationes & præcepta ferè omnia, & utrùm hæc tanta obligatio solùm sit jure naturæ an divino. Suarez citatus, rejectis aliorum rationibus, quæ plenè rem hanc non probant, ait obligationem hanc ad secretum oriri ex jure divino & præcepto Christi in ipsâ institutione Sacramenti Pœnitentiæ, & esse planè indispensabilem: unde, inquit, si ipse Summus Pontifex præciperet in aliquo casu secretum confessionis revelare, non esset ei parendum.

IV. *Hoc primò constat ex communi sensu Ecclesiæ.*

Quod autem hæc ita se habeant, constat tum ex communi sensu & usu Ecclesiæ, tùm ex fine & modo institutionis hujus Sacramenti, nempe cum obligatione integrè confitendi omnia peccata; si enim liceret confessario in quibusdam casibus peccata per confessionem accepta revelare, timerent frequenter homines, ne esset justa causa ut Confessarius peccata revelaret, sicque multum ab usu hujus Sacramenti, quod tamen tanquam commune & universale remedium institutum est, retardarentur, vel confessiones sæpè facerent mutilas.

V. *Ex omni & solâ confessione Sacramentali oritur hæc obligatio sigilli.*

Ex omni ergo & solâ Sacramentali confessione, quando quis verè se accusat coram Sacerdote, licèt non absolvatur, oritur hæc obligatio sigilli: sin autem se verè non accuset, sed constaret alia intentione id aperire Sacerdoti, nempe ut ipsum in idem pertrahat, non oritur ejusmodi obligatio. Ratio est, quia nisi ponatur intentio confessionis Sacramentalis non est res sacra, & consequenter non sacrum secretum proprium hujus Sacramenti.

VI. *Si tamen non sint signa valdè manifesta fictionis, judicari debet verò animo accedere.*

Nisi tamen valdè aperta signa sint, eum ficto animo accedere, & solum ut Confessarium pertrahat in consortium sceleris, aut aliud hujusmodi, non potest Confessarius rem detegere, sed judicare debet eum vero animo confitendi accedere, cùm hoc præsumendum sit donec probetur fictus.

VII. *Quid si quis ad Sacerdotem accedat consilii petendi causâ.*

Quod si quis ad petendum consilium aliquid aperiat animo verè se accusandi coram Sacerdote tanquam judice à Christo constituto, ut ab ipso absolvatur, aut curetur, vel juvetur modo quo is judicet expedire, oritur obligatio sigilli, non si merè consulat ex aliquâ aliâ intentione. Quamvis autem pœnitens non habeat intentionem recipiendi absolutionem, aut sine dolore, si tamen velit se accusare eo modo quo potest, vel ut satisfaciat aliquo modo Ecclesiæ, & juvetur circa malum illud, sufficit ad obligationem sigilli, censetur enim inchoata confessio.

VIII. *Si quis laïco confiteatur, sciens esse laïcum, nulla oritur obligatio sigilli.*

Si verò aliquis confiteatur laïco sciens esse laïcum, nulla est obligatio sigilli. Cadit autem hæc obligatio in Confessarium, ita ut mortalia nec in genere, nec venialia in specie detegere possit, potest tamen in genere dicere, *talis est mihi confessus*, aut confessus sua peccata, vel sua venialia, cùm nullus sine his confiteri possit. Circumstantiæ etiam omnes peccatorum cadunt sub sigillo, cùm aliquo modo integrent peccatum, & sint quasi pars illius & materia confessionis.

IX. *De peccatis in confessione auditis loqui interdum potest Sacerdos.*

Loqui tamen potest Sacerdos de peccatis auditis in confessione, modò non sit periculum ut quis ex illo discursu in personæ notitiam deveniat; sic enim dicitur Capite *Omnis utriusque sexus*, caveat ne revelet peccatorem: unde valdè cautè de illis rebus loqui debent Sacerdotes, & plerumque expedit ab hujusce modi sermone prorsùs abstinere.

X. *Quinam obligatione sigilli teneantur.*

Quoad illos qui obligatione sigilli tenentur, breviter dicendum, hanc obligationem in eum primò cadere qui aut verè Sacerdos, aut fictè illam confessionem excipit: deinde in eos omnes, qui quovis modo culpabiliter vel inculpabiliter confessionem illam audiunt, ut interpres, aut circumstantes: præterea illi omnes qui à confessario

vel circumstantibus hæc audirent. Ratio est, quia sigillum est onus proprium notitiæ acceptæ per confessionem, ac proinde cuicunque communicatur illa notitia, transit cum suo onere.

XI. *Dicunt nonnulli, si quis à confessario ex licentiâ pœnitentis confessionem ejus novit, non teneri sigillo.*

Verum quidem est, Vasquez, Henriquez, & alios nonnullos existimare illum, qui per revelationem licitam Confessarii ex licentiâ pœnitentis confessionem alterius novit, non teneri sigillo, sicut, inquiunt, non teneretur, si ipse pœnitens extra confessionem ipsum consuleret. Sed contrarium est tenendum cum communi sententiâ, quam Suarez sectione quartâ, num. 6. vocat certam. Disparitas autem est, quia pœnitens potest ex quocunque velit fine peccatum suum alteri detegere, Confessarius autem non potest, nisi in ordine ad confessionem. Si tamen esset superior, quem pœnitens adiret, eique narraret casum reservatum, petens veniam confitendi Confessario ordinario, teneretur hic sigillo; est enim inchoata confessio sacramentalis, & coram Judice in foro Pœnitentiæ.

XII. *Peculiaris quidam hac in re procedendi modus.*

Unde quamvis Soto in quarto, distinct. 16. quæst. quartâ, art. quinto opinetur Confessarium, qui gravem aliquam culpam in excipiendo alterius confessionem commisit, posse eam confiteri, licèt Sacerdos cui confitetur, inde veniat in notitiam illius, qui peccatum priori confessus est. Omnino tamen contrarium dicendum est cum communi Doctorum, imo ipsemet Soto in relectione de secreto, membro secundo, quæst. quartâ, dub. secundo videtur dubius, & consequenter debet potiùs peccatum illud non confiteri, quàm detegere illum pœnitentem, & si id confiteretur, violaret sigillum.

XIII. *Quanam hac in parte sit obligatio pœnitentis circa secretum.*

Pœnitens ipse quamvis non obligetur sigillo, tenetur tamen lege naturalis secreti non evulgare temerè quæ in confessione dicit Confessarius, ubi materia id postulaverit. Deinde non potest Confessarius post factam confessionem loqui cum ipso pœnitente de rebus in confessione auditis, esto fortè non sit propriè contra sigillum, cùm respectu pœnitentis non sit secretum, est tamen sigillum hoc sensu, nempè gravis obligatio orta ex Sacramento Pœnitentiæ non loquendi de re in confessione exceptâ. Si tamen defectus aliquis circa confessionem contigit, de quo tenetur monere pœnitentem, tunc si dare nolit licentiam pœnitens ad loquendum eâ de re, potest ipsi nihilominus dicere, & in hoc non loquitur extra confessionem, sed eam inchoatam perficit.

XIV. *Quid si quis interrogetur de rebus quas solùm novit in confessione.*

Si autem interrogetur quis de iis quæ novit solùm in confessione, potest absolutè negare, imo & jurare se aliquid hujusmodi non nosse, intelligendo ita ut possim tibi dicere, ut docet Coninck disput. nonâ, dub. primo, num. 25. & alii communiter.

XV. *Ulteriùs declaratur ratio, cur ex confessione, tanta oriatur obligatio secreti.*

Solùm noto circa rationem suprà positam de causâ hujus tantæ obligationis ad non violandum hoc secretum, cùm tamen alia secreta non sint ita strictè observanda, imò nec debeant cùm ingenti detrimento Reipublicæ: ratio inquam ulterior hujus est, quia scientia illa non est humana, sed comparata mediis supernaturalibus. Quare, sicut si quis aliquid accepisset per revelationem, non teneretur uti illâ scientiâ magis quàm Angelus in cœlo, ita nec in præsenti.

SECTIO SECUNDA.

An liceat Confessario uti notitiâ habitâ per Confessionem.

I. *Sigillum confessionis, non verbis tantùm, sed factis potest violari.*

PRÆMITTENDUM, non verbis tantùm, sed factis posse violari sigillum confessionis, ac proinde non minor cura in his, quàm in illis ponenda, ne quid per ea innotescat. unde certum est non licere uti ullâ notitiâ habitâ per solam Confessionem si sit periculum revelationis peccati pœnitentis directæ vel indirectæ.

II. *Prohibuit Clemens VIII. ne regularium superiores notitiâ, quam per confessionem habent, utantur ad externam gubernationem.*

Deinde, non est hic quæstio de jure humano, nam Clemens VIII. per Bullam quandam prohibuit, ne regularium superiores eâ notitiâ, quam per confessionem habent, ullo modo ad externam gubernationem utantur. Loquimur autem ex naturâ & institutione ipsoque jure Sacramenti: & sermo est, quando solùm per confessionem id habet; si enim aliunde novit, potest per illam scientiam per se loquendo, eodem modo se gerere, ac si omnino per confessionem illud non accepisset.

III. *Quod nonnulla possit quis uti notitiâ in confessione habitâ.*

Dico primò: Quoad nonnulla indubitatum videtur posse aliquem uti notitiâ per confessionem habitâ, nempe ut oret pro pœnitente; hoc enim merè internum est, & nullum periculum detectionis. Deinde consulere potest viros doctos, & in confessionibus audiendis exercitatos quid faciendum esset, si tales vel tales casus in confessione occurrerent, modò sine cujuspiam detectione, aut illius periculo fiat, & alia hujusmodi.

IV. *Addunt quidam, posse Confessarium, si sit superior, occasionem aliquam externam peccandi auferre.*

Addunt multi, posse Confessarium si superior sit exempli gratiâ curare occasionem aliquam externam peccandi auferri, ubi nulla est suspicio de peccato pœnitentis, quod magis probabiliter, inquiunt, dicitur, si captet aliquam occasionem commodam, ut nec ipse pœnitens jure suspicari possit, id ex ipsius confessione provenire, alioqui esset tacita quædam peccati exprobratio. Sed non videtur fieri posse quin hoc suspicari possit pœnitens provenire ex ipsius confessione: unde non puto esse licitum.

V. *Non potest superior uti notitiâ in confessione habitâ ad actus externæ gubernationis.*

Dico secundò cum plerisque ex recentioribus, non potest superior uti notitiâ in confessione habitâ ad actus externæ gubernationis, ut ad aliquem puniendum, aut officio vel beneficio privandum, negare ei suffragium in electione ad aliquod officium, amovere à certo loco, &c. Item nec potest Parochus aut alius negare ei Eucharistiam, aut recusare assistere ejus matrimonio, ubi per solam confessionem novit eum habere impedimentum dirimens. Ratio est, quia hoc aliquo modo est violare sigillum & tacitè ei exprobrare peccatum, quod nullo modo licet, ut diximus.

VI. *Gravissima commoda sequerentur, si scirent fideles, ob confessionem posse se privari officiis.*

Imo, ut benè advertit Layman libro sexto, tract. sexto, cap. decimo quarto, num. vigesimo secundo, ipso facto quòd sciant fideles, se ob peccatorum suorum confessionem privari posse officiis, aut beneficiis, etiam per occulta suffragia, abhorrebunt à confessione, iis saltem faciendâ, quos suspicantur sibi aliquando prodesse posse, vel obesse.

VII. *Reservatio etiam pec-*

Tandem reservatio peccatorum magnâ ex parte esset inutilis; non enim potest obligari clericus, ut suprà diximus cum communi sententiâ, ad

peccatum

catorum redderetur magnâ ex parte inutilis.

peccatum aliquod grave cum tanto damno Episcopo confitendum, sicut nec obligatur quivis fidelis ad peccatum aliquod confitendum illi, à quo timet, propterea se magnum aliquod damnum passurum, sicque ex ipsâ naturâ & institutione pœnitentiæ hoc deducitur, & ex reverentiâ debitâ huic Sacramento, esto fortè in eo casu, ubi nulla oriretur suspicio pœnitenti negationem suffragii provenire ex ipsius confessione, cùm nec sciat utrùm negatum ipsi à Confessario sit suffragium, non sit violatio sigilli. Unde Pater Claudius Aquaviva anno Domini 1590. præcepit Superioribus Societatis, ne unquam in externâ gubernatione scientiâ per confessionem habitâ utantur. Quod postea Clemens VIII. Anno 1594. motu proprio, pro omnibus regularibus decrevit.

VIII. *Contraria tamen sententia multos & graves habet Auctores.*

Verum quidem est, contrariam sententiam habere multos & gravissimos Auctores, qui dicunt, quoties solus pœnitens suspicari poterit fieri hæc ratione peccati in confessione cogniti, posse Confessarium justè ei negare suffragium, privare officio aut beneficio, &c. ita Sanctus Thomas in quarto, dist. 21. quæst. 3. art. primo, quæstiunculâ primâ, ad tertium, Halensis, Divus Bonaventura, Paludanus, Gabriel, & alii, quos refert Sanchez libro tertio de Matrimonio, disp. 16. Imo addit Navarrus, si sint latæ aliquæ pœnæ aut censuræ incurrendæ ob eligentem indignum, incurri ab electione, etiamsi ex solâ confessione noverit esse indignum.

IX. *Dices per has externas actiones non violari sigillum.*

Dices: Per hujusmodi actiones ad gubernationem externam spectantes non violari sigillum. Respondetur: Per multas ex iis violari, vel directè vel indirectè, factis exprobrando alteri peccatum, vel reddunt manem, ex parte saltem, institutionem hujus Sacramenti, & casuum reservationem. Urgebis: Casuum reservatio videtur ad hunc finem instituta, ut meliùs gubernetur subditus. Negatur antecedens: Sed tum ut pœnitentes videntes difficultatem obtinendi absolutionem ab ejusmodi peccatis, magis eorum gravitatem apprehendant, eâque vitent, tum ut superioribus, qui plerumque prudentiores sunt, & magis experti, meliùs in foro conscientiæ dirigantur.

X. *Aliud est, si confessarius aliunde habeat peccati illius notitiam.*

Si tamen Confessarius aliunde habeat notitiam illius peccati, potest eodem modo se gerere erga pœnitentem, ac si confessionem ejus non audivisset, per hanc enim notitiam non privatur suo jure, quin aliâ uti possit, secus si solùm nosset per confessionem.

XI. *Quid si duo conspirent in mortem Sacerdotis, & alter hoc ei in confessione aperiat.*

Quæres: Si duo conspirent ad mortem Sacerdoti sequente nocte inferendum, aut vino, quo in Missâ usurus est, venenum admiscuissent, postea Titius facti pœnitens hoc Sacerdoti illi in confessione aperit, utrùm possit Sacerdos fugere, aut vino illo rejecto aliud sumere.

XII. *Respondent*

Suarez disp. trigesimâ tertiâ, sect. septimâ, num. septimo, Vasquez, & alii negant; nec enim inquiunt, potest fugere, aut vinum illud recusare quin conjurationis socius suspicetur Titium hoc esse confessum, & consequenter violaretur sigillum. Sed vereor ut hæc ratio sit solida; non enim est contra sigillum confessionis aliquid dicere, unde qui aliâ viâ norunt peccata alicujus hominis, suspicentur ipsum ea esse confessum; sic enim aliquis publicè audit publicum peccatorem, jam morti ob scelera adjudicatum, & publicè ei absolutionem impendit, imo viri sæpè timorati non ducunt sibi religioni dicere talem, cujus aliundè publica sunt peccata, sibi cum magno dolore esse confessum, seque credere eum esse salvum.

aliqui Sacerdotem illum non posse fugere, ut mortem vitet.

Solùm ergo violatur sigillum, quando aliquid sit vel dicitur, unde ii quibus nota non erant alicujus scelera, cognoscant eum aliquod peccatum commisisse, non quibus antea erant nota. Unde Coninck disp. nonâ, dub. quarto, num. quinquagesimo tertio, Henriquez libro sexto, cap. vigesimo-quarto, num. quinto, Layman libro sexto, tractatu sexto, cap. decimo-quarto, num. vigesimo, Scotus, Gabriel, & alii dicunt eum licitè tunc & fugere posse, & vinum mutare, imo teneri ad hoc secundum ne se occidat. Sed hoc postremum quoad occisionem sui solvere omnes debent, cùm omnes fateantur, si ex recusatione illius vini detegeretur peccatum Titii aliis, non posse Sacerdotem vinum illud recusare, & tamen nunquam potest quis se occidere.

XIII. *Quando per hujusmodi actiones violetur sigillum.*

Existimo tamen non posse Sacerdotem in eo casu fugere, aut vinum recusare, tum quia esset tacitè facto exprobrare Titio peccatum ejus, quod per solam confessionem accepit, imo possent etiam alii per hoc in peccati hujus notitiam venire, varias fugæ illius causas indagando, & facilè suspicari, structas ei à nonnullis fuisse insidias. Tandem grave incommodum Titio provenire posset à socio conjurationis, præsertim si illius famulus esset.

XIV. *Probabilius mihi videtur, non posse Sacerdotem illum vel fugere, vel vinum mutare.*

Quoad alias obligationes Confessarii erga pœnitentem, rem fusè ac dilucidè præter cæteros exponit P. Tannerus disp. 6. quæst. 9. dub. 5. universim hoc dici potest, ubi ejusmodi ignorantia invenitur in pœnitente, ut nesciat res ad fidem spectantes, aut præcepta Dei & Ecclesiæ, obligationes sui status, &c. debet eum instruere: si verò in quibusdam advertat ipsum bonâ fide procedere in aliquo errore, ex cujus detectione malum potiùs proveniret, quàm bonum, potest, imo subinde tenetur eum in suâ relinquere ignorantiâ, ut si deprehendat duos cohabitare in conjugio cum impedimento dirimente.

XV. *De aliis obligationibus confessarii erga pœnitentem.*

Curare etiam debet, ut occasiones, saltem proximas peccati tollat, non semper remotas, nam licèt status militum sit periculosissimus ob varias peccandi occasiones, non tamen tenetur quis illum mutare, nec ad hoc eos compulit Sanctus Joannes Baptista erudiens illos ad vitam rectè instituendam: imo Ecclesia numerat statum militiæ inter licitos, sed periculosos capite *Noli militare.* Et hæc de Sacramento Pœnitentiæ.

XVI. *Curare etiâ debet confessarius, ut pœnitens occasiones peccandi proximas relinquat.*

DISPUTA-

DISPUTATIO NONAGESIMA SEPTIMA.

De objecto virtutis Pœnitentiæ.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Pœnitentia sit virtus?

I. *Non hic loquimur de habitu pœnitentiæ in totâ suâ latitudine.*

NON est sermo de habitu Pœnitentiæ in totâ suâ latitudine; ut sic enim plures sub se actus continet, de quibus non est dubium quin eorum aliqui honesti sint, & virtuosi. Quæstio itaque procedit de actu illo, qui est dolor & retractatio peccati præteriti, utrùm scilicet sit honestus & virtuosus.

II. *Actus quo quis dolet de peccatis est honestus & virtuosus.*

Conclusio: Actus quo quis dolet de peccato commisso est verè & simpliciter virtus: ita sanctus Thomas hic, quæst. octogesima-quintâ, articulo primo, quem sequuntur Theologi omnes, uno excepto Caietano, qui actum hunc ait non esse virtutem simpliciter, & absolutè, sed solùm secundùm quid.

III. *Hic actus conformis est regulæ rectæ rationis, ergo est honestus.*

Probatur tamen conclusio: Actus enim ille est honestus, & consequenter virtus, qui est conformis regulæ rectæ rationis in genere moris, hic autem actus pœnitentiæ est talis, ergo: Probatur minor: dolere enim de peccato ad hoc ut voluntas à malo illo avertatur, illudque quatenus aliquo modo remanet, destruat, honestus finis est. Unde Sanctus Chrysostomus homiliâ quintâ ad populum, tristitiam ferè ad nihil aliud utilem esse ait, nisi ut de peccatis habeatur. Tandem, quod caput est, sæpiùs nobis in sacra Scripturâ actus hic pœnitentiæ commendatur.

IV. *Objic. Actus pœnitentiæ non est expetibilis, ergo non est honestus.*

Dices cum Caietano citato quicquid est honestum & virtuosum, est expetibile, sed pœnitentia non est expetibilis, ergo: Probatur minor, hic actus pœnitentiæ supponit peccatum, cùm tendat ad illius destructionem, sed quod supponit malum, seu peccatum, non potest honestè expeti, ergo. Contra primò, ergo nec inhumanis medicina est expetibilis quæ semper supponit vulnus, aut morbum. Contra secundo, ergo nec honestè expeti potest justitia vindicativa, quæ culpam supponit ob quam pœnam infligat, nec misericordia quæ miseriam supponit in proximo, quam tamen utramque Theologi numerant in virtutibus.

V. *Dico ergo, ad rationem actus honesti, seu virtutis sufficere, ut sit expetibilis factâ aliquâ suppositione.*

Respondetur itaque, non esse de ratione virtutis, seu actus honesti, ut sit expetibilis, nullâ factâ suppositione, sed quod in his vel illis circumstantiis sit absolutè expetibilis, ratione motivi & bonitatis, quam in se habet, cùm tamen ante suppositionem positam, solùm esset expetibilis conditionatè, & hoc sensu est pœnitentia, & omnis virtus ex expetibilibus per se, seu propter se, id est habet tale motivum, ut verè allicere honestè possit voluntatem ad illam amplectendam, quamvis non nisi factâ aliquâ suppositione.

VI. *Objic. Verecundiam seu cundiam Aristotelem ob similem rationem non esse virtutem.*

Dices secundò: Affirmare Aristotelem secundo Ethicorum, capite septimo, verecundiam non esse virtutem quia supponit turpitudinem in eo qui rubore suffunditur, ergo nec erit virtus pœnitentia, quæ etiam peccatum supponit. Respondetur cum sancto Thoma hic, quæstione octogesima-quintâ, articulo primo, ad secundum, negando consequentiam; cùm enim verecunia, quæ est timor infamiæ, tendat solùm inefficaciter ad removendum actuale peccatum, seu turpe factum, quod secum patitur, non sufficit ad denominationem actus virtuosi simpliciter, respectu illius objecti in quod tendit, nec subjectum in eo genere denominat simpliciter agens virtuosè; nunquam enim virtutem aliquam acquiret is, qui inefficaciter solùm in eam tendit, imo simpliciter cum illo affectu inefficaci potest habere denominationem vitii contrarii. Pœnitentia autem efficaciter excludit peccatum actuale, ut videbimus..

VII. *Objic. Pœnitentia non fertur in objectum honestum, utamoris potè qua fertur in peccatum.*

Dices tertiò: Actus ille non est honestus, nisi qui fertur in honestatem ex parte objecti, sed hic actus Pœnitentiæ non fertur in objectum, quod in se honestatem contineat, cùm feratur semper in peccatum. Distinguo majorem: Actus amoris seu prosecutionis, concedo majorem, actus odii & aversionis seu fugæ, nego; nec enim minùs honestum est malum fugere, quàm prosequi bonum. Malitia itaque objecti reddit actum odii & aversionis bonum & honestum, imo esset actus odii malus & inhonestus, si objectum esset bonum: sicut falsitas objecti reddit actum dissensus verum, veritas falsum.

VIII. *Deinde actus odii rei malæ est prosecutio boni contrarii.*

Adde, secundùm multos, actum odii esse actum prosecutionis boni contrarii; nihil enim inquiunt, aliud est odisse malum, quàm amare & velle bonum illi oppositum, quod, quicquid sit de formali ratione tendendi actus, virtualiter certè & æquivalenter verum est fugam mali esse prosecutionem boni, imo fortasse formaliter, cùm fugere malum sit velle illud non esse, velle autem negationem alicujus rei, est formaliter actus prosecutionis, sicut recessus à termino à quo in motu locali est accessus ad terminum ad quem.

IX. *Objic. imprudentiam esse velle ut præteritum non sit.*

Dices quartò: Nihil esse posse virtutem, quod non nitatur prudentiâ, imprudenter autem quis dolet de peccato præterito, utpote cùm nullus dolor efficere possit, ut præteritum non sit. Respondetur, hunc actum non eò tendere, ut quod

factum

factum est, non fuerit factum, sed tum ut voluntas à malo illo avertatur, tum ut affectum suum in Deum ostendat, tum etiam ut illud prout reatu manet, ut loquitur Sanctus Augustinus libro primo de Nuptiis, capite vigesimo sexto, *Divinâ gratiâ suffultus homo destruat*, nam ut ait idem S. Augustinus libro de verâ & falsâ Pœnitentiâ, capite vigesimo: *Qui convertitur, necessariò dolet habere, quod gaudet perdere.*

X. *Nec obstat conceptui virtutis in Pœnitentiâ, quòd virtus cum delectatione, Pœnitentia cum tristitiâ exerceatur.*

Dices quinto: Virtus cum delectatione exercetur, Pœnitentia cum tristitiâ. Respondetur, delectationem in exercitio virtutis repertam non opponi tristitiæ; nullus enim credo negabit, si quis doleat de calamitate sui amici, quin sit actus virtutis, sicut in Christo & Sanctis summus actus virtutis erat quo dolebant videre tot peccata in Deum commissa. Per illam ergo delectationem intelligitur facilitas quâ quis ubi virtutem semel assecutus est, operatur.

XI. *Quid sit objectum materiale Pœnitentia.*

Quæres: Quid sit objectum materiale Pœnitentiæ? Dupliciter considerari potest hæc virtus, ut est prosecutio, & ut est fuga: ut ergo est prosecutio objectum illius esse potest quicquid juvat ad finem Pœnitentiæ, scilicet vel ad resarciendum jus Dei læsum, vel ad eum habendum placatum, vel aliud hujusmodi, secundùm diversas opiniones de motivo & objecto ejus formali, de quo postea: omnè enim illud eligi potest ut medium ad hunc finem consequendum.

XII. *Pœnitentia, ut est fuga, proprium objectum sunt peccata omnia, etiam remissa.*

Ut verò Pœnitentia est fuga, objectum materiale illius inprimis sunt peccata omnia, tum mortalia, tum venialia, etiam remissa, cùm de his omnibus dolere adhuc quis possit quòd per illa Deum offenderit. Peccata etiam actualia ante Baptismum commissa; imo debet de iis dolere adultus accedens ad Baptismum. Hæc intelligenda sunt de Pœnitentiâ secundùm actum maximè proprium, & antonomasticè sumptum, nempe prout est detestatio & retractatio; si enim sumatur secundùm actus minùs proprios & secundarios, ad alia objecta extenditur.

SECTIO SECUNDA.

In quibus reperiatur habitus virtutis Pœnitentiæ.

I. *De hominibus in viâ, qui aliquando peccârûnt, non est dubiû quin in iis reperiri possit habitus pœnitentia.*

DE hominibus in viâ, illis saltem, qui aliquando peccârunt, non est controversia, saltem ubi gratiam recuperarunt, cùm nihil sit quod impediat quo minùs in iis reperiatur. Difficultas ergo est de Christo, Beatissimâ Virgine, Angelis, & Beatis omnibus, utrùm scilicet in iis sit, aut esse possit virtus, seu habitus Pœnitentiæ.

II. *In hominibus in statu peccati mortalis non reperitur habitus Pœnitentiæ.*

Dico primò: In hominibus qui adhuc sunt in statu peccati mortalis non est habitus Pœnitentiæ: ita communis Theologorum sententia, qui unà cum gratiâ dicunt omnes habitus virtutum moralium infusarum deperdi, quod tamen quoad Pœnitentiam in particulari, firmâ aliquâ & efficaci ratione ostendi vix potest, ut ait Vasquez primâ secundæ, disp. 88. capite primo, num. tertio; cùm enim Fides & Spes habituales maneant in peccatore, ut per eas se disponat ad justificationem, licèt non minùs sint passiones vel quasi passiones gratiæ, quàm habitus Pœnitentiæ, quidni etiam in peccatore manebit virtus infusa Pœnitentiæ, ut homo similiter per ejus actum, nempe dolorem disponat, se similiter ad justificationem. Dici tamen potest esse peculiarem rationem de Fide & Spe, quia sine Spe nihil potest homo seriò aggredi circa consecutionem salutis, nec difficultates occurrentes vincere, at sine pœnitentiâ speciali potest, cùm ex aliis motivis possit à peccato resipiscere, & idem suo modo est de Fide.

III. *In Beatis manet habitus Pœnitentiæ.*

Dico secundo: In Beatis manet habitus Pœnitentiæ: ita Sanctus Thomas in quarto, dist. decimâ quartâ, quæst. primâ, art. tertio, quæstiunculâ secundâ, Suarez hîc, disp. 7. sect. primâ, num. decimo, & Tomo primo in tertiam partem, disp. 4. sect. 5. §. *Secundus modus* & disp. 19. sect. 1. Coninck hîc, disp. primâ, dub. tertio, fine.

IV. *Duobus modis sumitur Pœnitentia.*

Notandum, Pœnitentiam secundùm rigorosam significationem vocis importare absolutam retractationem peccati proprii, & consequenter connotat peccatum ab illo subjecto, in quo est illa virtus, commissum, quo sensu negat Sanctus Thomas pœnitentiam fuisse in Christo. Alio modo sumitur Pœnitentia in ordine ad alios actus, nempe detestationem peccati secundùm se, gaudium de peccato non commisso ob gravitatem divinæ offensæ in peccato relucentis, prout etiam ordinatur ad quosvis actus spectantes ad servandum jus divinum illæsum: ut autem maneat habitus infusus, sufficit aliquos ejus actus esse subjecto possibiles.

V. *Etsi habitus Fidei non sit in Beatis, non tamen sequitur, in iis non remanere habitum Pœnitentiæ.*

Dices: Secundùm communem sententiam Theologorum non est habitus Fidei in Beatis, ergo nec pœnitentiæ. Nego consequentiam; primò enim fides & visio beata ordinantur ad constituendos duos diversos status, viatoris scilicet & comprehensoris: unde connaturaliter opponuntur non minùs quàm subsistentia propria & subsistentia Verbi in humanitate Christi, quarum hæc propterea illam naturaliter expellit, licèt supernaturaliter esse possint simul, ut latè ostendimus in tractatu de Incarnatione, sicut & visio beata cum habitu Fidei.

VI. *Deinde, nullus actus ab habitu Fidei proveniens elici potest à Beatis.*

Adde, Beatum nullum omnino actum à virtute Fidei provenientem elicere posse. Imo, inquis, potest elicere saltem aliquem actum conditionatum Fidei; licèt enim dicere nequeat, credo Deum esse Trinum & Unum, Verbum assumpsisse naturam humanam, &c. potest tamen dicere, *Crederem Deo revelanti, si daretur occasio*, & essem in statu in quo credere possem. Contra: Actus ille conditionatus non elicitur ab habitu Fidei, sed piæ affectionis; indicat enim promptitudinem ex parte voluntatis ad obediendum Deo in rebus Fidei, quæ operatio est affectus voluntatis, non actus intellectus: unde & propter hunc actum Suarez Tomo primo in tertiam partem, quæst. 7. in Commentario articuli tertii, licèt neget in Christo manere habitum fidei, ait tamen esse in ipso habitum piæ affectionis. Imo ipsemet Sanctus Thomas quæstione illâ septimâ, articulo tertio, ad secundum hoc insinuare videtur, ubi postquam virtutem Fidei in Christo esse negaverat, ait tamen, ex parte voluntatis fuisse in eo quicquid ad obedientiam & meritum Fidei pertinet.

VII. *In Christo & Beatissimâ Virgine fuit virtus Pœnitentiæ quoad aliquos actus.*

Hinc infero, in Christo fuisse virtutem pœnitentiæ in ordine ad actus aliquos secundarios illius, quod idem de Beatissimâ Virgine dicendum, & à fortiori de Adamo in statu innocentiæ, & de innocentibus, hoc est iis, qui compotes rationis, nondum peccarunt; ipsi enim saltem peccare possunt

possunt venialiter, & consequenter peccatum illud absolutè retractare.

VIII. *Quoad Angelos, qui eos inflexibiles ponunt, negant habere habitum Pœnitentiæ.* De Angelis peculiaris est difficultas, nam secundùm multos ita fixi sunt & inflexibiles circa id quod semel statuunt, ut se mutare in contrarium non possint; quare qui eos hoc modo inflexibiles ponunt negant habuisse habitum pœnitentiæ, etiam in viâ, quia peccatum si admisissent retractare non potuissent. Quam ob causam Sanctus Thomas primâ parte, quæst. 95. art. tertio corpore, licèt Adamo in statu innocentiæ, pœnitentiæ habitum concedat, sicut alibi concedit innocentibus, Angelis tamen negat. Qui verò hanc in iis inflexibilitatem negant, virtutem pœnitentiæ concedunt, licèt fortè probabilitate non careat, etiam positâ inflexibilitate illâ, potuisse in iis esse habitum pœnitentiæ, saltem in ordine ad actus secundarios.

IX. *Alius modus probandi manere in Beatis, & aliis quibusdâ ex supra positis, habitum Pœnitentiæ.* Alio modo probant aliqui in Beatis & aliis plerisque ex suprà positis manere habitum pœnitentiæ; ad hoc enim, inquiunt, ut habitus aliquis insit alicui subjecto, spectare debemus, non quid per accidens aut ratione alicujus circumstantiæ, sed quid per se facere in illo subjecto possit, & si per se loquendo, & spectatâ naturâ illius subjecti possit operari, sufficit inquiunt, ut in eo ponatur. Sic cœco & muto baptizato non minùs infunduntur habitus infusi ad coërcenda vitia oculorum & linguæ, quàm in aliis baptizatis, quia per se loquendo, spectatâ naturâ subjecti, seu hominis, possunt illi habitus operari, & habent suum finem. Sic etiam in Beatissimâ Virgine in viâ, & Sanctis in cœlo semper fuit habitus Charitatis, per quem quantum ad naturam subjecti poterant elicere actum contritionis ex motivo amoris Dei super omnia, licèt per accidens non possent, quia vel non omnino peccârunt, quod certum est de Virgine, vel saltem nunc non sunt in statu doloris capace, de quo postea.

X. *Pœnitentia non est virtus Theologica.* Quæres: Utrùm Pœnitentia sit virtus Theologica? Respondetur negativè: Ratio est, quia ut aliqua virtus sit Theologica, habere debet Deum, vel pro motivo, seu objecto formali, vel pro objecto *quod*, & materiali, neutrum autem competit Pœnitentiæ; motivum enim formale ipsius, vel est honestas, quæ relucet in servando jus Dei illæsum, vel illud læsum resarciendo, vel aliud hujusmodi secundùm diversas hac de re opiniones: objectum ejus autem materiale est, vel ipsa non læsio juris divini, vel illius jam læsi reparatiò.

XI. *Objic. Habet Deum pro objecto, seu fine Cui.* Dices: Saltem habet Deum pro objecto *cui*; vult enim satisfacere Deo, sicut Charitas vult Deo bona creata tanquam fini *cui*. Contra: Ergo obedientia per quam homo vult obedire Deo, & religio qua vult colere Deum, erunt virtutes Theologicæ. Respondetur itaque, solum objectum *cui* non sufficere ut aliqua virtus censeatur Theologica, sed ulteriùs requiritur, ut vel Deus sit objectum *quod*, vel ut sit motivum formale *propter quod*, seu ex cujus complacentiâ aliquid expetitur, ut contingit in Charitate; ita enim Charitas vult bona creata Deo tanquam objecto *cui*, ut ipsa bonitas divina sit motivum formale illius actus, per quem scilicet etiam amat Deum.

XII. *Probatur ulteriùs Pœnitentiam non habere Deum pro* Jam verò Pœnitentia nec habet Deum pro objecto materiali nec formali, ita ut ex complacentiâ Dei faciat quod facit, seu quia bonum est Deo, sed vult reparationem juris divini: sicut obedientia non vult Deum, sed obedire Deo, seu honestatem illam quæ relucet in obsequendo Deo: Religio etiam non vult Deum, sed cultum Dei. Unde nec propriè dici potest Deus objectum seu finis *cui* pœnitentiæ; quod enim hoc modo est finis *cui*, est illud ex cujus complacentiâ aliquid fit, licèt lato quodam modo dici possit Deus objectum seu finis *cui* pœnitentiæ, quia scilicet est objectum illud, cui volumus satisfacere, seu debitum deferimus, ac proindo nulla harum est virtus Theologica. *objecto vel formali, vel materiali.*

Hæc tamen intelligenda sunt de actu pœnitentiæ purè ex motivo pœnitentiæ: sicut namque est possibilis una visio albedinis aut Leonis tantùm, alia nigredinis & equi tantùm, tertia demum quæ simul sit visio albedinis & nigredinis, vel equi & Leonis, ita fortasse nulla est implicantia, quo minùs idem numero actus procedat ex variis motivis, sicque doleat quis de peccato, & ex motivo Charitatis & Pœnitentiæ, tunc autem actus ille habebit utramque rationem, seu formalitatem, Charitatis, in quantum est propter Deum summè per illum actum amatum; pœnitentiæ specialis virtutis, in quantum elicitur ex speciali motivo Pœnitentiæ. sed de hoc plura postea. XIII. *Sumi tamen hæc debent de actu pœnitentiæ quatenùs procedat ex motivo Pœnitentiæ.*

SECTIO TERTIA.

Quis actus propriè sit actus Pœnitentiæ.

I. *Quid juxta S. Gregorium sit agere Pœnitentiam.* Pœnitentiam agere ut ait S. Gregorius Homiliâ trigesimâ quartâ in Evangelia, est *perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*: & Sanctus Augustinus libro de verâ & falsâ Pœnitentiâ, vel quisquis est auctor illius libri, *est quædam dolentis vindicta, semper puniens quod dolet commisisse.* Ex his & aliis dictis Patrum colligimus ad Pœnitentiam latè, seu integraliter sumptam multos actus concurrere. Inprimis ergo intervenit actus intellectus, quo gravitas peccati vel ex ratione Numinis offensi, vel pœnæ peccatoribus designatæ proponitur: deinde ex parte voluntatis varii reperiuntur affectus, vel constituentes, vel concomitantes Pœnitentiam, ut odium, seu detestatio peccati secundùm se, sicut odium cujusque mali est aversatio ejus secundùm se, abstrahendo ab illius præsentiâ, & opponitur amori, qui est affectus circa bonum secundùm se: deinde est dolor seu tristitia de peccato præsente, ex quo affectu provenit subinde motus in appetitu sensitivo, & lacrymæ. Præterea est propositum vitandi peccatum de cætero, voluntas pœnam aliquam pro peccato admisso subeundi, seu satisfaciendi, &c. In præsenti itaque quærimus in quo ex actibus voluntatis, nam de actu intellectus & appetitus sensitivi nulla est controversia, esto ille necessariò requiratur.

II. *Ad essentiale conceptum pœnitentiæ non spectat detestatio peccati secundùm se.* Dico primò: Detestatio seu odium peccati secundùm se non est de conceptu essentiali Pœnitentiæ: secundùm se inquam, nam utrùm detestatio aliqua seu fuga illius ut præteriti non sit, postea videbimus. Probatur: potest dari actus perfectus Pœnitentiæ, ille nimirum quem Deus in Scripturis ab hominibus requirit, quando dicit: *Pœnitentiam agite, convertimini ad me, projicite à vobis omnes iniquitates vestras*, &c. sine actu illo odii & detestationis peccati secundùm se, ergo:

Probatur

Probatur antecedens: perfectus actus pœnitentiæ secundùm Concilia censetur contritio vel attritio, sed hi actus haberi possunt sine detestatione peccati secundùm se, ergo: Probatur minor: ut aliquis doleat de malo aliquo præsente sufficit quòd apprehendat illud ut præsens; nec enim aliud requiritur ad dolorem efficiendum, quàm ut ei proponatur ut præsens objectum dolorifer-rum, sed potest illi hoc proponi immediatè, & sine aliquo alio, ergo.

III. *Ex illo alio sequeretur Beatos perfectissimè agere Pœnitentiam.*

Secundò probatur: Sequeretur namque beatos propriissimè agere pœnitentiam, cùm perfectissimè oderint & detestentur peccata; quod enim aliqui dicunt esse quidem actum illum detestationis proprium actum pœnitentiæ non tamen sortiri illius denominationem nisi actu sequatur dolor, non satisfacit; Patres enim actum proprium pœnitentiæ statuunt in dolore & animi afflictione; ergo detestatio præcisè & in se, non est verus actus pœnitentiæ.

IV. *Ad odium mali non requiritur ut priùs ratione detur amor alicujus boni.*

Dico secundò contra Coninck disp. secundâ, dub. sexto, num. quadragesimo nono, & alios, ad hoc ut quis odio habeat malum aliquod non est opus ut priùs ratione detur affectus voluntatis ad aliquod bonum. Probatur: ad hoc enim ut potentia aliqua feratur in objectum, sufficit quod in illo inveniat motivum formale sufficiens, sed hoc sit in præsenti, ergo non est opus actu prævio circa bonum: major constat, minor probatur, ipso facto quod intellectus repræsentet voluntati malitiam in objecto, non minùs invenit hæc motivum sufficiens actus aversationis & fugæ, quàm actus amoris & prosecutionis quando ptoponit ei intellectus in objecto rationem boni, ergo, &c.

V. *Si quis tantùm apprehendat malum sibi conjunctum, potest de eo dolere.*

Confirmatur: Ponamus aliquem nihil aliud apprehendere quàm malum illud, quod ei tunc conjungitur, exempli gratia ignem à quo torquetur, certè non videtur dubium quin de illo dolere possit, imo plerumque quando tormenta aut cruciatus sunt vehementes, ita absorbent & rapiunt ad se totam apprehensionem ut nihil aliud cogitare possit: quod præcipuè verum habet in infante in ignem verbi gratia projecto, qui tunc nullam apprehensionem habet alicujus boni, saltem præviam, multò minùs affectu ullo prævio in illud fertur, sed solùm dolet de præsenti malo, quod sentit.

VI. *Amor quidem ut plurimum præcedit, & est radix aliarum passionum.*

Verum quidem est, amorem ut plurimum præcedere, & esse quasi radicem aliarum passionum, hoc tamen non ita est necessarium, ut contrarium subinde non contingat, nec est ulla ratio cur si cui immediatè proponatur malum, non possit illud odisse, sicut amat bonum.

VII. *Objic. Nequit intellectus judicare aliquid esse falsum, nisi priùs judicet aliquid esse verum, ergo idem suo modo est de voluntate.*

Dices primò cum P. Coninck citato: sicut se habet intellectus respectu veri & falsi, ita se habet voluntas respectu boni & mali, sed intellectus non potest cognoscere aliquid esse falsum, ut judicare falsum esse Leonem esse lapidem, nisi priùs cognoscat quid sit Leo, quid lapis; ergo nec voluntas odisse aut fugere malum, nisi priùs amet bonum. Negatur tamen consequentia: ut enim voluntas feratur per modum fugæ in objectum aliquod, sufficit quod in eo proponatur illi per intellectum ratio mali; tunc enim sufficiens habet motivum talis actus, nec requiritur alius prævius actus voluntatis. Intellectus verò cùm veniat in cognitionem falsi per discursum, debet regulariter loquendo priùs habere duos actus judicii tanquam præmissas, ut in hoc syllogismo in Camestres: *Omnis Leo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est Leo*; vel in Cælarent: *Nullum animal est lapis, omnis Leo est animal, ergo nullus Leo est lapis.* Addo tamen si non habeatur per discursum non requiri ad cognoscendum Leonem non esse lapidem nisi claram apprehensionem terminorum: unde non magis requiritur judicium prævium de verò ad cognoscendum falsum, quàm actus voluntatis circa bonum, ut fugiat malum.

VIII. *Objic. Ideò odit quis malum, quia amat bonum oppositum.*

Dices secundò: Ideo quis odit malum, quia amat bonum oppositum. Confirmatur primò: ideo doleo de malo amici quia amicus est, ergo quia priùs amatus, alioqui cur magis doleam de malis amici, quàm inimici. Confirmatur secundò: non minùs subordinatur odium mali amori boni, quàm electio medii intentioni finis, sed electio supponit intentionem finis prævia; ergo & odium mali supponit prævium amorem boni.

IX. *Resp. Ideo ut plurimùm odisse aliquem malùm, quia malum est,*

Ad objectionem negatur antecedens universaliter loquendo, sed ideo odit quis malum, quia malum seu disconveniens est, vel quia ut tale apprehenditur, nec est opus ullo alio motu voluntatis prævio. Verum est quidem hunc, ipsum actum ut plurimum esse aliquo modo amorem, nam licèt ille actus respectu mali sit fuga respectu tamen personæ est amor, saltem interpretativè.

X. *Ut quis doleat de malo amici quia amicus est, non semper prævè requiritur amor ejusdem amici.*

Eodem modo respondetur ad confirmationem: Licèt enim plerumque præcedat amor respectu amici, de cujus malis dolemus, non tamen semper est necessarium, sed sufficit quòd repræsentetur homo ille ut amore dignus, & malum aliquod ad eum pertinens, ut malum illud odio habeamus; sic enim actus ille habere potest duplicem rationem, saltem interpretativè, nempe odii seu fugæ respectu mali & benevolentiæ respectu alterius, quem per hunc actum aliquo modo diligimus: sicut enim idem actus est amor concupiscentiæ respectu finis *cujus gratia*, nempe boni concupiti, & benevolentiæ, seu amicitiæ respectu personæ seu finis *cui*, ita idem actus odii esse potest fuga respectu mali, & complacentia respectu personæ.

XI. *Omnis etiàm electio non supponit necessariò præviam intentionem.*

Ad secundam etiam confirmationem dico, omnem electionem non necessariò supponere actum prævium intentionis: nil enim vetat eundem actum esse simul electionem respectu medii, & intentionem respectu finis, potest namque aliquis, videns sibi possibile esse consequi talem finem per tale medium, eodem actu velle & finem & medium, seu finem per hoc medium. Deinde est diversa ratio, nam medium ut medium non est appetibile secundùm se, sed solùm propter finem, at verò malum non minùs videtur esse posse instar finis respectu actus fugæ, quàm bonum respectu actus prosecutionis.

XII. *Dolor propriè dictus de malo aliquo, non est stricta illius detestatio.*

Dico tertiò: Propriè dictus dolor de malo aliquo, non est stricta detestatio illius. Probatur: Si enim in propriâ acceptione sumantur hæ voces, dolor est de malo ut aliquo modo præsente, & conjuncto, detestatio verò est fuga ejusdem mali, vel ut imminentis seu futuri, vel ut præteriti, modo statim explicando

SECTIO QUARTA.

Declaratur in quo actus Pœnitentiæ consistat.

I. *Rigorosus actus Pœnitentiæ includit, & dolorem & detestationem peccati commissi.*

DIco itaque quartò: Actus Pœnitentiæ propriè dictus includit & dolorem & detestationem peccati commissi. Ad probationem conclusionis notandum: Sicut circa bonum, ita & circa malum varios distingui animi affectus: quoad præsens notasse sufficit *Amorem* esse de bono secundùm se, *Delectationem* de bono præsente, seu possesso, *Desiderium* de bono absente, sive secundùm quod necdum est, sicque desiderat quis, ut sit hoc instanti, vel pro instanti aliquo sequente, seu ut fuerit pro aliquo tempore antecedente. Sic econtra circa malum amori correspondet *odium*, quod versatur circa malum secundùm se, delectationi opponitur *dolor* seu *tristitia*, tandem desiderio opponitur *fuga*, quæ vel est mali nondum positi, sed imminentis, & dici potest quasi desiderium ut tale malum non insit, vel est respectu mali præteriti, seu desiderium ut tale malum non fuerit, seu non fuerit commissum, & hic actus in secundo sensu vocatur peculiariter detestatio.

II. *Actus Pœnitentiæ consistere nequit in solâ detestatione.*

Quòd ergo non consistat actus Pœnitentiæ in solâ detestatione probatur; Sancti etenim in cœlo perfectissimè detestantur peccata, quæ in hac vitâ commiserunt, & tamen non agunt pœnitentiam eo modo quo Scriptura & Patres nobis pœnitentiam describunt, ab omnibus siquidem ad pœnitentiam requiritur dolor aliquis, *Scindite corda vestra*, Joëlis secundo, item vocatur planctus, afflictio, &c. quæ in illum statum non cadunt, imo æquè principaliter de conceptu pœnitentiæ est dolor ac detestatio.

III. *Deinde, actus Pœnitentiæ non est solus dolor.*

Quòd etiam actus Pœnitentiæ non sit solus dolor, sed includat detestationem probatur, secundùm communem quippe modum explicandi actum Pœnitentiæ, est hujusmodi affectus, *Quantum est ex me nollem peccasse*, seu *utinam non peccassem*, vel aliud simile, sed hic actus est detestatio peccati ut præteriti, uti constat; optat enim ut non fuerit, qui actus est fuga, seu desiderium de absentiâ peccati pro tempore jam transacto.

IV. *Docent Concilia & Patres, actum Pœnitentiæ esse detestationem peccati præteriti.*

Secundò probatur: Concilia siquidem & Patres semper asserunt actum Pœnitentiæ esse detestationem ac retractationem peccati præteriti, &c. sic enim loquitur Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto: *Contritio*, inquit, *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso*: deinde paulo post ait esse *odium vitæ veteris*, ibique affert ex Scripturâ locutiones eorum qui agebant pœnitentiam, *Tibi soli peccavi*, *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, &c. quæ feruntur in præteritum. unde Sanctus Thomas hic, quæst. 85. art primo, ad secundum ait, Pœnitentiam respicere turpe factum ut præteritum: & ad tertium loquens de Pœnitentiâ ait: *Est dolor, seu reprobatio facti præteriti*, &c. ergo Pœnitentia, quâ talis, semper fertur in præteritum, cupiens aliquo modo, ut nunquam fuerit. Ex quibus constat Sanctum Thomam, non ita affirmare Pœnitentiam esse dolorem, ut excludat detestationem. ulteriùs confirmatur conclusio, nam cùm secundùm omnes Pœnitentia sit retractatio, retractatio autem semper sit de facto aliquo præterito, pœnitentia ut pœnitentia necessariò tendere debet in præteritum quà præteritum.

V. *Hæ tamen duæ rationes, detestatio scilicet & dolor, in eodem actu reperiuntur identificatæ.*

Dico quintò: Hæ duæ rationes identificatæ reperiuntur in eodem actu, qui proinde simul est detestatio & dolor, nec opus est duobus actibus realiter distinctis. hoc modo optimè salvantur locutiones Conciliorum & Patrum, dùm dicunt contritionem esse dolorem ac detestationem; unicus enim indivisibilis actus in se utramque rationem complectitur, sicut idem actus simul est visio albedinis & nigredinis. Deinde congruè hac ratione explicatur actus Pœnitentiæ, quo quis dicit, *Vellem quantum est ex me non peccasse*; simul enim per eundem actum tristatur ac dolet de malo illo, & illud olim commissum retractat, seu quantum est ex se optat non fuisse. Concluso ulteriùs probabitur solutione argumentorum.

VI. *Dices: Detestatio & dolor non possunt in eodem actu identificari.*

Objicies primò: Hæ duæ rationes non possunt in eodem actu identificari; detestatio enim fertur in malum absens, seu præteritum quà tale, dolor autem in illud ut præsens, non potest autem idem esse præsens & præteritum, sicut nec potest quis simul delectari de bono aliquo, & illud desiderare; delectatio enim fertur in illud ut possessum, desiderium ut in absens, seu non possessum. Contra: Ergo nec duobus actibus potest quis ferri hoc modo in malum, quod tamen negant adversarii, cùm nec duobus actibus possit delectari de bono, & illud desiderare, cùm objectum delectationis tollat objectum desiderii, & econtra, simul quippe non possunt esse præsens & absens, seu præsens & non præsens: si autem illi actus possunt simul stare in voluntate, poterunt identificari, sicut ob eandem rationem potest fides & scientia in eundem actum coalescere.

VII. *Dico itaque nullam in hoc esse repugnantiam.*

Respondetur itaque, nullam in hoc reperiri ex parte objecti repugnantiam; quid enim vetat ut quis simul doleat de gravi aliquo malo, quod patitur, & tamen optet quantum est ex se, seu si fieri posset nunquam fuisse, imo hæ duæ tendentiæ voluntatis videntur maximè subordinatæ, & se invicem inferre; maximè enim connaturale est, ut dum quis ob facinus aliquod commissum, grave malum patitur, non solùm doleat de malo quo gravatur, sed ut optet nunquam facinus illud perpetratum fuisse; imo, ut dixi, objectum actus Pœnitentiæ communiter assignatur hujusmodi, nempe *Vellem non peccasse*. Addo circa bonum videri posse voluntatem hoc utroque modo, & consequenter eodem actu versari; ita enim potest gaudere & delectari de bono præsente & possesso, ut tamen optet illud antea fuisse, & consequenter fertur in illud ut præsens pro hoc tempore, & ut absens pro alio.

VIII. *Dices: Ergo dolor ille non erit liber, cùm necessariò sequatur ad detestationem.*

Objicies secundò Concilium Tridentinum sessione 14. canone quinto, ubi dicit actum quo quis dolet de peccatis esse liberum, at si requiratur etiam detestatio non erit dolor ille liber, cùm necessariò sequatur ad detestationem. Contra: Hoc argumentum solvi debet ab omnibus; in omni enim sententiâ, saltem præcedere potest hæc detestatio, sive sit de conceptu intrinseco pœnitentiæ, sive non, cùm Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, eodem canone quinto dicat, dolorem illum parari per detestationem.

IX.

P. Coninck itaque disp. primâ de Pœnitentiâ, dubio secundo, numero duodecimo, ob hoc argumentum

Primus ergo dicendi modus est, dolorem hunc esse participativè liberum à detestatione.

argumentum dicendum ait, actum Pœnitentiæ completum involvere utrumque actum, nempe & detestationem & dolorem, & illam esse magis liberam, hunc autem participativè ab illâ: sicut, inquit, actus Fidei in ratione suâ completâ perfectæ virtutis includit, non actum intellectus tantùm, sed voluntatis, à quo actu habet rationem liberi. Quemadmodum ergo fides censetur libera, quia potest credens ab actu fidei cessare, cessando ab actu voluntatis, ad quem sequitur, ita & dolor in actu pœnitentiæ, esto præcedat detestatio.

X. *In nostrâ sententiâ statuente dolorem identificatum cum detestatione, nulla est difficultas.*

At verò in nostrâ sententiâ nulla videtur difficultas: dicimus enim eundem actum esse simul detestationem & dolorem; est enim actus pœnitentiæ recessus à priori vitâ, cum quodam animi cruciatu, seu detestatio dolorosa, quæ utraque ratio in illo actu reperitur identificata; unde non minùs liber ibi est dolor quàm detestatio, cùm sit idem cum illâ, sicut quando eadem actio est simul intentio & electio. Adde, Concilium ibi loqui de libertate à coactione, & solùm velle ut dolor ille sit voluntarius, seu spontaneus, non coactus. Tandem, licèt frequenter contingat detestationem esse causam doloris, quando actus sunt distincti, existimo tamen posse dolorem esse causam detestationis; ex eo enim quòd quis doleat de malo gravi quod patitur, videtur connaturalissimè induci ad detestandam illius causam.

XI. *Dices: Ergo is cui revelatum est peccata esse remissa, non potest elicere actum Pœnitentiæ.*

Objicies tertiò, hinc sequi eum, cui revelatum esset peccata ei esse remissa, non posse elicere actum pœnitentiæ cùm dolore non possit. Respondetur, hoc non magis urgere nos, quàm illos, qui constituunt actum pœnitentiæ in solo dolore. Primò itaque transeat consequentia; si enim non possit de iis dolere, nil incommodi quòd actum pœnitentiæ circa illa ampliùs elicere non possit, cùm juxta Scripturam, Patres, & Concilia actus pœnitentiæ sit dolor, planctus, afflictio animi, &c. ulteriùs tamen dico, probabile videri illum, qui semel peccavit, posse per se loquendo, semper dolere, cùm hoc ipsum quod est peccasse, & innocentiam perdidisse, sit causa sufficiens doloris. Unde ait Hieremias Propheta, & applicari à Patribus solet animæ quæ peccavit: *Vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.*

XII. *Objic. Ergo Sancti jam in cœlo possunt de peccatis quondam admissis dolere.*

Dices; ergo & Sancti in cœlo possunt dolere, cùm adhuc maneat in ipsis peccasse, nec tolli unquam possit. Respondetur: ex parte objecti nihil iis deesse, sed quia sunt in statu beatitudinis, qui in bonorum omnium complexione consistit, nihil dolorosum admittunt; beatitudo enim tanquam quid bonum, requirit integram causam.

XIII. *Actus Pœnitentiæ vel est pura fuga, vel fuga simul & prosecutio.*

Hinc infero: actum pœnitentiæ esse actum fugæ, vel puræ, ut vult Vasquez & alii nonnulli, vel saltem mixtæ seu per modum fugæ simul & prosecutionis, nempe ita ut idem in re sit nolle malum, ac velle illius negationem; nolle enim seu odisse malum est velle illius destructionem, seu negationem, & non esse illius. Sed nostrâ in præsenti nil refert quid hac in re dicatur, quæstio enim Philosophica est, & non magni momenti.

SECTIO QUINTA.

Vtrùm actus Pœnitentiæ sit conditionatus, an absolutus?

I. *Quæritur an sit conditionatus ex parte objecti, non subjecti.*

CONDITIONATUS inquam, ex parte objecti, seu qui feratur in objectum conditionatum, non ex parte subjecti, actus siquidem debet absolutè esse, non solum sub conditione; quod enim sub conditione est, non est de facto, sed solùm indicat quid foret, si poneretur talis conditio, ut si tale quid contingeret ego gauderem, dolerem, &c.

II. *Dantur in intellectu actus aliqui conditionati ex parte objecti.*

Dico primò contra P. Hurtado disp. decimaquartâ de Animâ, sect. primâ, num. quinto, dari in intellectu actus quosdam conditionatos ex parte objecti. Probatur: hi actus: *Si paries est albus, est disgregativus visus, si Sol lucet dies est*; & alii hujusmodi, sunt actus conditionati, non ex parte subjecti; hoc enim implicat, nam verè judicat diem esse, non absolutè, sed sub hac conditione, nempe si Sol luceat, sed ex parte objecti, id est posito quod Sol luceat est dies. Quod verò hic actus: *Si Sol luceat, dies est*; & alii hujusmodi sint judicia, & non meræ apprehensiones ut aliqui volunt, videtur clarum, nam hic actus: *Si Sol lucet, dies est*; potest esse una ex præmissis in syllogismo, unde si addatur minor, *Sed Sol lucet*, optimè infertur, *ergo dies est*; ergo ille actus non est simplex tantùm apprehensio, sed judicium, cùm syllogismus non componatur nisi ex judiciis.

III. *Notanda differentia inter quosdam actus.*

Ad tollendam verò æquivocationem, quæ in re hac, per se obscurissimâ, facilè incurritur: notandum diversas esse has propositiones: *Si Sol lucet, dies est*; & *Si Sol lucet, judico diem esse*; primus enim actus frequens est, & conditionatus ex parte objecti, quo judicat diem esse, non absolutè & nullâ appositâ conditione, sed posito quod Sol luceat: unde aliâ ratione ex parte modi tendendi judicat quis diem esse per hunc actum: *Si Sol lucet dies est*, ac per hunc, *dies est*; hic enim absolutè assentitur huic objecto, ibi non nisi appositâ conditione idem judicat.

IV. *Quid de hac propositione censendum: Si Sol lucet, judico diem esse,*

In secundo autem actu (quem tamen ponit Pater Hurtado citatus pro exemplo actus conditionati) aperta latet æquivocatio: vel enim dicit, *Si Sol lucet, judico diem esse*, ita ut sensus sit, *Si Sol lucet judico, sin minùs, non judico*; quæ est implicatio in terminis; tunc enim esset conditionatum judicium ex parte subjecti, cùm tamen hoc ipsum sine aliquo judicio haberi non possit.

V. *Actus ille interdum est judicium absolutum reflexum.*

Alium sensum habere potest hæc propositio: *Si Sol lucet, judico diem esse*; nempe ita ut sit judicium absolutum reflexum de alio judicio conditionato ex parte objecti quo judico diem esse, si Sol luceat, sed hujusmodi actus reflexi rarò & vix nisi deditâ operâ eliciuntur; nec enim quando quis judicat de aliquo objecto, reflectit supra suum actum, & in actu signato judicat se judicare. Idem suo modo dicendum est de hoc & similibus actibus: *Si paries esset albus, judicarem illum esse disgregativum visus*; hic enim actus est absolutus, ex parte subjecti; est enim actus quasi reflexus, quod absolutè judico quid judicaturus essem, si paries esset albus.

VI. *Ex eo quòd sensus nec queat ferri*

Dices cum Patre Hurtado, non posse sensus ferri conditionatè; nec enim potest visus habere hunc actum: *Video colorem si est, seu si existit*;

conditionatè in objecta, nullum deducitur argumentum ad intellectum.

ergo nec intellectus. Nulla consequentia, nec enim valet à sensu in suis actibus ad intellectum in suis, utpote qui multo abstractius procedit, & ferri potest, non in præsens solùm sed existens in quacumque distantiâ, ad præteritum etiam & futurum, ad purè possibile, imo & impossibile, quæ sensui non competunt. Ut ergo intellectus assentiatur alicui objecto, sufficit quòd habeat veritatem quacumque ratione sibi inexistentem, sive absolutè, sive conditionatè, unde sicut absoluto actu dicere possum: *Paries est albus, ergo est disgregativus visus*; ita & conditionato: *Si paries est albus, & disgregativus visus*; non minùs enim verum est unum quàm alterum, sic è contrario ad dissensum sufficit, rem quovis modo non ita se habere; sic enim actu absoluto dissensus dicimus: *Paries non est albus, ergo non est disgregativus visus*; vel conditionato: *Si non est albus, non est disgregativus visus.*

VII. *Etiam ex parte voluntatis dari possunt hujusmodi actus conditionati.*

Dico secundò: Etiam ex parte voluntatis dari posse hujusmodi actus conditionatos: ita Suarez hîc, disputatione tertiâ, sectione tertiâ, & alii plurimi. Probatur: sicut enim intellectus dicit: *Si paries est albus, est disgregativus visus, si Sol lucet, est dies*, &c. & fertur per assensum in objectum, non absolutè, sed ut conditionatè vestitum talibus vel talibus circumstantiis, ita quidni idem facere poterit voluntas: unde nulli actus frequentiores quàm hujusmodi: si Petrus à me petierit dabo illi librum, si navis appulerit dabo eleëmosynam, &c. ubi nec in eleëmosynam, nec in donationem libri fertur omnino absolutè, sed solùm sub tali vel tali conditione. Nulla autem est ratio dicendi hujusmodi actus esse simplices complacentias, magis quàm hunc actum intellectus, si paries est albus, est disgregativus visus, & similes, esse simplices apprehensiones, quod tamen dici nequit, ut ostendimus, cùm sint præmissæ in syllogismo.

VIII. *Ostenditur dari diversum modum tendendi in voluntate actuum absolutorum & conditionatorum.*

Quare diversi ex modo tendendi sunt hi actus: *Volo dare eleëmosynam quia navis appulit*, & *volo dare si appulerit*; primus est absolutus, secundus conditionatus, non ex parte subjecti (sic enim dicere deberet: *Volam dare eleëmosynam ubi navis appulerit*, vel aliquid hujusmodi, quod indicaret voluntatem non præsentem, sed futuram, tali conditione positâ) sed objecti, hoc est volo jam, sub tali tamen conditione.

IX. *Quid censendum de hoc actu: Vellem non peccasse, si esset possibile.*

Major difficultas est de hoc & similibus actibus: *Vellem non peccasse, si esset possibile*, &c. sed de hoc etiam actu videtur mihi probabile, esse conditionatum ex parte objecti. Hæc est sententia Sancti Thomæ, tum alibi, tum primâ secundæ, quæstione decima-tertiâ, articulo quinto, ad primum, ubi dicit: *Licèt voluntas simpliciter completa non possit esse nisi circa possibile*; *at verò*, inquit, *alia voluntas potest esse circa impossibile*, *& vocari*, inquit, *solet velleitas, quia scilicet aliquis vellet illud si esset possibile*. Ratio est, quia sicut potest actus voluntatis ferri in objectum sub conditione futurâ, ut jam ostensum est, ita nil vetat, quo minùs aliquo actu ferri possit in impossibile, conditionatè saltem, nempe si esset possibile, & fortè aliis terminis explicari hic actus potest: *Vtinam non peccassem quantum est ex me*, seu *si esset possibile.*

X. *Objic. Actus Pœnitentiæ debet esse efficax, ergo versari nequit circa impossibile.*

Dices: Esto possibilis sit hujusmodi actus, pœnitentia tamen in eo consistere non potest; debet enim secundùm omnes esse efficax, actus autem efficax circa impossibile dari nequit. Respondetur: Non requiri ut actus pœnitentiæ hoc sensu sit efficax, nempe ut efficiat peccatum illud non fuisse; hoc enim stultum esset, ut ait Sanctus Thomas hîc, quæstione octogesimaquintâ. Hoc ergo solùm sensu actus pœnitentiæ est efficax, quòd excludat voluntatem peccandi de cætero; hoc enim modo efficaciter avertit voluntatem ab effectu peccandi, nam ut optimè advertit Suarez hîc, disp. tertiâ, sectione tertiâ, num. quinto, & sexto, nil vetat actum conditionatum, licèt sit inefficax respectu unius, posse tamen esse efficacem respectu alterius, & sic contingit in præsenti, nam dolor ille & detestatio peccati præteriti est vel formaliter vel virtualiter propositum postea non recidendi in peccatum.

XI. *Voluntas ferri potest in quodcunque bonum.*

Sicut ergo supra diximus de veritate respectu intellectus, ita nunc de voluntate asserimus, posse illam ferri in quodcunque bonum sive verum sive apparens, sive possibile sive existens, sive absolutum sive conditionatum, & sicut illud requiritur & sufficit ad actum absolutum, ita hoc ad conditionatum; ad hujusmodi enim actum non est necessarium, ut bonitas insit vel apprehendatur inesse objecto absolutè, sed dependenter à conditione, ut hîc contingit.

XII. *Actus primarius Pœnitentiæ non est voluntas infligendi sibi pœnam.*

Hinc infero primò contra Scotum in quarto, distinct. decima-quartâ, quæst. secundâ, actum saltem primarium pœnitentiæ non esse voluntatem infligendi sibi pœnam pro peccato admisso, qui consequenter ait, actum primarium pœnitentiæ esse actum prosecutionis respectu scilicet hujus pœnæ, quæ in his circumstantiis concipitur ut bona. Sed contra hoc est: Vel enim per pœnam hîc intelligit Scotus punitionem aliquam externam in vindictam peccatorum infligendam, & hic actus non est perfectus & primarius actus pœnitentiæ, cùm stare possit cum affectu peccandi; vel per pœnam intelligit Scotus dolorem & tristitiam internam, & tunc etiam ille actus licèt aliquo modo spectet ad pœnitentiam, non tamen est primarius actus illius, tùm quia actus imperans aliquam virtutem non sortitur rationem illius virtutis, sic actus imperans actum Charitatis vel obedientiæ non est Charitas nec obedientia ut constat, ac proinde neque actus imperans dolorem est dolor, & consequenter nec actus primarius pœnitentiæ, quem Concilia & Patres statuunt in dolore, planctu & tristitiâ, ut vidimus.

XIII. *Dari potest actus Pœnitentiæ sine illo actu imperante.*

Deinde potest dari actus contritionis, seu doloris sine hujusmodi actu imperante; ad hoc enim ut quis doleat de malo aliquo, sufficit malum illud voluntati proponi, sed in illo consistit perfectissima pœnitentia, ergo hoc imperium est planè extra conceptum perfecti actus pœnitentiæ, actus quippe pœnitentiæ primarius non est voluntas destruendi peccatum, sed ipsa ejus destructio in actu exercito, vel formaliter, vel dispositivè, ut est actus doloris.

XIV. *Dolor non est quid ab extrinseco impressum voluntati.*

Infero secundò contra eundem Scotum, multo minorem probabilitatem habere quod ait, dolorem scilicet esse quid ab extrinseco impressum voluntati, & non actum internum ac vitalem; contrarium enim videtur manifestum, possumus enim pro libito de objecto aliquo vel dolere vel gaudere, absque eo quòd quidquam ab extrinseco imprimatur. Deinde præcipiuntur nobis actus doloris & gaudii, ergo sunt actus liberi, & consequenter vitales, ergo non ab extrinseco; sed proveniunt sicut alii actus vitales ex propositione objecti per intellectum.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

In quo situs sit conceptus specialis virtutis Pœnitentiæ.

I. *Docet Scotus specialem virtutem Pœnitentiæ esse absolutè necessariam ad salutem.*

Scotus in quarto, dist. decima-quartâ, quæst. secundâ, art. secundo, ait, ita esse necessariam virtutem specialem pœnitentiæ ex peculiari motivo procedentem, ut sine eâ peccator nullus salutem consequi possit. Sed contra, nam ad salutem consequendam sufficit quod peccatum retractetur per actum propriæ virtutis in Sacramento, nam ad eandem virtutem spectat juxta Theologos amare bonum aliquod seu honestatem, & odisse malum ei contrarium, & consequenter honestatis illius violationem, unde qui commisit peccatum irreligiositatis aut intemperantiæ, si de iis doleat ex motivo speciali virtutum religionis & temperantiæ, consequetur eorum remissionem in Sacramento. Hoc etiam fieri potest per alias virtutes, quæ procedunt ex motivo universaliori, ut sunt obedientia, gratitudo, &c. cùm enim in peccato reperiant inhonestatem sibi contrariam, possunt illam detestari ex motivo sibi proprio, ergo non est simpliciter, seu necessitate medii necessaria specialis virtus pœnitentiæ ad salutem consequendam.

II. *Datur specialis virtus Pœnitentia.*

Hoc tamen non obstante datur peculiaris aliqua virtus pœnitentiæ, quæ non consistit in collectione omnium aliarum virtutum, & peccatum ex universaliori motivo detestatur: quod vel exinde probatur, quia qui diversi generis peccata commiserunt non possunt istatim de iis omnibus ex speciali cujusque motivo dolere, sed sufficit quòd ea sub generali aliquâ ratione retractent. Quænam ergo hæc sit virtus, & quod illius motivum formale in præsenti inquirimus. Ut autem clarè procedamus, dubitatur quænam illa virtus sit quæ peculiariter ordinatur ad peccatum detestandum, prout offensa & injuria est contra Deum; hanc enim si invenerimus, inveniemus pœnitentiam.

III. *Nulla apparet ratio cõvincens habitus infusos virtutum moralium, vel inter se, vel à Charitate distingui realiter.*

Notandum verò: Licèt nullum sit argumentum convincens ad statuendos habitus virtutum moralium infusarum realiter vel inter se vel à Charitate distinctos, tum quia omnes simul, & inter se & cum Charitate semper infunduntur & destruuntur, tum quia non sunt sicut habitus acquisiti qui ordinantur non ad dandum esse simpliciter, sed facilè, habitus verò infusi sunt instar potentiæ, sicut ergo ad omnes actus eliciendos datur unica potentia naturalis, ita & quidni una supernaturalis. Certè stando præcisè in ratione, nunquam eorum distinctio convincetur: cùm tamen è contra nec sit evidens ratio convincens non distingui, & Spem à Charitate, & reliquis distinctam esse certum sit, non est cur, ob auctoritatem communem Theologorum cum Sancto Thoma, hos habitus non distinguamus, saltem illos qui habent motiva formalia totalia distincta, sicut in Spe & Charitate videmus.

IV. *Actus unius virtutis imperari potest ab aliâ virtute.*

Notandum secundò: Actum unius virtutis posse imperari ab alia, & hac ratione censeri actus illius virtutis, nempe actus imperatus, atque ita non solùm actus imperfectioris virtutis potest imperari à perfectiore, sed etiam actus perfectioris ab imperfectiore, ut suprà notavimus: sic non tantùm Charitas, Religio, & aliæ nobilissimæ virtutes imperant actus omnium aliarum virtutum, sed etiam amor erga proximum imperare potest actum Charitatis aut Religionis, ut si quis ob bonum aliquod proximi votum emittat, aut aliud hujusmodi præstet.

V. *Idem actus potest elicitivè spectare ad diversas species virtutes.*

Notandum tertiò: Non imperativè solùm ad unam & elicitivè ad aliam, sed etiam elicitivè posse eundem actum spectare ad diversas virtutes specie distinctas. Ratio est, quia cùm conceptus virtutis situs sit in motivo ex quo fit, & nil vetet eundem actum elici ex diversis motivis specie distinctis, nil etiam vetat eundem actum numero spectare ad virtutes specie distinctas: sic potest quis jejunare & ex motivo obedientiæ, quia est dies præceptus, & temperantiæ ob honestatem scilicet, quæ in actione illâ relucet: sicut è contra contingit in peccatis, idem quippe actus est furtum & sacrilegium. Quod à fortiori constat in circumstantiis generalibus in omni peccato repertis, ut inobedientiæ, ingratitudinis, &c.

VI. *Probabilius videtur habitum Pœnitentiæ identificari cum Justitiâ.*

Mihi hac in re probabilius videtur non esse necessarium statuere habitum pœnitentiæ distinctum ab omnibus aliis virtutibus, sed esse eandem virtutem cum justitiâ, peculiariter verò sortiri nomen pœnitentiæ, prout specialiter habet munus detestandi peccatum commissum, prout est injuria contra Deum, & jus ejus lædit: ita Suarez hîc, disp. secundâ, sect. tertiâ, num. quarto, & in re Conink disp. primâ, dub. quarto, num. vigesimo-tertio, licet nolit esse justitiam perfectam: quæ etiam est mens Patris Vasquez hîc, quæst. octogesima-quinta, articulo tertio, dub. unico, num. vigesimo-sexto. Sed utrum sit perfecta justitia ad Deum an non, postea videbimus, saltem hi duo Auctores in hoc nobiscum conveniunt, virtutem pœnitentiæ non distingui à virtute justitiæ hominis erga Deum, sive illa sit perfecta justitia, sive non. Est etiam clara mens Sancti Thomæ hîc, quæstione octogesima-quintâ, articulo tertio & quarto, quem sequuntur Thomistæ: tenet etiam Tannerus, Præpositus, Valentia disp. septimâ, quæst. secundâ, puncto primo, & alii passim.

VII. *Deus in creaturas rationales habet jus strictissimum.*

Ratio conclusionis est, nam, ut suprà ostendi, Deus titulo creationis & conservationis habet in creaturas rationales jus quoddam strictissimum, non jurisdictionis tantum, quod respicitur ab obedientiâ, sed proprietatis, multo excellentius quàm habeat dominus ullus creatus in servum, aut herus in mercenarium, ut obsequiâ ab iis aut laborem exigat: ac proinde sicut ratione hujus juris tenentur hi ex justitiâ præstare ea quæ ex hoc jure ab iis exiguntur, ita à fortiori creaturæ rationales tenebuntur ex justitiâ ea facere quæ Deus ut Dominus proprietatis ab iis exigit, quæ si non faciant peccant contra Justitiam, unde peccatum est injuria & injustitia contra Deum, ut ex Scripturâ & ratione ostensum est.

VIII. *Virtus quæ ad hoc jus illæsum servandum ordinatur, est Justitia.*

Virtus proinde, quæ ad hoc jus illæsum servandum ordinatur, est virtus Justitiæ, quæ peculiariter respicit jus proprietatis, sicut obedientia jus jurisdictionis, sed ejusdem virtutis est fugere malum, & jam illatum tollere, seu resarcire, cujus est prosequi, seu amplecti bonum, ut commune habet dictum Theologorum, ergo eadem virtus Justitiæ ordinatur ad peccatum, prout injuria & offensa Dei est, detestandum, & ad jus Dei quantum in se est jam læsum resarciendum (quod verò lædi possit hoc jus proprietatis videtur certum, sicut & lædi potest jus jurisdictionis, cùm respiciant operationes nostas liberas ut liberas) & sub

& sub hac consideratione habet peculiariter nomen pœnitentiæ, quam tamen denominationem in totâ suâ latitudine non sortitur. Peculiariter ergo illa virtus censetur pœnitentia, quæ ad offensam seu injuriam Dei sub ratione offensæ & injuriæ, ex speciali suo munere resarciendam ordinatur; hic enim juxta Sanctum Thomam & Theologos est conceptus virtutis pœnitentiæ, sed hoc est munus justitiæ, ergo, sicut in humanis justitia est illa virtus, quæ peculiariter ordinatur ad vitandam & impediendam injuriam ne fiat proximo, ita & si facta sit resarciendam.

IX. *Quidam actus hujus virtutis supponunt peccatum, quidam non.*

Varii autem sunt actus hujus virtutis, quorum aliqui supponunt peccatum, ut dolor de offensâ in Deum commissâ, voluntas absoluta illam reparandi, &c. alii non, ut propositum non violandi jus Dei, gaudium de injuriâ non illatâ, & alii: quare in totâ suâ latitudine hæc virtus non supponit peccatum, ut vult Cajetanus; quòd autem ex parte supponat, seu aliquos actus, nil refert; sic enim & Charitas quoad aliquem actum, nempe contritionem perfectam, peccatum similiter supponit. Potest autem virtus pœnitentiæ per aliquos suos actus imperare actus tum aliarum virtutum, tum etiam ipsius pœnitentiæ, nec externos tantùm, sed etiam internos, unde subinde per actum quo voluntas efficaciter vult compensationem quantum in se est injuriæ, imperat actum vel dolorem imperfectiorem de peccatis, vel contritionem perfectam, quæ est actus Charitatis, licèt nec dolor ille nec contritio, ut producantur egeant hujusmodi actu imperante, ut supra ostendimus, sed proposito objecto dolorifero, potest voluntas immediatè in illud ferri.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrùm virtus Pœnitentiæ sit Justitia propriè dicta?

I. *Virtus Pœnitentia est justitia strictè dicta.*

Vlteriùs itaque dico, virtutem pœnitentiæ esse justitiam strictè dictam. Hæc conclusio non est ita communis ac præcedens; nonnulli enim, qui concedunt habitum pœnitentiæ esse Justitiam, negant eam esse justitiam strictè dictam, inter quos præcipuus est Vasquez hic, quæst. octogesimâ quintâ, art. secundo, num. trigesimo octavo, & disp. septimâ de Incarnatione: multi tamen illam tenent ut Suarez citatus, Tannerus, & alii.

II. *Mens S. Thomæ hac in re declaratur.*

Sanctus Thomas pro utrâque sententiâ citatur, at certè hic, articulo tertio, ubi negat justitiam hominis ad Deum, videtur non secundùm intrinsecum conceptum justitiæ illam negare, sed solùm secundùm denominationem quandam extrinsecam, ab æqualitate personarum desumptam, ut legenti patebit, unde ob hanc causam negat justitiam propriam servi ad Dominum, uxoris ad maritum, cùm tamen certum sit, servum ex justitiâ strictâ teneri obsequium Domino suo præstare, imo hoc est præcipuum exemplum, quod afferri solet in materiâ justitiæ: nec etiam est dubium, quin uxor teneatur fidem servare marito.

III. *Peculiaris modus hac in re procedendi Cardinalis de Lugo.*

P. Lugo disp. tertiâ de Incarnatione, etsi universim non neget, posse hominem in particulari aliquo casu committere veram injuriam contra Deum, nempe quando Deus vult actum aliquem habere per tale determinatum auxilium; tunc enim inquit, si homo non eliciat actum illum, peccat contra justitiam, non tamen inquit, obligatur ex justitiâ ad pœnitendum, cùm eundem actum numero reddere non possit, alium autem æquivalentem reddere non tenetur, cùm Deus facilè eum habere per auxilia, saltem diversa possit; his enim omnibus moraliter homo resistere non potest, ac proinde Deus non habet minùs in bonis ob peccatum hominis, tunc autem solùm debitor tenetur satisfacere creditori, quando creditor ob opus injustum alterius habet minus in bonis. hanc sententiam impugnavi in tractatu de Incarnatione disp. quadragesimâ tertiâ, sectione secundâ: hîc tamen objectiones quasdam, quæ tum ab ipso disputatione illâ tertiâ, sect. quarta, & nonâ, tum ab aliis contra nostram sententiam proponuntur, dissolvemus.

Objici ergo primò solent multa, quæ probent peccatum non esse injuriam strictam contra Deum, ut quòd nihil Deo sit utile, sicque nullum ei damnum per peccatum inferatur, quod quisque teneretur hanc circumstantiam in confessione aperire, quòd qui furatus est à Petro equum, teneretur Petro mortuo illum adhuc restituere Deo, quòd scienti & volenti non fiat injuria, & consequenter nec scienti & non impedienti, qualis est Deus respectu omnis peccati, quod impedire posset si vellet. Sed ad hæc latè respondi in tractatu de Incarnatione disputatione illâ quadragesimâ tertiâ, sect. quartâ. Solùm hîc ea proponam, quæ peculiariter contra doctrinam modò traditam faciunt.

IV. *Vulgares quædam objectiones, quæ contendunt peccatum non esse injuriam stricta contra Deum.*

Objicitur secundò: Jus proprietatis Dei est perfectissimum, ergo lædi non potest: esset enim jus illud perfectius, quod lædi non posset, ergo non potest dari virtus ad jus illud non lædendum, seu etiam læsum resarciendum, magis quàm castitas, seu virtus ad reprimendos motus inhonestos in Angelo. Contra primò: Ergo pœnitentia non est justitia etiam latè sumpta; si enim lædi non possit jus Dei, ergo nec ulla virtus dari ad illud læsum resarciendum, cùm tamen communis sententia penè omnium admittat pœnitentiam esse saltem justitiam latè sumptam. Contra secundò: Ergo nec potest dari virtus obedientiæ; eodem enim modo arguere quis posset, jus jurisdictionis Dei esse perfectissimum, & consequenter violari non posse.

V. *Dices: Jus proprietatis Dei, cùm sit perfectissimum, lædi non potest.*

Respondetur itaque, utrumque jus violari posse, cùm sint in ordine ad actus nostros liberos, & consequenter in ordine ad eos, qui possunt à nobis poni & non poni quando exiguntur; si autem non ponantur posità exigentiâ, violatur jus Dei. Neque hinc sequitur jus Dei non esse perfectissimum, nam de ratione perfectissimi dominii moralis non est, quòd non possit physicè ab aliquo impediri in usu suarum rerum, sed solùm quòd habeat quis potestatem moralem aliquid exigendi, seu ita ut sine injuriâ negari ei non possit, alioqui non esset dominium morale perfectissimum, cùm non esset dominium in actiones liberas.

VI. *Resp. Ergo jus Dei, tam proprietatis, quam jurisdictionis læsi posse, cùm sint in ordine ad actus nostros liberos.*

Objicitur tertiò, & præcipuè à quibusdam Recentioribus, & maximè hoc urget P. Lugo sect. nonâ; virtus enim justitiæ respicit æqualitatem, ergo ubi implicat æqualitas, implicat justitia, seu virtus respiciens positionem æqualitatis, sed hîc implicat æqualitas; non enim potest homo ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali, ergo nec potest ex justitiâ teneri ad satisfaciendum pro eo; nec enim teneri potest ad impossibile, ergo nec

VII. *Dices: Is qui peccavit moraliter, non potest satisfacere ad æqualitatem, ergo ad hoc non tenetur ex justitiâ.*

nec pœnitentia est justitia, cùm respicere nequeat objectum impossibile. Contra, saltem potest dari pœnitentia, quæ respectu peccati venialis sit perfecta justitia, cùm ad æqualitatem possit pro illo satisfacere.

VIII. *Resp. Ergo, in omni actu justitiæ non spectari, ut constituatur perfecta æqualitas.*

Respondetur itaque objectum omnis actus justitiæ non esse ut omnino ad æqualitatem satisfaciat, sed solùm quantum potest, alioqui pauper aliquis, qui debet centum, & restituere non potest nisi decem, imo putat moraliter se nunquam habiturum sufficiens ad restitutionem, hæc decem restituendo non exerceret actum veræ justitiæ, cùm per hunc actum non intendat constituere perfectam æqualitatem, sed solùm quantum potest, quod autem in paupere hoc sit per accidens in peccatore per se, parum refert; si enim ille actus pro suo objecto non habeat objectum justitiæ, sive per accidens illud non habeat, sive per se, non potest esse actus justitiæ, ut latiùs diximus in tractatu de Incarnatione disputatione quadragesimâ illâ tertiâ, sect. primâ, ergo objectum actus justitiæ non est ut satisfaciat omnino ad æqualitatem, sed solùm quantum potest.

IX. *Dices: Hinc sequi, posse quemvis satisfacere pro peccato suo mortali,*

Objicit quartò P. Lugo sect. illâ nonâ, & alii recentiores, hinc sequi, posse purum hominem satisfacere pro peccato suo mortali ex perfectâ justitiâ: probatur sequela, ut satisfaciat quis pro debito ex perfectâ justitiâ non tenetur semper reddere æquale, sed quantum potest, sed potest quivis reddere quantum potest, ergo potest quivis satisfacere pro peccato suo mortali.

X. *Hoc argumentum continet æquivocationem.*

Hoc argumentum, licèt à Lugo & aliis Recentioribus magni fieri videatur, existimo tamen illud manifestam continere æquivocationem. Respondetur itaque negando sequelam, ad probationem distinguo antecedens, ut satisfaciat ex perfectâ justitiâ, id est ut eliciat actum, ad quem eliciendum tenetur ex perfecta justitiâ, ita ut si eum non eliceret peccaret, & committeret novam injuriam seu injustitiam, concedo eum non teneri reddere æquale, seu sufficere quòd faciat quantum potest, ut satisfaciat pro debito ex perfectâ justitiâ, id est ut ponat aliquid, quod in se sit dignum remissione illius debiti, non debet reddere æquale, sed sufficit ut faciat quantum potest, nego majorem, sicque concessâ minore negatur consequentia: unde nec potest nec tenetur peccator hoc modo satisfacère pro peccato suo mortali.

XI. *Duplex illa acceptio satisfactionis ex perfectâ justitiâ, ulteriùs declaratur.*

Dupliciter ergo sumitur actus strictæ justitiæ, uno modo pro opere quod homo tenetur ex justitiâ ponere, ita ut si id non ponat, committat novam injuriam, alio modo pro ejusmodi opere quod mereatur de condigno tale vel tale præmium. primum respicit æqualitatem cum obligatione, quam habet operans ad opus illud ponendum, quæ nequit esse major, quàm potentia operantis, cùm nemo obligetur ultra vires. secundum respicit æqualitatem cum præmio, cui si opus non sit in valore æquale, non potest illud mereri ex justitiâ, & si alter intuitu illius det tale præmium, dat maximâ saltem ex parte gratis.

XII. *Res hæc clarior redditur exemplo.*

Exemplum aliquale hujus rei est: Ponamus verbi gratiâ Titium ex justitiâ obligari ad aliquid emendum ab alio, equum verbi gratiâ, vel domum, quæ valent centum, hic non habet pretium sufficiens, dando tamen quod habet, exercet actum veræ justitiæ, seu quod ex verâ justitiâ facere tenetur, alioqui de novo peccaret contra justitiam, sicque hoc faciendo constituit unam æqualitatem, nempe cum suâ obligatione, quam adæquat, alter tamen non tenetur ex justitiâ dare equum vel domum, quia non constituitur secunda æqualitas, nempe cum præmio, & si det, gratis dat, saltem quoad id quo res illa superat pretium solutum, ergo universim non valet hæc consequentia, operatur aut satisfacit ex justitiâ, etiam perfectâ, ergo meretur ex justitiâ præmium, aut remissionem injuriæ, pro qua operatur, vel satisfacit.

XIII. *Dices: Si Petrus satisfecit quantum potest Paulo, debet hic ei remittere injuriam, ergo & Deus peccatori.*

Urgebis: Si Petrus Paulum affecit injuriâ, vel abstulit ab eo centum, si reddat decem aut levem aliquam satisfactionem faciat pro injuriâ, non valens præstare amplius, tenetur Paulus totum debitum ei & injuriam remittere, ita ut injuriam ei faceret, si non remitteret; ergo alter satisfecit ex justitiâ, ergo & Deus, positâ satisfactione hominis, tenetur peccatum illud remittere.

XIV. *Ostenditur hoc argumentum ab omnibus solvi debere.*

Sed contra: Hoc enim ab omnibus solvi debet; nullus enim, credo, dicet Petrum qui centum abstulit, & non potest restituere nisi decem, hæc restituendo satisfacere ad æqualitatem respectu debiti materialiter sumpti, seu tantum quantum abstulit, sed tantum debiti formaliter sumpti, seu quantum hic & nunc tenetur restituere.

XV. *Quo titulo in hoc casu teneatur Paulus condonare reliquum debiti.*

Respondetur ergo, debere quidem Paulum in eo casu condonare reliquum debiti, non intuitu hujus solutionis, quasi hæc mereretur ex justitiâ illius condonationem, sed aliundè, nempe ob impotentiam debitoris, sicque faceret Petro injuriam, si hic & nunc pro reliquo debito quidquam exigeret, cùm fiat semper injuria dum aliquid ab eo exigitur, quod non potest solvere, imo etiamsi nihil omnino solvisset, teneretur Paulus hoc sensu ex justitiâ illi debitum condonare, id est non potest aliquid ab eo per modum restitutionis exigere, & si exigeret faceret ei injuriam, cùm quivis jus habeat ne exigatur ab eo ut solvat aliquid, quod solvere non potest.

XVI. *In hoc quoque argumento manifesta apparet æquivocatio.*

Hic ergo iterum manifesta involvitur æquivocatio dum dicitur, solutis decem, teneri creditorem ex justitiâ condonare reliquum debitum; dicimus enim eo solùm modo teneri ex justitiâ, quo teneretur si nihil omnino solvisset, si nihil posset solvere: unde etiam ante solutionem illorum decem, tenebatur ex justitiâ remittere reliquum debitum, & solùm exigere decem. Per solutionem itaque decem non extinguitur nisi jus creditoris ad exigendum illa decem, jus autem ad reliqui debiti exactionem per hanc solutionem extingui non potest, sed antea fuit extinctum per impotentiam debitoris.

XVII. *Præter satisfactionem per modum restitutionis, alia etiam est satisfactio.*

Et hoc de satisfactione per modum restitutionis, nam alia potest ab homine illo exigi: si enim abstulit centum furto, & non potest restituere nisi decem, imo nihil omnino, ad nihil restituendum tenebitur, adhuc tamen punietur vel morte, vel aliâ pœnâ juxta gravitatem delicti. Sic etiam se res habet in peccatore respectu Dei; quando enim commisit peccatum aliquod mortale contra Deum, debet Deo satisfacere quantum potest, idque ex justitiâ, ita ut novum peccatum contra justitiam committat, si satisfactionem, quam Deus exigit, non exhibeat, si tamen vel exiguam exhiberet, ut si esset in statu puræ naturæ, vel nullam, ut si statim post peccatum commissum incideret in amentiam, aut moreretur, tunc in hoc postremo casu ad nullam teneretur, nec peccat denuò nullam exhibendo, punietur tamen, non quòd omittat satisfactionem, sed ob peccatum priùs commissum.

XVIII. *Si peccator actum attritionis supernaturalis eliciat, facit id ad quod tenetur ex justitiâ.*

Unde si quis eliceret actum attritionis supernaturalis, quam Deus in satisfactionem aliquam ab eo exigeret, licèt eliceret actum veræ justitiæ, seu ad quem ex verâ justitiâ tenetur, & hoc sensu satisfaciat ex justitiâ, id est adæquet hac in parte suam obligationem, non tamen satisfacit ex justitiâ hoc sensu, ita scilicet ut ponat aliquid quod ex justitiâ meretur remissionem illius peccati; nihil enim hanc condignè meretur, quod non sit æqualis valoris cum illâ. Et quamvis de facto Deus positâ contritione peccatum semper remittat, hoc tamen facit ex misericordiâ, & ob meritum solum de congruo, & adhuc illâ positâ posset sine injuriâ peccatum illud in æternum punire. Quare licèt peccator eliciendo actum attritionis, vel contritionis, quem Deus ut Dominus proprietatis ab illo exigeret, satisfaceret huic novæ exigentiæ, non tamen antiquæ obligationi ad pœnam, quam contraxit per peccatum priùs commissum.

XIX. *Dices: Multi circumstantiam injuriæ non norunt, ergo nequeunt ex illo motivo agere pœnitentiam.*

Objicit quintò P. Lugo disp. tertiâ, sect. tertiâ: ut hæc circumstantia injuriæ inducatur in actum, deberet cognosci, sed hæc circumstantia à plurimis ignoratur, ergo illi non peccant peccato injustitiæ, ergo nec possunt ex illo motivo agere pœnitentiam. Respondetur primò, in illis per accidens esse quòd non possint agere pœnitentiam, ex illo motivo, quod non norunt, inde tamen non sequitur non dari ejusmodi virtutem moralem, quæ per se ordinetur ad hunc finem, sicut infantibus in Baptismo infunduntur simul cum gratiâ dona & virtutes, quibus tamen per accidens tunc uti non possunt: quemadmodum homines dormientes, & jam in amentiam prolapsi adhuc retinent virtutes infusas, licèt per accidens tunc iis uti non possint. Respondetur secundò, rarissimè contingere ut quis non norit hanc circumstantiam, aliquâ saltem ratione, & de illâ in aliquibus saltem peccatis reflectat; ad hoc enim sufficit quòd universim norit Deum esse Dominum & se servum ejus, quod penè lumine naturæ tam notum est, ac esse Deum. Respondent aliqui tertiò, saltem implicitè hoc cognosci, quod sufficit, inquiunt, ad rationem injuriæ generatim sumptæ.

XX. *Dices: Ergo tenetur peccator statim pœnitere.*

Objicies sextò: Si quis ex justitiâ teneatur satisfacere pro peccato, ergo statim tenetur pœnitere, sicut in humanis tenetur statim restituere, ubi commodè potest. Respondetur, satisfactionem seu reparationem juris divini læsi, quæ fit per pœnitentiam, non esse per modum restitutionis, cujus præceptum obligat, ut dici solet, semper & pro semper; nec enim qui non elicuit actum præceptum Charitatis aut obedientiæ, tenetur postea elicere alium actum Charitatis aut obedientiæ, ut ex communi consensu omnium, & quotidianâ praxi constat, sed tenetur solùm dolere eo tempore, quo Deus dolorem illum exigit. Si tamen quis Deum infamasset, falsam doctrinam de eo spargens, & esset periculum ne latiùs serperet, teneretur statim eam revocare, & errorem illum ex hominum mentibus, quibus ipsum insevuerat, tollere,

XXI. *Virtus Pœnitentiæ non est propriè justitia vindicativa.*

Hinc infero primò, virtutem Pœnitentiæ non esse justitiam vindicativam; Justitia enim vindicativa est virtus inclinans ad moderatè sumendam vindictam de alio, quòd verò spectat pœnitentia, est ut resarciatur jus læsum Dei, seu ut homo puniat se intuitu juris, quod Deus habet ut hoc faciat, & reddat Deo hac in re quod ei debitum est. unde est justitia commutativa, non quæ versetur in commutationibus & contractibus vitæ civilis, quo modo eam negat esse justitiam commutativam Sanctus Thomas, sicut Aristoteles constituit materiam liberalitatis solam largitionem pecuniæ, sed habet altiorem quendam conceptum commutationis, sicut versatur in materiâ altiori.

XXII. *Aliquo tamè modo dici potest justitia vindicativa.*

Licèt autem propriè non sit justitia vindicativa, cujus conceptus est, ut quis moderatè sumat vindictam de alio, cùm omnis justitia, ut justitia, sit ad alterum, per pœnitentiam autem quis punit se, aliquo tamen modo habere videtur conceptum justitiæ vindicativæ, quatenus nimirum inclinat ad moderatè puniendum, & vindictam sumendum de se. Unde potest idem actus habere duplicem conceptum, justitiæ scilicet commutativæ, in quantum vult per illum satisfacere Deo; & vindicativæ, in quantum moderationem in sui punitione servat. Imo si quis negare vellet justitiam vindicativam, quâ vindicativam, esse propriè justitiam, posset dicere pœnitentiam, quatenus servat illam moderationem, esse propriè justitiam vindicativam

XXIII. *Malè aliquâ dicunt constituere conceptum Pœnitentiæ esse, pacificè vivere cum Deo.*

Infero secundò contra aliquos recentiores, conceptum virtutis Pœnitentiæ non consistere in hoc quod est pacificè vivere cum Deo, ita ut hoc sit objectum illius formale. Ratio est, quia non sunt ponendi habitus infusi secundùm quamcumque rationem, quam in subjecto imaginari quis posset, sed solùm in ordine ad motiva quædam primaria, hoc autem quod est pacificè vivere cum Deo, per se sumptum, non est hujusmodi; facilè enim subordinatur hoc motivum, vel motivo Charitatis erga Deum, vel erga nos-ipsos, nam connaturaliter loquendo, vel ideo volumus pacificè vivere cum Deo, quia hoc est gratum Deo, sicque est motivum Charitatis erga Deum, vel quia bonum nobis, tunc autem est Charitas propria, seu erga nos-ipsos.

XXIV. *Si quis hoc modo distinguere vellet habitus infusos, nullus esset numerus habituum.*

Deinde, si quis ob quodvis particulare motivum, quod sibi formare posset, vellet distinguere habitus infusos, nullus esset numerus habituum: cùm ergo nulla sit necessitas ponendi hujusmodi habitum distinctum, & Auctores qui exactè de distinctione virtutum tractârunt, nullam de eo faciant mentionem, inter quos est S. Thomas secundâ secundæ, non est cur eum ponamus. Adde, hoc ipsum quòd est velle pacificè vivere cum Deo, involvere desiderium non habendi Deum sibi iratum, hoc autem procedere videtur ex motivo Charitatis propriæ, vel certè erga Deum.

SECTIO OCTAVA.

Inferuntur quædam circa virtutem Pœnitentiæ.

I. *Sitne Pœnitentia necessaria ad remissionem peccati.*

Quæres primò: Utrùm Pœnitentiâ sit necessaria ad remissionem peccati? Aliquam de lege ordinariâ requiri ostendimus supra in tractatu de Sacramentis in genere, estque communis sententia Theologorum, quod Suarez & alii putant esse de Fide ob varia Scripturæ loca: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*, Lucæ decimo-tertio, *Pœnitentiam agite* Actorum secundo, quod assignatur tanquam medium ad salutem. Deinde Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto ait, *hunc contritionis*

contritionis motum ad impetrandam veniam peccatorum fuisse quovis tempore necessarium. Præterea Sanctus Augustinus relatus capite *Neminem putes* 43. de Pœnitentiâ, distinct. primâ: *Neminem*, inquit, *putes à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentiâ posse transire:* Si autem quis dicat sufficere si doleat de uno peccato, si obliviscatur aliorum; sufficit enim bona fides, eodem modo dicere poterit sufficere bonam fidem, etiam sine dolore de illo, cùm peccatum illud de quo non dolet, non magis retractetur per illum dolorem, quàm si nullum omnino doloris actum eliceret.

II. *Sufficit tamen dolor virtualis, seu amor Dei super omnia,*

Sufficit tamen dolor & pœnitentia virtualis, seu amor Dei super omnia, præsertim in immemore peccatorum, ut contra Canum communiter docent Theologi cum Sancto Thoma hîc, quæst. 87. art. primo, corpore. Ratio est, sæpè namque in Scripturis effectus remittendi peccata tribuitur Charitati, seu amori Dei super omnia: *Charitas operit multitudinem peccatorum: Ego diligentes me diligo: Si quis diligit me, &c. Pater meus diliget eum.* Hinc Sanctus Augustinus tractatu nono in Epistolam primam Joannis: *Anima nostra*, inquit, *fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur.* Tandem à Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ sunt variæ propositiones Michaëlis Baii, in quibus dicebat Charitatem illam ex corde puro, quæ est plenitudo legis, &c. (ubi apertè sermo est de Charitate actuali) posse esse in animâ sine remissione peccatorum.

III. *Divinitus tolli potest peccatum sine ullo dolore prævio.*

Divinitùs tamen, existimo contra Sotum posse Deum tollere peccatum sine dolore prævio, aut retractatione, per infusionem gratiæ, homini exempli gratiâ dormienti, vel omnia alia cogitanti, sicut in parvulis tollit originale peccatum, nullo in ipsis præcedente motu propriæ voluntatis. Sicut enim in humanis, ipso facto quòd unus homo alteri remittat injuriam, alio negativè se habente, jam persona, quæ condonavit injuriam non manet amplius offensa, ita & in Deo.

IV. *Etiamsi peccatum non sit retractatum, non tamen manet voluntas simpliciter à Deo aversa, sed tantùm secundùm quid.*

Dices: Quamdiu prior actus non retractatur, manet adhuc voluntas illa aversa à Deo. Distinguo antecedens, aversa secundùm quid concedo antecedens, simpliciter nego: cùm enim gratia sit sanctitas, convertit ipsum simpliciter per habitualem conversionem ad Deum, & amatur à Deo: sicut econtra qui solùm habet attritionem est actuali conversione conversus secundùm quid, simpliciter tamen adhuc aversus, & Deo odibilis. Licèt ergo retractatus non fuerit prior actus peccati, non tamen manet in ratione peccati, seu maculæ, cùm ponatur per gratiam ejus condonatio: manet quidem quoad aliquos effectus physicos, ut facilè recidendi, &c. non tamen in ratione peccati.

V. *Possitne conscius peccati mortalis elicere actum amoris Dei super omnia absque dolore.*

Quæres secundò: Utrùm saltem is qui recordatur peccati mortalis quod habet, possit elicere actum amoris Dei super omnia sine dolore. Multi, inter quos est Suarez, Coninck, & alii, docent veram dilectionem necessariò excitare dolorem in eo qui recordatur peccati mortalis, quod adhuc putat se habere, sicut, inquiunt, intentio finis excitat necessariò ad electionem medii. Sed vel hinc impugnatur hæc sententia; esto enim verum esset, dolorem de peccato sequi ad amorem Dei, sicut sequitur electio ad intentionem, tamen sicut intentio non infert electionem medii, nisi pro tempore quo vult finem, ita nec amor inferet dolorem statim, sed pro eo solùm tempore, quo obligat præceptum doloris seu pœnitentiæ; amor enim Dei super omnia est voluntas implendi suo tempore omnia mandata, & consequenter ex vi illius sequeretur dolor eo tempore, quo obligat præceptum doloris, sicut etiam sequetur impletio cujusvis alterius præcepti.

VI. *Dices: Non potest quis hoc modo amare Deũ, quin ipsi displiceat peccatum.*

Dices cum Auctoribus hujus sententiæ: Peccatum est malum oppositum bonitati divinæ, ergo non potest quis diligere Deum, & complacere sibi in summâ illâ bonitate, quin displiceat efficaciter peccatum. Contra: Ergo nec potest diligere Deum, quin detestetur etiam peccatum alienum, aut propria jam remissa. Verum est quidem, suo tempore inferre detestationem efficacem illius peccati, non tamen pro eo tempore, nisi tunc urgeat præceptum detestationis, præsertim cùm ipse amor sine detestatione sufficiat ad peccatum illud tollendum, ut ex Scripturâ & Patribus jam ostensum est. Valdè tamen inclinat amor Dei ad detestationem peccati, etiam pro illo tempore, quod ad summum volunt Patres aliqui, dum dicunt amorem Dei super omnia adferre secum detestationem peccati.

VII. *Virtùm actus doloris sine formali actu charitatis tollere possit peccata.*

Hinc infero, dissidere de modo loquendi Auctores, dum aliqui affirmant, alii negant actum doloris vicissim sine actu formali Charitatis tollere peccata; cùm enim omnes conveniant, debere actum illum doloris esse ex motivo Charitatis, seu detestationem peccati quia malum Deo est, & ingratum, in re est actus Charitatis, cùm omnis actus procedens ex motivo Charitatis, sit Charitatis, unde nullus dicit solam attritionem sufficere ad remissionem peccati extra Sacramentum, sed requirunt contritionem, quæ simul ex motivo Charitatis sit conversio ad Deum, contritio autem est actus Charitatis licèt non ita explicitus atque actus ille, qui tendit per modum prosecutionis.

VIII. *Dicunt aliqui, actum Contritionis stare posse simul cum peccato habituali.*

Quare, ut inferunt aliqui, malè audit doctrina quorundam recentiorum, qui asserunt actum contritionis stare posse simul cum peccato habituali. Hoc inquam quibusdam sapere videtur doctrinam Michaëlis Baii, cujus septuagesima prima propositio damnatâ à Pio V. & Gregorio XIII. hæc erat: *Per contritionem, etiam cum Charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramentorum.* Deinde in Scripturâ, Ezechielis decimo octavo & alibi dicitur: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate*, & justus non poterit vivere in justitiâ suâ in quacumque die peccaverit, ergo eodem modo quoad hoc tollitur peccatum per contritionem ac per peccatum justitiâ. Unde Sanctus Augustinus tum alibi sæpè, tum in tractatu septimo in Epistolam primam Joannis sic habet: *Si quis in corde suo invenit charitatem, securus sit quia transit de morte ad vitam*, &c. Tandem Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, cap. quarto ait contritionem Charitate perfectam, id est procedentem ex amore Dei super omnia, etiam ante susceptionem Sacramenti reconciliare hominem Deo, ergo &c.

IX. *Nec satisfaciunt, qui dicunt contritionem aliquando adferre remissionem peccati mortalis.*

Putant aliqui, se sufficienter evadere has auctoritates Patrum, Pontificum, & Conciliorum, si dicant contritionem aliquando adferre remissionem peccati mortalis, scilicet in mortis articulo, in susceptione Sacramenti, &c. Contra: nam etiam Bajus concedebat in articulo mortis, seu

seu casu necessitatis contritionem tollere peccatum. Deinde damnantur propositiones Baii quòd dixerit aliquando posse stare Charitatem & contritionem sine remissione peccati mortalis.

X. *Objicitur locus S. Augustini, ubi doctrinam illam tradere videtur.*

Objiciunt tamen illi Auctores primò S. Augustinum tractatu decimo tertio in Joannem, ubi sic habet: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, nec illi dimittitur nisi cùm venerit ad Baptismum*, ergo juxta Sanctum Augustinum non dimittuntur peccata, nisi per Sacramenta. Variæ ad hunc locum adhibentur responsiones: aliqui intelligunt de remissione pœnæ temporalis, alii quoad obligationem suscipiendi Baptismum: commodissima tamen explicatio est, quam affert Bellarminus libro secundo de Pœnitentiâ, capite decimo quarto, nempe ibi loqui Sanctum Augustinum de illis catechumenis, qui ex quadam præsumptione negligebant accedere ad Baptismum; his enim quantumcunque proficiant, seu proficere sibi videantur, nunquam ante Baptismum remittitur sarcina peccatorum, cùm nec habeant veram contritionem, quæ semper est votum Baptismi.

XI. *Objicitur auctoritas Concilii Tridentini.*

Objiciunt secundò Concilium Tridentinum sess. sextâ, capite sexto, ubi ait, eos qui se præparant ad Baptismum incipere Deum diligere, hanc tamen dilectionem capite sequente docet tantùm esse dispositionem ad justificationem, & effectum Baptismi. Deinde Lucæ septimo dicitur Mariæ Magdalenæ: *Remittuntur ei peccata multa.*

XII. *Resp. Maria Magdalena prius remissa fuisse peccata, quàm id ei diceret Christus.*

Ad hoc secundum dico, non tunc primò remissa ei esse peccata quando Christus dixit, *Remittuntur ei peccata multa*, sed antea quando eliciuit amorem, nam iterum postea ei dixit, *Remittuntur tibi peccata tua.* Sic mulieri alteri dixit: *Sana es ab infirmitate tuâ*, cùm tamen antea ipsam sanasset. Ad primum respondetur cum Bellarmino loco citato, sermonem ibi esse de amore imperfecto, & quo solùm diligere Deum incipiunt, non de perfecto, qualis debet esse actus Charitatis, & contritionis. Secundò dicunt alii, Concilium solùm velle Baptismum esse causam ordinariam illius justificationis, posse tamen aliquando præveniri per contritionem perfectam, quæ est votum ipsius. Alia multa afferuntur pro hac sententiâ, quæ latè prosequitur Pater Præpositus quæst. 86. art. primo, dub. quarto.

XIII. *Nullum est peccatum, quod per cõtritionem & pœnitentiam tolli non possit.*

Quæres tertiò: Utrùm sit aliquod peccatum, quod tolli per contritionem & pœnitentiam non possit? Respondetur negativè cum Sancto Thoma hîc, quæst. 86. art. primo, estque de Fide, & definitum in Concilio Lateranensi capite *Firmiter*, ubi dicitur: *Si quis post susceptionem Baptismi prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Quod verò opponi solet de peccato in Spiritum Sanctum, quod ait Christus non remittendum, neque in hoc sæculo neque in futuro: Respondetur cum Bellarmino libro secundo de Pœnitentiâ capite decimo sexto, & aliis, per peccatum in Spiritum Sanctum intelligi blasphemiam, qua quis agnitam fidei veritatem malitiosè impugnat, quod est specialiter contra Spiritum Sanctum, utpote cui peculiari modo tribuitur operatio miraculorum & illustratio animorum ad agnoscendum veritatem, de quo dicitur Joannis sexto, quòd doceat omnem veritatem.

XIV. *Declaratur cur hoc peccatum dicatur irremissibile.*

Dicitur autem hoc peccatum irremissibile, quòd cùm ex malitiâ maximâ proveniat, difficillimè curetur, frequens autem Scripturæ loquendi modus est, ut quod difficulter admodum fit, dicatur factu impossibile: sic Jeremiæ decimo tertio: *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & Pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere cùm didiceritis malè.* Sic Apostolus ad Hebræos sexto dicit impossibile esse semel illuminatos, & postea relapsos renovari ad pœnitentiam, quod licèt multi ex Sanctis Patribus de renovatione, non per quamcunque pœnitentiam intelligant, sed per eam, quæ fit in ordine ad Baptismum, qui repeti non potest. Alii tamen volunt Apostolum loqui de renovatione per quamvis pœnitentiam, & per *impossibile* idem intelligunt quod difficile.



DISPV-

DISPUTATIO NONAGESIMA OCTAVA.

De Contritione & Attritione.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Contritio, quid Attritio?

I. *Sermo hic est de contritione perfectâ.*

LOQUIMUR de Contritione perfectâ, & quæ extra Sacramentum justificat, quæ est dolor & detestatio de peccatis in quantum Deo mala sunt & ingrata, & consequenter si ex hoc solo motivo procedat non est actus Pœnitentiæ specialis virtutis, sed Charitatis, & hoc significatur dum dicitur debere conversionem per contritionem fieri ex toto corde, qui modus loquendi amorem significat. Quod ulteriùs probatur, nam juxta Tridentinum sessione decima quartâ, capite quarto, Contritio quæ justificat extra Sacramentum debet esse Charitate perfecta, id est ex motivo Charitatis; omne enim aliud motivum, vel est ob timorem pœnæ vel turpitudinem peccati. Si autem quis ex motivo Charitatis imperet sibi dolorem de peccatis, vel id facit ita ut actus etiam imperatus, seu dolor procedat ex motivo Charitatis, vel solus imperans: in primo casu dolor ille erit actus contritionis, & Charitatis, non in secundo.

II. *Attritio & latè sumitur, & strictè.*

Attritio etiam latè sumitur & strictè: latè sumpta est quivis dolor de peccato, qui ad contritionis perfectionem non pertingit, seu qui non procedit ex motivo Charitatis, nec detestatur peccata in quantum mala Deo, eique ingrata, ex motivo Dei super omnia dilecti, sed ex alio motivo, scilicet vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel metu gehennæ: at verò ut est actus peculiaris virtutis pœnitentiæ, debet esse dolor de peccato in quantum est offensa Dei, violans jus ejus, quod ut Dominus habet, ut sibi à servis suis obsequia debita exhibeantur. Si ergo ex hoc solo motivo procedat, erit actus pœnitentiæ, si ex alio solo, actus alterius virtutis, ut obedientiæ, temperantiæ, &c. si ex duobus motivis procedat, duarum etiam in se virtutum rationem continebit.

III. *In quo consistat conceptus contritionis perfectæ.*

Contritio, ut docent omnes, debet esse dolor super omnia, id est ut appretiativè præferat Deum omnibus aliis rebus, esto quoad gradualem intensionem actus, res aliæ magis amari possint. Consistit ergo hæc appretiativa prælatio in modo tendendi actus voluntatis: sicut enim in intellectu per aliquos actus firmissimo quodam modo adhæremus objectis, & quasi immobiliter, ut contingit in actu Fidei, nempe ita ut ex modo tendendi actus ostendat quis se non facilè ab illo objecto per contrarium assensum dimoveri posse, ita & in hoc actu voluntatis, licèt simpliciter voluntas pro suâ libertate, & ab uno actu & alio dimoveri possit: unde licèt non sit necessaria comparatio formalis & explicita respectu aliorum objectorum, imo nec expediat sæpè ejusmodi comparationem fieri, cùm occasionem præbere possit peccandi, iis præsertim qui minùs radicati sunt in virtute, est tamen contritio comparatio quædam implicita respectu aliorum objectorum, ita ut si resolvatur actus, dicat malo quidlibet quàm Deum in ullâ re offendere.

IV. *Quid si daretur amor Dei procedens tantùm ex perfectionibus Dei intrinsecis cognitis.*

Si verò daretur amor Dei procedens ex cognitione solarum perfectionum Dei intrinsecarum, ut de amore beatifico dicunt multi posse contingere, imo & aliquando in viâ, ille amor non posset stare cum peccato, nam saltem cognosceretur tunc Deus, & consequenter amaretur ut suprema regula mali omnis prohibitiva, sicque ipso facto quod in objecto creato appareat ratio aliqua mali, ex vi hujus amoris voluntas illud refugeret.

V. *Quo pacto attritio detestetur peccatum.*

Attritio verò, licèt aliquo modo detestetur etiam peccatum super omne malum, & hoc sensu sit dolor super omnia, non tamen ita vocari solet à Theologis, nec in omni rigore sortitur illam rationem, cùm dolor super omnia in propriissimo sensu sit ut transcendat omnia creata & ob motivum aliquod increatum peccata detestetur. Si verò per dolorem super omnia nil intelligatur aliud, quàm quòd malit homo quidlibet quàm Deum offendere vel offendisse, potest attritio dici dolor super omnia.

VI. *Per actum doloris ob pœnam gehennæ non videtur quis detestari peccatum super omne malum creatum.*

Imo aliquo sensu per attritionem ob pœnam gehennæ, exempli gratia, non detestatur quis peccatum supra omne malum creatum; qui enim detestatur peccatum propter pœnam, magis fugit & detestatur pœnam, nam propter quod unumquodque tale &c. unde cùm vitatio culpæ assumatur, ut medium ad vitationem pœnæ, magis per hunc actum vitatur pœna, quàm culpa: licèt etiam non habeat tunc homo actum positivum, quo velit committere culpam cessante pœnâ, ex vi tamen hujus actus attritionis non vitaret culpam cessante pœnâ, nam cessante pœnâ nullum esset motivum in hoc actu, ob quod abstineret à culpâ, ac proinde attritio ista non est hoc sensu super omnia, nempe ita ut nihil detestetur ampliùs quàm peccatum, sed solùm in sensu supra posito, nempe ita ut nullâ de causâ velit Deum offendere, aut offendisse, sicque voluntatem peccandi excludat.

VII. *Contritio supra omnia creata detestatur peccatum.*

Contritio verò super omnia creata, etiam supra ipsam pœnam æternam detestatur peccatum: unde ait Sanctus Anselmus, *Eligibilius esse tormentum*

mentum inferni, quàm peccatum, sicque actu conditionato diceret quivis contritus, si sese offerret talis occasio, ut vel esset peccandum, vel subeunda pœna æterna, mallem hanc subire quàm peccare. Imo in perplexo aliquo cum invincibili ignorantiâ posse peccatum tolli per aliud medium quàm per actualem susceptionem alicujus Sacramenti, quod tunc susçipere non potest, deberet pœna inferni eligi tanquam medium ad vitandum peccandum, si nimirum ille homo putaret sibi vel moriendum in peccato, vel fidem negandam exempli gratia, aut aliud peccatum committendum.

VIII. *Objic. Hinc inferri, non posse nos omne peccatum detestari ex metu & odio gehennæ.*

Dices, hinc sequi, esse aliquod peccatum, quod non possit quis detestari per attritionem, saltem ex metu & odio gehennæ: patet sequela. Ponamus hominem ob timorem gehennæ elicere actum quo dicat, *Malo potius peccare, quàm pati pœnas inferni*, hic homo non posset postea retractare hunc actum per actum attritionis conceptum ex metu gehennæ; sibi enim contradiceret, ex unâ namque parte diceret volo omni modo vitare infernum, & consequenter vitare omne peccatum, ex aliâ autem dicit malo peccare, quàm pati pœnas inferni, actus autem qui hunc retractaret deberet dicere, malo pati pœnas inferni, quàm peccare, ergo ex metu, & odio efficaci gehennæ vellet gehennam, quod implicat.

IX. *Notandum, ut quis retractet peccatum, non requiri ut eliciat actũ contrarium.*

Respondetur, ad detestationem & retractationem actus alicujus non requiritur, ut quis eliciat actum contrarium; nec enim qui dixit mendacium aliquod aut elicuit actum odii Dei, debet ut retractet hos actus, dicere ipso facto verum contrarium, aut elicere actum amoris Dei, sed sufficit, ut videns se per hos actus meruisse pœnam inferni, ex metu hujus pœnæ optet nunquam actus illos fuisse.

X. *Ex desiderio vitandi pœnam aliquã potest se quis ad illam offerre, si sciat per hoc se illam vitaturum.*

Ulteriùs addo, quando quis novit, si offerat se ad aliquid patiendum, fore per illam oblationem ut pœnam vitet, posse ipsum ex desiderio vitandi pœnam illam offerre se ad illam ferendam. Sic si quis novit, si offerat se ad mortem, fore ut mortem vitet, potest se inimico suo ad mortem offerre. Neque hoc est sibi contradicere; nec enim ex metu mortis vult mori, sed sciens oblationem istam esse medium ad fugam mortis, potest ex desiderio fugæ mortis, oblationem hanc amplecti. Unde & fatentur omnes posse aliquem ex desiderio salutis & metu gehennæ imperare sibi actum contritionis & amoris Dei super omnia, per quem detestetur peccatum super omnia, & consequenter supra ipsam pœnam inferni, cùm hic sit conceptus & ratio formalis dilectionis Dei super omnia, ut diximus.

SECTIO SECUNDA.

An possit quis detestari unum peccatum plus alio?

I. *Ratio dubitandi proponitur.*

RATIO dubitandi est, quia superiore sectione diximus contritionem debere detestari peccatum super omnia, ex quo sequi videtur non posse aliquem detestari unum peccatum magis alio, cùm quodvis detestetur appretiativè super omnia, ergo æquè hoc genere detestationis aversatur peccatum levius ac gravius.

II. *Conclusio:*

Dicendum tamen peccata, quò graviora sunt, saltem ubi excessus est notabilis, eò esse magis detestabilia: sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Unde quando dicitur pœnitentia dolor & detestatio peccati super omnia, intelligendum est de omnibus aliis malis præter peccata, ut benè declarat Suarez hîc, disp. tertiâ, sect. decimâ. Ratio est, quia si considerentur peccata prout mala & ingrata Deo, eúmque offendunt, cùm peccata notabiliter sese sub hac consideratione invicem excedant, sunt etiam materia detestationis diversissimæ, licèt nullum peccatum sit, quod non debeat quis detestari plusquam omnia alia mala. *Peccata, quò graviora, eò sunt magis detestabilia.*

III. *Objic. Peccata omnia sunt æqualiter detestabilia, cùm nullum possis eligi præ alio.*

Dices: Nullum peccatum est ullâ de causâ eligibile; ergo æqualiter debemus omnia fugere & detestari, alioqui posset unum eligi præ alio. Respondetur primò: quamvis actu absoluto non sit eligibile unum peccatum præ alio, actu tamen conditionato id posse contingere, qui actus explicari hoc modo potest, si committendum esset unum ex his peccatis, furto verbi gratia aut homicidio, potius committendum esset levius quàm gravius.

IV. *Contingere potest per accidens ut commissio unius peccati necessaria sit ad vitationem alterius.*

Respondetur secundò: Licèt in re & per se loquendo, nunquam ad vitationem unius peccati necessaria sit commissio alterius, per accidens tamen ex ignorantiâ invincibili potest aliquando contingere: ponamus enim aliquem perplexum, qui ex unâ parte putat invincibiliter se debere audire Sacrum, cùm sit dies festus, ex aliâ autem fore ut parens vel amicus, quem domi habet ægrotum, interim dum ipse abest moriatur defectu auxilii, aut aliud hujusmodi, quod etiam putet esse peccatum, hic posset in hoc casu eligere unum ex his ad vitandum aliud, & consequenter unum peccatum detestari magis alio, nempe id quod in opinione ipsius censetur gravius. Unde cùm excessus horum peccatorum sit in opinione ipsius notabilis, peccabit mortaliter si gravius eligat, ut contra Sotum docent Auctores communiter dicentem illum in eo casu solùm peccaturum venialiter: quod etiam asserit de actu illo conditionato, quo quis diceret, si esset mihi peccandum mallem gravius peccatum committere, quàm levius.

V. *Virùm perplexus eligendo minus peccatum peccet.*

Quæres: Utrùm qui est in hujusmodi perplexitate, peccet eligendo minus? Existimant nonnulli casum implicare, nec posse aliquem in eo statu constitui, ut existimet in utrâque parte esse peccatum; lumine enim naturæ, inquiunt, apertissimè compertum est, non posse ullum necessitari ad peccatum. Sed P. Sanchez lib. primo de præceptis Decalogi, cap. undecimo, num. decimo quarto docet quotidianâ experientiâ constare hujusmodi ignorantiam frequenter inter rusticos inveniri, ut si quis ex unâ parte putet esse peccatum hodie non audire Sacrum quia est dies festus, ex aliâ verò esse peccatum deserere gregem curæ suæ commissum, vel audire Sacrum quia est excommunicatus, aut aliud hujusmodi.

VI. *Putant aliqui, hujusmodi perplexum peccare, etiam eligendo minus.*

P. Suarez hîc, disp. tertiâ, sect. decimâ, num. quarto, & quinto affirmare videtur hujusmodi perplexum peccare, etiam eligendo id quod judicat minus malum, levius tamen peccare, quàm si eligeret gravius: unde & sequitur à fortiori in ipsius sententiâ peccaturum, si perplexitas esset de duobus æqualiter malis. Idem sentit P. Granado de actibus humanis, tract. duodecimo, disp. septimâ, sect. secundâ, & alii nonnulli.

VII. *Probabilius nihilominus*

Existimo nihilominus cum Sanchez citato, Lugo disp. vigesimâ sextâ de Incarnatione, sect. decimâ, num. centesimo trigesimo septimo, & aliis,

est, si utrumque sit æqualiter malum, nullum ab eo committi peccatum.

aliis, in eo casu nullum esse peccatum, si utrumque æqualiter malum sit. Ratio est, quia ut benè notat Sanchez, licèt uterque actus liberè tendat in objectum secundùm se malum & prohibitum, quodque tale putatur à committente, hæc tamen indifferentia solùm constituit actionem liberam in genere entis, non moris, cùm tamen utraque libertas requiratur ad malitiam moralem & peccatum.

VIII. *Libertas moralis ferri debet in malum, quod vitari potest.*

Confirmatur: Libertas moralis, & qualis requiritur ad peccatum, debet talis esse, quæ feratur in malum, quod vitari potest, alioqui imputari ad culpam non potest; quis enim vitio vertat Petro si necessitaretur ad furandum unum aureum è duobus, quod hunc potiùs furetur quàm alterum planè æqualem, sicut si econtrario necessitaretur ad dandum alterum è duobus in eleëmosynam, quis dixerit mereri laudem, quòd unum det potiùs quàm alium omnino similem. Confirmatur secundò: Alioqui Angeli & Sancti videntes Deum mererentur de facto per actus amoris beatifici, saltem erunt laude digni quod hoc præstent, cùm ex vi visionis non necessitentur nisi ad amorem, quòd vero hunc actum nhmero amoris beatifici eliciant potiùs quàm alium, probabile est in eorum potestate situm esse; cùm enim videant plures actus suos possibiles, antequam eliciantur, nulla apparet ratio cur nequeant se determinare ad individuationem effectus in his actionibus.

IX. *Hic homo nec esset vituperabilis nec reprehensibilis, ergo non peccat.*

Secundò probatur: Quisquis peccat est vituperabilis, & reprehensibilis, qui autem è duobus objectis planè æqualiter ex se malis propositis alterum eligit, quam ob causam reprehenditur; quid enim faceret in eo casu, cùm alterum facere debeat, certè æquè reprehendi posset Petrus quod sit in hoc loco potiùs quàm in alio omnino simili, quem tamen hoc nomine nemo justè reprehenderit, cùm necessariò sit in aliquo. Ut ergo quis sit laudabilis vel vituperabilis, debet vel esse omnimoda libertas, vel inæqualitas aliqua in objectis, ad quæ est determinatio antecedens, ita ut electio unius præ alio sit in æstimatione morali, aliquo modo diversa.

X. *Objic. Necessitatur ad peccatum, ergo peccat.*

Dices: Est determinatus antecedenter ad peccatum, ut supponitur, sicut Petrus est necessitatus antecedenter ut sit in aliquo loco, quemadmodum ergo Petrus, non obstante illâ determinatione prævià liberè est in hoc vel illo loco in particulari, idque posito quòd necessariò debeat necessitate antecedente esse in altero ex duobus, ita & hîc liberè peccat, & consequenter est reprehensione dignus.

XI. *Ad primum dico, necessitari ipsum ad peccandum materialiter non formaliter.*

Respondetur distinguendo primum antecedens, est determinatus antecedenter ad peccatum materialiter sumptum concedo antecedens, formaliter sumptum nego: cùm enim ad peccatum formaliter committendum requiratur libertas ad non peccandum, hic autem supponatur determinatus, non posset non peccare. Dices, ergo peccat; facit enim id ad quod antè necessitabatur. Respondetur, ante non fuisse necessitatum ad peccandum nisi materialiter, id est ad alteram ex illis actionibus faciendam, quæ in sensu diviso hujus perplexitatis & necessitatis esset peccatum, nunc autem neutra actio est peccatum.

XII. *Si mala sint inæqualia, à fortiori non peccat eligendo minus*

Hinc à fortiori sequitur, si illa peccata circa quæ est perplexitas, sint inæqualia, multo minùs peccare illum qui eligit id quod putat è duobus levius; quantumcunque enim putet se peccare, re tamen verâ non peccat, sed præstat id quod in his circumstantiis optimum factu judicat. Quare hic homo non habet affectum absolutum ad peccatum, imo si posset vellet neutrum malum facere, cùm autem putet alterum necessariò esse faciendum determinat se ad id, quod existimat levius, sicque non vult absolutè peccare, sed posito quòd non possit non peccare, ut ipse putat, vult saltem id quod judicat minus. Unde non magis peccat, quàm Joannes qui videns Petrum determinatum ad furandum vel occidendum, suaderet ei ut potiùs furaretur; sicut enim hîc ante consilium Joannis supponitur Petrus determinatus ad peccandum, & hoc posito licitè suadet ei minus, ita supponitur is in altero casu determinatus, ut ipse putat, ad peccatum, quo posito licitè eligit minus, posito quod non possit non peccare.

XIII. *Quid si ita animo sit affectus, ut dicat etiam si non esset excommunicatus, non audirem Sacrum.*

Verum quidem est, si qui est perplexus ita esset animo affectus, ut sive esset determinatus illo modo sive non, adhuc vellet actionem illam peccaminosam facere, & quasi dicat, verum quidem est, sum determinatus hîc ad alterum è duobus, nempe vel ad violandum præceptum Ecclesiæ, non audiendo Sacrum, vel ad illud audiendum cum excommunicatione, si tamen essem à censurâ expeditus Sacrum nihilominus non audirem, peccaret; jam enim ex parte objecti repræsentat sibi malitiam violandi præceptum Ecclesiæ in sensu diviso perplexitatis: sicut qui ob invaletudinem non potest audire Sacrum, & consequenter non peccat non audiendo, si tamen esset ita animo affectus, ut diceret, etsi non foret ægrotus, se non auditurum, peccaret. Ratio est, quia objectum etiam conditionatè volitum refundit malitiam in actum, nisi conditio sit talis quæ præscindat objectum ab omni malitiâ, ut contingit in hoc & similibus actibus, si furtum non esset malum ego furarer.

XIV. *Magis debet quis detestari veniale proprium, quàm mortale alienum.*

Quæres: Utrùm magis detestari quis debeat veniale proprium, quàm mortale alienum? Respondetur affirmativè cum Soario hîc, disp. 3. sect. decimâ, Coninck disp. secundâ, dub. nono, num. octogesimo tertio, Præposito quæst. 86. num. sexagesimo, & aliis. Ratio est primò, nam juxta Apostolum, *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*, ad Romanos tertio, cùm ergo nec pro toto mundo minimum peccatum committi possit ab ullo ad gravissima quæque vitanda in proximo, signum est veniale proprium detestabilius esse alieno mortali. Deinde motivum Charitatis ad hoc peculiari modo tendere videtur, ut quis personæ quam amat præbeat se gratum, sicque studet magis levissima quæque in se fugere, quàm ut gravia vitentur in alio; esset enim inordinata Charitas, ut quis amicum offenderet, etiam leviter, ut hac ratione ab alio non offendatur graviter. Unde & Beati ratione ardentis amoris in Deum gravissimè ferrent, si vel minimam in se peccati labem conspicerent, cùm tamen non in tanto gradu aliorum peccata aversentur.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm quis propter Deum dolere posit de uno peccato, non de alio.

I. *Non hic loquimur de actu Contritionis, qui sit sufficiens dispositio ad justificationem.*

NON est sermo de actu contritionis, qui sit sufficiens dispositio ad justificationem; cùm enim juxta communem sententiam Theologorum nullum peccatum remittatur sine retractatione aliquâ, si quis qui plura peccata mortalia commisisset, unum solùm aut alterum retractaret, illorum remissionem & consequenter gratiam non obtineret, quæ omnis peccati mortalis remissionem necessariò infert.

II. *Conscius plurium peccatorum mortalium, si doleat de uno ex iis, non necessariò dolet de facto de omnibus.*

Notandum secundò, licèt pro hoc rerum statu unum peccatum mortale remitti non possit sine alio, non tamen sequitur illum qui sibi conscius est plurium peccatorum mortalium, necessariò ipso facto quòd doleat de uno, debere dolere de reliquis; nec enim dolor est in actu figuato intentio destruendi, etiam peccatum illud de quo dolet, sed in actu exercito est destructio peccati, si sit de omnibus commissis, alioqui sequeretur nec ex speciali motivo alicujus virtutis, temperantiæ exempli grâtia, posse aliquem dolere de uno peccato, quin doleat de omnibus, si dolor sit intentio destruendi peccatum; nec enim potest intendere destruere unum mortale peccatum, non intendendo destruere alia, & consequenter de iis dolere etiam deberet, quod est contra omnes, ut vidimus. Loquimur itaque ex naturâ rei utrum scilicet qui de uno peccato purè propter Deum dolet, dolere debeat de omnibus: quod etiam suo modo disputari potest de dolore proveniente ab illâ virtute, quæ procedit ex motivo universali.

III. *Probabilius videtur posse memorem plurium mortalium, dolere de uno, etiam propter Deum, & non de alio.*

Hac in re probabilius mihi videtur, quod cum Joanne de Medina, codice de Pœnitentiâ, tractatu primo, quæstione duodecimâ, articulo secundo docent Recentiores aliqui, nempe posse, etiam memorem plurium peccatorum mortalium à se commissorum dolere de uno & non de alio idque propter Deum.

IV. *Ratio est, quia potest quis unum veniale peccatum hoc modo detestari, non tamen aliud.*

Probatur primò: Potest enim quis detestari unum veniale peccatum propter Deum per actum contritionis quin detestetur aliud; ergo & unum mortale, antecedens patet, nulla namque est repugnantia quo minùs dum quis elicit contritionem de uno pecato veniali, possit committere aliud, ergo præcisè ex parte modi tendendi actus & motivo formali, non repugnat aliquem detestari unum peccatum propter Deum, non detestando aliud. Quod autem dicunt aliqui, venialia non impedire amicitiam, & sic non esse mirum si possit quis unum detestari, non detestando aliud, nil refert, nam petitur principium si dicatur omnis actus Charitatis aut contritionis esse actum amicitiæ perfectæ; hoc enim est quod est in quæstione.

V. *Idem etiam ostenditur à paritate aliarum virtutum.*

Secundò probatur à paritate rationis in aliis virtutibus: potest enim contingere, ut quis ex motivo temperantiæ velit abstinere ab hoc cibo, velit hodie jejunare non alio die, &c. cùm tamen idem sit motivum formale inclinans seu inclinativum in actu primo ad utrumque jejunium. Præterea potest quis ex motivo justitiæ velle observare justitiam erga proximum in unâ materiâ, non in aliâ, ut in pecuniis, non in honore. Unitas ergo motivi formalis in detestatione sufficienter constituitur eo quòd mala omnia sint detestabilia propter illud, non quòd de facto quis ea actu propter illud detestetur.

VI. *Potest quis ex amore erga Deum, velle exercere actum unius virtutis, non alterius.*

Tertiò hoc idem probatur à contrario: potest enim quis ex amore erga Deum velle jejunare exempli gratia, non tamen propterea dare eleëmosynam, vel hoc opus consilii amplecti non illud, ergo etiam ex amore Dei poterit detestari; & firmiter proponere vitare unum peccatum, blasphemiam verbi gratia, non furtum, aut aliud simile, nequidem virtualiter.

VII. *Assignatur hujus rei ratio.*

Ratio autem est, quia quando quis, vel amat vel detestatur aliquid propter Deum, non relinquitur motivum formale in totâ suâ latitudine, sed contractum ad materiale aliquod objectum, & consequenter hic & nunc non latiùs patet quàm illud, unde & ratione materialis objecti potest subinde oriri peculiaris difficultas, ob quam actus ille non extendatur ad alias operationes bonas, vel peccata, ne virtualiter quidem & implicitè; implicitè inquam, nam si per virtualiter intelligatur quod sit taliter animo dispositus, ut si aliud peccatum menti occurreret, illud etiam detestaretur, existimo si illud aliud peccatum sit planè huic simile, fore ut etiam illud detestaretur, detestatione saltem incompletâ, quod tamen non contingit si peccata sint valde dissimilia. Imo etiamsi peccata sint valdè similia, adhuc si loquamur de detestatione completâ, nempe simul cum proposito non peccandi de cætero, potest quis etiam ob amorem Dei proponere vitare aliquod peccati genus per unum diem aut hebdomadam, non tamen semper, quia peculiaris est difficultas in secundo, quod non est in primo.

VIII. *Contraria tamen sententia suis non desunt Auctores.*

Contrariam sententiam tenet Suarez hic, disp. octavâ, sect. octavâ, conclusione tertiâ, Vasquez hîc, disp. 87. art. primo, dubio primo, num. 22. Coninck disp. primâ, dubio quinto, estque satis frequens inter recentiores.

IX. *Dices: Ubi est idem objectum formale, si unum peccatum quis detestetur, detestatur omnia.*

Arguunt primò cum P. Suarez citato; quando idem motivum formale est commune pluribus objectis materialibus, qui unum propter motivum illud detestatur, necessariò debet detestari omnia, in quibus ratio illa formalis invenitur, sed omnia peccata mortalia conveniunt in hoc quod sint contra Charitatem, ergo: sicut propterea qui unum articulum Fidei credit propter auctoritatem divinam non potest negare alium per eandem auctoritatem propositum.

X. *Resp. nunquam ferri voluntatem ad objectum formale in abstracto, sed contractum.*

Respondetur, nunquam esse motivum formale omnino idem in illis duobus objectis; nunquam enim fertur voluntas in motivum formale ut sic, & quasi in abstracto, sed ad motivum formale hic & nunc contractum; unde quando magna differentia est in objectis, est etiam in motivo formali, saltem partiali & secundario; quando enim quis vult dare eleëmosynam propter Deum, habet diversum objectum formale secundarium, seu *cujus gratia*, quàm quando vult jejunare propter Deum, esto objectum formale primarium sit idem, nempe bonitas Dei. Ad hoc autem ut quis dicatur aliquid velle propter Deum, solùm requiritur, ut non habeat aliud motivum formale primarium illius actus. In præsenti ergo vult quis hoc vel illud objectum ob motivum bonitatis divinæ hîc & nunc applicatæ huic vel illi objecto, sicque non relictæ indifferenti adhuc, sed contractæ.

XI. *Ostenditur diversam*

Ad illud de actu Fidei, dico latam esse disparitatem; cùm enim de facto credere non possimus fide

esse rationem in actibus Fidei.

fide divinâ ullum articulum fidei, nisi ob auctoritatem divinam, non quomodocunque, sed nobis ab Ecclesiâ solâ propositam, esset tacita contradictio in eo, qui unum articulum fidei propter divinam auctoritatem crederet, non alium, diceret enim Ecclesiæ propositionem esse regulam infallibilem, & non esse. Aliud foret si essent duo organa æqualis auctoritatis in proponendo, ut latiùs dixi in materiâ de Fide.

XII. *Differentia inter hunc actum intellectus, Petrus est risibilis quia est rationalis, & actus voluntatis in nostro casu.*

Eodem modo solvitur quod objici solet, non posse aliquem judicare Petrum esse risibilem, quia est rationalis, & negare Paulum esse risibilem esto sit rationalis: disparitas enim est intra hunc & nostrum casum, in tantum namque judicat intellectus Petrum esse risibilem quia est rationalis, in quantum judicat omne rationale esse risibile, unde sibi contradiceret si judicaret Paulum esse rationalem & non esse risibilem; diceret enim omne rationale esse risibile & non esse. At verò voluntas non hoc modo ex aliquo prævio actu necessitatur ad hoc vel illud amandum, sed licèt in duobus objectis reperiat sufficientem rationem amabilitatis, & idem objectum formale, potest tamen pro suâ libertate unum velle propter objectum illud formale, non aliud, & si quæratur ratio, stet pro ratione voluntas.

XIII. *Dices: qui vult aliquod bonum, odit necessariò omne malum illi contrarium,*

Arguunt secundò: Qui vult bonum aliquod, odit necessariò omne malum illi contrarium, sed quisquis amat Deum vult illum, ergo odit necessariò omne peccatum. Distinguo majorem; si velit bonum illud omnino efficaciter concedo majorem, si solùm inefficaciter, & secundùm quid, seu quantum assequibile est per hoc medium, nego. Unde omnis actus amoris Dei, licèt sit aliquo modo actus amicitiæ, non tamen efficax simpliciter, & consequenter nec perfecta amicitia.

XIV. *Reliqua ad contritionis naturam cognoscendam necessaria, discussa sunt supra.*

Alia quæ de contritione disputari hîc solent, ut utrùm primo instanti quo est, sit contritio: utrùm requirat aliquam intensionem actus: quæ contritio requiratur cum Sacramento: utrùm esse debeat supernaturalis, universalis, &c. utrùm præcedere an subsequi debeat confessionem, & alia hujusmodi, à nobis supra discussa sunt suis locis.

SECTIO QUARTA.

Vtrùm actus Contritionis sit causa formalis remissionis Peccatorum.

I. *Prima sententia est affirmativa.*

PATER Vasquez primâ secundæ, disp. ducentesimâ tertiâ, cap. tertio partem affirmativam amplectitur, pro eaque tam ex antiquioribus, quàm recentioribus Theologis citat viginti duos. Eandem sententiam sequitur Turrianus tract. de gratiâ, opusculo sexto, disp. 4. dubio decimo octavo: quam etiam sententiam amplectitur P. Mæratius disp. duodecimâ de gratiâ, eamque per triginta duas sectiones fusissimè probat. Asserit itaque hæc sententia actum Contritionis & Amoris Dei super omnia non dispositivè tantùm, & ex lege Dei, sed formaliter expellere peccatum mortale, & justificare, non minùs quàm gratiam habitualem, ita ut posito actu contritionis vel amoris Dei super omnia, licèt non infunderetur gratia, adhuc homo ille esset verè sanctus & justus per ipsum actum contritionis.

II. *Oppositam sententiam tenent plerumque Theologi.*

Contraria sententia est communis, quam sequitur Suarez Tomo primo in tertiam partem, disp. quartâ, sect. octavâ, & hîc disp. octavâ, sect. tertiâ, & Tomo tertio de gratiâ, lib. septimo, cap. octavo, & alibi, Tannerus, Coninck, tenentque recentiores communiter.

III. *Actus Charitatis, vel Contritionis non debetur ex naturâ rei peccatorum remissio.*

Prima conclusio: Actus Charitatis, vel contritionis non talem habet ex naturâ rei cum gratiâ habituali, & remissione peccatorum connexionem, ut ex naturâ rei hæ illi debeantur. Probatur primò ex Concilio Tridentino sessione sextâ, cap. septimo, ubi postquam capite sexto numeraverat dispositiones, quæ justificationem præcedunt, nempe Fidem, Spem, & dilectionem, subjungit cap. septimo; *Hanc dispositionem justificatio ipsa subsequitur.* Quod meliùs adhuc ostenditur ex eâdem sessione, cap. octavo: ubi propterea docet hominem justificari gratis, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur, ubi loquitur Concilium de gratiâ sanctificante, illâ scilicet quam fides præcedit, non de excitante, ut est clarum.

IV. *Hanc item conclusionem expresè docent sacræ Litera.*

Secundò probatur: Semper namque in Scripturis promittitur pœnitentibus justificatio, & remissio peccati, tanquam nova misericordia, & beneficium: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*, &c. Isaiæ quinquagesimo quinto: *Scindite corda vestra*, &c. *quia benignus & misericors est*, &c. Joëlis secundo: ubi non dicit Propheta, quia justus est, sed quia misericors, ergo pœnitenti non debetur remissio peccati ex strictâ justitiâ, ubi sermo semper est de illo dolore & contritione, cui illis temporibus infallibiliter annexa erat peccatorum remissio, hæc autem solùm erat perfecta contritio.

V. *Contritio esse nequit satisfactio condigna pro peccato mortali.*

Probatur tertiò: Contritio enim non potest esse condigna satisfactio pro peccato mortali: cùm enim gravitas offensæ sumatur à dignitate personæ, quæ offenditur, quæ hîc est infinita, valor autem satisfactionis à personâ satisfaciente, quæ est homo, & quidem sine gratiâ habituali, & consequenter infinities inferior dignitati personæ offensæ non poterit esse condigna compensatio pro illâ injuriâ: quâ de causâ Patres universim requirunt satisfactionem alicujus ex personis divinis, ut homo per solutionem æqualis compensationis pro delicto reparetur: quod fusè ostensum est supra in tractatu de Incarnatione.

VI. *Contritio, quamvis non de condigno, de congruo tamen meretur remissionem peccati mortalis.*

Hinc infero, contritionem non de condigno, sed de congruo solùm mereri remissionem peccati mortalis. Prima pars jam probata est. Secunda etiam constat, cùm etenim contritio sit actus supernaturalis peculiariter Deo gratus, & ex motione Spiritus Sancti factus, non est cur ex aliqua congruitate & decentiâ non mereatur remissionem peccati; cum hoc enim merito stat simpliciter quod remittatur gratis; posset enim Deus, nullâ vi rebus illatâ illud non remittere.

VII. *Actus Contritionis, aut charitatis multo minùs est forma justificans.*

Secunda conclusio: Actus Contritionis, aut Charitatis, à fortiori non est ipsa forma justificans. Probatur primò ex Concilio Tridentino sessione decima-quartâ, cap. quarto, ubi sic habet: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* ubi loquitur Concilium de contritione quovis tempore, & consequenter in lege antiquâ & naturæ, ante institutum Baptismum necessariâ, sicque manifestum est sermonem esse, etiam de

perfectâ, & tamen dicit eam impetrare veniam peccatorum, ergo non est ipsa forma justificans, & remittens peccata.

VIII. *Eadem insuper veritas ex alio ejusdem Concilii loco probatur.*

Secundò probatur ex eodem Concilio sess. 6. cap. septimo, ubi dicit justitiam, per quam justificamur, dari unicuique secundùm propriam uniuscujusque dispositionem, & operationem, sed contritio est una ex operationibus & dispositionibus, ut ostensum est, ergo non est ipsa forma. Nec dici potest dari intensiorem contritionem ob actus fidei & attritionis præcedentes; cùm enim actus contritionis liber sit, fit magis vel minùs intensus prout operanti placuerit: unde Deus ad summum dat inspirationem præviam intensiorem, quæ tamen certâ lege & infallibili non infert actum contritionis intensiorem, Concilium autem loquitur de certâ & infallibili lege, secundùm quam datur majòr vel minor justitia, ergo per justitiam non intelligit Concilium contritionem,

IX. *Sequeretur insuper nos nunquam justificari per habitū.*

Confirmatur: Nam juxtà Concilium homo, etiam extra Sacramentum justificatur per habitum, secundùm hunc autem modum dicendi nunquam justificaretur per habitum, cùm enim actus contritionis sit justificatio, secundùm Auctores contrariæ sententiæ, & dispositio ad gratiam, seu habitum, priùs naturâ semper justificabitur homo, quàm habeat gratiam aut habitum.

X. *Actus Contritionis & amoris Dei super omnia non possunt justificare.*

Hinc infertur, nec posse actum contritionis vel amoris Dei super omnia, qualis elicitur in viâ, justificare; si enim posset, de facto justificaret, cùm habeat semper eandem entitatem & naturam, ergo si ut forma sanctificans posset justificare, justificaret. Quod autem de facto non justificet ostensum est hac & præcedente conclusione. Unde & Patres conformiter ad loca Scripturæ superiùs allata dicunt justificationem, & remissionem peccati semper esse novum beneficium, & misericordiam, positâ etiam nostrâ pœnitentiâ, & loquuntur de Pœnitentiâ perfectâ; de illâ enim loquuntur, cui infallibiliter annexa est peccati remissio, & consequenter de contritione, post quam positam adhuc dicunt intercedere misericordiam divinam, ut peccatum remittatur.

XI. *Hanc doctrinā expressè tradit S. Chrysostomus.*

Sanctus itaque Chrysostomus Homiliâ 80. ad populum sic scribit: *Si pœnitentiam egero salvabor, unde constat? ex Domini clementiâ, neque tuæ confidas pœnitentiæ; tua enim pœnitentia tantùm nequit peccatum delere; si sola foret pœnitentia, jure timeres; sed postquam in pœnitentiâ commiscetur Dei misericordia, confide.* Sanctus etiam Gregorius in illud Psalmi trigesimi primi: *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Attende*, inquit, *quanta misericordia Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia*: ubi dicit fuisse misericordiam Dei, quòd positâ confessione illâ Prophetæ, & contritione, sine quâ nullum tunc remittebatur peccatam, secuta sit peccati illius remissio. Alia multa hujusmodi habent Patres, per quæ adhuc post pœnitentiam requirebant Dei misericordiam, novum beneficium conferentem.

SECTIO QUINTA.

Argumenta contendentia actum Charitatis & Contritionis justificare fomaliter.

I. *Objiciuntur varia loca Scripturæ: Charitas operit multitudinem peccatorum &c.*

Objicit primò Vasquez citatus varia loca Scripturæ, ubi Charitati & contritioni tribuitur peccatorum remissio, *Charitas operit multitudinem peccatorum*: dicitur etiam *vinculum perfectionis, plenitudo legis*, &c. Sed contra: Nam aliquando, etiam eleëmosynæ, & aliis operibus tribuitur peccatorum remissio, & tamen non justificant formaliter. Sic etiam Christus dicitur nostra justitia, nostra sapientia, &c. quæ omnia intelligenda sunt, vel effectivè, vel dispositivè. Respondetur itaque cum Suario & aliis, illa intelligi debere dispositivè, vel de merito de congruo, cùm jam ostensum sit sæpiùs in Scripturis remissionem peccati mortalis tribui contritioni tanquam novum beneficium.

II. *Eodem modo explicari in similibus locutionibus possunt Patres.*

Eodem modo solvuntur auctoritates Patrum, licèt aliqui ex iis, præsertim Sanctus Augustinus intelligi possit de Charitate habituali, ut notat Suarez tomo primo in tertiam partem, disp. 4. sect. 8. §. *Ad argumentum.* unde falsum est quod ait Vasquez cap. quarto, nunquam à Sancto Augustino factam esse mentionem Charitatis habitualis; primò enim sæpè Charitatem intelligit sub nomine virtutis, nomen autem virtutis propriè non competit nisi actui. Deinde sermone vigesimo sexto in psalmum centesimum decimum octavum, in illa verba, *Feci judicium & justitiam*, ait intelligendum hoc esse de actu justitiæ, & non de ipsâ virtute, *Quia hanc justitiam*, inquit, *non facit in homine, nisi qui justificat impium, & ex iniquo facit justum*: ubi etiam distinguit actum ab habitu, & hunc nomine virtutis compellat, & per solum habitum non per actum dicit justificari hominem à Deo.

III. *Dices: Contritio tollit aliquid quod est de formali constitutione peccati, ergo tollit peccatum*

Objicit secundò; Contritio tollit aliquid, quod est de formali constitutione peccati, aversionem scilicet à Deo; est enim conversio ad Deum, ergo saltem ex parte tollit peccatum, imo totum; quando enim aliquid constat diversis partibus, quod tollit unam destruit rem illam, sicut hominem destruit, qui vel animam tollit, vel materiam, vel unionem. Confirmatur: Concilium Tridentinum sessione sextâ, cap. septimo dicit justificationem & renovationem hominis internam fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, ergo partialiter saltem justificamur per actum contritionis, per quem nimirum voluntaria dona Dei suscipimus.

IV. *Ad argumentum Respondetur peccatum mortale præteritum relinquere duplicem aversionem à Deo.*

Respondetur, peccatum mortale præteritum, duplicem relinquere aversionem habitualem à Deo, unam per quam denominatur adhuc ita habitualiter aversus à Deo, ut censeatur manere adhuc in eodem affectu, ita ut si daretur occasio, approbaret aversionem præteritam. Alia aversio habitualis à peccato relicta est perseverantia moralis actus illius præteriti, ita ut ratione illius justè possit odio haberi à Deo.

V. *Quo pacto prior aversio tollatur per actum Contritionis.*

Sub priore itaque consideratione tollitur aversio habitualis peccati per actum contritionis, imo & per attritionem, & actum quemvis contrarium, etiam naturalem; illo enim posito non manet ita promptus ad effectus quosdam physicos, nempe

nempe ad relabendum in similes actus, ad illum approbandum, ad complacendum de eo, &c. At verò secunda perseverantia habitualis, seu moralis peccati non tollitur, etiam in ratione voluntarii moraliter manentis; æquè enim ob actum præteritum potest Deus adhuc eum odio habere, & punire, ac si actum contritionis non elicuisset; nec enim condonatur peccatum præteritum, nec sufficienter, seu per condignam satisfactionem compensatur.

VI. *Dices: Si quis existens in peccato mortali raperetur ad visionem & amorem beatificum, justificaretur, ergo actus potest justificare.*

Objicitur tertiò: Si quis existens in peccato mortali raperetur ad visionem & amorem beatificum, justificaretur, etiam sine infusione gratiæ; nec enim videtur posse aliquem, simul esse beatum & in peccato, ergo actus potest justificare, ergo & actus contritionis, & Charitatis, etiam hîc in viâ elicitus.

VII. *Negant nonnulli hominem illum fore sanctũ vel beatum.*

Medina, Salas, & alii nonnulli negant hominem fore in eo casu sanctum vel beatum, quia, inquiunt, ulteriùs requiritur negatio peccati, sicut multi dicunt de gratiâ habituali, si simul cum peccato poneretur in animâ. Sed ut omittam alia quæ afferri possent contra hunc modum respondendi, concedunt hi Auctores Patri Vasquez quod intendit: nam sicut gratia habitualis est forma sanctificans, quia connaturaliter petit expulsionem peccati, esto miraculosè impediri ille effectus possit, ita ut actus amoris Dei sit forma justificans, sufficit quòd ex naturâ suâ petat expulsionem peccati.

VIII. *Volunt alii peccatum ab homine illo expelli, non per amorem beatificum, sed per visionem.*

Dicunt alii, hunc hominem in eo casu sanctificandum, non per amorem, sed visionem. Alii expellendum quidem peccatum asserunt in eo casu, non per amorem, sed visionem, hominem tamen non fore sanctum; visio enim, inquiunt, non est sanctitas, nec participatio naturæ divinæ, expellit tamen peccatum in quantum est forma beatificans, & consequenter expellens omnem miseriam, sicque hoc titulo stare nequit cum peccato.

Tandem dici posset, sanctificandum illum hominem per amorem etiam beatificum, utpote diversæ rationis ab amore viæ, est quippe amor patriæ multo hoc excellentior, ex naturâ suâ permanens, spectans ad statum illum perfectissimum, &c. unde non magis arguere licet ab actu amoris patriæ ad actum viæ, quàm ab actu deliberato amoris in viâ ad actum amoris indeliberatum, quem tamen negant adversarii justificare.

IX. *Dici denique potest, hominem illum sanctificandum per amorem beatificum, utpote longè diversa rationis ab amore via.*

Objicitur quartò: Qui amat Deum est unus spiritus cum illo, & conformis primæ regulæ, ergo rectus & justus; hic enim videtur conceptus justitiæ. Respondetur, vel ille homo antea peccaverat vel non, si ita, esto jam affectivè adæquetur primæ regulæ in operationibus, & nolit ab eâ declinare, cùm tamen antea deviaverit ab illâ regulâ, & constituerit cum eâ inadæquationem, quæ necdum est sufficienter ablata, ut offensum est, non diligitur à Deo dilectione simpliciter, sed solùm secundùm quid: & idem quoad hoc est, licèt antea non peccasset. In eo etiam casu solùm esset unus spiritus cum Deo affectivè & ex parte sui, seu dispositivè, non tamen perfectè & ex parte Dei, cùm adhuc non haberet spiritum adoptionis, ad quem juxta Concilia & Patres jam allatos, contritio tantùm est dispositio.

X. *Dices: Qui amat Deum est unus spiritus cum Deo, ergo & justus.*

Objicitur quintò: Habitus Charitatis justificat, ergo & actus. Respondetur primò, omisso antecedente, distinguendo consequens, aliquis actus, nempe patriæ concedo; omnis, seu viæ, nego, ut de actu deliberato & indeliberato supra dictum est. Deinde negari potest antecedens; licèt enim de facto nunquam habitus Charitatis sit informis, cùm supponat gratiam, ex se tamen non est incompossibilis cum peccato, magis quàm Fides aut Spes, vel habitus virtutum moralium infusarum. Et hæc de Pœnitentiâ.

XI. *Dices: Habitus charitatis justificat, ergo & actus.*



DISPUTATIO NONAGESIMA NONA.

De Censuris.

VT corpori, ita animæ sua sunt vincula, quibus implexa & irretita, ac veluti compedibus constricta, suos ritè formare gressus, & ad finem sibi præfixum pertingere non potest, suáque eo quo par est modo obire munia. Hæc porrò vincula duplicia sunt, peccata nimirum & Censuræ Ecclesiasticæ: de illis toto superiore de Pœnitentiâ tractatu fusè diximus, & quo pacto animam, non ligent tantùm, sed, mortifera si sint, vitâ insuper spolient, æterníque ream supplicii efficiant, qua demum ratione ab iis homines liberentur monstravimus. Nunc ergo de secundo vinculorum genere, Censuris scilicet, agendum, & quot quaque sint, quo etiam pacto nodis suis ac nexibus hominum animos illaqueent declarandum, via denique & ratio qua solvantur, iisq; innexi & implicati libertati denuo restituantur aperienda; hæc quippe cum superioribus maximam habent connexionem, scitúque iis perquàm sunt necessaria, qui confessionibus excipiendis dant operam; nec enim munus suum ritè obire, plenéque animarum saluti consulere possunt, nisi in hoc de Censuris tractatu apprimè sint versati, & suam quisque hac in parte potestatem norit; neque enim à Censuris absolvendi par omnibus est facultas, sed alius plus, alius minus pro superiorum arbitrio in hoc genere potest. Hic proinde tractatus tractatui de Pœnitentiâ necessariò est subjungendus.

SECTIO PRIMA.

Annotantur quædam circa Censuras in genere.

I. *Non est merè pœna medicinalis.*

QUÆRES primò: Quid, & quotuplex sit censura? Suarez tom. 5. in 3. part. d. 1. sect. 1. Coninck disp. 1. num. 8. Layman lib. 1. tract. 5. c. 1. & 2. & alii in hoc statuunt naturam censuræ, quòd sit pœna medicinalis, quæ proinde resipiscente reo auferri debeat. Sed contra, nam suspensio imponitur subinde per annum, ergo non in hoc situs est conceptus censuræ quòd tolli debeat cessante contumaciâ.

Ejus natura declaratur.

Censura itaque propriè dicta est pœna ab Ecclesia constituta privans usu quodam bonorum spiritualium: ita Bonacina de Censuris d. 1. q. 1. num. 1. & insinuare videtur Tannerus d. 6. q. 10. n. 15. Filiucius tr. 11. c. 1. n. 4.

Tres ut plurimum numerantur.

Hinc ad secundum, licet communis sententia tres tantùm dicat esse censuras, nempe Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, mihi tamen probabilius videtur cum Soto & aliis nonnullas præterea alias pœnas dici posse

Censuras,

Censuras, & peculariter irregularitatem ex delicto.

II. Quæres secundò: A quo, & in quos ferri possit Censura? Ad primum Resp. in Pontifice sitam primariò esse hanc potestatem, deinde in Episcopis omnibus habentibus proprios Episcopatus, qui omnes habent potestatem hanc ordinariam, utpotè quæ ad eorum munera obeunda apprimè sit necessaria, cùm judicare debeant & reos punire: ita Suarez d. 2. sect. 3. Filiucius tr. 11. cap. 2. n. 30. & 31. Layman tract. 5. c. 3. Bonac. d. 1. q. 1. p. 2. n. 5.

Primariò à Pontifice & Episcopis.

Quibus communicari possit potestas delegata.

Quæres quibus communicari possit potestas delegata ferendi Censuras? Inprimis debet esse baptizatus: deinde clericus sit oportet, ut ad minimum habeat primam tonsuram, licèt de plenitudine potestatis possit Pontifex potestatem laico concedere ferendi Censuras, cùm contrarium solùm sit de jure humano, in quo dispensare potest Pontifex: ita Bonacina p. 2. n. 5. Suar. disp. 2. sect. 3. num. 11. Filiucius cap. 2. num. 36. & 37. Layman cap. 3. num 2. Qui tres postremi aiunt posse similiter à Pontifice de plenitudine potestatis idem concedi fœminæ.

Quinam ligari possint Censuris.

Quoad secundum ut quis ligetur Censura debet inprimis esse subditus: ita Suarez d. 5. s. 2. n. 16. Filiucius cap. 5. n. 134. Bonacina p. 4. n. 8. Laym. c. 4. Unde nemo seipsum ligare potest censuris, defectu superioritatis, nec æqualis æqualem. Summus item Pontifex liber est ab omni censurâ, cùm neminem habeat superiorem.

Quinam non possint.

Deinde debet esse baptizatus, viator, & qui aliquando usus sit ratione. Ethnici itaque ligari nequeunt Censuris, sic tamen hæretici & apostatæ. Mortui etiam directè excommunicari nequeunt. Tandem quando animalia dicuntur excommunicari, excommunicatio sumitur pro imprecatione quâ iis à Deo interitum precamur: ita Auctores citari.

III. Quæres tertiò: An persona ligata unâ Censurâ ligari simul possit aliâ, & quo modo? Resp. Posse, idque non tantùm Censuris diversæ rationis, sed etiam ejusdem, ut excommunicatus à jure potest accedente nova contumaciâ excommunicari ab homine. Imo ulteriùs potest quis vel ob eandem culpam excommunicari à pluribus quibus subest, vel ob diversas culpas ab eodem: quibus casibus novo titulo privatur iisdem bonis, sicut per novum peccatum mortale privatur quis eâdem gratiâ: ita Suarez disp. 5. sect. 2. Filliucius tract. 11. c. 5. n. 139. Bonacina d. 1. quæst. 1. p. 5. & alii.

Respondetur affirmativè.

Ob eandem etiam numero actionem duas habentem species morales, furtum ex. gr. & sacrilegium, duæ incurri possunt excommunicationes, aut aliæ censuræ, si propter ejusmodi actionem ferantur.

IV. Quæres quartò: An, & quæ admonitio requiratur ad ferendam Censuram, & an ignorantia ab eâ incurrendâ excuset? Ut Censura, saltem excommunicationis, validè feratur requiritur de facto aliqua admonitio, idque sive ab homine feratur, sive à jure. Puto tamen posse Ecclesiam excommunicationem in reos ferre, nullâ admonitione præmissâ. Ad alias Censuras non adeo rigorosè requiri videtur admonitio: ita Suarez disp. 3. sect. 8. & 12. num. 4. Filiucius cap. 4. numero 83. Coninck disp. 13. dub. 9. Layman libro primo, tract. 5. cap. 5. num. 4. Bonacina distinct. prima, quæst. prima, punct. 9. & alii.

Aliqua ordinariè requiritur.

Ratio primæ partis est quia statutum est ab Ecclesiâ, ut Censura non feratur nisi in contumaces contra Ecclesiam vel Superiorem, contumacia autem sine aliquâ monitione consistere non potest. Notandum tamen quando à jure vel ab homine fertur Censura pro delictis futuris ipso facto incurrendâ, non requiri admonitionem à Lege vel prohibitione distinctam, ipsa quippe lex & prohibitio cognita per se admonet; alioqui nulla Censura incurreretur ipso facto. Suarez tamen Layman & alii existimant quando sit comminatoriè pro delictis futuris sub pœnâ Censuræ tantùm ferendæ, requiri novam admonitionem, quod Filiucius, Bonacina, & Sanchez l. 2. de Matrimonio, d. 24. fine negant. Sententia tamen Suarii est juri conformior, nam cap. *Reprehensibilis* de Appellationibus, solùm excipitur à denuntiatione, quando Censura est ipso jure lata.

Ratio est, quia Censura non fertur nisi in contumaces

Fieri etiam debet admonitio sub comminatione Censuræ, alioqui non est completa contumacia contra claves, unde sola ignorantia Censuræ excusat ab ea incurrenda: ita Suarez sect. 9. Sanchez l. 9. de Matrim. d. 32. num. 137. Coninck citatus & alii contra Covarruvium.

Hæc admonitio juxta præscriptum juris, ut omnino justè feratur Censura, debet per se loquendo esse trina, interposito inter singulas duorum aut trium dierum spatio, vel saltem una æquivalens tribus, ut si judex sex dies tanquam admonitionis terminum concedat, significans hanc admonitionem esse loco trium.

Quot esse debeant admonitiones.

Fieri debet admonitio ipsi reo coram testibus idoneis, vel si is lateat, fieri eam oportet domi ipsius, aut, si hoc præstari nequeat, in loco aliquo publico, ut in templo præcipuo.

Ubi & quando fieri debeat admonitio.

Si tamen mali impendentis necessitas urgeat, potest judex, una propositâ admonitione, statim ad sententiam seu Censuram ferendam progredi, quod, si sine urgente necessitate faceret, graviter peccaret, Censura tamen esset valida, exceptâ Censurâ ab homine latâ contra participantes cum excommunicatis.

Hinc infertur ignorantiam juris, facti, aut etiam pœnæ, modò affectata, aut crassa & supina non sit, excusare à Censurâ, ut si quis percutiat clericum ignorans vel hunc esse clericum, vel hoc ab Ecclesiâ prohibitum esse, vel tandem Censuram latam esse contra clerici percussores. Et idem de naturali oblivione & inconsideratione dicendum est: ita Suarez disp. 4. sect. 8. num. 11. & sect. 9. n. 19. Sanchez lib. 9. de Matrim. d. 32. num. 21. Filiucius tract. 11. c. 8. q. 10. Layman l. 1. tract. 5. c. 5. n. 7. Bonacina d. 1. q. 2. p. 1. Coninck d. 13. d. 10. n. 91.

Quæ ignorantia excusat.

V. Quæres quintò: Num appellatio excuset ab incurrenda Censura, & an suspendatur Censura per voluntatem illius, in cujus favorem lata est? Resp. Appellationem legitimam (id est factam ex probabili & sufficiente causâ, vel saltem bonâ fide sic existimatam) excusare ab incurrendâ Censurâ, si fiat ante latam Censuram, quando fertur absolutè, vel ante expletam conditionem, si feratur sub conditione. Si ergo hoc modo feratur Censura, Præcipio sub pœnâ excommunicationis ut compareas intra mensem, suspenditur Censura si reus ex probabili causâ quovis tempore ante elapsum terminum præfixum appellet, quamvis Abbas contra communem sententiam dicat appellare debere intra decem dies. Eo ipso autem quòd appellet à Censurâ, appellat etiam à præcepto, unde non peccat non comparendo.

Appellatio legitima excusat.

Sufficit autem ad appellationem si quis nesciens appellare iter inchoet versus Pontificem, aut se ejus protectioni committat, vel superioris imploret auxilium: ita Suarez disp. 3. sect. 6. Filiuc. tract. 11. c. 3. n. 78. Henriquez lib. 13. cap. 16. Layman t. 5. c. 6. n. 2. Bonac. d. 1. q. 2. p. 2. & alii.

A sententiâ declaratoriâ Censuræ incursæ potest quis appellare post illam latam, illa enim non est censura, hac autem appellatione factâ, excommunicatus ille non est vitandus, & similiter gesta ab eo post appellationem sunt valida, modò delictum non sit adeo manifestum, ut nulla tergiversatione celari possit.

Suspenditur per illius voluntatem.

Quoad secundum Respondetur etiam affirmativè, unde si in favorem Titii creditoris lata sit sententia excommunicationis in Petrum si intra mensem non solvat debitum, si Titius hebdomadam aut alium mensem concedat, hac prorogatione factâ differtur censura, nec incurritur, nisi post terminum à creditore statutum non restituat: ita Suarez disp. 3. sect. 6. n. 8. Filiucius cap. 3. n. 80. Coninck d. 14. d. 16. n. 199. Bonacina d. 1. q. 2. p. 4. contra Navarrum, Sayrum & alios quosdam. Ratio est, tum quòd debitor ante terminum prorogationis elapsum non est contumax: tum quia sicut cessante causâ excommunicationis ante eam latam, cessat seu non incurritur excommunicatio, ita eadem dilatâ causâ differtur.

Unde idem existimo contra Navarrum licèt prorogatio fiat inscio judice, sicut non omnino incurreretur excommunicatio si inscio judice cessaret penitus causa ob quam fertur. Nec ad hoc requiritur jurisdictio in creditore, cum solùm indirectè suspendat censuram.

VI.

Ad gravêm Censuram debet esse peccatum mortale.

Quæres sextò: Ob quam causam validè ferri possit censura? In primis causa debet esse culpa aliqua, cùm censura sit pœna; deinde non debet esse actus merè internus, cùm hic non subsit judicio Ecclesiæ, sed solius Dei: tertiò, ut feratur gravis censura debet esse peccatum mortale; pœna enim ut justa sit, proportionari debet culpæ: quartò, opus ob quod fertur censura debet esse completum, unde emittens sagittam in clericum, si vel naturaliter vel supernaturaliter impediatur quo minùs ipsum feriat, non incurrit excommunicationem latam contra occidentem, vel graviter percutientem clericum. Quod à fortiori verum est de mandante, & consulente: ita Suarez d. 4. cap. 4. num. 2. Coninck d. 13. d. 8. n. 66. Filliu. tract. 11. cap. 6. num. 158. & tract. 12. c. 1. num. 28. Layman lib. 1. tract. 5. cap. 5. Bonacina d. 1. quæst. 1. p. 3. & alii communiter.

Tandem nec ob quodcumque peccatum etiam externum de facto infligi potest censura, ut supra vidimus, sed intercedere debet contumacia respectu Ecclesiæ, licèt hanc essentialiter & ex naturâ censuræ non existiment multi esse necessariam: ita Auctores citati.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam de Censuris generatim sumptis.

I.

Censura injusta quoad vem non ligat.

QUÆRES primò: Quomodo liget censura injusta? Duobus modis injusta esse potest, affectu & effectu: affectu, ut si malo animo à judice feratur, ut ex irâ, odio, &c. & tunc, si reliqua serventur, certum est ligare.

Injusta effectu triplex est, quoad rem, quoad modum, & mixta. Injusta est quoad rem seu nulla quando vel omittitur aliquid substantiale, ut si feratur parte non citatâ, aut non auditâ, post appellationem legitimam, ab eo qui non habet auctoritatem, si contineat errorem intolerabilem, ut si excommunicatio feratur ob rem levem, vel quæ nullum omnino peccatum sit. Hanc censuram certum est non ligare, nec esse timendam.

Injusta quoad modum ligat.

Injusta quoad modum est cùm omittitur quid accidentale, ut si non præmittatur trina monitio, si non feratur scripto, &c. Hanc censuram certum est ligare, cùm simpliciter justa sit: & de hac intelligitur celebre illud dictum S. Gregorii, *Sententia Pastoris sive justa sive injusta fuerit, timenda est*: licèt intelligi etiam possit, de censurâ injustâ affectu.

Mixta tunc contingit quando is, in quem fertur censura est reipsa innocens, secundùm allegata tamen & probata reputatur nocens, & de hac præcipuè procedit quæstio.

Non ligat Censura injusta mixta.

Jurisperiti passim asserunt censuram sic latam esse validam. Sed meliùs negant Theologi, cùm ratio ob quam fertur non subsistat. Unde hoc modo excommunicatus non privatur suffragiis Ecclesiæ, potest privatim celebrare, nec hoc faciendo redditur irregularis, & cum iis qui norunt sententiam esse injustam potest privatim agere quasi excommunicatus non esset, imo & cum aliis etiam publicè iis in locis in quibus non scitur esse excommunicatus: ita Suarez d. 4. de censuris s. 7. num. 13. & 40. Coninck d. 13. dub. 13. numero 116. Bonacina d. 1. q. 1. p. 10. num. 4. Filliv. t. 11. c. 8. num. 224. & 227. Laymanl. 1. t. 5. c. 6. num. 3. & alii.

II.

Quæres secundò: De modo quo fertur censura, nempe à jure vel ab homine, latæ sententiæ vel ferendæ, verbo, scripto, &c. Censura *à jure* ea est quæ fertur instar legis; seu perpetuò duratura, unde non cessat morte latoris, & vocatur statutum. *Ab homine* illa est quæ fertur per judicem aliquem, non instar legis, nec perpetuò duratura, sed solùm instar mandati, unde eo qui illam tulit vel physicè, vel civiliter morente expirat, & vocatur sententia: quamvis statutum seu censura à jure lata subinde vocetur sententia generalis: ita Coninck d. 13. d. 2. num. 11. Fill. cap. 3. num. 48. Bonacina d. 1. q. 1. p. 1. n. 5. Layman c. 2. n. 2. & alii.

Prædicta particula declaratur.

Censura *latæ sententiæ* est quæ ipso facto incurritur: *sententiæ ferendæ*, quæ & comminatoria dicitur, ea est quæ per judicem præcipitur infligenda. Quando sit latæ sententiæ ex tenore verborum judicandum, si nimirum sint in præsenti, ut eum excommunicationis vinculo innodamus: item si dicatur ipso facto, ipso jure, eo ipso excommunicatus, &c. sententiæ verò ferendæ signa sunt verba quæ ad judicem diriguntur præcipiendo quid agendum sit, & illius actionem significant, vel tempus futurum, ut quisquis hoc fecerit excommunicetur, excommunicationem incurret, &c. item si aliquid præcipiatur vel prohibeatur sub pœnâ excommunicationis.

Censura lata sententia & ferenda.

Præterea censura alia est *absoluta*, alia *conditionata*, hæc verò nisi conditione purificatâ non incurritur: unde si hoc modo feratur, quisquis tale furtum commiserit, nisi intra mensem restituat sit ipso facto excommunicatus, si intra tempus illud vel legitimè appellet, vel judex moriatur, aut defungatur officio, vel ejus jurisdictio suspendatur,

Censura absoluta & conditionata.

suspendatur, non incurritur excommunicatio. Idem fit si ante terminum elapsum mutet domicilium, sicque desinat esse subditus, modò tamen delictum ob quod fertur excommunicatio priùs non sit commissum, ut si feratur hoc modo, quisquis furtum committet sit ipso facto excommunicatus, nisi infra mensem satisfecerit, si quis ante furtum commissum mutet domicilium non incurrit censuram, licèt ibi furetur, imo nec si domicilium mutet post furtum commissum, ut ait Suarez d. 3. s. 5. n. 6. si ob publicum bonum, aut gravem causam discedat, & non in fraudem ad effugiendum judicium.

Non fertur licitè nisi scripto.

Ut licitè feratur censura, debet scripto ferri, in quo etiam causa exprimatur, alioqui peccat eam ferens, & suspenditur ab ingressu Ecclesiæ per mensem: ita Suarez d. 3. s. 13. Coninck d. 13. d. 9. num. 85. Fili. c. 4. num. 107. Bonacina d. 1. q. 1. p. 8. qui tamen ait Episcopum ab hac pœnâ eximi. Ut verò sit valida sufficit quòd judex vel verbo, vel aliâ quacunque ratione eam intimet.

III.

Quæres tertiò: Quomodo vis aut metus vel in ferente censuram, vel in eo in quem fertur liberet ab eâ incurrendâ? Quoad primum cen-

Metus judicii incursus non liberat à censurâ.

sura quæ per metum judici eam ferenti incussum fertur, est valida: ita Suarez d. 2. s. 5. num. 6. Coninck d. 13. d 5. n. 36. Bonacina d. 1. q. 1. p. 12. n. 1. Ratio est, nam nec jure naturæ invalidatur; gesta enim per metum jure naturæ non sunt invalida, nec jure positivo; nullus enim asserri textus potest, ubi hujusmodi censura reddatur invalida, quod enim c. *Unico* in 6. dicatur absolutionem à censurâ metu extortam esse invalidam, non probat esse similiter invalidam illius lationem, in jure siquidem positivo argumentum à pari non tenet, ut fatentur omnes.

Metus verò gravissimus excusat ab incurrendâ censurâ.

Quoad secundum metus gravis, seu cadens in constantem virum excusat ab incurrendâ censurâ, præsertim excommunicatione: ita Suarez d. 4. s. 3. n. 12. Coninck d. 13. d. 12. Filiuc. t. 11. c. 6. n. 171. & c. 8. n. 268. Layman l. 1. t. 5. c. 5. n. 9. Bonacina d. 1. q. 2. p. 3. n. 2. & alii. Ratio est, quia hîc nulla est contumacia, nec præcepta Ecclesiæ obligant cum tanto incommodo, quando scilicet adhibetur vis aut metus gravis mali, ut præter citatos docet Sanchez l. 1. mor. c. 18. Unde si esset lata excommunicatio contra committentes incestum, qui hunc metu mortis committeret, esto peccaret mortaliter contra legem naturæ, non tamen contra legem Ecclesiasticam, sicque non incurreret excommunicationem.

Aliqua tamen sunt exceptiones.

Quando verò metus non excusat à præcepto Ecclesiæ, vel quia levis est, vel quia præceptum Ecclesiæ obligat etiam sub gravi periculo, non excusat à censurâ. Unde qui metu mortis profiteretur hæresim incurreret excommunicationem contra hæresis professionem latam: ita Sanchez, Coninck num. 102. & alii. Hoc, & nihil aliud probatur ex c. *Sacris*; hoc enim ibi dicit Pontifex, metum scilicet non excusare à pœnâ, quia non excusat à culpâ, nempe contra præceptum Ecclesiæ, de quo ibi est sermo.

IV.

Absolvi in foro interiore.

Quæres quartò: Quid sit aliquem absolvi in foro interiori, vel conscientiæ, ad cautelam, & reincidentiam. Absolvi *in foro interiori* est ita ab eo cui absolvendi facultas concessa est absolvi, ut superior jus sibi retineat de illo crimine publicè cognoscendi, & pro eo pœnam & satisfactionem injungendi: ita Suarez d. 7. s. 5. num. 30. Sanchez in Decal. l. 2. c. 11. n. 13. Filiu. t. 11. c. 9. n. 292. Layman t. 5. c. 7. n. 7. Bonacina d. 1. q. 3. p. 10. & alii.

Quomodo hic se possit gerere.

Hoc ergo modo absolutus potest se privatim gerere tanquam non excommunicatum, & cessante scandalo, imo & publicè eo se modo gerere posset si sciretur talem tempore Jubilæi, ubi facultas ab excommunicatione absolvendi concedi solet, à Confessario eam facultatem habenti fuisse absolutum, & condignam satisfactionem exhibuisse, aut si ipse Confessarius hoc publicè testaretur: quibus casibus non eget novâ absolutione in foro externo: ita Auctores citati contra Valentiam to. 4. d. 7. q. 17. p. 8.

Absolutio ad cautelam.

Absolutio *ad cautelam* est, quæ impenditur quando dubitatur num quis censuram incurrerit; abundans enim cautela non nocet, unde & semper præmitti priùs solet quàm pœnitens à peccatis absolvatur: ita Suarez d. 7. s. 8. n. 13. Coninck d. 14. d. 16. n. 200. Bonacina d. 1. q. 3. p. 6. Filiuc. t. 11. c. 10. n. 311. Layman l. 1. t. 5. c. 7. num. 8.

Ad reincidentiam.

Absolutio *ad reincidentiam* duplex est, propria & impropria, Impropria est quæ ponitur in rescriptis Pontificum his verbis, *Ad hunc effectum dumtaxat*, & est solùm dispensatio ad tale officium vel beneficium recipiendum, cujus per excommunicationem erat incapax, unde quoad omnes alios effectus manet adhuc excommunicatus.

Quid sit propriè.

Propria ergo absolutio ad reincidentiam est, quando verè tollitur aut suspenditur excommunicatio, in quam tamen vel similem postea reincidit, nisi præfixo tempore conditionem, sub quâ suspensa est censura, ponat, ut si parti læsæ non satisfaciat, coram superiore non compareat, &c. tunc enim censura reviviscit: ita Suarez d. 7. s. 8. num. 16. Coninck d. 14. d. 16. n. 216. Bonacina d. 1. q. 3. p. 3. n. 16. Filiuc. t. 11. c. 10. n. 313. Layman l. 1. t. 5. c. 7. n. 8. & alii.

V.

Quid dicendum de Censuris non reservatis.

Quæres quintò: Quis habeat facultatem absolvendi à censuris, & quid de articulo mortis? Quoad censuras non reservatas à quocunque auferri possunt qui habet potestatem absolvendi à mortalibus, idque sive à jure latæ sint, sive ab homine per sententiam generalem: ita Coninck d. 14. d. 16. n. 257. Henriquez l. 13. c. 28. Valentia t. 4. d. 7. q. 17. p. 8. Layman l. 1. t. 5. c. 7. n. 3. Tol. l. 1. c. 16. n. 7. Bonacina d. 1. q. 3. p. 1. & alii. Ratio est, tum quia sententia generalis æquivalet statuto, à quo in jure c. *Nuper* conceditur iis facultas absolvendi: tum præcipuè quia eo ipso quòd superior censuram non reservavit, censetur aliis concedere facultatem ab eâ absolvendi: Suarez tamen d. 7. s. 2. n. 23 Filiucius cap. 9. num. 302. & alii nonnulli negant quoad censuras ab homine latas per sententiam generalem.

Quid de reservatis.

Circa censuras verò reservatas, sive à jure latæ sint sive ab homine, non potest ab iis absolvere nisi vel is qui tulit, vel superior ejus aut successor, vel tandem cui specialis ad id facultas fuerit demandata. Quod etiam de particulari sententiâ contra particularem personam dicendum, alioqui perturbaretur forma judicii, si cuivis id liceret.

Casus reservati Pontificis.

Episcopi etiam ex facultate sibi à Concilio Tridentino concessâ sess. 24. c. 6. possunt à casibus & censuris Summo Pontifici reservatis absolvere, si vel delicta occulta sint, vel delinquentes Pontificem adire non possint: ita Sanchez in Decal. l. 2. c. 11. Suarez disp. 41. sect. 2. Bonacina d. 1. q. 3. p. 2. & alii.

Quoad

Quid in articulo mortis.

Quoad secundum quivis simplex Sacerdos, etiam degradatus, excommunicatus, aut hæreticus in mortis articulo absolvere potest à quibuscunque casibus reservatis & censuris, saltem quando non patet aditus ad Superiorem, vel Confessarium approbatum, qui velit absolvere: ita Suarez disp. 7. sect 7. Sanchez in Decal. l. 2. c. 13. Valentia tom. 4. d. 7. q. 10. p. 2. Coninck de Pœnitent. d. 8. d. 12. n. 90. Bonacina d. 1. q. 3. p. 3. n. 3. & alii. Imo Sa verbo *Absolutio* num. 3. & Rodriguez 1. part. quæst. 59. conclusione 3. putant id posse simplicem Sacerdotem, etiam præsente Superiore aut Confessario approbato.

Hujus rei ratio.

Ratio assertionis desumitur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. ubi ait omnes Sacerdotes posse in articulo mortis absolvere quoslibet pœnitentes à quibuscunque peccatis & censuris, & Ecclesiam nolle ut in eo articulo ulla sit reservatio, ne hac occasione aliquis pereat.

Differentia inter censuras & casus reservatos.

Hæc tamen est differentia inter absolutum à casibus reservatis in articulo mortis, & à censuris reservatis, quod quando quis ab his absolvitur à Sacerdote non habente facultatem nisi in articulo mortis absolvendi à censuris, juramentum præstare debeat sistendi se Superiori, ubi commodè poterit, quod nisi postea faciat, in easdem censuras recidit: quod tamen non est necessarium in casibus reservatis.

VI.

Absolvi potest absens.

Quæres sextò: An possit absolvi absens, ignorans, invitus, contumax, aut qui parti læsæ non satisfecit, an debeat esse persona distincta ab absolvente, & quæ solemnitas in absolutione servanda? Absens validè, & subinde licitè absolvitur; sicut enim absens censura ligari potest, ita & ab eadem absolvi: ita Suarez disp. 7. sect. 7. n. 4. Bonacina d. 1. q. 3. p. 4. n. 4. Filiucius tract. 11. c. 10. n. 324. Layman lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 6. n. 9. Unde, ut ait Suarez & Filiucius est communis praxis in rescriptis Pontificum. Utrùm autem statim absolvatur ac sententia absolutionis profertur, an ubi literæ ad illius manus pervenerint, pendet ab intentione absolventis.

Quid de invito, ignorante, contumace.

Ignorans validè & licitè absolvitur. Invitus similiter, imo & contumax validè absolvitur; judex enim sicut liberè & non necessariò censuram peccanti inflixit, ita nec eam necessariò continuat. Imo S. Thom. in 4. d. 18. a. 5. quæstiuncula 2. affirmat hoc quandoque fieri posse licitè, si nimirum ad specialem rei salutem expedire judicetur: ita Suarez num. 5. Coninck n. 224. Bonacina n. 3. Filiucius n. 325. Layman n. 9. & alii. Invitus tamen aut contumax absolvi, ne quidem validè potest ab eo qui tantùm habet potestatem delegatam absolvendi solùm in foro pœnitentiæ.

Si quis non satisfecit parti læsæ.

Qui non satisfecit parti læsæ, esto culpabiliter non satisfecerit, potest nihilominus absolvi validè ab habente potestatem ordinariam, vel etiam delegatam non limitatam; quicquid enim ille jure potest, hic potest ex privilegio. Nequit tamen eum absolvere qui habet potestatem delegatam limitatam absolvendi solùm ubi parti satisfecerit, ut si dicatur non valeat absolutio nisi parti satisfecerit, vel aliter non profit absolutio, &c. Si autem solùm præcipiat ut priùs curet parti satisfieri, absolutio est valida. Unde semper inspiciendus est tenor verborum. Si detur potestas hac formâ: *Absolvatur satisfactâ parte*; Suarez disp. 7. sect. 5. n. 44. Coninck n. 211. Filiucius c. 9. num. 295. Cajetanus & alii negant absolutionem esse validam. Sanchez tamen libro 2. de Matrimonio d. 9. & libro 3. d. 33. Bonacina p. 9. n. 9. Layman n. 8. & alii affirmant esse validam, & illàs particulas solùm addi ut absolventem commoneant sui officii; nisi enim priùs curet parti satisfieri, gravissimè peccat contra charitatem, & ut multi volunt, contra justitiam, si id sine urgente causâ præstet.

Nullus seipsum absolvat.

Nemo seipsum absolvere potest à censurâ, cùm hîc sit tribunal in foro contentioso, in quo semper requiritur distinctio partium.

De solemnitate in absolutione.

Solemnitas (quæ in foro tantùm externo requiritur, nec etiam ubique est in usu) hæc plerumque usurpatur. Vir qui ab excommunicatione absolvitur flexis genibus & nudatis humeris leviter cædi debet virgâ, fune, vel flagello, dum Psalmus *Miserere*, aut alius ex Pœnitentialibus recitatur, deinde dicitur *Kyrie eleison*, &c. *Pater noster*, &c. *Salvum fac*; &c. postea Oremus *Deus cui proprium est*, &c. Mox profertur forma absolutionis. Hæ tamen cæremoniæ non sunt de absolutionis essentiâ: ita Suarez disp. 19. sect. 2. num. 11. Bonacina d. 1. q. 3. p. ultimo, num. 5. & alii.

SECTIO TERTIA.

De Excommunicatione.

I.

Quid sit Anathema.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio: & quinam excommunicati sint vitandi? Excommunicatio est censura Ecclesiastica, separans ab aliquâ fidelium communione. Dicitur subinde *Anathema* (quæ vox excommunicationi tantùm majori convenit) id est execratio, maledictio, separatio, & majori cum solemnitate fit ad terrorem incutiendum; duodecim enim Sacerdotes Episcopum circumstant candelas accensas manibus tenentes, quas, ubi prolata est sententia, in terram dejiciunt, & pedibus conculcant.

Excommunicatio major & minor.

Excommunicatio duplex est, *Minor*, quæ privat susceptione Sacramentorum, & *Major*, quæ absolutè à communione fidelium separat, quæ proinde antonomasticè & simpliciter dicitur Excommunicatio: ita Suarez disp. 8. sect. 3. num. 8. Tolet. lib. 1. cap. 5. Coninck d. 14. d. 1. num. 2. Filiucius tract. 14. cap. 1. n. 3, & 6. Bonacina d. 2. q. 1. p. 2. n. 1. Layman l. 1. tract. 5. p. 2. c. 1. n. 2. & c. 3. n. 4. & alii.

Excommunicati tolerati, & non tolerati.

Quoad secundum notandum excommunicatos alios esse toleratos, seu qui denuntiati non sunt, alios non toleratos, qui nimirum sunt denuntiati, ac proinde vitandi, nisi post denuntiationem legitimè appellent. Quamvis ergo Concilium Basileense in decreto quodam confirmato à Leone X. in Concilio Lateranensi statuat vitandos esse omnes notoriè excommunicatos, usus tamen totius Ecclesiæ obtinuit, ut servetur decretum Concilii Constantiensis, nempe ut nullus teneatur vel in sacris vel profanis vitare excommunicatum, quantumvis sciatur esse excommunicatus, nisi facta sit excommunicationis denuntiatio, declarando scilicet esse excommunicatum, vel voce in Templo, vel per affixas schedulas, aut aliâ simili ratione. Unde in Germaniâ, Galliâ, & Belgio passim cum hæreticis versantur catholici. Et hoc verum est, etiam in nominatim excommunicato, idque per sententiam particularem.

Excipitur notorius percussor clerici.

Excipitur unus tantùm casus, si nimirum sit notorius percussor clerici notoreitate facti, ita scilicet ut facinus nulla ratione celari possit, & juris, quod

quod nimirum nulla via probabili excusari queat, dicendo nempe se id in defensionem sui fecisse, nesciviſse fuisse clericum, &c. ita Suarez disp. 9. sect. 2. num. 11. Coninck disp. 14. dub. 2. n. 11. Filiucius tract. 13. cap. 4. n. 62. Bonacina d. 2. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 3. Layman l. 1. tract. 5. punct. 2. c. quarto, & alii.

Quis sit notorius percussor clerici.

Quæres: Quis censeatur notorius clerici percussor? Soto & alii dicunt sufficere decem testes: Sylvester sex. Probabilius tamen est quod affirmat Suarez, Filiucius, Bonacina, Layman, & alii, standum scilicet esse arbitrio prudentis viri, & plures ad hoc requiri testes, quo communitas est major. Unde Bonacina num. 6. ait decem testes non sufficere pro magnâ civitate; sic tamen pro collegio aut viciniâ. Qualitas etiam testium & conditio spectanda est.

Ubi hujusmodi homo sit vitandus.

Notorius autem clerici percussor, aut publicè denuntiatus ibi solùm vitandus publicè est, ubi denuntiatio vel percussio est publica, aliis autem locis solùm vitandus est occultè: Suarez num. 12. Filiucius n. 67. asserunt si unus vel pauci tantùm videant aliquem percutientem clericum, debere eos privatim illum vitare, licèt non publicè, cùm iis constet factum illud notoriè. Alii tamen omnes negant talem vel privatim ab iis vitandum, donec factum publicetur, ante hoc enim non est notorium.

II.

Decretum juris.

Quæres secundò: Quomodo, seu per quas actiones incurratur excommunicatio percussionis clerici, & quis hic intelligatur nomine clerici? Cap. *Si quis suadente* 17. q. 4. sic habetur: *Si quis suadente diabolo manus violentas in clericum vel monachum injecerit; anathematis vinculo subjaceat.*

Quis censeatur clericus.

Clerici nomine hic intelligitur, quisquis aliquo ordine, etiam primâ tonsurâ validè (id est non per vim, vel ante baptismum, &c.) est initiatus, idque licèt conjugatus sit, modo habitum & tonsuram gerat: imo licèt sit excommunicatus, irregularis, suspensus, aut depositus. Hi omnes gaudent hoc privilegio.

Quinam hoc privilegio orbentur.

Hoc verò privilegio privatur inprimis clericus realiter degradatus, & non tantùm verbaliter, seu depositus. Secundò, bigamus in minoribus, seu bigamiâ verâ vel interpretativâ, non tamen fictâ seu similitudinariâ, nempe qui post sacros ordines matrimonium contraxit & consummavit; hic enim adhuc gaudet privilegio. Tertiò, si agat militem, si enormitatibus se immisceat grassando, &c. Quartò, si ter monitus non desistat à ferendis armis, vel arte mimicâ exercendâ. Quintò, si clericus conjugatus officium cauponis vel lanionis exerceat, & ter monitus, vel intra tempus ab Episcopo præscriptum non desistat.

Quis intelligatur nomine monachi.

Nomine Monachi intelliguntur quicumque religiosi, etiam bigami, imo conversi & novitii. Idem est de Tertiariis S. Francisci & S. Dominici, si in communi vivant; hi enim veri sunt religiosi. Ad Eremitas etiam sub Prælato viventes extenditur hoc privilegium, licèt professionem non emittant. Moniales etiam professæ, conversæ, & novitiæ, modo domi propriæ non vivant instar laicarum: ita Suarez disp. 22. sect. 1. num. 6. & 19 Filiucius tract. 15. cap. 1. num. 8. & 14. Coninck disp. 14. dub. 15. n. 1. Bonacina d. 2. q. 4. p. 3. num. 1. & 7. Layman lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 4. & alii.

Quid sit violentas manus injicere.

Qui itaque violentas manus in clericum ipsum, vel rem ei adhærentem, aut eum deferentem grâvi cum injuriâ injecerit, vestem scilicet ejus ignominiosè lacerando, equum quo vehitur fræno violenter sistendo, eum conclusum veluti in carcere detinendo, &c. incurrit excommunicationem. Non tamen si crumenam ei clanculum surripiat, aut dormientem spoliet, cùm non sit actio violenta, sicut nec si vestes clerici, quas actu non gerit, laceret, multo minùs qui verbis eum contumelioſis excipit.

Quid si quis clericum volentem cædat.

Secundò, qui clericum, etiam volentem, ita percutit, ut actio externa censeatur graviter injuriosa, vel physicè vel moraliter, ut si quis eum gladio aut veneno interficiat, si injuriosè cōspuat, si virgâ ignominiosè cædat, &c. incurrit excommunicationem, idque sive laicus sit sive clericus, pubes vel impubes, vir aut fœmina. Imo eandem incurrit clericus ex irâ, seu suadente diabolo, percutiens graviter seipsum. Excusantur tamen clerici impuberes rixis & pugnis inter se contendentes, ob levitatem materiæ: ita Suarez disp. 22. sect. 1. num. 23. Filiucius tract. 15. cap. 1. num. 15. Bonacina d. 2. q. 4. p. 1. Layman lib. 1. tract. 5. punct. 2. cap. 5. num. 3. Coninck disp. 14. dub. 15. num. 165.

III.

Mandans incurrit hanc excommunicationem.

Quæres tertiò: Utrùm mandantes & consulentes hanc excommunicationem incurrant? Hanc etiam excommunicationem peculiariter incurrunt mandantes & consulentes, si percussio sequatur, idque licèt mandans mandatum antè revocaverit, si illa revocatio ad mandatarium non pervenerit. Incurrit etiam is qui signo aliquo externo ratam habet percussionem illius nomine factam, licèt omnino in eam non influxerit, modò tamen eo tempore quo facta est percussio influêre potuerit, ut si tunc non fuerit amens, &c. Incurrit præterea non impediens cùm posset, & ex officio teneretur: quamvis, si omnino non consentiat, contrarium non careat probabilitate: ita Suarez disp. 22. sect. 1. num. 55. Filiucius tr. 15. cap. 1. num. 28. Bonacina d. 2. q. 4 p. 1. §. 2. n. 1. Coninck disp. 14. dub. 15. num. 171. Layman l. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 6. & alii.

IV.

Communicans cum eo in Sacris, peccat mortaliter.

Quæres quartò: Quale peccatum sit communicare cum excommunicato vitando: & in quibus casibus cum eo communicare liceat? Communicans publicè in divinis cum excommunicato vitando, ut in publicâ Officii recitatione, peccat mortaliter, nisi materia sit levis, ut dum brevis aliquis Psalmus in Ecclesiâ cantatur. Et idem est de administratione alicujus Sacramenti ei factâ, sepulturâ, & similibus; hæc enim omnia expressè in variis canonibus sunt prohibita: ita Suarez disp. 10. sect. 2. n. 2. & disp. 15. sect. 2. n. 7 Coninck disp. 14. dub. 5. n. 22. 32. & 33. Bonacina d. 2. q. 2. p. 2. §. 2. & p. 3. §. 1 n. 11. Filiucius tract. 12. cap. 3. num. 64. & cap. 4. n. 89. Layman l. 1. tract. 5. p. 2. c. 3. n. 2. & alii.

Quid si quis communicet in humanis.

Communicans in humanis cum excommunicato vitando committit peccatum venialo, & incurrit excommunicationem minorem: frequenter verò & ex instituto id facere foret mortale; esset enim graviter contraire præcepto & fini ab Ecclesiâ per excommunicationem intento; aptum enim est reddere eum contumacem, & ut contemnat claves Ecclesiæ: ita Suarez disp. 15. sect. 2. Filiucius tract. 13. c. 3. n. 44. Coninck disp. 14. dub. 14. num. 149. Bonacina d. 2. q. 2. p. 6. §. 1. num. 4. Layman lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 3. num. 3. & alii.

Communicans in crimine criminoso.

Hinc à fortiori sequitur, communicantem cum excommunicato in crimine criminoso, hoc est consilium, auxilium, aut favorem ei suppeditando, quo in Contumaciâ perseveret, committere

tere peccatum mortale, & majorem excommunicationem incurrere: ita Suarez d. 17. sect. 2. n. 5. Filiu. tr. 12. c. 9. n. 222. Bonac. n. 8. & alii.

In quibus casibus liceat communicare cum excommunicato vitando.

Quoad secundum varii sunt casus, in quibus à Gregorio VII. permissum est communicare cum excommunicato vitando, qui hoc carmine continentur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vtile, id est utilitas notabilis spiritualis vel corporalis, nostra vel excommunicati, ut dare vel petere ab eo consilium, cùm non adest alius æquè peritus. *Lex*, nempe matrimonii, uxoris respectu mariti excommunicati, & hujus respectu excommunicatæ uxoris; etiam in divinis in iis, quæ ad eorum statum pertinent; sunt enim correlativa. Imo tenentur sibi invicem communicare in officiis omnibus conjugalibus. *Humile*, filii, generi, privigni, respectu parentum, famuli (iis exceptis quorum operâ facinus admissum est, & in contumaciâ dominus perseverat) respectu dominorum, & econtra, parentes & domini respectu filiorum & famulorum. Quæ tamen intelliguntur de conjugatis & famulis ante latam excommunicationem, non pòst, nisi excusset necessitas. *Res ignorata*, hoc est ignorantia excomunicationis. *Necesse*, unde egenti dari potest eleëmosyna. Hoc etiam titulo vis & metus gravis hanc cum excommunicato communionem licitam faciunt, præcepta enim Ecclesiæ cum tantò damno non obligant: ita Suarez d. 15. s. 3. 4. & 5. Sanchez l. 9. de matrimonio, d. 14. Coninck d. 13. d. 11. & d. 14. d. 12. Bonacina d. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 7. Filiuc. t. 13. c. 6. Lay. l. 1. t. 5. p. 2. c. 2. n. 16. & alii.

V.

Sacerdos tres personas sustinet.

Quæres quintò: An, & quomodo excommunicati priventur suffragiis Ecclesiæ? Notandum primò, Sacerdotem in missâ tres personas sustinere, Christi, in quantum est minister ab eo ad hoc munus deputatus, ut ipsius nomine sacrificium offerat: Ecclesiæ, in quantum etiam ab illâ ad hoc deputatur, sitque ipsius quasi apud Deum legatus: tertiam privatæ personæ.

Quid sint suffragia.

Notandum secundò, per suffragia Ecclesiæ præter sacrificium Missæ, intelligi horas canonicas, supplicationes, & similia, in quibus clericus orat nomine Ecclesiæ. Alia verò sunt suffragia privata, nempe orationes privatim recitatæ, jejunia, eleëmosynæ, &c.

Non licet Missam pro excommunicato offerre.

Dico primò, Sacerdos Missæ sacrificium pro excommunicato offerens nomine Christi, peccat quidem mortaliter, validè tamen facit, unde & habebit effectum tam quoad impetrationem quàm satisfactionem pro capacitate illius pro quo offertur, quare si esset contritus, seu in gratiâ haberet plenum effectum. Prima pars probatur; Ecclesia enim juxta Tridentinum sess. 21. & 22. est hujusmodi bonorum dispensatrix. Secunda etiam pars constat, nam sacrificium, sicut & sacramentum excommunicato applicatum, si ponantur essentialia, habebit effectum, nisi sit obex in subjecto.

Quid si offeratur Missa pro eo nomine Ecclesia.

Dico secundò, Sacrificium Missæ (idem est de aliis Ecclesiæ suffragiis præterquam in die Parasceves) pro excommunicato oblatum nomine Ecclesiæ, nec licitè pro eo offertur, sed peccat mortaliter offerens, nec validè. Ratio est, quia Ecclesia hoc prohibet, & declarat nullam se ei hac in parte commissionem dedisse, ut illius legatum ageret, sicque subtrahit concursum moralem quoad hunc effectum: ita Suarez d. 9. s. 4. Fil. t. 12. c. 2. n. 47. Coninck d. 14. d. 6. Bonacina d. 2. q. 2. p. 1. Layman l. 1. t. 5. p. 2. c. 2. n. 2. & alii communiter. Et hoc verius existimo cum Suario, Coninck, Filiucio, Bonacina, Lay. & aliis, quamvis excommunicatus ille sit contritus, & emendatus; donec enim sit absolutus privatur suffragiis publicis Ecclesiæ, licèt Navarrus, Sayrus, Avila, Valentia t. 4. d. 7. q. 17. p. 8. sine sentiant contrarium.

Aliud est de excommunicatis toleratis.

P. Suarez s. 2. Filiucius, Bonacina, & alii dicunt, hoc intelligendum etiam esse de excommunicatis toleratis. Probabilius tamen puto cum Sayro, Henriquez, Coninck, Tannero, & aliis contrarium, ob permissionem illam Concil. Constant. Dico ergo pro his publicè orari posse; concedendo enim directè aliis, ut possint cum iis communicare in Sacris, eâdem operâ concedit hoc indirectè illis, sicut omnes fatentur de communicatione in civilibus. Ut autem suffragia Ecclesiæ, & Missæ sacrificium iis nomine Ecclesiæ prosit, debent peculiariter illis applicari, alioquin ipsis gratiam aliquam directè concessisset Concilium.

Licitum est privatim orare pro excommunicatis.

Dico tertiò, orationes privatæ tam à Sacerdote, quàm ab aliis & licitè & validè offeruntur pro excommunicatis, etiam vitandis; quicquid enim sit de possibili, de facto tamen hoc Ecclesia nunquam prohibuit: ita Auctores omnes citati. Imo Suarez, Filiucius, Bonacina, & alii affirmant posse Sacerdotem tempore Missæ in memento, & privatim pro iis orare.

VI.

Inhabilis est ad beneficia Ecclesiastica.

Quæres sextò: Utrùm excommunicatus reddatur inhabilis ad beneficia Ecclesiastica, & num privetur jurisdictione, & commercio forensi ac civili? Excommunicatus (etiam toleratus, imo licèt ignoret se excommunicatione ligatum esse, aut eam sublatam putet) inhabilis est ad beneficia Ecclesiastica: unde & collatio beneficii ei tempore excommunicationis facta, inhabilis est: ita Suarez d. 13. s. 1. Filiucius t. 12. c. 5. n. 113. Bonacina d. 2. q. 2. p. 4. §. 1. Coninck d. 14. d. 9. Layman l. 1. t. 5. p. 2. c. 2. n. 7. Henriquez l. 13. c. 13. & alii.

Quid de Beneficio ante collato.

Suarez, Coninck, & alii nonnulli hoc extendunt ad beneficium collatum ante excommunicationem, sed post eam jam inflictam acceptatum. Bonacina tamen, Sayrus, Filiucius, Azor 2. p. l. 7. c. 23. q. 5. & alii aiunt collationem illam esse validam. Qui verò beneficium ante excommunicationem obtinuit, postea quando in eam incidit non privatur fructibus ante sententiam judicis.

De Pensione.

Pensionis collationem excommunicato factam negat communis sententia esse validam. Valdè tamen probabiliter affirmat Præpositus, Avila, & alii, cùm non sit beneficium. Coninck relatis utriusque sententiæ fundamentis ad neutram se determinat.

Privatur excommunicatus vitandus omni jurisdictione.

Quoad secundum excommunicatus vitandus privatur omni jurisdictione spirituali, unde invalidè jus dicit in foro contentioso, invalidè confessiones audit, imo invalidè facultatem ad eas audiendas concedit, invalidè confert beneficia, &c. ita Suarez d. 14. s. 1. Coninck d. 14. d. 10. Bonacina d. 2. q. 2. p. 5. Filiucius c. 6. n. 144. Layman c. 2. n. 13. & alii, nisi per accidens, ut ubi habet titulum coloratum cum communi errore populi, lege *Barbarius* ff. de officio Prætoris.

Aliud est de non vitando.

Quare si non tolerati jus dicant, aut excommunicent, tenentur fideles iis non obedire; hoc enim esset cum iis communicare. At verò toleratus

leratus validè hæc omnia præstat in gratiam aliorum, unde & excommunicare potest, saltem ad instantiam alterius: quòd si id suâ sponte faciat, vel non valet excommunicatio, vel potest contra eam excipi, & sententia irritari.

Quid censendum de commercio forensi.

Quoad tertium, excommunicatus non toleratus privatur omni commercio forensi, iis exceptis quæ ei sunt onerosa, unde esse nequit judex, actor, notarius, procurator, testis, &c. imo acta omnia per eum in hoc genere facta sunt irrita. Si verò sit toleratus potest contra eum excipi, si non excipiatur, acta sunt valida. Possunt etiam excommunicati debitum pecuniarium privatim petere (non publicè) & alter tenetur ei solvere: ita Suarez d. 16. s. 1. Lessius l. 2. c. 29. d. 7. n. 69. Coninck d. 14. d. 10. Bonacina p. 7. & alii.

De commercio civili.

Tandem privat excommunicatio commercio civili, hoc est convictu humano, collocutionibus, &c. nisi ubi necessitas excusat. In his tamen, ut plurimum, peccat solùm venialiter.

VII.

His omnibus privatur.

Quæres septimò: Quomodo excommunicatus privetur divinis officiis, & ecclesiasticâ sepulturâ? Quoad primum, nec clerici excommunicati possunt Missam celebrare, (idem est de aliis, ut de supplicationibus, collatione ordinum, horis canonicis publicè decantatis, &c.) nec alii excommunicati audire. Unde si excommunicatus quispiam ingrediatur tempore Sacri, moneri debet ut discedat, imo & expelli si citra sanguinis effusionem fieri possit: quod si egredi nolit, reliqui debent statim discedere, imo & Sacrum relinqui, si contingat ante consecrationem, vel ut aliqui volunt, ante canonem inchoatum. Si autem sit post consecrationem, Sacerdos cum ministris pergere debet usque ad consummationem, & reliqua vel in sacristiâ perficere, vel relinquere. Si verò monitus non discedat, novam excommunicationem incurrit Papæ reservatam.

Quid si ingrediatur templum excommunicatus.

Quid de tolerato.

Clericus tamen excommunicatus tenetur recitare officium tam ratione ordinis, quàm beneficii: dicere tamen non debet *Dominus vobiscum*, sed *Domine exaudi orationem meam*, instar laici. Hæc etiam intelliguntur de excommunicato tolerato; peccat enim ingerendo se in preces publicas, nisi illius operâ indigeant, ut ad inserviendum Sacro, &c. non tamen tenentur alii Sacrum relinquere, nec eum monere ut discedat: ita Suarez d. 12. s. 1. n. 3. Filiucius t. 12. c. 4. n. 88. Bonacina d. 2. q. 2. p. 3. n. 1. Coninck d. 14. dub. 7. Layman lib. 1. tract. 5. punct. 2. c. 2. n. 6. & alii.

De Ecclesiasticâ sepulturâ.

Quoad secundum, moriens excommunicatus quantumvis pœnitens & contritus privatur ecclesiasticâ sepulturâ; regula enim juris est, *Quibuscum vivis communicare non licuit, nec licere cum iisdem mortuis.* Toleratos ergo, etiam hæreticos, quantum est ex vi censuræ, sepelire ritu ecclesiastico permissum est; cum iis enim communicamus vivis. Aliunde tamen hoc non licet, nam c. *Placuit*, & c. 3. de usuris, vetitum est evidenter criminosos, & impœnitentes mortuos donare ecclesiasticâ sepulturâ: ita Suarez d. 12. s. 4. Filiucius t. 12. c. 4. n. 105. Coninck d. 14. d. 8. n. 59. Bonacina d. 2. q. 2. p. 3. §. 3. n. 1. Layman l. 1. t. 5. p. 2. c. 2. n. 19.

Quid de sepelientibus.

Sepelientes ergo excommunicatum vitandum in loco sacro peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem majorem & reservatam, quod Suarez, Filiucius, & Coninck extendunt ad mandantes: quamvis Henriquez, Bonacina, & alii hoc negent.

Exhumanda sunt ejus ossa.

Si verò contingat excommunicatum vitandum in loco sacro sepeliri, exhumanda sunt ejus ossa, si dignosci possint, & ex illo loco ejicienda. Locus etiam redditur pollutus, nec in eâ Ecclesiâ celebrari priùs possunt divina officia, quàm ossa illa ejiciantur, & locus reconcilietur, vel si dignosci ossa nequeant, sufficit Ecclesiæ reconciliatio.

VIII.

Sermo est de excommunicato vitando.

Quæres octavo: Quomodo excommunicatus privetur usu activo & passivo Sacramentorum? Quoad primum, sermo est de excommunicato vitando; toleratus enim Sacramenta omnia & validè conficit, cùm jurisdictione non privetur, & administrat licitè, quoties ab eo fideles justâ de causâ petunt, nempe ubi adest necessitas vel considerabilis aliqua utilitas: ita Suarez d. 11. s. 4. n. 11. Valentia t. 4. d. 7. q. 11. p. 3. Coninck d. 14. d. 5. Filiucius t. 12 c. 3. n. 72. Imo Sanchez l. 7. de matri. d. 9. n. 8. Bonacina d. 2. q. 2. p. 2. §. 3. n. 4. & alii nullam aiunt requiri necessitatem, ut quis à quocumque tolerato, sive sit parochus, sive non, petat administrationem Sacramenti.

Quid si is Sacramenta administret.

Excommunicatus autem vitandus, si Sacramenta administret, peccat mortaliter, fitque irregularis, nisi vel necessitas propria excuset, ut ad vitandam infamiam, vel aliena, ut in articulo mortis; tunc enim secundùm omnes licet à quocumque excommunicato, etiam præciso seu hæretico Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ recipere, idque quamvis ea ritu hæretico administret: ita Auctores citati.

De administratione Eucharistiæ.

Idem (modo ritu catholico administretur) censet Suarez, Bonacina, Coninck, & alii de sacrosanctâ Eucharistiâ in articulo mortis, imo & de Extremâ-unctione, quando infirmus est incapax alterius Sacramenti, per accidens enim reddit ex attrito contritum.

Sacramentalia.

Excommunicatus vitandus non sacramentalia tantùm (utpote quæ ordini annexa sunt, non jurisdictioni) qualia sunt benedictio aquæ lustralis, consecratio altaris, &c. sed etiam Sacramenta omnia validè conficit, præter Pœnitentiam, defectu scilicet jurisdictionis, nisi titulum habeat coloratum cum communi errore populi; tunc enim dat ei Ecclesia jurisdictionem, lege *Barbarius* ff. de officio prætoris. Semper etiam excipitur articulus mortis: ita præter citatos Lay. l. 1. t. 5. p. 2. c. 2. n. 5.

Quid si peccata ei sint remissa.

Quoad secundum, excommunicatus, etiam toleratus, imo contritus, vel etiam confessus, & à peccatis absolutus, si maneat censura, peccat graviter, per se loquendo, si ad Sacramentum ullum accedat præter Sacramentum Pœnitentiæ. Quod à fortiori verum est de non tolerato, nisi magna necessitas, ut articulus mortis, gravis infamia, aut scandalum vitandum cum excuset.

Validè accipit Sacramenta.

Excommunicatus, etiam vitandus, validè accipit Sacramenta, quantumvis maneat excommunicatus, imo & pœnitentiam, si bonâ fide accedat ad Sacerdotem, qui à peccatis illis absolvere eum potest, non à censurâ, (si ignoret se esse excommunicatum) quibus casibus & validè accipit Sacramentum, & fructuosè; tolluntur enim peccata, quamvis maneat censura, sicque adhuc remanet excommunicatus.

IX.

Excommunicatio minor.

Quæres nono: Quid sit excommunicatio minor, quos effectus habeat, & quis ab eâ possit absolvere? Excommunicatio minor est censura Ecclesiastica inflicta ob participationem cum excommu-

excommunicato vitando, sive vivo, sive mortuo, ut si corpus ejus lavet, vestiat, ad sepulturam comitetur, &c. Ad eam verò contrahendam sufficit communicatio venialis tantùm, etiam in humanis: ita Suarez d. 24. s. 1. Coninck d. 14. d. 17. Filiucius t. 13. c. 1. n. 1. Bonacina d. 2. q. 3. n. 2. Layman l. 1. t. 5. p. 2. c. 3. num. 4. & alii.

Primarius ejus effectus. Effectus illius primarius est privare passivâ participatione, seu susceptione Sacramentorum; unde si quis hoc vinculo innodatus Sacramentum aliquod suscipiat, peccat mortaliter, imo Sacramentum Pœnitentiæ invalidè suscipit, si illud suscipere intendat sine prævia excommunicationis absolutione: ita Auctores citati.

Quid si Sacramenta administret. Quoad activam Sacramentorum administrationem, Sylvester ait peccare mortaliter si ea ministret. Sotus, Coninck, Sayrus, Layman, & alii venialiter. Probabilius tamen puto cum Suarez s. 2. Filiucio c. 2. Bonacina n. 4. Henriquez l. 13. c. 3. & aliis, non omnino peccare; hic enim non est effectus hujus excommunicationis: quâ etiam de causâ non incurrit irregularitatem. Peccat ergo Sacerdos sic celebrans, non quòd Sacramentum conficiat vel administret, sed quòd recipiat.

Privatur electione passivâ. Alius excommunicationis minoris effectus est, quòd privet licitâ electione passivâ (non activâ) præsentatione, & collatione beneficii, & ecclesiasticæ dignitatis: Unde graviter videtur peccare ista recipiendo, collatio tamen est valida, sed initianda, saltem si sciebatur esse excommunicatus dum eligeretur, alioqui Vasquez, Reginaldus & alii negant esse initiandam, cùm ad hoc requirant jura ut fuerit scienter facta electio.

Absolutio ab hac excommunicatione Absolvere ab excommunicatione minore à jure latâ potest proprius Sacerdos, nempe summus Pontifex, Episcopus, & parochus respectivè, idque extra confessionem, cùm sit actus jurisdictionis, non ordinis, imo etiamsi non sit Sacerdos. Deinde quibus delegata est potestas, qualis est quivis Sacerdos approbatus ad excipiendas confessiones; is enim dici potest proprius Sacerdos per jurisdictionem delegatam. Imo Navarrus, Tol. l. 1. c. 11. & alii hoc tribuunt cuivis simplici Sacerdoti respectu illius qui tantùm habet peccata venialia: quamvis communis sententia hoc neget.

Quid si lata sit ab homine. Si ab homine lata sit excommunicatio minor, absolvere ab eâ potest inprimis is qui eam tulit, superior ejus, & successor, & cui delegata est ad hoc potestas: ita Suarez s. 4. Filiucius c. 7. Bonacina n. 11. Coninck & alii.

SECTIO QUARTA.

De Degradatione & Depositione.

I. Quæres primò: Quid sit degradatio, ob quæ crimina fieri possit, & quomodo differat à depositione? Degradatio realis alia seu actualis, alia verbalis, quæ dicitur depositio. Realis, quæ dicitur degradatio simpliciter, est pœna ecclesiastica quâ clericus privatur in perpetuum omni officio & beneficio clericali, imo & privilegio canonis & fori, idque irremissibiliter, unde percuti potest instar laici. Fieri autem utraque juxta canones debet magnâ cum solemnitate: si degradandus sit Episcopus, fieri debet à Metropolitano, assistentibus duodecim Episcopis; si Sacerdos, ab Episcopo proprio assistentibus sex Episcopis, si Diaconus aut Subdiaconus, assistentibus tribus, qui ità degradationis sententiæ assistere debent, ut simul sint judices. Si tot Episcopi haberi commodè nequeant, sufficiunt Abbates mitrati, & in horum defectu, personæ in Ecclesiasticâ dignitate constituti, præterquam in degradatione Episcopi. Tum, in degradatione reali, Episcopo in ornatu Pontificio ad altare sedenti sistitur degradandus vestibus ordinis sui indutus, instrumenta etiam sacra manu gestans, quibus omnibus sigillatim ab Episcopo privatur ordine retrogrado ad primam eorum collationem, verbis interim quibusdam ad terrorem incutiendum prolatis. *Quæ adhiberi debeant solemnitas.*

Validè nihilominus consecrat degradatus, & alios actus ordinis exercet. Ab oneribus tamen clericalibus non eximitur, unde ad horarum recitationem tenetur & continentiam. Non tamen semper, etiam realiter degradatus, traditur brachio sæculari; hoc enim non nisi ob crimen gravissimum fieri debet: ita Suarez d. 30. s. 2. n. 6. Filiucius t. 18. c. 8. n. 197. & 207. Bonacina d. 4. n. 3. & 5. Layman l. 1. t. 5. p. 3. c. 5. n. 6. Tol. l. 1. c. 50. Valentia t. 4. d. 7. q. 19. p. 4. Coninck d. 16. & alii. *Clerici adhuc oneribus subjacet.*

Degradatio verbalis seu depositio in hoc convenit cum reali, quòd per eam clericus omni etiam officio & beneficio Ecclesiastico privetur in perpetuum, idque irremissibiliter jure ordinario. In multis tamen differunt: primò in solemnitate, de quâ supra: secundò in effectu; depositio enim verbalis non privat privilegio canonis aut fori: tertiò verbalis ferri potest in absentem contumacem, realis in solum præsentem: quartò realis fieri nequit nisi ab Episcopo consecrato, verbalem committere potest suo vicario: quintò realiter degradatus tradi potest judici sæculari, non verbaliter, seu depositus. *In quo differat depositio à degradatione.*

Crimina ob quæ obnoxius quis est degradationi verbali est homicidium, etiam solo consilio patratum, incestus, stuprum, concubinatus post monitionem perseverans, simonia notoria, & alia quædam. Ut verò quis degradetur realiter, debet esse sodomia sæpiùs repetita, nisi resipiscat & non relabatur, homicidium qualificatum, seu parricidium, furtum qualificatum, seu sacrilegium, homicidium & alia crimina gravia, quæ in laicis puniuntur morte, si in iis clerici sint incorrigibiles, calumnia etiam proprio Episcopo irrogata, si accedat incorrigibilitas. Alia demum crimina enormia quæ judicis arbitrio tali pœnâ digna censentur. Unde post degradationem plerumque ab Ecclesiæ Prælatis traditur magistratui sæculari, apud quem tamen pro eo tunc intercedunt, ut mitiùs cum ipso agat, & ut non puniatur morte. *Crimina utriusque degradationis.*

II. Quæres secundò: Quid sit suspensio, & quos effectus habeat? Suspensio est pœna Ecclesiastica, quâ Ecclesiasticæ personæ peculiari modo privantur usu officii vel beneficii Ecclesiastici. Alia autem est ab officio, sive sit ordinis, ut à collatione ordinum, celebratione Missæ, &c. sive jurisdictionis, ut ab excommunicando, licentiam dando ad audiendas confessiones, &c. Alia est suspensio à beneficio, ut à canonicatu, Episcopatu, &c. Alia totalis, ut cùm quis & ab officio suspenditur & beneficio. Alia partialis, ut cùm tantùm suspenditur ab altero. Imo subinde in solo ordine est partialis, ut cùm quis suspenditur ab audiendis confessionibus, vel collatione ordinum *Suspensio vel ab officio est vel beneficii.*

ordinum tantùm : ita Suarez d. 25. & 26. Coninck d. 15. d. 1. Bonacina d. 3. p. 1. & 2. Filiucius t. 17. c. 1. Tol. l. 1. c. 43. Layman l. 1. t. 5. p. 3. c. 1. & alii.

Suspensio absolutè lata suspendit ab omnibus.

Ut ergo intelligatur qualis sit suspensio, spectandus est tenor verborum. Suspensio ergo absolutè lata suspendit ab omnibus, nempe tam ab officio, quàm beneficio. Episcopus suspensus à Pontificalibus non potest confirmare, ordines conferre, consecrare Ecclesias, &c. potest tamen celebrare, excommunicare, beneficia conferre, &c. Suspensus etiam ab ordine non censetur suspendi à jurisdictione, nec econtra; hæc enim duo sunt diversa. Suspensus à sacerdotio potest canere Epistolam & Evangelium.

Omnis suspensio non est totalis.

Suspensus ab officio non censetur eo ipso suspensus à beneficio, aliquando enim fertur suspensio ab officio, aliquando ab officio & beneficio simul. Debet tamen per alium beneficii onera supplere quæ per se non potest, alioqui privatur fructibus beneficii : ita Auctores citati.

Quantum percipere possit ex fructibus.

Suspensus autem à beneficio, si officium suum per se exerceat, potest ex beneficii fructibus tantum sibi sumere, quantum stipendii loco daret substituto : imo, si pauper sit, tantum sumere potest, quantum ad se ac suos alendos necessarium judicabit, ne in dedecus status clericalis mendicare cogatur. Suspensus autem à beneficio distributiones quasdam accipere potest, ut anniversaria quædam stipendia Missarum, & alia quæ non dantur intuitu beneficii: ita Suarez d. 27. c. 1. n. 30. Filiucius t. 17. c. 3. n. 44. Bonacina p. 2. n. 14. & alii.

III.

Quid si actum à quo est suspensus eliciat.

Quæres tertiò : Quomodo violetur, & tollatur suspensio? Suspensus exercendo actum à quo est suspensus peccat mortaliter, nisi eum vel materiæ levitas excuset, vel necessitas : ita Suarez d. 26. s. 2. Filiucius t. 17. c. 10. Bonac. d. 3. p. 4. Coninck. d. 15. d. 2. Tol. l. 1. c. 45. & alii. Ulteriùs suspensus ab officio, si actum, majoris saltem ordinis, solenniter exerceat, incurrit irregularitatem, nisi ex necessitate, ut ad vitandam infamiam vel scandalum, aut quid simile id præstet : at verò ob exercitium actus jurisdictionis nulla in jure assignata est censura : ita Suarez n. 3. Filiucius n. 181. Bonacina n. 5. & alii.

Quid de exercitio quorundam actuum prohibitorum.

Dixi majoris saltem ordinis; Filiucius enim num. 182. Navarrus, Suarez, & alii idem asserunt de solenni exercitio ordinum minorum : quod tamen Bonacina negat, cùm (inquit) hæc & à laicis præstentur. Prior tamen opinio est probabilior; hæc enim à laicis non fiunt solenniter. Illud verius videtur cum Bonacina, Subdiaconum suspensum ab officio subdiaconatus non incurrere irregularitatem canendo Epistolam sine manipulo; tunc enim non instar Subdiaconi id facere censetur, nec ex officio. Suspensus à susceptione Sacramentorum non fit irregularis ea suscipiendo, cùm non violet suspensionem per exercitium ordinis sacri : sicut nec suspensus à beneficio fit irregularis percipiendo illius fructus. Peccant tamen hi omnes isthæc faciendo.

De communicante cum suspenso.

Communicans cum suspenso tolerato, etiam in iis rebus, in quibus est suspensus, ut si à Sacerdote suspenso ab officio petat Sacramentum, non peccat, sicut nec Sacerdos illud administrando, modò se sponte non ingerat. Idem est de communicante cum suspenso denuntiato in iis in quibus non est suspensus; in his enim non peccat mortaliter, secus in aliis, ut inducendo ad celebrandum, ad ordines conferendos, ad excommunicandum, si sit suspensus à jurisdictione, &c. præsertim cùm acta illius sint invalida : ita Auctores citati. Puto tamen probabilius cum Suario d. 27. s. 2. n. 7. non peccare eum, qui communicat in his cum suspenso, nisi aliquo modo eidem cooperetur : unde potest quis citra peccatum audire Sacrum suspensi denuntiati, nec tenetur è templo egredi ipso ingrediente; suspensio enim non eo modo obligat quo excommunicatio.

Quomodo cesset suspensio.

Quoad secundum suspensio lata ad certum tempus, vel cum hac clausulâ, donec satisfeceris, elapso tempore, vel satisfactione positâ, per se cessat, & sine ullâ absolutione : ita Suarez d. 29. s. 1. Filiucius c. 3. n. 48. Bonacina p. ultimo, Layman l. 1 t. 5. p. 3. c. 4. Tol. l. 1. c. 46. Coninck d. 15. n. 30.

Quo pacto quis ab ea absolvatur.

Alio autem modo lata suspensio tolli nequit nisi per absolutionem. Jure etiam novo Concil. Trid. sess. 24. cap. 9. de reformatione concessum est Episcopis, ut ab omni suspensione, etiam Papæ reservatâ, sive in perpetuum, sive ad tempus lata, absolvere possint, modò inflicta sit ob delictum occultum, & quod in forum contentiosum non sit deductum.

SECTIO QUINTA.

De Interdicto.

I.

Quid sit?

Quæres primò: Quid, & quotuplex sit Interdictum? Interdictum est pœna ecclesiastica, per quam participatio aliquorum Sacramentorum, omnium divinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur.

Interdictum locale & personale.

Duplex est, *locale* cùm locus aliquis interdicitur, ita ut nullus, ne quidem externus in eo divinis vacare possit : & *personale*, quod afficit personas, ita ut nullibi in divinis participare possint. Addunt aliqui tertium, quod mixtum vocant, quando scilicet & locus interdicitur, & illius loci personæ, ita ut nec ullus omnino in eo, nec ipsi ullibi celebrare, & alia divina participare possint. In omni autem interdicto locali hoc postremo modo interdicti sunt, qui causam interdicto dederunt : ità Suarez d. 32. s. 1. & 2. Coninck d. 17. d. 1. Filiucius t. 18. c. 1. Bonac. d. 5. p. 1. Layman l. 1. t. 5. p. 4. c. 1. & alii.

Generale & particulare.

Interdictum tam locale quàm personale duplex est, *generale*, & speciale seu *particulare*. Locale generale juxta canones est quando interdicitur regnum, provincia, diœcesis, civitas, villa, aut castrum : quibus interdictis, omnia loca in iis contenta censentur interdicta. Aliorum omnium interdictum censetur locale particulare : unde si unicum in pago templum, vel etiam omnes in civitate Ecclesiæ essent interdictæ, non esset interdictum generale. Interdictâ Ecclesiâ censetur interdicta capella & cæmiterium, si adhæreant Ecclesiæ; sic enim sunt quasi partes illius, sicut interdictâ civitate censentur interdicta suburbia, accessorium quippe sequitur principale. Secus dicendum si duæ Ecclesiæ ita sibi sint contiguæ, ut eodem intermedio pariete aut cæmiterio conjungantur, nam unâ interdictâ non interdicitur altera; neutra enim est pars vel accessorium alterius.

Declaratur interdictum personale generale.

Interdictum generale personale est quod fertur in communitatem qua tale corpus politicum est,

est, ut in populum talis civitatis vel pagi, in Academiam, collegium, capitulum, &c. quo proinde ligantur omnes, etiam absentes, imo innocentes, quamdiu sunt membra illius communitatis. Quod si quis duobus in locis domicilium habeat, est interdictus dum habitat in populo interdicto, secus dum alibi. Qui etiam de novo fiunt membra talis communitatis ligantur interdicto; ut enim gaudent privilegiis, ita subjacent oneribus, sicut eodem incipiunt ligari pueri ubi ad rationis usum pervenerint.

Interdicto populo non interdicitur clerus, nec econtra, nec clero interdicto interdicuntur religiosi: ita Suarez n. 16. Filiucius n. 14. Bonacina num. 15.

Interdictum personale particulare.

Interdictum personale particulare, seu speciale est quod fertur in personam particularem, puta judicem, consulem, &c. vel etiam in plures, ut in eos omnes qui tale facinus admiserunt, licèt sint ignoti. Unde contingere potest ut in eadem personas feratur interdictum personale generale & particulare, imo semper contingit saltem quoad aliquas.

Totale & partiale.

Tandem interdictum aliud totale, quod setlicet omnes interdicti effectus complectitur, aliud partiale, ut si quis uno tantùm aliquo illius effectu interdicatur, ingressu exempli gratiâ Ecclesiæ.

II.

Quanam tempore interdicti permittantur.

Quæres secundò: An, & quomodo interdicti priventur usu Sacramentorum? Tempore interdicti usus Sacramentorum prohibetur, præterquam in casibus jure permissis. Inprimis itaque solennis administratio Baptismi cum iis, quæ eum præcedunt, ut est catechismus, benedictio fontis, &c. tunc permittitur, præsentibus tum clericis, tum laïcis, etiam in Ecclesiâ interdictâ: & idem est de confirmatione, & consequenter de consecratione chrismatis in cœnâ Domini ad confirmationem requisitâ.

Quibus tunc non permittatur Pœnitentia.

Sacramentum etiam Pœnitentiæ omnibus tunc administrari potest, iis exceptis qui specialiter sunt interdicti, qui nimirum interdicti causam dederunt, vel consilium, auxilium, &c. præbuerunt, nisi cautionem pignoratoriam, aut fidejussoriam, vel si hanc non possint, saltem juratoriam dederint. Quòd respectu horum in usu etiam aliorum Sacramentorum tum passivo tum activo intelligendum, nisi in casu necessitatis.

Quid de Sacramento Eucharistiæ.

Sacrosancta Eucharistia extra mortis articulum interdicti tempore nullis ministrari debet, nisi qui ad hoc speciale habent privilegium, ut sunt religiosi ac moniales. In articulo mortis nulli dispositio est neganda, unde ad ægrotos consuetâ solennitate, comitante etiam populo, potest deferri. Et ad hunc finem permittitur ut singulis hebdomadis unum Sacrum dicatur (etiam in Ecclesia interdictâ, si ibi antea servari soleret venerabile Sacramentum) cum moderatione tamen capitis *Alma mater*, nempe januis clausis, submissâ voce, non pulsatis campanis, & exclusis interdictis.

De Extrema Unctione & Ordine.

Extrema-Unctio nullis tunc administranda est sive laïcis sive clericis, sive etiam religiosis, si ad hoc speciale non habeant privilegium, nisi fortasse infirmus nullum aliud recipere possit Sacramentum, ut ait Chapeavile. Idem est de Ordine, nisi tanta esset ministrorum paucitas, ut conferetur necessarium aliquos ordinare.

Permittaturne tunc Matrimonium.

Sponsalia licitè celebrantur tempore interdicti. De Matrimonio negat Suarez d. 33. s. 1. Bonacina d. 5. p. 3. § 3. n. 8. Filiucius t. 18. c. 2. n. 51. Hi duo tamen dicunt contrarium esse probabile, præsertim si celebretur sine solenni benedictione. Ratio est, quia usus Sacramentorum tempore interdicti est prohibitus. Contrarium tenet Sanchez l. 7. de Matrimonio, d. 8. Coninck d. 17. d. 2. n. 48. Layman l. 1. t. 5. p. 4. c 2. n. 1. Henriquez l. 13. c. 45. n. 3. Navarrus, Sayrus, & alii. Quæ sententia videtur verior, cùm Matrimonium contractus humanus sit, & quamvis etiam sit Sacramentum, intentio tamen Ecclesiæ videtur esse illa sola Sacramenta prohibere, quæ sunt ex administratione ministrorum Ecclesiæ.

III.

Quanam sint hæc officia.

Quæres tertiò: Quomodo tempore interdicti prohibeantur divina officia & ecclesiastica sepultura? Officia hæc sunt quæ ab Ecclesiasticis personis publicè persolvuntur, nempe Missa, sacramentalia, distributio candelarum, cinerum, ramorum, benedictio vel consecratio templi, vasorum, &c. unde interdicti horas canonicas privatim non solùm recitare possunt, sed tenentur.

Quid jure antiquo.

Jure antiquo nulla divina officia tempore interdicti permittebantur præter unam Missam singulis hebdomadis ad renovandam sacrosanctam Eucharistiam, & quædam alia ad Sacramentorum administrationem necessaria juxta supradicta. Nunc autem jure novo à Bonifacio VIII. capite *Alma Mater*, conceditur ut tempore interdicti localis generalis (non personalis, nec in loco specialiter interdicto; personaliter enim interdictis nihil jure novo conceditur extra casum necessitatis, nec loco specialiter interdicto præter unam Missam, & alia supra posita) in singulis Ecclesiis ac monasteriis, hoc est in quovis loco ab Episcopo ad Missæ sacrificium & alia divina officia deputato, januis clausis, sine pulsu campanarum, submissâ voce, & exclusis excommunicatis ac interdictis, Missæ & alia divina officia celebrentur sicut priùs, unde omnes Sacerdotes qui antea celebrare poterant, tunc etiam possunt quotidie celebrare, si non sint specialiter interdicti, & clerici omnes, etiam in minoribus constituti interesse possunt, imo licèt sint conjugati, modò alicui Ecclesiæ inserviant: ita Suarez d. 34. s. 2. & 3. Filiucius t. 18. c. 3. n. 63. Coninck d. 17. d. 2. Bonacina d. 5 p. 4. Layman l. 1. t. 5. p. 4. c. 2. n. 2. Henriquez l. 13. & alii.

Quid jure novo.

Missæ privatim permittuntur.

Possintne pulsari campanæ.

Campanæ tempore interdicti pulsari non debent ad populum ad divina officia, Missam, &c. convocandum, imo passim negant Auctores licitum esse usum tintinnabuli ad Sanctus & sacræ Hostiæ elevationem. Pulsari tamen poterunt campanæ ad eum convocandum ad concionem, ad salutationem Angelicam, ad diem festum indicendum, ad ostendendas reliquias, &c. Canonici verò & alii clerici ad divina officia tubâ, vel alio signo convocari debent, non campanæ pulsu.

Quidam dies excipiuntur.

In festo tamen Natalis Domini (incipiendo à primis Vesperis) in die Paschatis & Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in Assumptione Beatissimæ Virginis, quibus Martinus V. addidit festum corporis Christi cum octavâ, & Leo X. festum Conceptionis cum octavâ, possunt Missæ & alia divina officia publicè celebrari eodem modo quo ante interdictum, admissis omnibus, etiam iis qui interdicti causam dederunt, modò prope altare non accedant. Excludi tamen debent excommunicati.

Quid circa sepulturam.

Quoad secundum, nullus personaliter interdictus, in loco sacro sepeliri debet, vel cum cæremoniis ab Ecclesiâ in sepulturâ adhiberi solitis. In loco verò specialiter interdicto nullus omnino laïcus,

laicus, ne quidem corpus infantis aut perpetuò amentis sepeliri debet, potest tamen alibi, quod de interdicto etiam locali generali verum est. Clerici tamen (quod ad religiosos, etiam novitios, & moniales extenditur) ex peculiari privilegio possunt tunc sepeliri in loco sacro, servato moderamine capitis *Almæ Matris*.

De jurisdictione. Jurisdictione exteriori non privatur interdictus, unde etiam denuntiatus nominatim interdictus potest excommunicare, & ab excommunicatione absolvere.

IV. Quæres quartò: Quis possit interdictum ferre, & quam pœnam incurrant illud violantes? *In primis hoc potest Pontifex.* Interdictum is ferre potest, qui potest excommunicare. Unde certum inprimis est Summum Pontificem id posse, idque in totam Ecclesiam, non solùm divisivè seu distributivè, id est in quamcunque Ecclesiæ partem, sed etiam in totam collectivè, metaphysicè loquendo, moraliter tamen loquendo causa talis interdicti dari nequit. Idem etiam est de Concilio generali mortuo Pontifice.

Episcopus. Episcopus in totam suam diœcesim interdictum ferre potest, etiam collectivè. Prælati religionum personale ferre possunt, non locale, nisi in illis locis seu oppidis, in quibus habent jurisdictionem Ecclesiasticam in populum: ita Suarez d. 36. s. 1. & 2. Filiucius t. 18. c. 1. n. 20. Bonacina d. 5. p. 2. n. 1. Layman l. 1. t. 5. p. 4. c. 4. n. 1. & alii.

De laicis violantibus interdictum. Quoad secundum, Laici violantes interdictum personale peccant mortaliter, nisi parvitas materiæ excuset: ita omnes. Quod etiam de violatione interdicti localis generalis & specialis affirmat Suarez d. 34. s. 5. n. 4. Filiucius c. 2. n. 54. & c. 3. n. 81. Coninck d. 17. d. 3. n. 64. & 67. Bonacina p. 7. n. 1. Layman c. 3. n. 2. & alii contra Caietanum, Navarrum, Sylvestrum, Reginaldum, Valentiam t. 4. d. 7. q. 18. p. 2. fine, & aliis, qui aiunt laicos violantes simpliciter interdictum locale peccare solùm venialiter, violatione verò qualificatâ, ut si se ingerant vi vel fraude, fingendo scilicet se clericos, si in loco sacro instar clericorum divina celebrent, &c. peccare mortaliter. Pœnam verò non incurrunt laici nisi cogendo aliquem in loco interdicto celebrare, alios interdictos ad divina vocando, vel ne exeant prohibendo, vel nisi ipsi à clericis moniti non exeant, aut simili violatione qualificatâ; in his enim casibus incurrunt excommunicationem.

Quomodo in hoc peccent clerici. Clerici tum sæculares tum regulares violantes interdictum quodcunque, peccant mortaliter, nisi vel levitas materiæ, necessitas, aut gravis metus excuset: ita omnes citati. Imo si id præstent per exercitium ordinis sacri, incurrunt irregularitatem & suspensionem ab officio, saltem ferendam: ita communis Doctorum sententia, Suarez d. 37. s. 1. n. 5. Filiucius c. 3. n. 86. & c. 4. n. 146. Bonacina n. 4. Layman num. 3. & alii.

De clerico communicante cum interdictis. Clericus communicans cum nominatim interdictis in iis rebus in quibus sunt interdicti, ut si eos admittat ad divina officia, ecclesiasticam sepulturam, aut Sacramenta, peccat mortaliter, imo eos vel excommunicatos admittens ad prædicta interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciat, ad arbitrium illius qui tulit interdictum: ita Suarez d. 37. s. 1. n. 5. Filiuc. n. 57. & 147. Coninck d. 17. d. 4. n. 72. Bonacina p. 7. n. 19. & alii.

Quæres quintò: Quomodo tollatur Interdictum: & utrùm habens privilegium tempore interdicti audiendi Missam teneatur eam audire? V. *Quis potest tollere interdictum.* Quoad primum, nullum est interdictum quod à Papa tolli nequeat. Episcopus etiam tollere potest omne interdictum locale & personale generale, à jure latum, & non reservatum, sicut etiam tolli ab eo potest, qui habet jurisdictionem in communitatem interdictam. Potest etiam Episcopus ex occasione, ut ob incidentem festivitatem, vel adventum Principis, &c. interdictum ad tempus suspendere.

De Parochis & Regularibus. Parochus verò & regulares privilegium habentes absolvendi à censuris juris in foro conscientiæ tantùm, non possunt tollere interdictum locale aut personale communitatis, cùm locus & communitas non spectent ad forum internum. Solùm ergo absolvere possunt ab interdicto juris personali speciali non reservato: ita Suarez d. 38. s. 2. Coninck d. 17. d. 6. Filiucius t. 18. c. 4. n. 18. & c. 5. Bonacina d. 5. p. ult. n. 5. Layman l. 1. t. 5. p. 4. c. 5. & alii.

Interdictum deambulatorium. Interdictum latum absolutè & indefinitè non tollitur nisi per absolutionem. Latum verò ad certum tempus, vel sub certâ conditione, elapso tempore, & conditione positâ, cessat; nec enim ligat ultra voluntatem latoris: ita Suarez s. 1. & Filiucius c. 5. n. 114. quoad tempus, Bonacina, & alii. Hinc patet quid sit interdictum, ut vocant deambulatorium, per quod non certus locus interdicitur, sed is tantùm in quo est talis persona, & quamdiu isthic manet: unde personâ illâ inde recedente cessat, & alius locus interdicitur ad quem accedit: ita Suarez n. 4. Bonacina n. 1.

De interdicto in communitatem lato. In Interdicto generali personali in communitatem aut populum quâ talis communitas vel corpus morale est, lato, ipso facto quod quis desinat esse membrum illius communitatis, desinit esse interdictus, sicut econtra qui durante interdicto fit illius communitatis membrum, ligatur interdicto; interdictum enim est lex illi communitati imposita, qui autem gaudet privilegiis subjacere debet oneribus. Unde dissolutâ penitus communitate cessat interdictum; *destructis* enim *nobis destruuntur ea quæ sunt in nobis*: excipiuntur tamen illi qui causam dederunt interdicto; illi enim sunt specialiter interdicti: ita Suarez d. 38. s. 1. n. 15. & 19. Bonacina n. 3. & p. 1. n. 19. Layman n. 4. & alii.

Habens privilegium debet audire Sacrum. Quoad secundum, Coninck d. 17. d. 2. & alii (quod etiam tenere videtur Layman l. 1. t. 5. p. 4. c. 2. n. 2.) dicunt habentem privilegium tempore interdicti audiendi Missam, non teneri eam audire in die festo; nemo enim, inquiunt, tenetur uti privilegio. Contrarium tamen puto probabilius cum Suarez t. 3. in 3. p. d. 88. s. 6. §. *Solet etiam*, Filiucius t. 5. c. 7. n. 225. Bonac. d. 5. p. 4. n. 21. Navarro, Tol. & aliis. Ratio est, quia hic tollitur impedimentum, ut contingeret in vinculis detento, cui diebus festis concederetur libertas. Nec hoc est cogi uti privilegio, sed hoc posito, satisfacere obligationi, aliud est de iis quæ sunt purè privilegia, seu de rebus aliunde non obligantibus.

VI. Quæres sextò: Quid sit, & quos effectus habeat cessatio à Divinis? *Cessatio à divinis.* Cessatio à Divinis (quæ & suspensio organorum dicitur) est prohibitio Ecclesiæ, quâ ad testandum dolorem suum ob immane aliquod facinus contra Ecclesiam, vel Dei honorem perpetratum prohibet ne Clerici

in civitate aliquâ vel loco particulari, ut templo aliquo divina officia celebrent, vel Sacramenta administrent, ut hac ratione, qui injuriam infert, desistere, & Ecclesiæ satisfacere cogatur.

Quis possit hoc statuere.

Hanc pœnam imponere ii omnes & soli possunt, qui possunt ferre interdictum, Papa nimirum, Episcopus, & Capitulum sede vacante, & quisquis Episcopalem habet auctoritatem.

In quo differat ab interdicto.

Ab interdicto differt, quod in illo clericus violans interdictum per exercitium ordinis sacri fiat irregularis, non qui in cessatione à divinis. Deinde in interdicto qui causam dedit semper specialiter interdicitur, hîc autem non ita contingit. Tertiò non permittitur clericis ut quotidie cum moderatione capitis *Alma Mater* concessâ à Bonifacio VIII. Clerici Missas & officia privatim celebrent, sicut nec in aliis illis solennitatibus, quod licitum est in interdicto: ita Suarez d. 39. c. 3. Layman l. 1. t. 5. p. 4. c. 6. Filiucius t. 18. c. 7. Bonacina d. 6. p. 1. Coninck d. 17. d. 7. & alii.

Quanam tunc permittantur.

Sacramenta illa & sola hîc permittuntur quæ in Interdicto: unde ad renovandam sacrosanctam Eucharistiam licitum est semel in hebdomadâ celebrare ad eam in usum morientium servandam. Hæc autem ex benignâ interpretatione Doctorum, nam jura aliud tunc non permittunt, quàm Baptismum & Pœnitentiam morientibus. Imo negant aliqui posse tunc duos aut tres clericos horas submissâ voce in Ecclesiâ recitare.

De sepultura.

Quoad sepulturam in loco sacro non satis constat ex jure id vel clericis vel laicis eam tunc esse prohibitam, si sine divinis officiis fiat. Usu tamen receptum est, ut eo tempore soli clerici in loco sacro, idque sine solemnitate sepeliantur.

Pœna violatibus statuta.

Violans cessationem graviter peccat, non tamen fit irregularis, cùm hæc pœna non sit in jure imposita. Religiosi tamen non servantes cessationem quæ servatur in Ecclesiâ Cathedrali, incurrunt excommunicationem. Is verò qui causa est cur lata fit cessatio, tenetur ad omnia damna Clericis reparanda, qui eo tempore coacti sunt distributiones perdere, vel illius occasione alia detrimenta sunt passi: ita Suarez d. 39. c. 3. n. 16. Filiucius c. 7. n. 182. Bonacina p. 3. n. 12. Coninck d. 17. d. 7. n. 91. & alii.

SECTIO SEXTA.

De Irregularitate.

I.

Irregularitas est duplex.

Quæres primò: Quid sit, & quomodo incurratur Irregularitas, & à quo ferri possit? Irregularitas alia est ex defectu, alia ex delicto: est verò impedimentum canonicum per se primò impediens susceptionem sacrorum ordinum, & eorum exercitium. Hinc sequitur infidelem & fœminam irregulares non esse, cùm ordinum sint incapaces ex ipsius Christi institutione: irregularitas autem non incurritur nisi in casibus in jure expressis. Ordines tamen irregulari collati validè conferuntur, imo & prima tonsura; hæc enim licèt irritari ab Ecclesiâ possit, cùm ab eâ instituta sit, nusquam tamen de facto reperitur irritata.

Impedit collationem beneficii.

Irregularitas secundariò impedit quo minùs quis de novo admittatur ad beneficium Ecclesiasticum, vel ita ut collatio ei facta sit invalida, ut vult Navarrus, Henriquez, Lessius l. 2. c. 34. n. 122. Bonacina d. 7. p. 4. n. 6. Suarez d. 40. s. 2. n. 35. & alii, vel saltem ut sit irritanda secundùm omnes, unde graviter peccat & acceptans & conferens, nisi sit Summus Pontifex qui confert; censetur enim dispensare & tollere irregularitatem.

Non impedit omnis ordinis usum.

Irregularitas quæ impedit ordinis alicujus susceptionem, non impedit omnis ordinis usum; sic enim si Diacono sine ejus culpâ abscindatur pollex, promoveri ad Sacerdotium non debet, officium tamen Diaconi canendo Evangelium exercere potest. Sic si digitus similiter abscinderetur Sacerdoti, non esset irregularis quoad excipiendas confessiones, unde ad canonicatum diaconalem, & beneficium quod onus tantùm audiendi confessiones haberet, posset promoveri; hæc enim irregularitas non esset totalis, sed partialis, & licèt Valentia t. 4. d. 3. q. 19. p. 2. Sayrus, Navarrus, & alii limitent, modò culpâ propriâ irregularitatem illam non contraxerit, contrarium tamen puto probabilius cum Suarez d. 40. s. 2. n. 38. Bonacina p. 4. n. 3. & aliis, cùm jura eodem modo loquantur in utroque casu.

Impedit primam tonsuram.

Probabilius est etiam irregularitatem impedire susceptionem primæ tonsuræ, quicquid aliqui dicant; licèt enim non sit ordo, id est Sacramentum, censetur tamen in jure ordo ad hunc effectum, cùm constituat in ordine clericali: ita Suarez d. 40. s. 1. Filiucius t. 19. c. 1. n. 2. & c. 3. 59. & 60. Coninck d. 18. d. 1. n. 1. & 8. Layman lib. 1. t. 5. p. 5. c. 1. Bonacina d. 7. p. 1. n. 1. & 4.

Quis eam ferre possit.

Nulla de facto irregularitas fertur ab homine (in quo inter alia differt à censuris) nec ulla est quæ non sit in jure canonico expressa, per jus intelligendo, non solùm corpus juris, sed etiam bullas pontificias. Nullus ergo Episcopus, nec quisquam Summo Pontifice inferior potest irregularitatem ferre, cùm penes solum Romanum Pontificem sit condere jus canonicum. Tandem Irregularitas opus externum completum requirit, & peccatum mortale quando contrahitur ex delicto.

II.

Ignorantia excusat.

Quæres secundò: Utrùm ignorantia excuset ab irregularitate, & num in dubio censendus quis sit irregularis? Ignorantia sicut excusat à culpâ, ita & ab irregularitate quæ est pœna: ita Doctores communiter, quod Coninck d. 18. d. 4. n. 31. & Bonacina p. 3. n. 4. probabilius putant non solùm de ignorantiâ juris vel facti, sed etiam pœnæ.

Quid si quis dubitet de irregularitate.

In dubio verò, si sit dubium juris, ut si quis dubitet num pro tali re sit lata irregularitas, & adhibitâ debitâ diligentiâ adhuc perstitit in dubio, potest dubium deponere, & non se gerere tanquam irregularem, cùm non censeatur incurri irregularitas nisi ubi est jus expressum seu clarum: ita Suarez d. 40. s. 5. n. 5. & 6. Filiucius t. 19. c. 2. n. 45. Tol. l. 1. c. 57. Coninck d. 18. d. 2. n. 21. Bonacina p. 5. n. 2. & alii. Quod Suarez n. 6. extendit quando sunt duæ opiniones probabiles, licèt minùs probabilis sit illa, quæ negat contrahi irregularitatem. Unde existimo cum Sanchez l. 1. sum. c. 1. n. 46. Bonacina n. 5. & aliis, eum qui in dubio de irregularitate ordines susceptit, nullâ scilicet adhibitâ ad inquirendum diligentiâ, posse, si post adhibitam diligentiam dubium persistat, ordines exercere.

De dubio facti.

Idem est de dubio facti, excepto dubio commissi homicidii, quo in casu vult jus canonicum c. Significasti, & c. ad Audientiam, eum haberi irregularem quoad cessationem à sacro ministerio,

ita

ita Auctores citati, licèt aliqui sine fundamento trahere hoc velint ad omne dubium facti. Unde & qui alteri dedit consilium aliquem occidendi, si dubitet utrùm homicidium ex hoc ejus consilio sit secutum, censendus est irregularis.

III. Quæres tertiò: Quomodo contrahatur Irregularitas ex defectibus corporis, vel animæ? Irregularitas ex defectu corporis inprimis tunc contrahitur quando talis est, ut vel usum ordinis impediat, vel notabilem pariat deformitatem vel horrorem, qualis est nasi vel labiorum amputatio, manus, pollicis, aut indicis abscissio, vel membri alicujus apparentis carentia cum deformitate, ut pedis, vel oculi privatio, aut etiam macula notabilis in oculo, & uno verbo quicquid reddit hominem notabiliter deformem, ita ut aspicientibus risum moveat vel horrorem. Irregulares etiam sunt cæci & surdi, licèt oculos & aures habeant. Imo irregularis est, qui oculi siniştri seu canonici usu caret, nisi, inquit Navarrus, & Layman, tanta sit oculi dextri firmitas, simul cum libri accommodatione, ut sine deformi faciei ad populum conversione possit canonem legere.

Eam causat notabilis deformitas corporis.

Quid si membrum aliquod amputetur.

Non ergo est irregularis qui dextri solius oculi usu caret, nec cui aures amputatæ sunt, si deformitatem illam capillis commodè tegere possit, sicut nec qui caret membro quod non apparet. Nec etiam claudus, nisi magna sit deformitas, aut in altari baculo aut pede ligneo uti debeat. Nec etiam qui sex digitos habet, aut uno ex minoribus caret sine notabili deformitate: ita Suarez d. 50. & 51. Coninck d. 18. d. 13. n. 106. Filiucius t. 19. c. 6. Tol. l. 1. c. 57. Bonac. d. 7. q. 2. p. 2. & alii.

Quid si amputet sibi.

Notant verò omnes, si quis vel sibi sine justâ causâ abscindat, vel ab alio abscindi patiatur membrum aliquod vel partem membri, etiam occulti, imo quod ad usum ordinis non conducat, nec inde deformitas oriatur, adhuc esse irregularem. Idem est si invito hujusmodi aliquod membrum amputetur, si tamen ipso in culpâ sit & causam dederit, secus si sine ejus culpâ contigerit.

In dubio de deformitate

In dubio, utrùm defectus vel deformitas tanta sit, ut irregularitatem inducat, permittendum est arbitrio ordinarii seu illius, qui dimissorias dare potest ad ordines suscipiendos: Episcopo tamen qui ordines confert semper integrum est hoc ejus arbitrium admittere vel respuere.

Quæ scientia requiratur ad ordines.

Quoad defectus animæ primus est ignorantia, quæ meliùs intelligetur ex iis, quæ Conc. Trid. sess. 22. c. 2. & sess. 23. c. 4. 11. 13. & 14. ad singulos ordines requirit. Ad primam ergo tonsuram requirit ut legere quis possit & scribere, & prima norit Fidei rudimenta. Ad minores, ut linguam latinam calleat. Ad diaconatum & subdiaconatum, ut sciat quid ad hæc officia spectet. Ad sacerdotium, ut populum Christianam doctrinam docere possit, & norit modum administrandi Sacramenta. Tandem ad Episcopatum, ut sit doctor vel licentiatus in Theologiâ aut jure canonico, vel saltem publico testimonio constet aptum eum esse ad docendum.

Neophyti sunt irregulares.

Irregulares etiam sunt neophyti, hoc est qui ex lege Judaicâ, Mahumetanâ, aut Ethnicâ recenter conversi sunt in adultâ ætate, ne scilicet in superbiam elati in laqueum incidant diaboli. Quamdiu autem duret hæc irregularitas relinquitur judicio Episcopi; in aliis enim citiùs cessat, in aliis seriùs, prout quisque in fide, & aliis religionis Christianæ virtutibus meliùs fuerit fundatus.

Quæres quartò: Quomodo Irregularitas proveniat ex defectu natalium, ætatis, aut libertatis? Illegitimus omnis, etiam occultus, quamdiu manet illegitimus, est irregularis, unde peccat mortaliter & recipiendo ordines, & in iis jam receptis ministrando: ita Suarez d. 50. s. 3. Filiucius t. 19. c. 5. n. 138. Coninck d. 18. d. 2. Tol. l. 1. c. 53. Bonacina d. 7. q. 2. p. 3. n. 2. Lay. l. 1. t. 5. p. 5. c. 5. & alii. Idem existimo cum Auctoribus citatis præter Coninck, de expositis, nempe præsumendos esse illegitimos & irregulares, cùm vix unquam exponantur filii legitimi. Imo aliquando filii ex matrimonio legitimo orti sunt irregulares, ut quando nati sunt ex conjugato qui ordines sacros post matrimonium susscepit, vel ex parentibus, quorum uterque vel alter post matrimonium emisit professionem in religione: ita Suarez s. 2. n. 5. & s. 3. n. 4. Lay. n. 3. Bonacina n. 11. & alii. Hi ergo filii sunt canonicè irregulares, licèt non civiliter, seu in ordine ad hæreditatem & dignitates sæculares.

IV. *Irregularis est omnis illegitimus.*

Verum etiam ex legitimo matrimonio.

Defectus ætatis ad ordines requisitæ inducit irregularitatem, quæ tamen adveniente termino ætatis cessat, sicut & ante per dispensationem Pontificis. Qui scienter ante justam ætatem ordines recipit incurrit suspensionem: quisquis verò ordines sive scienter, sive bonâ fide ante justam ætatem susceptos scienter ante eam expletam exercet, redditur novo titulo irregularis: ita Suarez d. 51. s. 2. Tol. c. 52. Filiucius. t. 19. c. 6. n. 175. Bonacina p. 4. & alii.

Defectus ætatis reddit irregularem

Defectu libertatis irregulares sunt inprimis conjugati, nisi de licentiâ uxoris, & aliis servatis, de quibus dum de matrimonio. Deinde mancipia durante illo statu, si verò mancipium de consensu domini ordinetur, acquirit ipso facto libertatem, si sine ejus consensu minores recipiat, manet servus, si majores, fit liber solvendo pretium, vel alium servum ei tradendo, sin minùs redigitur in servitutem: manet irregularis, & clericali privilegio caret si Diaconus tantùm sit aut Subdiaconus, & si dominus intra annum postquam novit esse ordinatum eum repetat, sicque inservire ei adhuc debet in rebus statum ejus non dedecentibus. Si factus sit Sacerdos manet liber, sed satisfacere tenetur eo modo quo potest. Episcopus verò scienter talem ordinans tenetur domino refundere duplex pretium vel duos servos: si bonâ fide processerit, ad idem tenentur illi qui eum scienter Episcopo præsentârunt.

Quinam sint irregulares defectu libertatis.

Præterea qui ratione feudi tenentur personaliter servire, qui servi originarii vocantur: sicut etiam qui obligantur ad ratiocinia, seu ad administrationis alicujus publicæ vel privatæ rationem reddendam tenentur, quales sunt thesaurarii, Advocati, Magistratus, Judices, & hi donec rationem reddiderint ordinari nequeunt. Ab hac irregularitate excipiuntur qui administrationem habent personæ Ecclesiasticæ, vel personarum miserabilium, ut viduarum, pupillorum, causarum piarum, &c.

Alii nonnulli qui ordinari nequeunt.

Quæres quintò: Quomodo Irregularitas contrahatur ex defectu Sacramenti seu bigamiâ, aut ex infamiâ? Bigamia triplex est, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est quando quis verè duas vel plures uxores ducit, & cum utraque copulam habuit, idque sive ante sive post Baptis-

V. *Bigamia triplex:*

Vera,

mum, sive etiam unam ante, aliam post Baptismum, & hæc bigamia secundùm omnes irregularitatem inducit. Matrimonium verò ratum, etiam cum quacunque, nunquam inducit irregularitatem nec bigamiam.

Interpretativa. Interpretativa tunc contingit cùm quis vivente primâ uxore aliam ducit, vel primâ mortuâ aliam ducit invalidè ob impedimentum ignoratum, & copulam habet animo maritali, imo & qui hac ratione duo matrimonia invalidè contraxit, vel cum corruptâ validè aut invalidè: sicut etiam si ducens virginem, cum eâ copulam habet postquam ab alio viro sive sponte, sive per vim vel metum fuit cognita. Et hæc etiam bigamia irregularitatem inducit: ita Suarez d. 49. s. 1. & 2. Filiuc. t. 19 c 4. n. 95. Sanchez l. 7. de Matrim. d. 83. & 84 Tol. l. 1. c. 70. Bonacina d. 7. q. 2. p. 5. n. 2. Coninck d. 18. d. 11. & alii. Idem est si quis contrahat cum viduâ, quamvis Navarrus, Layman, & Bonacina hoc negent de Matrimonio invalido cum viduâ, quod etiam Layman affirmat de corruptâ.

Virum inducat irregularitatem.

Bigamia similitudinaria. Bigamia similitudinaria est cùm quis post votum solemne castitatis in religione contraxit & consummavit, etiam cum virgine, & is fit irregularis. Idem asserit Bonacina, & alii nonnulli de clerico in sacris: Suarez tamen, Filiu. & alii tenent contrarium tanquam probabile, si contrahat cum virgine.

Infamia juris inducit irregularitatem. Quoad secundum, Infamia juris inducit irregularitatem: ita Suarez d. 42. s. 1. & 2. Coninck d. 18. d. 7. n 56. Tol. l. 1 c. 57. Filiucius t. 19. c. 8. Bonacina d. 7. q. 3. p. 1. n. 4. Layman l. 1. t. 5. p. 5 c. 4. & alii. Infamia autem juris seu legalis ex illo delicto provenit, cui à jure canonico vel civili (censetur enim infamia canonica si non revocetur per jus canonicum) imposita est gravis pœna, ut est apostasia à fide, sodomia, matrimonium cum duabus simul, &c. & hæc quamvis occulta, inducunt irregularitatem, ut notat Suarez d. 48. s. 1. n. 15. & Filiucius n. 218. Secundò oritur infamia ex sententiâ declaratoriâ judicis, gravis alicujus criminis, ut furti. Tertiò ex propriâ delinquentis confessione in judicio factâ.

Idem facit infamia facti. Infamia etiam facti inducit irregularitatem, quæ tunc contingit, quando quis ob crimen aliquod publicum infamis censetur apud graves & honestos viros: ita Suarez s. 1. Layman num. 4. Filiucius n. 216. & alii. Hæc tamen irregularitas tollitur per emendationem personæ, sicque cessat. Infamia autem solùm impedit ordinum susceptionem, non verò eorum exercitium, nisi sit homicidium, aut quid simile, quod speciale irregularitatem inducit.

VI.

Irregularitas incompleta. Quæres sextò: Utrùm reiteratio aliquorum Sacramentorum, aut susceptio & usus ordinum inducat irregularitatem? Qui culpabiliter rebaptizat absolutè, vel rebaptizatur, sicut & ministrans incurrit irregularitatem incompletam, ita ut ordines suscipere non possit: ita Suarez d. 42. s. 4 & t. 3. in 3. p. d. 31. s. 6. Filiucius t. 20. c. 6. n. 164. Layman l. 1. t. 5. p. 5. c. 2. Henriquez l. 14. c. 4. n. 3. Coninck d. 18. d. 5. Bonac. d. 7. q. 3. p. 3. & alii.

Quinam ab hac excusentur. Infans ergo, amens, & planè per vim rebaptizatus non incurrit irregularitatem, sicut nec incurrit is qui cum ignorantiâ vel juris seu præcepti Ecclesiæ, vel facti rebaptizat, vel rebaptizatur. Cùm enim hæc irregularitas proveniat ex delicto, quicquid excusat à mortali excusat similiter ab illâ.

Navarrus & pauci alii idem asserunt de iteratione Confirmationis & Ordinis. Negant tamen communiter Auctores per hanc contrahi, cùm hæc irregularitas non sit in jure expressa: ita Sua. s. 2. n. 2. & s. 3. n. 6. Bonacina n. 8. Layman n. 6. & alii. *Iteratio Confirmationis.*

Irregularis verò est, qui usque ad senectutem vel gravem ægritudinem differt susceptionem baptismi, sicut & adultus qui scienter à hæretico baptismum sine necessitate suscipit. *Alia irregularitas.*

Utrùm excommunicatus excommunicatione majore, suspensus, vel interdictus incurrat irregularitatem suscipiendo ordines sacros, dubitant Auctores ex æquo ferme divisi. Conveniunt tamen incurrere, si sine necessitate exerceant solemniter, & ex officio ordines majores. Non incurrunt ergo exercendo minores, nec Subdiaconus Epistolam canendo sine manipulo, aut Diaconus sine stolâ Evangelium; tunc enim solùm hæc faciunt instar cantorum, nec hebdomadarius canens sine Dominus vobiscum, nec etiam Sacerdos baptizans privatim. *Quid de excommunicatis, &c.*

Clericus (quod aliqui extendunt ad laïcum) seriò exercens ordinem sacrum solemniter, quem non habet, incurrit irregularitatem: ita Sua. s. 3. n. 11. & d. 42. s. 4. n. 2. Filiuc. t. 20. c. 7. n. 206. Layman c. 3. n. 2. Bonac. p. 6. Tol. l. 1. c. 72. n. 1. Coninck d. 6. & alii. Tunc autem censetur exercere ordinem solemniter quando aliquid præstat, quod aut non omnino, aut saltem eo modo præstari nequit ab alio, quàm qui tali ordine est initiatus. *Exercens Ordinem quem non habet.*

Quæres septimò: Quomodo per hæresim incurratur Irregularitas? Hæretici externi, etiam occulti, sunt irregulares, sicut etiam apostatæ, ut adorantes idolum (quamvis Filiuc. t. 20. c. 9. n. 230. putet probabile, eum qui exterius tantùm est apostata, non esse irregularem) & horum omnium fautores, nec ab alio absolvi possunt quàm à Summo Pontifice: ita Suarez d. 43. s. 1. Layman l. 1. t. 5. p. 5. c. 4. n. 12. Bonac. d. 7. q. 3. p. 7. Sanchez in decal. l. 2. c. 25. n. 3. Tol. l. 1. c. 64. Filiuc. t. 20. c. 9. n. 227. Coninck d. 18. d. 7. & alii. VII. *Hæretici, Apostatæ, Idololatræ.*

Idem asserit Molina de Schismaticis: communis tamen sententia negat hos esse irregulares. Hæreticorum etiam filii nati post lapsum parentum sunt irregulares; hi enim oriuntur ex stirpe infectâ, quod extenditur ad secundam generationem ex parte patris. Tollitur tamen hæc irregularitas si parentes ante mortem reconcilientur Ecclesiæ: ita Suarez sect. 3. n. 1. *Filii hæreticorum.*

Existimo tamen cum Henriq. l. 14. c. 5. n. 4. & Lay. n. 12. hosce liberos non esse irregulares si in partibus hæreticorum nascantur, unde notat Lay. ibidem probabiliter defendi posse consuetudinem Septentrionalium quarundam regionum, ubi Episcopi ordinare solent eos, qui ex hæresi ad Fidem sunt conversi, quod tales ne in civili quidem foro à dignitatibus arceantur. *Nati in partibus hæreticorum.*

Addit Avila, Clericum in hæresim lapsum posse post pœnitentiam & abjurationem susceptos priùs ordines exercere, imo si hæresis erat occulta, posse post absolutionem ab excommunicatione ad ulteriores ordines promoveri. Quorum tamen utrumque negat Bonacina n. 6. cum aliis. Religiosus verò professus à religione suâ apostata secundùm omnes est irregularis. *Clericus lapsus in hæresim.*

VIII.

Quæres octavo: Utrùm Irregularitas proveniat ex homicidio voluntario, vel casuali? Homicidium voluntarium, si id non fiat ad defensionem *Quod homicidium inducat irregularitatem*

defensionem vitæ, honoris, aut rerum suarum aut proximi, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, inducit irregularitatem: & idem est de mutilatione: ita Suarez d. 44. 45. & 46. Filiu. t. 20. c. 1. n. 27. & c. 2. & 5. Coninck d. 18. d. 9. Tol. l. 1. c. 71. Bonacina d. 7. q. 4. p. 6. & 8. Layman l. 3. t. 3. p. 3. c. 9. & 10. & alii. Quamvis Molina, Coninck n. 75. Filiuc. c. 5. n. 135. & alii nonnulli dicant incurrere irregularitatem occidentem vel mutilantem, etiam in sui defensionem, si causam dederit invasionis, contumeliis scilicet alium afficiendo, adulterium cum ipsius uxore committendo, &c. Contrarium tamen cum Suario, Lessio, Henriquez, Bonacina, p. 6. n. 3. videtur probabilius.

Quid de mandante. Mandans expressè vel tacitè homicidium injustum, vel mutilationem, si sequatur, fit irregularis, nisi mandatum priùs revocaverit, & revocatio innotuerit mandatario; tunc enim mandans non influxit: ita Suarez d. 44. s. 3. Tol. l. 1. c. 80. Filiuc. t. 20. c. 1. n. 27. Bonacina d. 7. q. 4. p. 8. n. 13. & alii.

Idem est de consulente. Idem est de consulente, si ejus consilium verè in mortem vel mutilationem influxerit: si enim homicida antea animo paratus erat, & consilium nullo modo influat, non fit irregularis: ita Sua. d. 45. s. 3. Filiuc. t. 20. c. 4. n. 102. Coninck d. 18. d. 8. n. 60. Bonacina p. 8. n. 19. & alii. Si verò consilium ita revocarit, ut alter cui consilium dedit, merè ex animi obstinatione homicidium exequatur, puto cum Suarez, Filiucio, Sylvestro, Sayro, & aliis, non esse irregularem.

De homicidio casuali. Quoad secundum, homicidium omnino casuale, seu quod nec in se, nec in causâ est prævisum nec volitum non inducit irregularitatem: ita Sua. d. 45. s. 6. Filiucius c. 3. Bonacina p. 7. & alii communiter. Dans ergo operam rei periculosæ illicitæ, ex qua frequenter mors aut mutilatio sequi solet, incurrit irregularitatem, si mors aut mutilatio sequatur; nec enim simpliciter censentur hic & nunc casuales, cum debita ad eas evitandas non sit adhibita diligentia.

IX.

De justè hominem occidentibus. Quæres nonò: Quomodo Irregularitas proveniat ex defectu lenitatis, & accusando in causâ criminali? Quisquis alium publicâ auctoritate justè occidit aut mutilat, sicut & qui aliquo modo proximè cooperantur, ut judex ferens sententiam, ejusque assessores, item testes, satellites comprehendentes aut torquentes reum ad veritatem eliciendam, milites ad furtum deducentes, notarius scribens vel legens sententiam, & alii sunt totaliter irregulares: ita Suarez d. 47. Fil. tract. 19. cap. 9. num. 231. Bonacina d. 7. q. 4. punct. 1. num. 3. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 3. cap. 7. Tollet. Coninck disp. 18. dub. 10. & alii.

Consilium dans judici. Idem est de eo, qui consilium dat judici ut reum hic & nunc morte afficiat, si mors sequatur. Non tamen est irregularis vir doctus qui consultus à judice solùm dicit quid leges circa punitionem nocentum in similibus casibus præscribant.

Quid de acceleratibus mortem. Qui etiam mortem accelerant fiunt irregulares, hac irregularitate ex defectu lenitatis, ut jubentes reum conscendere scalas, &c. nisi levitas materiæ excuset juxta Avilam & Henriquez, ut si eum ascendere quis jubeat unum gradum. Notat verò Molina, & ex eo Bonacina n. 9. ubi quis aliquid præstitit unde mors est acceleranda, ad vitandam irregularitatem optimum factu esse, ut aliquid aliud præstet, unde mors tantundem retardetur.

Reum accusans. Quoad secundum, Clericus vel Laïcus accusans alium in causâ criminali incurrit irregularitatem, si inde mors aut mutilatio sequatur: ita Suarez d. 47. s. 2. Bonacina d. 7. q. 4. p. 2. Fil. t. 19. c. 9. n. 246. Coninck d. 18. d. 10. Layman l. 3. s. 5. t. 3. p. 3. c. 7. n. 5. & alii.

Si quis faciat protestationem Excipitur tamen casus quo quis alterum de crimine accusat, non ad vindictam, sed ad damnum sibi aut suis illatum reparandum, vel impediendum, modò protestationem faciat se nullo modo pœnam mortis aut mutilationis petere: tunc enim licèt mors sequatur, non ipsi imputatur, sicut nec imputaretur si accusaretur de crimine levi, & postea vel ex malitiâ judicis, vel aliorum accusatione inferatur mors aut mutilatio: Testes etiam in causâ mortis aut mutilationis sunt irregulares, nec eos excusat protestatio, nisi quando jure naturæ tenentur testari.

Advocatus tam accusatoris, quàm rei. Advocatus etiam accusatoris est irregularis si mors rei aut mutilatio sequatur. Irregularis etiam est advocatus rei, si illius negligentiâ reus pereat, non verò si justè defendens reum causa sit ut accusator occidatur, vel mutiletur, sic tamen si hoc ex defensione injustâ sequatur, sicut etiam si petat ut accusator qui compertus est falsò accusasse puniatur pœnâ talionis, seu sanguinis.

X.

De clericis in bello justo pugnantibus. Quæres decimò: An, & quomodo contrahatur Irregularitas ex bello? Clerici in extremâ necessitate pugnantes in bello justo defensivo, ut ad defendendam rempublicam, aut quid simile, vel de licentiâ Summi Pontificis, non incurrunt irregularitatem, etiamsi occidant vel mutilent: ita Suarez d. 47. s. 6. Bonacina d. 7. q. 4. p. 4. n. 11. & 12. Filiucius t. 19. c. 10. n. 266. & 267. Layman l. 3. s. 5. t. 3. p. 3. c. 9. & alii. Quod à fortiori verum est de Laïcis.

Quid facere possint clerici in bello justo offensivo. Possunt etiam Clerici citra irregularitatem interesse bello justo etiam aggressivo seu offensivo, non solùm ut in rebus spiritualibus pugnantibus assistant (quod etiam possunt in bello injusto) sed etiam milites hortando ad strenuè se gerendos, ad vincendum, &c. modò ad aliquem in particulari occidendum non instigent: imo & arma possunt militibus præbere: ita Auctores citati contra Sylvestrum & paucos alios hoc postremum negantes. A fortiori non sit quis irregularis hortando aliquem ad vitam & sanguinem pro Fide vel Ecclesiâ profundendum, imo nec hortando Principem ad bellum justum contra alium suscipiendum.

Quid si hominem occidant vel mutilent. Tam Clerici quàm Laici in bello sive justo sive injusto occidentes vel mutilantes, sunt irregulares: imo si in bello injusto ullo modo cooperentur, etiam hortando, & animos addendo, quod secus contingit in bello justo, ubi nullus est irregularis, nisi qui directè aliquo modo & immediatè concurrit, ut habetur c. *Petitio tua.* Clericus tamen, ut ibidem habetur, est irregularis, si in bello pugnans dubitet num aliquem occiderit: ita Auctores citati.

XI.

De Clerico in majoribus, Quæres undecimò: An, & quomodo incurratur Irregularitas medendo, aut ex chirurgiâ? Clericus, etiam beneficiatus, imo & in majoribus non peccat graviter, nec incurrit irregularitatem, medici aut chirurgi officium exercens citra absciſſionem & adustionem, etiamsi mors inde sequatur; hoc enim nullibi in jure prohibetur. Clericus verò in minoribus quamvis habeat beneficium non incurrit irregularitatem etiam abscindendo & adurendo: ita Bonacina d. 7. q. 4. p. 5. n. 4. Imo in extremâ necessitate clericus etiam

De eo in minoribus.

etiam in majoribus nec peccat, nec irregularitatem incurrit incîdendo & adurendo.

De notabili negligentiâ. Si tamen ex notabili negligentiâ clerici, aut etiam laici, mors sequatur, fiunt irregulares. Qui ergo curam infirmorum gerunt non incurrunt irregularitatem dum infirmum in lecto revolvunt, ut faciliùs somnum aut cibum capiat, etiamsi mors inde acceleretur, modò negligentia non sit notabilis, ita ut accedat ad peccatum mortale: ita Suarez d. 47. s. 7. n. 3. Filiucius t. 19. c. 10. n. 277. Bonacina p. 5. n. 2. & p. 7. n. 12.

De laicis medentibus. Laici verò secundùm regulas artis procedentes, etiam scindendo & adurendo non fiunt irregulares, quamvis mors sequatur. Medicus verò præbens medicinam, quam dubitat num boni aliquid ægroto factura sit vel mali, peccat, & fit irregularis, si mors inde sequatur, sive aliam habeat medicinam quam det, sive non, nisi planè desperata jam sit ægroti salus; tunc enim, si alia non suppetat, non peccat dando hanc, nec fit irregularis: & idem est de chirurgo in abscissione & adustione: ita Valentia 2. 2. d. 3. q. 10. p. 2. in hoc eventu intelligi asserens illud Galeni, *interfice audacter*, Sanchez l. 1. moral. c. 9. n. 39. Bonac. p. 5. n. 3. & alii.

XII. Quæres duodecimo: Quomodo tollatur Irregularitas? Tollitur inprimis ablatâ causâ ob quam fuerat inducta, quando pro tali tempore fertur quo manet causa. Sic irregularitas ex defectu ætatis ad suscipiendos vel exercendos ordines susceptos cessat adveniente ætate. Sic etiam irregularitas ex infamiâ facti cessat per emendationem vitæ: ita Suarez d. 41. s. 1. Bonacina d. 7. q. 5. p. 2. n. 5. & alii.

Ablatâ causâ quomodo cessat.

Delictum ante baptismum. Secundò Irregularitas ex delicto non afficit hominem jam baptizatum, si delictum ante baptismum commissum fuerit. Irregularitas tamen ex defectu incipit afficere hominem statim post Baptismum, si idem defectus maneat post Baptismi susceptionem: ita Suarez, citatus Coninck d. 18. d. 14. n. 109. Tol. l. 1. c. 89. n. 2. Filiuc. t. 20. c. 10. n. 255. Bonacina n. 1. & alii.

Vtrum jure tollatur per professionē. Tertiò per professionem vel emissionem votorum simplicium in religione approbatâ vult Soto tolli omnem irregularitatem ex consuetudine vel privilegio religionum. Sed alii omnes affirmant de tali consuetudine vel privilegio non constare, undeaiunt jure communi per ejusmodi professionem non tolli aliam irregularitatem, quàm ex defectu natalium, & hanc ad ordines tantùm, non ad prælaturam: unde sine Summi Pontificis licentiâ dicunt illegitimum fieri Abbatem aut Priorem non posse: ita Suarez d. 41. s. 1. n. 3. Filiucius t. 20. c. 10. n. 258. Coninck n. 110; Tol. l. 1. c. 89. n. 3. Bonacina p. 2. n. 2. & q. 2. p. 3. n. 14. Layman l. 1. t. 5. p. 5. c. 9. n. 6. & alii. Per privilegia tamen mendicantium per hujusmodi professionem tollitur omnis irregularitas præter eam quæ est ex bigamiâ & homicidio voluntario, & hæc etiam in quibusdam religionibus, quarum privilegia sunt consulenda. Saltem Prælati in quibusdam religionibus magnam ad hoc habent auctoritatem.

Vtrum per privilegia.

Quartò tandem tollitur irregularitas per dispensationem, qua in re Summus Pontifex in omni irregularitate dispensare potest. Utrùm autem eo ipso quod legem abroget inducentem irregularitatem, ob defectum natalium exempli gratia, tollatur irregularitas ab illegitimo non solùm qui post legis abrogationem nascitur, sed etiam ante, dum adhuc lex esset in vigore, probabilius videtur tolli, nisi verba abrogationis legis ad ipsum abrogationis tempus peculiariter referantur: ita Suarez d. 41. s. 1. n. 7. Filiu. t. 20. c. 10. n. 263. Bonacina d. 7. q. 5. p. 1. n. 2. & alii.

Tollitur irregularitas per dispensationem.

Episcopus (in locis ubi receptum est Concilium Tridentinum, non alibi) ex peculiari concessione Trident. sess. 24. c. 6. potest cum suis subditis, etiam extra diœcesim existentibus dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto, seu non notorio, præterquam ex homicidio voluntario, & delicto ad forum contentiosum deducto, nisi reus ibi absolvatur, aut non remaneat infamia ex semiplenâ probatione: ita Auctores citati; Sanchez tamen l. 8. de Matrim. d. 34. n. 57. ait crimen illud, si desinat ampliùs manere in foro contentioso reddi occultum sicut priùs, & posse in eâ irregularitate Episcopum dispensare. Idem privilegium habere Cardinalem in Ecclesiâ sui tituli, & Capitulum sede vacante affirmat Sanchez, Henriquez, & alii, negat Suarez, Filiucius, Bonacina, Toletus, cum aliis.

De auctoritate Episcopi in dispensando.

Aliud est de irregularitatibus ex defectu, unde in irregularitate ex defectu Sacramenti, seu bigamiâ verâ vel interpretativâ dispensare nequit Episcopus, sed solùm ex similitudinariâ cum Virgine: ita Suarez d. 49. s. 6. Bonacina q. 2. p. 5. n. 15. In eâ verò quæ provenit ex defectu natalium dispensare nequit Episcopus nisi ad minores; nec enim est irregularitas proveniens ex delicto occulto proprio, sed alieno, & censetur ex defectu, sicut carentia manus ab alio abscissæ: ita Bonacina puncto quarto.

De irregularitatibus ex defectu.

DISPV-

DISPUTATIO CENTESIMA.

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ ad Sacramenti hujus notitiam pertinent.

I. *Sacramentum Extremæ Vnctionis à Christo fuit institutum.*

SACRAMENTUM Extremæ-Unctionis à Christo institutum est, ut docet Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite & canone primo, & à Sancto Jacobo Apostolo promulgatum dum dicit capite quinto Epistolæ suæ canonicæ: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, allevabit eum Dominus: & si in peccatis sit dimittentur ei.*

II. *Quamvis Apostoli, Marcæ. 6. infirmos oleo ungerent, dicendum tamen eos Sacramentū hoc tunc verè non administrasse.*

Licèt autem Marci sexto administratum videatur hoc Sacramentum, ubi de Apostolis dicitur, *Vngebant oleo multos, & sanabant*; dicendum tamen eos verè hoc Sacramentum ibi non administrasse, tum quia necdum Sacerdotes erant, ut definit Tridentinum, solus autem Sacerdos juxta Florentinum & Tridentinum est minister hujus Sacramenti, ut etiam insinuant verba Sancti Jacobi, tum quia omne genus infirmorum, etiam non graviter laborantium, cœcos etiam, claudos & alios similes unguebant, imo etiam non baptizatos: omnino autem gratis responderet quisquis diceret Christum in his omnibus dispensasse; sic enim praxis hujus Sacramenti, quæ erat perpetuò in Ecclesia permansura, fuisset omnino contraria praxi in quâ illud primò instituisset, & administrari jussisset Christus.

III. *Effectus Extremæ Vnctionis est conferre gratiam, qua det jus ad specialia quædam auxilia.*

Effectus hujus Sacramenti est, gratiam conferre, quæ det jus ad auxilia, quibus fortior reddatur homo ad dæmonis, calcaneo insidiantis, tentationibus resistendum, & ut morbi incommoda patienter ferat, item quâ allevietur infirmi anima, excitando in eâ fiduciam Divinæ misericordiæ, ut declarat Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite secundo. Tandem ut abstergat reliquias peccatorum, sive venialium, sive etiam mortalium: unde & primam gratiam interdum confert, ut in tractatu de Sacramentis in genere suprà, & de Pœnitentiâ cum Bellarmino de Extrrmâ-Unctione, capite octavo, & aliis plurimis diximus. Remittit etiam partem pœnæ temporalis: corporis insuper sanitatem subinde restituit.

IV. *Materia proxima hujus Sacramenti est Vnctio, remota oleum olivæ.*

Materia proxima hujus Sacramenti est unctio, cùm consistat in actione, remota oleum olivæ, ut declarat Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. ad Armenos, & hoc sufficienter intelligitur per nomen olei, quod absolvitè prolatum significat oleum ex olearum baccis expressum. Addit Suarez disp. quartâ, sect. primâ, num. tertio, aitque esse communem Theologorum sententiam, Coninck disp. decima-nonâ, dub. secundo num. sexto, debere hoc oleum necessitate Sacramenti esse ab Episcopo benedictum, cùm id & à Concilio Florentino & Tridentino asseratur. Aliqui tamen putant non loqui hæc Concilia de necessitate Sacramenti, sed præcepti, ob usum & consuetudinem Ecclesiæ; unde probabile putant sufficere benedictionem Sacerdotis, cùm Petrus Arcudius in concordiâ Latinæ & Græcæ Ecclesiæ circa usum Sacramentorum dicat hoc Græcæ Ecclesiæ in more fuisse diu ante lapsum in schisma: imo addunt aliqui, Clementem octavum Anno 1595. declarasse, non esse eos cogendos ad contrarium.

V. *Quanam sit Sacramenti hujus forma.*

Forma hujus Sacramenti est: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum*, & sic de cæteris sensibus: unde cùm hæc sit forma, & à Conciliis assignata, & usu Ecclesiæ universalis comprobata, videtur necessariò debere eam esse deprecatoriam, & non sufficere assertoriam. Nonnulli tamen ob auctoritatem Sancti Ambrosii aiunt satis esse si forma sit assertoria, sicut in aliis Sacramentis.

VI. *Quibus administrari possit hoc Sacramentum.*

Solis & omnibus infirmis baptizatis, qui aliquando ratione usi sunt, conferri potest hoc Sacramentum: unde nec infantibus, nec perpetuò amentibus, nec iis qui integrâ valetudine ad mortem ducuntur administrari potest. Non tamen est necessarium ut aliquando peccarit, quare Albertus Magnus, S. Antoninus, & alii Auctores apud Suarium Tomo secundo in tertiam partem, disp. decima-octavâ, sect. tertiâ, dicunt Beatam Virginem Sacramentum hoc de facto suscepisse: quod etiam docet Canisius libro primo de Beatâ Mariâ, capite nono.

VII. *Iterari potest hoc Sacramētum.*

Iterari potest hoc Sacramentum; non tamen in eodem morbo, nisi post magnum aliquod intervallum temporis, & in quo status morbi ita fuisset immutatus, ut censeretur tempore illo intermedio fuisse extra periculum mortis, sicque quantum ad hoc periculum, censeatur novus morbus, ut ex communi Theologorum sententiâ docet Coninck disp. decima-nonâ, dub. 8. & Layman de Extremâ-Unctione, cap. quinto, num. quinto, & alii passim. Probabile tamen est, si post aliquot hebdomadarum insterstitium, ut vult Layman, aut duorum mensium, ut vult Tannerus notabiliter mutetur morbus, etsi non planè cessarit mortis periculum, posse hominem iterum inungi.

VIII. *Quando, & quale peccatū sit omittere susceptionem Extremæ Vnctionis.*

Citra scandalum & contemptum omittere susceptionem hujus Sacramenti non est peccatum mortale, sed ad summum veniale, cùm nullum sit præceptum vel divinum, vel humanum illud suscipiendi, ut cum communi docet Coninck disp. 19. dub. 19.

dubio decimo. Habens curam animarum tenetur ex justitiâ petenti subdito hoc Sacramentum per se vel alium administrare: non habens curam animarum tenetur ex Charitate id ei administrare, qui graviter eo indigere censeretur, ut si sine omni Sacramento esset moriturus.

SECTIO SECUNDA.

De numero unctionum ad hoc Sacramentum requisitarum.

I. *Quot, & quæ Vnctiones sint de essentiâ hujus Sacramenti.*

PRÆCIPUA difficultas in hac materiâ, est, quot & quænam unctiones sint de essentiâ hujus Sacramenti. Concilium Florentinum requirit septem, nam præter unctiones quinque sensuum (tactus enim peculiariter tribuitur manibus) sextam assignat in pedibus, & septimam in renibus. Hæc tamen postrema ferè omittitur, nec censetur de essentiâ Sacramenti. Quod etiam Suarez disp. quadragesimâ, sect. secundâ, num. sexto, & Coninck dubio tertio docent de sextâ, nempe frequenter omitti, nec nisi ob consuetudinem loci necessariò adhibendam.

II. *Quæstio præcipuè procedit de quinque primis unctionibus.*

Quæstio itaque est de quinque primis, an sint de essentiâ, an solùm de integritate hujus Sacramenti. Prima sententia, eáque communis ait quinque primas unctiones ita esse necessarias ad hoc Sacramentum, ut nec detur gratia antequam omnes absolvantur, nec vel unâ omissâ constituatur Sacramentum, magis quàm si materia & forma in aliquo alio Sacramento omitteretur: ita Suarez disp. quadragesimâ sextâ, sect. secundâ, num. octavo, Bellarminus, Valentia, Henriquez, Coninck disput. decima-nonâ, dubio tertio, licèt inclinet in contrariam sententiam. Prima probatio deducitur ex praxi universali, & materiâ assignatâ à Conciliis. Secunda, quia omnes unctiones ordinantur ad integram animæ sanitatem, quæ tamen non significatur nisi quinque illis unctionibus perfectis.

III. *Probabile tamen est, quamlibet partialem unctionem constituere partiale Sacramentum, & statim conferre gratiam.*

Secunda tamen sententia non caret probabilitate, quæ docet quamlibet partialem unctionem constituere partiale Sacramentum, & gratiam statim conferre, omnes autem totale: hanc sententiam innuit Scotus, Paludanus, Joannes Medina, & alii, & insinuare videtur Sanctus Thomas in supplemento, quæst. vigesima-nonâ, articulo secundo, dum hoc Sacramentum quoad unitatem comparat Eucharistiæ: tenet Prælatus dub. decimo, num. octogesimo quinto, qui alios citat, & probabilem censet Suarez citatus, numero nono.

IV. *Singula quinque unctiones significant partialem animæ sanitatem, omnes totalem.*

Probatur solvendo secundam rationem pro contrariâ sententiâ; esto enim omnes quinque unctiones significent completam & integram animæ sanitatem, singulæ tamen significare possunt partialem, & sic omnes simul dare integram sanitatem, seu munire animam per auxilia ad vincendas tentationes, quæ oriri possunt in ullis ex quinque sensibus. Confirmatur: In ordine singulæ ordinationes partiales constituunt unum ordinem totalem: imo ordo Sacerdotii non constituitur completè sine duabus partialibus ordinationibus, per quas sigillatim datur potestas consecrandi & absolvendi.

V. *Deinde, unctio renûm non est pars essentialis hujus Sacramenti, ergo nec ulla in particulari ex aliis.*

Confirmatur secundò: Nam unctio renum, licèt non videatur dubium quin conferat gratiam, cùm assignetur à Concilio tanquam pars hujus Sacramenti æquè ac aliæ unctiones cum simili formâ, non tamen est pars essentialis, cùm juxta rubricas Romanas omitti possit, imo & frequenter omittatur, ergo nec aliæ. Confirmatur tertiò: Si namque Sacerdos, qui unam vel alteram unctionem perfecit, moreretur aut morbo impediretur alius deberet progredi, non tamen iterare eas quæ priùs erant positæ, ergo non sunt partes essentiales; hæ enim omnes poni debent ab eodem Sacerdote: unde non potest unus Sacerdos ponere materiam, lavare puerum exempli gratiâ in Baptismo, alter pronunciare formam, imo nec unus pronunciare unam partem formæ, & alius aliam, quod tamen hîc contingeret, cùm singulæ formæ partiales aliquid diversum afferant ab aliis.

VI. *Solvitur objectio deducta ex praxi universali.*

Secunda ratio contrariæ sententiæ soluta est in probatione nostræ sententiæ. Ad primam dico, cùm aliquæ unctiones quæ assignantur à Concilio, omitti possint, non esse rationem cur ulla in particulari sit essentialis, licèt aliqua decentiæ causâ faciliùs omittatur. Licitè tamen videntur quinque illæ unctiones non posse omitti, cùm celerrimè omnes peragi possint sub unâ formâ dicendo: *Per istam Sanctam Vnctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum:* quam formam pastorale Mechlinienſe ponit tanquam sufficientem, etiam cum unctione unius organi, quando est periculum infectionis, quod pastorale quoad hoc punctum Anno 1588. approbavit tota Universitas Lovanienſis unà cum Archiepiscopo Mechlinienſi, ut refert Coninck dubio tertio.



DISPV-

DISPUTATIO CENTESIMA PRIMA.

De Sacramento Ordinis.

DE materiâ & formâ Ordinis latè diximus suprà in tractatu de Sacramentis in genere: nunc alia quæ ad plenam Sacramenti hujus notitiam pertinent, obiter perstringemus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Ordo?

I. *Quid nomine Ordinis, prout hic sumitur, intelligatur.*

ORDO, prout hìc sumitur, significat certum quendam & stabilem gradum, seu statum, per quem Ecclesiæ ministri secundùm diversas dignitates & officia disponuntur. Actio verò illa, per quam constituuntur in hujusmodi gradibus ministri Ecclesiæ, vocatur ordinatio.

II. *Hi Ordines numerantur septem.*

Hi Ordines numerantur septem à Theologis, & eorum mentionem facit Concilium Tridentinum sessione 23. capite secundo: sunt autem, *Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius.* Horum mentionem faciunt antiquissimi quique ex Sanctis Patribus, ut Sanctus Cornelius Pontifex, Concilium etiam Carthaginense quartum, cui subscribit Sanctus Augustinus, ubi etiam describitur modus, quo singuli ab Episcopo conferuntur. His addi volunt aliqui *Cantores*, sed immeritò, tum quia Concilium Tridentinum suprà, ubi ex professo ordines enumerat nullam illorum mentionem facit: deinde diversimodè de iis loquitur Concilium quartum Carthaginense, quàm de ordinibus, & ad summum vult esse ordinem latè sumptum, prout Ordo dicit officium aliquod ad Dei cultum spectans. Idem dici solet de fossariis, quorum munus erat mortuos sepelire.

III. *Primam tonsuram esse Ordinem aiunt Canonistæ.*

Primam tonsuram Canonistæ numerant in ordinibus, & sic volunt esse octo: sed passim negant Theologi, quia in Concilio illo Carthaginensi quarto nulla illius fit mentio, sicque solùm est dispositio quædam ad Ordines: unde P. Vasquez ait, cùm Ordines idem sint, ac gradus quidam ad ministrandum in Ecclesiâ, per quos clerici alii aliis sunt superiores in eo ministerio, prima tonsura, cùm sit omnibus clericis communis, non est gradus, sed potiùs instar soli, seu pavimenti: quod etiam affirmat Coninck disputatione vigesimâ, dubio primo, numero tertio & alii, mihique videtur verissimum.

IV. *Episcopatus, secundùm id quod addit Sacerdotio, negant aliqui esse Ordinem.*

Graves aliqui Auctores, inter quos est Sanctus Thomas in Supplemento, quæst. 37. art. secundo, Corpore, quem sequitur Sotus & alii, ita volunt tantum esse septem Ordines supra positos, ut Episcopatum, secundùm id quod addit Sacerdotio, negent esse Ordinem. Contrarium tamen communiter ab Auctoribus tenetur: imo aliqui putant esse de fide Episcopatum esse Ordinem & Sacramentum. Probatur ex illo primæ ad Timotheum quarto, *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*, id est cœtus Episcoporum, ibique alloquitur eum ut Episcopum. Deinde hoc idem suadet potestas illa spiritualis perpetua collata Episcopo consecrandi Sacerdotes, confirmandi, &c. ergo imprimit characterem, saltem partialiter distinctum à charactere Sacerdotis, quique sit aliqua illius extensio.

V. *Cur Episcopatus non censeatur diversus Ordo absolutè à Sacerdotio.*

Ob hoc verò non censetur Episcopatus diversus Ordo à Sacerdotio, sed illud tanquam partem includere, cùm detur solùm potestas completa per illum in corpus Christi tum verum tum mysticum: unde & essentialiter secundùm id quod addit Sacerdotio illud supponit, cum potestas in corpus Christi mysticum, supponat potestatem in verum. Quare licèt Episcopatus adæquatè sumptus sit Sacerdotio perfectior, cùm illud includat, si tamen sumatur secundùm id præcisè, quod addit, est illo imperfectior, cùm potestas consecrandi corpus Christi & absolvendi à peccatis sit per se dignissima.

VI. *Episcopi potestatem Ordinis simpliciter habent Presbyteris majorem.*

Episcopi tamen potestatem ordinis simpliciter habent Presbyteris majorem. In primitivâ tamen Ecclesiâ videntur Presbyteri habuisse amplissimam jurisdictionem, & Episcopali pene parem, ut ait Coninck disp. 20. dub. 4. num. 29. quâ de causâ vocantur subinde in Scripturâ Episcopi, ratione scilicet illius jurisdictionis, & quòd aliis plurimis in regimine præessent. Patres tamen, & perpetua traditio Ecclesiæ docent eos habere officia valdè distincta, & esse in Episcopis potestatem ordinandi, & confirmandi, quæ non est in Sacerdotibus, quod expressè inter alios docet Sanctus Hieronymus epistolâ 85. ad Evagrium, & definit Concilium Trid. sessione 23. canone 7. suntque Episcopi Presbyteris superiores.

VII. *Sintnè hi Ordines Sacramenta.*

Quæres: Utrùm hi ordines sint Sacramenta? De Episcopatu, jam probatum est esse Sacramentum: quibus ulteriùs addi potest, quòd Concilium Tridentinum sess. vigesimâ tertiâ, capite tertio, cùm docuisset sacram ordinationem esse Sacramentum, id probat ex capite primo & secundo Epistolæ ad Timotheum, ubi agitur de ordinatione Timothei in Episcopum. De Sacerdotio nemo dubitat ex orthodoxis. De reliquis omnibus negant Durandus & Caietanus. Magister, & alii nonnulli Subdiaconatum & alios inferiores ordines negant esse Sacramentum. Navarrus, Soto, Vasquez disp. centesimâ trigesimâ septimâ, capite secundo, & alii dicunt nullum ordinem infra Subdiaconatum esse Sacramentum.

VIII. *Omnes septem Ordines sunt Sacramẽta.*

Verisimilius tamen videtur omnes septem ordines enumeratos esse Sacramenta: ita communis jam sententia, ut videri potest in Bellarmino de Ordine, cap. sexto. Ratio præcipua desumitur ex Concilio Florentino & Tridentino; hoc enim sessione vigesimâ tertiâ, cap. tertio docet Ordinem esse Sacramentum, loquens de iis ordinibus, quos capite secundo enumeraverat, ubi hos septem posuerat: illud verò ubi dixisset Ordinem esse Sacramentum, assignat materiam & formam ordinum etiam inferiorum.

IX. *Quid sufficiat ut hi Ordines censeantur Sacramenta.*

Ut autem Ordo censeatur Sacramentum, sufficit quòd speciali modo per illum gradum deputetur quis ad certum munus in Ecclesiâ præstandum, licèt illud possit etiam fieri quoad substantiam à Laico. Imo olim aliqui per gratiam gratis datam ejiciebant dæmones, licèt Ordinem Exorcistæ non accepissent, de quibus loquitur Sanctus Clemens libro octavo constitutionum Apostolicarum, capite vigesimo sexto. Non tamen sunt plura Sacramenta quàm septem; omnes enim hi ordines constituunt unum Sacramentum Ordinis. Primam verò tonsuram non esse Ordinem nec Sacramentum, præter dicta insinuat Concilium Tridentinum sessione vigesimâ tertiâ, capite secundo.

X. *Materia Ordinis est illud, per cujus traditionem confertur.*

Materia hujus Sacramenti est illud, per cujus traditionem confertur, ut docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. ad Armenos, de quâ diximus de Sacramentis in genere. In ordinatione tamen Sacerdotis duplex partialis intercedit ordinatio, prima circa Offertorium, quando cum porrectione patenæ cum pane & calicis cum vino datur ei potestas consecrandi, seu in corpus Christi verum, secunda, quando in fine Missæ per impositionem manuum accipit potestatem in corpus Christi mysticum, seu remittendi peccata: unde & duplex partialis imprimitur character, alioqui dicere quis posset eundem characterem sufficere pro omnibus ordinibus. Idem dicunt multi contingere in ordinatione Acolythi, quando primò accipit ceroferarium cum cereo, & postea urceolum vacuum.

XI. *Requiratur-nè contactus physicus.*

Existimo tamen cum Vasquez, Henriquez, & aliis ex recentioribus contactum physicum hujus materiæ non esse de essentiâ Sacramenti, quod certum videtur si vel calicem, vel patenam, vel hostiam solam tangat; cùm enim ibi sint illa omnia per modum unius, qui unam partem tangit, totum tangit. Si tamen nihil tangat videtur ordinatio Episcopi & Sacerdotis sub conditione iterandâ, ob maxima incommoda, quæ alioqui sequi possent. Verum est quidem in variis Sacramentis, ubi requiruntur actiones physicæ, ut unctiones, ablutiones, &c. requiri physicum contactum aquæ, olei, &c. quia istæ actiones significant motum in suscipiente, non sic traditio, quæ adæquatè est in Episcopo.

XII. *Quæ de causâ Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus dicantur ordines majores.*

Sacerdotium, Diaconatus & Subdiaconatus esse ordines majores docet Concilium Tridentinum ex communi Patrum & Conciliorum consensu, ut ait sessione vigesimâ tertiâ, capite secundo: dicuntur verò majores, Presbyteratus ob sui excellentiam & potestatem consecrandi, alii autem duo quòd in altari Presbytero inserviendo de ejus dignitate participent. Ordines autem sacri propterea dicuntur, quod habeant sibi annexum votum continentiæ, quod cum non semper habuerit Subdiaconatus, non semper habitus est ordo sacer.

SECTIO SECUNDA.

Expediuntur reliqua ad Sacramentum Ordinis spectantia.

I. *Potestas ordinaria hoc Sacramentum administrandi propria est Episcopi.*

In primis circa ministrum hujus Sacramenti, dicendum cum Concilio Florentino in decreto Eugenii, & Tridentino sessione vigesimâ tertiâ, capite quarto, & canone septimo, ordinariam potestatem illud administrandi, ita propriam esse Episcoporum, ut nullis aliis competat. Hoc tamen non obstante certum omnino apud omnes esse debet, posse Sacerdoti simplici committi potestatem conferendi ordines minores, cùm Concilium Tridentinum sessione vigesimâ tertiâ, capite decimo de reformatione, limitet potestatem Abbatum in collatione horum ordinum, quod apertum indicium est aliquam iis à Pontificibus esse concessam.

II. *Asserunt aliqui, posse Pontificem concedere simplici Sacerdoti ut ordinet Subdiaconum, imo & Diaconum.*

Ex quo etiam deducitur cum Vasquez disp. ducentesimâ quadragesimâ tertiâ, num. trigesimo nono, Coninck, Præpositio, & aliis, posse Pontificem concedere simplici Sacerdoti, ut ordinet Subdiaconum, imo & Diaconum. Ratio est similis præcedenti, nam de facto Innocentius VIII. Anno 1489. Abbati Cistercienſi concessit ut sui Ordinis monachos posset Subdiaconos & Diaconos ordinare, cujus Bullæ meminit Navarrus, Rodriquez, Vasquez, & Victoria.

III. *Nequit simplex Sacerdos ex commissione Pontificis ordinare alium Sacerdotem.*

Hinc ulteriùs Aureolus, Præpositus, Vasquez, & alii inferunt non posse ex commissione Pontificis simplicem Sacerdotem ordinare alium Sacerdotem, primò, quia ut benè Coninck numero octogesimo sexto, nullum extat exemplum quo hoc unquam concessum sit, unde perpetuâ quasi traditione Ecclesiæ hoc nobis intimatur. Deinde, nisi hoc reservetur Episcopo, non potest ostendi ad quam functionem ordo Episcopalis sit Ecclesiæ absolutè necessarius.

IV. *A fortiori nequit simplex Sacerdos consecrare Episcopum.*

Ex quibus à fortiore constat, non posse simplicem Sacerdotem ordinare Episcopum; nec enim major debet à minore benedici, ut ait Apostolus ad Hebræos septimo, sed minor à majore. Ad Episcopi itaque consecrationem requiri videntur tres Episcopi, vel duo præter principalem consecrantem: dicit Sanctus Clemens requiri tres, aut saltem duos. Hoc constat, tum quia Sanctus Timotheus ordinatus est Episcopus, ut dicitur, per impositionem manuum presbyterii seu cœtus Episcoporum, ut dici solet: tum quia Sanctus Anacletus, qui vixit tempore Sancti Petri, hoc idem testatur, dicens debere Episcopum à tribus ordinari, sicut Jacobus frater

fratef Domini à Petro, Jacobo, & Joanne ordinatus fuerat: tum denique quia Damasus Papa Epistolâ quartâ inde probat Chorepiscopos illos veros Episcopos non fuisse, quia à tribus ordinati non fuerant. Addo tamen probabile esse non requiri essentialiter tot, ob auctoritatem Sancti Clementis, qui in casu necessitatis dicit unum Episcopum sufficere ex commissione Summi Pontificis, maximè cùm Bellarminus testetur consuetudinem alicubi esse, ut ob paucitatem Episcoporum Abbates infulati eorum loco in hoc ministerio subrogentur.

V. *Essentialiter requiritur, ut qui ordinem suscipit, sit vir.*

Circa eos qui hujus Sacramenti capaces sunt certum omnino & de Fide est, ut ait Coninck disp. vigesimâ, dubio decimo, num. nonagesimo quarto, debere esse virum quisquis susceperturus est hoc Sacramentum. Unde Montanistæ, qui fœminas habebant Sacerdotes, erant hoc nomine ab omnibus habiti hæretici, & infames. Quare licèt olim essent Diaconissæ, quæ cum aliquâ solemnitate assumebantur ad aliqua præstanda, & in particulari ad instruendum fœminas cathecumenas, iisque decentiæ causâ in Baptismo assistendum, non tamen suscipiebant ullum sacrum Ordinem magis quàm Abbatissæ modò. Quod autem quædam olim vocarentur Episcopæ & Presbyteræ, vel etiam aliquando Diaconissæ, inde contigit, quòd earum viri factatori separatione, in Episcopos, Presbyteros, & Diaconos assumerentur.

VI. *Variè ostenditur fœminam non esse aptam quæ ordinetur.*

Quòd autem fœmina non sit apta quæ ordinetur, constat primò ex communi consensu omnium. Deinde Apostolus primæ ad Corinthios, decimo quarto ait, turpe est fœminæ in Ecclesiâ loqui, nec ei hoc ullo modo est permittendum. Præterea Innocentius III. hoc ex eo probat, quòd quamvis Beatissima Virgo Apostolos omnes dignitate & excellentiâ multum antecesserit, Christus tamen, non illi, sed his claves regni cœlorum reliquerit: quâ de causâ reprehendit Abbatissas quasdam, quæ monialium suarum confessiones audire præsumebant.

VII. *Nullus valide ordinatur, qui non sit baptizatus.*

Quoad alia ad ordinum susceptionem requisita, debet esse baptizatus, cùm Baptismus, ut Ecclesiæ, ita Sacramentorum omnium sit janua. Ætas nulla determinata ad validè ordines suscipiendos requiritur: unde & infans ordinari Sacerdos aut Episcopus validè potest, ut communis habet Theologorum sententia contra Durandum & Petrum Soto, nec magis in eo requiritur consensus ad hoc Sacramentum validè suscipiendum, quàm ad Baptismum aut confirmationem. Deinde capite unico *De clerico per saltum promoto*, refertur de quodam, qui ante annos discretionis ordines omnes usque ad Diaconatum susceperat, & censetur id validè fuisse factum, & potuisse alios ordines similiter ei tunc conferri. Postea tamen poterit ducere uxorem si velit, & vivere instar laici. Ut autem licitè quis ordinetur, requiritur ad Subdiaconatum juxta Concilium Tridentinum annus vigesimus secundus inchoatus: ad Diaconatum similiter annus vigesimus tertius: ad Presbyteratum annus vigesimus quintus eodem modo, vel ad medium diem inchoatus.

Ordinibus tamè sacris ante annos discretionis initiatus, vivere potest instar laici.

VIII. *In Sacerdotibus & Diaconis obligatio continentiæ fuit antiquissima.*

Obligationem continentiæ in Sacerdotibus & Diaconis (non Subdiaconis, licèt jam obligentur) antiquissimam in Ecclesiâ fuisse ob votum castitatis iis ordinibus annexum constat ex Patribus & Conciliis, ejúsque meminit S. Epiphanius Hieronymus, & alii. Probabilius tamen videtur non esse juris divini, cùm Ecclesia Latina non improbet consuetudinem Græcorum quoad ipsos, doceátque cap. *Cùm olim* de Clericis conjugatis, filios ortos ex Matrimonio ante susceptos ordines contracto, esse legitimos. Imo & Diaconis olim permissum erat in ordinatione suâ protestari contra continentiam, & postea uxorem ducere.

IX. *In quo Græci cum Latinis hac in re cõveniant.*

In hoc ergo jàm conveniunt Græci cum Latinis, primò, quòd Episcopi debeant esse cælibes: deinde, quòd post susceptos ordines non liceat Matrimonium contrahere: in hoc tamen differunt, quòd Ecclesia Latina usu Matrimonii, etiam ante susceptos ordines contracti, sacris hominibus interdicat, cùm nihilominus Græci id licitum esse asseverent, sicque antequam initientur, uxores semper ducunt.

DISPUTATIO CENTESIMA SECUNDA.

De Sacramento Matrimonii.

NVM jam nobis ex septem Ecclesiæ Sacramentis explicandum restat Matrimonium. Hic verò tractatus, quamvis ultimo loco tradi à Theologis soleat, non paucas tamen nec vulgares in se difficultatates complectitur, ut ex eruditissimo Patris Thomæ Sanchez hac de re conscripto opere constat, doctissimisq; aliorum lucubrationibus, qui de hoc Sacramento accuratè & copiosè scripserunt illudq; summâ curâ ac diligentiâ illustrarunt. Mihi animus non est fusam de eo disputationem instituere, sed illa tantùm paucis attexere, quæ iis deserviant, qui sanctum excipiendi confessiones animasq; tractandi munus suscipiunt, à quibus brevem hujuscemodi tractatum expeti intelligo. Nonnulla tamen de sponsalibus præmittam.

SECTIO PRIMA.

De naturâ sponsalium.

I. *Eorum definitio.*

QUÆRES primò: Quid sint & quas conditiones requirant sponsalia? Sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonii: ita Sanchez l. 1. de Matrim. d. 18. n. 14. Valentia tom. 4. d. 10. p. 5. Filiucius tract. 10. cap. 7. num. 235. Layman tract. 10. lib. 5. c. 1. num. 10. Bonacina de Matrim. q. 1. p. 1. n. 1. Coninck de Matrim. disp. 21. dub. 2. & alii communiter.

Sunt promissio mutua.

Hæc autem promissio debet inprimis esse deliberata, ac exteriùs verbo aut signo aliquo ad hoc instituto manifestata, cùm fiat homini, & licèt si quis fœminæ matrimonium de futuro promittat, & illa acceptet, obligetur illi ex fidelitate, non tamen sunt sponsalia nisi illa vicissim repromittat, sicque resiliens non potest cogi pœnis contra resilientes à sponsalibus in jure statutis.

Virùm sola taciturnitas sufficiat.

Taciturnitas ergo non sufficit ad contrahenda sponsalia, nisi alicubi vel ex consuetudine, vel lege taciturnitas accipi pro expressione consensus soleat, ut sit quando parentes pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, ipsis præsentibus & non contradicentibus: quod etiam Navarrus, Sotus, Coninck, & alii affirmant de filiis absentibus, modò ubi hoc intellexerint consensum præbeant, & non contradicant. Regula ergo juris in sexto, *Qui tacet consentire videtur*, intelligitur de re quando est in illius favorem, non in præjudicium, ut sit in obligatione ad tradendum corpus suum in potestatem alterius; in his enim valet alia regula juris in eodem sexto, *Qui tacet neque consentire neque dissentire videtur.*

II. *Stricta ex iis oritur obligatio.*

Quæres secundò: Qualis sit obligatio Sponsalium? Dico primò, ex veris sponsalibus nascitur per se loquendo obligatio ea implendi: ita Sanchez l. 1. d. 27. n. 2. Coninck d. 22. d. 1. Bonacina q. 1. p. 2. n. 1. Layman t. 10. c. 1. n. 3. Filiucius t. 10. c. 7. n. 236. & alii passim. Ratio est, quia sponsalia sunt verus contractus, qui in re gravi semper obligat sub mortali. Unde quamdiu alter in fide persistit, alter resilire nequit, idque licèt magna sit differentia inter eos in nobilitate, divitiis, &c. si id promittens nosset priùs quàm sponsalia iniret.

Exceptio hac in re.

Dixi per se loquendo; si enim ex matrimonio illo secuturum sit grave malum aut scandalum, graves rixæ parentum &c. non tenetur implere.

Virùm obligent ficta sponsalia.

Dico secundò, ficta sponsalia ex se non obligant, cùm desit intentio: ità Auctores citati: si tamen sit periculum scandali, aut grave malum intulerit fœminæ, quod alio modo quàm per matrimonium aboleri nequit, tenetur eam ducere, ut si copulam extorserit à virgine aut fœminâ bonæ famæ, nisi adeo occultè sit factum, ut nullum sit infamiæ periculum in fœminâ; tunc enim

enim sufficit injuriam compensare arbitrio prudentis viri. Quædam tamen damna possunt per pecuniam compensari, ut si mulier expensas fecerit, aliud matrimonium commodum ex hac occasione reliquerit, &c.

Aliud de notabiliter impariibus.

Quod si vir notabiliter impar nobilitate aut divitiis sub fictâ promissione Matrimonii copulam extorserit à fœminâ hujus disparitatis conscià, non tenetur eam ducere, imo nec dotare, nam voluntariè præsumitur decepta, cùm facilè advertere potuerit talem virum non habuisse animum eam ducendi. Imo Sanchez d. 10. n. 19. Lessius l. 2. c. 10. d. 3. n. 25. Bonacina n. 7. & alii affirmant virum in eo casu ad nullam restitutionem teneri.

III. *Censuris cogi quis potest, ut stet sponsalibus.*

Quæres tertiò: An cogi quis possit pœnis ad standum sponsalibus? Respondetur affirmativè: imo Judex Ecclesiasticus non solùm potest, sed tenetur volentem resilire, præmissâ admonitione censuris cogere, maximè si sponsalia jurata sint, aut sponsa sub specie Matrimonii corrupta, dummodo ordinarius hac ratione spontaneum nuptiarum consensum impetraturum se speret, sin minùs præstat censuris supersedere, & minus malum permittere, violationem scilicet promissionis, quàm ad majus malum, Matrimonium scilicet coactum inducere: ita Sanchez l. 1. d. 29. n. 4. & d. 22. n. 2. Layman c. 1. num. 4. Filiucius t. 10. c. 7. n. 262. Ratio est, quia præterquam quòd hoc rationi consonum sit, apertè etiam in jure præceptum est.

IV. *Ætas sponsalium.*

Quæres quartò: Quæ ætas requiratur ad sponsalia, & Matrimonium? Respondetur, ad sponsalia requiritur septennium tam in mare quàm fœmina, ad Matrimonium verò jure Ecclesiastico ætas quatuordecim annorum in mare, & 12. in fœminâ: quod tempus debet esse completum, vel physicè, ut ait Sanchez, Coninck, Reginaldus, & alii, ita ut ultimus saltem dies temporis tam ad sponsalia, quàm matrimonium requisiti sit inchoatus, vel moraliter, ita ut non plus quàm duo vel tres dies desint juxta Bonacinam, vel quàm decem dies secundùm Ledesmam.

Ætas matrimonii.

Quid si malitia suppleat ætatem,

Si tamen malitia suppleat ætatem possunt valide tam sponsalia, quàm matrimonium citiùs fieri: ad sponsalia autem malitia supplet ætatem quando in contrahentibus est ante illam ætatem perfectus rationis usus, ita ut plenè intelligant quid agant: ad Matrimonium verò si ante ætatem à jure requisitam sit in contrahentibus potentia generandi & discretio sufficiens ad cognoscendam naturam conjugalis contractus: ita Sanchez l. 1. d. 16. n. 10. Coninck d. 21. d. 5. n. 52. Bonacina q. 1. p. 4. n. 1. Layman l. 5. t. 10. c. 1. n. 16. Filiucius t. 10. c. 7. n. 257. & alii communiter.

Peccant contrahentes matrimonium ante ætatem.

Licèt autem juxta communem sententiam peccent mortaliter impuberes contrahentes Matrimonium ante ætatem præscriptam, malitiâ supplente ætatem, non tamen est idem de sponsalibus, ubi citiùs advenit usus rationis, cùm c. 2. de sponsalibus impuberum, solùm agatur de Matrimoniò, ut affirmat Sanchez l. 1. d. 17. n. 4. Filiucius n. 259. Coninck n. 54. & alii. Bonacina tamen n. 6. Navarrus c. 22. n. 31. Sylvester, Henriquez, & alii dicunt peccare mortaliter, nisi ob urgentissimam causam id faciant.

SECTIO SECUNDA.

De dissolutione sponsalium.

I. *Notabilis mutatio potest solvere sponsalia.*

QUÆRES primò: An Sponsalia dissolvi possint propter mutationem notabilem supervenientem? Respondetur affirmativè: ita Sanchez l. 1. d. 62. n. 2. Bonacina q. 1. p. 8. n. 8. Layman t. 10. c. 2. n. 18. Filiucius t. 10. c. 8. n. 288. & 296. & alii communiter. Unde ulteriùs, si grave aliquod vitium extiterit tempore quo contracta sunt sponsalia, sed solùm apparet postea, sufficit ad solvendum sponsalia, nisi ita esset tunc animo affectus, ut etsi illud tunc nosset, nihilominus contraxisset. Ratio horum est, quia nullus obligari potest ultra intentionem, quæ non adest quando talis circumstantia vel supervenit, vel dignoscitur, quæ si antea fuisset prævisa, judicio prudentis viri non contraxisset, deinde promissio solùm obligat rebus in eodem statu permanentibus.

Particulares causæ dissolvendi sponsalia.

Causa itaque sufficiens ad dissolvenda sponsalia sunt morbus contagiosus aut perpetuus, deformitas magna præsertim in sponsâ, paupertas, asperitas morum, graves inimicitiæ inter sponsos, parentes, aut affines (quâ etiam de causâ dicunt aliqui posse Summum Pontificem dispensare in Matrimonio nondum consummato) fornicatio, maximè in sponsâ, hæresis, apostasia, & similia. Is tamen qui in hæc & hujusmodi incidit non potest resilire, si alter velit adhuc, his non obstantibus inire Matrimonium.

II. *Ingressus religionis solvit sponsalia.*

Quæres secundò. An per ingressum religionis, secunda sponsalia, aut matrimonium solvantur sponsalia? Quoad primum, non per professionem tantùm in religione, sed per solum ingressum solvuntur sponsalia, saltem ex parte illius, qui manet in sæculo: ita Sanchez l. 1. d. 42. n. 2. Coninck d. 23. d. 3. n. 22. Bonacina q. 1. p. 5. n. 1. Layman t. 10. c. 2. n. 3. Filiucius t. 10. c. 8. n. 280. Sylvester, Sotus, Navarrus, Henriquez, & alii. Durandus tamen, Palud Rich. Armil. & alii nonnulli requirunt professionem. Ratio tamen conclusionis est, nam primò ingrediens religionem censetur renunciare sponsalibus: deinde sit magna mutatio, tum quia magnam animi inconstantiam ostendit si denuò egrediatur, tum quia est quædam nota infamiæ nubere illi qui habitum religiosum exuit. Dixi saltem ex parte illius qui manet in sæculo; Filiucius enim, Coninck, & alii affirmant illum, qui ingressus est religionem, si egrediatur, debere stare sponsalibus, si alter in eâdem adhuc mente persistat.

Assignatur triplex hujusmodi rei ratio.

Secunda sponsalia non solvunt priora.

Quoad secundum, secunda sponsalia, etiam jurata, imo & secuta copula, non solvunt priora ex utrâque parte: ita omnes. Ratio est, quia juramentum de re illicitâ nullum est, sponsa autem per nequitiam sponsi non amittit jus quod in ipsum habet.

Matrimonium validum solvit sponsalia.

Quoad tertium, dico Matrimonium validum solvere sponsalia: ita Sanchez d. 48. Lay. n. 22, Filiucius n. 271. Bonacina q. 1. p. 7. n. 1. & alii. Imo existimo solvi ab utrâque parte, ita ut etiam mortuâ uxore non teneatur cum priore sponsâ inire matrimonium, licèt Coninck, Bonacina, & alii id negent. Ratio tamen est, quia obligatio semel extincta non reviviscit, priora autem sponsalia per subsequens matrimonium solvuntur, ut habetur c. *Si inter* de Sponsalibus c. 1. de sponsâ duorum:

duorum: & ratio ulterior est, quia obligatio fortior superveniens extinguit minùs fortem ejusdem rationis, in quo est discrimen de voto simplici religionis, quod per matrimonium subsequens non extinguitur, sed solùm suspenditur.

III.

Hoc impedimentum solvit sponsalia.

Quæres tertiò: An Sponsalia dissolvantur per impedimentum dirimens, defectum ætatis, lapsum termini, aut discessum in partes remotas? Quoad primum, certum est apud omnes dissolvi, cùm esse nequeat obligatio ad id quod fieri nequit, quale foret illud Matrimonium. Posset tamen aliunde, ut ratione scandali, aut gravis damni illati vel inferendi sponsæ, obligari subinde ad petendam dispensationem.

Idem est de defectu ætatis.

Quoad secundum, dico defectum ætatis hoc sensu dissolvere sponsalia; jus enim concedit iis qui ante pubertatem contraxerunt sponsalia, ut ubi ullus eorum ad pubertatem venerit, possit resilire, modò statim, id est intra breve tempus, puta triduum, resiliat, alioqui censetur sponsalia ratificare: ita Sanchez l. 1. d. 51. 53. 54 & 56. Coninck d. 23. d. 2. n. 8. Bonacina q. 1. p. 6. n. 1. Filiucius c. 8. n. 276.

Lapsus termini solvit sponsalia.

Quoad tertium, solvuntur Sponsalia per lapsum termini, qui statutus est ad Matrimonium contrahendum, seu ad limitandam obligationem, ut aiunt, qui terminus solet in contractu sponsalium priùs apponi, quàm plenè absolvatur: ita Sanchez l. 1. d. 53. Coninck d. 23. d. 6. n. 46. Bonacina q. 1. p. 6. n. 6. Filiucius c. 8. n. 293. Layman c. 2. n. 16. & alii passim, quia tunc solùm intelligitur promittentes intendisse obligare se pro tali tempore, unde is, qui non fuit in morâ quo minùs Matrimonium contraheretur est liber à sponsalibus. Aliud est si jam post sponsalia planè completa apponeretur certum tempus; tunc enim solùm censetur adjecta conditio certi temporis ad obligationem solicitandam, non dissolvendam.

Quid de discessu in partes longinquas.

Quoad quartum, Jus civile præscribit ut sponsus, qui est extra Provinciam, expectetur per tres annos, qui intra Provinciam per duos. Hoc tamen jus correctum videtur per jus canonicum, unde si sponsus sine licentiâ alterius sponsi in longinquas partes discedat, solvi possunt sponsalia, si verò cum licentiâ discedat, expectandus est quantum inter ipsos de tempore convenit. Si autem in propinquum solùm se transtulerit, expectandus est, vel requirendus, ut intra certum tempus Matrimonium contrahat: ita Auctores citati, licèt Layman ex parte discrepet.

IV.

Per se loquendo, non est quis per se dissolvere sponsalia.

Quæres quartò: An propriâ auctoritate possit quis dissolvere Sponsalia, vel requiratur sententia Judicis? Respondetur, licèt per accidens, seu ratione vitandi scandali, quando sponsalia sunt publica, & causa occulta requiratur nonnunquam sententia Judicis, seu ordinarii ad dissolvenda sponsalia, ex naturâ rei tamen non requiritur, sed contrahentes possunt per se illa dissolvere, ubi constat de causâ: ita Sanchez l. 1. d. 69. Coninck d. 23. d. 3. Bonacina q. 1. p. 10. n. 5. Filiucius t. 10. c. 8. n. 299. Layman t. 10. c. 2. n. 23. Ratio est, quia sponsalia semper cum hac conditione fiunt, nisi aliquid ex jam dictis aut similibus contingat.

Qua requiratur certitudo.

Quando ergo causa est certa & publica, potest quis propriâ auctoritate resilire, sicut & quando tam causa quàm sponsalia sunt occulta. Certitudo autem sufficiens ad resiliendum in foro conscientiæ est, si unus testis id deponat sub juramento, vel etiam sine juramento, si sit vir planè fide dignus, qui dicat factum illud sibi constare.

Quid si causa sit occulta.

Quando verò causa dissolutionis sponsalium est occulta, ut fornicatio occulta sponsæ, tunc privatim monenda est ut renuntiet per se sponsalibus, & ulteriùs, si opus sit, agendum cum parentibus, ut eam ad hoc inducant, quòd si adhuc nolit, poterit, non obstante infamiâ inde secutâ, ad tribunal deferri. Si verò sponsus postquam ejusmodi causam in sponsâ novit, adhuc eam carnaliter cognoscat, non potest à sponsalibus ejus resilire; hoc enim facto censetur remittere jus, quod ratione illius causæ habebat dissolvendi sponsalia.

V.

Responditur affirmativè.

Quæres quintò: An per votum solvantur sponsalia? Per votum ingrediendi religionem, aut suscipiendi sacros ordines, imo per votum simplex continentiæ, solvuntur sponsalia: ita Sanctus Thomas in 4. q. 1. a. 3. quæstiun. 2. ad 3. Henriquez l. 11. c. 14. n. 4. Bonacina q. 1. p. 5. n. 13. & 20. & alii. Sanchez tamen l. 1. d. 46. n. 9. & d. 47. n. 3. Filiucius c. 8. n. 286. Layman c. 2. n. 6. Coninck d. 23. d. 3. n. 25. & alii negant votum simplex castitatis aut sacrorum ordinum solvere sponsalia. Ratio tamen est, quia in sponsalibus semper subintelligitur hæc conditio, nisi perfectior vitæ status eligatur, hac enim de causâ ingressus in religionem secundùm omnes, & votum religionis dissolvit sponsalia.



DISPV-

DISPUTATIO CENTESIMA TERTIA.

De Matrimonio secundùm se.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur quædam circa Matrimonium.

I.

Quid sit Matrimonium.

QUÆRES primò: Quid, & quotuplex sit Matrimonium, & an sit in præcepto? Matrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ societatem retinens: ita communis Doctorum sententia. Est itaque indissolubilis obligatio per mutuam traditionem corporum ad prolis generationem signo aliquo externo expressa, quæ ejus firmitas per ultimas definitionis particulas exprimitur.

Est triplex:

Matrimonium triplex est, legitimum, quod mutuo consensu inter personas non impeditas contrahitur, adeóque & inter infideles: ratum, quod rationem Sacramenti superaddit & firmitatem: tandem consummatum, quod carnali copula completur, & omnino redditur indissolubile, unde si uterque conjux mutuo consensu postea religionem profiteatur, si Pontifex eos denuò à votis absolvat, possunt sine novo contractu uti matrimonio, imo si tempore votorum carnaliter conjungerentur, esset quidem copula sacrilega, sed non fornicaria: ita Sanchez l. 2. d. 1. Bonacina q. 2. p. 1. & 2. Layman t. 10. p. 2. c. 1. Filiucius t. 10. c. 1. & alii communiter.

Legitimum, Ratum, Consummatum.

Dicit multi, in principio mundi fuisse in præcepto.

Quoad ultimum respondetur, in principio mundi volunt multi fuisse præceptum Matrimonii in singulis ad propagandam speciem humanam, nunc autem cessat, nisi in articulo necessitatis, ita ut aliter genus humanum periret, quo casu dicunt plurimi, si tantùm relictæ essent personæ religiosæ, aut aliæ habentes votum castitatis, non solùm possent, sed deberent contrahere matrimonium; sicut enim cessat votum abstinentiæ quando individuum est in periculo pereundi, ita & votum castitatis quando per illud deberet perire species: ita Sanchez d. 3. Bonacina p. 3. Filiucius n. 8. & alii.

II.

Materia ejus remota & proxima.

Quæres secundò: Quæ sit materia, forma, & minister Sacramenti Matrimonii? Vasquez de Matrimonio d. 3. c. 5. ait materiam esse corpora contrahentium, formam verba. Sed corpora solùm sunt materia remota, nos inquirimus proximam. Est ergo materia ejus traditio corporum,

Forma.

forma acceptatio, utpote quæ complet contractum, proprium autem est formæ in omni re complere, & perficere: ita Sanchez l. 2. d. 5. Coninck d. 24. d. 4. n. 33. Bonacina p. 4. Filiucius t. 10. c. 1. n. 16. & sequen. Layman verò c. 2. n. 3. ait materiam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium mutuò tradita, & formam verba, sicque parum differt à Vasquez.

Ministri Matrimonii sunt soli contrahentes.

Quoad tertium, Canus ait Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti. Contraria tamen sententia omnino tenenda est, solos scilicet contrahentes esse ministros Sacramenti Matrimonii: ita Bellar. l. 1. de Matrim. c. 6. & sequen. oppositam vocans temerariam, Sanch. l. 2. d. 6. Sua. de Sacram. q. 65. d. 16. s. 1. Henriquez l. 11. de Matrim. c. 2. n. 7. Bonacina p. 4. n. 5. Filiu. t. 10. c. 1. n. 19. Layman c. 2. n. 2. & alii communiter.

Duplex hujus rei ratio.

Ratio est, tum quia ante Tridentinum Matrimonium clandestinum erat Sacramentum, tum quia Sacramentum Matrimonii, cùm sit contractus sequitur naturam aliorum contractuum, in quibus contrahentes suis consensibus se ligant, unde is est minister Sacramenti qui est minister contractus. Quare Sacerdos est tantùm minister accidentarius Matrimonii, quatenus contrahentes ex officio benedicit.

Aliud de Sacerdote & contrahentibus.

Hinc fit Sacerdotem vel assistentem Matrimonio in peccato mortali, vel benedicentem contrahentes non peccare mortaliter. Contrahentes verò ipsi, licèt peccent graviter quatenus Sacramentum illud in mortali suscipiunt, non tamen in quantum conficiunt, cùm non sint ministri ad id munus consecrati: licèt Navarrus, & alii dicant committere duplex peccatum mortale, quod etiam probabile censet Suarez, & Sanchez, quamvis absolutè teneant contrarium.

III.

Respondetur esse validum.

Quæres tertiò; Sitne validum Matrimonium contractum inter absentes per procuratorem vel literas? Respondetur affirmativè, si coram parocho & testibus fiat, imo esse Sacramentum, ac proinde teneri hoc modo contrahentes esse in gratiâ eo tempore quo probabiliter putant procuratorem eorum nomine contrahere; tunc enim recipiunt gratiam, ipse autem procurator tunc non debet necessariò esse in gratiâ: ita Sanchez l. 2. d. 11. & 12. Coninck d. 24. d. 2. & 9. Bonacina q. 2. p. 5. Filiucius c. 1. n. 26. Ratio est,

Hujus rei ratio.

quia Matrimonium est contractus, unde & naturam contractus servat, in quo differt ab aliis Sacramentis, quæ non nisi verbis, & inter præsentes perficiuntur.

Quæ sit potestas procuratoris.

Procurator debet habere speciale mandatum, & ad contrahendum cum certâ personâ, nec potest procurator alium suo loco substituere nisi habeat speciale mandatum ad substituendum. Si autem non revocet consensum is qui eum misit, est validum Matrimonium licèt, quando procurator nomine illius contrahit, ille dormiat, aut sit factus amens, etiam perpetuò.

In procuratoribus non spectatur diversitas sexus.

In hujusmodi procuratoribus nihil facit diversitas sexuum, unde duo viri, vel duæ fœminæ possunt esse contrahentium procuratores. Forma autem quâ utitur procurator in contrahendo debet esse, Recipio te in uxorem nomine talis, vel talis accipit te in uxorem mediante me, & illa respondere debet, Ego te mediante duco talem: ita Sanchez d. 11. num. 15.

IV.

Duo ad Matrimonium requisita.

Quæres quartò: An Matrimonium clandestinum, aut sine denunciationibus factum sit validum? Notandum ex decreto Concilii Tridentini sess. 24. c. 1. duo requiri circa Matrimonium, primò ut fiat coram parocho & duobus vel tribus testibus, secundò ut tribus diebus festis continuis præmittantur denuntiationes.

Matrimonium clandestinum est invalidum.

Matrimonium non primo modo factum, non solùm est grave peccatum cùm sit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, sed etiam invalidum: ita Sanchez l. 3. d. 17. Coninck d. 427. d. 8. Bonacina q. 2. p. 6. n. 1. Filiucius t. 10. cap. 5. Layman t. 10. c. 4. & omnes, cùm Concilium Tridentinum hujusmodi contractum justis de causis planè reddiderit invalidum, imo ubique est peccatum mortale sic contrahere iis tamen maximè in locis, in quibus Concilium Tridentinum est receptum, cùm & reddant Sacramentum irritum, & prolem illegitimam: Filiucius t. 10. p. 1. c. 5. n. 166.

Peccat contrahens sine denuntiationibus.

Matrimonium secundo modo non contractum, licèt sit validum, peccant tamen mortaliter sine denuntiationibus contrahentes, si sine facultate ordinarii, aut legitimâ causâ fiat: ita Sanch. l. 3. d. 5. & 6. & Auctores citati. Imo non debet Episcopus aut Vicarius generalis sine justâ causâ dispensare: justæ autem causæ sunt timor ne Matrimonium injustè impediatur, notabile detrimentum famæ aut alterius rei, periculum scandali, defectus temporis, si sint magnates, inæqualitas conditionis, & similia, ex quibus judicare prudenter possit expedire ut omittantur.

Vbi & à quo fieri debeant denunciationes.

Porro hæ denuntiationes à parocho vel alio de illius licentiâ faciendæ sunt in utrâque parochiâ si contrahentes ex diversis sint, idque inter Missarum solemnia, licèt Sanchez, Bonacina, & alii dicant posse extra Ecclesiam fieri in loco ubi ex aliquâ occasione est magnus populi concursus: debent etiam fieri tribus diebus festis continuis, vel saltem non valdè interruptis. Bonacina etiam n. 17. affirmat posse alio quàm festo die fieri denunciationes, si alicubi magna populi frequentia fiat ad concionem, vel aliâ hujusmodi de causâ.

Vbinam sit validum.

Ubi tamen non est promulgatum aut non receptum Concilium Tridentinum, validum adhuc est clandestinum Matrimonium, idque licèt eò quis se conferat, ut Matrimonium ibidem contrahat: ita Sanchez, Bonacina p. 7. n. 2. & alii.

V.

Requiritur essentialiter

Quæres quintò: Quomodo præsentia parochi sit necessaria ad validè contrahendum Matrimonium? Respondetur, præsentiam proprii parochi, licèt nondum sit Sacerdos, vel ordinarii, aut alterius Sacerdotis de illorum licentiâ ita esse necessariam, ut sine illâ Matrimonium nullo modo sit validum, ne quidem in articulo mortis: ita Sanchez l. 3. d. 19. n. 2. d. 20. & sequen. Coninck d. 27. d. 2. Bonacina q. 2. p. 8. Filiu. c. 6. Layman c. 4. & omnes. Ratio est clara, quia juxta ordinationem Concilii Tridentini tam requiritur præsentia parochi, quàm testium, ergo.

Quis sit proprius Parochus.

Proprius autem parochus dicitur is, in cujus parochiâ habitant majori anni parte. Quod si duplicem habeant paræciam, æqualiter ferè in uno loco habitantes ac in alio, possunt à quovis ex duobus illis parochis conjungi, ut omnes affirmant contra Navarrum asserentem requiri præsentiam parochi in cujus paræciâ contrahunt. Si verò vir sit unius paræciæ & fœmina alterius, possunt à quovis ex duobus parochis similiter conjungi. Vagorum matrimonio potest quivis parochus assistere de licentiâ ordinarii, sicut & eorum confessiones audire.

Qua Parochi præsentia requiratur.

Non obstat autem valori Matrimonii, licèt ex aliâ causâ vocatus sit, imo per dolum aut metum adductus, aut etiam invitus & contrariam habens intentionem, modò constet eâ de causâ adhibitum eum fuisse, & verè rem ante se transactam intelligat. Imo Sanchez d. 39. n. 11. Reginaldus & alii nonnulli asserunt validum esse matrimonium coram parocho & testibus casu transeuntibus; hi enim, inquiunt dicuntur sufficienter præsentes, cùm sufficienter advertant id quod agitur. Bonacina tamen n. 20. hoc postremum negat, Sanchez etiam n. 12. ait esse peccatum mortale contrahere coram parocho vi detento, casu transeunte, aut per dolum vocato.

Neque obstat Parochum esse excommunicatum, &c.

Nec obstat validitati Matrimonii quod parochus sit excommunicatus, etiam non toleratus, suspensus aut interdictus, imo talis potest alteri facultatem assistendi concedere; hæc enim assistentia non est propriè actus jurisdictionis, & Concilium solùm requirit præsentiam parochi, qualis adhuc est excommunicatus. Sayro etiam l. 5. c. 22. n. 26. Bonacina n. 23. & alii affirmant posse hanc auctoritatem assistendi à parocho concedi Sacerdoti degradato, cùm adhuc verè sit Sacerdos, imo Laico, qui communi errore habetur Sacerdos; adest enim titulus coloratus, error communis, & nullum est impedimentum juris naturalis, aut divini; Ecclesia enim supplet defectum veri tituli, unde idem est de parocho excommunicato & nominatim denuntiato, vel de illo qui parochus communiter putatur, licèt non sit, & ubi nescitur esse denuntiatus. Imo validè contrahitur Matrimonium coram Sacerdote cui fictè tantùm dedit facultatem parochus, si publicè putetur habere facultatem: lege *Barbarius ff. de officio Prætoris.*

Quinam testes sufficiant.

Testes sufficiunt quicunque, cujuscunque conditionis, sexus, ætatis, modò doli capaces sint, & intelligant quid agatur, impuberes etiam, infideles, pater, mater, & alii, imo non rogati, sed etiam per violentiam adhibiti: ita Auctores citati.

VI.

Non requiritur in scriptis.

Quæres sextò: Qualis licentia requiratur ut Sacerdos loco parochi assistat Matrimonio? Inprimis certum est non requiri ut detur in scriptis; dispensatio enim verbo fieri potest, ubi lex aliud non præscribit: ita omnes.

Hæc licentia declaratur.

Sufficit licentia, quâ dat ipsi parochus facultatem ad exercendum in suâ parochiâ ea quæ spectant ad curam animarum; in hac enim includitur hujusmodi assistentia, non autem si solùm det ei facultatem administrandi Sacramenta; per hæc enim intelligi solent tantùm Pœnitentia & Eucharistia: ita Filiucius t. 10. c. 6. n. 218. & alii.

De licentiâ tacitâ.

Difficultas est, an sufficiat licentia tacita? Sanchez d. 35. Coninck d. 27. d. 3. n. 31. & alii nonnulli aiunt sufficere tacitam. Negat Bonacina cum aliis. Puto tamen sufficere licentiam illam, quando ordinario præsente & inspectante assistit quis Matrimonio, si non contradicat quando potest: ita Filiu. c. 6. n. 219. nec contradicit Sanch.

Quæres

VII. *De conditione præsenti & præteritâ.*

Quæres septimò: An, & quomodo sit validum Matrimonium sub conditione honestâ celebratum? Matrimonium celebratum sub conditione præsenti aut præteritâ semper est validum stante conditione: ita Sanchez l. 5. d. 6. n. 1. Coninck d. 29. d. 1. n. 8. & d. 2. n. 29. Bonacina q. 2. p. 10. n. 20. Layman t. 10. c. 7. n. 1. Ratio est, quia hujusmodi conditiones non suspendunt actum seu consensum.

Conditio de futuro.

Matrimonium celebratum sub conditione honestâ futurâ suspendit actum seu consensum, proinde non est validum ante conditionis positionem, cùm intentio contrahendi antea non sit completa: ita Sanchez 2. Bonacina n. 20. Layman n. 2. & alii communiter.

Quid positâ conditione contingat.

Positâ autem conditione transit consensus ille & matrimonium ipso facto à conditionato in absolutum, contrahentibus de eâ tunc etiam non cogitantibus, imo dormientibus: ita Sanchez d. 8. n. 5. Coninck d. 29. d. 2. n. 11. Lay. n. 2. Filiucius t. 10. q. 4. n. 145. & communis Canonistarum. S. Thomas tamen, S. Bonaventura, & plerique ex antiquis Theologis tenent contrarium, quos sequitur Valentia to. 4. d. 10 q. 3. p. 3. Henriquez l. 11. c. 22. n. 3. & alii nonnulli, qui requirunt cognitionem conditionis positæ, & novum consensum. Ratio tamen conclusionis est, quia in omnibus contractibus factis per verba de præsenti, licèt sub conditione de futuro, ita contingit. Unde si dicat quis, *Accipio te in conjugem si patri placuerit*, patre præbente consensum perficitur Matrimonium, & fit absolutum; consummare tamen priùs id non debent quàm ipsis innotescat positio conditionis; exponerent enim se periculo fornicandi. Quod etiam contingit in conditione de præsenti & præterito. Et idem est licèt conditio sit planè impertinens, ut *accipio te in conjugem si cras pluat, si navis ex Indiis salva appellat*, &c.

Hoc fit in omni contractu per verba facto.

Debet conditio innotescere Parocho & testibus.

Difficultas autem est, utrùm positio conditionis innotescere necessariò etiam debeat parocho & testibus ut Matrimonium sit validum. Negat Sanchez n. 24. Filiucius n. 146. & alii. Probabilius tamen videtur contrarium: ita Bonacina. n. 22. Layman n. 3. Coninck d. 1. n. 17. & alii Ratio est, quia ideo parochus & testes requiruntur à Tridentino, ut testari possint verè factum esse contractum Matrimonii, quod tamen facere nequeunt nisi eum sciant esse completum, sicque positam esse conditionem. Unde idem in hoc est de conditione de præsenti & præterito.

VIII. *De conditione turpi contrariâ bonis Matrimonii.*

Quæres octavò: An conditio turpis, impossibilis, aut necessaria irritet Matrimonium? Conditio turpis contrariæ substantiæ aut bonis Matrimonii, nempe conjugii fidei, perpetuitati, & prolis generationi educationique posita in ipso contractu dirimit ipso jure Matrimonium: ita Sanchez l. 5. d. 9. Layman t. 10. c. 7. n. 8. Bonacina q. 2. p. 10. n. 9. Valentia t. 4. d. 10. q. 3. p. 3. Filiucius t. 10. c. 4. n. 147. Coninck d. 29. d. 3. & alii communiter. Ratio est, tum quia hoc expressè habetur in jure, tum quia hæc conditio est contra substantiam Matrimonii, conditio autem contra substantiam contractus destruit contractum. Quare irriti sunt hi contractus, contraho tecum si prolem occides, si venenum sterilitatis sumes, si pro quæstu te adulterandam trades, &c. Hi tamen contractus si post Matrimonium contractum fiant non illud vitiant, quia jam inveniunt factum.

Matrimonium celebratum sub conditione turpi non contra substantiam Matrimonii non illud irritat: ita Sanchez d. 15. Bonac. n. 16. Fil. n. 153. & idem est de conditione impossibili & necessariâ. Unde si quis dicat, contraho tecum si patrem occides, mille aureos furaberis, Solem manu tetigeris, si centum aureorum millia mihi dederis (posito quod qui dare debeat sit pauper) si Sol cras orietur, & similia, Matrimonia ista sunt statim valida.

Conditio tenet non contra substantiam matrimonii.

Ratio est, quia hujusmodi conditiones in jure habentur pro non adjectis, necessariæ quidem, quia cùm certissimè sint eventuræ censentur jam impletæ si cognoscantur ut necessariæ: impossibiles etiam cognitæ ut impossibiles censentur joco tantùm adjici ab iis qui seriò volunt contrahere.

Hujus rei ratio.

Hæc autem intelligenda sunt primò de conditione turpi & impossibili de futuro; si enim conditio sit de præsenti aut præterito Matrimonium est validum. Secundò capienda sunt quando est dubium de intentione; si enim clarè constaret intentionem contrahentium fuisse non contrahere nisi dependenter ab illâ conditione non esset validum Matrimonium ante illam positam, sicque si conditio de futuro sit impossibilis, Matrimonium eo ipso est nullum; frustra enim expectatur quod poni nequit, & idem est si sit turpis; annullatur enim quia conditio incitat ad malum.

Spectanda intentio.

Hæc etiam sumenda sunt de conditione propriè dictâ; si enim solùm sit per modum demonstrationis, seu qualitatis personæ cum quâ contrahitur, ut duco te quæ es virgo, vel causæ, explicando scilicet motivum, ut duco te quia es dives, aut modi, qui est onus in contractu expressum, ut duco te ut mihi inservias, non suspendit nec dirimit Matrimonium, nisi aliquando per accidens, quando scilicet adjicitur conditio dirimens per se Matrimonium, ut si liber dicat, duco te quæ es libera, putans esse liberam quæ non est.

Particulares quædam conditiones.

IX. *Quid si sit invalidum defectu consensus.*

Quæres nonò: Quomodo suppleatur Matrimonium invalidum ratione alicujus impedimenti? Respondetur: Si sit invalidum defectu consensus alterius conjugis, aut ratione gravis metus, redditur validum si priore conjuge in consensu præstito persistente, is denuo verè præbeat consensum, qui priùs præstiterat fictè; eo enim ipso id ponitur quod solùm deerat ad valorem Matrimonii: ita Sanchez l. 2. d. 32. n. 9. Coninck d. 24. d. 10. n. 89. Henriquez l. 11. c. 3. n. 6. Bonac. q. 2. p. 9. n. 1. Filiucius t. 10. c. 3. n. 84. Henriquez vult ut novus hujus consensus signo aliquo externo exprimatur, veriùs puto, licèt communiter dicatur contrarium. Non tamen requiritur in hoc casu præsentia parochi & testium; hæc enim non est necessaria quando solùm suppletur defectus, præsertim cùm sufficienter per priorem assistentiam occurratur incommodis, nempe periculo celebrandi novum Matrimonium, dissoluto primo.

Hoc à fortiori est, si desit consensus utriusque.

Unde à fortiori sequitur, quando defuit consensus ex parte utriusque contrahentis, vel fuit metus gravis in utroque, requiri novum consensum utriusque, signo aliquo externo expressum, ut docet Sanchez, Henriquez, Bonacina, & communis sententia, contra Sylvestrum & alios negantes etiam hîc requiri signum externum. Hic tamen non est necessaria præsentia parochi & testium, ob rationes dictas.

Quid si sit impedimentum dirimens.

Si Matrimonium invalidum sit ratione alicujus impedimenti dirimentis, requiritur novus consensus

sensus utriusque obtentâ dispensatione, quantumvis alter solùm sciat impedimentum; prior enim consensus nullus fuit, utpote circa materiam invalidam: ita Sanchez l. 2. d. 35. Coninck, Bonacina n. 6. & alii. Caietanus ait non necessariò esse manifestandum alteri impedimentum & invaliditatem Matrimonii ab eo qui illud novit, sed sufficere si aliquo modo novum consensum ab eo eliciat, quod existimo verum, si consensus ejus sit talis, ut velit Matrimonium jam esse validum, casu quo prius tale non fuisset, alioqui manifestandum est impedimentum vel invaliditas Matrimonii.

Quid si vir dare nolit signum consensus.

Quod si in hoc casu vir nolit signum talis consensus dare, & tamen petat debitum, & uxor absque scandalo negare nequeat, Sanchez, Coninck, & alii affirmant sufficere ut ipsa copulam habeat affectu maritali; sic enim videtur consentire, quod etiam videtur vir facere, cùm eodem affectu illam habeat. Quod licèt cum Bonacina ut probabile admittam ob auctoritatem Doctorum, valdè tamen videtur difficile, cùm vir hoc faciendo solùm videatur ratificare prius matrimonium, non consentire in novum.

De assistentia parochi.

In casu tamen impedimenti dirimentis non requiritur nova assistentia parochi & testium, nisi impedimentum esset publicum, vel parocho extra confessionem, aut alicui ex testibus necessariis cognitum.

SECTIO SECUNDA.

De indissolubilitate Matrimonii.

I.

Matrimonium solum consummatum est penitus indissolubile.

Quæres primò: An, & quomodo Matrimonium sit indissolubile? Licèt Matrimonium ratum sit aliquo modo indissolubile, utpotè quod solâ contrahentium voluntate solvi nequit instar aliorum contractuum, solum tamen Matrimonium consummatum fidelium est simpliciter indissolubile, non quidem ex naturâ rei, sed ex Christi divino præcepto Matth. cap. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; ubi illud elevavit in Sacramentum, & ut repræsentaret indissolubilem Christi unionem cum Ecclesiâ per carnem assumptam, ut Patres asserunt. Quare per solam mortem naturalem solvitur, sicut ratum per mortem spiritualem, professionem scilicet in religione: ita Sanchez lib. 2. d. 13. Bonac. quæst. 2. p. 11. Filiucius tract. 10. cap. 2. Layman tract. 10. c. 1. n. 1.

Potest Pontifex dispensare, imo dissolvere Matrimonium ratum.

Quæres: Utrùm possit Pontifex dispensare in Matrimonio rato, ita ut soluto ejus vinculo possint conjuges fideles aliud Matrimonium inire. Negat Scotus & alii plurimi apud Sanch. l. 2. d. 14. Dicèdum tamen, Pontificè saltem datâ justâ causâ (ut est discordia gravis orta inter conjuges, ex quâ timeantur infœlices exitus sine spe remedii, item graves inimicitiæ inter amicos & consanguineos conjugum cum periculo scandali, lepra alteri superveniens, impotentia etiam ante consummatum matrimonium orta) posse, illud planè dissolvere, idque etiam altero conjuge invito: ita Sanchez d. 14. n. 2. d. 15. n. 6. & d. 16. Bonacina p. 11. Filiucius t. 10. c. 2. n. 55. 58. & 59.

Multi Pontifices in eo dispensarùt.

Ratio conclusionis est, quia multi Pontifices in eo dispensarunt, ut Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. ut refert Henriquez l. 11. de Matr. c. 8. n. 11. Et verisimile est Christum talem potestatem, quæ Ecclesiæ adeo necessaria est, Vicario suo reliquisse. Præterea juxta valdè probabilem sententiam potest dispensare in voto solemni religionis quod est vinculum fortius quàm Matrimonium ratum, & illud dissolvit.

II.

Matrimonium fidelis cum infideli.

Quæres secundò: An Matrimonium infidelium sit indissolubile? Matrimonium fidelis cum infideli, seu baptizati cum non baptizato, etiam catechumeno est irritum, Matrimonium tamen duorum non baptizatorum non statim dissolvitur ac infidelis ad fidem convertitur. Prima pars constat, nemine vel Theologorum vel Jurisperitorum dissentiente, ut ait Sanchez l. 7. d. 71. n. 1. Filiucius c. 7. n. 225. Layman c. 14. p. 4. n. 1. & idem est de personâ verè baptizatâ cum baptizato fictè, & de hæretico cum infideli. Ratio est, quia hoc est unum ex impedimentis dirimentibus, nempe disparitatis cultus ex receptissimo Ecclesiæ usu vim legis obtinente inductum. Unde tum in lege naturali tum scriptâ, imo olim etiam in evangelicâ hæc Matrimonia erant valida. Ratio secundæ partis est, quia S. Paulus primæ ad Corinth. 7. dat consilium conjugi converso, ut cohabitet cum conjuge infideli, ergo Matrimonium illud est validum. Quare primis sexcentis annis permissa erat hæc cohabitatio ob frequentem Judæorum & aliorum tunc temporis conversionem.

Est disparitas cultus.

Quid si habitare nolit infidelis cùm fideli.

Potest tamen Matrimonium, etiam consummatum inter infidelem jam conversum & conjugem manentem in infidelitate dissolvi primò si infidelis nolit cum fideli habitare, vel non sine injuriâ fidei aut creatoris, pertrahendo scilicet ad peccatum, blasphemando nomen Dei, retrahendo familiam à Fide Christi, &c. in quibus casibus licitum est conjugi converso ad alias nuptias transire: ita Sanchez l. 7. d. 78. n. 4. Coninck d. 26. d. 5. n. 58. Bonac. q. 3. p. 7. n. 4. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 6. n. 237. Layman t. 10. c. 3. n. 3.

Quid verò si cohabitare velit.

Quod si conjux infidelis cohabitare velit, idque sine injuriâ Creatoris, Valentia to. 4. d. 10. q. 1. p. 3. Navarrus, Toletus, & alii negant fidelem posse dissolvere Matrimonium propter locum Apostoli. Probabilius tamen est posse: ita Sanchez n. 9. (quamvis contrarium putet esse valdè probabile) Bonacina n. 6. Filiuc. n. 239. Layman n. 4. Henriquez l. 11. c. 8. n. 4. Sa verbo *Matrimonium* n. 8. & alii. Ratio est, quia esset nimis gravis servitus fidelis conjugis: deinde infidelis dum converti non vult discedit virtualiter, cùm habitationem eligat, quæ fideli jam ab Ecclesiâ prohibita est, licèt olim fuerit permissa. Unde permissio S. Pauli intelligitur secluso præcepto in contrarium.

Quis terminus infideli statuendus.

Admonito itaque conjuge infideli ut termino præscripto (40. dierum e. g. ut Romæ fieri dicitur) convertatur, si intra illud tempus converti nolit, vel non cohabitare, aut non sine injuriâ Creatoris, potest fidelis etiam sine sententiâ Judicis ad alias nuptias transire, vel etiam ad religionem, & sacros ordines, per quas nuptias & professionem solvitur Matrimonium, non per sacros ordines, in quibus tamen positus reddi uxori postea conversæ non debet; sibi enim imputet.

Proli doli capaci datur optio quem velit parentem sequendi, non utens ratione danda est conjugi converso.

III.

Matrimon. cum hæretico est validum.

Quæres tertiò: An Matrimonium cum hæreticis sit validum, licitum & indissolubile? Matrimonium fidelis cum hæretico etsi ut plurimum sit mortaliter illicitum, tum ob prohibitionem Ecclesiæ,

Ecclesiæ, tum periculum perversionis, est tamen validum & insolubile: ita Sanchez d. 72. n. 4. Layman t. 10. c. 14. n. 2. Filiucius c. 6. n. 228. Bonacina q. 3. p. 7. n. 1. Tan. to. 4. d. 8. q. 4. d. 5. & alii communiter.

Quid ubi vivunt hæretici mixti Catholicis.

Dixi ut plurimum; Sanchez enim Filiucius & Bonacina aiunt in locis ubi permixti vivunt hæretici cum Catholicis, qui libertate fruuntur, ut in Germaniâ, Galliâ, & Poloniâ, secluso scandalo & perversionis periculo id ex consuetudine licere, quod tamen negat Tannerus, & Laymannus ob gravia quæ inde proveniunt incommoda. Sa tamen, Serrarius, & Laymannus aiunt licitum esse, si acatholicus promittat se catholicam fidem post nuptias suscepturum, & causa subsit cur nuptiæ absolutioni ab hæresi anteponantur. Eodem etiam gradu quo peccat catholicus contrahens cum hæretico, peccat similiter Sacerdos assistens eius Matrimonio.

Quid si uterque conjux convertatur.

Quando uterque conjux infidelis convertitur ac baptizatur, & postea signo aliquo externo prius Matrimonium ratificat, fit Sacramentum, ratum, & insolubile, sicut fidelium, & si consummet, erit planè indissolubile. Summus Pontifex tamen in consummato infidelium conversorum matrimonio dispensare potest, nisi consummet denuò post Baptismum, ut ait Sanchez l. 2. d. 17. Itaque licèt contractum priùs fuisset cum impedimentis ecclesiasticis, modò non contra legem naturæ, ut si Pater filiam, aut frater sororem duxisset, esset validum, ex pluribus autem uxoribus infidelis conversus ducere debet primam, si illa velit converti, hæc enim sola est vera uxor; si converti nolit, ducere potest ullam ex reliquis, aut aliam quamcunque fœminam.

Si quis plures habeat uxores.

DISPUTATIO CENTESIMA QUARTA.

De impedimentis Matrimonii.

SECTIO PRIMA.

De impedimentis dirimentibus Matrimonium.

I. *Duplex genus impedimentorum.*

QUÆRES primò: Quæ sint impedimenta Matrimonii, & à quo possint induci? Impedimenta Matrimonii alia sunt impedientia tantùm, ne scilicet licitè contrahatur, alia impedientia simul & dirimentia, cum quibus nec licitè contrahitur, nec validè. Dirimentia numerantur hæc duodecim:

Impedimenta dirimentia.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas. Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Alia tria.

His Concilium Tridentinum duo alia adjunxit, nempe si parochus & duo saltem testes non adsint, & raptum mulieris quamdiu non est plenè suæ libertati restituta. Tertium additum est à Gregorio XIII. in Bullâ Ascendente Domino, nempe tria vota simplicia post novitiatum emissa à religiosis Societatis Jesu. De prioris generis impedimentis dicetur postea.

Quinam ea instituere possint.

Quoad secundum, spectatâ solâ naturâ rei Principes omnes & magistratus, qui leges ferre possunt, possunt etiam pro suis subditis fidelibus statuere impedimenta dirimentia & impedientia Matrimonium, cùm sit contractus humanus: nec per hoc mutatur quod in Sacramentum sit elevatus. Unde de facto hoc possunt Principes tam Christiani, quàm Ethnici pro Matrimoniis subditorum suorum infidelium.

Hæc modò Ecclesia reservat sibi.

Ecclesia tamen hanc potestatem circa Matrimonia fidelium Principibus sæcularibus ademit, ac sibi reservavit, sicut & alias causas matrimoniales; id enim decuit postquam factum est Sacramentum. Per consuetudinem tamen Laicorum simul cum Ecclesiasticis possunt hæc impedimenta auferri, & alia induci: ita Sanchez l. 7. d. 1. 3. & 4. Bonacina q. 3. p. 1. Layman s. 10. p. 4. c. 1. Filiucius t. 10. p. 2. c. 1. Coninck d. 30. d. 1. & alii.

II. *Error personæ & qualitatis*

Quæres secundò: An, & quomodo error irritet Matrimonium? Error personæ invalidum reddit Matrimonium, non sic error qualitatis, nisi in personam redundet: ita Sanchez l. 7. d. 18. Henriquez l. 11. c. 10. Coninck d. 31. n. 1. Bonacina q. 3. p. 2. Layman t. 10. p. 4. c. 2. Filiu. t. 10. p. 2. c. 2. & alii. Ratio primæ partis est, quia Matrimonium consistere nequit sine consensu in personam cum quâ intendit contrahere, qui tamen hic non est in eam cum quâ contrahit, sed in aliam quam mente concipit. Quare nec inter infideles valeret hoc Matrimonium, cùm non ecclesiastico tantùm jure, sed etiam naturali sit irritum, ut si putet esse Caiam, & est Sempronia, quod etiam verum est, licèt ita animo affectus esset, ut licèt sciret esse Sempronian, illam duceret. Valeret tamen Matrimonium si mente diceret, quæcunque es contraho tecum.

Error personæ dirimit.

De errore qualitatis.

Secunda pars probatur, quia error qualitatis non tollit consensum in substantiam rei, sicque non reddit Matrimonium simpliciter involuntarium, sed solùm secundùm quid, ut si putet esse divitem, aut virginem, quæ non est, idque licèt per dolum factum sit dantem causam contractui, seu sine quo non fuisset celebratum Matrimonium, in quo differt Matrimonium ab aliis contractibus. Si tamen qualitas apponatur per modum conditionis, Matrimonium illâ non subsistente est nullum, cùm sit honesta, ut supponimus.

Quid si error qualitatis redundet in personam

Tertia etiam pars probatur; si enim error qualitatis redundet in personam, non præbet consensum huic personæ in particulari præsenti, sed alteri quam per tales qualitates descriptam mente concipit,

concipit, quod tunc contingit, quando per unam aut plures qualitates certa persona describitur, quæ aliàs ei est ignota, ut si Rex aliquis habeat unum filium, cui Principis alicujus filia vult nubere, si alius fingat se Regis illius filium, Matrimonium cum eo est nullum, cùm illam personam sibi eanon designaverit. Aliud est si solùm statuisset nubere filio Regis; tunc enim si Titius fingat se esse filium Regis, Matrimonium tenebit, cùm error sit in solâ qualitate.

III. *Est inter liberum & servum.*

Quæres tertiò: Quid sit impedimentum conditionis, & quomodo irritet Matrimonium? Error conditionis tunc contingit quando liber contrahit cum servâ, putans esse liberam, quo casu Ecclesia voluit Matrimonium esse nullum, cùm liber plenam corporis sui potestatem tradat servæ, & illa sui vicissim tradere nequeat, cùm à Domino vendi possit, & in partes etiam remotissimas ablegari, sicque servitus stabilem obligationem secum affert, obligationi matrimonialium contrariam. Si tamen liber sciat, aut probabiliter suspicetur illam esse servam, Matrimonium est validum, cùm sibi imputare debeat quod eam duxerit. *Quid si sciat esse servam.*

Tunc ergo contingit hoc impedimentum quando conditio errantis sit deterior. Unde si servus ducat servam, aut liberam putans esse servam, vel servam putans esse liberam, & à fortiori si ducat liberam putans esse liberam, Matrimonium est validum. Idem est si liber ducat servam, quæ ipso facto sit libera, ut si Dominus ducat servam suam eo loco ubi eo ipso redditur libera, vel servum aut servam suam det alteri in Matrimonium nescienti conditionem eorum servilem, vel si ubi videt talem contractum fieri, tacet ex industriâ; statim enim fiunt liberi: ita Sanchez l. 7. d. 19. Filiucius t. 10. p. 2. c. 2. n. 35. Bonacina q. 3. p. 3. Layman t. 10. p. 4. c. 2. n. 3. Coninck d. 31. d. 2. n. 24. Henriquez l. 11. c. 10. n. 4. & alii communiter. *Quando hoc impedimentum contingat.*

Possunt servi Matrimonium, etiam invitis dominis contrahere, cum iis hoc jus naturæ majus jure dominorum concesserit: peccat proinde graviter dominus Matrimonium servi vi aut minis impediens, licèt minari possit subtractionem beneficii sponte concessi: ita Sanchez d. 21. Fil. n. 5. & alii. Multo minùs potest dominus servum ab usu Matrimonii jam contracti impedire, nisi gravissima urgeret necessitas, unde vel contra justitiam, vel saltem contra charitatem peccat, eum in partes remotissimas, ita ut debitum reddere non possit, cum periculo incontinentiæ vendendo. *Matrimonium servis jure naturæ concessum.*

Quoad servitutem prolis, partus sequitur ventrem, quare filius ancillæ est servus, si mater serva fuerit tempore conceptionis, & toto tempore usque ad partum inclusivè. si verò ullo tempore ante partum mater fiat libera, proles est libera, quamvis tempore conceptionis mater fuerit serva. *De servitute prolis.*

IV. *De voto simplici.*

Quæres quartò: Quomodo votum irritet Matrimonium? Quamvis votum simplex castitatis non mutans statum (ut faciunt tria vota simplicia Societatis Jesu) votum etiam religionis & sacrorum ordinum non reddant Matrimonium invalidum, peccat tamen mortaliter quisquis cum iis illud contrahit, cùm faciat contra fidem Deo datam in re gravi. Contrahens Matrimonium cum voto castitatis non potest debitum petere, potest reddere, contrahens verò cum voto religionis, aut sacrorum ordinum, & reddere potest, & petere; necdum enim vovit castitatem, sed tantùm habet votum illam ponendi, unde mortuâ uxore tenetur à nuptiis abstinere, & ad religionem vel ordines transire: ita Sanch. l. 7. d. 11. Filiucius t. 10. c. 9. n. 275. Layman t. 10. p. 4. c. 3. n. 5. Bonacina q. 3. p. 14. num. 7. & alii.

Votum solenne in religione dirimit jure Ecclesiastico Matrimonium: ita Sanchez l. 7. d. 26. Bonacina q. 3. p. 4. n. 2. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 4. n. 117. Layman t. 10. p. 4. c. 3. & alii, estque hoc fide certum, & in variis Conciliis definitum. Ratio est, quia congruum videtur, ut qui stabili obligatione vitæ perfectioris se Deo consecravit matrimonio spirituali, inhabilis sit ad statum imperfectiorem matrimonii corporalis. Si post consummatum Matrimonium conjux invito altero conjuge aut ignaro, vel licentiâ, vi, metu gravi, aut dolo extortâ, ingrediatur religionem, & professionem in eâ emittat, non solùm est illicita professio, sed nulla, qui proinde, conjuge eum repetente, tenetur redire & cohabitare, ac debitum reddere, licèt petere non possit, eo quòd votum quod emisit sit votum simplex castitatis: ita Sanchez l. 7. d. 34. Bonacina q. 3. p. 4. n. 9. Filiucius c. 4. n. 140. & alii. Quòd si conjux in sæculo relictus committeret adulterium, quod esset notum, non posset alterum revocare, licèt professio fuerit invalida. *Votum solemne in religione dirimit Matrimonium.*

Sin verò obtentâ conjugis licentiâ ingrediatur, & professionem emittat, erit valida: ut autem licitè fiat, debet qui manet in sæculo aut ingredi religionem, si sit juvenis, vel suspectus de incontinentiâ, aut si senex, id est, annorum sexaginta in viro, quinquaginta in fœminâ, potest manere in sæculo, modò emittat votum castitatis, & de incontinentiâ non sit suspectus. *Licentia à conjuge obtenta.*

V. *Bimestre concessum.*

Quæres quintò: Quomodo jus tribuat conjugibus bimestre ad ingressum religionis post Matrimonium ratum? Notandum cap. *Ex publico*, duorum mensium spatium ab Ecclesiâ conjugatis concessum esse ad deliberandum utrùm religionem ante Matrimonii consummationem ingredi velint, quo tempore neuter tenetur alteri debitum reddere, cùm ante elapsum hoc tempus jus nullum habeat in corpus alterius.

In hoc bimestri ingredi potest religionem.

Intra hoc ergo tempus, si Matrimonium consummatum non sit, potest unus conjugum, etiam altero invito religionem ingredi, alter verò expectare debet donec professionem emittat, antequam possit aliud Matrimonium inire; sicque si uxor tantùm sit duodecim annorum, expectare is debet usque ad annum ejus decimum sextum expletum, cùm antea juxta Tridentinum sess. 25. c. 15. de regularibus, professio nulla sit valida: ita Sanchez l. 2. d. 24. n. 8. Bonacina q. 3. p. 4. n. 5. Filiucius t. 10. p. 1. c. 2. n. 50. Lay. t. 10. p. 3. c. 6. n. 3. Coninck d. 26. d. 4. Henriquez l. 12. c. 5. n. 8. & alii. Post bimestre verò, licèt peccet conjux non reddendo debitum petenti, si tamen non consummet potest religionem ingredi, & professio est valida: ita Sanchez n. 27. Bonac. n. 4. & alii.

Quid si Matrimonium intra bimestre sit consummatum.

Si verò Matrimonium consummatum sit intra bimestre, etiam per vim (copulâ tamen naturali, & ad prolis generationem aptâ) nunquam dirimitur per professionem subsequentem, quantumvis validam. An verò in eo casu conjux per vim cognita possit ingredi religionem, Henriquez & alii nonnulli negant, quia Matrimonium verè est consummatum, deinde ex illâ copulâ potest nasci proles,

proles, quæ sine matre commodè educari non potest: Sanchez tamen l. 2. d. 22. n. 6. Coninck, Layman n. 3. Sylvester, & alii putant posse, sicut posset ob adulterium alterius conjugis; proles autem alio modo nutriri posset.

Requiaturne consensus Episcopi.

Utrùm autem quando vel alter conjux de alterius licentiâ, vel uterque ingredi vult religionem; requiratur consensus Episcopi, conveniunt omnes non esse necessarium ut professio sit valida; Bonacina tamen ait esse præceptum obligans sub mortali ad petendam licentiam Episcopi, Sanchez verò l. 7. d. 32. n. 3. Filiucius c. 4. n. 132. & alii affirmant nullum esse præceptum, sed solùm ex honestate quadam requiri.

VI.

Ordo major dirimit.

Quæres sextò: Quomodo ordo impediat Matrimonium? Ordines majores, seu sacri Matrimonium eos subsequens dirimunt: ita Sanch. l. 7. d. 28. Filiucius t. 10. p. 2. c. 4. n. 121. Bonacina q. 3. p. 9. n. 8. & 12. Layman t. 10. p. 4. c. 2. n. 3. Henriquez l. 12. c. 5. n. 9. Coninck de Sacram. Ordinis d. 2. d. 11. n. 116. & omnes.

Quid si Ordo non sit validè susceptus.

Conclusio est de Fide, & definita in Concilio Tridentino sess. 24. can. 9. & alibi. Intelligenda autem est de Ordine validè suscepto; aliter enim Matrimonium est validum, cùm votum solenne castitatis solùm sit accessorium ordini sacro, principali itaque cessante cessat accessorium. Imo ne voto quidem simplici castitatis tenetur, unde & licitè contrahit Matrimonium: in quo differt ab invalidè professo; hic enim primariò intendit vovere castitatem, quam proinde vovet quantum potest, alter verò solùm intendit primariò, vovere autem secundariò, & dependenter à sacris ordinibus, qui cùm hic nulli sint, nullum etiam est votum.

Ordo per vim susceptus.

Ordines ex metu gravi incusso susceptì non irritant Matrimonium, nec ad continentiam obligatur sic ordinatus, aut ad recitationem officii (de quo plura postea cùm de vi) sicut nec ordinatus ante usum rationis, modò hi verbis aut facto, utendo scilicet ordine, illum non ratificent: quod etiam in omnibus asserit Sanchez d. 30. n. 8. Filiucius de Matrimonio c. 4. n. 128. & alii de ordinato ante pubertatem, aut annum decimum sextum. Coninck tamen d. 14. n. 136. Bonacina n. 16. Sayro, Soto, & alii aiunt hunc obligari & ad castitatem, & recitationem officii. Ratio autem assertionis est, quia Ecclesia (ex cujus solius præcepto oriuntur hæ obligationes) hæc onera tantùm annexuit Ordini sponte suscepto: quod Navarrus & Filiucius extendunt etiam ad metum levem, si sine eo Ordo susceptus non fuisset.

Ordinatus ante pubertatem.

Quid si quis nolit se obligare.

Si quis verò ad sacros ordines promoveatur habens expressam voluntatem non se obligandi ad continentiam, obligatur nihilominus ex præcepto Ecclesiæ, nec potest validè contrahere Matrimonium, sicut nec potest is qui ordines susciperet ignorans iis annexum esse votum continentiæ, imo etiam voto teneri hunc affirmat Sanch. l. 7. d. 27. n. 11. Azor l. 13. c. 14. q. 10. alii tamen negant.

Suscipiens Ordines post Matrimonium.

Ordines post Matrimonium susceptì non illud dirimunt, unde sine licentiâ uxoris ordinatus post Matrimonium, etiam tantùm ratum, potest ab eâ ad Matrimonium revocari secundùm omnes, idque licèt ad Episcopatum, imo Papatum sit evectus, ut docet Sanchez l. 7. d. 38. n. 12. Filiu. n. 147. & alii apud ipsos. Ut verò de licentiâ uxoris ordines suscipiat, idem servandum quod supra casu 25. diximus de professione.

Quæres septimò: Utrùm liceat, aut unquam licuerit constitutis in sacris Ordinibus contrahere Matrimonium? Respondetur, nunquam licuisse: ita Sanchez lib. 7. d. 28. n. 3. Azor lib. 13. c. 12. q. 3. Vasquez to. 3. in 3. p. d. 247. c. 3. & d. 249. cap. 2. Tannerus to. 4. d. 7. q. 4. d. 2. Bellar. de Clericis t. 2. l. 1. c. 18. Bonacina q. 3. p. 9. n. 13. & omnes contra Cajetanum & Sotum dicentes Græcis diaconis id olim licuisse. Probatur conclusio ex can. 27. Apostolorum, ubi ex iis qui ad clerum provecti sunt, tantùm permittitur lectoribus, & cantoribus, ut uxores accipiant.

VII.

Constitutis in Sacris nunquam licuit ducere uxores.

Quid Græcis sit permissum.

Licèt ergo in Orientali Ecclesiâ permissum Græcis sit, ut ante ordinationem contrahant Matrimonium, & eodem post ordinationem utantur, præterquam temporibus iis, quando altari deservire debebant, nunquam tamen permissum est post ordines contrahere.

Ordines minores non obstant validitati Matrimonii.

Dixi constitutis in sacris hoc nunquam licuisse; qui enim ordines tantùm minores susceperunt, & validè & licitè contrahunt Matrimonium, imo si detur justa causa, ne venialiter quidem peccant, nisi ducant viduam, aut transeant ad secundas nuptias; tunc enim reddunt se ineptos ad ordinem exercendum, cùm fiant bigami, sicque irregulares: ita Filiucius cap. 4. n. 130. Imo excepta bigamiâ Sanchez disp. 31. n. 12. putat sine justâ causâ contrahentes non peccare venialiter, sicut non peccat venialiter suscipiens ordines minores sine animo ascendendi ad majores: licèt probabile sit eum, qui solo animo vitandi forum sæculare hoc faceret, peccaturum venialiter.

VIII.

Quid sit consanguinitas.

Quæres octavò: Quid sit impedimentum consanguinitatis, seu cognationis naturalis? Consanguinitas seu cognatio carnalis est vinculum personarum ab eodem stipite propinquo (alioquin omnes essent propinqui, cùm proveniant à Noë & Adamo) carnali propagatione descendentium. Unde inter Beatissimam Virginem & Christum fuit consanguinitas, non sic inter Adamum & Evam.

Varia hic sunt lineæ.

In hac re variæ reperiuntur lineæ seu series personarum per diversos gradus: Primò ascendentium, ut Patris, Avi, Proavi; Atavi, &c. & vocatur linea ascendentium: deinde linea descendentium, ut filii, nepotis, pronepotis, abnepotis, &c. Tertia collateralium, ut fratrum inter se, & eorum, qui à fratribus descendunt. Quod de Patre, Avo, fratribus, & aliis diximus, eodem modo dicendum de Matre, Aviâ, sororibus, &c.

Tres pro his lineis regulæ.

Pro his lineis tres traduntur regulæ, prima pro lineâ ascendentium & descendentium, nempe quot in computo sunt personæ, tot sunt gradus, unâ personâ demptâ, unde Pater & filius sunt in primo gradu, nepos cum Avo est in secundo, quia hîc computando unâ personâ demptâ remanent duæ, ibi una, & eodem modo de reliquis.

Regula pro lineâ collaterali.

Secunda pro lineâ collaterali, nempe quando duo æqualiter distant à communi stipite, ut duo fratres, quo gradu distant à stipite, distant inter se, quando verò distant inæqualiter à communi stipite, tantum distant inter se, quantum remotior distat à communi stipite: sic frater & soror sunt in primo gradu, frater (seu Patruus) & fratris aut sororis filia (seu neptis) in secundo, & sic de reliquis.

Quæ Matrimonia sint jurè naturæ irrita.

Matrimonium in primo gradu lineæ ascendentium & descendentium, est jure naturæ irritum; id enim naturâ duce nationes omnes aversantur, amicitiæque

amicitiæque & æqualitati conjugali repugnat, cùm eam reverentia filii in parentem non patiatur. Non tamen ita est intrinsecè malum, ut in eo Deus dispensare nequeat, imo in extremâ necessitate, ut si in mundo solus filius cum matre, aut pater cum filiâ relinqueretur, probabile est licere, quâ ratione S. Chrysostomus, & S. Ambrosius filias Loth à culpâ excusant. Communior etiam opinio est jure naturæ irritum esse Matrimonium inter fratres & sorores.

Quorundam hac de re sententia.

Licèt non improbabiliter dicant aliqui Matrimonium in gradibus lineæ rectæ esse jure naturæ irritum in infinitum, sicque Adamum & Noë, si jam resurgerent, non posse ex his quæ modò vivunt uxores ducere, jam tamen jus canonicum (per quod alia jura positiva reprobantur) usque ad quartum tantùm gradum irritat Matrimonia, tam in lineâ rectâ, quàm transversâ, idque sive ex licitâ sive illicitâ propagatione oriatur consanguinitas, ultra quem gradum liberè Matrimonia permittit, licèt olim irrita fuerint usque ad septimum gradum: ita Sanchez l. 7. d. 51. à numero 15. Filiucius tr. 10. p. 2. c. 5. n. 171. Bonacina q. 3. p. 5. §. 1. n. 4. & 7. Lay. t. 10. p. 4. c. 4. Valentia to. 4. d. 10. q. 5. p. 3. Tannerus to. 4. d. 8. q. 4. d. 4. n. 51. Coninck d. 32. d. 1. & alii.

Irrita tantùm sunt usque ad quartum gradum.

IX.

Est propinquitas ex adoptione.

Quæres nonò: Quid sit cognatio legalis, & an dirimat Matrimonium? Cognatio legalis est propinquitas proveniens ex adoptione. Hæc jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium, primò inter adoptantem & adoptatum, & adoptati descendentes usque ad quartum gradum, quod impedimentum semper durat, etiam adoptione sublatâ: secundò inter uxorem adoptantis & adoptatum, & inter uxorem adoptati & adoptantem, quæ similiter semper durat sublatâ adoptione: tertiò inter filios aut filias carnales adoptantis & adoptatum, vel adoptatam, durat tamen solùm quamdiu filii illi vel filiæ sunt sub patriâ potestate, unde non contrahitur inter adoptatum & filios, vel filias illegitimas adoptantis; hi enim non transeunt in potestatem patris: ita Sanchez l. 7. d. 63. Filiucius t. 10. p. 2. c. 5. n. 198. Bonac. q. 3. p. 5. §. 3. Layman t. 10. p. 4. c. 7. Coninck d. 32. d. 3. Sa n. 6. & alii.

Dirimit Matrimonium.

Ratio est, quia inter hos contrahitur cognatio legalis. Filius itaque adoptantis potest contrahere Matrimonium cum filiâ adoptati, sicut etiam cùm plures ab eodem adoptantur, possunt hi inter se contrahere, nam inter has personas nulla intercedit cognatio,

Hujus rei ratio.

Adoptio est legitima assumptio personæ extraneæ (id est non in potestate adoptantis, licèt sit ex consanguineis) in filium, nepotem, & deinceps, seu in filiam, neptem, &c. nemo enim in fratrem, aut parentem adoptari potest. Duplex est, perfecta, quæ & *arrogatio* dicitur, per quam auctoritate Principis adoptatus transit in potestatem adoptantis, sitque hæres illius necessarius ab intestato, & ex testamento in quartâ bonorum parte: imperfecta adoptio fieri potest per quemvis magistratum inferiorem, nec transit in potestatem adoptantis, nec est necessariò hæres ex testamento, sic tamen ab intestato.

Quid sit adoptio.

Sola *arrogatio*, seu adoptio perfecta inducit cognationem legalem. Ad adoptionem autem requiritur primò ut adoptans sit sui juris, & major viginti quinque annis, secundò, ut sit vir, non fœmina: tertiò, ut possit generare, nisi ex casu accidentario: quartò, ut sit præsens: quintò, ut possit esse pater adoptati, imo 18. annis illum superet. Nullus autem arrogare potest seu perfectè adoptare, qui quadraginta annos non sit nactus: ita Auctores citati.

Quid sit perfecta. Est duplex.

X.

Provenit ex Baptismo & Confirmatione.

Quæres decimò: Quid sit cognatio spiritualis, & quomodo dirimat Matrimonium? Cognatio spiritualis est propinquitas personarum consurgens ex Ecclesiæ statuto ob collationem Baptismi, & Confirmationis, vel susceptionem baptizati & confirmati.

Paternitas.

Hujus cognationis tres olim erant species, *Paternitas* inter baptizantem vel susceptorem & baptizatum: *Compaternitas* inter baptizantem vel susceptorem & patrem ac matrem baptizati: & *Confraternitas* inter baptizatum & filios baptizantis vel susceptoris, & eodem modo de confirmante: nunc autem Concilium Tridentinum sess. 24. c. 2. sustulit confraternitatem, manente cognatione in aliis eodem modo quoad Baptismum & Confirmationem, etiam quoad susceptorem in Confirmatione, & ulteriùs statuit unum tantùm deinceps esse susceptorem, sive vir sit, sive mulier, aut ad summum duos, virum scilicet ac mulierem.

Compaternitas.

Confraternitas.

Quomodo dirimat Matrimonium.

Sola itaque Paternitas & compaternitas spiritualis dirimit Matrimonium. Quare si vir & uxor alienum puerum simul de sacro fonte suscipiant, non contrahunt inter se cognationem spiritualem, sicque possunt petere debitum, quod non possunt ii, qui contraxerunt cognationem spiritualem, nec peccant suscipiendo, cùm passim permittatur. Unde ulteriùs duo soluti, qui infantem simul de sacro fonte susceperunt, possunt inter se Matrimonium contrahere: ita Sanchez l. 7. d. 54. n. 12. & d. 57. n. 5. Suarez 3. p. q. 67. a. 8. ad 3. Filiuc. t. 10. c. 5. n. 100. Bonacina q. 3. p. 5. § 2. Henriquez l. 12 c. 11. Coninck d. 32. d. 2. Layman tr. 10. p. 4. c. 8. & alii.

Quæ conditiones in suscipiente requirantur.

Susceptor inprimis ut contrahat cognationem debet esse baptizatus, sicut & ut alius contrahat cognationem cum illo, & ut sit susceptor in confirmatione debet esse confirmatus. Sufficit autem quævis ætas, modò doli capax sit, licèt susceptor baptizatum aut confirmatum ætate non superet. Debet autem verè tangere puerum dum baptizatur, vel statim à Baptismo, licèt Bonac. Coninck, & alii dicant contrahi cognationem à suscipiente per procuratorem ad hoc missum, quod tamen alii negant. Si plures tangant successivè, primus est patrinus si sit ex designatis à parentibus, vel electis à parocho, casu quo parentes nullum designent. Si plures designati quàm duo simul tangant, dicunt aliqui omnes contrahere, alii nullum.

XI.

Unde provenit.

Quæres undecimò: Quid sit impedimentum publicæ honestatis? Impedimentum publicæ honestatis est propinquitas ex institutione Ecclesiæ, proveniens ex sponsalibus de futuro, vel Matrimonio rato, idque propter honestatem Matrimonii. ita Sanchez l. 7. d. 68. Coninck d. 32. d. 5. Henriquez l. 12. c. 10. Bonacina q. 3. p. 11. Filiucius t. 10. p. 2. c. 6. n. 220. Layman t. 10. p. 4. c. 9. & alii communiter.

Quomodo procedens ex sponsalibus dirimat Matrimonium.

Hoc impedimentum ortum ex sponsalibus olim dirimebat usque ad quartum gradum, nunc autem Concilium Tridentinum sess. 24. c. 3. restrinxit ad primum gradum, unde contrahens sponsalia cum Caiâ contraheret Matrimonium invalidè cum ejus sorore, matre, aut filiâ, non tamen cum ejus affinibus, quare validè contraheret cum uxore fratris Caiæ. Sponsalia verò post Trident.

Trident. debent esse valida; ex quocunque enim capite deficiant, inquit Navar. Bonac. & alii ex Trid. c. 3. non oritur hoc impedimentum, Sanchez tamen, Henriquez, Filiucius, Layman, & alii dicunt oriri, si merè sint irrita defectu consensus, nisi hic defectus possit probari. Olim inducebant hoc impedimentum quocunque etiam modo irrita sponsalia, præterquam ex defectu consensus.

Particularis hac de re casus.

Hinc sequitur si Titius contrahat sponsalia cum Caiâ, & postea habeat copulam cum ejus sorore, neutram posse eum ducere, non hanc ob impedimentum publicæ honestatis, non illam ob impedimentum affinitatis ex copulâ cum sorore. Impedimentum autem honestatis non cessat licèt dissolvantur sponsalia ex mutuo consensu, imo nec morte alterius sponsi.

Quid dum oritur ex Matrimonio rato.

Impedimentum publicæ honestatis proveniens ex sponsalibus de præsenti, seu Matrimonio rato dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum, ut declaravit Pius V. in Bullâ quæ incipit *Ad Romanum*: ita Sanchez d. 70. & alii citati, imo oritur ex Matrimonio rato invalido, nisi invalidum sit merè defectu consensus, cùm in hoc jus novum non correxerit antiquum, sicut correxit in sponsalibus. Si duo impuberes contrahant Matrimonium, malitiâ non supplente ætatem, non oritur impedimentum honestatis, nisi censeatur hoc Matrimonium sponsalia.

XII.

Oritur ex homicidio & adulterio

Quæres duodecimò: Quid sit impedimentum criminis, & quomodo dirimat Matrimonium? Impedimentum criminis ad duo capita reducitur, homicidium, & adulterium: ita Sanchez l. 7. d. 78. & 79. Henriquez l. 12. c. 12. Bonacina q. 3. p. 6. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 8. Coninck d. 31. Layman t. 10. p. 4. c. 10. & alii. Ut homicidium dirimat Matrimonium sufficit ut maritus occidat suam uxorem, vel hæc maritum quacunque ratione, ferro, veneno, per se vel per alium, si mors re ipsâ sequatur, & non solùm intentetur, si tamen mandans alteri ut occidat uxorem vel maritum suum, & ante occisionem revocet mandatum, ita ut revocatio innotescat mandatario, non contrahit hoc impedimentum, sicut nec consulens, cujus consilium non influxit.

Occidere debent animo contrahendi Matrimonium.

Deinde debet & vir & fœmina conspirare in mortem conjugis; si enim alter occidat sine conspiratione alterius non contrahitur hoc impedimentum, nisi adulterium intercesserit cum parte cum quâ vult inire Matrimonium. Præterea, licèt Scotus, Caietanus, & pauci alii asserant sufficere quocunque animo uterque alterum conjugem occidat, ut ex odio, vindictâ, &c. modò inter se ad hoc conspirent: communis tamen sententia tenet ad inducendum hoc impedimentum debere illos conspirare & occidere animo inter se contrahendi Matrimonium.

Quomodo oriatur ex adulterio.

Ut adulterium inducat hoc impedimentum requiritur & ut sit adulterium formale ex utrâque parte, ita scilicet ut uterque putet esse adulterium, & materiale, ita ut alter verè sit Matrimonio conjunctus; si enim alter putet alterum esse solutum, vel alter aut uterque putet conjugem illius, quicum habet copulam, vivere, cùm tamen tunc sit mortuus, non incurritur hoc impedimentum, sed possunt validè inter se inire Matrimonium.

Quid præter adulterium requiratur.

Ulteriùs cum adulterio materiali & formali requiritur unum ex his tribus, vel occisio conjugis patrata animo contrahendi Matrimonium cum aliâ, quicum commisit adulterium, licèt unus tantùm adulterorum in ejus mortem conspiret, ut si Titius conjugatus committat adulterium cum Caiâ solutâ, & is insciâ Caiâ, vel hæc Titio insciо occidat uxorem illius animo contrahendi: vel ut Caius exempli gratiâ publicè vel privatim, seu clandestinè Matrimonium cum uxore Titii contrahat, & ante vel post Matrimonium istud, habeat cum eâ copulam: vel tertiò ut ante vel post copulam mulier viro, aut vir mulieri promittat Matrimonium post mortem conjugis. Sanchez, Coninck, & Filiucius putant sufficere fictam promissionem, existimo tamen cum Henriquez, Bonac. & aliis requiri veram, non tamen mutuam, ut benè Sanchez, Coninck, Bonacina, & alii contra Henriquez. Debet tamen promissio esse acceptata, alioqui non est promissio, sed pollicitatio. Potest tamen hic contrahere cum aliâ quacunque personâ præterquam cum adulterâ. Hoc porro impedimentum est Ecclesiasticum, sicque non dirimit Matrimonium infidelium.

XIII.

Quis metus irritet Matrimonium.

Quæres decimo tertiò: Quomodo vis dirimat Matrimonium? Quæstio est quænam vis seu metus dirimat Matrimonium: quâ in re conveniunt omnes metum gravem cadentem in constantem virum, si injustè incutiatur à causâ liberâ ad extorquendum consensum, dirimere Matrimonium jure Ecclesiastico: ita Sanchez l. 4. d. 14. Henriquez l. 11. c. 9. Lessius l. 2. c. 17. d. 7. Coninck d. 28. d. 1. n. 5. Bonacina q. 3. p. 8. n. 8. Filiu. t. 10. p. 1. c. 4. n. 104. Lay. t. 10. p. 2. c. 5. n. 1. & alii. Licèt verò S. Thomas, Divus Bonaventura, Richar. Scotus, Molina to. 2. tract. 2. d. 326. in solut. ad secundum, & alii dicant metum gravem jure naturæ irritare Matrimonium, contrarium tamen videtur probabilius, solo scilicet jure Ecclesiastico irritare, quod tenet Durandus, Navarrus, Sotus, Sylvester, Henriq. Sanchez l. 4. d. 14. n. 2. & alii, nam metus justus, & incussus ab intrinseco, seu à causis naturalibus non minùs tollit libertatem quàm injustè incussus & à causis liberis, seu ab extrinseco, ut aiunt, & tamen ille non irritat Matrimonium.

Verùm jure natur.

De metu injustè incusso.

Dixi injustè incussus ad extorquendum consensum; si enim justè incutiatur ad hunc finem, licèt probabile sit irritare Matrimonium, & tenet Bonacina n. 10. cum aliis, probabilius tamen est contrarium, ut ait Sanchez l. 4. c. 13. n. 3. & 9. benè explicans metum justè incussum esse metum damni debiti delicto, ut si quis latroni justam accusationem minetur nisi certam fœminam ducat: sic etiam si pater juvenem inveniret cum filiâ & minaretur se eum de stupro illo accusaturum, nisi illam ducat, Matrimonium est validum, si ei antea fidem dedisset; nec enim propriè censetur inferri metus, sed offertur medium auferendi metum jam ex delicto incussum: & hoc à fortiori, si eam vi oppressisset, si esset lex præcipiens sponte violatam ducere, si præcessissent sponsalia, & similia.

Metus ad alium finem incussus.

Metus autem sive justus sive injustus incussus non ad contrahendum Matrimonium, sed ad alium finem, non irritat Matrimonium ex eo contractum, ut si medicus dicat infirmum moriturum nisi ducat uxorem, si Judex justè vel injustè ad mortem damnato liberationem promittat si ejus filiam in uxorem ducat, si medicus curare aliquem nolit, nisi filiam ejus ducat; metus enim non à medico incutitur, sed à morbo, & sic de aliis.

XIV. *Metus levis per se loquêdo non irritat.*

Quæres decimo-quartò : An metus levis, & reverentialis irritent Matrimonium ? Navarrus, & alii nonnulli affirmant metum etiam levem irritare Matrimonium : probabilius tamen est contrarium, nisi planè tollat consensum : ita Sanch. l. 4. d. 17. Bonac. q. 3. p. 8. Filiucius, & alii : Ecclesia enim solùm Matrimonium irritavit quod metu gravi contractum est, æquum enim fuit ut subveniretur constanter operantibus, non levibus & inconstantibus, nisi consideratâ qualitate personæ, fœminæ exempli gratia, metus levis esset tantus respectu illius, ac magnus respectu alterius. Metus autem gravis per se loquendo est, quando nobis-ipsis aut nobis conjunctissimis timemus probabiliter grave aliquod malum, ut amissionem vitæ, magnæ partis bonorum, infamiam, mutilationem, &c. ad quæ reducitur metus reverentialis conjunctus cum minis, malâ tractatione, & similibus.

Metus reverentialis.

XV. *Quid sit cultus disparitas.*

Quæres decimo-quintò : Quomodo cultus disparitas irritet Matrimonium? Cultus disparitas est Matrimonium contractum inter Christianum & non baptizatum, quamvis catechumenum, & qui Baptismum etiam invalidè susceperit.

Quid de Matrimonio inter Catholicum & hæreticum.

Matrimonium Catholicorum cum hæreticis, validum quidem est, sed illicitum, tum quia prohibitum ab Ecclesiâ, tum ob periculum perversionis, & ne proles educantur hæreticè. Quare Bellarminus lib. 2. de Matrimonio cap. 23. Valentia q. 1. p. 3. & alii multi absolutè affirmant hujusmodi Matrimonia esse mortaliter mala, etiam ex parte Catholicorum. Existimo tamen, secluso scandalo, & subversionis periculo, posse Matrimonium cum personâ hæreticâ ex dispensatione Pontificis licitè contrahi : ita Sanch. t. 2. d. 72. n. 5. Henriquez l. 12. c. 13. Azor, Salas, & alii. Ad hanc verò dispensationem gravis causa requiritur.

Quid de iis locis, in quibus Catholici permixti vivunt cum hæreticis.

Nonnulli tamen, ut Azor lib. 8. c. 11. Sanch. citatus, & alii innuunt, in locis ubi Catholici permixti vivunt cum hæreticis, ut in Germaniâ, Galliâ, Poloniâ, Matrimonia hæc non esse illicita, cùm decreto illi Ecclesiastico per contrariam consuetudinem sit derogatum. Sed quicquid sit de hac derogatione, manet tamen periculum perversionis, & ne proles in hæresi educantur. Quare rarissimè hæc Matrimonia existimo esse licita, præsertim cùm, ut docet P. Laymannus tract. 10. parte 4. cap. 14. experientiâ compertum sit, gravissima ex istiusmodi Matrimoniis provenire solere incommoda : unde non refert legi Ecclesiasticæ contrariâ consuetudine esse derogatum.

De dispensatione inter Christianü & infidelem.

Ex dispensatione etiam Pontificis validum est Matrimonium inter Christianum & infidelem non baptizatum ; cùm enim hoc impedimentum sit juris tantùm Ecclesiastici, potest in eo Pontifex dispensare. Unde in vetere Ecclesiâ frequentia fuerunt talia Matrimonia, ut ait S. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, & S. Augustinus libro de Fide & operibus, cap. 19. & lib. 9. Confessionum, cap. 9. hoc peculiariter refert de Matre suâ Monicâ. At verò sine dispensatione Pontificis Matrimonium inter Christianum & non baptizatum est invalidum.

XVI. *Provenit ex copulâ carnali.*

Quæres decimo-sextò : Quid sit impedimentum affinitatis? Affinitas est propinquitas proveniens ex copulâ carnali, sive sit licita, sive illicita, habita cum fœminâ etiam invitâ ; dormiente, insanâ, aut ebriâ, modò semen emittatur in vas naturale fœminæ, quare per copulam sodomiticam non contrahitur affinitas.

Dirimit Matrimonium.

Per copulam itaque naturalem inter Caium & Sempronium exempli gratia consurgit affinitas inter Caium & consanguineos Semproniæ in eo gradu sive linea ascendentium vel descendentium, sive etiam laterali, quo illi sunt consanguinei Semproniæ, & idem est de consanguineis Caii respectu Semproniæ : unde computatio in his gradibus debet semper incipere à personis se cognoscentibus carnaliter, quæ sunt stipes affinitatis.

Copula licita & illicita.

Copula itaque carnalis licita dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, illicita verò solùm usque ad secundum juxta decretum Concilii Tridentini sess. 24. c. 4. Unde Caius, qui commisit fornicationem cum Sempronià, potest contrahere Matrimonium cum consanguineâ Semproniæ in tertio gradu. Consanguinei Caii non contrahunt affinitatem cum consanguineis Semproniæ, nec econtra, unde duo fratres possunt ducere duas sorores, & potest quis ducere illam cujus matrem Pater antea duxerat ; nullo enim jure statuitur talis affinitas : ita Sanch. l. 7. d. 67. Henriq. l. 12. c. 10. Bona. q. 3. p. 12. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 6. Lay. tr. 10. p. 4. c. 5. Coninck d. 32. d. 4. & alii communiter.

Quo jure dirimat Matrimonium.

Quæres : An affinitas dirimat Matrimonium jure naturæ ? Affirmant quoad lineam rectam multi apud Sanchez l. 7. d. 66. n. 5. Unde Valentia, Vasquez, Coninck, Layman, c. 6. n. 5. & alii asserunt affinitatem ortam ex Matrimonio dirimere Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturali. Sanch. tamen, Henriq. Bonac. & alii plurimi dicunt solùm jure ecclesiastico dirimere : ex quo à fortiori sequitur nullam affinitatem jure naturæ irritare Matrimonium in lineâ transversâ, sic Jacob duxit duas sorores, & lex Deuter. 27. jubebat fratrem ducere uxorem fratris sine liberis defuncti. Jure itaque naturæ validum est Matrimonium filii cum concubinâ Patris, imo cum Novercâ, & fratris cum uxore fratris mortui.

XVII. *Ligamen cum unâ uxore impedit secundum.*

Quæres decimo-septimò : Quid sit impedimentum ligaminis? Ligamen est vinculum prioris Matrimonii, quo stante omne sequens Matrimonium est invalidum ; Christus enim Math. 19. hæc Matrimonia irritavit dum ait, ducentem aliam uxorem, primâ dimissâ, mœchari, ergo à fortiori mœchatur ducens aliam primâ retentâ. Imo non jure tantùm ecclesiastico, sed etiam divino & naturali secundario irritum est secundum Matrimonium, nec in eo potest Pontifex dispensare, licèt Deus olim dispensaverit ob multiplicationem populi fidelis. Unde inter infideles solum Matrimonium cum primâ uxore est validum, & probabilius est nunquam aliter inter gentiles fuisse : ita Sanchez l. 7. d. 8. n. 12. & 13. Valentia t. 4. d. 10. q. 1. p. 3. Henriq. l. 12. c. 6. Bonac. q. 3. p. 10. Filiuc. t. 10. p. 2. c. 4. n. 161. Coninck d. 26. d. 2. & alii passim. Ut autem fœmina habeat plures maritos naturæ lex prorsùs vetat.

Quæ certitudo mortis sufficiat ad novum conjugium.

Quæres, quæ certitudo de morte conjugis requiratur, ut alter conjux licitè transeat ad alias nuptias. Respondetur, talem requiri quæ judicio prudentis viri sufficiat ad faciendam fidem, qualis est si vir interfuisset prælio, & postea per longum tempus non comparcat, & fama sit eum esse occisum, vel si qui in eodem prælio fuerunt dicant illum ibi periisse : non tamen merè sufficit diuturna

diuturna absentia. Quamprimum autem prior maritus comparuerit, debet separari à secundo, nec potest ei cohabitare.

XVIII. *Quid sit raptus.* Quæres decimo-octavò: Quomodo raptus dirimat Matrimonium? Raptus propriè est cùm persona aliqua abducitur cum violentiâ ad explendam libidinem, vel Matrimonium contrahendum, unde si vel sponte, vel precibus inducta discedat fœmina cum viro, etiam insciis parentibus, non dicitur propriè raptus: ita Sanchez lib. 7. d. 13. Lessius l. 4. c. 3. d. 9. Filiu. t. 10. p. 2. c. 8. n. 257. Bonacina q. 4. p. 18. Layman t. 10. p. 4. c. 13. Henriquez l. 12. c. 14. Tol. l. 7. c. 13. & alii.

Quomodo dirimat Matrimonium. Raptus dirimit Matrimonium quamdiu fœmina est in potestate raptoris, quantumvis liberè in Matrimonium consentiat, si invita fuerit eò priùs rapta, sicut etiam sunt irrita sponsalia tunc facta: ita Sanchez, Bonacina, & alii, qui idem dicunt de sponsâ invitâ raptâ post sponsalia liberè ante raptum facta: Henriquez tamen ait tunc validum esse Matrimonium, sicut omnes fatentur esse validum, si sponsa volens abducatur invitis parentibus. Si fœmina virum rapiat, validum erit matrimonium, cùm Tridentinum solùm loquatur de raptu fœminæ. Validum tamen esset Matrimonium cum tertiâ personâ, quæ nullo modo ad raptum illius fœminæ concurrit, idque licèt raptor eâ ipsam intentione rapuerit ut cum illo altero iniret Matrimonium.

Quid si volentibus parentibus abducatur. Sanchez citatus ait, si volentibus parentibus fœmina rapiatur invita, Matrimonium esse irritum, secus si illa volens discedat invitis parentibus, quod secundum negat Henriquez, Navar. Toletus & alii. Emanuel Sa, Henriquez, & alii volunt ad hunc raptum sufficere si solâ libidinis causâ mulier rapiatur: probabilius tamen videtur quod ait Sanchez, Filiuc. Coninck d. 3. d. 4. & alii solùm loqui Concilium de raptu fœminæ ad contrahendum Matrimonium.

Pœnæ raptoribus statutæ. Aliæ etiam pœnæ assignantur raptui, ut quòd raptores, fautores, &c. sint ipso jure excommunicati, perpetuò infames, incapaces dignitatum, & si sint clerici, decidant de gradu. Raptor etiam tenetur convenienter dotare raptam, sive eam in Matrimonium duxerit, sive non.

XIX. *Impotentia perpetua irritat Matrimonium.* Quæres decimo-nonò: Quomodo impotentia dirimat Matrimonium? Impotentia perpetua, quæ non humanâ arte, vel absque miraculo, arte magicâ, aut periculo vitæ, vel etiam sine peccato, ut non nisi habendo copulam cum aliis viris tolli potest, irritat Matrimonium, nec jure tantùm ecclesiastico, sed naturali: ita Sanch. l. 7. d. 93. & sequentibus, Filiucius t. 10. p. 2. c. 3. Bonac. q. 3. p. 13. Layman t. 10. p. 4. c. 11. Henriquez l. 12. c. 7. Coninck d. 31. d. 7. & alii.

Impotentia respectiva. Fieri autem potest ut vir respectu unius fœminæ sit impotens, & fœmina respectu unius viri, ut si arcta sit, nec sine vitæ (aut gravis morbi secundùm aliquos) periculo per incisionem apta huic reddi potest, quo casu irritum est Matrimonium inter illos: possunt tamen cum aliis postea validè contrahere.

Impotentia ex maleficio Idem est de impotentiâ ex maleficio, si post experientiam triennalem sibi à jure concessam, & adhibitis remediis ad avertendum maleficium, copulam habere non potuerunt; possunt enim cum aliis contrahere, si tamen certò scirent postea se posse inter se habere copulam, debent ad se iterum, relicto secundo Matrimonio redire: ita Auctores citati. Impotentia autem perpetua superveniens Matrimonio non illud dirimit. Sitne validum Matrimonium senis decrepiti ad copulam planè impotentis, & qui nullâ arte juvari possit, affirmat Henriquez, & alii, negat Bonac. n. 18. cum aliis.

Hermaphroditus. Hermaphroditus, in quo unus sexus prævalet, validè contrahit secundùm illum, si uterque sexus sit æqualis, potest secundùm alterutrum contrahere, mortuo autem conjuge peccat si secundùm alium sexum denuò contrahat, si tamen faciat, Matrimonium est validum: ita Sanchez, Coninck, Filiucius, Bonacina, & alii citati.

SECTIO SECUNDA.

De impedimentis non dirimentibus.

I. *Impedimenta non ex crimine.* QUÆRES primò: De impedimentis non dirimentibus: Quid sit interdictum Ecclesiæ, & juris? Hæc impedimenta sunt in duplici genere; quædam enim non ex crimine, alia ex crimine consurgunt. Prioris generis sunt hæc quinque.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Impedimenta ex crimine. Posterioris generis sunt hæc septem:

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solenniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Prohibitio Ecclesiæ. Primum itaque impedimentum est prohibitio Ecclesiæ, quando scilicet persona aliqua Ecclesiastica, ut Episcopus, aut alius Judex Ecclesiasticus, imo parochus prohibet ne aliqui contrahant Matrimonium ratione scandali, vel donec impedimentum aliquod examinetur: cui prohibitioni contravenire est peccatum mortale, cùm materia sit gravis: ita Sanchez l. 7. d. 6. n. 6. & d. 7. Filiucius t. 10. p. 2. c. 9. Bonacina q. 3. p. 14. n. 2. 3. & 4. Coninck d. 30. d. 3. Bellarm. l. 1. de Matrim. c. 31. Layman t. 10. p. 4. c. 15. & alii.

Prohibitio juris. Secundum vocatur prohibitio juris, per quam scilicet certis diebus à Concil. Triden. s. 24. c. 10. interdicitur celebratio Matrimonii, nempe à primo die Adventus, seu à mediâ nocte antecedente usque ad diem Epiphaniæ, & similiter à feriâ quartâ cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè.

De Matrimonio publico. Hoc ergo tempore Matrimonia publicè & solenniter benedicere est peccatum mortale, & Sacerdos graviter arbitrio Judicis Ecclesiastici puniri debet, & contrahentes ad tempus separari, aut aliâ pœnâ mulctari, si sit periculum incontinentiæ. Matrimonium autem his temporibus contrahere, etiam præmissis denuntiationibus, sponsam in domum sponsi sine solennitate, id est conviviis, tripudiis, & similibus deducere, & Matrimonium consummare non est prohibitum: ita Sanchez, Filiucius, Bellarminus, Navarrus, & alii, nisi contraria consuetudo aliud exigat, ut est in Germaniâ, teste Lay. num. primo.

Matrimonium privatum.

II. *Quomodo impediat Matrimonium Catechismus.* Quæres secundò: Quomodo impediat Matrimonium catechismus, sponsalia, & votum? Is qui tenet puerum in catechismo, id est, qui respondet interrogationibus quæ fiunt à Sacerdote ante januam Ecclesiæ super baptizandum, contrahere dicitur cognationem spiritualem imperfectam cum iisdem personis, cum quibus contrahit tenens puerum in Baptismo, sive hoc fiat ante sive post Baptismum, quæ cognatio in baptismo

à Concilio Tridentino restricta est ad primum gradum, ut supra vidimus. Unde juxta Navarrum, Valentiam t. 4. d. 10. q. 5. p. 4. & alios, peccat is qui cum illâ personâ, vel ejus parente contrahit Matrimonium.

Hoc videtur sublatum. Sanchez tamen l. 7. d. 10. n. 12. Henriq. l. 12. c. 2. Sa, & ut probabile Filiucius t. 10. p. 2. c. 9. n. 273. Layman t. 10. p. 4. c. 15. n. 2. & Bonacina q. 3. p. 14. n. 6. dicunt nullam in hoc contrahi cognationem, sed hoc impedimentum à Concilio Tridentino sess. 24. c. 2. esse sublatum, cùm nullam de hoc impedimento ibi faciat mentionem.

Sponsalia. Sponsalia inducunt obligationem gravem ad standum sponsalibus, unde peccat graviter qui his non dissolutis contrahit Matrimonium cum aliâ personâ: ita Sanchez l. 1. d. 27. n. 2. Bonacina q. 3. p. 14. n. 5. Filiucius c. 9. n. 274. Coninck d. 30. d. 3. n. 23. & alii.

Quo pacto votum impediat matrimonium. Qui emisit votum castitatis, religionis, sacrorum ordinum, aut non nubendi (idem est de juramento) licèt si contrahat Matrimonium, illud sit validum, cùm res uni promissa possit alteri validè dari, cùm dominium illius rei non abdicaverit à se per promissionem, peccat tamen graviter contrahendo, cùm faciat contra votum, ponendo se in statu, in quo servare illud non possit: ita Sanchez l. 7. d. 11. n. 4. Filiu. t. 10. p. 2. c. 9. n. 275. Bonacina n. 7. & alii. Unde etiam peccat mortaliter qui scienter contrahit cum habente hæc vota, nisi sub conditione dispensationis obtinendæ.

Quid si quis habeat firmum animum ingrediendi religionem. Quæres, an habens votum religionis aut castitatis possit inire Matrimonium firmo animo ingrediendi religionem ante consummationem? Affirmat Henricus, Caietanus, & alii apud Sanchez, qui ait hoc esse probabile. Contrarium tamen multo est probabilius, tum quia exponit se periculo manifesto mutandi mentem, & violandi votum, tum ob injuriam factam conjugi: ita Sylvester, Navarrus, Henriquez l. 12. c. 2. n. 8. Sanchez l. 1. d. 43. n. 6. & alii. Si tamen habens votum castitatis ineat Matrimonium cum firmo proposito ingrediendi religionem ante consummationem, non tenetur eo contracto ingredi; nec enim votum castitatis ad hoc eum obligat, nec ingrediendi propositum: ita Sanchez n. 9. contra Scotum, Caietanum, & alios.

III. *Quomodo impediat incestus.* Quæres tertiò: Quomodo incestus impediat Matrimonium? Incestus hîc est fornicatio cum affine in gradibus prohibitis, unde vir qui habuit copulam cum consanguineâ uxoris usque ad quartum gradum, sciens esse consanguineam ejus (idem est de uxore respectu consanguineorum viri) non potest mortuo altero conjuge contrahere licitè Matrimonium cum quacunque aliâ personâ. Non tamen incurrit hoc impedimentum si ignoret esse consanguineam: ita Sanchez l. 7. d. 15 Filiucius t. 10. p. 2. c. 9. n. 283. & 284. Bonacina q. 3. p. 14. n. 10. & alii.

Quid si per vim fiat. Nec tantùm conjugibus incestûs reis interdicitur Matrimonium, sed illis etiam quibuscum habita est talis copula, si scirent esse copulam incestuosam. Si autem mulier vi oppressa sit, solus opprimens contrahit hoc impedimentum. Non autem extenditur hoc impedimentum ad cognationem legalem aut spiritualem, imo nec ad incestum quem uxor committeret cum suis consanguineis, aut maritus cum suis; cùm enim sit lex pœnalis, non extenditur ad plura quàm exprimuntur in jure.

Quid si hoc fiat cum consanguineâ sponsæ. Sanchez n. 5. Bonacina n. 11. Filiucius n. 281. & alii contra Angelum & alios dicunt hoc impedimentum extendi ad copulam habitam cum consanguineâ sponsæ de futuro in primo gradu, solùm tamen durare vivente complice, quod secus contingit in copulâ cum consanguineâ sponsæ de præsenti, seu ante Matrimonium consummatum; est enim impedimentum perpetuum, etiam mortuâ uxore, juxta Auctores citatos. Idem affirmat Sanchez, Bonacina, Filiucius, & alii de habente copulam cum consanguineâ uxoris post mortem uxoris, Sotus tamen, Henriquez, Sa, Layman t. 10. p. 4. c. 5. n. 2. & alii hoc negant.

IV. *Raptus sponsæ.* Quæres quartò: Quomodo raptus alienæ sponsæ, uxoricidium, susceptio prolis, Presbyteratus, pœnitentia publica, Matrimonium cum moniali, impediant Matrimonium? Qui rapuit alienam sponsam, sive de præsenti, sive de futuro, non potest licitè contrahere Matrimonium cum illâ personâ, sicut nec sponsa ipsa, si consensum præbuit: ita Sanchez l. 7. d. 12. n. 43. Henriquez l. 12. c. 2. Filiucius c. 9. n. 286. Bonacina n. 13. quamvis Sanchez neget de sponsâ de futuro.

Uxoricidii. Idem est si vir injustè occidat uxorem, licèt Sa & Bonacina dicant non incurri si occidat repertam in flagranti. Henriquez & alii dicunt incurri hoc impedimentum ab uxore occidente maritum, quod tamen negat Sanchez, Toletus, Filiucius, & Bonacina.

Susceptio prolis. Si quis etiam prolem communem utrique conjugi vel alterius solius conjugis suscipiat in Baptismo aut Confirmatione, vel illam baptizet infidiando Matrimonio ut cognationem contrahat cum altero conjuge, & debitum conjugale impediat, non potest mortuo conjuge Matrimonium aliud contrahere: ita Sanchez l. 7. d. 6. n. 8. Filiucius, Bonacina, & alii.

Occisio sacerdotis. Sic qui occidit injustè Sacerdotem non potest licitè contrahere Matrimonium, & licèt multi requirant ut sit convictus, communior tamen sententia ait hoc non requiri: ita Filiucius c. 9. n. 290. & alii.

Publica pœnitentia. Idem est de eo qui agit publicam pœnitentiam, dum hæc durat, sed hæ pœnitentiæ jam non sunt in usu: Sanchez d. 6. n. 10. & alii.

Tandem qui Matrimonium scienter contrahit cum moniali professâ impeditur quo minùs unquam contrahat Matrimonium: Sanch. d. 6. n. 12. Bonacina n. 20. & alii.

Multa ex his jam non sunt in usu. Sanchez tamen l. 7. d. 17. n. 9. Navarrus, Sotus, Henriquez l. 12. c. 2. Coninck d. 30. d. 3. n. 25. Layman t. 10. p. 4. c. 15. fine dicunt hæc impedimenta, præter impedimentum voti, sponsalium, & interdicti, usu jam & communi consuetudine esse sublata, sicque nullum esse peccatum iis qui hæc crimina admiserunt, contrahere Matrimonium sine dispensatione: Bonacina tamen n. 21. Toletus, & alii asserunt esse peccatum mortale.

V. *De dirimentibus jure naturali.* Quæres quintò: Quis possit in impedimentis Matrimonii dirimentibus dispensare? In impedimentis dirimentibus jure naturali, non potest Summus Pontifex dispensare, unde secundùm diversas sententias de gradibus hujus impedimenti in lineâ ascendentium & descendentium, vel etiam transversâ, aut affinitatis, potest, vel non potest dispensare. Ratio est, quia esset occasio multorum malorum: ita Sanch. l. 8. d. 6. Filiu. t. 10. p. 2. c. 10. n. 301. Bonac. q. 3. p. 15. n. 2. Layman t. 10. p. 4. c. 6. & alii.

In

Dirimentia jure Ecclesiastico.

In impedimentis jure humano seu ecclesiastico tantùm dirimentibus potest Summus Pontifex dispensare, cùm sit superior, ut tamen licitè faciat requiritur justa causa, unde à fortiori sequitur posse dispensare in impedimentis non dirimentibus, exceptis sponsalibus: ita Sanch. l. 2. d. 40. Bonacina n. 2. Filiucius n. 302. & alii.

Quid hac in re possit Episcopus.

In his etiam impedimentis dirimentibus potest Episcopus dispensare, quando Matrimonium bonâ fide publicè contractum est, & impedimentum occultum, nec conjuges possunt sine magno scandalo separari, nec propter paupertatem aut loci distantiam, vel alia justa impedimenta recurri potest ad Pontificem, nec ad Nuncium Apostolicum, qui potestatem haberet dispensandi, quamvis Henriquez l. 6. de Pœnitentiâ, c. 10. n. 1. & l. 12. de Matrim. c. 3. n. 1. dicat posse Episcopum dispensare, etiam quando potest recurri ad Nuntium, quod tamen negat Sanchez, & Bonacina: ita Sanchez l. 2. d. 4. addens n. 7. posse Episcopum in casu aliquo valdè extraordinario dispensare in impedimento detecto etiam ante contractum Matrimonium, Bonac. n. 4. & 6. Filiucius n. 302. & alii.

VI. *Impedimenta non dirimentia.*

Quæres sextò: An Episcopus possit dispensare in impedimentis non dirimentibus? Præter votum castitatis & religionis, ac sponsalia potest Episcopus ex consuetudine dispensare in impedimentis solùm impedientibus: ita Sanchez l. 7. d. 57. num. 15. Filiucius tr. 10. p. 2. c. 10. n. 305. Bonacina quæst. 3. p. 15. num. 3. & alii, non tamen in interdicto, nisi à se vel ab alio sibi inferiori posito, nec in incestu, nisi is qui illum commisit sit juvenis, id est non sexagenarius.

Votum Castitatis & religionis.

Circa impedimentum voti castitatis & religionis posset quidem Episcopus dispensare, nisi Papa sibi reservasset; cum illis enim qui sibi in suâ diœcesi sunt subditi potest Episcopus in iis omnibus dispensare, in quibus Summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ, nisi reserventur: ita Sanchez lib. 8. d. 9. num. 3. Filiu. & alii.

In quibus votis castitatis dispensare possit Episcopus.

Restringenda tamen est hæc reservatio, cùm sit odiosa; utpote derogans juri Episcoporum, unde potest Episcopus dispensare in omni voto castitatis quod non est usquequaque integrum & simpliciter tale: dispensare itaque potest in voto castitatis per mensem, annum, &c. & in perpetuo voto castitatis conjugalis; cùm primum non sit integrum ex parte temporis, alterum ex parte materiæ: item in voto non nubendi, in voto suscipiendi sacros ordines, in voto etiam disjunctivo, cujus altera pars est reservata, altera non, ut voveo castitatem vel jejunare singulis diebus Sabbati; ipse enim potest eligere partem non reservatam, in qua potest Episcopus dispensare.

Idem est de votis religionis.

Circa votum religionis etiam potest dispensare in omni quod non est simpliciter tale, ut in voto religionis strictioris, dispensando ut transeat ad laxiorem, in voto perseverantiæ, cùm solus ingressus significetur nomine voti religionis, sicque hoc solum est reservatum, item in differendâ executione voti religionis, ut per mensem aut annum, præterea in materiâ in quam commutatum est votum reservatum, ut si votum castitatis aut religionis commutatum sit in jejunia aut quid simile, potest Episcopus hanc materiam commutare in aliam: ita Sanchez d. 9. 10. & 11. Filiucius c. 10. num. 307. & alii.

DISPUTATIO CENTESIMA QUINTA.

Discutiuntur reliqua circa Matrimonium.

SECTIO PRIMA.

De divortio.

I. *Quomodo differat à repudio.*

QUÆRES primò: Quid sit divortium, & an adulterium sit causa sufficiens illius? Divortium est legitima viri ab uxore, vel econtra, separatio: differt à repudio quod divortium sit solùm quoad habitationem & torum, repudium autem quoad vinculum, unde illud justis de causis semper fuit licitum, hoc licèt olim fuerit permissum Judæis, & iis licitum, ut putat S. Chrysostomus, Bellarminus, Sanchez l. 10. d. 1. num. 7. & alii, quamvis S. Hieronymus, Magister, D. Bonaventura, Halensis, Navarrus, & alii negent, sed permissum tantùm fuisse dicunt majoris mali vitandi gratia, S. Thomas verò utrumque defendit problematicè, Gentilibus tamen semper fuit illicitum, cùm iis Deus id non permiserit, sicut nec modò licitum est Judæis, cùm Christus Matth. 19. illud sustulerit, & legem naturalem vigori suo restituerit.

Causa sufficiens divortii est adulterium.

Adulterium est causa sufficiens tam ex parte fœminæ quàm viri ad faciendum divortium perpetuum: ita Sanchez l. 10. d. 3. Coninck d. 35 d. 11 Filiucius t. 10. p. 1. c. 10. n. 364. Bonacina q. 4. p. 5. n. 2. Layman t. 10. p. 3. c 7. n. 7. & alii communiter. Ratio est, quia cùm adulterans faciat contra fidem in Matrimonio datam, non tenetur alter ei promissum ampliùs servare, nec debitum reddere. Non tamen sufficit solus animus committendi adulterium, nec alii actus impudici qui non perveniunt ad copulam, cùm per hos non dividatur caro, & consequenter nec Matrimonium per cujus consummationem conjuges facti sunt una caro. Sufficit tamen actus sodomiticus, vel cum bestiâ, vel cum alio homine

præterquam cum proprio conjuge, licèt nonnulli putent sufficere etiam cum propriâ conjuge, si illâ invitâ fiat. Probabilius tamen videtur hoc solùm sufficere ad divortium ad tempus, & donec vir emendetur.

Potest hic conjux innocens facere divortium.

In his ergo casibus, si moraliter de iis constet, potest conjux innocens, secluso scandalo, etiam propriâ auctoritate facere divortium, & discedere à conjuge, idque licèt per præceptum judicis, aut etiam sub excommunicationis pœnâ jubeatur cohabitare, si ut dixi, sine scandalo fieri possit; præceptum enim quod ex falsâ præsumptione procedit, non obligat: ita Sanchez d. 12. n. 34. Bonacina n. 10. Filiucius & alii.

II.

Uxor ad hoc rarò tenetur.

Quæres secundò: An conjux innocens teneatur aliquando facere divortium cum committente adulterium? Quoad uxorem rarò tenetur vel debitum negare viro adultero ut illum corrigat, cùm ut plurimum hac ratione fiat deterior, nec facere divortium ratione scandali, ne scilicet censeatur consentire peccato mariti, cùm plerumque putent omnes uxori maximè displicere adulterium mariti.

Quando teneatur vir facere divortium.

Maritus verò, si adulterium sit publicum, tenetur facere divortium cum uxore adulterâ ne putetur illius sceleri consensum præbere, nisi graviora inde incommoda timeat, ut rixas, & cædes inter ipsum & parentes uxoris, incontinentiam in seipso, & similia; tunc enim sufficeret alio modo occurrere scandalo, reprehendendo scilicet acriter uxorem, verberibus etiam excipiendo, illiúsque custodiæ diligentissimè invigilando, vicinos etiam monendo se uxorem retinere, non ut illius sceleri patrocinetur, sed tum ut ei consulat ne deterior fiat, tum sibi ob gravia incommoda, quæ ex ejus dimissione sequerentur, quodque ejus opera in ministeriis domesticis indigeat, & si quod post hæc maneat scandalum, erit tantum passivum: ita Sanchez l. 10. d. 13. n. 24. Bonacina q. 4. p. 5. n. 13 Filiucius t. 10. p. 1. c. 10. n. 389. Coninck d. 35. d. 3. Tol. l. 2. c. 20. & alii.

Quid si adulterium sit privatum.

Hinc sequitur quando adulterium est privatum, ac proinde nullum periculum scandali, rarò teneri virum vel uxori adulteræ debitum negare, vel eam dimittere, tum quia plerumque erit causa cur liberiùs vacet libidini, tum ob gravia quæ inde provenirent incommoda, sed sufficiet eam reprehendere, & eo quo potest modo corrigere.

III.

Interdum non licet.

Quæres tertiò: An aliquando non liceat facere divortium ob conjugis adulterium? Respondetur, aliquando non licere, ut si uterque conjux commisit adulterium, sive unus gravius aut frequentius in hoc genere deliquerit quàm alius, sive ante, sive post alium, sive unus publicè, alter occultè; adulterium enim tollit jus in foro conscientiæ ad faciendum divortium: si tamen alter jam emendatus moneat alterum ut se corrigat, si nolit, sed adhuc committat adulterium, potest emendatus petere divortium: ita Sanchez l. 10. d. 5. & 6. Filiucius c. 10. n. 373. & 374. Bonac. n. 14. Layman p. 3. c. 7. n. 13. & alii communiter.

Peculiares quidam hac de re casus.

Item quando conjux committens adulterium putat complicem esse proprium conjugem, aut conjugem esse mortuum, si uxor ab adultero sit per vim cognita, aut per metum gravem, ut ait Bonacina, & alii, licèt hoc neget Sanchez l. 10. d. 5. n. 16. Henriquez l. 11. c. 17. & alii. Præterea quando dedit uxori causam proximam adulterandi, dando tacitè vel expressè consensum; quævis enim remota causa non sufficit, ut si uxorem malè tractet, domo expellat, &c. Tandem si conjux innocens expressè vel tacitè condonaverit adulterium, ut domi retinendo adulteram, vel expulsam revocando, &c. censetur cedere juri suo quoad divortium, nec nisi postea denuò committat adulterium, potest eam dimittere.

Quæres quartò: An post sententiam divortii possint conjuges ingredi religionem? Respondetur, conjugem innocentem posse altero invito religionem ingredi & profiteri, aut sacros ordines suscipere, adulter tamen sine licentiâ conjugis innocentis neutrum potest; semper enim innocens retinet jus reconciliationem concedendi adultero, & eum revocandi, quo jure invitus privari non potest: si tamen sciens adulterum ingredi religionem, aut ad ordines transire, non reclamet, vel si semel aut iterum rogatus neget reconciliationem post emendationem, censetur licentiam concedere, nec potest eum jam initiatum aut professum ad nuptias revocare: ita Sanchez l. 10. d. 11. Filiucius t. 10. p. 1. c. 10. n. 382. & 383. Henriquez l. 12. c. 5. Bonacina q. 4. p. 5. n. 23. Coninck d. 35. d. 5. Layman t. 10. p. 3. c. 7 n. 12. & alii. IV. *Conjux innocens potest.*

Casu autem quo alter emittat professionem in religione, aut sacros ordines suscipiat, alter sive innocens, sive adulter non tenetur pariter religionem ingredi, nec votum castitatis emittere; nullo enim jure id statuitur: ita Auctores citati. *Quid post professionē.*

Quæres quintò: Sintne aliæ justæ causæ divortii præter adulterium? Respondetur, varias assignari ab Auctoribus, qualis inprimis est sævitia mariti, vel periculum gravis damni, nisi det maritus sufficientem cautionem securitatis, graves discordiæ, valdè frequentia jurgia, verberatio gravis sine causâ, si probabiliter timeatur aliàs futura, furor item alterius conjugis, si sanus cum illo habitare nequeat, si conjux alterum conjugem interficere conetur, si uxor sit venefica & filios occidat, si maritus concubinam, præsertim domi habeat, quando unus conjugum alterum instigat ad peccatum. Ratio est, quia jure naturæ cuique licet cavere periculum tam corporis quàm animæ: ita Sanchez l. 10. d. 17. & 18. Filiucius p. 1. c. 10. n. 402. Bonacina q. 4. p. 5. n. 25. Layman p. 3. c. 7. n. 17. & 18. & alii. V. *Varia causa divortii.*

Si sit probabilis spes fore ut hæc impedimenta non sint perpetua, debet divortium solùm fieri ad tempus, sin putentur fore perpetua potest per sententiam Judicis fieri divortium perpetuum, quo facto potest conjux sanus & innocens transire ad religionem vel ordines sacros, quod si postea furor præter opinionem cesset, reddendus est professus conjugi jam sano, & reddere debet, nequit tamen petere; nec enim conjux furens absque suâ culpâ privari debet jure conjugali in perpetuum. Non tamen reddi debet post professionem aut ordines conjugi sævienti jam correcto, nam ob culpam factum est divortium perpetuum, sicque sibi imputet: ita Sanch. d. 19. n. 48. & 49. Filiucius n. 406. *Quid si hæ causæ non sint perpetuæ.*

Tandem ob lapsum alterius conjugis in hæresim fieri potest divortium ob periculum animæ, præsertim cùm hæresis sit quædam fornicatio spiritualis: ita Sanchez d. 15. Filiucius n. 396. Bonacina n. 25. Layman n. 17. & alii communiter. Si in conjugem hæreticum processerit sententia Ecclesiæ declarans eum hæreticum, non tenetur innocens ad eum redire, etiamsi post sententiam resipiscat, tenetur tamen si resipiscat ante sententiam *Quid si alter conjux labatur in hæresim.*

tiam illam declaratoriam. Non tenetur conjux innocens expectare hanc sententiam, sed statim post duas vel tres admonitiones potest propriâ auctoritate ab eo divertere, imo debet si ex cohabitatione sibi aut liberis perversionis periculum imminere perspiciat: ita Auctores citati.

VI. *Varii casus.*

Quæres sextò: Apud quem, facto divortio, educari debeant filii, & cujus expensis? Si divortium neutrius conjugis culpâ factum sit, sed vel mutuo consensu, vel culpâ utriusque, ut si uterque sit hæresis damnatus, vel alter hæresis damnatus, alter adulter, & velint divertere, non compensatis delictis, proles triennio minor à matre educanda est, triennio autem expleto à patre.

Quid si alter sit infidelis.

Quando verò alterius culpâ celebratum est divortium proles manere debet apud partem innocentem, si non sit infidelis; tunc enim manere debet proles apud parentem fidelem, sicut apud virum manere debet, quamvis ejus culpâ contingat divortium, si mulier transeat ad secundas nuptias, si etiam mater locuples sit & vir pauper, proles manere debet apud matrem, quamvis causam dederit divortii: unde, inquit Sanchez, si econtra pater sit dives & mater pauper, proles educari debet apud patrem, licèt fuerit in culpâ.

Quando proles manere debeat apud innocentem.

Si Pater causam dederit divortio proles educari debet apud matrem expensis Patris, juxta Authenticam *Ut liceat Matri & Aviæ*, pari modo matre delinquente educanda est proles apud patrem expensis matris; cùm enim pater & mater, vir & uxor sint correlativa, dispositum in uno censetur dispositum in reliquo, etiam in lege correctoriâ & pœnali: ita Sanchez l. 10. d. 20. n. 7. Filiucius t. 10. p. 1. c. 10. n. 407. Layman t. 10. p. 3. c. 7. n. 10. & alii.

SECTIO SECUNDA.

De benedictionibus.

I. *Suscipi ab omnibus debent.*

QUÆRES primò: An, quando, & à quo impertiendæ sint benedictiones Matrimoniales? Quoad primum, datur præceptum suscipiendi hasce benedictiones, ut colligitur ex Nicolao I. in responsione ad Bulgaros, & ex Evaristo & aliis, & in omnibus diœcesibus compelluntur conjuges omnes eas recipere, quod arguit præceptum: ita Sanchez l. 7. d. 82. n. 6. Filiucius t. 10. p. 2. c. 4. n. 165. Henriquez l. 11. c. 16. Bonacina q. 4. p. 6. n. 2. Sa verbo *Matrimonium* n. 6. Layman t. 10. p. 2. c. 4. n. 13. Coninck d. 27. d. 8.

Quale peccatum sit eas omittere.

Henriquez, & alii nonnulli dicunt esse peccatum mortale has benedictiones ex negligentiâ omittere, quod licèt putem esse probabile cum Sanchez & Filiucio, probabilius tamen est quod docet idem Sanchez, Bonacina, & alii, esse solùm veniale, cùm illarum collatio non videatur tanti momenti. Hoc tamen intelligendum est secluso contemptu, ut si quis eas omittat, quasi vanum quid & puerile sit se iis subjicere.

Quo tempore suscipi debeant benedictiones.

Tempus quo suscipiuntur hæ benedictiones est ante consummationem Matrimonii, unde Divus Antoninus ait esse peccatum mortale consummare Matrimonium non præmissis benedictionibus, alii hoc affirmant de primâ vice. Probabilius tamen est non esse peccatum mortale consummare Matrimonium ante benedictiones: ita Henriquez l. 11. c. 5. n. 7. Sylvester, Cajetanus, Sanchez l. 3. d. 12. n. 7. addens hoc sibi certum videri, Bonacina n. 4. Coninck d. 27. d. 8. & alii; nullum enim est hac de re præceptum, sed Concilium Tridentinum sess. 24. c. 1. hortatur conjuges ut priùs suscipiant benedictiones, quàm consumment. Unde Sanchez cum aliis putat non esse peccatum veniale, sed solùm consilium.

A quo dari debeant.

Benedictiones hæ dari possunt ab ordinario, vel parocho sponsi aut sponsæ, vel ab alio Sacerdote de illorum licentiâ: sine licentiâ id faciens suspenditur ipso facto ab officio, donec ab ordinario parochi absolvatur.

II. *Quid si alter priùs fuerit benedictus.*

Quæres secundò: An secundæ nuptiæ possint benedici? Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem acceperit, non debent secundæ nuptiæ benedici: ita expressè habetur in c. *Vir*, ubi absolutè prohibetur ne vir aut mulier ad secundas nuptias transiens benedicatur, quia semel benedictionem accepit. Servanda tamen consuetudo, quæ hodie videtur invaluisse ut benedictio secundis nuptiis impendatur quando alter in primis nuptiis illas non receperat: ita Henriquez l. 2. c. 2. Sanchez l. 7. d. 82. n. 15. & 23. Bonacina q. 4. p. 6. n. 4. Filiu, n. 167. & 168.

Quid si primæ nuptiæ fuerint irritæ.

Hæc tamen consuetudo non inducit obligationem benedicendi secundas nuptias juxta Henriquez & Sanchez, nisi neuter conjux benedictionem antea recepisset. Imo licèt primæ nuptiæ reperiantur postea irritæ, non debent in secundis iterari benedictiones, cùm non benedicantur nuptiæ, sed personæ. Sacerdos autem benedictionem secundis nuptiis impertiens in casibus non permissis, incurrit suspensionem, aut aliam pœnam secundùm delicti gravitatem: ita Sanchez num. 30. & alii.

SECTIO TERTIA.

De debito conjugali.

I. *Licitus est & honestus.*

QUÆRES primò: An actus conjugalis sit licitus, & in præcepto? Respondetur, licitum & honestum esse, unde si vestiatur debitis circumstantiis, erit meritorius gratiæ: imo etiam ex opere operato gratiam conferet quando in hoc ipso actu perficitur Sacramentum: ita Bellarminus de Matrimonio c. 5. Sanchez l. 9. d. 1. n. 3. Filiucius t. 10. p. 1. c. 9. n. 302.

Conjux tenetur reddere debitum.

Quoad secundum respondetur, conjugem teneri sub mortali reddere debitum alteri expressè vel tacitè petenti: ita Sanchez l. 9. d. 2. Filiuc. t. 10. p. 1. c. 9. n. 303. Henriquez l. 11. c. 15. Bonacina q. 4. p. 1. n. 1. Valentia to. 4. d. 10. q. 6. p. 2. Layman t. 10. p. 3. c. 1. n. 2. & alii. Ratio est, quia contractus Matrimonii inducit obligationem justitiæ; unde peccat mortaliter qui se impotentem reddit ad debitum uxori reddendum. Nec sine licentiâ aut necessitate potest alter conjux domo diu abesse.

Sufficit tacita debiti petitio.

Dixi expressè vel tacitè petenti; mulieres enim plerumque sunt verecundæ, unde ubi vir advertit signa quod uxor exigat, tenetur reddere sine expressâ petitione. Quod etiam de muliere respectu viri dicendum, si in eo similem pudorem advertat aut timorem exigendi ob magnam uxoris auctoritatem aut morum asperitatem. Plerumque tamen possunt fœminæ sine peccato expectare in viris expressam petitionem. Quando autem alter conjux in altero ex signis advertit periculum incontinentiæ

incontinentiæ debet statim reddere debitum, imo ex charitate tenetur petere.

Quid si alter conjux sit immoderatus in petendo.

Si tamen alter conjux sit immoderatus in petendo, non teneretur alter semper reddere, nam modus in omnibus est servandus. Peccat etiam solùm venialiter conjux, si subinde, sed rarò neget petenti etiam moderatè, modò absit periculum incontinentiæ aut morbi; hîc enim etiam datur parvitas materiæ. Unde, inquit Sanchez n. 11. & alii, si vir petere soleat quater in mense, non erit peccatum mortale negare petenti quintâ vice. Similiter est tantùm peccatum veniale juxta eosdem ad breve tempus differre, ut si conjux neget debitum mane, redditurus vespere.

Amica petitio non obligat.

Non peccat etiam negando quando conjux solùm petit amicè, non exigendo tanquam debitum. Imo non est mortale negare conjugi remissè tantùm petenti, & qui rogatus facilè à petendo desistit, preces tamen non debent esse valdè importunæ, ne quasi coactè desistat à petendo: ita Sanchez, & alii. Rarò ergo, aut magnâ cum difficultate reddere est peccatum mortale; conjuges enim notabiliter debito conjugali fraudarentur, & incontinentiæ periculum incurrerent, nec petere auderent.

II.

Gravis tantùm causa excusat.

Quæres secundò: Quænam sint justæ causæ negandi debitum? Inprimis periculum vitæ, aut gravis infirmitatis, ut si laboret febri, non levis, ut si doleat tantùm capite, præsertim si petens esset in periculo incontinentiæ, ad succurrendum tamen huic malo non tenetur conjux cum gravi detrimento sui corporis reddere debitum; intelligitur enim obligatio reddendi debitum salvâ sanitate & ordine naturæ, nec est in extremâ necessitate spirituali, cùm aliis modis possit periculo illi incontinentiæ subvenire. Excusatur etiam fœmina quæ, si reddendo conciperet, moreretur in partu: ita Sanchez l. 9. d. 24. Coninck d. 34. d. 2. Filiucius t. 10. p. 1. c. 9. n. 339. Bonacina q. 4. p. 1. n. 4.

Non tenetur reddere laboranti morbo contagioso.

Conjux etiam sanus non tenetur reddere debitum conjugi morbo gallico aut leprâ infecto, quando judicio medicorum subest periculum gravis infectionis: ita Auctores citati, modò ante Matrimonium contractum, non sciverit conjugem hoc morbo laborare. Solus etiam horror, nisi gravis sit, non excusat à debiti redditione: ita Sanchez n. 21. Licèt autem conjux non teneatur, potest nihilominus debitum conjugi his morbis laboranti reddere, etiam cum periculo infectionis; valdè enim grave esset conjugi sano in morbis tam diuturnis debere abstinere ab omni actu conjugali, præsertim cum periculo incontinentiæ, maximè cùm hujusmodi morbus non tendat ad mortem.

Quid de infectione prolis.

Sola etiam infectio prolis non impedit actum conjugalem, nec ab obligatione reddendi liberat. Conjux verò mentis compos non tenetur per se loquendo conjugi amenti aut ebrio petenti reddere, nisi aliàs modo illicito expleturus esset libidinem.

III.

De fluxu sanguinis continuo.

Quæres tertiò: An liceat marito accedere ad uxorem tempore menstrui, gravidam, aut lactantem? Ubi fluxus sanguinis menstrui est quasi continuus ex morbo conveniunt omnes licitum esse actum conjugalem, nec eâ de causâ debitum justè negari posse; cùm enim morbus ille diuturnus esse soleat, valdè grave esset conjugibus toto eo tempore ab actu conjugali abstinere, præsertim cùm nullum damnum immineat proli; fœmina enim eo morbo laborans non est apta proli concipiendæ.

Quid dicendum de accessu tempore fluxus menstrui.

Loquendo itaque de fluxu naturali, qui ut plurimum singulis mensibus fœminis accidere solet, Halensis, D. Bonaventura, Scotus, & alii plurimi dicunt esse peccatum mortale tunc congredi, nisi sit periculum incontinentiæ, aut ratione sterilitatis non sit apparentia prolis secuturæ. Probabilius tamen videtur esse solùm veniale, idque ob turpitudinem quandam & indecentiam in eo actu tunc repertam, proli autem nullum moraliter loquendo imminet damnum, tum quia teste Aristotele rarò tunc fœmina concipit, tum quia proles ex illâ copulâ plerumque nascitur sana. Accedente autem justâ causâ, ut ad vitandum in se vel in alio incontinentiam, &c. vacabit omni culpâ. Hinc à fortiori sequitur uxorem petenti marito non solùm posse tunc, sed debere reddere: ita Sanchez l. 9. d. 21. Filiucius t. 10 p. 1. c. 9. n. 336. Bonacina q. 4. p. 6. n. 9. Henriq. l. 11. c. 15. & alii.

Non est peccatum accedere ad uxorem gravidam.

Quoad secundum, non est peccatum exigere debitum ab uxore gravidâ (licèt Halensis, Divus Antoninus, Sotus, & alii doceant esse veniale) tum quia nulla hujus extat prohibitio, tum quia conjuges sæpè obnoxii essent peccatis, cùm uxores frequenter sint gravidæ: ita Sanchez d. 22. Bonacina n. 11. Filiucius n. 337. Coninck d. 34. d. 9. & alii. Si quidem esset periculum abortus, esset peccatum mortale vel petere tunc, vel reddere, sed rarò subest tale periculum, & rarissimè à conjugibus prævidetur.

Quid de fœminâ lactante.

Nullum etiam est peccatum exigere debitum ab uxore lac filio præbente; nullum enim damnum provenit proli, cùm, inquit Sanch. n. 14. passim conjuges, etiam pauperes, eo tempore copulentur, & tamen nullum damnum inde perspicimus advenire proli. Quod si alicubi adverterent periculum gravis damni, tenerentur abstinere: ita Sanchez citatus, Bonac. q. 4. p. 1. n. 11. Filiucius n. 337. & alii.

IV.

Vitiari potest à fine.

Quæres quartò: Quomodo actus conjugalis vitietur ratione finis indebiti, aut loci? Actus conjugalis licèt in se honestus vitiari potest à fine, etiam mortaliter, ut si quis accedat ad uxorem ut ubi illa conceperit, ipse causet in eâ abortum, &c. Actus conjugalis ob solam voluptatem est peccatum veniale secundùm omnes; est enim quædam in hoc perversio ordinis debiti: ita Sanchez l. 9. d. 11. Filiucius p. 1. c. 9. n. 322. Bonacina p. 6. n. 7. Coninck d. 34. d. 1. & alii. Quod etiam dicunt multi, si ob solam sanitatem, aut ad vitandam incontinentiam fiat, quod tamen negat Sanchez, Filiucius, & alii, nisi adsint alia media quibus & sanitati & continentiæ commodè consuli possit.

Finis ejus legitimus.

Finis ergo legitimus ad vitandum omne peccatum est, ut fiat ob prolem, aut ad reddendum debitum. Quantumvis autem unus conjux peccet venialiter petendo, alter non peccat reddendo, cùm ad reddendum teneatur.

De loco ad petendum debitum.

Petere aut reddere in loco publico est mortale, tum ob gravem indecentiam, tum quòd esset occasio peccandi aliis, unde idem est de tactibus qui intuentes alliciant ad peccandum. Idem dicendum de petente aut reddente in loco sacro extra necessitatem, cùm per hoc violetur Ecclesia: ita Sanchez n. 15. Filiucius n. 326. Bonac. q. 4. p. ultimo, n. 6. Layman l. 5. t. 1. c. 5. num. 9. licèt Sanchez cum aliis dicat conjugibus diu in Ecclesiâ obsessis licitum esse subinde extra incontinentiæ periculum conjungi.

Quæres

V. *Quid hic sit locus sacer.*

Quæres quintò: Quomodo per luxuriam, aut alias causas violetur locus sacer? Nomen loci sacri non tam latè hîc patet atque ubi sermo est de asylo seu immunitate ecclesiasticâ; multa enim loca gaudent illo privilegio, in quibus tamen si committatur fornicatio vel homicidium, non propterea violantur.

Loca quædam sacra in particulari assignantur.

Per locum ergo sacrum hîc intelligitur Ecclesia consecrata vel benedicta, cœmeteria, & oratoria constituta auctoritate Episcopi, ac sepulturæ aut divino cultui ab eodem destinata, ubi passim Sacrum audiunt, appensâ etiam supra tectum campanâ, quæ publicè pulsetur, & populum ad Missam illic audiendam convocet, quod in privatis oratoriis non contingit, licèt ibidem de licentiâ Episcopi celebretur; illa enim possunt in usus profanos denuò ad nutum fundatorum redire, sicque non censentur loca sacra, ut declarat Sanchez l. 9. d 15. n. 39. Bonacina q. 4. p. ulti. n. 9. quo etiam nomine non gaudent dormitoria religiosorum, nec etiam claustra, nisi sint destinata sepulturæ.

Quæ luxuria, & quomodo violet locum sacrum.

Quælibet ergo pollutio voluntaria, aut copula inter homines (præterquam in occasionibus casu præcedente expressis) in Ecclesiâ, seu locis sacris, id est intra eorum parietes habita, illa violat, & Ecclesiâ violatâ violatur cœmeterium, non è contra, nec unum cœmeterium violato alio contiguo. Non ergo violatur Ecclesia si copula habeatur in campanili, supra tectum, in portâ extra limen, id est lineam quam attingunt valvæ, in sacristiâ, in templo diruto, in cavernis sub Ecclesiâ, licèt committatur sacrilegium si sit locus sepulturæ, & locus violatur cùm sit quasi cœmeterium: ita Suarez 3. p. t. 3. d. 81. s. 4. Henriquez l. 9. c. 27. Bonacina, & alii.

Quæ sanguinis humani effusio violet Ecclesiam.

Violatur etiam Ecclesia per sanguinis humani effusionem injustam, vel manu carnificis, non si fiat ad justam defensionem, ab amente, bruto, casu tegulæ vel trabis, nec sanguine è naribus emisso ex rixâ puerorum, ut ait Coninck, & alii, saltem quando non sufficit ad peccatum mortale, nec si quis in Ecclesiâ existens vulneret alium extra Ecclesiam, neque si quis alibi percussus ingrediatur Ecclesiam, & illic sanguis effluat, neque si quis alium contundat intra Ecclesiam, & ossa illi comminuat citra sanguinis effusionem. Violatur tamen si vulnus infligatur in Ecclesiâ, licèt statim se inde propipiens sanguinem fundat extra Ecclesiam, & similiter si quis per carnificem aut alium suffocetur in Ecclesiâ, licèt nullus sanguis fundatur: ita Auctores citati, & habetur c. *Imposuisti* de Consecra. & c. *Ecclesiis* de Consecratione d. 1.

Quid si copula in Ecclesiâ sit occulta.

Per pollutionem verò aut copulam occultam vel non violatur Ecclesia, ut vult Suarez, Henriquez, Bonacina, Coninck, & alii, donec publicetur, vel ut Sanchez n. 11. Filiuc. t. 30 c. 7. num. 131. & omnes fatentur, non eget reconciliatione donec res innotescat, ut habet praxis communis optima legum interpres. Unde Henriquez, & alii dicunt, si in Ecclesiâ occultè violatâ priùs celebretur Missæ sacrificium, quàm violatio constet, non egere eam aliâ reconciliatione, sed censetur per hoc sufficienter reconciliata.

De sepultura non baptizati in loco sacro.

Violatur etiam locus sacer si in eo sepeliatur non baptizatus (nisi sit Catechumenus) licèt Sayrus id neget de filio fidelis necdum baptizato, affirmat tamen Suarez, Coninck, Bonac. n. 23. & alii. Filius moriens cum matre in partu potest in loco sacro cum illâ sepeliri juxta multos, negat tamen Bonacina cum aliis, si sit natus; tunc enim non censetur ampliùs pars matris. Si post inchoatam Missam polluatur Ecclesia debet Sacerdos desistere, nisi contingat post inchoatum canonem; tunc enim debet ad finem Missæ pergere.

VI.

Quæres sextò: An sit licitus actus conjugalis die quâ recipienda est aut recepta Eucharistia? Etsi valdè conveniens sit, die illâ quâ habita est copula à communione abstinere, nullum tamen peccatum committit, qui ex justo fine, nempe bono prolis, aut ad vitandum periculum incontinentiæ debitum petit, multo minùs qui petenti reddit: ita Sanchez l. 9. d. 13. Suarez d. 66 & 68. Bonacina de Eucharistiâ d. 4. q. 6. p. 2. Coninck q. 80. a. 7. Filiucius t. 4. c. 8. q. 8. Valentia to. 4. d. 6. q. 8. p. 5. & alii.

Resp. per se non esse peccatum.

Quid si copula fuerit peccaminosa.

Si autem copula carnalis habeatur inter conjuges ob voluptatem, sicque cum peccato veniali, & à fortiori si peccatum mortale carnale commissum fuerit, dicunt communiter Doctores teneri eum sub veniali per aliquod tempus, ut per diem, vel, ut ait Sanchez, per mediam diem à communione abstinere, nisi justa causa subsit eo die communicandi, ut quia est dies Jubilæi, quia valdè solemnis, quia dies magnæ devotionis, quia sine notâ omitti communio non potest, & similia. Mihi tamen probabile videtur quod ait Navarrus, Coninck, & alii, nullum per se loquendo esse peccatum, post peccatum carnis, sicut nec post aliud quodcunque, deleto priùs per confessionem peccato, ad communionem eo die accedere.

Idem est post Communionem.

Licèt etiam deceat eo die quo quis sanctissimam Eucharistiam sumpsit à copulâ maritali abstinere, nullum tamen committitur peccatum, si habeatur: ita Sanchez n. 17. & alii.

VII.

Quæres septimò: Quale peccatum sit sodomia, bestialitas, & copula inter conjuges indebito modo habita? Sodomia propriè dicta est coitus inter personas ejusdem sexus, sive viri sint sive fœminæ; impropriè verò sumpta est quando mas cognoscit fœminam extra vas naturale: ita Azor 3. p. l. 3. q. 18. Filiucius t. 30. c. 8. n. 158. Bonacina q. 4. p. 11. n. 1. Valentia t. 3. d. 1. q. 3. p. 3 & alii.

Quid sit Sodomia?

Malitia Sodomiæ.

Malitia sodomiæ habet aliquando aliam speciem malitiæ annexam, ut sacrilegii si sit cum religioso vel Sacerdote, & sic de aliis, unde in confessione exprimi semper debet qualitas personæ, si sacra sit, si Matrimonio juncta, si consanguinea aut affinis intra certos gradus, si cum habente votum castitatis, si per vim, si fuerit masculi cum fœminâ, aut masculi cum masculo, & sic de cæteris: ita Auctores citati.

Peccatum bestialitatis.

Peccatum bestialitatis est copula carnalis cum re alterius speciei, ut cum bruto, vel dæmone, & tunc superaddit malitiam superstitionis, quatenus includit societatem cum dæmone. Non mutatur malitia hujus peccati specie ex diversitate specificâ vel genericâ belluarum quibuscum committitur, sed in confessione satis est dicere, se congressum esse cum re alterius speciei: ita Azor, Filiucius n. 161. Bonacina p. 12. n. 4. & alii.

Modus naturalis.

Quoad tertium notandum ex Sanch. l. 9. d. 16. Bonacina q. 4. p. 13. Filiu. t. 10. p. 1. c. 9. n. 328. Coninck d. 34. d. 9. Layman t. 16. p. 3. c. 1. n. 1. & aliis, modum naturalem copulæ maritalis esse ut fœmina succumbat viro, unde quicunque alius situs est minùs naturalis, & indebitus, ut si à

latere

latere fiat, aut stando vel sedendo, maximè autem præposterè si fiat more brutorum, aut viro succumbente.

Quale peccatum sit invertere modum.

Dicendum tamen nullo ex his modis, si servetur vas naturale, committi peccatum mortale, nisi impediatur generatio prolis, quam rarò impediri asserunt Auctores citati, committitur tamen grave peccatum veniale: quare reprehendendi sunt à Confessario conjuges sic concumbentes, nisi justa aliqua causa subsit, ut ob pinguedinem viri, aut ne suffocetur fœtus in prægnante.

SECTIO QUARTA.

De legitimatione prolis.

I.

Votum simplex Castitatis.

QUÆRES primò: An proles ex parentibus voto castitatis astrictis, aut altero ad sacros ordines promoto concepta, sit illegitima? Respondetur, etsi uterque parens sit voto simplice castitatis astrictus, proles est legitima: ita Sanchez l. 9. d. 38. Ratio est, quia concipitur ex parentibus vero Matrimonio junctis.

Votum solemne.

Si post Matrimonium ratum uterque vel alter conjux profiteatur in religione, & postea habeat copulam cum priore conjuge, proles inde concepta est illegitima & spuria, quia priùs Matrimonium per professionem planè fuit dissolutum. Quod si post Matrimonium consummatum alter validè profiteatur, & postea habeant copulam, proles inde nata est legitima, cùm verè adhuc subsistat Matrimonium: quod à fortiori sequitur si inscio vel reclamante altero conjuge emisisset professionem; tunc enim professio est nulla.

Susceptio sacrorum Ordinum.

Idem dicendum de prole susceptâ ex copulâ cum uxore habitâ postquam vir vel consentiente uxore vel dissentiente est ad sacros ordines promotus post Matrimonium ratum aut consummatum; proles enim est legitima, cùm validum sit Matrimonium, & in jure nihil statuatur in contrarium; quod enim affertur ex c. *Literas* de filiis Presbyterorum, solùm probat prolem illam fuisse irregularem, seu canonicè illegitimam, quoad ordines scilicet & beneficia, non civiliter seu quoad successionem & hæreditatem, & alios honores: ita Sanchez citatus.

II.

Filius naturalis.

Quæres secundò: Quæ proles censeatur illegitima, & quomodo legitimetur? Illegitimus censetur omnis qui non est ortus ex legitimo Matrimonio: Unde si ex soluto & solutâ, præsertim concubinâ domi retentâ nascatur, dicitur *filius naturalis*, si ex adultero & solutâ *nothus*, si demum ex incestu, sacrilegio, aut fœminâ conjugatâ *spurius*. Si tamen contingat contrahi Matrimonium inter duos in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho & testibus, invalidè tamen ob impedimentum occultum dirimens, si uterque, vel alter processit bonâ fide, proles inde nata est legitima respectu sui & parentis qui bonâ fide processit, non respectu alterius, qui proinde non gaudebit privilegio & jure legitimi parentis, nec succedet filio, filius tamen succedet illi: ita Sanchez l. 8. d. 34. n. 46. Bonacina de irregularitate d. 7. q. 2. p. 3. n. 3. & alii. Suarez tamen d. 50. de censuris, s. 3. n. 11. & Filiuc. t. 19. c. 5. n. 132. requirunt bonam fidem in utroque parente.

Nothus.

Spurius.

Quid faciat Matrimonium subsequens.

Filius illegitimus redditur legitimus per subsequens Matrimonium, modò parentes tempore conceptionis aut nativitatis habiles essent ad contrahendum Matrimonium: ita Sanch. l. 8. d. 7. n. 19. Henriquez l. 13. c. 20. n. 14. Coninck d. 18. d. 12. Suarez tamen d. 50. s. 4. Filiu. n. 131. & alii nonnulli dicunt debere parentes fuisse habiles ad contrahendum tempore conceptionis ut proles legitimetur, & non sufficere esse habiles tempore quo proles nascitur.

Tollitur per Matrimonium irregularitas.

Per Matrimonium itaque subsequens redditur proles idonea, non solùm ad successionem & hæreditatem ac dignitates sæculares, sed ad sacros ordines & dignitates Ecclesiasticas, præterquam ad Cardinalatum; tollitur enim irregularitas cessante illius fundamento, idque licèt Matrimonium illud nunquam consummetur, imo inquit Bonacina n. 6. cum aliis, ad hoc sufficit Matrimonium reputatum verum, quod tamen negat Suarez, Filiucius, & alii.

III.

Negant multi.

Quæres tertiò: An possit Summus Pontifex dispensare in voto solenni castitatis in religione, vel ordine sacro? Multi & graves Auctores negant, ut S. Th. 2. 2. q. 88. a. 11. Alb. Mag. dicens esse communem sententiam, Sotus & alii.

Probabilius tamen est posse.

Existimo tamen probabilius posse Pontificem dispensare in voto solenni castitatis religiosæ: ita Durandus, Richardus, Major, Navarrus, Toletus in summâ l. 4. c. 18. n. 5. Henriquez l. 12. de Matrim. c. 5. n. 7. Sa verbo *Votum* n. 13. Valentia 2. 2. d. 6. q. 6. p. 7. Azor l. 12. c. 7. q. 1. Sanchez l. 8. d. 8. n. 7. ubi alios plurimos refert, Bonacina q. 3. p. 15. n. 2. Filiucius tr. 10. p. 2. c. 10. num. 303.

Hujus rei ratio.

Ratio est, quia cùm nulla appareat hujus rei repugnantia, & contingere possit causa valdè urgens cur hoc subinde fiat, ut si commune bonum alicujus regni inde dependeat, verisimile est Christum hanc potestatem in Ecclesiâ Vicario suo reliquisse. Deinde, cùm Pontifex sæpiùs hac in re dispensarit, præsumendum est in dubio pro illius auctoritate, utpote cui in Ecclesiæ administratione peculiariter à Spiritu Sancto assistitur.

De voto sacris Ordinibus annexo.

Esto autem dispensatio hac in re sine justâ causâ data sit secundùm probabiliorem sententiam valida, licitè tamen non fit sine eâ. Hinc à fortiori sequitur posse Pontificem dispensare in voto sacris ordinibus annexo, quo casu ubi is clericalem habitum exuit ad utendum dispensatione, nec privilegiis cleri gaudet ampliùs, nec subjacet oneribus, ut recitationi officii, &c. Quod secus quoad onera contingit in degradato, qui suâ culpâ amittit privilegia.

SECTIO QUINTA.

Varia ad hanc materiam spectantia.

I.

Quid sit fornicatio.

QUÆRES primò: An, & quomodo fornicatio sit peccatum mortale? Fornicatio est copula carnalis soluti cum solutâ, seu inter personas liberas à conjugio, voto, ordine, religione, & cognatione. Est autem fornicatio peccatum mortale; sic enim Apostolus ad Galatas 5. ait, Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt: ita Lessius l. 4. c. 4. d. 7. Filiucius t. 30. c. 2. n. 39. Bonacina q. 4. p. 14. n. 3. Layman. l. 3. s. 4. n. 10. & alii communiter. Permitti tamen in Republicâ licitè possunt meretrices, cùm & Deus permittat subinde mala ut majora mala vitentur: ita omnes citati.

Est peccatum mortale.

Quæres,

Quid de famulis dominum honoris causâ comitantibus.

Quæres, an peccent famuli dominum honoris causâ comitantes euntem ut fornicetur, concubinam rhedâ domum deferentes, & similia obsequia præstantes? Respondetur, excusari à peccato posse, si absque gravi damno subterfugere hæc officia non possint, sicut nec peccat famulus literas jussu heri ad concubinam scribens ut eò tali horâ veniat, modò id malo animo non præstet, vel invitans ad peccandum: neque etiam peccat famulus tales literas aut munera deferens: si tamen literæ contineant invitationem ad peccandum, non potest eas ferre: ita Sanchez in summâ, l. 1. c. 7. n. 22. & sequen. ubi benè addit majorem requiri in famulo causam ad hæc licitè præstanda, quò propiùs accedunt ad peccatum, ut ad deferendam eam domum, &c. quando autem solùm remotè concurrunt, ut in herum officii causâ comitando, & similibus, sufficit communis ratio famulatus.

Quid si deferant literas.

II. *De voto Virginitatis.*

Quæres secundò: Ad quid obliget votum virginitatis, & an contrahens Matrimonium cum voto castitatis, teneatur ingredi religionem ante consummationem? Quoad primum, si mens voventis fuit obligare se ad abstinendum ab omni actu venereo, est perinde ac si emisisset votum castitatis: sin autem expressa voventis intentio fuerit obligare se solùm ad continentiam à primo actu quo amittitur virginitas, hoc actu commisso cessat obligatio voti: ita Sanchez l. 9. d. 33. n. 7. Valentia to. 3. d. 6. q. 6. de Voto, p. 4. not. 2. Azor l. 11. c. 19. q. 14. & alii.

De ingressu religionis.

Quoad secundum, S. Th. in 4. d. 38. q. 1. a. 3. Scotus, Durandus, Cajetanus, Navarrus, Toletus l. 4. c. 18. affirmant astrictum voto castitatis peccare mortaliter primâ vice consummando Matrimonium, & si non possit obtinere ut alter conjux cedat jure petendi, & ut uterque vivat castè in sæculo, debere ingredi religionem.

Non tenetur is ingredi religionem ante consummationem Matrimonii.

Existimo tamen hujusmodi voto obstrictum non teneri religionem ingredi: ita Sotus, Henriquez l. 12. de Matrimonio c. 2. n. 8. Sa de impedimento voti, Sanchez l. 9. d. 34. n. 3. & alii. Ratio est, quia hoc habetur in Extrav. Joan. 22. *Antiquæ concertationi*, tum quia obligans se ad aliquid, non censetur obligare se ad omnia media possibilia, sed solùm ad media ordinaria, religio autem est medium valdè extraordinarium ac difficillimum, & perpetua servitus quâ quis omnem penitus libertatem amittit, unde sicut qui non potest magnam summam pecuniæ solvere, quam debet, non tenetur se vendere in servum, ita nec religioni mancipare ut servet votum castitatis. Et idem est quoad hoc etiamsi votum castitatis emissum sit post Matrimonium ratum, ut ex Joanne 22. vidimus de initiato sacris ordinibus.

Quid de bimestri ante consummationem.

Astrictus tamen voto castitatis non potest reddere debitum priori bimestri ante consummationem, nec si alter conjux commisit adulterium, & uno verbo quoties non tenetur ex lege justitiæ reddere, ita Sanchez l. 9. d. 6. n. 14. & alii: unde cessante fortiori vinculo justitiæ tenetur abstinere ab omni actu venereo. Qui verò post votum religionis ducit uxorem, tenetur intra bimestre ingredi, & similiter post consummationem, si alter conjux committat adulterium, vel aliâ quacunque datâ causâ eximente ipsum ab obligatione reddendi debitum.

III. *Varii modi petendi illicitè.*

Quæres tertiò: An possit, aut teneatur conjux reddere debitum petenti illicitè? Respondetur, posse, & teneri reddere petenti illicitè ob solam circumstantiam personæ, ut quia petens habet votum castitatis, quia petit animo fornicario, &c. Ratio est, quia alter conjux habet jus petendi, & licèt illicitè petat, non tamen injustè, cùm petat rem suam, licèt peccet quoad modum, sicut si Princeps conderet legem in se bonam, tenentur omnes illi obedire, licèt is pravo animo eam conderet.

Quid si conjux amisisset jus petendi.

Aliud est si conjux petens amisisset jus petendi, ut quia commisit adulterium, contraxit affinitatem, cognationem spiritualem, &c. tunc enim non tenetur alter conjux reddere: ita Sanch. l. 9. d. 6. Bonacina q. 4. p. 3. Filiuc. tr. 10. p. 1. c. 9. n. 39. Coninck d. 34. d. 4. n. 28. Henriq. l. 11. c. 15. n. 8. Layman t. 10. p. 3. c. 1. n. 17. & alii. Si tamen uterque conjux emisisset votum castitatis, posset utervis, imo teneretur reddere petenti; neuter enim perdidit jus in corpus alterius.

Tenetur interdum monere conjugem illicitè petentem.

Advertunt tamen Auctores, quando conjux potest commodè sine suo damno, aut absque timore odii aut incontinentiæ in conjuge petente cum peccato mortali, debere ex præcepto correctionis fraternæ eum monere ut desistat, sicut ubi quis apud se habet pecuniam alterius, qui illam repetit ut impendat luxuriosè, is si sine damno potest, & sit spes profectus, debet priusquam reddat fraternè monere, eúmque à repetitione avertere, quod si nolit, tenetur eam reddere: ita Sanchez n. 5. Bonacina n. 3. & alii. Addit tamen Sanchez hoc in uxore respectu viri rarò contingere, sæpiùs in viro respectu uxoris ob imperium quod in illam habet.

Quid si petens peccet solùm venialiter.

Hinc à fortiori sequitur quoties petens peccat solùm venialiter, posse absque omni culpâ, imo teneri alterum reddere, cùm timor odii aut discordiæ, vel alia etiam levis causa ad hoc sufficiat: ita Auctores citati præter Bonacinam, qui n. 9. ait, non debere conjugem reddere, si circumstantia venialiter mala teneat se ex parte actus, ut si petat indebito modo quoad situm, &c. quod mihi videtur probabilius. Nec vel hîc, vel in priori casu cooperatur peccato alterius, cùm nec directè concurrat, nempe incitando ut petat, nec indirectè, cùm pravus finis petitionis non vitiet redditionem.

Illicitum ex parte actus.

Si verò conjux petat illicitè ob circumstantiam tenentem se ex parte actus, ut in loco sacro, cum periculo mortis fœtus, &c. tenetur alter non reddere: ita Auctores citati. Ratio est, quia hic actus est in se illicitus, ac proinde ab utroque vitandus.

IV. *Resp. Non posse petere, debere reddere.*

Quæres quartò: An conjuges petere aut reddere possint debitum superveniente inter eos affinitate, aut cognatione spirituali? Respondetur, eum qui scienter contraxit affinitatem cum suo conjuge, cognoscendo scilicet consanguineam aut consanguineum ejus in primo vel secundo gradu, vel etiam cognationem spiritualem, baptizando scilicet sine necessitate, aut tenendo communem filium, vel filium alterius conjugis in baptismo aut Confirmatione, non posse petere debitum, teneri tamen reddere: ita Valentia t. 4. d. 4. q. 2. p. 3. Henriquez l. 2. c. 28. Bonacina q. 4. p. 2. Sanchez l. 9. d. 26. n. 7. & alii, licèt Suarez 3. p. q. 67. a. 8. & Coninck d. 34. d. 8. n. 69. cum aliis apud Sanchez citatum negent hunc privari jure petendi debitum, sicut nec privaretur uxor, quæ vi aut metu gravi cogitur committere incestum cum consanguineo viri in primo vel secundo gradu.

Quid si hæc fiant cum ignorantiâ.

Dixi scienter; si enim hæc facta sint cum ignorantiâ juris (id est à nesciente prohibitum esse lege

lege humanâ talem accessum vel baptizationem) aut facti (id est nesciendo esse consanguineam uxoris, aut filium communem, vel uxoris, &c.) imo etiam cum ignorantiâ pœnæ (si nimirum nesciat esse hanc pœnam huic facto assignatam) non privatur jure petendi: ita Auctores citati.

sit spes emendationis.

V. *In convictu humano licet.*

Quæres quintò: An liceat uxori communicare cum marito excommunicato vitando, & è contra? Respondetur, licere in convictu humano (non in divinis juxta probabiliorem sententiam, licèt multi affirment) ut reddendo & petendo debitum, in colloquiis familiaribus, administratione domus, mensâ, & similibus: ita Sanchez l. 9. d. 14. Bonacina de Excom. q. 2. p. 6 §. 2. n. 18. Henriquez l. 13. de Excom. c. 22. n. 2. Suarez tamen d. 15. de censuris s. 3. n. 6. Filiucius t. 13. c. 6. n. 103. & alii hoc limitant, nisi alter conjux ante Matrimonium noverit alterum esse excommunicatum.

Quid si factum sit divortium.

Si tamen factum sit divortium quoad habitationem inter conjuges, non possunt inter se communicare, sicut nec possunt in iis rebus propter quas lata est excommunicatio, ut si lata sit in causâ Matrimonii, eo quòd de illius valore dubitetur, si conjux tunc cum alio conjuge excommunicato communicet petendo debitum, incidit in majorem excommunicationem: ita Auctores citati.

Hujus vel ratio assignatur.

Ratio est, quia Confessarius vel est pastor, vel loco pastoris, hujus autem proprium est pœnitentem in rebus necessariis instruere: cessat autem hæc obligatio ubi non est spes fructus; esset enim laqueum injicere, unde tenetur tunc tacere: & idem est licèt ignorantia sit circa jus divinum aut naturale. Omnia tamen hæc intelligenda sunt, nisi ignorantia illa tendat in magnum præjudicium boni communis, ut si esset publica fama nullitatis illius Matrimonii.

Quid si ignorantia sit vincibilis.

Si tamen ignorantia sit vincibilis & culpabilis lethaliter, potest & tenetur Confessarius non dissimulare, sed debet eum monere: ita Sanch. n. 2. Bonacina, & alii, idque licèt non speretur fructus, quia pœnitens jam antecedenter est in statu peccati mortalis, & Sacramentum conferret indigno.

VI. *Tenetur interdum, si*

Quæres sextò: Quando Parochus aut Confessarius teneatur monere pœnitentem de nullitate Matrimonii? Respondetur, si pœnitens invincibiliter ignoret vel impedimentum facti (ut maritum ejus cum quâ contraxit Matrimonium vivere) vel impedimentum juris (ut si ante Matrimonium cognovit consanguineam uxoris intra secundum gradum, ignorans hoc esse impedimentum) tenetur Confessarius eum monere, si sit spes fore ut admonitio prosit, non tamen si hoc probabiliter non speret, vel sit periculum gravis damni, aut scandali: ita Sanchez l. 2. d. 38. Suarez de Pœnitentiâ d. 32. s. 4. n. 4. Henriq. l. 6. c. 27. n. 4. Filiucius tr. 10. p. 1. c. 3. n. 96. Bonacina q. 3. p. ultimo, Coninck. d. 8. de Pœnitentiâ d. 17. & alii.

FINIS.



INDEX

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
QUE IN HOC OPERE CONTINENTUR.

A

ACTUS.

ACtus Fidei Theologicæ certitudinem tam adhæsionis quàm infallibilitatis includit. *Disp. 9. sect. 1. num. 8.*
Actus Fidei nostræ est planè certissimus. *Ibidem. sect. 2. num. 4.*
Aliud est de certitudine, aliud de veritate actus. *Ibidem. sect. 3. num. 5.*
Quid requiratur ut actus aliquis reddat intellectum certum. *Disp. 9. sect. 4. num. 5.*
Sitnè actus Fidei essentialiter verus. *Disp. 10. sect. 1. & 2.*
Idem actus potest esse Fidei veræ & existimatæ. *Ibid. sect. 4. n. 4.*
Actus vitiosus nec produci à solo Deo potest nec conservari. *Disp. 10. sect. 6.*
Actus Fidei quà talis est essentialiter obscurus. *Disp. 11. sect. 1. n. 3.*
Quid sit actum Fidei esse evidentem in attestato. *Ibid. sect. 7.*
Actus quoad bonitatem & malitiam non procedunt eodem gradu arithmeticè cum objectis. *Disp. 45. sect. 7. n. 11.*

ADAMUS.

Utrùm in Paradiso ante lapsum habuerit revelationem Incarnationis. *Disp. 46. sect. 4. n. 6. & sequentibus.*
Adamo Christus gratiam primo collatam non meruit, meruit restitutam. *Disp. 47. sect. 3. n. 11.*

ADORATIO.

Adoratio in quo differat ab honore. *Disp. 61. sect. 1. n. 1.*
Quid requirat adoratio tum ex parte intellectus tum voluntatis. *Ibid. n. 2.*
Actus externæ adorationis fictè exhibitus. *Ibidem. & sequent.*
Actus externus ad adorationem non requiritur. *Ibid. n. 5.*
In quo actu sita sit interna adoratio. *Ibid. n. 7.*
Adoratio est actus religionis. *Ibid. n. 8.*
Divisio adorationis in Latriam, Douliam & Hyperdouliam. *Ibid. n. 9.*
Possitnè Christi humanitas adorari cultu Latriæ. *Ibid. Sect. 2.*
Non licitus solùm, sed etiam Sanctus est sanctarum imaginum usus. *Ibid. Sect. 3.*
Duas sui imagines Christus ipse miraculosè efformavit. *Ibidem.*
Quo pacto intelligendum illud, *Non facies tibi sculptile. Ibid. n. 2.*
Licitè asservantur imagines ut cultus iis aliquis exhibeatur. *Ibid. n. 4.*
Quomodo adorari possunt imagines. *Ibid. n. 6. & sequent.*
Quamvis adorari imago possit simul cum exemplari, non tamen simul cum eo orari. *Ibid. n. 18.*
De cultu nominis JESU, &c. *Ibid. n. 19. & 20.*

ÆQUIVOCATIO.

Tribus modis contingere potest æquivocatio. *Disp. 24. sect. 1. n. 1.*
Justis de causis licet per Amphibologiam æquivocare. *Ibidem n. 2.*
In quibusdam casibus non est licitum uti æquivocatione. *Ibidem n. 3.*
Licita interdum est æquivocatio per restrictionem mentalem. *Ibidem n. 4 & seq.*
Deus uti potest æquivocatione. *Ibidem n. 8.*
Christus usus est restrictione mentali. *Ibidem n. 9.*
In æquivocatione dicitur semper verum in mendacio nunquam. *Ibid. sect. 2. n. 1.*
Per æquivocationem non destruitur convictus humanus. *Ibidem n. 2.*
Differentia in Deo circa æquivocationem & mendacium. *Ibidem n. 7.*
Modus æquivocandi per locutionem materialem. *Ibidem n. 4.*

ALTARE.

Semper in Ecclesia fuerunt altaria, quod arguit semper fuisse sacrificium. *Disp. 82. sect. 2. n. 5.*
Altare ad celebrationem Missæ debet esse lapideum. *Disp. 83. sect. 2. n. 1.*
Debet etiam esse consecratum ab Episcopo. *Ibid.*
Quomodo vestiri debeat altare ad celebrationem Missæ. *Ibidem n. 2.*

ANGELUS.

Negant aliqui Angelos habuisse Fidem. *Disp. 19. sect. 1. n. 2.*
Quo pacto primus Angelus habere potuit Fidem. *Ibidem, n. 4.*
Cur Angeli vocentur à S. Gregorio astra matutina. *Disp. 47. sect. 4. n. 11.*

APOSTASIA.

In quo sita sit malitia Apostasiæ. *Disp. 26. s. 3. n. 11.*
Cur hæreticus dici possit apostata. *Ibidem, n. 12.*
Cur Julianus peculiariter vocetur Apostata. *Ibidem.*
Transiens à Fide ad Paganismum non propriè vocatur hæreticus. *Ibidem, n. 13.*
Circumstantia Apostasiæ quo pacto in confessione aperienda. *Ibidem.*

APPROBATIO.

Quomodo in Confessario necessaria sit approbatio Episcopi. *Disp. 94. sect. 3. n. 1.*
Ad hoc Sacramentum validè administrandum requitur approbatio Episcopi. *Ibidem, n. 2.*
A quo Episcopo fieri debeat hæc approbatio. *Ibidem, n. 3.*

Utrùm in uno loco approbatus, approbatus sit ubique. *Ibidem, n. 5. & seq.*
Duobus modis dari potest approbatio. *Ibidem num. 7.*

ARTICULUS.

In quo consistat aliquid esse articulum Fidei. *Disp. 2, sect. 4, n. 11.*
Unde duodecim tantum dicantur esse Fidei articuli. *Ibidem.*
Possitnè modò Ecclesia novos condere articulos Fidei. *Disp. 2, sect. 5, n. 6.*
Posterior Ecclesia articulos Fidei definiens, illos ex priùs revelatis deducit. *Ibidem.*
Quidam Fidei articuli sunt supra rationem. *Disp. 3, sect. 1, n. 2.*

ATTRITIO.

Attritio & latè sumitur & strictè. *Disp. 98, sect. 1. num. 2.*
Quo pacto attritio detestetur peccatum. *Ibidem, num. 5.*
Quid censendum de actu doloris quo quis detestatur peccatum ob pœnam gehennæ. *Ibid. n. 6.*
Possitnè quis propter Deum dolere de uno peccato, non de alio. *Ibidem, sect. 3.*

D. AUGUSTINUS.

Divi Augustini opinio circa mendacium. *Disp. 23, sect. 1, n. 2, & Sect. 2, n. 8.*
Clarè docet S. Augustinus Baptismum fictè susceptum ablato obice reviviscere. *Disp. 66, sect. 1, n. 5.*

B

BAPTISMUS.

Quo tempore à Christo fuit institutus. *Disp. 69, sect. 1, n. 2 & 3.*
Baptismi definitio. *Ibidem, n. 4.*
Materia ejus proxima est ablutio. *Ibidem.*
Nec trina, nec ulla immersio ad Baptismum requiritur. *Ibidem.*
Materia ejus remota est aqua naturalis. *Ibidem, num. 5.*
Quid de aquâ rosaceâ, nive, & glacie dicendum. *Ibidem.*
Quantum aquæ ad Baptismum sit necessarium. *Ibidem, n. 6.*
Quæ pars corporis lota sufficiat. *Ibidem, n. 7.*
De infante in utero materno. *Ibidem.*
Quid, quando adhibita est materia dubia. *Ibidem.*
Varia discutiuntur circa Baptismi formam. *Ibid. num. 8 & 9.*
Nemo potest baptizare seipsum. *Ibidem, n. 9.*
Necessaria est explicita trium Personarum invocatio. *Ibidem, n. 11.*
Quid olim fuerit baptizare in nomine Christi. *Ibidem, n. 13.*
Difficultas circa Judæum quendam baptizantem. *Ibidem, n. 14.*
De Fide est Judæum vel Paganum validè posse baptizare. *Ibidem.*
Baptismus fluminis, flaminis & sanguinis. *Disp. 69, sect. 2.*
In ministris Baptismi quæ subordinatio sit servanda. *Ibidem, n. 5.*
Plures eundem, & idem plures validè potest baptizare. *Ibidem.*
Tenetur jam quivis adultus quamprimum commodè potest Baptismum suscipere. *Ibid. n. 7.*
Baptismus Joannis longè inferior fuit Baptismo Christi. *Ibidem, n. 8.*
Quinam sint capaces Baptismi. *Ibidem, n. 10.*
Baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi. *Ibid. num. 11.*
Ab eodem infundenda est aqua & verba pronuncianda. *Ibidem, n. 12.*
Tota etiam forma ab eâdem personâ debet pronunciari. *Ibidem.*
Possitnè filii infidelium invitis parentibus baptizari. *Disp. 69. sect. 3. per totam.*
Datur præceptum Christianis infantes suos baptizandi. *Ibidem, Sect. 4. n. 2.*
Anabaptistarum hæresis. *Ibidem, n. 3.*
Quid si timeatur fore ut infantis mors per Baptismum acceleretur. *Ibidem, n. 4.*
Utrùm amentibus & furiosis conferri debeat Baptismus. *Ibidem, n. 6.*
Etsi Baptismus sit janua Sacramentorum, non tamen Sacrificiorum. *Disp. 82, sect. 5, n. 6.*

BENEDICTIONES.

An & quando impertiri debeant benedictiones matrimoniales. *Disp. 105, sect. 2, num. 1.*
A quo sint impertiendæ. *Ibidem.*
Utrum secundæ nuptiæ possint benedici. *Ibidem, num. 2.*

C

CALVINUS.

Calvini fraus detecta in patrando miraculo. *Disp. 7, sect. 6, num. 8.*
Hominem fictè mortuum verè occidit. *Ibidem.*

CENSURA.

Quid & quotuplex sit censura. *Disp. 99. sect. 1. num. 1.*
A quo & in quos ferri possit. *Ibidem, n. 2.*
An pluribus quis censuris ligari simul possit. *Ibidem, n. 3.*
Quæ ad ferendam censuram requiratur admonitio. *Ibidem, n. 4.*
Utrum appellatio excuset ab incurrenda censura. *Ibidem, n. 5.*
An suspendi possit per voluntatem illius in cujus favorem lata est. *Ibidem.*
Ob quam causam validè ferri possit censura. *Ibid. num. 6.*
Quomodo liget censura injusta. *Ibid. sect. 2. n. 1.*
Censura à Jure vel ab homine, latæ sententiæ vel ferendæ, verbo, scripto, &c. *Ibidem, n. 2.*
Quid de vi & metu tam in ferente censuram quàm in eo in quem fertur. *Ibidem, n. 3.*
Quid sit aliquem absolvi in foro conscientiæ ad cautelam & reincidentiam. *Ibidem, n. 4.*
Quis habeat facultatem absolvendi à censuris. *Ibidem, n 5.*
Quid de articulo mortis. *Ibidem.*
Possitnè absolvi absens, ignorans, contumax aut qui parti læsæ non satisfecit. *Ibidem, n. 6.*
An debeat esse persona distincta ab absolvente. *Ibidem.*
Quæ requiratur solemnitas. *Ibidem.*

CERTI-

INDEX RERUM.

CERTITUDO.

Certitudo moralis, physica & metaphysica. *Disp. 9. sect. 1. num. 2, 3 & 4.*
Certitudo adhæsionis & infallibilitatis. *Ibidem, n. 5.*
Certitudo essentialis & gradualis. *Ibidem, s. 2. n. 1.*
Certitudo in se & quoad nos. *Ibidem, sect. 4.*

CHARACTER.

Manet in damnatis. *Disp. 19. sect. 3. num. 10. & Disp. 68. s. 2. n. 12.*
Tria tantum Sacramenta imprimunt characterem. *Disp. 68. sect. 1, n. 1.*
Fide certum est Baptismum, Confirmationem & Ordinem imprimere characterem. *Ibidem, n. 3.*
Characteris mentionem sæpè faciunt Patres. *ibid. num. 4.*
Cur illa tria Sacramenta præ aliis imprimant characterem. *Ibidem, n. 5.*
In Christo nullus fuit character. *ibidem, sect. 2, n. 1.*
Character iste est signum indelebile. *Ibidem, n. 5.*
In qua ex quatuor qualitatibus sit Character. *ibid. num. 8.*
Est qualitas supernaturalis in prima specie qualitis. *Ibidem, n. 11.*
Hi characteres in ipsa animæ substantia subjectantur. *Ibidem, n. 14.*

CHARITAS.

Quid sit Charitas? *Disp. 35 sect. 1.*
Charitas est quid creatum hominum animis à Deo infusum. *Ibidem, n. 3 & seq.*
Charitas est vera amicitia erga Deum. *Ibidem, s. 2. num. 1.*
Quo sensu neget Aristoteles dari inter Deum & hominem amicitiam. *Ibidem, n. 3.*
Charitas est virtutum præstantissima. *Ibidem, n. 4.*
Variè ostenditur Charitatem esse virtutem. *Ibidem, sect. 3.*
Habitus infusus & acquisitus Charitatis distinguntur specie. *Ibidem, n. 3.*
Habitus infusus Charitatis est una simplex qualitas. *Ibidem, n. 6.*
Simè Charitas eadem in viâ & in patriâ. *Ibidem. sect. 4.*
In variis comparantur Charitas viæ & patriæ. *Disp. 35. sect. 4, 5 & 6.*
Qua ratione Charitas in patria sit perfectior charitate viæ. *Ibidem, sect. 5, n. 9.*
Quo sensu minimus in cœlo major tunc fuerit S. Joanne Baptista. *Ibidem, sect. 6. n. 2.*
Conclusio difficultatis circa perfectionem majorem Charitatis in patriâ & in viâ. *Ibidem, n. 7.*
De amore appretiativo. *Ibidem, n. 8*
Ex inclinatione naturæ magis propendet homo in dilectionem Dei quàm sui ipsius. *Disp. 37. sect. 6. n. 2 & seq.*
Possitnè Deus aliquo sensu diligi propter aliud. *Ibidem, n. 6.*
De odio Dei actui Charitatis oppositio. *Ibidem, n. 7.*

De objecto Charitatis.

Præcipuum Charitatis Theologicæ objectum est Deus. *Disp. 36, sect. 1. n. 1.*
Objectum etiam Charitatis est proximus. *Ibidem, n. 2 & 3.*
Homo seipsum diligere potest amore charitatis. *Ibidem, n. 4.*
Possintnè reprobi in hac vitâ diligi vero actu charitatis. *Ibidem, n. 6.*
Quo sensu divina bonitas sit objectum formale charitatis, *Ibidem, sect. 2 per totam.*
Quodcunque Dei attributum sufficit ad actum Charitatis Theologicæ eliciendum. *Ibidem, n. 3.*
Amari potest proximus ob bonitatem increatam Dei. *Ibidem, sect. 3. n. 3 & seq.*

De præcepto Amoris Dei.

Omnia ad Deum per affectum amoris sunt referenda. *Disp. 36. sect. 4. n. 1.*
Quæ comparatio Dei cum rebus creatis ad hunc actum amoris requiratur. *Ibidem, n. 3.*
Quid illis verbis præcipiatur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Ibidem, n. 4. & 5.*
Quid sit Deum appretiativè amandum esse super omnia. *Ibidem, n. 7 & 8.*
Malè negant aliqui dari peculiare præceptum interni amoris Charitatis. *Ibidem, sect. 5. num. 2. & sequent.*
Utrùm præceptum diligendi Deum procedat de amore naturali an supernaturali. *Ibidem, n. 9.*
Præceptum diligendi Deum obligaret in statu puræ naturæ. *Ibidem.*
Quando obliget præceptum diligendi Deum. *Ibidem, sect. 6. n. 1.*
Utrùm obliget primo instanti usus rationis. *Ibid. num. 2 & seq.*
Varia tempora quibus elicere quis tenetur actum Amoris Dei. *Ibidem, n. 7.*
Si quis diu vivat tenetur aliquoties actum Amoris Dei elicere. *Ibidem, n 9.*
Tres vel quatuor anni in hoc, sunt tempus diuturnum. *Ibidem.*

De Amore proximi & sui ipsius.

Negant nonnulli dari præceptum diligendi proximum actu interno. *Disp. 37. sect. 1. n. 1.*
Contrarium tamen omnino est asserendum. *Ibid. num. 2 & sequent.*
Qualis actus amoris ad implendum hoc præceptum requiratur. *Ibidem, n. 4.*
Teneaturnè quis diligere seipsum. *Ibidem, num. 5. & sequent.*
Ejusdem ad seipsum datur charitas, non amicitia. *Ibidem, n. 7.*
Quomodo peccetur contra præceptum amandi seipsum. *Ibidem, n. 8.*
Magis diligere ex charitate debemus nosipsos quàm proximum. *Ibidem, n. 9.*
Hoc quo pacto fieri debeat. *Ibidem, sect. 2. per totam.*
Non licet cuiquam velle carere gratiâ, aut perpetuò excludi à beatitudine. *Ibidem, n. 4.*
Utrùm Moyses & S. Paulus optaverit excidere beatitudine. *Ibidem, n. 5 & seq.*
Possitnè quis proximo velle majorem sanctitatem quàm sibi. *Ibidem, n. 8.*
Vitam suam quisque interdum tenetur pro salute proximi exponere. *Ibidem, n. 10.*
Non licet Pastoribus tempore pestis fugere. *ibid. num. 12.*
Honestè potest quis vitam suam pro alterius vita conservanda exponere. *Ibid. sect. 3, n. 3. & seq.*
De ordine charitatis servando in diligendis proximis. *Ibidem, sect. 4.*
Quisnam inter consanguineos servandus sit ordo charitatis. *Ibidem, n. 5.*

De dilectione inimicorum.

Inimicos non licet odio habere. *Disp.* 37. *sect.* 5. *n.* 1. *& sequent.*

Tenemur ex præcepto Christi positivè diligere inimicos. *Ibidem n.* 5.

Idem fuit præceptum in lege vetere & naturæ. *Ibidem n.* 6.

Ad quid ex vi præcepti dilectionis inimici teneamur. *Ibidem n.* 8.

Uter ex duobus actibus sit melior dilectio amici an inimici. *Ibidem n.* 11.

De augmento Charitatis.

Fide certum est posse charitatem augeri. *Disp.* 38. *sect.* 1. *n.* 1. *& sequent.*

Quo pacto augeatur. *Ibidem, n.* 4.

Præfixus unicuique est charitatis terminus extrinsecè. *Ibidem n.* 7.

Nullus est determinatus Charitatis gradus cui non possit alius adjici. *Ibidem n.* 9.

Possitnè augeri Charitas per actus habitu remissiores. *Ibid. Sect.* 2. *&* 3.

Omne peccatum auget injustitiam, ergo & omne opus bonum justitiam. *Ibid. sect.* 2. *n.* 11.

Quo tempore detur augmentum gratiæ. *Ibid. s.* 4.

Argumentum calculatorium circa augmentum Charitatis. *Ibidem n.* 4.

Actus meritorius primo instanti productionis meretur certum gradum gratiæ, non reliquis. *Ibidem, Sect.* 5. *n.* 1 *&* 2.

In nullo ex sequentibus instantibus dari potest determinatum augmentum gratiæ. *Ibid. n.* 4.

Novus conatus actui additus novum exigit præmium. *Ibidem, n.* 7.

Non tamen sequitur melius esse actus interrumpere. *Ibidem, sect.* 6. *n.* 2.

De diminutione Charitatis.

Possitnè habitus Charitatis minui per peccata venialia. *Disp.* 39. *sect.* 1.

Peccata venialia nec physicè nec demeritoriè opponuntur habitui Charitatis. *ibidem, n.* 3. *&* 4.

Gratis dicitur ultimam gratiæ particulam auferri non posse. *ibidem, n.* 8.

Habitus charitatis quoad fervorem in agendo minuitur per peccata venialia. *ibidem, n.* 11.

Quo pacto qui spernit modica, paulatim decidet. *Ibidem, sect.* 2. *num.* 1.

Peccata venialia dispositivè tollunt gratiam, *Ibid. num.* 2.

Quo sensu interdum dicatur multa venialia peccata æquivalere uni mortali. *ibidem, n.* 3.

Quomodo per peccata venialia minuatur Dei amor erga justum. *ibidem, n.* 5.

CHRISTUS.

Quid sit operationes Christi esse theandricas. *Disp.* 40. *sect.* 2. *n.* 2.

Christus, si homo non peccasset, ex vi præsentis decreti non venisset. *Disp.* 46. *sect.* 1. *num.* 8. *& sequent.*

Christus quo sensu fuerit initium viarum Domini, & primogenitus omnis creaturæ. *Ibid. sect.* 3. *num.* 4 *&* 5.

Christus fuit primus prædestinatus dignitate. *Ibidem. sect.* 4. *n.* 5.

Præfinitus fuit Christus ante prævisionem ullius actualis peccati posterorum Adami. *Disp.* 46. *sect.* 7. *n.* 5.

Quo pacto Christus præfinitus fuerit redemptor respectu peccatorum actualium. *Ibid. n.* 7.

Quid Redemptoris nomine propriè intelligatur. *Ibidem, n.* 9.

Ad tollendum peccatum originale principaliùs venit Christus. *Ibidem, n.* 12.

Christus & Angelorum & hominum est caput. *Disp.* 47. *sect.* 4. *n.* 2.

Christus est persona composita ex duabus naturis. *Disp.* 48. *sect.* 1. *n.* 3.

Sitnè Christus homo ejusdem rationis nobiscum. *Disp.* 49. *sect.* 3. *n.* 4.

Quo pacto dicatur Christus gratiâ & sapientiâ profeciisse. *Disp.* 51. *sect.* 4. *n.* 8

Utrùm in Christo fuerit Prophetia. *Ibidem, sect.* 5. *num.* 12.

An Christus sit caput damnatorum, & rerum insensibilium. *Ibid. n.* 15.

Quo sensu dixit Christus se nescire diem Judicii. *Disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 5.

Christus non vidit actus suos liberos antequam fierent. *Ibidem, n.* 11.

Christus nec ab homine, nec Angelo quidquam unquam didicit. *Ibid. Sect.* 5. *n.* 3.

Quo sensu dicat Apostolus Christum pro nobis factum esse peccatum. *Disp.* 54. *sect.* 1. *n.* 3.

Non fuit necessitatus Christus ad faciendum optimum ex parte objecti materialis. *Ibid. n.* 8.

Fueritnè in Christo admiratio. *Ibidem, sect.* 4. *n.* 9.

Christus gaudium beatificum nunquam impedivit *Disp.* 57. *s.* 1. *n.* 3.

Quo pacto de morte suâ & tormentis gaudebat, & dolebat Christus. *Ibidem, n.* 7.

Per voluntatem increatam certum est Christum mereri non potuisse. *Disp.* 57. *sect.* 1. *n.* 2.

Qua ratione Christus sit minor Patre. *Disp.* 59. *sect.* 1. *n.* 1 *& sequentibus.*

In arâ crucis se in cruentum offerens sacrificium sacerdos simul fuit & hostia. *Disp.* 82, *sect.* 2. *num.* 1.

Christi satisfactio.

Fueritnè satisfactio Christi condigna pro peccatis humani generis. *Disp.* 44. *sect.* 1.

Quorundam sententia negativa. *Ibidem, n.* 1.

Contrarium tamen omnino est tenendum. *Ibid. num.* 4.

Dici nequit Christi satisfactionem factam esse pretium condignum per meram acceptationem Dei. *ibidem, n.* 6.

Christi opera erant infinitè digna. *Ibidem, n.* 7.

Argumenta contra infinitatem operum Christi. *Ibid. sect.* 2 *&* 3.

Opus infinitum exhauriri potest à præmio infinito. *Ibid. sect.* 2. *n.* 3.

Christi etiam satisfactio fuit de rigore Justitiæ. *Ibid. sect.* 4.

Non omnis acceptio bonorum à creditore obstat satisfactioni. *Ibid. n.* 7.

Reliquæ justitiæ rigorosæ conditiones in Christi satisfactione sunt expletæ. *Ibidem, & Sect.* 5. *&* 6. *per totam.*

Docent Patres satisfactionem Personæ alicujus Divinæ necessariam fuisse ad tollendum peccatum mortale. *Disp.* 45. *sect.* 4.

Christi meritum.

Quid Christus meruit, vel non meruit sibi. *Disp.* 47, *sect.* 3. *n.* 1.
Disparitas inter Christum & animas in cœlo quoad rationem merendi. *Ibidem, n.* 2.
Nec gratiam habitualem, nec visionem beatificam meruit sibi Christus. *Ibidem, n.* 3.
Christus à primo ad ultimum vitæ instans semper meruit. *Ibidem, n.* 5.
Etiam in somno, *Ibidem, n.* 6.
Post mortem nihil meruit. *ibidem.*
Christus meruit nobis ut vocemur, credamus, &c. *Ibidem, n.* 8.
Omnem prædestinationis seriem meruit nobis Christus. *ibidem, n.* 11.
Dona quædam accidentalia meruit Christus Angelis. *Disp.* 47. *sect.* 4. *n.* 2.
Gratiam tamen habitualem iis non meruit. *Ibidem, n.* 5. *& seq.*
Quicquid gratiæ habent antiqui Patres, habent ex meritis Christi. *ibidem, n.* 13.
Quomodo pro illis mereri potuit Christus. *ibid.*
Non potuit Christus mereri unionem per merita eam subsequentia. *Ibidem, sect.* 5.
Per quos actus meruit Christus. *Disp.* 57, *sect.* 1.
Utrum per actus amoris Dei. *ibidem, n.* 3.
Quid de actu aliquo amoris, etiam beatifici dicendum. *Ibidem, sect.* 3, *n.* 14.

Christi gratia.

Quid sit hominem esse Deo gratum, & justum. *Disp.* 51, *num.* 1.
Humanitas Christi reddita est sancta per sanctitatem increatam. *ibidem, n* 3 *& seq.*
Aliud est de denominatione æterni, immensi, & immortalis. *ibidem, n.* 7.
Verbum reddit humanitatem summè Deo gratam. *ibidem, n.* 8.
Intellectio tamen divina & omnipotentia non reddunt humanitatem intelligentem & omnipotentem. *ibidem, n.* 9, 10 *&* 11.
Christi humanitas non à naturâ tantùm divinâ, sed etiam à personalitate sanctificatur. *ibid. s.*2.
Tota tamen Trinitas non sanctificabat naturam. *Ibidem, n.* 3.
Sitnè humanitas Christi infinitè sancta. *ibid. n.*4.
Humanitas Christi non est tam sancta ac est Deus. *Ibidem, num.* 5. *& seq.*
An gratia habitualis mediatè tantùm unita naturæ creatæ, eam sanctificaret, *ibidem, sect.*3. *n.* 1.
Certum est Christi animam gratiâ habituali fuisse instructam. *Ibidem, sect.* 4, *n.* 2.
An gratia habitualis Christi fuerit infinita. *Ibid.n.*6
Utrùm in Christo fuerit Fides, Spes & Pœnitentia. *Disp.*51. *sect.* 5. *n.* 2.
Habuit Christus virtutes naturales acquisitas. *ibidem, n.* 6.
In Christo existunt septem dona Spiritus Sancti. *Ibidem, n.* 10.

Christi scientia.

In Christo quatuor sunt scientiarum genera. *Disp.* 52, *sect.* 1. *n,* 1.
Scientia beata Christi animæ primo conceptionis instanti fuit infusa. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 3.
Quicquid Deus videt per scientiam visionis, videt Christus per scientiam beatam. *ibidem, n.* 4.
Hinc tamen non sequitur Christi animam comprehendisse scientiam visionis Dei. *ibidem, n.* 7.
De scientiâ Christi infusâ, *ibidem, sect.* 4.
Sitnè scientia hæc infusa discursiva. *ibidem, n.* 7.
Datur in Christo scientia per se acquisita. *Disp.*52. *sect.* 5. *n.* 1.
Quo sensu dicat Apostolus scientiam in cœlo esse destruendam. *ibidem, n.*2.
Novam scientiam experimentalem ministerio sensuum acquisivit Christus. *ibidem, n.* 7.
Differentia hac in re inter scientiam experimentalem & acquisitam. *ibidem, n.* 8.

Christi impeccabilitas.

Christus non à peccato tantùm, sed à peccandi potentiâ fuit immunis. *Disp.* 54, *sect.* 1. *n.* 1,
Christus per unionem hypostaticam præcisè redditus fuit impeccabilis. *ibidem, n.* 5.
Ratio est quia summa sanctitas non tantùm peccatum impedit, sed tollit peccandi potentiam. *ibidem, n.* 14 *& seq.*
Lata quoad effectum formalem est disparitas inter sanctitatem & sapientiam. *ibidem, n.* 16.
Assumi à verbo potest humanitas quæ priùs peccaverat. *ibidem, sect.* 2. *n.* 2.
Certum est in Christo non fuisse fomitem peccati. *ibidem, n.* 6.
Quid si eadem humanitas in uno loco esset unita verbo, in alio non uniretur. *ibidem, n.* 11.
Potueritnè Christi humanitas peccare demerendo unionem. *ibidem, sect.* 3 *&* 4.

Christi libertas.

Quo pacto cum impotentia ad peccandum stet in Christo libertas. *Disp.* 55. *sect.* 1.
Varii hac in re procedendi modi. *ibidem.*
Per præceptorum naturalium observationem meruit Christus. *ibidem, sect.* 2, *n.* 1.
Omnes mortis circumstantiæ non fuerunt determinatæ. *ibidem, num.* 3,
Ipsa etiam mortis circumstantia fuit Christo libera, saltem mediatè. *ibidem, n.* 6 *& seq.*
Quid de sententiâ negante Christum habuisse propriè præceptum moriendi. *ibidem, sect.* 3.
Probabilius est Christo impositum fuisse propriè præceptum moriendi. *ibidem, n.* 3 *& seq.*

Christi voluntas.

Apollinaris & Monothelitarum errores. *Disp.* 57. *sect.* 1. *num.* 1.
Fide certum est in Christo duas fuisse voluntates. *ibidem, n.* 2.
Ostenditur in Christo fuisse voluntatem humanam. *ibidem.*
Utrùm humana & divina Christi voluntas semper fuerint inter se conformes. *ibidem, sect.* 2.
Fueritnè humana Christi voluntas efficax semper impleta. *ibidem, num.* 5.

Christi regnum.

Utrùm Judæorum regnum Christo hæreditario jure fuerit debitum. *Disp.* 59. *sect.* 4.
Ostendi nequit, vel Beatissimæ Virgini, vel S. Josepho regnum temporale Judæorum fuisse debitum. *ibidem, num.* 2.
Regnum Christo in Scriptura promissum fuit spirituale. *ibidem, n.* 3.

Ratione hujus habebat Christus potestatem indirectam utendi rebus omnibus temporalibus. *Ibidem.*
Christus ut homo habuit etiam dominium directum in omnes res creatas. *Ibidem, n.* 5.
Fuit Rex regum & Dominus dominantium. *Ibid.*
Nato tamen Christo reges omnes tunc in mundo existentes non fuerunt regnis suis privati. *Ibidem, n.* 8.

Christi Filiatio.

Admitti nullo modo potest Christum esse filium adoptivum. *Disp.* 60 *sect.* 1, *num* 2.
Quid involvat adoptio. *Ibidem, & n.* 4.
In quonam Elipandus & Fœlix circa hoc erraverint. *Ibidem, n.* 3.
Gratia habitualis non denominavit Christum filium adoptivum. *Ibidem, n.* 4.
Quo sensu Christus ut homo sit filius Dei naturalis. *Ibidem, sect.* 2.
Quid completè requiratur ad filiationem naturalem. *Ibidem num.* 8. & 10.
Omnis sanctitas non est filiatio. *Ibidem, n.* 10.

Christi Sacerdotium.

Christus verè & propriè fuit Sacerdos. *Disp.* 59, *sect.* 3, *n.* 1.
Sacerdos simul & hostia se in arâ crucis obtulit. *Ibidem.*
In ultimâ cœna obtulit se Patri sacrificium incruentum. *Ibidem.*
Christus Rex fuit simul & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. *Ibidem, n.* 4.
Qua ratione Christi Sacerdotium sit æternum. *Ibidem, n.* 5.
Non fuit Christus Sacerdos secundùm ordinem Aaron. *Disp.* 59, *sect.* 3. *num.* 6.

CIRCUMCISIO.

Utrùm circumcisio contulit gratiam. *Disp.* 67. *num.* 4 & 5.
Probabilius est circumcisionem, nec parvulis nec adultis gratiam ex opere operato contulisse. *Ibidem, n.* 6.
Hoc variè ostenditur. *Ibidem, n.* 7. & *seq.*
Communis Patrum sententia est circumcisionem non contulisse gratiam. *Ibidem, n.* 15.
Aliud fuit apud Hebræos peccati originalis remedium. *Ibidem, n.* 17.
Circumcisio ante octavum diem administrari non poterat. *Ibidem.*
Solvuntur argumenta contendentia circumcisionem contulisse gratiam. *Ibidem, sect.* 2.
Quodnam fuit remedium in lege scripta & naturæ ad tollendum peccatum originale. *Ibidem, Sect.* 3. *n.* 3 & 4.

COMMUNICATIO IDIOMATUM.

Malè eam negant hæretici. *Disp.* 56, *sect.* 1.
Proprietates unius naturæ non prædicantur de aliâ in abstracto sumptâ. *Ibidem, n.* 7.
Quid de variis in hac materiâ propositionibus existimandum. *Ibidem, sect.* 1 & 2.
Propositiones notionales Patris, aut Spiritus Sancti non prædicantur de Christo. *ibidem, s.* 2. *n.* 2.
Quid de hac propositione, *Christus est creatura, aut minor Patre.* *Ibidem, sect.* 2. *n.* 4 & 5.
Cautè in his loquendum. *Ibidem, n.* 7.

COMMUNIO.

Possitnè Sacerdos non jejunus consecrare ad communicandum infirmum. *Disp.* 83, *sect.* 3. *n.* 10.
Potest celebrans hostiæ suæ partem dare alteri communicanti. *Ibidem, n.* 11.
An Sacerdos non celebrans possit communicare seipsum. *Ibidem, n.* 12.
Utrùm laicus in articulo mortis seipsum communicare possit in absentiâ Sacerdotis. *Ibidem, sect.* 4, *n.* 1.
An Sacerdos non jejunus possit administrare Eucharistiam, & an aliis digitis, quàm pollice & indice. *Ibidem, n.* 2.
An quis saccarum ante mediam noctem in os immisit, ut paulatim illud deglutiat, possit communicare. *Ibidem, n.* 3.
Utrùm in articulo mortis possit quis non jejunus communicare. *Ibidem, n.* 4.
An qui sumpsit Viaticum possit postea iterum communicare non jejunus. *Ibidem, n.* 5.
Utrùm is qui paullò ante mortis periculum communicavit, teneatur tunc iterum communicare. *Ibidem, n.* 6.
An musca per respirationem attracta, aut sanguis è capite defluens, & similia impediant communionem. *Ibidem, n.* 7.
An qui nocte post duodecimam per unum horologium auditam comedit, possit sequente die communicare. *Ibidem. n.* 8.
Quanto tempore post communionem liceat cibum sumere. *Ibidem, n.* 9.

CONCEPTIO.

Immaculata Virginis conceptio in dubium vocari non debet. *Disp.* 46, *sect.* 6. *num.* 2.
Nunquam admisit veniale peccatum, ergo non contraxit originale. *Ibidem.*
Certum nihilominus est B. Virginem fuisse à Christo redemptam. *Ibidem, n.* 4.
Ad hoc tamen non est necessarium ut habuerit debitum proximum contrahendi peccatum originale. *Ibidem, num.* 5.
Varii modi eam ab hoc debito eximendi. *Ibidem, num.* 6 & *seq.*
In eo totum consistit, quo pacto hac in re statuantur signa rationis. *Ibidem.*
Duæ probabiles viæ Virginem à debito proximo liberandi. *Ibid. num.* 10 & 13.
Ostenditur quomodo Beatissima Virgo habuerit debitum remotum. *Ibidem, n.* 12.

CONCILIUM.

Quid nomine Concilii intelligatur *Disp.* 21, *sect.* 4. *num.* 1.
Quatuor reperiuntur Conciliorum genera. *Ibid. num.* 2,
Cur generale Concilium vocetur œcumenicum. *Ibidem, n.* 3.
Concilium generale nisi à Romano Pontifice convocetur non est legitimum. *Ibidem, n.* 4.
Causæ ad cogendum Concilium generale. *Ibidem, num.* 5.
Quinam ad Concilium generale sint vocandi. *Ibidem, n.* 6.
Laici in Conciliis à jure suffragii excluduntur *Ibidem, n.* 9.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONDITIO.

Negari nec in Philosophiâ, nec in Theologiâ potest dependentia à conditionibus extrinsecis, *Disp. 10. sect. 2. n. 6.*
Exemplis variis ostenditur conditiones extrinsecas esse in quibusdam rebus admittendas. *Ibid. num. 7.*
Conditio de futuro in susceptione Sacramentorum. *Disp. 63. sect. 4. n. 4.*

CONFESSARIUS.

Quæ bonitas in Confessario ad excipiendas confessiones sit requisita. *Disp. 94. sect. 4. n. 1.*
Quæ in eodem requiratur scientia. *Ibid. n. 2 & 3.*
Confessarius cum jurisdictione dubiâ absolvens, validè absolvit. *Ibidem, n. 8.*
Hoc ostenditur ex lege *Barbarius. Ibidem, n. 9.*
Quid si in prædicto casu Sacerdos malâ fide absolvat. *Ibidem, n. 11.*
De obligationibus quibusdam Confessarii erga pœnitentem. *Disp. 96. sect. 2. n. 15 & 16.*

CONFESSIO.

Confessio est de essentiâ hujus Sacramenti. *Disp. 92. sect. 1, n. 1.*
Moribundus, si nullum det aut dederit signum doloris, non potest absolvi. *Ibidem, n. 2.*
Quibus necessaria sit confessio necessitate medii. *Ibidem, n. 4.*
Sitnè confessio omnium mortalium necessaria jure divino. *Ibidem, n. 5.*
Confessio sacramentalis in usu fuit in primitivâ Ecclesiâ. *Ibidem, n. 9.*
Quid de facto Nectarii circa confessionem. *Ibid. n. 10, & seq.*
Utrum confessio fieri necessariò debeat voce. *Ibidem, n. 14.*
Debeatnè confessio esse secreta. *Ibidem, s. 2. n. 1.*
Possitnè quis cogi ad publicam confessionem. *Ibidem, n. 2.*
Nemo aut per interpretem, aut per literas confiteri tenetur. *Ibidem, n. 3.*
Quid si in articulo mortis dubitet quis de verâ contritione. *Ibidem.*
Quid censendum de mendacio in confessione dicto. *Ibidem, n. 4 & seq.*
Quid si quis peccatum veniale, quod non fecit, cum aliis confiteatur. *Ibidem, n. 8.*
Confessio esse debet integra. *Ibidem, sect. 3. n. 1.*
Non tamen est confessio omnino integra de essentiâ hujus Sacramenti. *Ibidem, n. 3.*
Quidnam ab integrâ peccatorum confessione excuset. *Ibidem, n. 4.*
Utrum revelari possit complex. *Ibidem, n. 6. & sequent.*
In quibus casibus iteranda sit confessio. *Ibidem, n. 12 & seq.*
An, & quæ circumstantiæ sint in confessione aperiendæ. *Ibidem, sect. 4.*
Circumstantiæ in confessione aperiendæ, communiter numerantur septem. *Ibidem, n. 8.*
Numerus peccatorum, si constet pœnitenti, est in confessione aperiendus. *Ibidem, n. 9.*
De numero actuum internorum. *Ibidem, n. 10. & sequent.*
Quid si quis cuperet unico actu omnes homines in tali civitate occidere. *Ibidem, n. 15.*
Quid si quis opus faciat duplici præcepto prohibitum. *Ibidem, n. 16.*
Quomodo confitenda sint peccata dubia. *Disp. 92, sect. 5.*

Confessionis necessitas.

Datur præceptum confessionis annuæ. *Disp. 93. sect. 1, n. 2.*
Quo tempore obliget hoc præceptum. *Ibidem, num. 3.*
Diversus modus annum circa hoc præceptum computandi. *Ibidem, n. 5.*
Quomodo computandus annus confessionis puerorum. *Ibidem, n. 6.*
Cui Sacerdoti facienda sit hæc confessio. *Ibidem, num. 7.*
Potuissetnè Ecclesia præcipere per se confessionem. *Ibidem, sect. 2, n. 1 & seqq.*
Aliquorum saltem venialium confessionem præcipere posset Ecclesia. *Ibidem, n. 10.*
Hoc præcepto annuæ confessionis non tenetur Summus Pontifex. *Ibidem, n. 11.*
Utrum per quamcumque confessionem huic præcepto satisfiat. *Ibidem, n. 12.*

CONFIRMATIO.

Est verum & proprium Sacramentum. *Disp. 70. sect. 1, n. 2.*
A Christo ipso immediatè fuit institutum, & quando. *Ibidem, n. 3, 4, & 5.*
Materia remota hujus Sacramenti confici debet ex oleo olivarum & balsamo. *Ibidem, n. 7.*
Chrisma semper juxta usum Ecclesiæ significavit hujusmodi unguentum. *Ibidem.*
Quodnam balsamum ad hoc Chrisma conficiendum sit necessarium, Palæstinum, an sufficiat Indicum. *Ibidem, n. 10.*
Hoc Chrisma essentialiter petit ut benedicatur ab Episcopo. *Ibidem, n. 11.*
Utrum administratio Confirmationis committi possit simplici Sacerdoti. *Ibidem, & sect. 2. n. 8*
Hoc Chrisma esse debet illius anni. *Ibidem, sect. 2, num. 1.*
Et hoc sub gravi præcepto. *Ibidem, n. 2.*
Non tamen est de essentiâ Sacramenti ut sit ejusdem anni. *Ibidem.*
Materia proxima est unctio. *Ibidem, n. 3.*
Formari debet hæc unctio in formâ Crucis. *Ibid.*
Hæc unctio censebatur manuum impositio. *Ibidem, num. 4.*
Quænam sit forma Sacramenti Confirmationis, *Ibidem, n. 5.*
Ordinarius hujus Sacramenti minister est solus Episcopus. *Ibidem, n. 6.*
Omnis & solus homo baptizatus est subjectum hujus Sacramenti. *Ibidem, n. 10.*
Quid de infantibus ante usum rationis, & amentibus. *Ibidem.*
Nullum extat præceptum accedendi ad Confirmationem. *Ibidem, n. 11.*
In initio Ecclesiæ tam parvulis quàm adultis conferebantur simul Baptismus & Confirmatio. *Ibidem, n. 13.*
Cur modò Confirmatio ante usum rationis non conferatur. *Ibidem.*
Ad quorum Sacramentorum susceptionem præmitti debeat Confirmatio. *Ibidem, n. 15.*

CONSECRATIO.

Quibus verbis fiat. *Disp. 77. sect. 1.*
Variæ sententiæ in re circa consecrationem à Christo factam. *Ibidem, n. 2.*
Christus per hæc verba consecravit, *Hoc est corpus meum. Ibidem,* n. 3.
Benedictionem aliquam adhibuit Christus distinctam à consecratione. *Ibidem, n. 5 & seq.*
Expostulatio Latinorum cum Græcis circa verba consecrationis. *Ibidem, n. 9.*
Cur preces quædam circa consecrationem adhibeantur. *Ibidem, n. 10 & 11.*
Utrum verba consecrationis proferantur à Sacerdote recitativè, an significativè. *Ibidem, sect. 2.*
Verba aliqua utroque modo proferri possunt. *Ibidem, n. 3.*
Idque contingit in verbis consecrationis. *Ibidem, n. 4 & 5.*
Si hæc sola verba, *Hoc est corpus meum*, debitè proferrentur, valida foret consecratio. *Ibidem, num. 6.*
Opinio S. Thomæ circa verba in consecratione calicis. *Ibidem, n. 11.*
Pro quo instanti verba consecrationis sint vera. *Ibidem, sect. 3.*
Particulæ *Hic*, & *Hoc*, quo sensu in præsenti sumantur. *Ibidem, sect. 4.*
Sumi videntur adjectivè. *Ibidem, n. 3.*
Utrum verba consecrationis sint vera priùs naturâ, quàm operentur. *Ibidem, n. 9.*
Possintnè plures Sacerdotes eandem simul hostiam consecrare, *Disp. 78, sect. 5.*
Duobus modis hoc contingere potest. *Ibidem, num. 2.*
Qui primus formam cum debitâ intentione absolvit, solus consecrat. *ibidem, n. 3.*
Si simul absolvant omnes consecrant. *ibidem, num. 4.*
Quam intentionem habere debeant novi Sacerdotes, dum cum Episcopo celebrant. *ibidem, num. 7.*

CONTRITIO.

Ad gratiam in peccato mortali existenti conferendam in Sacramento, non requiritur contritio. *Disp. 65, sect. 2.*
Quâ ratione contritio sit votum pœnitentiæ. *Disp. 66, sect. 1, n. 13.*
Stare nequit contritio cum peccato habituali mortali. *Disp. 97, sect. 8, n. 8 & seq.*
In quo consistat conceptus contritionis perfectæ. *Disp. 98, sect. 1, n. 3.*
Contritio supra omnia creata detestatur peccatum. *ibidem, n. 7.*
Possintnè quis unum peccatum detestari plus alio. *ibidem, sect. 2.*
Magis detestari quis debet veniale proprium, quàm mortale alienum. *ibidem, n. 14.*
Utrum actus contritionis formaliter justificet. *Disp. 98, sect. 4.*
Actui Charitatis vel Contritionis non debetur ex naturâ rei peccatorum remissio. *ibidem, num. 3, 4 & 5.*
Contritio, quamvis non de condigno, de congruo tamen meretur remissionem peccati mortalis. *ibidem, n. 6.*
Multo minùs actus Contritionis aut Charitatis est forma justificans. *ibidem, n. 7 & seq.*
Solvuntur argumenta contendentia actum Charitatis & Contritionis justificare formaliter. *ibidem, sect. 2.*
Quid si quis existens in peccato mortali raperetur ad visionem & amorem beatificum. *ibidem, num. 6. & seq.*
Actus Charitatis in patriâ justificat. *ibidem, n. 11.*

CREATURA.

Possitnè pura creatura mereri alteri gratiam de condigno. *Disp. 45. sect. 1.*
Non est contra Charitatem propriam ut quis interdum alteri mereatur gratiam. *ibidem, n. 6.*
Neque hæc Charitas est inordinata. *ibidem, n. 8.*
Quando gratia mereatur, connaturaliter præmium proprio subjecto. *ibidem, sect. 2. n. 1.*
Quid ubi proprium subjectum est plenum. *ibid. num. 2.*
Possitnè pura creatura de condigno mereri remissionem peccati mortalis. *Disp. 45. sect. 3.*
Certum videtur justum mereri posse remissionem peccati venialis. *ibidem, n. 2 & seq.*
Nequit pura creatura satisfacere pro ullo peccato mortali. *ibidem, num. 7.*
Variæ hujus rei rationes assignantur. *ibidem, n. 8. & deinceps.*
Vera ratio cur pura creatura satisfacere nequeat pro peccato mortali. *ibidem, sect. 4.*
Res ordinis simpliciter inferioris nunquam æquivalent rebus ordinis superioris. *ibidem, n. 11.*
Multa in entitate physicâ perfectiora, censentur in genere moris aliis inferiora. *ibidem, sect. 5. num. 1.*

D

DÆMON.

IN dæmonibus non reperitur vel actus vel habitus fidei infusæ. *Disp. 19. sect. 3. n. 3.*
Nec de lege ordinariâ reperiri potest. *ibidem,*
Dæmones & homines damnati ratione status privantur donis supernaturalibus. *ibidem, n. 5.*
Dæmones credunt & contremiscunt, quomodo intelligendum. *ibidem, n. 6.*
Omnium objectorum Fidei non habent dæmones evidentiam in attestante. *ibidem, n. 11.*
Utrum viderit dæmon in Christi humanitate negationem propriæ subsistentiæ. *Disp. 41. sect. 2. num. 2.*
Ex miraculis à Christo factis non potuit cognoscere Incarnationem. *ibidem, n. 5.*

DECRETUM.

Ordo decretorum circa Incarnationem. *Disp. 46. sect. 5.*
Dicunt aliqui Deum unico simplicissimo actu re & ratione omnia circa Incarnationem decrevisse. *ibidem, n. 3.*
Hoc tamen decretum in præsenti non est admittendum. *ibidem, n. 4.*
Juxta hoc decretum peccatum Adami non fuit causa moralis Incarnationis. *ibidem, n. 5.*
Concomitanter tantùm, non causaliter se haberent. *ibidem, n. 7.*
Alia multa circa decreta ad Incarnationem spectantia. *ibidem, sect. 7.*

DEGRA-

INDEX RERUM.

DEGRADATIO.

Quid sit, & ob quæ crimina fieri possit. *Disp. 99. sect. 4. n. 1.*
Quæ adhiberi debeat solemnitas. *Ibidem.*

DEPOSITIO.

In quo differat à degradatione. *Disp. 99. sect. 4. n. 1.*

DESPERATIO.

Volunt aliqui desperationem consistere in actu intellectus, *Disp. 34. sect. 1. n. 1.*
Præsuppositivè tantùm in actu intellectus consistit desperatio. *Ibidem, n. 7.*
Quis actus ut plurimum præcedat desperationem. *Ibidem.*
Non potest desperatio consistere in actu, quo quis directè oderit beatitudinem. *Ibidem, n. 9.*
Ostenditur spem & desperationem versari circa idem objectum. *Ibidem, sect. 1. n. 11.*

DEUS.

Deus est primum ens & prima veritas. *Disp. 9. sect. 2. n. 6.*
Si Deus non staret promissis, vel mentiretur, mutaretur. *Disp. 23. sect. 1, n. 12.*
Deus nullâ ratione mentiri potest, aut falsum dicere. *Ibidem, s. 2 & 3.*
Potest tamen uti æquivocatione. *Disp. 24. sect. 1. num. 8.*
Deus propriissimè dicitur Charitas. *Disp. 35. sect. 1. n. 7.*
Deus in suo esse nullam patitur mutationem. *Disp. 40. sect. 3. n. 4.*
Deus omnia quæ vult, vult distinctissimè. *Disp. 46. sect. 7. n. 4.*
Quomodo dicatur Deus aliqua velle generatim. *Ibidem.*

DISCURSUS.

Quid sit? *Disp. 12. sect. 1. n. 1.*
Utrùm Fides sit discursiva. *Ibidem.*

DIVORTIUM.

Quid sit divortium? *Disp. 105. sect. 1. n. 1.*
Utrùm causa illius sufficiens sit adulterium. *Ibid.*
An conjux innocens teneatur aliquando facere divortium cum committente adulterium. *Ibid. num. 2.*
Utrùm interdum conjugi innocenti non liceat facere divortium ob conjugis adulterium. *ibid. num. 3.*
An post sententiam divortii possint conjuges ingredi religionem. *Ibidem, n. 4.*
Sintne aliæ justæ causæ divortii præter adulterium. *Ibidem, n. 5.*
Apud quem, facto divortio, educari debeant proles, & cujus expensis. *Ibidem, n. 6.*

DOMINIUM.

Dominium & jus Dei est perfectissimum. *Disp. 43. sect. 3.*
Quare jus proprietatis in Deo vocetur potestas moralis. *ibidem, n. 3.*
Cur brutis non competat dominium nec jus proprietatis. *Ibidem.*
Deus non minùs essentialiter est dominus jurisdictionis, quàm proprietatis. *ibidem. n. 7.*
Conceptus juris non explicatur necessariò in ordine ad volitionem liberam. *ibidem, n. 9. & 10.*
Jus Dei lædi potest à creaturis, *ibidem, sect. 5. n. 6.*
Quæ sit voluntas qua dominus exigit obsequium à servo. *Ibidem, n. 9.*

DONUM.

Septem sunt dona Spiritus Sancti hominibus infusa. *Disp. 33. sect. 9. n. 1.*
Inter hæc est donum timoris. *ibidem.*
Donum timoris ad quam virtutem pertineat. *Ibidem, n. 2. & sequent.*
Dona hæc in solis justis reperiuntur. *ibidem, n. 6.*

E

ECCLESIA.

Quid sit Ecclesia? *Disp. 5. sect. 1. n. 1. & Disp. 21. sect. 2.*
Duplex auctoritas Ecclesiæ. *Disp. 5. sect. 1, n. 2.*
In quo consistat humana Ecclesiæ auctoritas. *Ibidem.*
Auctoritas divina Ecclesiæ. *ibidem, n. 3.*
Utrùm actoritas Ecclesiæ ingrediatur objectum formale Fidei. *Ibidem, n. 5.*
Definitiones Ecclesiæ sunt Dei locutio. *Ibidem. num. 8. & sequent.*
Ostenditur definitiones Ecclesiæ esse verbum Dei. *Disp. 5. sect. 2. per totam.*
Utrùm Ecclesia jam novas habeat revelationes. *Ibidem, n. 5 & 6.*
Potestas legislativa & definitiva Ecclesiæ. *Ibidem, num. 8.*
Auctoritas Ecclesiæ non dependet à scientiâ, vel bonitate definientium. *Ibidem, n. 10.*
An ad actus Fidei Catholicæ requiratur propositio Ecclesiæ. *Disp. 5. sect. 3.*
Omnia sine Ecclesiæ propositione credi nequeunt. *Ibidem, n. 5 & 9.*
Auctoritas Ecclesiæ integrat unum objectum formale cum veracitate divinâ. *Ibidem, sect. 4. num. 3.*
Ecclesia est organum aptissimum ad actus Fidei eliciendos. *Ibidem, n. 4.*
Differentia inter auctoritatem Ecclesiæ, & motiva credibilitatis. *Ibidem, n. 6.*
Per accidens potest aliquid credi sine auctoritate Ecclesiæ, *Ibidem, n. 7.*
Per quid primò probetur auctoritas Ecclesiæ. *Ibidem, n. 10.*
De auctoritate humanâ Ecclesiæ. *Disp. 5. sect. 5.*
Sitnè in proponendo res Fidei infallibilis, *ibidem.*
Possitnè Ecclesia esse primum credibile, *Disp. 6. sect. 4. n. 4.*
Quo pacto quis Ecclesiæ credat propter Ecclesiam, *Ibidem; num. 5.*
Ostenditur Ecclesiam esse regulam vivam. *ibidem, n. 6. & Disp. 21. sect. 3.*
Veræ Ecclesiæ nota est puritas doctrinæ. *Disp. 7. sect. 5. n. 6.*
Ecclesiæ Catholicæ doctrinam esse veram ostendunt miracula. *ibidem, sect. 6.*
Unitas doctrinæ probat Fidem nostram esse evidenter credibilem. *Disp. 7. sect. 7.*

Quanti

Quanti apud Patres fuerit semper nomen Ecclesiæ Catholicæ. *Disp. 7. sect. 8. n. 5.*
Perpetua Episcoporum in Ecclesiâ Romana successio. *Ibidem, num. 7.*
Quod Ecclesia definit, Deus dicit per Ecclesiam. *Disp. 12. sect. 7. n. 2.*
Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. *Ibidem, n. 3.*
Dicinè possit, *Credo in Ecclesiam. Disp. 16. sect. 3. n. 9. & 10.*
Quinam in Ecclesiâ contineantur. *Disp. 21. sect. 2.*
Quid de hæreticis & schismaticis hac in re censendum. *Ibidem, sect. 2. n. 6 & 7.*
Variè ostenditur, Ecclesiam esse visibilem. *ibid. Sect. 3.*
Ecclesia errare non potest. *ibidem, n. 4.*
De Ecclesiâ repræsentativâ, seu Conciliis. *Ibidem, sect. 4.*

EPISCOPUS.

Utrùm Episcopatus sit Ordo in eo quod superaddit Sacerdotio. *Disp. 101. sect. 1. n. 4.*
Cur Episcopatus non censeatur absolutè diversus Ordo à Sacerdotio. *Ibidem, num. 5.*
Episcopi potestatem Ordinis simpliciter habent Presbyteris majorem. *Ibidem, num. 6.*
Presbyteri in sacris Literis vocantur interdum Episcopi. *ibidem.*
Hæc tamen duo officia sunt maximè distincta. *Ibidem.*
Episcopi sunt Presbyteris superiores. *ibidem.*
Certum est Episcopatum esse Sacramentum. *ibid. num. 7.*
Ordinaria potestas conferendi omnes Ordines est in Episcopo. *Disp 101. sect. 2. n. 1.*
Ad Episcopi consecrationem requiri videntur tres Episcopi. *Ibidem, n. 4.*
Quid in casu necessitatis. *ibidem.*

ERASMUS.

Nostri temporis Sectarios describit. *Disp. 7. sect. 5. n. 4.*
Ridiculum Erasmi dictum. *Disp. 10. sect. 3. n. 7. Disp. 15. sect. 2. n. 2.*

ERROR.

Utrùm Deus infundere possit errorem. *Disp. 10. sect. 5. n. 2.*
Duobus modis intelligi potest Deum infundere errorem. *ibidem, num. 4.*
Quædam turpitudo moralis in errore inveniatur. *ibidem, n. 6.*
Non actum tantùm, sed nec habitum erroris infundere cuiquam potest Deus. *ibidem n. 7.*
Infundere similiter nequit Deus habitum vitiosum. *Ibidem, n. 9.*
Habitus erroris & vitiosi sunt in duplici genere. *ibidem, n. 10.*
Quamvis habitus erroris possit à solo Deo conservari, non tamen potest ab eo solo produci. *Ibidem, sect. 6. n. 2.*
Argumenta contendentia posse Deum infundere habitum erroris, & vitii. *Ibidem, sect. 6.*
Error circa caput Ecclesiæ est error fundamentalis. *Disp. 22. sect. 3. n. 7.*
Quæ propositio inter Theologos censeatur erronea. *Disp. 26. s. 3. n. 3.*
De propositione erroneâ, hæreticâ, &c. *ibid. sect. 3.*

EUCHARISTIA.

Dari Sacramentum Eucharistiæ, fide certum est. *Disp. 71. sect. 1. per totam.*
Differentia secundùm Patres inter panem catechumenorum, & sacro-sanctam Eucharistiam. *Ibidem, num. 7.*
In quo Eucharistiæ Sacramentum consistat. *ibid. sect. 2.*
Præter corpus & sanguinem Christi includit panis & vini species. *ibidem, n. 3. & 8.*
Utrùm includat intrinsecè verba consecrationis. *ibidem, n. 5. & sect. 3. num. 14. & 15.*
Quid in Sacramento Eucharistiæ importetur in recto, quid in obliquo. *ibidem, sect. 2. n. 12.*
Quid directè importetur, quid indirectè. *ibidem, num. 16.*
Sumptio Eucharistiæ non est pars hujus Sacramenti. *ibidem, sect. 3. & sequent.*
Sumptio tamen est conditio ut conferat gratiam. *ibidem, n. 8.*
Consecratio etiam propriè non est pars hujus Sacramenti. *Ibidem, num. 10.*
Quomodo Sacramentum Eucharistiæ sit unum numero & specie. *ibidem, sect. 4.*
Sermo tantùm est de unitate morali. *Ibidem, n. 2.*
Utraque species est convivium quoad effectum, non quoad modum. *Ibidem, n. 6.*
Hominibus etiam defunctis nonnulli dabant Eucaristiam. *Disp. 72. sect. 1. num. 2.*
Quid in Eucharistia denotetur nomine corporis. *Disp. 75. sect. 4. num. 4, & sequent.*

Eucharistiæ necessitas.

Sitnè sumptio Eucharistiæ medium necessarium ad salutem. *Disp 72. sect. 1.*
In quo necessitas medii differat à necessitate præcepti. *Ibidem, n. 5.*
Sumptio Eucharistiæ parvulis non est ad salutem necessaria. *Ibidem, n. 7.*
Votum Eucharistiæ duobus modis intelligitur. *ibidem, num. 8.*
Quâ necessitate teneantur adulti sumere hoc Sacramentum. *Ibidem, sect. 2.*
Quo sensu dicat Scriptura Eucharistiæ sumptionem esse ad salutem necessariam. *Ibidem, n. 10.*

Materia remota hujus Sacramenti.

Gnosticorum, Artotyritarum & Cataphrygum hac de re errores. *Disp. 73. sect. 1. n. 1.*
Error Aquariorum. *ibidem, n. 2.*
Ophitharum abusus. *Ibidem, num. 3.*
Materia hujus Sacramenti remota sunt panis & vinum. *Ibidem, n. 4.*
Hac de causâ dicebant Ethnici Christianos colere Cererem & Bacchum. *Ibidem.*
Panis hic esse debet triticeus. *Ibidem, n. 6.*
Quid de siligine, speltâ, orizâ, milio, &c. sentiendum. *Ibidem, n. 7. & 8.*
Quid de massâ crudâ, aut aquâ elixâ. *Ibidem, num. 9.*
Tam panis azymus, quàm fermentatus est materia apta consecrationis. *Ibidem, n. 11.*
Varia inquiruntur circa vinum. *Ibidem, n. 13.*
Quid de vino congelato. *ibidem. n. 14.*
Ostenditur Christum consecrasse in azymo. *Disp. 73. sect. 2.*

Aquâ antè consecrationem est vino permiscenda. *Ibidem, sect. 3. n. 2.*
Non tamen ex præcepto divino. *Ibidem, n. 4.*
Utrùm hæc aqua immediatè convertatur in sanguinem. *Ibidem, n. 8. & sequent. & sect. 4 & 5.*

Approximatio materiæ remotæ Sacramenti Eucharistiæ.

Certum est materiam esse debere moraliter præsentem. *Disp. 73. sect. 6. n. 1.*
Utrùm consecrari possint hostiæ in pixide clausâ, aut à tergo positæ, &c. *Ibidem, & n. 2.*
Quid de mole ingentis magnitudinis, & minimis particulis sentiendum. *Ibidem, n. 3. 4, & 5.*
Sacerdos consecrans determinare sibi debet certam materiam. *Ibidem, n. 6.*
Quænam intentio in consecratione hostiæ sit optima. *ibidem, n. 7.*

Præsentia Christi in Eucharistiâ.

Fide certum est totum Christum sub utraque specie contineri. *Disp. 75. sect. 1. num. 3.*
Sub singulis etiam specierum partibus divisis est totus Christus. *ibidem, n. 4.*
Dicunt aliqui Christum semel tantùm, & commensurative esse in Sacramento. *ibid. n. 5.*
Volunt alii Christum esse totum in quibusdam partibus, non in omnibus. *Ibidem, n. 7.*
Christus est totus in totâ hostiâ, & totus in qualibet ejus parte. *Ibidem, n. 12. & sequent.*
Christus etiam præsens totus est sub singulis hostiæ indivisibilibus. *Ibidem, sect. 2, per totam.*
Utrùm hæc Christi præsentia sub speciebus sit indivisibilis, an divisibilis. *Ibidem, sect. 3.*
Partes Christi in Eucharistia retinent figuram organicam, non situalem. *Ibidem, n. 9, & 10.*
Habent hæ partes inter se distantiam quantitativam, non localem. *ibidem, n. 11.*
Non possunt naturaliter dividi. *ibidem, n. 12.*
Quid sub speciebus ponatur ex vi verborum, quid per concomitantiam. *Ibidem, sect. 4.*
Quid sit his modis poni. *Ibidem, n. 3.*
Si aliquis ex Apostolis verba consecrationis in triduo protulisset, quid positum fuisset sub speciebus. *Ibidem, n. 12.*

De iis quæ agere, aut pati potest Christus in hoc Sacramento.

Possitnè Christus ut in hoc Sacramento moveri, vel alterari. *Disp. 76. sect. 1. n. 1.*
Motis speciebus verè movetur Christi corpus in Eucharistiâ, *ibidem. n. 2.*
Nullum agens corporeum potest directè & immediatè movere corpus Christi in Eucharistiâ. *Ibidem, n. 4.*
Possitnè Christus movere se in hoc Sacramento. *ibidem, n 5.*
Quid de alteratione. *Ibidem, n. 6.*
Utrùm possit Christus ut in hoc Sacramento videre, audire, &c. *ibidem, n. 12.*
Actus intellectus elicere potest à sensibus independentes. *ibidem, n. 15.*
Utrùm corpus Christi ut in hoc Sacramento cerni possit oculo corporeo. *ibidem, sect. 2.*
Apparitiones variæ quæ in hoc Sacramento cerni solent. *ibidem, sect. 3.*
Quid quando ex confossis hostiis defluit sanguis. *ibidem, sect. 3. n. 12.*
Quid faciendum Sacerdoti cui hujusmodi aliquâ mutatio in Sacro contingeret. *ibidem, n. 13.*

De sumentibus Eucharistiam.

Quinam sumere possint hoc Sacramentum. *Dis. 79. sect. 1.*
Duplex est Sacramenti hujus usus, Sacramentalis, & Spiritualis. *ibidem, n. 1. 2. & 3.*
Hominibus institutum est hoc Sacramentum. *ibid. num. 4.*
Bruta materialiter tantùm illud sumere possunt, non formaliter. *Ibidem.*
Quid de Angelis, præsertim si assumant corpora. *Ibidem, n. 5.*
Parvuli baptizati fructus hujus Sacramenti sunt capaces. *ibidem, num. 7.*
Olim iis dabatur. *ibidem, num. 8.*
Cur modò non detur. *ibidem, num. 9.*
Quid dicendum de amentibus. *ibidem, n. 10.*
Quibus amentibus danda sit Eucharistia in articulo mortis. *Ibidem.*
Danda Energumenis interdum Eucharistia. *D. 79. sect. 1. num. 12.*
Non baptizatus, etiamsi sit justus, peccat accedendo ad Eucharistiam. *Ibidem, s. 2. n. 1.*
Conscius peccati mortalis, si accedere cupiat ad Eucharistiam debet confiteri si possit. *ib. n. 2.*
Quale sit præceptum confitendi ante communionem. *ibidem, num. 5. & seq.*
Qui ad sacram Synaxin accedit, esse debet jejunus. *Ibidem, num. 14*
Alia multa circa jejunium ante communionem *Ibidem, n. 15. & 16.*

Eucharistiæ effectus.

Effectus, quos confert Eucharistia sunt in duplici genere. *Disp. 80. s. 1. n. 2.*
Effectus aliqui ex hoc Sacramento, etiam in sumentium corpora redundant. *ibid. n. 3. & seq.*
Quinam effectus ab Eucharistiâ in sumentium animas deriventur. *ibidem, n. 7.*
Quando hoc Sacramentum conferat gratiam. *ib. num. 10. & 11.*
Non augetur gratia toto tempore quo species manent in stomacho. *ibidem, num. 13.*
An utraque species plus gratiæ conferat quàm una, *Ibidem, sect. 2.*
Utravis species figillatim sumpta æqualem confert gratiam. *ibidem, num. 2.*
Tam panis quàm vini species eundem conferunt effectum. *ibidem, num. 3*
In spiritualibus non est aliud fames quàm sitis. *ib.*
Quævis gratia utramque extinguit. *ibid. n. 7.*
Aliud est de gratiâ in susceptione ordinum collatâ. *ibidem.*
Quid si quis hostiam in triduo consecratam tunc sumpsisset. *ibidem, num. 11.*
Quando is, qui sub utrâque specie communicat recipiat gratiam. *Ibidem, num. 12.*
De privilegio Regi Galliæ hac in re concesso. *ib.*

Eucharistiæ minister.

Ordinarius Eucharistiæ minister est Sacerdos. *Disp. 81. s. 2. n. 14.*
In casu necessitatis Diaconus. *ibidem.*
Quid de laico, præsertim de fœminâ existimandum. *ibidem.*

EVIDENTIA.

Darinè possit evidentia in attestante. *Disp.* 11. *s.* 2.
Evidentia divinæ attestationis haberi potest extra visionem beatificam. *ibidem, n.* 6.
Evidentia in attestante tollit obscuritatem Fidei. *ibidem, sect.* 3. *n.* 4.
Utrùm stare possit actus Fidei cum evidentiâ in attestante. *Ibidem, sect.* 4.
Utrùm aliquis in via habuerit evidentiam in attestante. *Disp.* 11. *sect.* 5. *&* 6.
Quòd medium sit extrinsecum, non obstat quin conclusio sit evidens. *Disp.* 11, *sect.* 3. *n.* 7.
Evidentia in attestante est evidentia simpliciter. *Ibidem, n.* 9.
Ab hac evidentiâ æquè necessitatur intellectus, atque ab ullâ aliâ. *Ibidem.*
Utrùm Fides possit esse evidens in attestante. *Disp.* 11. *sect.* 3.
Possitnè actus Fidei esse evidens in attestato. *Ibid. sect.* 7.

EUTICHES.

Acriter impugnans Nestorium in aliam hæresim incidit. *Disp.* 48. *sect.* 2. *n.* 5.
Confusionem ponebat divinæ & humanæ naturæ. *Ibidem.*
Eum secuti sunt Achephali. *Ibidem.*
Eutichetis hæresis pluribus divini Verbi testimoniis confutatur. *Ibidem, n.* 7.
Damnatus fuit Eutiches in Concilio Chalcedonensi. *Ibidem, n.* 8.

EXCOMMUNICATIO.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio. *Disp.* 99. *sect.* 3. *n.* 1
Quinam excommunicati sint vitandi. *Ibidem.*
Per quas actiones incurratur excommunicatio percussionis clerici. *ibidem, n.* 2.
Quis hîc intelligatur nomine clerici. *ibidem.*
Quid si quis clericum volentem cædat. *ibidem.*
Mandantes & consulentes, hanc excommunicationem incurrunt. *ibidem, n.* 3.
Quale peccatum sit communicare cum excommunicato vitando. *ibidem, n.* 4.
In quibus casibus cum eo communicare liceat. *Ibidem.*
An, & quomodo excommunicati priventur suffragiis Ecclesiæ. *Ibidem, n.* 5.
Utrùm reddantur inhabiles ad beneficia Ecclesiastica. *ibidem, n.* 6.
Num priventur jurisdictione & commercio forensi, ac civili. *Ibidem.*
Quo pacto privetur excommunicatus divinis Officiis, & Ecclesiasticâ sepulturâ. *Ibid. num.* 7.
Qua ratione privetur usu activo & passivo Sacramentorum. *ibidem, n.* 8.
Quid sit excommunicatio minor, & quos effectus habeat. *Ibidem, n.* 9.
Quis ab eâ possit absolvere. *ibidem.*

EXTREMA-UNCTIO.

A Christo fuit hoc Sacramentum institutum. *Disp.* 100, *sect.* 1. *n.* 1.
Fuit à sancto Jacobo promulgatum. *Ibidem.*
Extremæ-Unctionis effectus. *Ibidem, n.* 3.
Hoc Sacramentum interdum confert primam gratiam. *Ibidem.*
Materia proxima hujus Sacramenti est unctio; remota oleum olivæ. *ibidem, n.* 4.
A quo debeat hoc oleum benedici. *ibidem.*
Hujus Sacramenti forma. *ibidem, n.* 5.
Quibus possit administrari. *ibidem, n.* 6.
Potest Extrema-Unctio iterari. *ibidem, n.* 7.
Utrùm in eodem morbo. *ibidem.*
Quæ sit obligatio hoc Sacramentum suscipiendi, & administrandi. *ibidem, n.* 8.
Quot & quæ unctiones sint de essentiâ hujus Sacramenti. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 1. *&* 2.
Utrùm quælibet partialis unctio statim conferat gratiam. *ibidem, n.* 3
Nulla unctio in particulari videtur de essentiâ hujus Sacramenti. *ibidem, n.* 5.
Quinque illæ unctiones nunquam licitè omittuntur. *ibidem, n.* 6.

F

FICTIO.

QUid nomine fictionis intelligatur. *Disp.* 66. *sect.* 1. *n.* 2.
Fictio materialis, & formalis. *Ibidem.*
Nulli prodest, sed maximè nocet fictio. *ibid. sect.* 3. *num.* 15.
Peccatum fictionis remitti nequit per solum Baptismum revivíscentem. *Ibidem, sect.* 4. *n.* 1.
Peccatum fictionis directè & per se spectat ad pœnitentiam. *ibidem, sect.* 5. *n.* 8.
Peccatum fictionis est peccatum subjectum clavibus. *ibidem, n.* 13.
Peccatum fictionis sequitur impressum characterem baptismi. *Ibidem, sect.* 6. *n.* 2.

FIDES.

De Fide secundùm se.

Fidem dari, planè est indubitatum. *Disp.* 1. *sect.* 1. *num.* 1.
Variæ Fidei acceptiones. *Ibidem, n.* 2.
Fides pro fiduciâ. *Ibidem, n.* 4.
Præcipua Fidei usurpatio. *Disp.* 1. *sect.* 2.
Fides est actus intellectus. *Ibidem, n.* 3.
Eadem semper fuit in Ecclesiâ Fides. *Disp.* 2. *s.* 5. *num.* 2.
Primarii quidam viri omni Ecclesiæ tempore habuerunt Fidem Christi explicitam. *Ibidem, n.* 3.
Quid sit Fidem esse Catholicam. *Disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 10.
Quænam revelatio requiratur ad actum Fidei, privata an publica. *Ibidem, sect.* 4.
Quo sensu Patres initium meriti tribuant Fidei. *Disp.* 5. *sect.* 7. *n.* 10.
Qua ratione Fides sit *sperandarum substantia rerum.* *Disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 6.
Fides de infidelitate, hæresi, & dæmone victrix. *Disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 3.
Quid sit Fides universalis, quid particularis. *Disp.* 16. *sect.* 2. *n.* 1.
Quænam sit recta Fidei definitio. *Ibidem, n.* 3. *& sequent.*
Qua ratione differant *Credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. ibidem, sect.* 3.
Utrùm Fides sit virtus intellectualis. *Disp.* 17, *sect.* 1. *n.* 4.

Objectum materiale Fidei.

Quænam intra objectum materiale Fidei contineantur. *Disp. 2. sect. 2.*
Omnia objecta Fidei sunt æqualiter vera. *Ibidem, num. 5.*
Objectum attributionis Fidei. *Disp. 2. sect. 2.*
Deus est objectum attributionis Fidei. *Ibidem, num. 6. & sect. 3. per totam.*
Idque Deus ut Deus. *sect. 3. n. 6.*
Nullum attributum præ alio potest esse objectum attributionis Fidei. *ibidem.*
Utrùm inter objecta Fidei sit aliquis ordo. *Disp. 2. sect. 6.*
Objectum attributionis Fidei est prius dignitate. *Ibidem, n. 8.*
Duplex objectorum Fidei genus. *Disp. 3. sect. 1. num. 5.*

Objectum formale Fidei.

Hæreticorum quorundam error circa objectum formale Fidei. *Disp. 3. sect. 1. n. 1.*
Objectum formale est Deus. *Ibidem, n. 6.*
Non ut supremus dominus, sed ut verax. *Sect. 2. num. 5.*
Quo pacto Deitas sit ultima ratio credendi. *Disp. 3. sect. 3. n. 1.*
Revelatio spectat ad objectum formale Fidei. *Disp. 4. sect. 2.*
Sitnè Ecclesiæ auctoritas simpliciter dicenda objectum formale Fidei. *Disp. 6. sect. 3. n. 3.*

Fidei resolutio.

Præcipuè hac in re curandum ut vitetur circulus. *Disp. 6. sect. 1. n. 1.*
Rejicitur sectariorum error Fidem resolventium in privatum spiritum. *ibidem, n. 4. & sequent.*
Resolvi ultimò nequit Fides in auctoritatem humanam Ecclesiæ. *Ibidem, sect. 2. n. 1.*
Quid dicendum de resolutione Fidei in divinam Ecclesiæ auctoritatem. *Ibidem, n. 2.*
Non resolvitur Fides in principia evidentia. *ibid. num. 5.*
Verus Fidem resolvendi modus. *Disp. 6. sect. 3.*
Quo sensu resolvatur ultimò Fides in divinam auctoritatem Ecclesiæ. *Ibidem, n. 4.*
Assensus Fidei quo pacto resolvatur in motiva credibilitatis. *Ibidem, n. 6.*

Certitudo Fidei.

Triplicis certitudinis declaratio. *Disp. 9. sect. 1. n. 2.*
Certitudo adhæsionis & infallibilitatis. *ibidem, num. 5.*
Ex duplici capite oritur certitudo adhæsionis *Ibid. num. 6.*
Declaratur certitudo infallibilitatis. *Ibidem, n. 7.*
Sitnè Fides certior scientiâ ullâ naturali. *Disp. 9, sect. 2.*
Lumen naturale per lumen Fidei corrigitur. *ibid. num. 7.*
Quantâ firmitate fideles adhæreant Fidei. *Ibidem, sect. 3. n. 1.*
Certitudo Fidei in se, & quoad nos. *Disp. 9. sect. 4.*
Sitnè Fides certior visione beatificâ. *ibidem, n. 7.*
Unde proveniat certitudo infallibilitatis in actu Fidei. *ibidem, sect. 5. n. 7.*
Ad applicationem materiæ Fidei sufficit certitudo moralis. *Disp. 12. sect. 5. n. 8.*

De veritate actus Fidei.

Utrùm actus Fidei sit essentialiter verus. *Disp. 10. sect. 1. & 2.*
Per solam supernaturalitatem non constituitur actus Fidei essentialiter verus. *Ibidem, sect. 1. num. 6.*
Actus Fidei Theologicæ est essentialiter verus. *Ibidem, sect. 2. n. 1.*
Actus Fidei nequit tendere in revelationem apparentem. *ibidem, n. 5.*
Fidei divinæ nequit subesse falsum. *Disp. 10. sect. 3. & 4.*
Possitnè actus Fidei divinæ concurrere partialiter ad actum falsum. *ibidem, sect. 5. n. 1.*

Obscuritas Fidei.

Duobus modis intelligi potest Fidem esse obscuram. *Disp. 11, sect. 1. n. 4.*
Ostenditur actum Fidei à suo medio excludere evidentiam. *ibidem, n. 5.*
Patres docent Fidem esse obscuram. *ibidem, n. 8.*
Ratio cur Fides sit obscura. *ibid. n. 10.*
Fides est argumentum non apparentium. *Disp. 12. Sect. 2. n. 6.*

De discursu Fidei.

Utrùm Fides sit discursiva. *Disp. 12. sect. 1.*
Præcipua ratio cur Fides non sit discursiva. *ibid. num. 5.*
Actus ex duabus præmissis deductus non est actus Fidei. *Ibidem.*
Actus Fidei immediatè attingere debet revelationem. *ibidem. n. 7.*
Experientiâ constat eodem actu ferri nos in revelationem & mysterium. *Ibidem, n. 8.*
Argumenta contendentia Fidem esse discursivam. *Disp. 12. sect. 2.*
Fides non solùm non est discursus formalis, sed nec virtualis. *ibidem, n. 5.*
Fides etiam humana propriè dicta generatur absquè discursu. *Ibidem, n. 7.*
An quando utraque, vel una præmissa est de Fide conclusio objectiva sit de Fide. *Disp. 12. sect. 3.*
Si reveletur aliquem esse hominem, eo ipso revelatur esse animal rationale. *ibidem. sect. 4. num. 4.*
Quid si præmissa universalis sit de Fide. *ibidem, sect. 5. n. 2.*
Conclusio objectiva ex unâ præmissâ de Fide, & aliâ naturali non est de Fide. *ibidem, sect. 6. num. 2.*
Objectum conclusionis secutæ ad duas præmissas de Fide, est de Fide. *ibidem, sect. 7. n. 6.*
Conclusio tamen formalis non est de Fide. *ibid. num. 8.*

Fidei supernaturalitas.

Ad credendum prout oportet ad salutem specialis aliqua gratia requiritur. *Disp. 13. sect. 1. n. 3.*
Supernaturalitas quoad substantiam, & quoad modum. *ibidem, n. 1. & 5.*
Varia circa supernaturalitatem actus. *ibidem.*
Actus Fidei divinæ est supernaturalis quoad substantiam. *ibidem, sect. 2. n. 1.*

Actus naturalis & supernaturalis non semper distinguuntur ex parte objecti formalis. *Ibid. num.* 3. *& sequent.*
Idem Fide naturali & supernaturali credi potest. *Ibidem, n* 7. *& sect.* 3. *per totam.*
Scriptura, Concilia, & Patres docent actum Fidei esse in substantiâ supernaturalem. *Ibidem, sect.* 4. *n.* 2. *&* 3.
Habitus supernaturales arguunt dari actus supernaturales. *Ibidem, sect.* 5.
Dari habitus in entitate supernaturales ostenditur. *Ibidem, sect.* 5. *n.* 2. *& seq.*
Judicium de credibilitate rei credendæ est in substantiâ supernaturale. *Ibidem, sect.* 7. *num.* 1. *& sequent.*
Idem de actu voluntatis imperante assensum supernaturalem Fidei. *Ibidem, n.* 4.
Pia etiam affectio est supernaturalis. *Disp.* 14, *sect.* 4. *n.* 1.

Libertas actus Fidei.

Utrùm actus Fidei sit liber. *Disp.* 14, *sect.* 1. *num.* 1.
Idque tam respectu specificationis, quàm exercitii. *Ibidem, sect.* 2. *n* 2.
Duo objectorum genera in omni assensu Fidei interveniunt. *Ibidem. n.* 9.
Cur ante assensum voluntatis non credat intellectus. *Ibidem, n.* 11.
Quare mysteria Fidei non necessitent ad assensum. *Ibidem, n* 15
Ad Fidem etiam humanam requiritur motio voluntatis. *Ibidem, sect.* 3. *n.* 1.
Non ad primum tantùm, sed etiam sequentes actus Fidei requiritur determinatio voluntatis. *Ibidem, n.* 3.

Necessitas Fidei ad salutem.

Duplex necessitas, *medii* & *præcepti. Disp.* 15. *sect.* 1. *n.* 1.
Differentia inter ea quæ necessaria sunt necessitate *præcepti* & *medii. Ibidem.*
Nonnulla utrâque necessitate requiruntur. *Ibid. num.* 2.
Quid hac in re censendum de Fide actuali, in adultis. *Ibidem, n.* 3. *& sequent.*
Ratio cur Fides actualis supernaturalis sit ad salutem necessaria. *Ibidem, n.* 7.
Quorumnam mysteriorum Fides sit ad salutem necessaria. *Ibidem, sect.* 2.
Tria quoad Fidei articulos distinguenda sunt tempora. *Ibidem, n.* 2.
Quid censendum de Fide Christi. *Disp.* 15. *sect.* 3.
Christus ante ejus adventum non nisi obscurissimè cognoscebatur. *Ibidem, n* 2.
Quid de Fide Christi post promulgatum Evangelium. *Ibidem, sect.* 4.
Articuli Fidei non simul omnes, sed successivè proponuntur. *ibidem, n.* 5.
Quid de Fide explicitâ Trinitatis. *Ibidem, sect.* 5.
De Fide Dei ut remuneratoris. *Ibidem, sect.* 6.
Quæ rerum creatarum Fides requiratur. *Ibidem, num.* 12.

De actu Fidei.

Utrùm actus Fidei distingui possint specie. *Disp.* 16. *sect.* 1. *n.* 1.
Etiam ratione objecti formalis distinguuntur specie. *Ibidem, n.* 2.
Sintnè actus Fidei speculativi, an practici. *Ibidem, num.* 3.
Idem actus Fidei divinæ potest esse practicus & speculativus. *Ibidem, n.* 6.
Actus Fidei hominis & Angeli differunt specie *Ibidem.*

De habitu Fidei.

Datur habitus Fidei, tum supernaturalis, tum naturalis. *Disp.* 17. *sect.* 1. *n.* 1. *&* 2.
Utrùm Fides sit virtus intellectualis. *Ibidem, n.* 4. *& sequent.*
Sitnè habitus Fidei ejusdem speciei. *Ibidem, sect.* 2. *num.* 2.
Utrùm sit indivisibilis. *Ibidem, n.* 4.
Habitus Fidei habet se per modum potentiæ. *Ibidem, n.* 8.
Habitus Fidei infunditur interdum sine gratiâ habituali. *Ibidem, sect.* 3. *n.* 4.

De amissione Fidei.

Fides non amittitur nisi per peccatum, & quale. *Disp.* 18 *sect.* 1. *n.* 1. *&* 2.
De Fide vivâ & mortuâ, formatâ & informi. *Ibid. num.* 8. *& seq.*
Fidei habitum non tollit actus nisi deliberatus. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 1.
Per actum hæresis amittitur Fides. *Ibidem, n.* 3. *& sequent.*
Utrùm actus hæresis tollat physicè habitum Fidei infusæ. *Disp.* 18 *sect.* 3. *n.* 2. *&* 3.
Aliud hac in re est de Fide acquisitâ, aliud de infusâ. *Ibidem, n.* 8.
Utrùm obstinatè discredens uni articulo, habere possit Fidem circa alios. *Ibidem, sect.* 4 *&* 5.
Quid quando duo articuli proponuntur per diversa organa adæquata. *Ibid. sect.* 4. *n.* 8.
In illo triduo Apostoli Fidem Christi non amiserunt. *Ibidem, sect.* 5. *n.* 3.

De subjecto Fidei.

Viatores omnes, per se loquendo sunt Fidei capaces. *Disp.* 19, *sect.* 1. *n.* 1.
Utrùm Angeli in viâ habuerint Fidem. *Ibidem, num.* 2 *& seq.*
Primi parentes in statu innocentiæ habuerunt Fidem. *Ibidem, n.* 6.
Idem dicendum de animabus in Purgatorio. *Ibid. num.* 7.
Quid dicendum de existentibus olim in Limbo Patrum, & nunc in Limbo puerorum. *Ibidem. num.* 8.
Utrùm in Beatis sit, vel esse possit Fides. *Disp.* 19. *sect.* 2. *&* 3.
Ratio cur in Beatis esse nequeat Fides actualis. *sect.* 2. *n.* 7.
Habitus etiam Fidei de facto non est in Beatis. *Ibidem, n.* 8.
Visio beatifica pugnat immediatè cum actu Fidei, lumen gloriæ mediatè cum habitu Fidei. *ibid. num.* 9.

Per

Per divinam potentiam dari in Beatis potest & actus Fidei, & habitus. *Ibidem, n.* 12.
Dæmones credunt & contremiscunt, quomodo intelligendum. *ibidem. n.* 6.
Fides dæmonum est naturalis & necessaria. *ibid. num.* 8.

De augmento Fidei.

Fides est major in uno quàm in alio. *Disp.* 19. *sect.* 4. *n.* 1.
Idque tum ex parte objecti, tum subjecti. *Ibidem.*
Unde procedat major firmitas in credendo. *Ibid. num.* 3.
Augeri potest habitus Fidei quoad intensionem. *Ibidem, n.* 6.
Per actus etiam informes augetur habitus Fidei. *ibidem, sect.* 5. *n.* 2.
Intensior in justo esse potest habitus supernaturalis Fidei, quàm alii habitus. *ibidem, n.* 3.
Utrùm habitus infusus Fidei & Spei in peccatore interdum minuantur. *ibidem, n.* 4.
An augeatur per actus habitu remissiores, & an physicè. *ibidem, n.* 6 & 7.
Cur Fides debilior sit in peccatore, quàm in justo. *ibidem, n.* 12.

De regulis Fidei.

Regula Fidei est Scriptura. *Disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 5.
Quo pacto sit Scriptura regula uniformis. *ibid. sect.* 2.
Sintnè Traditiones regula infallibilis Fidei. *ibidem, sect.* 3.
Ad res Fidei viva aliqua regula requiritur. *Disp.* 21. *sect.* 1.

FOEMINA.

Non est capax susceptionis Ordinum. *Disp.* 101. *sect.* 2. *n.* 5.
Montanistæ olim erant infames, quòd fœminas haberent Sacerdotes. *Ibidem.*
Quænam antiquitus erant Diaconissæ, & quodnam earundem officium. *ibidem.*
Cur quædam olim dicebantur Episcopæ, & Presbyteræ. *ibidem.*
Variè ostenditur fœminam non esse aptam quæ ordinetur. *ibidem, n.* 6.

G

GRATIA HABITUALIS.

VTrùm ex gratiâ habituali crescat meritum. *Disp.* 38. *sect.* 7.
Dignitas personæ moraliter in opera omnia meritoria influit. *ibidem, n.* 3.
Gratia habitualis reddit hominem filium Dei adoptivum. *ibidem, n.* 5.
Deus præmium reddit operibus, non physicè, sed moraliter sumptis. *ibidem, sect.* 8. *n.* 2.
Quòd gratia significet actus, non sequitur in iis meritum infinitum. *ibidem, n.* 12.
Rationem meriti non potest præmium ingredi. *ibidem, n.* 13.
Circumstantia personæ ignorata potest refundere bonitatem in actum. *ibidem, n.* 15.
Ex pluribus tamen peccatis non accrescit malitia actui peccaminoso. *ibidem, n.* 17.
Gratia habitualis quo pacto reddat nos filios. *Disp.* 60, *sect.* 2. *n.* 10.
Quid sit gratia Sacramentalis. *Disp.* 64. *sect.* 5. *num.* 4.
Habitus supernaturales sequuntur intensionem gratiæ. *Ibidem, n.* 5.

H

HABITUS.

OStenditur dari habitum supernaturalem Fidei. *Disp.* 13. *sect.* 5. *n.* 2.
Dicunt multi appellandum esse donum Dei, non habitum. *ibidem.*
Probatur dari hujusmodi dona, seu habitus supernaturales. *ibidem, n.* 3.
Habitum, seu principium permanens Fidei, in justificatione nobis infundi, Fide certum est. *ibidem, n.* 4.
Concilium Tridentinum asserit dari dona permanentia Fidei, Spei, & Charitatis. *ibidem, n.* 5.
Amissa gratia permanet Fides. *ibidem, n.* 6.
Cur in peccatore non permaneant habitus infusi morales. *ibidem, n.* 8.
Habitus infusi non producuntur physicè, ab actibus supernaturalibus. *Disp.* 19. *sect.* 5. *num.* 8. *& sequent.*

HÆRESIS.

Quid nomine hæresis intelligatur. *Disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 1.
Hæresis propriè sumptæ definitio. *Ibidem, n.* 3.
Ad hæresim quæ, & qualis pertinacia requiratur. *Ibidem, n.* 4.
Unico momento committi potest peccatum hæresis. *ibidem.*
Sintnè omnia peccata hæresis in gravitate æqualia. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 1.
An deliberatè dubitans de Fide sit hæreticus. *Ibidem, n.* 3. 4 & 5.
Quid si quis actum opinativum circa res Fidei eliciat. *Ibidem, n.* 6.
De propositione *hæreticâ*, *erroneâ*, & similibus. *Ibidem, sect.* 3.
In quo erronea propositio distinguatur ab hæreticâ. *Ibidem, n.* 4 & 5.
Propositio sapiens hæresim. *Ibidem. n.* 6.
Propositio malè sonans, piarum aurium offensiva, temeraria, &c. *Ibidem, n.* 7 *& seq.*

HÆRETICUS.

Hærcticorum quorundam circa objectum formale Fidei error. *Disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 1.
Privatus hæreticorum spiritus. *Disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 2. & *Disp.* 6. *sect.* 1.
A sanctitate longè abest doctrina hæreticorum. *Disp.* 7. *sect.* 5.
Horrenda hæreticorum blasphemia. *Ibidem, num.* 2.
Nostri temporis Sectarios describit Erasmus. *ibidem, n.* 4.
Infœliciter miracula patrare tentaverunt. *ibidem, sect.* 6. *num.* 8.
Summa inter Sectarios in doctrinâ discordia. *Disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 5 & 6.

Nihil credendum esse docent Novatores, nisi quod evidenter cognoscitur. *Disp. 11. sect. 1. num. 1.*
Vanum hæreticorum commentum. *Disp. 6, sect. 1. num. 4.*
Sancti Patres spiritum habuerunt, sectariorum spiritui contrarium. *Ibidem, n. 9.*
Pessima hæreticorum nostri temporis consuetudo. *Disp. 18, sect. 1. n. 6.*
Hæretici non sunt in Ecclesiâ. *Disp. 21. sect. 2. n. 6*
Hæretici aliqui dicebant Deum aliquando fuisse mentitum. *Disp. 23. s. 1. n. 4.*
Lutheranorum error circa invocationem Sanctorum. *Disp. 29. sect. 9. n. 2.*
Hæretici pœnitentiam nihil aliud esse dicunt, quàm resipiscentiam. *Disp. 84, num. 4.*

HUMANITAS.

Humanitas Christi non existit per increatam existentiam verbi. *Disp. 49, sect. 1. n. 1 & sequent.*
Satisfit quorundam hac de re Sanctorum Patrum testimoniis. *Ibidem, n. 6.*
Varia notantur circa assumptionem humanitatis à Verbo. *Ibidem, sect. 4 & 5.*
Si humanitas Christi dimissa à Verbo, assumeretur ab aliâ personâ divinâ, esset absolutè alius homo. *Ibidem, sect. 4 n. 12.*
Utrùm humanitas Christi habeat modò appetitum ad subsistentiam propriam. *Disp. 50. sect. 6. num. 12.*

I

IGNORANTIA.

POssunt rudiores habere invincibilem veræ Fidei ignorantiam. *Disp. 10. sect. 3. n. 8.*

IMPANATIO.

In quo consistebat error impanationis. *Disp. 74. sect. 3. n. 11.*
Hujus erroris primus auctor fuisse videtur Rupertus. *Ibidem.*
Hic error clarè rejicitur ex Concilio Tridentino, & verbis Christi. *Ibidem, n. 12. & 13.*
Ex Patribus etiam & à ratione confutatur. *Ibidem, n. 14 & 15.*

IMPEDIMENTUM.

Vide Matrimonium.

INCARNATIO.

De possibilitate Incarnationis.

Solvuntur argumenta contra possibilitatem Incarnationis. *Disp. 40. sect. 2.*
Ex Incarnatione nulla sequitur naturarum confusio. *Ibidem, sect. 3. n. 2.*
Ex uno ente completo, & alio incompleto fieri potest unum per se. *Ibidem, sect. 3, n. 6.*
Incarnationi non obstat immutabilitas Dei. *Ibid. sect. 4.*
Varii modi declarandi quomodo Verbum non mutetur per unionem hypostaticam. *Ibidem, sect. 4 & 5.*
Vera ratio cur Verbum hic non mutetur. *Ibidem, sect. 5. n. 9. & sequent.*
Cur solus Filius fuit incarnatus. *Disp. 49. sect. 2. n. 6 & seq.*

De cognoscibilitate Incarnationis.

Certum est nullam contra Incarnationem confici posse demonstrationem. *Disp. 41. sect. 1, n. 1.*
Aliquid supra naturam cognosci potest actu planè naturali. *Ibidem, n. 2, & 3.*
Sine aliquâ revelatione cognosci nequit Incarnatio. *Ibidem, n. 4 & 5.*
Utrùm dæmon viderit in Christi humanitate negationem propriæ subsistentiæ. *Ibidem, sect. 2, num. 2, & 3.*
An cognoverit negationem unionis hypostaticæ esse tollibilem, *Ibidem, n. 6.*
Utrùm Angeli sciverint Incarnationem non implicare. *Ibidem, n. 7.*
Positâ revelatione quid facere circa hoc mysterium possit homo vel Angelus. *Ibidem, n. 8.*
Non cognovit Angelus Incarnationem ex potentia obedientiali humanitatis. *Ibidem, n. 9.*

De convenientiâ Incarnationis.

Divini Verbi Incarnatio fuit Deo convenientissima. *Disp. 42. sect. 1, n. 1.*
Valdè etiam conveniens fuit naturæ humanæ. *Ibidem, n. 2.*
Non est peculiaris convenientia, ut plures personæ Divinæ incarnentur. *Ibidem, n. 3.*
Conveniens etiam inprimis fuit Incarnatio universo. *Ibidem, n. 4.*

De necessitate Incarnationis ex parte Dei.

Aliis modis reparare humanum genus potuisset Deus, quàm per Incarnationem. *Disp. 42. sect. 1. num. 5 & 6.*
Quo sensu dicant nonnulli ex Patribus Incarnationem fuisse Deo necessariam. *Ibidem, sect. 1. num. 8.*
Neque ex eo quòd bonum sit communicativum sui, fuit Deo necessaria Incarnatio. *ibid. sect. 2.*
Quo sensu inclinatio innata Dei ad Incarnationem fuerit infinita. *Ibidem, n. 5.*
Deus nullâ re creatâ indiget ad suam gloriam obtinendam. *Ibidem, n. 6.*

De motivo Incarnationis.

Utrùm si homo non peccasset, Deus in humanâ carne venisset. *Disp. 46. sect. 1.*
Docent Patres Christum, nisi in remedium peccati omnino non fuisse venturum. *Ibidem, n. 9.*
Sacræ literæ Incarnationis causam assignant peccatum. *Ibidem, sect. 2.*
Dignior est hæc Verbi Incarnationem præfiniendi via. *Ibidem, n. 4.*
Majorem etiam hoc modo Deus in nos ostendit amorem. *ibid. & num. 8.*
Ad infinitam Dei virtutem ostendendam non fuit necessaria Incarnatio. *Ibidem, sect. 3, n. 1.*
Utrùm Incarnatio volita fuerit tantùm secundariò. *ibidem, n. 8.*
Ad tollendum peccatum originale principaliùs venit Christus. *Disp. 46. sect. 7. n. 12.*

De causâ meritoriâ Incarnationis.

Potueritnè Christi humanitas mereri unionem sui ad Verbum. *Disp. 47. sect. 1.*
Error Photini & Origenis circa meritum humanitatis Christi. *Ibidem, n. 1.*
Humanitas Christi non potuit condignè mereri unionem sui ad verbum. *Ibidem, n. 4.*
Anima unita Verbo mereri divinitus potest unionem corporis ad idem Verbum. *Ibidem, n. 6.*
Poterat divinitus fieri Incarnatio dependenter ab operatione humanitatis tanquam à conditione. *Ibidem, n. 7. & seq.*
Hæc conditio habere potest rationem meriti. *Disp. 47, sect. 2. per totam.*
Operatio tamen hæc non potest propriè dici operatio Christi. *ibidem, n. 7 & seq.*
Quomodo unio hypostatica, subjecto, in quo est, sit radix omnis meriti. *Ibidem, n. 13 & 14.*
Utrùm Patres antiqui meruerint circumstantias Incarnationis. *Disp. 47. sect. 6.*

INFALLIBILITAS.

Quid requiratur ad auctoritatem infallibilem. *Disp. 3, sect. 2. n. 5.*
Quis censeatur majoris auctoritatis. *Ibidem, n. 7.*
Unde primò probetur infallibilitas Ecclesiæ. *Disp. 6 sect. 4. n. 9.*
Infallibilitas, licèt negationem sonet, est tamen perfectio positiva. *Disp. 9, sect. 3. n. 6.*
Duplex radix infallibilitatis in actu Fidei. *Ibidem, sect. 5, n. 7 & 8.*
Actus sæpè est infallibilis, quamvis ejus infallibilitas non cognoscatur. *Ibidem, n. 8.*

INFIDELITAS.

Certum est dari peccatum infidelitatis. *Disp. 25. sect. 1. num. 1.*
Quando infidelitas est peccatum. *Ibidem, n. 2.*
Quis censetur infidelis. *Ibidem, n. 3 & 4.*
Quorundam mysteriorum dari potest invincibilis ignorantia. *Ibidem, n. 5.*
Quanta sit gravitas peccati infidelitatis. *Ibid. n. 7.*
Tres species infidelitatis, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. *Ibidem, sect. 2, n. 2.*
Omnes infidelium actiones non sunt peccata. *Ibidem, sect. 3.*

INJURIA.

An peccatum sit injuria stricta contra Deum. *Disp. 43. sect. 1.*
Utrùm scienti & volenti fieri possit injuria. *Ibidem, sect. 5. n. 7 & seq.*
Quæ sit voluntas, unde oritur obligatio justitiæ. *Ibidem, n. 9.*
Deus permittendo peccata, non tollit in iis conceptum injuriæ. *Ibidem, n. 12.*
In quibusdam casibus satisfactio statim facienda est Deo. *Ibidem, n. 13.*

INNOCENTES.

Sanctorum Innocentium martyrium mirè prædicant Sancti Patres. *Disp. 62, sect. 4, n. 3.*
Horum martyrii quorundam ex Patribus elogium. *Ibidem.*
Vocantur Proto-martyres. *Ibidem, n. 4.*
Quoad ablationem peccati, illorum martyrium comparatur baptismo. *Ibidem.*
Eorum festum sub titulo Martyrum celebrat Ecclesia. *Ibidem num. 6.*
Gratis quidam dicunt iis usum rationis fuisse acceleratum. *Ibidem, n. 7.*
Infantes ante usum rationis baptizati æqualem in baptismo gratiam accipiunt. *Disp. 64. sect. 7. num. 1.*

INTENTIO.

Quæ intentio ministri ad Sacramentorum confectionem requiratur. *Disp. 63. sect. 3.*
Sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia. *Ibidem, n. 6.*
Varia annotantur circa intentionem conficiendi Sacramentia. *Ibidem, n. 7.*
Quid existimandum de intentionibus contrariis, sicubi intervenirent. *Ibidem, n. 9.*
Quæ intentio reddat Sacramentum absolutè invalidum. *Ibidem.*
Quid si quis intendat baptizare, sed non conferre effectum Sacramenti. *Ibidem, n. 12.*
Quadruplex distingui solet intentio. *Ibidem, n. 13.*
Actualis intentio optima est ad conficienda Sacramenta. *Ibidem, sect. 3. n. 18.*
Sufficit tamen nonnunquam virtualis. *Ibidem.*
Quid censendum de Sacramento collato sub conditione. *Ibidem, sect. 4. n. 3.*
Intentio de conditione de futuro duobus modis sumi potest. *Ibidem, n. 4.*
De intentione ex parte suscipientis Sacramenta. *Ibidem, sect. 5.*

INTERDICTUM.

Quid, & quotuplex sit interdictum. *Disp. 99. sect. 5, num. 1.*
An, & quomodo interdicti priventur usu Sacramentorum. *Ibidem, n. 2.*
Quomodo tempore interdicti prohibeantur Divina Officia. *Ibidem, n. 3.*
Possintnè pulsari campanæ. *Ibidem.*
Quid de Ecclesiasticâ sepulturâ. *Ibidem.*
Quis possit ferre interdictum. *Ibidem, num. 4.*
Quam pœnam incurrant illud violantes. *Ibidem.*
Quâ ratione tollatur interdictum. *Ibidem, n. 5.*
Num habens privilegium tempore interdicti audiendi Sacrum, teneatur illud audire. *Ibidem.*
Interdictum deambulatorium. *Ibidem.*

IRREGULARITAS.

Quid sit, & quomodo incurratur irregularitas. *Disp. 99, sect. 6, n. 1.*
A quo ferri possit. *Ibidem.*
Utrùm ignorantia excuset ab irregularitate, *Ibid. num. 2.*
Sitnè in dubio quis censendus irregularis. *Ibidem.*
Quomodo contrahatur irregularitas ex defectibus corporis, vel animæ. *Ibidem, n. 3.*
Neophyti sunt irregulares. *Ibidem.*
Irregularitas ex defectu natalium, ætatis, aut libertatis. *Ibidem, n. 4.*
Quomodo contrahatur irregularitas ex bigamiâ, aut ex infamiâ. *Ibidem, n. 5.*
Utrùm reiteratio aliquorum Sacramentorum inducat irregularitatem. *Ibidem, n. 6.*
Quid hac in parte de susceptione & usu Ordinum. *Ibidem.*

Quomodo per hæresim incurratur irregularitas. *Ibidem, num. 7.*
De irregularitate ex homicidio. *Ibidem, n. 8.*
Irregularitas ex defectu lenitatis, & accusatione in causâ criminali. *Ibidem n. 9.*
Quid de accelerantibus mortem. *Ibidem.*
An, & quomodo contrahatur irregularitas ex bello. *ibidem, n. 10.*
Quo pacto medendo, aut ex chirurgiâ proveniat irregularitas. *ibidem, n. 11.*
Quomodo tollatur irregularitas. *Ibidem, n. 12.*

JURISDICTIO.

Quid sit? *Disp. 94 sect. 1.*
Una ordinatio Sacerdotis dat ei potestatem in corpus Christi verum, altera in corpus Christi mysticum. *ibidem, n. 2*
In Sacerdote requiritur etiam Jurisdictio. *Ibidem, num. 4 & 6.*
Applicatio subditorum est quædam collatio potestatis. *Ibidem, n. 8.*
Potestas jurisdictionis est potestas superioris ut superioris. *Ibidem, n. 9.*
In quibus reperiatur jurisdictio ordinaria. *Ibid. num. 14.*
De jurisdictione delegatâ. *Ibidem, sect. 2.*
Delegatus non potest subdelegare. *Ibidem, n. 1. & 2.*
De jurisdictione in articulo mortis. *Ibidem, num. 3. & 4.*
Quis censeatur proprius Sacerdos. *Ibidem, n. 5. & sequent.*
Possitnè quis pœnitentiæ sacramentum administrare cum jurisdictione dubiâ. *Disp. 94. sect. 4. n. 5. & sequent.*

JUDÆI.

Judæorum fabulæ. *Disp. 7. sect. 3.*
Verâ relictâ Fide in quæ prolapsi sint deliramenta. *Ibidem.*

JUSTIFICATIO.

Justificatio essentialis & integralis. *Disp. 15. sect. 6. num. 3.*
Parvuli sunt univocè justi cum adultis. *Disp. 17. Sect. 1. n. 1.*

JUSTITIA.

Sex rigorosæ justitiæ conditiones. *Disp. 44. s. 4. num. 2.*
Ut virtus aliqua sit ad alterum, sufficit distinctio naturarum. *Ibidem, n. 4.*
Tria in opere aliquo requisita, ut sit aptum ad contractum justitiæ. *Ibidem, sect. 5. n. 6.*

L

LEGITIMATIO.

AN proles ex parentibus obstrictis voto castitatis concepta, sit legitima. *Disp. 105. sect. 4. n. 1.*
Quid de prole ex parente ad sacros Ordines promoto natâ existimandum. *Ibidem.*
Quomodo proles legitimentur. *ibidem, n. 2.*

LUTHERUS.

Dæmonem è quâdam fœminâ ejicere conatur. *Disp. 7. sect. 6. n. 8.*
Novum docet Orationem Dominicam recitandi modum. *Ibidem, sect. 5. n. 2.*
Quid quoad vitæ sanctitatem de suæ sectæ hominibus scribat Lutherus. *Ibidem, n. 3.*
Post Lutherum 270. hæreticorum sectæ sunt exortæ. *Disp. 7. sect. 7. n. 4.*
Impium Lutheri facinus. *Ibidem, sect. 8. n. 6.*
Lutheri hæresis circa Eucharistiam. *Disp. 78. sect. 3.*
Lutheri pervicacia. *Disp. 61, sect. 2. n. 10.*
Procacissimum ejusdem effatum. *Disp. 82. sect. 2. num. 5.*
Absurdissimum Lutheri dictum. *Disp. 84. n. 5.*

LUXURIA.

Quomodo per luxuriam, aut alias causas violetur locus sacer. *Disp. 105. sect. 5. n. 5.*
Quale peccatum sit Sodomia, bestialitas, &c. *Disp. 105. sect. 5. n. 7.*
An, & quomodo fornicatio sit peccatum mortale. *Ibid. sect. 5. n. 1.*
Ad quid obliget votum virginitatis, *Ibidem, n. 2.*

M

MAHOMETANI.

QUantum à Fidei Catholicæ puritate distent Mahometis dogmata. *Disp. 7. sect. 4.*
Cur Mahometis sectam reliquerit Avicenna. *ibidem, n. 2.*
Variæ Mahometis fabulæ in Alcorano contentæ. *Ibidem, n. 3.*

MARIA.

Plurima hac ætate patravit miracula. *Disp. 7. sect. 6. n. 4.*
In triduo illo mortis retinuit Fidem Christi. *Disp. 18. sect. 5. n. 2.*
Dies Sabbati est illi peculiariter dicatus. *Ibidem.*
Privilegium Virgini concessum. *Disp. 19, sect. 1. num. 1.*
Quo sensu dicant Patres Beatissimam Virginem esse unicam spem nostram. *Disp. 29. sect. 9. n. 5.*
Beatissima Virgo actum amoris Dei in morte non interrupit. *Disp. 35. sect. 4. n. 3.*
Summa Beatissimæ Virginis fuit in hac vitâ Charitas. *Ibidem, sect. 5. n. 2.*
Ad immensum penè gradum gratiæ infra Christum pervenit. *Disp. 38. sect, 6. n. 7.*
Concepta fuit sine peccato originali. *Disp. 46. Sect. 6.*
Non etiam habuit debitum illius proximum, habuit remotum. *Ibidem, n. 10. & 12.*
Utrùm meruerit Beatissima Virgo ut esset Mater Dei. *Disp. 47. sect. 6.*
Varii hac in re procedendi modi. *Ibidem.*
Ad unionem inter animam & corpus Christi producendam Beatissima Virgo concurrebat. *Disp. 50. sect. 2. n. 11.*
Meretur Beatissima Virgo cultum Sanctorum omnium cultu præstantiorem. *Disp. 61. sect. 2. num. 13.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eam Extremam Unctionem recepisse est probabilius. *Disp. 68, sect. 2. n. 4.*
Matrem Virginem suis Christum manibus baptizasse est verisimile. *Ibidem, n. 9.*

MARTYRIUM.

Martyrium non est sacramentum. *Disp. 62. s. 4. num. 1.*
Gratiam per Martyrium conferri docent plurimi ex Patribus. *Ibidem, n. 5.*
Martyrium in multis differt à Sacramentis. *ibidem, num. 8.*
Quid ad Martyrium requiratur. *Ibidem.*
Dicinè possit Martyrium conferre gratiam ex opere operato. *Ibidem, n. 12.*
Quid hac in parte de Martyrio dicendum ante adventum Christi. *Ibidem, sect. 5. n. 1 & 2.*
Quænam ad Martyrium requiratur dispositio. *Ibidem, n. 3 & 4.*
Ad gratiam per Martyrium obtinendam sufficit in peccatore attritio. *Ibidem, n. 4.*
In somnis etiam occisus potest esse Martyr. *Ibid. num. 7.*
Quo tempore gratia conferatur in Martyrio. *Ibidem, n. 8 & 9.*
Utrùm latro Christum in cruce confessus, fuerit Martyr. *Ibidem, n. 10.*
Quid de iis qui in servitio infectorum correpti peste moriuntur. *Ibidem.*
Qui pro Fide pugnantes occiduntur in bello, sintnè censendi Martyres. *Ibidem, n. 11.*
Quid si quis ob virtutis alicujus defensionem occidatur. *Ibidem, n. 12.*
Quid si Martyr aliquis de peccato quopiam veniali in hac vitâ non doluisset. *Disp. 88, sect. 1. num. 6. & seq.*

MATRIMONIUM.

De Materiâ & formâ Matrimonii variæ sunt Auctorum sententiæ. *Disp 63. sect. 1.*
Quare in Matrimonio sufficiant verba virtualia. *Disp. 86. sect. 1. n. 3.*
Quid, & quotuplex sit Matrimonium. *Disp. 103. sect. 1. n. 1.*
Utrùm sit in præcepto. *Ibidem.*
Quis sit minister Sacramenti Matrimonii. *Ibidem, num. 2.*
Sitnè validum contractum inter absentes per procuratorem, vel literas. *Ibidem, n. 3.*
Sitnè validum Matrimonium clandestinum, aut sine denunciationibus factum. *Ibidem, n. 4.*
Quomodo requiratur præsentia Parochi. *ibidem, num. 5.*
Quis loco Parochi assistere possit Matrimonio. *Ibidem, n. 6.*
De Matrimonio sub conditione honestâ celebrato. *Ibidem, n. 7.*
Quid de conditione turpi, impossibili, aut necessariâ. *Ibidem, n. 8.*
Quomodo suppleatur Matrimonium invalidum. *Ibidem, n. 9.*
An & quomodo Matrimonium sit indissolubile. *Ibidem, sect. 2. n. 1.*
An Matrimonium infidelium sit indissolubile. *Ibidem, n. 2.*
Utrùm Matrimonium cum hæreticis sit validum, licitum, & indissolubile. *Ibidem, n. 3.*
Utrùm actus conjugalis sit licitus, & in præcepto. *Disp. 105. sect. 3. n. 1.*
Quænam sint justæ causæ negandi debitum. *Ibid. num. 2.*
Liceatnè marito accedere ad uxorem tempore menstrui, gravidam aut lactantem. *Ibidem, n. 3.*
Quomodo actus conjugalis vitietur ratione finis indebiti, aut loci. *Ibidem, n. 4.*
Quo pacto per luxuriam, vel alias ob causas violetur locus sacer. *Ibidem, n. 5.*
Sitnè licitus actus conjugalis die qua recipienda est, aut recepta Eucharistia. *Ibidem, n. 6.*
Quale peccatum sit copula inter conjuges indebito modo habita. *Ibidem, n. 7.*
An possit, aut teneatur conjux reddere debitum illicitè petenti. *ibidem, sect. 5. n. 3.*
Possintnè conjuges petere, aut reddere debitum superveniente inter eos affinitate, aut cognatione spirituali. *Ibidem, n. 4.*
Quando Parochus aut Confessarius teneatur monere pœnitentem de nullitate Matrimonii. *Ibidem, n. 6.*

Matrimonii impedimenta dirimentia.

Quænam sint, & à quo possint induci. *Disp. 104 sect. 1. n. 1.*
An & quomodo error irritet Matrimonium. *ibid. num. 2.*
Impedimentum conditionis. *Ibidem, n. 3.*
Quod votum irritet Matrimonium. *ibidem, n. 4.*
Bimestre conjugibus ad ingressum religionis concessum post Matrimonium ratum. *ibid. n. 5.*
De impedimento Ordinis. *ibidem, n. 6 & 7.*
Impedimentum consanguinitatis. *Ibidem, n. 8.*
Cognatio legalis, & spiritualis. *ibidem, n. 9 & 10.*
Impedimentum publicæ honestatis. *Ibidem, n. 11.*
Quid sit impedimentum criminis. *Ibidem, n. 12.*
De vi & metu. *Ibidem, n. 13. & 14.*
De disparitate cultus. *Ibidem, n. 15.*
Impedimentum affinitatis. *ibidem, n. 16.*
Impedimentum ligaminis. *ibidem, n. 17.*
Quomodo raptus dirimat Matrimonium. *Ibidem, num. 18.*
De impedimento impotentiæ. *Ibidem, n. 19.*

De impedimentis Matrimonium non dirimentibus, sed tantùm impedientibus.

De interdicto Ecclesiæ & Juris. *Disp. 104. s. 2. n. 1.*
Quomodo impediant Matrimonium catechismus, sponsalia, & votum. *Ibidem, n. 2.*
Quo pacto Matrimonium impediat incestus. *Ibidem, n. 3.*
De raptu alienæ sponsæ, & uxoricidio. *Ibid. n. 4.*
Quomodo impediat Matrimonium susceptio prolis. *Ibidem.*
De Presbytericidio, pœnitentiâ publicâ, & Matrimonio cum moniali. *ibidem.*
Quis dispensare possit in impedimentis Matrimonii dirimentibus. *Ibidem, n. 5.*
Possitnè Episcopus dispensare in impedimentis non dirimentibus. *ibidem, n. 6.*

MENDACIUM.

Quid sit. *Disp. 23. sect. 1. n. 1.*
Quomodo interveniat animus fallendi. *Ibidem.*
Mentiri est contra mentem ire. *Ibidem, n. 2.*
Utrùm mentiatur qui dicit verum, putans esse falsum. *Ibidem, n. 3. & 6.*

Deus

Deus mentiri nullâ ratione potest, aut falsum dicere. *Disp.* 23. *sect.* 1. & 2.
Mendacium est intrinsecè malum. *Ibidem, sect.* 2. *num.* 3.
Specialis ratio cur Deo repugnet mendacium. *Ibidem, n.* 5.
Non per se tantùm, sed nec per alios potest Deus testificari falsum. *Ibidem, sect.* 3, *n.* 3.
An mentiatur qui apud se tantùm profert verbâ menti contraria. *Disp.* 24. *sect.* 3. *n.* 5.
Mentiaturnè qui falsa coram aliis profert, existimans ea à nemine esse credenda. *Ibidem, n.* 6.

MERITUM.

Non est adæquatè idem actum esse laudabilem, & meritorium. *Disp.* 45. *sect.* 1. *n.* 4.
Quid sit meritum in actu primo. *Ibidem, n.* 5.
Meritum de condigno & de congruo. *Ibidem.*
Ad meritum de condigno requiritur promissio, vel ordinatio aliqua divina. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 4. *& sequent.*
In quo differat meritum à satisfactione. *Ibidem, num.* 11.
Meritum respicit præmium, satisfactio compensationem. *Disp.* 88. *sect.* 2. *n.* 2.
Tempus hujus vitæ est ad satisfaciendum, tempus sequentis ad satispatiendum. *ibidem, sect.* 3. *num.* 15.
Actus bonus præter præmium essentiale, mereri potest præmium accidentale. *Ibidem. sect.* 4. *n.* 18.
Merita per peccatum mortificata reviviscunt. *Disp.* 90. *per totam.*

MIRACULA.

Sunt sigilla quibus Deus veritatem aliquam obsignat. *Disp.* 7. *sect.* 6. *n.* 2.
Certum est in Ecclesiâ Catholicâ vera semper patrata fuisse miracula. *Ibidem, n.* 3.
Plurima etiam hac ætate sunt patrata. *Ibidem, n.* 4. & 5. & 11.
Donum patrandi miracula, à Deo conceditur ad testandam veritatem. *Disp.* 8. *sect.* 1. *n.* 5.
Variis modis dignosci possunt ficta miracula à veris. *Ibidem, sect.* 2. *num.* 7.
De Fide miraculorum. *Disp.* 16. *sect.* 4.

MISSA.

Missæ sacrificium. *Disp.* 82. *sect.* 2. 3. 4. & 5.
Missæ celebratio. *Disp.* 83.
Quo loco celebrari debeat Missa. *Ibid, sect.* 1. *n.* 1.
Utrùm in mari, aut in Ecclesiâ violatâ, *ibid. n.* 2.
Quo tempore celebrari debeat Missa. *ibid. n.* 3.
Liceatnè bis, aut sæpiùs in die celebrare. *ibidem, num.* 4.
An teneatur Sacerdos aliquando Missam celebrare. *ibidem, n.* 5.
Sintnè dies aliqui in quibus non licet celebrare. *ibidem, n.* 6.
An, & quale requiratur altare ad Missam celebrandam. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 1.
Quomodo vestiri debeat altare ad sacrificium Missæ. *ibidem, n.* 2.
Qualis in sacrificio Missæ requiratur calix & patena. *ibidem, n.* 3.
An requiratur crux, lumen, & missale. *ibid. n.* 4.
An, & qualis requiratur minister. *ibidem, n.* 5.
Possitnè Sacerdos celebrare coaperto capite, aut sine calceis. *Ibidem, n.* 6.
Sex diversis vestibus in sacrificio Missæ uti debet Sacerdos. *ibidem, n.* 7.
Quænam ex his in casu necessitatis possint omitti. *Ibidem.*
Debeantnè hæ vestes esse benedictæ. *ibidem, n.* 8.
Possintnè laici tangere res sacras. *Ibidem, n.* 9.
An interrumpi possit Missa inchoata, aut etiam abrumpi. *ibidem, sect.* 3. *n.* 1.
Liceatnè Missam inchoatam denuo resumere. *Ibidem, n.* 2.
Utrùm consecrari possit pro laico communicaturo parva hostia post oblationem apposita. *ibidem, n.* 3.
Missæ ceremoniæ sunt rectissimè institutæ, *ibidem, num.* 4.
Peccat qui ullam ex his ceremoniis sponte omittit. *Ibidem.*
An clerici, seu ministri inferiores teneantur interdum ministerium suum exercere. *Ibidem, n.* 5.
Possintnè res sacræ converti in usus profanos. *Ibidem, n.* 6.
An clerici inferiores, dum solemniter ministrant, debeant esse in gratiâ. *Ibidem, n.* 7.
Utrùm in mortali conficiens sacramentalia, & similia præstans peccet mortaliter. *Ibidem, n.* 8.
An conscius peccati mortalis peccet graviter tangendo res sacras. *Ibidem, n.* 9.

MONOTHELITÆ.

Unum tantùm in Christo ponebant intellectum, & voluntatem. *Disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 1.
Eum ut hominem nihil intellexisse asserebant. *Ibidem.*

MOTIVA CREDIBILITATIS.

Differentia inter motiva credibilitatis, & auctoritatem Ecclesiæ. *Disp.* 5. *sect.* 4. *n.* 6.
Motiva credibilitatis movent intellectum mediatè. *Ibidem.*
Quo pacto motiva credibilitatis spectent ad resolutionem Fidei. *Disp.* 6. *sect.* 3. *n.* 6.
Varia de motivis credibilitatis. *Disp.* 7. *per totam.*
Fidei nostræ mysteria sunt evidenter credibilia. *Ibidem, sect.* 1. *n.* 4.
Non tamen sunt propterea evidenter possibilia. *Ibid. sect.* 2. *n.* 4. & 5.
Quod mysteria Fidei sint evidenter credibilia nihil obstat merito Fidei. *Ibidem, n.* 9.
Motiva credibilitatis in particulari declarantur. *Ibidem, sect.* 3, 4, 5, 6, 7, & 8.
De certitudine motivorum. *Disp.* 8. *per totam.*
Triplex inter motiva & res credendas connexio. *Ibidem, sect.* 1. *n.* 2.
Sitnè de facto necessaria inter motiva & Fidei articulos connexio. *ibidem, n.* 3. *& sequent.*
Possitnè motivis credibilitatis subesse falsum. *Disp.* 8. *sect.* 1. *& sequent.*
Motiva credibilitatis non connectuntur metaphysicè cum veritate rei credendæ. *Ibidem, sect.* 3. 4. & 5.
Quo pacto ex motivis tantùm probabilibus procedere possit actus certissimus. *Disp.* 9. *sect.* 5. *num.* 2.
Motiva credibilitatis Fidem nostram reddunt moraliter certam. *Disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 2.
Declaratur moralis hæc inter motiva & rem credendam connexio. *ibidem, n.* 5.
Validioribus motivis propositis potest quis à priore doctrinâ resilire. *Disp.* 8. *sect.* 5. *n.* 6.

MUTA-

MUTATIO.

Omnis mutatio est quædam mortis imitatio. *Disp.* 40. *sect.* 3. *n.* 2.
Res aliqua variis modis dici potest mutari. *Ibidem, num.* 3.
Extrinseca mutatio nullam arguit imperfectionem. *ibidem, n.* 4.
Ad mutationem non est necessarium ut aliquid sit in alio tanquam in subjecto inhæsionis. *Ibidem, n.* 10.
Ad mutationem requiritur potentialitas. *Ibidem, sect.* 4. *n.* 15.

N

NATURA ASSUMPTA.

VTrùm quævis substantia assumi possit à Verbo. *Disp.* 50. *sect.* 1.
Quæcunque natura humana & angelica assumi potest à Verbo. *Ibidem, n.* 1. & 2.
Possitnè assumi natura irrationalis. *Ibidem, n.* 4. & *sequent.*
Quo sensu natura irrationalis assumpta sanctificaretur à Verbo. *Ibidem, n.* 9.
Accidens non potest hypostaticè uniri Verbo. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 2.
Quænam partes immediatè uniebantur Verbo. *Ibidem, n.* 5. & *sequent.*
In intentione priùs assumptum fuit totum, quàm partes. *Ibidem, sect.* 3. *n.* 1.
Anima Christi priùs unita fuit Verbo, quàm materiæ. *Ibidem, n.* 2.
Priùs naturâ assumptæ sunt partes quàm totum. *Ibidem, n.* 3.
Alia multa circa assumptionem partium & totius. *Ibidem, n.* 4. & *seq.*
Utrùm unio inter animam & corpus assumpta fuerit à Verbo. *Ibidem, sect.* 4. *per totam.*
De quibus intelligendum sit, *quòd semel assumpsit, nunquam dimisit. Ibidem, n.* 11. & 12.
An natura existens in propriâ subsistentiâ assumi possit à Verbo. *Ibidem, sect.* 5.
Quo pacto assumpta fuerit humana natura cum proprietatibus. *Disp.* 50. *sect.* 6. *n.* 6.

NESTORIUS.

Hæresis Nestorii Patriarchæ Constantinopolitani. *Disp.* 48. *sect.* 2. *n.* 2.
Negabat B. Virginem esse Dei Genitricem. *Ibidem.*
Distinguebat inter JESUM & Christum. *Ibidem.*
Nullam inter duas Christi naturas ponebat unionem substantialem. *Ibidem, n.* 3.
Damnatus fuit à Concilio Ephesino. *Ibid. n.* 4.

O

ORATIO.

QUid sit oratio? *Disp.* 58. *sect.* 1. *n.* 1.
Christum in hac vitâ mortali pro se & nobis orasse certum est. *Ibidem, n.* 2.
Utrùm Christus pro nobis nunc oret in cœlo. *Ibidem, n.* 4.
Actus orationis nullo modo Christum dedecet. *Ibidem, n.* 5.
Status beatitudinis non est incompossibilis cum oratione. *Ibidem.*
Negant aliqui Christum in cœlo existentem pro nobis nunc orare. *Ibidem, sect.* 2. & *sequent.*

ORDO.

De materiâ & formâ Ordinis. *Disp.* 63. *sect.* 6.
Materiam Ordinis Christus in particulari non determinavit. *Ibidem, n.* 5. & *sequent.*
Diversa est materia & forma Ordinis in Ecclesiâ Græcâ & Latinâ. *Ibidem. num.* 6. & 7.
Sententia docens solam impositionem manuum esse totam materiam consecrationis presbyteri rejicitur. *Ibidem, num.* 10.
Duplex ordinatio partialis Sacerdotum. *Ibidem, num.* 11.
Materia & forma quibus Christus Apostolos consecravit Sacerdotes. *Ibidem, num.* 12.
Diversa Græcorum & Latinorum consuetudo in ordinatione Diaconi. *Disp.* 63. *sect.* 6. *n.* 13.
Manus impositio videtur esse partialis ordinatio Diaconi. *ibidem, sect.* 7. *n.* 3.
De ordinatione Ostiarii & Acolythorum. *ibid. num.* 5.
Ordines numerantur septem. *Disp.* 101. *s.* 1. *n.* 2.
Prima tonsura non est ordo. *ibidem, num.* 3.
Quid de Episcopatu in eo quod superaddit Sacerdotio. *ibidem, num.* 4.
Omnes hi septem ordines sunt Sacramenta. *ibid. num.* 8.
Omnes tamen constituunt unum Sacramentum. *Ibidem, num.* 9.
Requiraturne ad validam ordinationem contactus physicus. *Ibidem, n.* 11.
Potestas ordines minores conferendi committi potest simplici Sacerdoti. *ibidem, s.* 2. *n.* 1.
Quid hac in parte de ordinatione Subdiaconi, & Diaconi. *ibidem, n.* 2.
Nequit simplex Sacerdos ex commissione Pontificis ordinare alium Sacerdotem. *ibid. n.* 3.
Ut quis validè ordinetur, debet esse baptizatus. *Ibidem, n.* 7.
Nulla certa ætas requiritur. *ibidem.*
Quid de initiato ordinibus sacris ante annos discretionis. *ibidem.*
Obligatio continentiæ in ordinibus sacris. *ib. n.* 8.
Græcorum à Latinis hâc in parte differentia. *ibid. num.* 9.

P

PECCATUM.

SItne peccatum injuria stricta contra Deum. *Disp.* 43. *sect.* 1. & *sequen.*
Varii hâc in re dicendi modi. *ibidem.*
Rem alterius, domino etiam inspectante rapiens, committit injustitiam. *ibidem, sect.* 2. *n.* 4.
Ostenditur peccatum esse injuriam strictam contra Deum. *ibidem, sect.* 4. *per totam.*
Quædam peccata sunt singulariter Deo injuriosa. *ibidem, n.* 5.
Argumenta contendentia peccatum non esse injustitiam strictam contra Deum. *Disp.* 43. *s.* 5.
Utrùm peccatum mortale habeat malitiam infinitam. *Disp.* 45. *s.* 6.
Quam pœnam postulet quodvis peccatum tanquam sibi condignè respondentem. *ibidem, sect.* 7 *num.* 2.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Peccatum mortale non est malitiæ infinitæ ex eo quòd mereatur privationem unionis hypostaticæ. *ibidem, n. 4. & seq.*
Quid de actu quo quis vellet destruere Deum. *ibidem, n. 10.*
Argumentum calculatorium malitiæ peccati ex dignitate personæ offensæ. *Disp. 45. s. 8.*
Argumentum ductum ex merito pœnæ æternæ. *Ibidem, sect. 9.*
Peccatum mortale licèt non mereatur pœnam infinitè intensam, meretur tamen æternam. *ibidem, n. 5.*
Non arguit infinitam malitiam quòd peccatum mortale superet infinita venialia. *ibid. n. 8.*
Cur peccatum in Spiritum Sanctum dicatur irremissibile. *Disp. 98. s. 8. n. 14.*

PAROCHUS.

Propositio Parochi in rebus fidei non est infallibilis. *Disp. 5. sect. 5. num. 7.*
Parochus & concionator possunt in rebus fidei proponendis errare. *ibidem, n. 8. & seq.*
Ulteriùs ostenditur vocem Parochi, parentis, & concionatorum non esse infallibilem. *ibid. sect. 6. per totam.*
Propositio Parochi non est objectum formale fidei. *sect. 7.*

PERPLEXUS.

Quid si quis sit perplexus inter duo peccata mortalia. *Disp. 98. sect. 2. n. 4.*
Posset is ex his duobus eligere levius. *ibidem.*
Quid si eligat gravius. *ibidem.*
Utrùm peccet si eligat minus peccatum. *ibidem, num. 5. & 6.*
Quid si utrumque peccatum sit æqualiter grave. *ibidem, n. 7. & 8.*
Alia circa perplexitatem. *num. 9. & seq.*

PERSONA.

Possitne persona Christi dici persona humana. *Disp. 48. s. 1. n. 5.*
Sola persona Filii fuit incarnata. *Disp. 49. s. 2. n. 1.*
Quamvis una persona non possit unionem producere sine aliâ, potest tamen terminare. *ib. num. 2.*
Sicut etiam potest una persona sine aliâ videri. *ibidem, n. 3. & 4.*
Persona divina assumere simul potest plures naturas, etiam specie distinctas. *Disp. 49. sect. 4. num. 1.*
Omnes etiam tres Personæ Divinæ assumere simul possunt eandem naturam creatam. *ibid. num. 4.*
An si Persona aliqua Divina assumeret duas naturas, esset unus tantùm homo. *Ibidem, n. 11, & sect. 5. n. 1.*
Plura circa hujusmodi denominationes annotantur. *Ibidem, n. 2 & 3.*
Aliter res se habet in naturâ & supposito creato, aliter in divino. *ibidem, n. 5. & sequent.*
Variè combinationes tum in divinis tum in creatis discutiuntur. *Ibidem, n. 8.*

S. PETRUS.

Petro Ecclesiæ primatus à Christo Domino fuit commissus. *Disp. 22. sect. 1. n. 1.*
Omnium omnino ovium cura est Petro commissa. *ibidem, n. 2.*
Potestas universalis Petri erat ordinaria, & perpetuò duratura. *Ibidem, n. 5.*
Petrus antequam Romam veniret erat supremus Ecclesiæ Pastor. *Ibid. n. 6.*
Certum est Petrum Romæ pluribus annis fuisse Episcopum. *Ibidem, n. 7.*
Petro in universali Ecclesiæ regimine successit Romanus Pontifex. *Ibidem, sect. 2.*

PIA AFFECTIO.

Pia affectio ad Fidem requisita, est supernaturalis. *Disp. 14. sect. 4. n. 1.*
Pia affectio unum integrat actum meritorium cum actu Fidei. *ibidem, n. 5.*
Cujusnam virtutis censeatur pia affectio. *ibidem, sect. 5. n. 1.*
An pia affectio esse debeat actus usquequaque honestus. *Ibidem, n. 2.*
Possitnè imperari ab actu naturali. *ibidem, n. 3, 4, & 5.*
Potest Deus necessitare ad piam affectionem. *Ibidem, n. 7.*

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

Quid denotetur nomine Pœnitentiæ. *Disp. 84. sect. 1. n. 2.*
Sacramentum & virtus Pœnitentiæ in quibusdam conveniunt, in quibusdam differunt. *Ibidem, num. 6. & seq.*
Cur Pœnitentia dicatur secunda post naufragium tabula. *ibidem.*
Certum de Fide est in Ecclesiâ dari Sacramentum Pœnitentiæ *ibidem, sect. 2. n. 3. & sequent.*
Ostenditur Pœnitentiam esse verè & propriè Sacramentum. *ibidem, n. 5.*
Quid est à quo homines absolvuntur per Sacramentum Pœnitentiæ. *ibidem, n. 7. & seq.*
Quam ob causam dici potest Deus solus remittere peccata. *ibidem, n. 11.*
Quando Sacramentum Pœnitentiæ fuit à Christo præcipuè institutum. *Ibidem, sect. 3. n. 2.*
Possitnè esse validum & informe. *Disp. 87, sect. 2. & 3.*
Utrùm reviviscat. *ibidem, sect. 4. n. 2.*

Necessitas Sacramenti Pœnitentiæ.

Confessio Sacramentalis est jure divino necessaria. *Disp. 84. sect. 3. n. 3. & 4.*
Utrùm ex potestate remitendi peccata, an retinendi, meliùs colligatur Sacramenti hujus necessitas. *ibidem, n. 5.*
Mortalia tantùm peccata possunt retineri. *Ibidem, num. 8.*
Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum necessarium est necessitate medii. *ibid. num. 9.*
Quædam ita sunt media, ut etiam sint remedia. *Ibidem, n. 10.*

Essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

Quidam eam statuunt in solâ absolutione. *Disp. 85. sect. 1. n. 1.*
Alii alio modo procedunt. *Ibidem, n. 2.*

Vis hujus Sacramenti præcipuè sita est in formâ *Ibidem, & sequent.*
Contritio etiam & confessio necessariò ingrediuntur tanquam quid constitutivum hujus Sacramenti. *Ibidem, n.* 5.
Hinc tamen non sequitur pœnitentem partialiter absolvere seipsum. *Ibidem, sect.* 2. *n.* 2. *& seq.*
Quo pacto peccata spectent ad hoc Sacramentum. *Ibidem, n.* 6 *&* 7.
Satisfactio non est pars essentialis hujus Sacramenti. *Ibidem, n.* 8.
Est tamen pars integralis. *ibidem, n.* 9.
Confessio & absolutio sunt Sacramentum tantùm. *Ibidem, n.* 10.
Contritio est res simul & Sacramentum. *Ibidem.*
Res tantùm est gratia, & peccati remissio. *ibidem.*

Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Debent esse verba ore prolata. *Disp.* 86, *sect.* 1. *num.* 2.
Scriptura & nutus non sufficiunt. *Ibidem.*
Quo sensu formæ Sacramentorum sint in potestate hominum. *Ibidem, n.* 3.
Quæ verba sint essentialia formæ Sacramenti Pœnitentiæ. *Ibidem, n.* 5 *&* 6.
An hæc verba *à peccatis tuis* sint de essentiâ formæ, *Ibidem, n.* 8.
Argumenta contendentia ea esse de essentiâ formæ. *sect.* 2.
Possitnè omitti particula, *Te. Ibidem, n.* 5. *&* 6.
Non est valida forma Pœnitentiæ prolata per modum deprecationis. *Ibidem, n.* 7.
Nos te absolvimus, & *Absolvo dominationem tuam*, sunt formæ validæ. *Ibidem, n.* 9.
Utrùm verba illa *à peccatis tuis* esse possint de substantiâ formæ. *Ibid. sect.* 3. *per totam.*
Primo instanti quo forma est finita confertur gratia. *Ibidem, n.* 8.
Nulla hic expetenda est morula. *Ibidem.*
Quem sensum habeant verba formæ hujus Sacramenti. *Ibidem, sect.* 4.
Varii hac in re dicendi modi. *Ibidem.*
Resolvitur quæstio circa sensum verborum formæ, *Ibidem, sect.* 5.
Verba hæc prolata super indispositum sunt falsa. *Ibidem, sect.* 6. *n.* 1.
Quid in hoc casu, si Sacramentum istud possit esse validum & informe. *ibidem, num.* 2.
An forma absolutionis valida sit prolata super absentem. *ibidem, sect.* 7.
Præsentiam personæ absolvendæ requirit particula *Te. ibidem, num.* 5.
Casus Serapionis. *ibidem, num.* 7.
Quid si quis absente Sacerdote poscat confessarium. *Ibidem, n.* 8. *& sequent.*
Non solùm potest, sed tenetur Sacerdos ante mortem adveniens, eum absolvere. *Ibidem, num.* 19.

De dolore ad hoc Sacramentum requisito.

Requiritur dolor formalis. *Disp.* 87, *sect.* 1. *n.* 2.
Contritio perfecta non requiritur ad valorem Sacramenti pœnitentiæ. *Ibidem, n.* 3. *& sequent.*
Qua ratione attritio dicatur interdum contritio. *Ibidem, n.* 8.
Debeatnè dolor in hoc Sacramento esse universalis. *Ibidem, n.* 11. *& sequent.*
Propositum esse debet universale. *Ibidem, n.* 14.
An dolor sufficiens ad valorem Sacramenti, sufficiat semper ad fructum. *Ibidem, sect.* 2 *&* 3.
Possitnè in hoc Sacramento dari fictio formalis, *ibidem. sect.* 4. *n.* 1.
Peccatum quod quis sine dolore debito est confessus, debet ille iterum confiteri. *ibidem, num.* 6.
Dolor necessariò præcedere debet absolutionem, non tamen confessionem. *Ibidem, num.* 7. *&* 9.
Ut confessio sit dolorosa, sufficit dolor eam subsequens. *Ibidem, n.* 12.
Sitnè de essentiâ hujus Sacramenti dolor supernaturalis. *ibidem, n.* 13. *& seq.*
An ad hoc Sacramentum, saltem validum & informe sufficiat dolor naturalis. *Ibidem, sect.* 5.

POENITENTIÆ VIRTUS.

Utrùm Pœnitentia sit virtus. *Disp.* 97. *sect.* 1.
Actus quo quis dolet de peccatis est honestus, & virtuosus. *Ibidem, n.* 2.
Hic actus est expetibilis, factâ aliquâ suppositione. *Ibidem, n.* 4 *&* 5.
Actus aversionis honestè fertur in objectum malum. *Ibidem, n.* 7.
Odium rei malæ est aliquo modo prosecutio boni contrarii. *ibidem, n.* 8.
Non obstat quo minùs pœnitentia sit virtus, quòd eliciatur cum tristitiâ. *Ibidem, n.* 10.
Quid sit objectum materiale Pœnitentiæ. *Ibidem, num.* 11.
In quibus reperiatur habitus virtutis pœnitentiæ. *Ibidem, sect.* 2. *per totam.*
Utrùm sit in Beatis. *Ibidem, n.* 3 *& seq.*
Quid de Christo, B. Virgine, Adamo in statu innocentiæ, & Angelis dicendum. *Ibidem, num.* 7 *&* 8.
Pœnitentia non est virtus Theologica, *ibidem, num.* 10, 11, *&* 12.
Quis sit propriè actus virtutis Pœnitentiæ. *ibid. sect.* 3. *&* 4.
Sitnè actus Pœnitentiæ conditionatus, an absolutus. *Ibid. sect.* 5.
Datur specialis virtus Pœnitentiæ. *Ibidem, sect.* 6. *num.* 2.
Quodnam sit motivum ejus formale. *ibidem, num.* 6. 7 *&* 8.
Utrùm sit justitia strictè dicta. *ibidem, sect.* 7.
Non tenetur peccator statim pœnitere. *Ibidem, num.* 20.
Quid si Deum infamasset. *ibidem.*
Virtus Pœnitentiæ est aliquo modo Justitia vindicativa. *ibidem, n.* 22.
Pœnitentia est necessaria ad remissionem peccati. *ibidem, sect.* 8. *n.* 1.
Sufficit tamen dolor virtualis, seu amor Dei super omnia. *ibidem, n.* 2.
Tolli divinitus potest peccatum sine ullo dolore prævio. *ibidem, n.* 3.
An dolor sine amore tollere possit peccatum. *ibid. num.* 7.
Nullum est peccatum, quod per contritionem & pœnitentiam tolli nequeat. *ibidem, n.* 13.

PONTIFEX ROMANUS.

In universali Ecclesiæ regimine Petro successit. *Disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 1.
Supremi Pastoris dignitas semper in Ecclesiâ Romanâ perstitit. *Ibidem, n.* 2. *& sequent.*
Qua ratione Summi Pontificatus dignitas Sedi Romanæ fuerit annexa. *Ibidem, n.* 4.
Hoc provenit ex institutione Christi. *Ibidem, num.* 6.
Primatus Romanæ Ecclesiæ est juris divini. *ibid. num.* 7.
Sitnè de fide hunc hominem esse verum Romanum Pontificem. *Ibidem, sect.* 3. *&* 4.
Quænam sint actiones, in quibus Summus Pontifex errare non potest. *Ibidem, sect.* 4. *n.* 4.
Potest Summus Pontifex deponere seipsum. *ibid. num.* 5.
Ob quas causas possit Summus Pontifex deponi. *Ibidem, n.* 6. *& seq.*
Varia circa depositionem Pontificis. *ibidem. n.* 9 *& seq.*
De infallibilitate Pontificis in definiendo. *Ibidem, sect.* 5.
Pontifex approbans decreta Concilii provincialis, ea facit esse de fide. *Ibidem, n.* 5.
Possitnè Pontifex incidere in hæresim. *ibidem, num.* 10.
Quinam eligere debent Pontificem. *Disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 2.
Non est necessarium, ut semper eligatur unus ex Cardinalibus, *Ibidem, n.* 3.
Quid faciendum quando plures eliguntur Pontifices. *Ibidem, n.* 4.
Qua ratione Papa hæreticus possit esse caput Ecclesiæ. *ibidem, n.* 5.
Possitnè Summus Pontifex dispensare in voto solenni Castitatis in Religione, vel in Ordine sacro. *Disp* 103. *sect.* 8. *n.* 3.

PRÆCEPTUM COMMUNICANDI.

Datur præceptum divinum Eucharistiæ Sacramentum aliquando sumendi. *Disp.* 81. *sect.* 1. *n.* 3.
Obligat hoc præceptum pro notabili parte humanæ vitæ. *Ibidem, n.* 4.
Fideles omnes adulti tenentur in articulo mortis communicare. *ibidem, n.* 5,
Quid intelligatur per articulum mortis. *Ibidem.*
Semel etiam in anno tenentur omnes, idque circa tempus Paschæ communicare. *Ibidem, num.* 7.
Varia circa hoc Ecclesiæ præceptum discutiuntur. *ibidem, n.* 8. *& seq.*
Quid si quis putet se circa tempus Paschæ habiturum impedimentum communicandi. *ibidem, num.* 13.
An justè laicis ab Ecclesiâ prohibitus sit usus calicis. *ibidem, sect.* 2.
Unam speciem sine alterâ sumere non est jure divino prohibitum. *Ibidem, n.* 2.
Explicatio verborum Christi, *Nisi manducaveritis*, &c. *ibidem, n.* 5 *&* 6.
His verbis, *Bibite ex eo omnes*, Christus solos alloquitur Apostolos. *ibidem, n.* 7.
Nazaræi ad Fidem conversi, & abstemii olim communicabant. *ibidem, n.* 9.
Per accidens possunt laici interdum calicem sumere. *ibidem, n.* 11.

PRÆDICATOR.

Ethnicis loco prædicatorum sunt cœlum, sydera, &c. *Disp.* 5. *sect.* 3.
Propositio articulorum Fidei à Prædicatoribus facta non est infallibilis. *Disp.* 5. *sect.* 5. *n.* 8.

PRÆSUMPTIO.

In quo sita sit natura præsumptionis. *Disp.* 34. *sect.* 2. *n.* 1.
Duplex præsumptio circa beatitudinem. *ibidem, num.* 2.
Præsumptio ex genere suo est peccatum gravissimum. *ibidem, n.* 3.
Utrùm omnis præsumptio tollat habitum spei. *ibidem. n.* 4.
Quomodo obliget præceptum vel affirmativum, vel negativum spei. *ibidem, n.* 5.

PRUDENTIA.

Possitnè prudentia versari circa actum falsum. *Disp.* 10. *sect.* 4. *n.* 5.
Prudentia est judicium practicum, supponens speculativum. *Ibidem.*
Omnis actus prudentiæ est verus. *ibidem.*
Quo sensu actus præcedens judicium practicum dicatur actus prudentiæ. *Ibidem, n.* 6.

R

REMISSIO VENIALIUM.

Unum peccatum veniale remitti potest sine alio. *Disp.* 88. *sect.* 1. *n.* 1.
Peccatum veniale nunquam remittitur nisi remisso mortali. *Ibidem, n.* 2.
Quid si Martyr aliquis de peccato quopiam veniali in hac vitâ non doluisset. *ibidem, num.* 6, *& sequent.*
Quid si puer decedat cum solo originali, & veniali. *ibidem, n.* 10.
Possitnè quis condignè satisfacere pro suo veniali. *Ibid. sect.* 2. *&* 4.
Quomodo remittantur venialia in sequente vitâ. *Disp.* 88. *sect.* 3.
Ut peccatum quodcunque remittantur, debet tolli in ratione obicis. *Ibidem, n.* 11.
Tempus hujus vitæ est ad satisfaciendum, tempus sequentis ad satispatiendum. *Ibidem, n.* 15.
Quis actus ad remissionem peccati venialis extra Sacramentum sit aptissimus. *Sect.* 4. *num.* 7. *&* 8.
Per actum etiam attritionis tolli condignè potest peccatum veniale. *Ibidem, n.* 12.
Non tamen hinc sequitur peccata venialia non tolli per absolutionem. *ibidem, n.* 13.
Quid si peccatum aliquod veniale remittatur per quatuor jejunia. *ibidem, n.* 21. *&* 22.
Dupliciter remitti dicuntur peccata venialia ex opere operato. *ibidem, sect.* 5. *n.* 1.
Quid Concilium Tridentinum intelligat per reliquias peccatorum. *ibidem, n.* 2.
Quænam dispositio ad remissionem peccati venialis ex opere operato requiratur. *ibidem, num.* 5.
Utrùm peccata venialia tollantur etiam per Sacramentalia. *Ibidem, n.* 9 *& sequent.*

Sitnè

Sitnè possibilis forma physicè expellens venialia. *Ibidem, sect. 6.*
Dari potest forma, quæ uni veniali repugnet, non alteri. *Ibidem, n. 13.*
Utrùm peccata venialia de facto tollantur per formam intrinsecam. *ibidem, sect. 7.*

RESERVATIO CASUUM.

Possunt casus aliqui, etiam quoad culpam reservari. *Disp. 95, sect. 1. n. 1.*
Quinam in particulari casus sint, aut esse possint reservati. *ibidem.*
In quo reperiatur potestas ordinaria absolvendi à reservatis. *Ibidem, n. 3.*
Reservatio casus potest à superiore, etiam extra confessionem tolli. *Ibidem, n. 4.*
Quid si quis peccata communia prælato confiteatur, oblitus reservati. *ibidem, n. 5.*
Quid si tempore Jubilæi confessus quis alia peccata, obliviscatur reservati. *Ibidem, n. 9.*
De potestate inferioris Sacerdotis ad absolvendum à reservatis. *Ibidem, sect. 2. num. 1. & sequent.*
Major est discrepantia inter mortalia & venialia, quàm inter mortalia reservata, & non reservata. *Ibidem, n. 5.*

REVELATIO.

Ad Fidem requiritur revelatio, seu divina locutio. *Disp. 4. sect. 1. n. 1.*
Quælibet interna illuminatio non est divina locutio. *ibid. n. 2.*
Infusio habitus Fidei non est revelatio. *Ibidem, num. 3.*
Quo sensu credens verbo Dei, habeat testimonium Dei in se. *ibidem, n. 5.*
Utrùm revelatio sit objectum formale Fidei. *Disp. 4. sect. 2.*
Quo pacto revelatio per se, & propter se credatur. *Ibidem, n. 6.*
Utrùm omnis actus Fidei habeat pro objecto formali revelationem. *Disp. 4. sect. 3.*
Revelatio interdum concurrit merè ut conditio. *ibidem, num. 4.*
Actus nostri de facto habent revelationem pro objecto formali. *ibidem, num. 8.*
Objectum formale primarium est divina auctoritas, secundarium revelatio. *Ibidem, num. 10.*
Quæ revelatio possit esse objectum formale Fidei. *Disp. 4. sect. 4.*
Quid de privata revelatione hac in parte censendum. *ibidem, num. 3. & seqq.*
Revelatio divina est duplex, interna & externa. *Disp. 11. sect. 2. n. 3.*
Declaratur quo pacto revelatio sit objectum formale Fidei. *Disp. 12. sect. 2. n. 4.*
Dicunt aliqui ad Fidem sufficere revelationem virtualem. *Ibidem, s. 3. n. 2.*
Possitnè Deus alicui revelare suam damnationem. *Disp. 32. sect. 3.*

REVIVISCENTIA MERITORUM.

Constanter affirmant Theologi merita per peccatum mortificata reviviscere. *Disp. 90. sect. 1. num. 1.*
Tria operum genera, *mortifera, mortua,* & *mortificata. ibidem, n. 2.*
Merita reviviscere ostenditur ex Apostolo & Concilio Tridentino. *ibidem, n. 3. 4. & 5.*
Utrùm merita reviviscant ex misericordiâ, an ex justitiâ. *ibidem, sect. 2.*
Possitnè ullo modo impediri reviviscentia meritorum, si tollatur obex. *ibidem, num. 9.*
Positâ ex misericordiâ remotione obicis, merita reviviscunt ex Justitia. *ibidem, n. 11.*
Merita mortificata non ex latâ tantum, sex ex strictâ etiam justitiâ reviviscunt. *Ibidem, num. 14.*
An si homini educto ex inferno Deus daret gratiam, ejus merita reviviscerent. *ibidem, sect. 3. num. 2.*
Utrùm si homo annihilatus reproduceretur, merita ejus reviviscerent. *Ibidem, n. 3.*
Ad quantum præmium reviviscant merita. *ibidem, num. 4. & sequent.*
Merita, ablato obice, ad totum præmium reviviscunt, quod iis ante lapsum debebatur. *ibid. sect. 4.*

REVIVISCENTIA PECCATORUM.

Peccata semel remissa, de facto nunquam redeunt. *Disp. 89. sect. 1. n. 3.*
Explicatur parabola Domini prius debitum à servo exigentis. *ibidem, n. 6. & 7.*
Nec divinitus redire possunt peccata semel remissa. *Ibidem, sect. 2.*
Actus non condonatus, idem est ac nunquam condonatus. *Ibidem, n. 3.*
Remissio conditionata dupliciter potest contingere. *ibidem, sect. 5.*
Ne quidem in humanis eadem unquam redit servitus. *Ibidem, n. 6.*
Dicinè possit pœna peccato mortali debita redire. *Ibidem, n. 12.*

S

SACERDOS.

SAcerdos in Missâ tres personas sustinet. *Disp. 99. sect. 3. n. 5.*
Potestas in corpus Christi mysticum supponit potestatem in verum. *Disp. 101. sect. 1. num. 5.*
Duplex in ordinatione Sacerdotis imprimitur partialis character. *ibidem, n. 10.*
Declaratur duplex hæc partialis ordinatio Sacerdotum. *Disp. 63. s. 6. n. 11.*
Quis censeatur proprius Sacerdos. *Disp. 94. sect. 2. n. 5. & sequent.*

SACRAMENTUM.

Sacramentorum dignitas. *Disp. 62. sect. 1. n. 1.*
Sacramentum variè sumitur. *ibidem, num. 3. & sequent.*
Sacramentum, ut hic accipitur, esse debet signum sensibile. *ibidem. n. 8.*
Varii dicendi modi circa naturam Sacramenti. *ibidem, sect. 2.*
Resolvitur quæstio circa essentiam Sacramenti. *Ibidem, sect. 3.*

In variis Sacramentis datur materia proxima & remota. *Disp. 63. sect. 1. n. 1.*
Omnia septem Sacramenta fuerunt immediatè à Christo instituta. *Ibidem, sect. 6. n. 3.*
Qualia signa sint Sacramenta. *Disp. 64. sect. 2. num. 2.*
Sacramenta vivorum & mortuorum. *Disp. 65. sect. 1. n. 9.*
Quinam sint capaces Sacramentorum. *Disp. 67. sect. 4. n. 1.*
Parvuli, & perpetuò amentes aliquorum Sacramentorum capaces sunt, non omnium. *Ibidem.*
Possitnè puræ creaturæ committi institutio Sacramentorum. *Ibidem, n. 3.*

Materia & forma Sacramentorum.

Utrùm Sacramenta novæ Legis perficiantur rebus & verbis. *Disp. 63. sect. 1.*
Matrimonium nutibus aut aliis signis fieri potest. *ibidem, n. 5.*
In Sacramentis non requiritur coexistentia physica materiæ & formæ. *ibidem, n. 11.*
Sacramentum Pœnitentiæ non consistit in solâ formâ. *Ibidem, n. 16.*
Utrùm ad Sacramenta requirantur ex Christi institutione res & verba determinata. *Ibidem, sect. 2.*
Quæ alteratio accidentalis materiæ officiat confectioni Sacramenti. *ibidem, n. 4.*
Utrùm Sacramentorum formas ullo modo mutare possit Ecclesia. *ibidem, n. 5.*
Quovis idiomate validè confici potest Sacramentum. *ibidem, n. 7.*
De additione vel substractione verbi alicujus in formâ. *ibidem, n. 10.*
De interruptione verborum. *ibidem.*
Utrùm verbum in fine additum corrumpere possit formam. *Ibid. n. 12. & seq.*

Sacramentorum causalitas.

Utrùm physicè causent gratiam, an moraliter. *Disp. 64. sect. 1.*
Varii hac in re procedendi modi. *ibidem, n. 3. & sequent.*
Sacramenta novæ Legis aliquo modo causare gratiam est indubitatum. *Ibidem, n. 8.*
Semper sunt causæ morales. *ibidem, n. 9.*
Omnes quorundam Sacramentorum partes non possunt gratiam physicè producere. *ibidem, num. 11.*
Causalitas Physica Sacramentorum est superflua. *ibidem, sect. 2. n. 2.*
Explicatur concursus moralis Sacramentorum. *ibidem, sect. 3. & sect. 4. n. 7.*
Quid de ultimâ syllabâ dicendum. *ibid. sect. 3. n. 3. & 4.*
Patrum sententia de causalitate Sacramentorum. *ibidem, sect. 3. n. 5. & seq.*
Quo tempore Sacramenta conferant gratiam. *ibidem, sect. 4. n. 11. & 14.*
Sacramenta etiam dant jus ad specialia. *ibidem, num. 15.*
Quid sit conferre gratiam ex opere operantis, & ex opere operato. *Ibidem, sect. 5. n. 7.*
Utrùm Sacramenta omnia conferant æqualem gratiam. *Disp. 64. sect. 6.*
Quæ Sacramenta conferant primam gratiam. *Disp. 65. sect. 1.*
Dispositio ad effectum Sacramenti requisita. *Ibidem, sect. 2.*

Sacramentorum reviviscentia.

Validè interdum suscipiuntur Sacramenta, sed non fructuosè. *Disp. 66. s. 1. n. 1.*
Baptismus fictè susceptus, sed infructuosè, ablato obice reviviscit. *ibidem, n. 11.*
Baptismus etiam reviviscit quoad remissionem pœnæ. *ibidem n. 14.*
Baptismus reviviscens tollere potest originale, & mortale, quamvis non tollat semper venialia. *Ibidem, s. 2, n. 1.*
Confirmatio etiam & Ordo, si fictè suscipiantur, cessante fictione reviviscunt. *Ibidem, n. 2.*
Idem probabiliter dici potest de Matrimonio, & Extremâ-Unctione. *ibidem, n. 5. & 6.*
Sacramentum Eucharistiæ fictè susceptum non reviviscit. *ibidem, n. 7.*
Ut Baptismus reviviscat, in quibusdam casibus sufficit attritio. *ibidem, sect. 3. n. 2.*
Quid de peccatis in ipsâ Baptismi susceptione commissis. *ibidem, n. 4. & 5.*
Meliùs dispositio plus gratiæ confert Sacramentum reviviscens. *ibidem, n. 9. & seq.*
Varia circa dispositionem ad Sacramentorum reviviscentiam requisitam. *Ibidem, s. 4.*
Baptismus per contritionem reviviscens non dat primam gratiam, sed gratiæ augmentum. *Ibidem, n. 2.*

Sacramenta Legis scriptæ, naturæ, & status innocentiæ.

Quatuor numerantur antiquæ legis Sacramenta. *Disp. 67. s. 1. n. 1.*
Confirmationi, Extremæ-Unctioni, & Matrimonio nullum respondebat in lege vetere Sacramentum. *Ibidem, n. 2.*
Malè dicunt aliqui nullum in Lege naturæ institutum fuisse parvulis peccati originalis remedium. *Ibidem, sect. 3. n. 1. & seq.*
Hoc tamen Legis naturæ pro parvulis remedium non fuit Sacramentum. *Ibidem, n. 3.*
Quodnam fuerit hoc remedium tum in Lege naturæ, tum scriptâ. *ibidem, n. 3. & 4.*
Facilior jam est via parvulos à peccato originali liberandi, quàm ante Christum. *Ibidem, s. 3. num. 7.*
Non poterant infantes etiam tunc à peccato originali in utero materno liberari. *Ibidem, num. 8.*
Quando olim Fides parentum applicabatur parvulis. *ibidem.*
Verisimilius est, si diutiùs durasset status innocentiæ, aliqua in eo futura fuisse Sacramenta. *ibidem, n. 9.*
Nec obstat, nullum Sacramentum Angelis fuisse institutum. *Ibidem.*

Sacramentorum minister.

Soli homines sunt ordinarii Sacramentorum ministri. *Disp. 67. s. 4. n. 1.*

Animæ

Animæ separatæ non possunt administrare Sacramenta. *ibidem, n. 5.*
Homines ad vitam resuscitati possunt ea administrare. *Ibidem.*
Qui ex officio Sacramentum aliquod administrat, debet esse in gratiâ. *ibidem, n. 6.*
Multa quæ ad Sacramenta pertinent, in peccato mortali exercere, non est mortale. *Ibidem, num. 7.*
Quid de contrahentibus Matrimonium in mortali. *ibidem.*

SACRIFICIUM.

Sacrificium propriè dictum in actu purè interno non consistere certum est. *Disp. 82. sect. 1. num. 1.*
Quid sit sacrificium strictè dictum. *ibidem, num. 2.*
Quo pacto fiebat sacrificium Melchisedech. *ibidem.*
Sacrificium est nota sensibilis, qua testamur supremam Dei excellentiam. *Ibidem, n. 3.*
Qua ratione sacrificium strictè dictum differat ab aliis actibus religionis. *ibidem, n. 4.*
Malè dicunt hæretici quicquid Deo offertur, esse sacrificium. *ibidem, n. 5.*
Ut aliquid sit sacrificium, quid requiratur. *Ibidem, num. 7.*
Quis offerre possit sacrificium. *ibidem, n. 9.*
Martyres moriendo pro Christo sua corpora non sacrificabant. *ibidem, n. 14.*
Quo pacto adultis ad expiationem profuerint olim sacrificia. *Disp. 67. sect. 3. n. 5.*

Sacrificium Missæ.

Fide certum est in Ecclesiâ verum & proprium dari sacrificium, illudque in Eucharistiâ consistere. *Disp. 82. sect. 2. n. 2.*
Christus in ultimâ cœnâ verum obtulit sacrificium, ergo & Sacerdotes modò offerunt. *Ibidem, n. 4.*
Nihil derogat dignitati Christi, quòd nunc plures sint Sacerdotes. *Ibidem, n. 6.*
Incruentum Sacrificium est applicatio cruenti. *Ibidem.*
Nulla alia sunt in Ecclesiâ sacrificiâ præter Eucharistiam. *ibidem, n. 8.*
In qua actione sita sit essentia hujus sacrificii. *ibidem, sect. 3. per totam.*
Quid requiratur ut hoc sacrificium effectus suos conferat. *Ibidem, sect. 4. n. 1.*
Peccatum Sacerdotis non impedit, quominùs cooperatio mediati offerentis sortiatur effectum. *Ibidem, n. 2.*
An ad hunc finem debeat is, pro quo offertur esse in gratia. *Ibidem.*
Utraque species non est de essentiâ hujus sacrificii. *ibidem, n. 3.*
Peccaret tamen graviter is, qui in alterâ tantùm specie sacrificaret. *Ibidem, n. 5.*
Potest Sacerdos partem suæ hostiæ dare communicanti. *Ibidem, n. 6.*
Quinam hoc sacrificium offerre possint, & pro quibus. *Ibid. sect. 5.*
Christus ipse hoc sacrificium offert principaliter. *Ibidem, n. 2.*
Pro omnibus in Purgatorio offerri potest, idque licèt non fuerint baptizati. *ibidem, n. 4.*
Non baptizatis tamen solùm prodest impetratoriè. *ibidem.*
Offerri potest hoc sacrificium pro omnibus viventibus, non excommunicatis. *Ibidem, num. 6.*
Triplex recensetur hujus sacrificii fructus. *Ibidem, num. 7.*
Applicatio fieri debet ante consecrationem, saltem calicis. *Ibidem, n. 8.*
Malè ageret, qui celebraret anticipatè Missas, & postea eas huic vel illi applicaret. *Ibidem.*
Sitnè Missæ sacrificium valoris simpliciter infiniti. *ibidem, n. 9. & sequent.*
Quo pacto crescere possit effectus hujus sacrificii per modum impetrationis. *Ibidem, n. 15.*
Qua ratione fructus hujus sacrificii pendere possit à bonitate Sacerdotis. *Ibidem.*

SATISFACTIO.

Quomodo satisfaciant justi pro pœna peccatis remissis adhuc debitâ. *Disp. 91. sect. 1.*
Pœnam aliquam post peccatorum remissionem solvendam restare certum est. *ibidem, n. 1.*
Potest homo justus pro hac pœnâ isthic satisfacere. *ibidem, n. 2.*
Inter Purgatorii & hujus vitæ pœnas nulla est proportio. *ibidem, n. 4.*
Conditiones ad hujus pœnæ remissionem necessariæ. *Ibidem, n. 6.*
Utrùm opus satisfactorium debeat esse pœnale. *Ibidem, n. 7.*
Non pari semper passu procedunt meritum & satisfactio. *Ibidem, num. 10.*
Pœnæ externæ non omnino satisfaciunt, postquam cessavit actus internus. *Ibidem, sect. 2. num. 2.*
Quo pacto satisfaciamus per pœnas externas. *Ibid. num. 4. & 5.*
Pœnas ab externo inflictas, liberè possumus acceptare. *Ibidem, n. 6.*
Fieri potest satisfactio per opera aliàs præcepta. *Ibidem, n. 7.*
Per idem opus satisfacere quis potest duobus titulis. *Ibidam, n. 8.*
Deturnè in hac vitâ pura satispassio. *Ibidem, num. 9.*
In purgatorio etiam datur pura solutio. *Ibidem.*
Quid de peccato veniali conjuncto cum mortali quoad punitionem in inferno. *Ibidem, num. 10. & 11.*
Possitne quis pro alio satisfacere. *Ibidem, n. 13.*
Quid sit satisfactio sacramentalis. *Disp. 91. sect. 3. num. 1.*
Quantum pœnæ tollat pœnitentia sacramentalis expleta. *Ibidem, n. 2.*
Utrùm Pœnitentia expleta conferat gratiam habitualem. *Ibidem, n. 3. & sequent.*
Satisfactio est pars tantùm integralis Sacramenti pœnitentiæ. *Ibidem, n. 6. & sequent.*
Quid si pœnitentia impleatur in statu peccati mortalis. *Ibidem, num. 11.*
Possitnè quid merè internum injungi pro pœnitentiâ sacramentali. *Ibidem, n. 12.*
Sitnè pœnitentia injungenda per modum præcepti. *Ibidem, s. 4. n. 1.*
Quæ sit obligatio pœnitentis ad explendam pœnitentiam. *Ibidem, num. 5.*
Quid si pœnitentia sit levis. *Ibidem, num. 6.*
Quænam hîc censeatur materia levis. *Ibidem.*

An possit unus alterius pœnitentiam sacramentalem explere. *Ibidem, n.* 8.
Quid si quis oblitus sit pœnitentiæ. *ibidem, n.* 9.
De mutatione pœnitentiæ. *Ibidem, n.* 10.

SCRIPTURA.

Scriptura per se non est apta ad dirimendas controversias. *Disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 7. & *Disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 2.
Ostenditur necessitas vivi judicis, seu regulæ animatæ. *Disp.* 5. *n.* 7. & 8.
Possitnè in sacram Scripturam ultimò resolvi Fides. *Disp.* 6. *sect.* 4. *n.* 3.
Quid sit Scriptura? *Disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 1.
Quomodo à Scripturâ differant definitiones Ecclesiæ. *Ibidem, n.* 4.
Librum aliquem non Canonicum potest Deus postea reddere Canonicum. *Ibidem, sect.* 2. *num.* 2.
De quibus olim libris fuerit dubitatum, utrùm essent Canonici. *ibidem.*
Varii sensus Scripturam reddunt obscuram. *ibid. num.* 3.
Diversi sacræ Scripturæ sensus declarantur. *ibidem, num.* 5.
Cur Scriptura vocetur *Verbum abbreviatum. Ibid. sect.* 3. *num.* 6.

SERVITUS.

Quid de hac propositione sentiendum, *Christus subjectus fuit Patri. Disp.* 59. *sect.* 1. *n.* 4.
Sitnè admittendum Christus est subjectus Verbo, aut sibi. *ibidem.*
Matri se Christus sponte secundùm carnem subjecit. *ibidem, n.* 5.
Omnis subjectio non est servitus. *ibidem, n.* 6.
Possitnè Christus, etiam ut homo, dici servus Dei. *ibidem, n.* 7. & *sect.* 2.
Quam servitutem à Christo excluserit Adrianus Pontifex, & Concilium Francofordiense. *ibid. num.* 9.
De qua servitute locuti sint alii Patres. *Ibidem, num.* 11.

SIGILLUM.

De naturâ sigilli confessionis. *Disp.* 96. *sect.* 1. *num.* 1.
Longè maxima est hîc obligatio servandi secretum. *Ibidem, n.* 2.
Unde hæc tanta obligatio oriatur. *Ibidem, num.* 3. & 4.
Quid si quis ad Sacerdotem accedat consilii petendi causâ. *Ibidem, n.* 7.
De peccatis in confessione auditis loqui interdum potest Sacerdos. *Ibidem, n.* 9.
Quinam obligatione sigilli teneantur. *Ibidem, n.* 10. & *sequent.*
Qualis hac in parte sit obligatio pœnitentis. *Ibidem, n.* 13.
Quid si quis interrogetur de rebus, quas solùm novit in confessione. *Ibidem, n.* 14.
Sigillum confessionis, non verbis tantùm, sed factis potest violari. *Ibidem. sect.* 2. *n.* 1.
Possitnè quis uti notitiâ in confessione habitâ, *Ibidem, n.* 2. & *sequent.*
Quid si duo conspirent in mortem Sacerdotis, & alter hoc ei in confessione aperiat. *ibidem, n.* 11. & *sequent.*

SPECIES.

Dictum quoddam Petri ab Aliaco circa species Sacramentales, seu accidentia. *Disp.* 77. *sect.* 1. *num.* 1.
Accidentia hæc eadem sunt, quæ erant in substantiâ panis & vini. *Ibidem, n.* 2.
Species hæ Sacramentales quomodo agere possint & pati. *Ibidem. sect.* 2.
Quo pacto res aliæ externæ agant in has species. *ibidem, n.* 3.
Novis dispositionibus exigentibus Deus producit materiam primam. *Ibidem.*
An per mixtionem diversarum rerum cum speciebus desinat illic esse Christus. *Ibidem, n.* 9.
Quid si vino consecrato misceatur vinum non consecratum ejusdem speciei. *Ibidem, n.* 11.
Quid si aqua, aut alius liquor diversæ rationis admisceatur vino consecrato. *ibidem, n.* 13.

SPES.

De Spe secundùm se.

Spes secundus est ad salutem gradus. *Disp.* 28. *sect.* 1. *n.* 1.
Hæreticorum spes inanis est, & mera præsumptio. *ibidem, n.* 2.
Quænam censenda sit vera spes? *Ibidem.*
Spes objectivè sumitur & subjectivè. *ibidem, sect.* 2. *n.* 1.
Spes interdum idem est ac rei futuræ expectatio. *Ibidem.*
Propria vocis Spei acceptio. *Ibidem, n.* 2.
Quædam Spei divisiones. *Ibidem, n.* 3.
Spes esse debet de *bono, possibili, futuro, arduo. ibidem.*
Dari hanc virtutem Spei est certissimum. *ibidem, num.* 6.
Spei duo actus opponuntur. *Disp.* 33. *sect.* 2. *num.* 7.

De objecto materiali Spei.

Utrùm Spes immediatè versetur circa Deum. *Disp.* 29. *sect.* 1.
Peculiaris Durandi hac in parte opinio. *Ibidem. n.* 2. & *sequent.*
Volunt alii solum Deum esse objectum immediatum Spei. *Ibidem, n.* 6.
Objectum immediatum Spei est Deus, ad quod tamen objectum spectat visio. *ibidem, sect.* 2. *num.* 6. & *sequent.*
Res & ejus possessio unum integrum finem constituunt. *ibidem, sect.* 3. *n.* 3.
Deus visus est summum bonum nostrum. *Ibidem, num.* 9.
Quænam liceat sperare. *ibidem, sect.* 7.
Qua ratione bona temporalia esse possint objectum Spei. *ibidem, n.* 3.
Ad proprium actum Spei attingi ab eo debet, non objectum tantùm materiale, sed etiam formale. *Disp.* 29. *sect.* 8. *n.* 3.

De objecto formali Spei.

Objectum formale Spei est visio beatifica. *Disp. 29. sect. 2. & 3.*
Quæ sit ratio formalis sub qua Spes objectum suum respicit. *ibidem, sect. 4.*
Magna hac in re opinandi varietas. *Ibidem.*
Assignatur ratio formalis adæquata Spei Theologicæ. *ibidem, sect. 5. n. 3.*
Deus ut causa efficiens est motivum formale Spei. *ibidem, n. 7.*
Difficultas non est objectum formale Spei. *ibid. sect. 6. n. 1.*
An sperare aliquo modo possimus in Sanctis. *Disp. 29. sect. 9. n. 1.*
Deus est ratio formalis cur speremus in Sanctis. *ibidem, n. 6.*
Utrùm detur peculiaris habitus ad sperandum in Sanctis. *ibidem, n. 8.*
Possitnè quis alteri sperare beatitudinem. *Ibidem, sect. 10. & 11.*

De actu Spei.

Actus Spei pertinet ad appetitum rationalem. *Disp. 30. sect. 11. n. 1.*
Est actus appetitus irascibilis. *ibidem, n. 2.*
Quomodo nonnulli actum Spei distinguant à desiderio. *Ibidem, n. 3.*
Cessante spe, desiderium sæpè perseverat. *ibidem, num. 7.*
Actus aliqui ad eliciendum actum Spei prærequisiti. *Ibidem, sect. 2.*
An ad actum Spei eliciendum semper requiratur Fides. *Ibidem, n. 5.*
Actus prærequisiti ex parte voluntatis. *ibidem, n. 7. & sequent.*
Utrùm actus Spei sit certus. *Disp. 30. sect. 3. per totam.*
Actus Spei respectu beatitudinis utrum sit absolutus. *ibidem, n. 10.*
Actus Spei Theologicæ est in entitate supernaturalis. *ibidem, n. 12.*

De habitu Spei.

Ad actus Spei eliciendos infunditur habitus supernaturalis. *Disp. 31. sect. 1.*
Habitus Spei est virtus propriè dicta. *ibidem, num. 4.*
Hoc etiam intelligendum est de spe informi. *ibidem, n. 5.*
An Spes sit virtus Theologica. *ibidem, sect. 2. & 3.*
Utrùm Spes ab aliis virtutibus distinguatur. *ibid. sect. 4.*
Quem inter eas locum obtineat. *Ibidem.*
Spes est imperfectior Fide. *Ibidem, n. 7.*

De subjecto Spei.

Justi in hac vitâ habent virtutem Spei. *Disp. 32. sect. 1. n. 1.*
Quid de existentibus in peccato mortali. *Ibidem, num. 2. & seq.*
Reperitur Spes in animabus in Purgatorio detentis. *ibidem, n. 9.*
Idem erat de Patribus olim in Limbo existentibus. *Ibidem.*
Jam tamen non est spes in pueris sine baptismo decedentibus. *ibidem.*
In damnatis non datur spes. *ibidem, sect. 2.*
Cur damnatis magis repugnet Spes quàm Fides. *ibidem, n. 2. & 3.*
Quid de animâ Trajani quoad spem. *ibidem, n. 4. & 5.*
Possitnè Deus alicui revelare suam damnationem. *ibidem, sect. 3.*
Is cui hoc revelaretur, non cogeretur ad desperandum. *ibidem, n. 9.*
Utrùm posset talis homo, ac teneretur sperare beatitudinem. *Ibidem, sect. 4. & 5.*
Utrùm spes actualis in Beatis esse possit. *ibidem, sect. 6.*
Beati non eliciunt actum Spei circa continuationem beatitudinis. *Ibidem, n. 6.*
Quid de actu, quo Beati cupiunt aliis beatitudinem. *Ibidem, n. 9.*
In Beatis evacuatur habitus Spei. *ibidem, sect. 7.*

SPONSALIA.

Quid sint, & quas conditiones requirant. *Disp. 102. sect. 1. n. 1.*
Utrùm sola taciturnitas sufficiat. *ibidem.*
Qualis sit obligatio sponsalium. *Ibidem, n. 2.*
An cogi quis possit pœnis, ut stet sponsalibus. *Ibidem, n. 3.*
Quæ ætas requiratur ad sponsalia, & matrimonium. *Ibidem, n. 4.*
Ob quas causas solvi possint sponsalia. *Disp. 102. sect. 2. per totam.*

SUBSISTENTIA.

Varia discutiuntur circa naturam subsistentiæ. *Disp. 50. sect. 5.*
Declaratur in quo formalis conceptus subsistentiæ consistat. *ibidem. n. 9.*
Subsistentia creata non consistit in negativo. *ibid. sect. 6.*
Ex Concilio Ephesino colligi videtur subsistentiam creatam esse quid positivum. *Ibidem, num. 9.*

SUSPENSIO.

Quid sit, & quos effectus habeat. *Disp. 99. sect. 4. num. 2.*
Quomodo violetur, & tollatur suspensio. *ibidem, num. 3.*
De communicante cum suspenso. *ibidem.*
Quo pacto quis ab eâ absolvatur. *Ibidem.*

SYMBOLUM.

De triplice Symbolo. *Disp. 2. sect. 4.*
Utrùm Symbolum Apostolorum fuerit ab Apostolis compositum. *ibidem, n. 2.*
Quando ab iis est compositum. *ibidem, n. 4.*
Quæ præcipuè in Symbolo posuerint Apostoli. *ibidem, n. 7.*
Symbolum Nicenum. *ibidem, n. 8.*
Symbolum S. Athanasii. *ibid. sect. 4. n. 8.*

T

TIMOR.

NEGANT aliqui Deum esse posse objectum timoris. *Disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 1.
Quorundam de objecto formali timoris opinio. *Ibidem, num.* 2.
Aliquando, licèt non semper, fuga mali oritur ex amore boni. *Ibidem, num.* 6.
Quâ ratione Deus esse possit materiale objectum proximum timoris. *Ibidem, n.* 9.
Quo pacto timor differat ab odio. *Ibidem, sect.* 2. *num.* 2.
Timor & spes quâ ratione inter se opponantur. *Ibidem, num.* 5.
Timor per duos actus destruitur, spem scilicet, & audaciam. *Ibidem, n.* 7.
Quid, & quotuplex sit timor. *Ibidem. s.* 3.
Quot amores efficaces alicujus rei, tot etiam sunt timores. *Ibidem, sect.* 3 *n.* 5.
Timor humanus seu servilis. *Ibidem, n.* 8.
Timor filialis. *Ibidem, & s.* 7. *&* 8.
Darinè possit timor circa bonum. *Ibid. s.* 4.
Timor reverentialis. *ibidem, num.* 3. *& seq.*
Quid sit timor mundanus. *Ibidem, sect.* 5.
An sit semper malus. *Ibidem.*
Utrùm timor servilis semper sit honestus. *ibidem, sect.* 6.
An in beatis sit timor. *ibidem, sect.* 10.
Fueritnè timor in Christo. *ibidem, num.* 2.

D. THOMAS.

Optima D. Thomæ inter actum fidei & scientiæ disparitas. *Disp.* 9. *sect.* 3.
Non negat S. Thomas evidentiam in attestante tollere obscuritatem Fidei. *Disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 10.
Quo sensu dicat S. Thomas fidem manere in damnatis. *Disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 9.
Quâ ratione affirmet S. Doctor Christum respectu aliquorum habuisse spem. *Disp.* 32. *n.* 10.
Cur asserat S. Thomas voluntatem in malum ferri per accidens. *Disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 5.
S. Thomas de lege tantùm ordinariâ ad justitiam requirit distinctionem suppositorum. *Disp.* 44. *Sect.* 4. *num.* 5.
Ratio S. Thomæ cur pura creatura satisfacere nequeat pro peccato mortali. *Disp.* 45. *s.* 4.
Mens S. Thomæ circa causalitatem Sacramentorum. *ibidem, sect.* 4.
Quo sensu dicat S. Thomas peccatum fictionis tolli per pœnitentiam, reliqua per baptismum. *Disp.* 66. *sect.* 6. *num.* 8.
Mens S. Thomæ circa immediatam conversionem aquæ in sanguinem. *Disp.* 73. *s.* 5 *n.* 14.

TRADITIO.

Quid, & quotuplex sit? *Disput.* 20. *sect.* 3. *num.* 1.
Traditiones doctrinales & morales. *ibidem.*
Certum est dari in Ecclesiâ hujusmodi Traditiones. *Ibidem, n.* 2.
Quænam Traditiones in Scripturâ vocentur Traditiones hominum. *Ibidem, n.* 5.

TRANSUBSTANTIATIO.

Utrùm involvat productionem termini formalis. *Disp.* 74. *sect.* 1.
Qua ratione per consecrationem destruatur substantia panis. *Ibidem, sect.* 2.
Statuenda hîc est, non moralis tantùm repugnantia, sed physica. *ibidem, n.* 2.
Varii modi hanc repugnantiam declarandi. *Ibidem, n.* 3. *& sequent.*
Vera ratio cur hic desinat substantia panis. *ibidem, num.* 8.
Fide certum est Eucharistiæ Sacramentum confici per veram transubstantiationem. *ibidem, sect.* 3. *n.* 1.
Post consecrationem non manet panis subsistentia, neque existentia. *ibidem, n.* 8.
Error Impanationis. *ibidem, n.* 11.

V

UBIQUISTÆ.

ERror Ubiquistarum. *Disput.* 56. *sect.* 1. *num.* 2.
Variè confutatur hic error. *Ibidem.*
Certum est Christum transiviſse de loco in locum, *ibidem.*
Vana hæreticorum responsio. *Ibidem, n.* 3.
Quo sensu dicant Sancti Patres Christum fuisse ubique. *ibidem, n.* 4.
Quomodo movebatur humanitas, non moto Verbo. *ibidem, n.* 15.

VERACITAS.

Veracitas & dictio Dei ad omne objectum credendum sunt necessariæ. *Disp.* 2. *sect.* 6. *num.* 6.
Actus Fidei non supponit veracitatem & dictionem Dei priùs creditam. *Ibidem, n.* 7.

VERBUM.

Totum Verbum unitum fuit humanitati. *Disp.* 49. *sect.* 2. *n.* 5.
Hinc tamen non sequitur Patrem, aut Spiritum Sanctum assumpsisse humanitatem. *ibidem, num.* 8.
Relatio filiationis est ratio formalis, per quam Verbum terminat unionem. *Ibidem, n.* 9.
Unio hæc non est facta in aliquo absoluto. *Ibidem, num.* 10.
Solvuntur argumenta contendentia unionem hanc factam esse in aliquo absoluto ex parte Dei. *ibidem. sect.* 3.
Per divinam potentiam fieri potest unio humanæ naturæ cum divinâ in aliquo absoluto. *Ibidem, n.* 5.
Quæ natura assumi possit à Verbo. *Disp.* 50. *sect.* 1.
Quod semel assumpsit, numquam dimisit, quomodo intelligendum. *ibidem, sect.* 4. *n.* 11. *&* 12.
Dicine possit Verbum *Mediator Dei & hominum. Disp.* 59. *sect.* 2. *n.* 8.

INDEX RERUM.

VISIO BEATA.

Sitnè Fides certior visione beatificâ. *Disp. 9. sect. 4. num. 7.*

Visio beatifica duobus modis se reflexè videre potest. *Disp. 10. sect. 4. n. 8.*

Visio antecedenter & consequenter perpetuò durarura. *ibidem.*

Visio beatifica pugnat immediatè cum actu Fidei. *Disp. 19. sect. 2. n. 9.*

Beati quâ de causâ non sint Prophetæ. *Disp. 51. sect. 5. n. 13.*

UNIO HYPOSTATICA.

Unio hypostatica est verbo intrinseca. *Disp. 40. sect. 3. n. 5.*

Unio hypostatica alio modo est intrinseca humanitati, alio modo intrinseca verbo. *Ibidem, sect. 4. n. 14.*

Quo pacto unio hypostatica subjecto in quo est fit radix omnis meriti. *Disp. 47. sect. 2. num. 13. & 14.*

Sitnè unio hypostatica relatio. *Disp. 48. s. 1. n. 1.*

Quomodo unio hypostatica distinguatur ab assumptione. *Ibidem, n. 7.*

In quo consistat unio hypostatica. *Ibidem, sect. 2.*

Sitnè realiter ab extremis distincta. *Ibidem, n. 9. & sequent.*

Ex hac unione, quamvis realiter distinguatur, non sequitur mutari Deum. *Disp. 40. s. 3.*

Unio hypostatica non est facta in aliquo absoluto. *Disp. 49. s. 2. n. 10.*

Duæ in Christo sunt partiales uniones hypostaticæ. *Disp. 50. s. 6. n. 13.*

Utrùm unio hypostatica sanctificet. *Disp. 51. sect. 3. n. 4. & 5.*

VOTUM.

Quodnam votum sit impedimentum dirimens Matrimonium. *Disp. 104. s. 1. n. 4.*

Ad quid obliget votum Virginitatis. *Disp. 105. sect. 5. n. 2.*

Utrùm contrahens Matrimonium cum voto Castitatis teneatur ingredi religionem ante consummationem. *Ibidem.*

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris.
M. DC. LXIV.

COMPTON 19

1 comp. post. r

Th
425a